image
not
available


THEATRUM
EXCELLENTIARVM
SS. DEIPARÆ
EX
CONSOCIATIONE
EXCELLENTIARVM
SVI
FILII.

THEATRUM
EXCELLENTIARVM
SS. DEIPARÆ
EX CONSOCIATIONE
EXCELLENTIARVM
SUI FILII.
OPVS
REIP. ECCLESIASTICÆ,
AC POLITICÆ MODERATORIBVS,
ASCETIS, AC VERBI DEI PRÆCONIBVS
APPRIME VTILE,

Cùm quadruplici Indice, Titulorum, Rerum, variarum Hiſtoriarum, Materiarum pro Concionibus in totius anni Dominicas, Feſta, Quadrageſimam, Adventum,

Auctore R. P. MARTINO PHILIPPO DE CONVELT
Trajectenſi, Societatis IESU, è Domo Profeſſa.

TOMVS SECVNDVS.



ANTVERPIÆ,
Apud Viduam & Hæredes IOANNIS CNOBBARI.
M. DC. LV.
Cum Gratia & Privilegio.

REVERENDISSIMO
ET
AMPLISSIMO DOMINO
D^NO IUDOCO
GILLIS,
S. THEOL. LICENTIATO,

NECNON CELEBERRIMI
AD SCALDIM COENOBII
ABBATI XXIX. LONGE MERITISSIMO,
SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS
PER TOTUM BELGIUM

VICARIO GENERALI,

Domino in Puderssе, de Hemissem, Westmael, Soersel, & S. Martens Polder, &c.

MAGNAS animas, excelsosque viros quos Divina Providentia sibi præparat, destinatque, vel imperiis, vel magnis muneribus capessendis, per ardua, aspera, grandia laborum, & dolorum certamina, tanquam egregia virtutis rudimenta, probat, formatque. Obscuris quosdam natalibus premit, regio sanguine natos; alios continuis morbis, & doloribus infatigabiles fatigat, utrisque fortunato exitu clarificatura; deinde eadem Providentia permutat ima summis, & imis summa, & vertit funeribus triumphos, in virtutis suæ ostentamentum. Quis Romulum jussum mergi ab Amulio, fundatorem Romani Imperij, pendentem ab uberibus lupæ, mulieris scilicet vagæ, & inter Pastores præmia pastoralia mœrentem spectasset? Quis Cyrum ab Avo Astyage expositum, pulsumque infantem, & pastorculum defendentem contra feras gregem, destinasset summo terrarum Imperio? Magnum sui spectaculum dat orbi Martianus gregarius miles, quem divina Providentia probavit Imperio, emeritis omnium ordinum stipendiis, ut esset columna & defensor Fidei. Vnus Iosephus Patriarcha, quam fortunæ lugubris non expertus tragœdiam? proximus exitio, eripitur conjuratis manibus fratrum,

servit ut mancipium venditus, innocens accusatus stupri, traditur vinculis & carceri, nudus ab omni jacet auxilio. Verum descendit cum illo in foveam divina Providentia, & in vinculis non dereliquit eum, donec illi afferret Sceptrum regni. Qua arte Providentia fecit Paulum tricubitalem orbi parem? an non laborum, persecutionum, & periculorum reciprocantibus æstibus vix toleranda tempestas? nullius Sancti totam vitam tanto malorum concursu, & odiorum varietate legi respersam, quam unius inexsuperabilis Chrysostomi.

Incedit coronatus spinis & rosis, serenitate, & procellis, fulgoribus gloriæ, & tenebris, plausibus, & insectationibus. An non fuit justus cum gloria; & pariter justus cum infamiâ, qui omnia placidâ, & invulnerabili mente cælo missa fulmina tulit? ô virum invincibilem malis & cunctis parem, & in vita, & in morte! Quem gloriosius extulit divina Providentia? cui sic militavit orbis, cælum, Imperator Honorius, Pontifex Romanus, & totum Imperium, ut quasi stipendiarium, & in vita, & in morte, & post mortem videretur. Hic est ludus, quo & tecum lusit Reverendissime & Amplissime Præsul divina Providentia, cujus imaginem intueor, in rebus gestis, laboribus, doloribusque toleratis expressam. Quando enim mente revolvo quam mirabili ordine, quibus consiliis arcanis, quo contextu rerum, divina Providentia gubernarit, formarit, & manu duxerit, ac denique lanienæ continuorum dolorum, & inprimis horribilibus sine intermissione punctionibus calculi objecerit, & cruciaverit, & tamen in conflictu vitæ & mortis steteris, numquam densatis malis incurvatus, cogor in laudes divinæ Providentiæ plenus admiratione consurgere, & magni Regis voces usurpare: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Opus erat majori potentiâ, ut infirma mortalitas posset æquare animos tantis malis, ne resolveretur. An non dexteram porrexit divina Providentia, quando vires sufficit ingentibus curis, & gubernationi, & morbis irruentibus, & eâ quidem constantia ut nihil officij dimitteres? Hujus Providentiæ solicita indoles in sancto Gregorio eluxit, qui mirabilia fecit, dixit, scripsit, decrevit, præsertim infirmâ semper, & ægrâ valetudine. Chrysostomum ergo, & S. Gregorium sicut voco pullos divinæ Providentiæ, sub ejusdem corde natos, sic ego & vocabo te pullum divinæ Providentiæ, & filium dexteræ. Cyrus ut disceret magnum Deum sibi propitium, & subditurum sibi omnia regna, promittitur illi quod Deus esset apprehensurus dexteram ejus, ac proinde nil sibi, nec ingenio, nec potentiæ suæ, concederet, aut vindicaret, sed victoriarum magnitudinem, potentissimæ Magni Dei dexteræ adscriberet, & referret acceptam. Duobus annis officio Superioris, & duobus œconomi ubi præfuisses, tunc omnium votis destinatus officio Prioris, eoque laudabiliter, per annos quinque & viginti perfunctus, tunc animos

mos

mos ingentes cum ingenti in Deum & SS. Deiparam fiducia, colligere, eosque supra spem erigere, ut tabulas naufragas bonorum Monasterij, & census partim per fraudem occultatos, partim dissipatos, partim obæratos amissosque per summas difficultates, lites, longas inquisitiones, recuperares. An non opus dextræ Dei, maximam, & olim pulcherrimam molem Templi, disjectam, eversam, & suis ruinis quasi sepultam, in summis rerum angustiis innovare, & inædificare fundamentis murorum exteriorum exstantibus, & pulchritudine antiquâ augustiorem restituere? Possem tam nobilis Templi vestibulo inscribere: *Divinæ Providentiæ digitus, hic est*: ac proinde soli Deo gloria. An non pulcherrimum divinæ Providentiæ opus, submittere ædificato templo 56. Iuvenes præclaros, ut essent ejusdem cultores, qui Deum bonorum omnium Auctorem noctesque dies que admirabili majestate, & modestiâ & vocis & corporis totius matura compositione, laudarent. Hi missi à divina Providentia, ut eos formatos, sapienter institutos, & suaviter fortiterque per exercitia & victoriam sui deductos, habitu religioso vestires, & vestitos spectares omnes ad unum summa cum laude pari constantia, & animoso virtutum studio perseverantes. Quale gaudium! qualis triumphus! quale diadema, coronari 56. filiorum suorum coronis! Viginti jam & quinque annos tam laborum, quàm dolorum assiduis certaminibus exercitato & non consumpto divinæ Providentiæ dextera, summo destinans imperio, ex insperato parat sacram tiaram: & sanè, an non æquitas debitos hos favores poscere videbatur, ut conservator & vindex Abbatialis dignitatis, eâ potiretur qui eam toties vacillantem sustentasset? Et ordini oblatam post 90. annos summa omnium gratulatione, & plausibus, triumphalibus ignibus undique collucentibus lætitiam loquentibus, restituisset? Placuit ergo divinæ Providentiæ pulcherrimo juxta ac perdocto Monasterio proprium Prælatum dare, & virum per omnia tentamenta probatum anno 1649. feliciter inaugurari. Hic se offert nobilis quæstio cui plus debeat Respub. vel Regnum Fundatori, vel Restauratori, an Roma Romulo sit obligatior, an Camillo? Hic eversam à Gallis, Gallis ingenti ausu expulsis, Romam sibi reddidit; ille prima mœnia posuit & pastoritium stemma propagavit. Scio facilitate proniore novam religionem condi, quàm collapsam deterioribus institutis, reformari. Scio trito proverbio celebrari versum: *Non minor est virtus quam quærere, parta tueri.* Hanc quæstionem permitto doctissimis nostris Iureconsultis; & ego pari gloriâ & honore utrumque coronabo corona scilicet civica; & statuâ donabo. Restitutoris ergo statuæ inscribo: IUDOCUS GILLIS *Restitutor tiaræ.* Illustravit Iosephus Patriarcha suâ patientiâ divinam Providentiam, & illa curioso certamine, provexit Iosephum ad summa honorum fastigia. Eadem Providentia, pari industria nunc Te clarificavit clarificata tuorum laborum patientiâ. Nec hic stetit propitius favor

divinæ Providentiæ: sed nova aura Favonij cælestis gloriosiore titulo nihil hujusmodi expectantem condecoravit. Creavit ergo sacri Ordinis Cisterciensis Vicarium Generalem; ut novis curis, & novâ charitate, tot amplissima Monasteria complecteretis, & ut Patris communis instar, consilio, & imperio, & innatâ prudentiâ tot præclaros juxta ac doctos, & religiosos viros gubernares. Vidimus ludum divinæ Providentiæ cujus hæc sunt effectricia opera. Redeo ad magni Regis laudes, & iterum ingemino: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Non hos eventus fortunæ concedimus more gentilium, qui fortunæ suæ omnia dedicant, impiè loquentes: *Ludum impotentem ludere pertinax*; sed soli Deo, cujus Providentia minimis rebus, & motibus adest, & interest. In gloriam ergo divinæ Providentiæ, hunc secundum divinarum Excellentiarum, & SS. Deiparæ Tomum Reverendissimæ necnon Amplissimæ Dominationi suæ, & religiosissimæ Reverendorum Patrum coronæ quanto fingi aut optari potest studio & amore, decrevi multis de causis dedicare. Harum Princeps causa, eaque beata, qua nulla gloriosior dari potest: Quod sitis filij S. Bernardo Patre, summo amatore SS. Deiparæ nati; qui quasi supremus & unicus Phœnix vocari potest, præ omnibus Sanctis, unicè diligens Matrem Dei, & unicè ab eâ dilectus. Et vos cum sitis æmuli tanti Patris, æmuli estis, & ardentes amatores tantæ Matris, quàm teneris & constantibus amoribus, & obsequiis colitis, extollitis, ejusque triumphos celebratis. Quid mihi jucundius contingere potest, quàm dilectissimo Prælato, & sancto admodum R.R. Patrum cætui laudes SS. Deiparæ dedicare? Vt igitur lectionibus excellentiarum SS. Deiparæ, felicior, & in dies amor ardentior, novis incendiis augeatur, inusitato modo, eas cum Filij sui excellentiis conjunctas, quantum datur, pariavi, ut religiosissimus Ordo, totus sanctæ Deiparæ sacer, partim ex fontibus æternæ Sapientiæ, partim ab uberibus Virgineis bibat, poterque beatissimos latices, & vina, germinantia Virginitatem. Deinde quandoquidem perfectiones divinæ proximè Deum contingant, & ab illis fluat, & derivetur in homines omnis sanctitas, necesse est, ut animæ tantarum rerum capaces, solidâ lectione & imitatione studiosâ, induant mores Magni Dei, qui sunt perfectiones, & Excellentiæ divinæ. Cum itaque primus accessus ad Deum, primusque gradus unionis cum primo nostro principio generetur per intellectum, & cognitionem, nec transeat intellectus in rem ignotam, nisi præmittatur lux & claritas tantæ nobilitatis, ut intellectus mores, seu perfectiones supremi numinis & quidem absconditi penetret atque cognoscat, quarum perceptione suscitetur ingens amor & desiderium possidendi quod laboriosè quæsitum. Opus est crebra meditatione & animi excitamentis: & sic lectione & notitia continua traheris ad Deum, quia veritas trahit. Quid enim fortius anima desiderat quam veritatem? Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam: nuces puero demon-

demonstrantur, & trahitur. Et quod currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione cordis trahitur, cognitionis vinculo trahitur, quæ dat formam rei amandæ. Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, non trahet revelatus Deus suarum Excellentiarum infinitis deliciis? proinde Psalmista graviter inclamat: *Gustate & videte, quam suavis est Dominus*; quasi diceret suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minimè gustatis; palato cordis tangite, ut probantes ejusdem dulcedinem, amare valeatis; & quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidiùs ametur. An non idcirco non habitæ amari non possunt, quia eorum sapor ignoratur? An non idcirco, quia intus gustare nolumus absconditum manna, & dulcedinem veræ vitæ, amamus foris miseram nostram famem, fatigamur desideriis, quibus contabescimus? Deinde cum basis totius sapientiæ sit illud antiquum oraculum γνῶθι σαυτὸν, nosce teipsum, tot offero consecroque specula luce divinâ radiantia, quot excellentiæ sunt divinæ Majestatis, ut illarum contemplatione, vel pulchritudinem animæ, vel deformitatem, sanitatem mentis, vel ægritudinem, vigorem, vel languorem vitæ spiritualis, cognoscamus. Hæ quippe clarissimè hominem se sibi ostendunt, quam Deo similis, dissimilisque vivat, quam diversa in regione versetur, num mortuorum, num vivorum, num vitali spiritu Dei feratur, & sit super terram exaltatus, juxta illud: *Exaltasti super terram habitationem meam*: num cogitationes nostræ vinculis & compede servili creaturarum humi sint defixæ; num loquatur in nobis amor mundi, aut amor summi Dei? num libere detur volatus expeditusque ad summum bonum, cui metuendâ reverentiâ, & amore semper inhærendum; ad mentem sancti Regis: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Num circumferamus imaginem Dei? num iræ regnum, ejusque tyrannidem subegeris, & tranquillitate imperturbabili perfrueris. Vnius divinæ perfectionis potentia turbæ sanctum Prophetam, hominem secundum cor Dei; an non peccatores suo tonitru percellet? unius proponamus, & ex illa ceteras metiamur. Quis cum sancto Propheta Psal. 76. non exhorret justitiæ divinæ implacabilem rigorem, & irrevocabilem sententiam? Audiamus illum: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc. Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem: aut oblivìscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et quis fructus tam profundæ meditationis, ex consideratione Iustitiæ divinæ? Intende mente voci inexpectatæ: *Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Audis voces tanti viri concussas, plenasque summo timore, quanto stupore vallatus clamat: *Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi?* An non obruitur & mergitur Iustitiæ divinæ abysso,

& pon-

& pondere infinitæ, & irrevocabilis ſententiæ? non impares fructus parturiunt reliquæ Excellentiæ divinæ, & induunt hominem Divinitatis ſuæ potentiâ, qua homo per victoriam ſui tranſgreditur ſeipſum, & ſupervolitat res humanas altior omnibus, Deo contentus. An non hi divinæ imitatores perfectionis, Dij vocari poſſent, & Filij excelſi, qui in corpore mortali, immortalitatis bonis, & perennis pacis conſtantiâ dotati, proximi Deo aſſidere videntur? Eia abrumpamus omnia vincula, diſſipemus omnes obſtantes catervas blandientium deſideriorum, quæ ſuffocant nullâ datâ quiete ſuos amatores. Vt ere liber, & expeditus omnibus humanis curis, verbo magni Tertulliani: *Vnum curo, nec aliud curo quam ne curem.* Vnum curemus, ut noſcamus illum, qui ſolus diligendus, qui cognoſci non poteſt, niſi ſolâ attentâ ſuarum perfectionum conſideratione. Hoc eſt quod paucis docet Auguſtinus *de contemplat. Non eſt mirum, Domine Deus, ſi infidelis minus diligit te, minus enim cognoſcit te.* Quis enim ignotum amat? nemo, nemo. An oculus excœcatus colores diſcernit? an non palatum infectum, omnem proſcribit guſtum ciborum? ſic ignorantia Dei omnem amorem ſummi boni. Vt ergo uniaris tuo principio, Deo ſcilicet infinito, habe in delicijs, Dei perfectiones, in quibus Deum legis in ſeipſo, & quaſi præſentem contemplaris. An non facies Moyſis ex Dei conſortio ſplendida facta eſt? ſplendida facta eſt, ut videretur quaſi non mortalis. Memini magni noſtri P. Leonardi Leſſij acroama, ſe numquam acceſſiſſe ad lectionem ſancti Dionyſij quin ſaucius alto ſpiritu, & multum à ſe diverſus, meliorque diſcederet. Noli mirari, Deus ignis eſt, Deus in igne vivit, Deus ignem ſpirat, & miniſtros ſuos ſuique amatores facit flammam ignis. Si una lectio Annalium Regis Aſſueri, animum crudeliſſimi Aman conſiliis occupatum, ita mutavit, ut edictum jam promulgatum, de trucidanda totâ gente Iudaïcâ, territus tantâ clade, ſtatim retractârit, revocâritque, & quid ſceleri, quid virtuti deberetur, una lectione didicerit, & deinde iram ſui furoris verterit in auctorem ſceleris. Eſtnè ulla lex juſtior, quam necis artifices arte perire ſuâ? Vnica ergo lectio totum populum ſub gladio occiſionis periclitantem, conſervavit, donavitque ſuæ priſtinæ libertati. Quanto majoris potentiæ fuerit æternos Dei annos perlegiſſe, infinitam ejus pulchritudinem in ſpeculo contemplari, & reliquas infinitas perfectiones, ubi nulla intervenit ſatietas legendi, verum novitas continua infiniti ſemper & recentis boni occurſat, ubi nullus finis, nullus terminus, nullus fundus novorum ſpectaculorum, & gaudiorum infinitorum interminatum pelagus. Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones ſuas in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum. Aſcenſiones ergo moliamur, & eamus de virtute in virtutem, ut videamus facie ad faciem Deum Deorum in Sion, quia ibi eſt melior una dies ſuper millia. Horum felicitatem Iſaias *cap. 60. v. 9.* exultabundus deprædicat, dum ait: *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant?* comparat

rat

rat nubibus volantibus viros qui aſcenſiones faciunt in corde ſuo,& terram deſerentes, cælo ſeſe inferunt, & ab omni concretione affe-ctuum lubricorum immunes; ſoli Deo, Deo pleni ſeſe devoverunt; illi volant Spiritu Dei, ut nubes vento, in omnes orbis oras, & quaquaverſum, prout impetus ſpiritus rapit, ſe rapi ſinunt. Nulla vis impetum nubium, nulla vis fervorem horum abrumpet, ſiſtetque. Gravidæ nubes fœcundis terram imbribus pinguefaciunt, ſaturantque; gravidæ horum animæ rore cæleſti irrigant hominum mentes: ingentes pluvias ſolutæ concitant nubes; an non viri pleni Deo, regunt dictis peccatores, ſaxea corda concutiunt, gemitus, & lachrymas ſuſcitant? in nubibus tonitrua, & fulgura fabricantur, an non illis terrâ tremere, feræ fugere, incubare pavor mortalibus, & dum micat ignibus æther, aſylum omnes quærere? qualia tonitrua & fulmina non ſentiuntur ad voces magnorum virorum, igne cæleſti ſuccenſas fulgenteſque? An non Pauli captivi voce, velut leonis rugitu tremefactus Iudex Felix? an non Herodes impius clamore Ioannis? an non unus Stylites datus orbi in prodigium, ſuæ orationis tonitru, totum orbem ad ſe vocare, corda peccatorum contere-re, ſolvere oculos in ſtuporem, & fontes lachrymarum creare? Quis inde receſſit, niſi à ſe diverſus? ingens tonitru, æternitatis comminatio; magnum fulmen, tonitru mixta vox Eccleſiaſtes *cap. 9. Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo an amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum reſervantur incerta.* Quam requiem poteſt noſter animus admittere, in tantâ ſcilicet incertitudine ſalutis? Quis locus poteſt dari lætitiæ? Quis ſecuritatis in dubio vitæ, velut jactu aleæ, ſibi Sponſor erit? Verè dictum: *Incedimus per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.* Magnum tonitru æternitate urgeri: his armis, velut arietibus evertebant Sancti, nubibus comparati, omnes pompas orbis, & illuſoria gaudia. Nunc manum de tabula tollam, rogoque Reverendiſſimam atque Ampliſſimam ſuam Dominationem, nec non Reverendorum Patrum venerabilem coronam, ut meos hos labores, eo affectu, & oculorum benignitate & amicæ dignatione dexteræ admittant, intueantur, & denique complectantur ſicut amiciſſimè ſunt conſecrati, oblati, atque dedicati; tum enim perſuaſero novum novi amoris Theatrum mihi conditum, & largo ſtipendio, ſcribendi labores perſolutos. In hoc Theatro dabitur campus duello beneficiorum, & trium gratiarum armis decertandi, quod eſt excellentiſſimum pugnandi genus. Honores ergo, quos exhibere conatus ſum, etſi exigui ſint, pro magnitudine votorum meorum, & eximia veſtra dignitate, erunt tamen non ſolum indices, ſed ſinceriſſimi judices amicorum ſtudiorum, & obſequiorum in monumentum æterni amoris. Magnus Deus propitiâ ſuâ Providentiâ ſervet Reverendiſſimam & Ampliſſimam Dominationem ſuam, cum totâ ſacrâ familiâ in

perpe-

perpetuas æternitates; ubi facie ad faciem videbimus eum, quem radi ſtylo adumbravi: cui, & ſuæ ſanctiſſimæ Matri infinitas, ex-opto, victorias atque triumphos æternos.

Reverendiſſimæ atque Ampliſſimæ ſuæ Dominationis
totiuſque ſacræ familiæ

Humillimus in CHRISTO ſervus

MARTINVS PHILIPPVS
DE CONVELT, Soc. IESU.

DECI-

DECIMÆ TERTIÆ CONSOCIATIONIS DE VOLUNTATE DEI.

PARS PRIMA.

§. I.

In Deo esse Voluntatem.

INtelligere & velle sunt causa perfectissimæ vitæ. Deus autem possidet perfectissimam vitam; quare si à Deo amoveatur voluntas, amovebitur & vita; quia omne vivens considerat in se, & est vivens; necesse ergo est, ut sciat seipsum. Scit ergo Deus & vult. Omne autem sciens & volens vivens est. Deinde sicut tribuimus Deo perfectiones creaturæ intelligentis, sicut sunt scire & intelligere, seclusis imperfectionibus quas habet creatura: sic etiam tribuimus appetitum rationalem, qui sequitur propositionem per judicium & intellectum seclusis imperfectionibus, propositam. Et quemadmodum appetitus naturalis, qui in omnibus rebus sequitur formam naturalem, est propensio quædam ad perfectionem, & bonum naturale; sic & rationalis appetitus, qui sequitur cognitionem, est quædam propensio & inclinatio ad id quod cognoscit bonum. In omnibus autem rebus videmus naturalem appetitum, quam propensionem vocamus, semper quasi hiantem ad recipiendam suam perfectionem (quæ propensio appetitus vocatur) quamdiu caret suâ perfectione; quâ obtentâ conquiescit. An non videmus in gravibus vehementissimum quodammodo appetitum sui centri, quo habito desinunt ulteriùs moveri, cessante causâ motus? sicut exstinctâ sitis per potum largiter sumptum, appetitus bibendi cessat. Sic videmus magnetem ferri avidum, ferro inhiare, ferro pasci, & ferri ramentis tandem

Deus habet voluntatem quia perfectissimè vivit.

Appetitus habito fine quiescit.

A involutum, veluti saturum nutriri conservarique. Omne itaque sive vivens, sive non vivens, pondere & æstu arcano desiderij trahitur rapiturque ad id, vel ad locum, vel ad materiam sibi commodam. Sic cognitionem sentientem sequitur appetitus sensitivus, quo animal actu elicito in bonum tendit sensu apprehensum. Sic & materia, formæ appetentissima, formâ adepta, quasi expleto desiderio conquiescit: sic & cognitionem sequitur appetitus intellectivus, qui est voluntas quo intelligens fertur actu elicito in bonum intellectu apprehensum, in eoque obtento quiescit, & delectatur, & gaudet: ergo & intelligens est suapte naturâ volens. Si itaque gaudium sit, & delectatio, necesse est, & esse voluntatem: hi enim actus sunt proprij voluntatis. An non cujus est actus, ejusque & potentia? Sicut ergo intelligere divinum,
B idem est cum essentia divina, sic & velle divinum. Certum de fide, Deum habere voluntatem. Actor.13. *Inveni David filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Psalm.113. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Sapientiæ 6. *Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.* Sicut ergo in Deo est intellectus infinitus, quo infiniti boni sui infinitum pelagus cognoscit: ita & in Deo, necessariò infiniti boni nascitur appetitus rationalis, sine quo esse non potest. In quantum ergo Deus infinitatem suæ bonitatis cognoscit, in tantum & appetit; & hoc pacto bonum est objectũ illius, prius ipso vero; quamvis verũ ut bonum sit appetibile, & objectum voluntatis.

Necesse est ergo esse in Deo voluntatem, quâ seipsum velit necessitate absolutâ, & amet seipsum amore infinito, quantum amabilis est, tanquam infinitum bonum. Vult ergo Deus seipsum ut finem: alia verò propter se, tanquam propter finem. Voluntas itaque causa rerum omnium, quia est potentia principalior in operando movendo. Hanc pulchrè describit Paulus ad Ephes. 1. *In quo & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Hîc observa phrasim Hebraicam, dum ait consilium voluntatis suæ; vult autem dicere, secundùm consilium sibi voluntarium. Operari ergo secundùm consilium voluntatis suæ, est operari secundùm suum consilium beneplacitum, seu voluntate suâ acceptatum. Eundem modum loquendi servavit Apost. ad Coloss. 1. *Transtulit nos in regnum dilectionis Filij sui*, id est, sibi dilectissimi. Nunc attende quare Apostolus dixerit *sorte vocatos*, & paulò pòst addit *consilium voluntatis suæ*. Dum ait sorte vocatos, non vult indicare aliquam imperfectionem, casu, aut fortuitò id accidisse, quod summo consilio factum est; sed excludi causam & rationem ex parte nostra, ob quam sic vocati sumus; quia illud consilium solo Dei arbitrio consummatum est.

Operatur Deus secundùm consilium voluntatis suæ.

Quid est sorte vocari à Deo?

Quare Paulus sæpè cum scientia & prædestinatione conjungit propositum voluntatis; quia ex hoc dependet determinatio bonorum operum. Unde licet dicamus necessariò intelligere, non tamen necessariò Deum operari, sed voluntariè, quidquid extra se operatur. Voluntarium id esse constat ex Aristotele 3. *Ethicor.* quod ab interno principio, & ab appetitu est mediâ cognitione: quod voluntarium tunc perfectum est, quando cognitio perfecta est, id est, rationalis & intellectualis. Cùm ergo Deus secundùm consilium voluntatis suæ operatur, sine dubio perfectè operatur. Hunc locum sic explicat doctiss. Suarez *in opusculo de libertate voluntatis divinæ*. Cur autem homines velut sorte prædestinentur ad vitam æternam, ex parte scientiæ, aut consilij divini antecedentis voluntatem, nulla ratio dari potest, ob quam hi potiùs creandi, quàm illi; sicut in naturalibus nulla dari potest ratio, cur illa pars materiæ, potiùs sit creata sub forma ignis, quàm è converso; quandoquidem materia sit uniformis: atque ea de causa Paulus adjungit voluntatem tanquam effectricem operum. Operatur ergo voluntas, non quòd determinetur à consilio, sed potiùs ipsa determinet consilium. Quòd igitur voluntas hoc vel illud eligat inter æqualia, ubi consilium utrumque amabile repræsentat, determinationi voluntatis tribuendum est, & efficacitati, & supremo ejus dominio. Hinc fit, quamvis consilium proponat excellentius bonum, voluntas tamen eligat, & determinet se ad minoris perfectionis opus; sicut cùm elegit nobilissimum nostræ redemptionis opus, opus & mysterium omnium operum summum, & consilium dictaret suo modo esse necessarium; poterat tamen nihilominus aliud medium deligere & mille alios modos investigare in salutare remedium, vel perditos, sicut deseruit Angelos, deserere; sicut & intellectus divinus potuit repræsentare mille alios mundos, hoc nostro perfectiores; & Angelorum species in infinitum perfectiores: verumtamen voluntas, pro sua libertate alios mundos creare noluit. Et sanè quis non cognoscit hoc esse necessarium in operibus Dei, cùm tanta sit ejus potestas, ut semper possit creare perfectiores & meliores sine numero. Quando ergo Sancti docent Deum semper velle quod est optimum, & convenientissimum, intelligitur non ex parte operum, & rerum, quas vult; sed ex parte Dei, qui semper sapientissimè, & decentissimè operatur. Quare & hoc pacto intelligendus est Augustin. *lib. 3. de libero arbitrio: Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* In Deo ergo voluntas quâ seipsum vult, necessariò vult. Quo modo autem velit creaturas, difficile est intellectu. Placebit tibi subtilissimus Vasquez *in 1. p. quæst. 19. art. 3. de voluntate divina, disp. 79. cap. 3. Quidquid dici potest, certum est, Deum, alia, à se, absolutâ necessitate non velle, verùm necessitate immutabilitatis.* Cùm omnis mutatio Deo repugnet, necesse est res volitas non posse, non esse volitas. Cùm autem essentia divina possit esse sine creaturis, non necessariò sunt volitæ; nihil enim perfectionis accedit Deo ex illarum creatione. Ut autem hoc clariùs intelligatur, audies bone Lector admirabilis Doctoris Ludovici Molinæ doctrinam *quæst. 19. art. 3. in 1. part. D. Thom. Sicut potentiæ animæ ordinantur ad essentiam tanquam ad finem, ut scilicet essentia per eas possit exercere operationes sibi accommodatas: non è contrariò, essentia ordinatur ad potentias: ita creaturas omnes ad essentiam, & bonitatem divinam tanquam ad finem ordinari; ut nimirum in eis divina bonitas, & sapientia, & cetera attributa splendeant, atque ita creaturæ cedant in laudem & gloriam Dei. Inter hæc tamen est discrimen, quòd potentiæ sint perfectiones essentiæ, animæ inhærentes, quibus sublatis nullo modo secundùm se perfecta esse poterit; eaq; de causa, commodum, utilitatem sibi, vel suo supposito intrinsecam recipit. Creaturæ verò non sunt formaliter in Deo, & Deus, qui sibi est sufficientissimus, & quidquid ab eo emanare potest, habet in se eminentissimo altissimoq; modo, non eis indiget, quasi ex illis perfectionem, aut commodum, aut utilitatem in se recipiat. Quòd enim utiles sint, ut in eis divina bonitas, & sapiētia splendeat, non in perfectionem, & commodum, sed ipsarummet cedit.* Etenim utilitas hæc, est ipsarum perfectio, non Dei. Decet tamen Deum ita splendere in suis creaturis, ipsisque tam largè communicari: licet id ipsum non facere non dedeceat, cùm in seipso sine creaturis, perinde

Deus extra se quæ operatur, non necessariò operatur.

Ut intelligendum, Deus semper vult quod est optimum.

de ac cum creaturis, sit sufficientissimus & A perfectissimus. Quare cum omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis, aliique bona opera nostra contemplando glorificaverint Patrem nostrum qui in cælis est; dicere possumus, quia servi inutiles sumus, quia ex his nulla utilitas prævenit Deo, sed nobis, quorum perfectio & commodum est, præter præmium quod in alia vita speramus, exhibendo aliis materiam, & causam unde Patrem cælestem glorificare possint. Quare bonitas, quæ in creaturis est, hoc est ratio convenientis, ut Deus in illis splendeat ostendatque potentiam, sapientiam & bonitatem, atque ita in laudem & gloriam ipsius redundent, eaque de causa cadere in objectum voluntatis divinæ, non est absurdum: nam bonitas ista, id B est ratio convenientis quæ cernitur in creaturis comparatione Dei, non solùm non est perfectio Dei, sed neque tanta bonitas quæ aut necessitatem volendi eam afferat Deo, aut indecentiam, si nullas velit esse creaturas. Quare etsi creaturæ sint media bona ad hunc finem ut Deus splendeat in illis; attamen illa bonitas mediorum nec in bonitatem finis cedit, neque in ullam sui perfectionem; quandoquidem finis ipse secundùm omnem partem sui est perfectissimus, sicut Deus ex se existit perfectissimus in infinitum. Creaturæ ergo sunt media, quæ deserviunt ut in iis splendeat bonitas, & perfectio finis, quam finis jam habet in seipso; sicut passus gigantis declarat suis vestigiis corporis magnitudinem, & tamen cognoscentis seu videntis scientia nihil confert giganti. Perfectio itaque Dei cognita per creaturas, quæ sunt quasi vestigia magni entis, & media magnitudinem Dei ostentantia, cedit in bonum ipsarum creaturarum, & earum perfectionem, sicut qui se contemplatur in speculo, suiipsius commodo, non speculi bono se contemplatur. Sic contemplantes specierum & creaturarum magnitudinem, transformamur à claritate in claritatem conditoris, magnificentiam in creaturis admirando, stupendoque: & admirantes provocamur in laudem tanti Dei, & ejus potentissimos amores. Quando igitur Deus dicitur *gaudere super peccatore pœnitentiam agente*. & Proverb. 8. *suas delicias, esse cum hominibus*, quod intelligitur de habitatione per gratiam; sic intellige: Sicut, cùm Deus vult creaturas, nullam perfectionem addit supra actum quo Deus seipsum vult esse, & diligit: ita gaudium de bono nostro, nullam addit perfectionem supra gaudium Dei, de seipso, sed solùm superaddit respectum rationis ad bonum nostrum, neque ille respectus advenit Deo ex tempore: ex æternitate enim gaudet de bono nostro quod prævidet futurum in tempore.

Quomodo dicamur servi inutiles.

Creatura creatio est indifferens ex se ad Dei magnitudinem.

Deus cùm sit finis perfectissimus, nihil addit Deo creatura creatio.

Contemplatio speculi speculis nihil addit, sed intuenti.

Deus ab æterno gaudet de bonis nostris prævisis.

§. II.

Ethnici cognoverunt in Deo liberam voluntatem.

MErcurius Trismegistus sic ait: Deus est Pater omnium, sanctitas, cujus voluntas à propriis potestatibus adimpletur. Epictetus corculum sapientiæ sic loquitur: Hoc erat operæpretium laudare Deum, & ipsum in meipso, & apud unum, & apud plurimos. Non multa mihi largitur, non copiosa: non vult me luxuriari, atque ita gratias ago Deo; ob quæ decet, gratiam habere volo; melius enim censeo quod Deus vult, quàm quod ego. Adhærebo ei minister, & assecla, κρεῖττον γὰρ ἡγοῦμαι ὃ Θεὸς θέλει ἢ ἐγω. Et dæmon à quodam Theophilo rogatus, an ipsius voluntas esset superior ceteris, respondit: Est super cælesti vastitate, desuper fulgor motus, voluntas immensa, inæstimabilis, cujus nomen sermone non capitur in igne habitans. Hoc est Deus, ex quo nos pars Angeli sumus. Unde & Apollinis oraculum de Deo loquens, veritate coactus in hæc verba prorupit: Supra mundum, & siderum cælum aurea semper eminet magna & æterna voluntas. Est & aliud oraculum. Existit supra cælesti igne incorruptibilis, ardens auctoris vo- C luntas, vitalis omnium fons, omnium quoque principium quæ producit omnia. Hei mihi! deficit oraculorum claritas. Heu, heu tripodes plangite! Obit Apollo, Apollo obit, quoniam cælestis vim adhibet, quàm mendax, verum dicere coactus. Nec nos aliud dicimus nisi voluntatem divinam, esse causam effectricem omnium, & liberam; nec agere ex necessitate naturæ, per intellectum & voluntatem, quod Aristoteles credidit. Credidit enim, ut *lib. 2. Physicor.* patet, naturam agere propter finem ex directione primæ causæ: quod non esset, nisi arbitraretur Deum esse auctorem naturæ per intellectum & voluntatem. Attamen non existimavit liberè agere, sed ex necessitate naturæ; non enim valuit D capere quomodo Deus per se solum producere aliquid de novo inceperit, sine mutatione aliqua in ipso facta, saltem per voluntatem. Quare si credidisset Deum liberè agere, non asseruisset, se demonstrasse, mundum & generationes esse ab æterno: quippe cùm pendeat utrumque à libera Dei voluntate: nunc verò cùm sciret Deum immutabilem, nec quidquid novitatis posse accedere, docuit Deum agere ex necessitate naturæ; quod non docuisset, si credidisset velle divinum ut ad creaturas terminatur, non quid reale, sed ens esse rationis. Quare omnino tenendum est, neque volitionem, neque scientiam, quam Deus de creatura aliqua habet, aliquid addere supra volitionem, & scientiam qua seipsum

 ipsum

ipsum esse vult, & cognoscit, præter respe- A ctum cognoscentis, ad cognitum, & volentis ad volitum. Albedini namque præexistenti sine ulla ipsius mutatione, advenit similitudo comparatione albedinis quæ de novo producitur; sic in Deo. Libera ergo & efficiens causa rerum est divina voluntas juxta Psalm. 148. *Ipse mandavit & creata sunt.* & Sapientiæ 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* & Genesis 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Si mandavit, si creavit in principio, liberè ergo mandavit liberè creavit. Liberè dat quantum est beneplacitum, ut Epictetus docuit. Quam pulchrè Seneca *lib. 6. de beneficiis cap. 23.* ubi probat nullam diis esse coactionem; sed voluntatem esse pro lege æterna. Audi illum: Adjice nunc B quod non externa cogant Deo, sed sua illis in legem æterna voluntas est. (quid altius sanctiusque dici potest?) Statuerunt quæ non mutarent (an non esset diminutio Majestatis, & confessio erroris, mutanda fecisse?) Itaque non possunt videri facturi aliquid, quasi ut nolint: quia quidquid desinere non potest, perseverare voluerunt: nec unquam consilij sui Deos pœnitet. Sine dubio stare illis, & desciscere in contrarium non licet, sed non ideò quia vis illos in proposito tenet, ex imbecillitate permanent, sed quia non licet ab optimis aberrare. & sic ire decretum est. Nota Lector. Nec ideo, minùs liber est, aut potens: ipse enim est necessitas sua. Non posse ægrescere, non est impoten- C tiæ, sed firmæ felicitatis. Sicut & non posse mori.

§. III.

Quantò sint Gentiles hæreticis meliores.

Plato dixit causam omnis boni, non vero mali.

AUsi hæretici in Deum blasphemi, Deum auctorem peccati per voluntatem suam statuêre, cujus sanctitatem Gentiles, instructi rationis luce acerrimè defendunt. Audiant hæretici. Plato *lib. 2. de Republ.* Bonorum quidem solus Deus est causa dicendus: malorum autem quælibet alia, præter Deum. Quis D Regem volentem civitatem suam instituere bonis legibus, virtutibus ornare ac dicet Regem optimum mala velle introducere? Sanè malum est privatio boni. Ubi nulla potest esse privatio, nulla quoque est causa mali. Unde bonum id vocamus, cui nihil deest eorum, quæ ad perfectionem ejus spectare videntur. Malum igitur est absentia boni debitæ perfectionis. Cùm aut Deus omnem debitam habeat perfectionem, nullo unquam tempore aliquâ sui perfectione carebit. Liquet ergo voluntatem Dei causam malorum non esse; si enim esset causa malorum, bonus non esset; si non bonus nec Deus. Mali sunt hi, Platone auctore *lib. 1. de Repub.* qui sibi imperare non possunt; qui impurum semper habent animum, qui ignorantes, aliis non amici; semper enim amicos lædunt. Olim concessimus bonos illos esse qui sibimet imperare possunt; malos autem qui nequeunt. Et quis est qui verè sibi imperat, nisi is, cujus voluntas est æterna, atque ab omni occasione peccandi libera? Hunc autem Deum appellamus. Quid ad hæc hæretice omnis virtutis hostis? omnis libidinis, & vitiorum fabricator? Audi Socratem apud Platonem *lib. de scientia*: *Mala apud Deos locum habere non possunt: naturam verò mortalem & regionem inferiorem necessariò circumeunt, quare conandum celerrimè fugiamus; fuga autem ista, ut similes Deo viribus efficiamur; Deo similes efficit prudentia, justitia, sanctitas,* &c. Audi hæretice Trismegistum: *Ab ipso factore nihil malum, nihilque turpe. Hæ siquidem passiones, creaturas sequuntur, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. At neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor, cœnum aut sordes; eodem modo nec malum Deus cùm Deus sit natura, totus & infinitè bonus, nec Deus possit à suo bono recedere atque deficere. Esse autem causam malorum, est à causa boni recedere.* Audi & Plotinum *de origine mali Ennead. 1. lib. 2. cap. 2. Bonum est à quo omnia pendent, quodvè omnia appetunt, accipientia ab ipso principium. Ipsum verò nullius egenum, sed sibi sufficiens nihil appetens, mensura omnium, atque terminus, habens omnia qui est omnia, secum habitat, sibi unitus, non possidet ea tanquam alia. Hæc est felix Deorum vita & illæsa.* Quod si hîc sisteret natura gradum, nunquam foret malum; malum enim est boni privatio. Insonat iterum vox Trismegisti: *Nulla ignis flamma ardentior, nulla fera ita mordax corpus lacerat, ut impietas animam. Malum est non entium; quod entia, facit nonentia. Omne enim quod est quatenus tale, bonum est. Malum autem, quod vitiat corrumpitque bonum. An igitur voluntas Dei, quæ tota bona est, causa erit mali?* An non necessè ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt qui optimus est cùm sit, nullum malum placere potest? Quid aliud agitis impij, quàm vitia incendere, quàm auctorem illis inscribere Deum & dare morbo, exemplo Divinitatis excusatam licentiam transfundunt in Deum suas libidines, dum auctorem faciunt, ut effrænes in sua scelera ruant. Hoc Seneca in Hippolyto docet:

Socrates & Trismegistus Deum auctorem boni dicunt.

Deus summum bonum, malum velle non potest.

Impij faciunt Deum auctorem mali, ut exemplo Dei mala tegant.

Deum (inquit) *esse amorem turpiter vitiofavens*
Finxit libido, quove liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.
Natum per omnes scilicet terras, vagum
Erycina mittit. Ille per cælum volans
Proterva, tenera tela molitur manu
Regnumque tantum minimus insuperos habet.
Vana ista demens animus adscivit sibi
Venerisque numen finxit atque arcus Dei.

Non

Non ergo traducantur homines; sed ô furor! ipse Deus: prout Gentilis benè intellexit & Euripides, apud quem Jon Phœbi libidines accusat.

Hominibus haud nunc amplius
Fas est malè loqui, aut carpere, ipsi cùm Deûm
Imitamur facta: sed Deos hæc qui docent.

Audi & Senecam *de vita beata cap.26. His nihil aliud actum est, quàm ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales Deos credidissent.* Sic vitiorum tutela, est Deorum auctoritas.

§. IV.

Ratione probatur, Deum non posse velle peccatum.

Deus summo odio persequitur peccatum: quomodo ergo potest velle peccatum quod infestissimis signis prosequitur? Tanta est bonitas Dei, ut absolutâ necessitate amet suam creaturam, nec possit odisse, nisi deformatam peccato. Vult nobis malum, quia mali facti peccato; quia à rectitudine defecimus. Displicet peccatum duplici ratione Deo: tanquam sibi contrarium, & tanquam homini noxium. Utroque ergo modo, æterno odio abominatur peccatum: ex complacentia sui, & complacentia hominis: sicut nos mortem odio habemus, ex complacentia nostri, vel amici. Unde verè abominatur Deus peccatum odio abominationis, ex displicentia mali, quod patimur; & odio inimicitiæ, dum vult peccatori malum, quatenus malum est displicentia personæ, non quatenus creatura est, sed quatenus fœdata est, sub qua ratione displicet, ob quam movetur affectus ad volendum malum, ut malum illius est. Sicut ergo Deus amat virtutem in nobis tanquam bonum; unde & amor est consonantia appetitus cum bono: ita & odit peccatum, tanquam opus malum, sibi planè abominabile & inimicum. Unde & odium est dissonantia appetitus cum malo, quod ut nocivum, & repugnans apparet, juxta D. Thomam 1.2. *quæst.29.art.1.* Quare ita repugnat Deo peccatum, ut nullum bonum, quantumvis maximum, quod naturâ suâ supponit peccatum, possit primariâ intentione intendere, aut velle; unde & homo ob infiniti quasi boni spem & expectationem, quod supponit peccatum, non potest aut debet primariâ intentione machinari aut intendere, aut velle. Unde cùm Deus permittit peccatum, nequaquam potest permittere ex intentione primaria, ut eliciat bonum: permittit tamen, quia tantæ bonitatis ut præviso peccato eliciat ingens bonum. Vide Augustin. 11. ad Genesim ad literam *cap. 22.* quærit quare dæmon à Deo creatus, cùm sciret eum malum futurum? Et respondet his verbis:

Deus odit peccatum, non hominem, peccati auctorem.

Nullum peccatum ob summũ bonum cõmittendum.

Deus non potest permittere peccatum ex primaria intentione ut eliciat bonum.

A *Non quia ipsum malum condidit, sed quia cùm sciret eum propriâ voluntate malum futurum ut bonis noceret, creavit illum ad hoc, ut de illo bonis prodesset.* quasi dicat: Non eâ intentione eum condidit, & permisit labi in peccatum, ut bonis prodesset tentans eos: sed cùm sciret adversarium bonis futurum, decrevit tentationes ejus bonis esse profuturas. Unde Deus non decrevit se optimo modo communicare creaturis; per incarnationem scilicet, in remedium peccati, deinde permittere peccatum Adami hac intentione ut remedium afferret; non enim prudentis Regis vel medici est, permittere seditiones & morbos in intentione afferendi remedia. *Unde Deus non deserit eâ intentione superbos, & labi in peccatum*
B *permittit, quò humiliati suam infirmitatem cognoscant,* ut loquitur D. August. *lib. de natura & gratia cap. 28.* non enim intendit Deus eventum bonum ut causam finalem peccati: non enim permittit peccatum, ut eliciat bonum, quod esset malum, velle, ut bona eveniant, quod summæ bonitati contrarium est. Utitur ergo Deus occasione peccati in bonum peccatoris, & ex permisso malo, elicit bonum, quod est infinitæ bonitatis. Deserit ergo aliquantum Deus, superbos, ut scias non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse. Ex dictis ergo conclude, Deum non posse esse causam peccati, nec illud velle permittere primariâ intentione ad eliciendum summum & admirabile bonum quod
C præsupponeret peccatum. Unde nec permissio peccati potest esse ex intentione beatitudinis conferendæ.

Lapsum permittit Deus, non intendens lapsum; sed ut ex lapsu possit multum boni elicere.

§. V.

Cùm Deus sit infinitè bonus, cur permittit tot infanda mala, quæ fieri tamen non vult.

Mirum cogitatu, cùm Deus, qui nullam vim nisi beneficam & salutarem habet, cujus natura mitis, placida, remota ab omni injuria, ut nec possit, nec velit nocere,
D cur in suo regno tot tantaque scelera patrari permittit. Hanc quæstionem Seneca *lib. 4. de beneficiis cap. 31.* breviter attingit: *Quid sibi,* inquit, *providentia voluit, quæ Aridæum regno imposuit. Fuit hic frater Alexandri Magni, matre impari. Illi putas hoc datum? patri ejus datum, & fratri. Quare Caium Cæsarem Caligulam scilicet orbi terrarum præfecit hominem humani sanguinis avidissimum, quem non aliter fluere in conspectu suo jubebat, quàm si ore excepturus esset; natus ad hauriendas reliquias sanguinis humani. Quid ergo tu illi datum hoc existimas? patri ejus Germanico datum, datum avo. Deos,* inquit, *videre est, ut alios indulgentius tractent propter parentes, avosq; alios propter futuram nepotum pronepotumq; ac longè sequentium posterorum indolem*

Seneca responsio ad quæstionem.

lem nota est illis operis sui series. Omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia est semper in aperto: nobis ex abdito subit, & quæ repentina putamus, illis prævisa sunt, & familiaria: Docet ergo pessimos regnare ex causis justis, dis/q; notis. Deos habere suas leges quibus exercentur divina, nihil velle in injuriam nostram, imò contrà nihil non in salutem & orbis totius bonum. Certum igitur est Deum, non permittere peccatum ex intentione damnandi, & excludendi à regno suo; sic enim foret illa permissio effectus reprobationis non solùm à gratia, sed effectus reprobationis à beatitudine, & repulsæ ab æterna salute, cum denegatione gratiæ necessariæ, cùm Deus nemini gratiam deneget. Permittit ergo Deus ob altissimas causas easque justas. Dicitur autem quis permittere, quod prævidet futurum, nisi ipse impediat; potestque impedire, nec tamen vult. Quare pulchrè Augustinus *in Enchirid. cap. 11. Adeò enim bonus est Deus, ut nullo modo mala permitteret, nisi inde majora bona esset eliciturus.* Hoc ipsum fusè docet Damascen. *lib. 2. Fidei orthodox. cap. 29. Sunt quædam secundùm permissionem. Nam finit frequenter justum cadere in calamitates, ut virtutem, quæ in illo latebat, apertam, manifestamq; faciat, ut in Iob. Aliquando finit quippiam absurdi fieri, ut per operationem absurdi, magnum aliquid & admirabile dirigat & operetur, ut per Crucem, salutem humani generis. Alio etiam modo finit sanctum malè affici, ut ex rectâ conscientia non excidat, aut ex indulta virtute gratiâ in superbiam non extollatur; ut in Paulo. Interdum deseritur quis in malis, ad vitam aliorum in melius commutandam, ut alij videntes quod apud illum est, emendentur; ut in Lazaro, & divite.* Naturaliter enim ipsi, videntes alios patientes, corripimur. Relinquitur etiam quis ad alterius gloriam, non per proprium, aut parentum peccatum; ut cæcus à nativitate ad gloriam Filij hominis. Rursus, finitur quis pati, in alterius zelum, ut gloria patientis magnificata, impiger aliis stimulus incitetur, spe futuræ gloriæ, & futurorum desiderio bonorum; ut in Martyribus. Permittitur & quis quandoque in turpem incidere actionem ad emendationem deterioris affectus, verbi gratiâ qui est elatus in virtutibus, & rectè factis suis. Hinc finit Deus in adulterium labi, ut per casum in propriæ infirmitatis cognitionem veniens, humiliatus Domino confiteatur.

Respondet Augustinus majoris boni causa.

Variæ causæ cur bonus Deus permittat mala.

§. VI.

Causæ nonnullæ cur Deus peccata permittere velit.

Prima causa ostentatio misericordiæ.

IN ostentationem magnificæ suæ pietatis, & misericordiæ in suos electos, quâ illos ad portum æternæ salutis, velut secundo vento illis velificatus, manu duxit. Hanc indicat August. *lib. 2. de nuptiis & concupisc. cap. 16.* & clarissimè *lib. de bono persever. cap. 12.* citans illa verba Apostol. ad Roman. 9. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Finis ergo est, ostendere divitias gratiæ suæ, & liberalitatem in suos prædestinatos: denegans enim vocationes congruas gratias improbis, ostendit divitias gratiarum in prædestinatos, quibus fuerunt ad gloriam præparati, gratis omnino fuisse donatas; siquidem ipsis eodem modo atque improbis negari potuissent. & *lib. 4. contra Iulianum cap. 8.* demonstrans in iis quos damnat, quid omnibus debeatur. Observavit idem Doctor *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 29.* Deum interdum auxilia gratiæ operantis, quam appellat certam scientiam, & victricem delectationem electis etiam denegari, ut illis ostendat esse sua dona, quæ ut sibi placet, distribuit, juxta illud Jerem. 10. *Scio, Domine, quòd non sit in manu hominis via ejus.* Quod Hieronym. explicat contra Pelagian. de quovis justo, in cujus manu non est dirigere gressus; non quia non possit gratiâ Dei excitatus rectè ambulare, & ei ad hunc finem, consensum præbere; sed quia non est in potestate sua, tali gratiâ vocari quâ gressus suos rectos dirigat. Certum quidem, quod in hominis potestate sit, mutare voluntatem in melius; sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dicitur: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri.* ab ipso quippe eam accipiunt, qui dat cordi humano cogitationes pias, quas Augustin. vocavit auxilia operantia victricem delectationem, sicut & Propheta *præventionem in benedictione dulcedinis*, Psalm. 20. quia sancti velut ebrij, ad omnia certamina progressi, mortem beatam oppetivêre.

Gratia data prædestinatis congrua data, quibus salvantur.

Gratia congrua ab Augustino vocatur, victrix delectatio.

Gratia congrua, præventio in benedictionibus vocatur, & hæc peculiariter à Deo datur.

Hæc est quæ replet animam inaudito robore, & rore cælesti perfusam lætificat. Aspice Agnetem, ut lætanter ad supremum agonem contenderit! ut vitæ prodiga quam vix hauserat! Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stat sacra victima impavida summo periculo; non enim potest timere, cui eripi nihil potest. Feri, inquit, lictor; quid gaudia mea moraris? omnis longa mora semper amantibus. Stringe in Virginis corpus, ferrum, ut Virgo moriar: porrigo

rigo cervicem vulneri; in piam, crudele pius exige ferrum; nunquam cadam feliciore dextrâ, quàm tuâ. Quàm multi pueri, & innuptæ puellæ ad flammas, quasi ad nuptias properarunt! rogus erat illis triumphus; combustio, ovatio; devorari, epulari. Quid ita? erant magnæ animæ ebriæ dulcedine hujus victricis gratiæ. Hæc gratia est odor unguentorum sponsi, quo percepto curritur, & sine lassitudine curritur donec perveniatur ad bravium æternæ felicitatis.

Ex hac gratia nascitur robur Martyribus.

§. VII.

Altera causa exercitatio liberi arbitrij.

Cum Providentia Divina disponat omnia suaviter, & res omnes suis motibus ferri velit; creaturas liberas permittit libero suo arbitrio, ut eas honorificentiùs per propria merita (quæ hîc loco propria, ut sint cooperante gratiâ producta.) ad ultimum finem perducat, juxta illud, *Reliquit hominem in manu consilij sui.* Ecclesiast. 15. vers. 14. meriti enim radix & fundamentum cum gratiâ Dei, est ipsa libertas. Quemadmodum ad rationem peccati non sufficit actum esse spontaneum, sed necesse est ut sit ita liber; ut in potestate liberi arbitrij sit quando consentit, spectatis omnibus circumstantijs concurrentibus, non consentire: ita ad rationem meriti, ut actus bonus sit moraliter, sit liber & indifferens ad bonum & malum moraliter; necesse est quando ab arbitrio elicitur, in potestate ipsius sit, spectatis omnibus circumstantijs tunc concurrentibus non elicere: hæc enim est libertas quæ vocatur contradictionis; & quam necesse est ut minimum intervenire, ut actus liber esse dicatur, sine qua nec rationem boni moralis, nec meriti habere potest. Væ ergo Mathematicis, & studiosis artis judicariæ: væ Calvinistis, qui libertatem evertentes, necessitatem & fatum inducunt. Relinquitur ergo homo in manu consilij sui & datur liberum arbitrium, ut cum gratiâ Dei, etsi ex se non sufficit ad vitam æternam, attamen conducit, ut ad æternitatem gloriæ pertingat. Non igitur quia juvatur, tollitur; sed ideò juvatur, quia non tollitur. Usus ergo bonus liberi arbitrij, est donum Dei, & ad meritum nostrum collatum: nota bene; ita ut liberi arbitrij boni usus singulæ partes sint à Deo, & à nobis totalitate effectus; & ideo ut Deus sua in nobis dona, non tamen sine nobis coronet, libertatem homini dedit, quæ ex intrinseca hominis natura dimanat: sicut libertas in Deo, non ex pluralitate personarum, sed ex essentia ortum habet. Ad merendum ergo libertas data, quâ sublatâ vel impeditâ sicut in cælo, tollitur seges & messis meritorum; non enim locus merendi ubi

In quo posita est vis liberi arbitrij.

Liberum adjutum à gratia non tollitur.

A voluntas necessitatur infinito bono, ubi nullum objectum melius solicitare potest appetitum.

Libertas ergo liberi arbitrij ut aurum in igne probatur, si quando adversis malis premitur, urgetur, & conflictatur. Virtus sine hoste marcescit. Exercitatio itaque bonæ voluntatis, est malorum florentium in sceleribus temporalis felicitas, quæ bonæ voluntatis solidos probat affectus & germanum Dei amorem potestatur patiendo. Pulchrè Augustinus in Psal. 54. *Ne putetis gratis esse malos in mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Permittit Deus ut insultent mali bonis, ut exerceantur boni.* Permisit Deus ut hostes Filij Dei Crucifixi, Filio Dei, insultarent? An non

B illa fixa in fronte regum cui insultarunt inimici? Signum crucis contumelijs dignum visum, ita ut ante lignum crucis stantes, caput agitarent, Christo improperantes suam infirmitatem. An non in cruce mortuus, tanquam infirmus, ostentans suam virtutem, ligno, & non ferro domuit orbem? Permittit suos amicos Deus agitari malorum exercitatione, & per contemptus acerbitatem liberum arbitrium asperè tractari, eo præsertim tempore, quò maximè ejus fidelitatem & fidem desiderat, & oculi ejus solicitè custodiunt. An non ideò ut in contradictionibus positum liberum arbitrium, virtute gratiæ roboratum insultet, vel tormentis irrisus, vel lascivientibus & insidiosis voluptatibus pro-

C stratis? Inter ignes, & focos, quæstiones, fidiculas crucesque liberum arbitrium placet sibi, conserit manus patiendo & vires suas Deo spectante firmatas experitur, & projectus non projicit animum, nunquam in alienum venturus arbitrium. Ecce quantum proficit virtus lacessita malis, quæ permittit Deus, non ut fiant, sed ut facta destruat in suorum gloriam, & incrementa virtutum. Esto, sit tyrannus supra Christi Athletam, non tamen tradidit se, sed acrior resistit: & quos spiritus ad certamina horrida attulissent Martyres, si nunquam fuissent sugillati? & quam sui fiduciam ut liberum arbitrium daret nisi concursus malorum magnos spiritus auxilijs

D Divinis formasset, cùm infirmor fortior sum, 2. Corinth. 11. vers. 14. Ad lucrum vivit, qui à malis exercetur; his patet undique ad libertatem via, & ad æternum bonum, quod verum est, tuumque si cum libero arbitrio in bono perseveraris. Quantum ergo potes instanter operare. *Dum tempus habemus operemur bonum,* ad Galat. 6. vers. 10. *venit nox quando nemo potest operari.* Joan. 8. 4.

§. VIII.

Tertia causa ut virtus irradietur magis.

Pulchritudo eminentior ex turpis oppositione.

In quo malum fundetur & ex se nihil sit.

Malis bona magis illustrantur.

QUamvis omnia quæ creata sunt, nec æqualiter, nec immutabiliter bona sint singula; simul tamen universa bona, quia ex horum compositione, & magnifica structura decor & admirabilis totius universitatis pulchritudo consurgit; nihilominus tamen in illa pulchritudine, illud malum, quod permissum est, introducitur, ut eminentiùs ipsius boni splendorem extollat commendetque, & ipsa bona vehementiùs placeant, ut appetantur: dum enim malis comparantur, laudabiliora prædicantur. Neque enim, ut ait August. in Enchrid. cap. 10. Deus omnipotés rerum, cum summè bonus sit, ullo modo sineret aliquid mali inesse suis operibus, nisi usque adeò esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret de malo. Quod ipsum & gentiles intellexêre. At quid est malum? Dionys. 4. cap. de Divin. nomin. *Malum*, inquit, *imbecillum*, *& privatio boni*. Item *malum semper conjunctum est cum aliquo bono, in quo fundatur. Quod enim est expers boni, id neque est aliquid, nec esse potest*. Idem docet August. lib. 83. quæst. *Non igitur potest dici ens, sed non ens; sicut nihil, ut nihil enti opponitur; quare ex se malum purum esse non potest; sed ut malum sit, debet in bono fundari, & semper esse conjunctum cum bono. Est igitur privatio boni, ipsum malum.* Ut in corporibus animalium, nihil est aliud morbus, vel vulnus, nisi privatio sanitatis & integritatis. Naturæ ergo rerum, quoniam omnium naturarum conditor summè bonus est, bonæ quidem sunt, sed non sicut earum conditor summè atque incommutabiliter bonæ; ideò in ijs bonum minui & augeri potest, & quia bonum minui malum est, ut si visus minuatur in oculo, Deus summè bonus patitur solum minui bonum, vitiari & corrumpi, quod præcipere non potest, quò vitiatæ naturæ ab integris; & sanctitas à nequitia; & justitiæ splendor, ab injustitia; & puritatis radius, à tenebris, & Filij Dei, à filijs diaboli; prædestinatorum virtus ab impietate reproborum illustriùs emineat comparata: sicut cùm aurum cæno, & vilia ramenta lapidum adamanti, & orientis lapillis pretiosis, & corpora ægrafanis corporibus comparentur, utriusque vel nobilitas, vel vilitas magis enitescit. Quemadmodum pictores umbras inducunt, quò flos colorum, & nitor imaginis promineat magis: & formosi corporis decor, præsentiâ nigricantis & & adusti æthiopis nobilior assurgit; sic & boni, felix natura, ad mali præsentiam. Contraria quippè cótrarijs juxta se positis, magis irradiantur. An non tenebræ, solis provocant desideria, & cæcitas oculorum, sidera, &

Pharaonis indurata malitia Dei potentiam illustravit.

Ex luctuosa fortuna Danielis multa bona nata.

A aciem visivam? Permittit ergo Deus mala, & peccata, quo majestas, & potentia Divinæ gratiæ & misericordiæ Divinæ fontes magis effulgeant in summi conditoris gloriam. Sic Pharaonis indurata nequitia, quâ liberè noluit, cùm posset, dimittere populum, & deberet Deo jubente; cum quo tot portentis, & signis mirabilibus Deus pugnavit, occasionem præbuit manifestandæ potentiæ Divinę, juxta illud Exod. 9. vers. 16. *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Sic conferre poteris intolerabilem Nabuchodonosoris superbiam, quâ Divinitatem spirabat, cum ipsius summa humilitate nata prodigijs cælestibus; quibus in Dei summi notitiam pervenit. Ingens malum: Danielem innocentissimum objici leonibus? quæ bona non eduxit
B maximus Deus ex tanto scelere? Darius ad Deum conversus, Dei magni potestas omnibus populis denuntiata. Vide caput Daniel. 6. ut Darius tali ostento convictus, Deum Danielis per totum imperium publicarit esse verum Deum, Pax vobis, inquit, multiplicetur. *A me constitutum est decretum ut in universo imperio, & regno meo tremiscant & paveant Deum Danielis. Ipse enim est Deus vivens & aeternus in secula: & regnum eius non dissipatur, & potestas eius usque in aeternum.* Magnus sanè Deus, qui ex luctuosa Danielis fortuna, optanda tamen, elicuit Dario & Cyro monarchis bona & fortè æternam salutem. Ex suo
C casu quæ non bona Divina Sapientia elicuit? Claritas Dei, ejus potentia, & Fidelitas Dei in suum servum, regis salus, populorum ad verum Deum notitia, Danielis sanctitas, & nominis gloria cum regia potentia affulsit, percrebuit & per orbem totum pervagata est. Hinc ex Martyrum sanguine semen Christianorum natum, & ex carnificinis, coronæ Martyrum rutilantes, & immortalitatis diademata contexta.

§. IX.

Quarta causa est ingens timor ex lapsu aliorum.

Lapsus horribiles.

D AN non cæli, & totius orbis concussio ex ruina magnarum mentium? Quis non expavescit unicum crimen principis Angeli? horror & tremor corripit hominem, qui ponderat tam nobilem creaturam cum suis perduellibus, æternis pœnis traditam esse, & quidem irrevocabili decreto. Omitto lapsum Adami. Quis non tremet in Dei viventis conspectu, quando legit duos summæ sanctitatis Principes Moysem, & Davidem Dei summi delitias, ita miserè prolapsos? húc hominem secundùm cor Dei: illum intimum Deo, & proximum, cum quo loquebatur facie ad faciem: hunc ob unum adulterium; illum

illum ob crimen infidelitatis, graviter punitos? In Ecclesia Christi duo maximi viri, ceteris omissis, fuerunt orbi maximo terrore: Origenes & Tertullianus, ad Tertulliani horribilem ruinam quis non cohorreat? tota Ecclesia muta dolore, ad suorum filiorum excidium contremuit, & se viduatam tam claris ducibus, luxit. Hanc causam permissionis peccatorum indicat August. lib. ad simpliciũ, quæst. 2. ut scilicet ex perditione reproborum electi per horribilem timorem mundentur.

Timor ex lapsu prodiens non est primaria Dei intentione.

Quo sensu explicat illud Psal. 57. *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Verùm cùm ille timor non sit primariæ intentionis Dei, sicut nec pænitentia, dicendum est, nunquam permisisse Deum, peccata reproborum, sed jam facta ad hoc ordinasse, ut eorum timore prædestinati emundarentur. Quot stellæ ex sacris locis deciderunt? quot gigantei viri, quorum robur alieni paulatim comederunt de cælo dejecti, reprobi facti sunt? ex cortinis sacris Divina vox reddita, *Qui stat, videat ne cadat.* 1. Corinth. 10. vers. 8. Quo major; vive humilior. memineris te hominem.

§. X.

Conclusio.

Deus non potest esse causa mali, ut omnia bona operetur in nobis.

SIcut ergo voluntas Dei non potest esse causa mali; ita nec potest permittendo peccata, intentione primariâ aliquod bonũ intendere: quomodo enim is qui totus bonus, peccata permitteret, eo fine ut inde bonum oriatur? an non hoc est velle malum ex bono? Voluntas Dei, est causa omnis bonæ voluntatis, ipse odit malum, ut dictum est; ipse est qui operatur omnem bonam voluntatem, in nobis, sine nobis; quamvis virtutis opus, non sine nobis. Aliud enim virtutis opus, aliud virtus, ut dictum est. Liberum enim arbitrium etsi ad malum sufficiat, ad bonum tamen supernaturale nihil est, nisi ab omnipotente bono iuvetur, & quidem tunc speciali auxilio aut dono supernaturali.

Nunc attende ut bona Dei voluntas, omnem bonam voluntatem, & opera omnia virtutis veræ operetur in nobis. Bernardus 16. in Cantica, qui dum de miraculo Elisei, tractat, sic scribit: dum puerum ad vitam revocat, *Posuit oculos suos, super oculos pueri, & os super os ejus, & manus super manus eius. &c. Calefecit corpus frigidum, & vitam reddidit.* Sic nobiscum agit Deus per operationem suæ voluntatis, & gratia. Unde fit ut sentiamus

Vt Eliseus puerum mortuum suscitavit sic in nobis suscitatur voluntas.

cordi tribui intelligentiæ lumen: & ori ædificationis verbum: & manibus opus justitiæ. Addo ergo, & incalescimus motu amoris Divini, & inardescimus & vitam accipimus. Datur ergo sentire fideliter; datur proferre utiliter; datur efficaciter adimplere, & est funiculus triplex qui difficilè rumpitur: si rectè sentias; si dignè loquaris: si vivendo confirmes. Et ideo suâ beneficâ voluntate clamat, Cantico. 5. vers. 2. *Aperi mihi Soror mea, columba mea, perfecta mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei pleni guttis noctium.* Quem locum discutit August. tract. 17. in Joannem. *Rorem illum, & guttas noctium asserit eos qui jacentes, amore Dei destituti, in nocte iniquitatis refrigescentes, portantur quidem in crinibus Christi, quod adhuc in Sacramentis Ecclesiæ visibiliter tolerantur, & peccato mortali pragravati vitam infeliciter trahant, & tamen benefica, & misericordissima voluntate non dedignatur huiusmodi animam vocare Sororem, columbam, dilectam meam, quò portam voluntatis, & liberi arbitrij pandat. Aperi*, inquit, *de sanguine Soror mea, de spiritu meo columba mea: quare clausisti contra me? quomodo intrabo sine aperiente?*

Obstinatos ad se vocat.

§. XI.

Nunc superest quæstio, num Deus velit omnes salvos fieri.

AMbrosius in locum Pauli 1. ad Timoth. *Vult omnes homines salvos fieri*, Sic ait: *Si Deus, qui omnipotens esse dicitur, omnes homines vult salvos fieri, cur non impletur eius voluntas?* Deinde respondet. *Conditio latet: vult enim Deus salvos fieri, sed si accedant ad eum, si & ipsi velint.* Et Hieronymus ibidem: *Si ipsi vocati consentire velint.* Augusti ad articulos sibi falsò impositos, articul. 2. ubi ait, *sincerissimè audiendum esse atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salvi fiant:* siquidem Apostolus, & cujus est ista sententia, solicitè præcipit, *quod in omnibus Ecclesiis custodiatur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum: ut enim reus damnetur, inculpabilis est Dei justitia, ut autẽ reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est.* Et sanè quis dicet omnes homines à Deo conditos ad æternam beatitudinem, si nolit omnes salvari? Quis dicet homines positos in manu sui consilij, ut gratia Dei adjuti, & facientes quod in se est, esse salvandos, si eam consequi non possint? an non dignum Deo optimo maximo, neminem, nisi liberi arbitrij perversitate rejicere? An non dignum, libero arbitrio, gratiâ Dei adjuto ad palmam præmij per virtutum exercitationes, & probationes constantiæ contendere An? non Deus toti

Causa cur multi pereant.

Rationes quæ docent Deum velle omniũ salutem.

toti generi humano providit de sancto redẽptore, cujus meritis, lapsus & ruina totius speciei repararetur, quantum in ipso esset; atque adeò ut finis tam Angelis, quàm hominibus redderetur honorificentior, voluit proprijs meritis eum comparari per media gratiarum à Deo præparatarum. Quare ut constaret omnibus, hanc esse Dei voluntatem ut omnes salventur, Paulus ingenti sonitu tubæ omnibus indixit orationem & preces, & gratiarum actiones pro omnium salute. Hoc, inquit, *bonum est, & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, unus mediator Dei, homo Christus Iesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Deus ergo ex mente Pauli vult salvari omnes, pro quibus indicit orationes: At indicit pro omnibus: Ergo omnes ad salutem æternam vocantur.

Voluntas signiqua.

Ad Quæstionis hujus intelligentiam, tituli indices seu nomina, seu signa Divinæ voluntatis quatenus transit in objecta priùs promittenda. Et quamvis voluntas signi, non est vera voluntas, sed voluntatis signum; solet tamen vocari voluntas omne quod indicat aliquo modo alicujus voluntatem. Sic Psal. 102. *notas fecit vias suas Moysi & filiis Israel voluntates suas*, id est, præcepta sua. Et Actor. 13. *Qui faciet omnes voluntates meas*, id est, præcepta vel opera quæ ergo voluero. Sicut & percussio Petræ fuit absolutum signum Divinæ voluntatis aquas educendi, quo posito fluxerunt aquæ (17. Exod.) & aspectus serpentis ænei signum (nu. 21. voluntatis) Divinæ, quo volebat à serpentibus sauciatos sanari. Nihilominus tamen voluntas Dei dividitur in voluntatem signi, & beneplaciti. Signa ergo voluntatis Divinæ quinque numerantur: Præceptum; prohibitio, quæ est præceptum negativum: consilium: permissio, & operatio. Præceptum non indicat absolutam Dei voluntatem, ut res præcepta fiat, sed indicat absolutam Dei voluntatem præcipiendi, & obligandi ut fiat, cum affectu simplicis desiderij ut fiat; qualia sunt præcepta Dei quæ obligant hominem, salutis & vitæ æternæ damno, si negligantur. Idem censendum de prohibitione, quæ est præceptum oppositi, seu negativum objecti. Hoc signo indicat Deus voluntatem præcipiendi, & obligandi ne fiat quod interdicit fieri, idque cum affectu, & desiderio, ne cogatur justitiæ vindicis exercere potestatem. Prohibet ergo malum culpæ, & ad ejus fugam adducit obligationẽ, quantum est ex parte sua. 3. Signum voluntatis Divinæ est consilium, non quidem obligãtis, sed indicium melioris boni, & indicium majoris felicitatis, id scilicet melius & nobilius esse quod consulit: quale est consilium Virginitatis, vel castitatis, quo gravissimum servitutis corporeæ jugum, à nobis repellimus. Verè jugum, & verè servitus acerba & ingentis servitutis dominatus. Quanti au-

Voluntas Dividitur in voluntatem signi & beneplaciti.

Quinque sunt signa divinæ voluntatis.

A tem sit pretij & dignitatis hoc consilium, hinc æstimandum, quòd ab ipso infinitæ sapientiæ sinu de cælis ad nos transmissum, & Filius Dei ex Virgine natus summo nostri victus amore, summo affectu ut id complecteremur, publicavit. An non præmium, & palmam victoriæ ostentat, dum ait: *Qui potest capere capiat*, Matth. 19. vers. 12. Neminem cogo, sed invito, monstro ex alto felicitatem: non Salomoni, sed mihi Deo credite, summum felicitatis genus, sequi meum consilium. An non summè decet placere, quod Deo summè perplacuit? ipse Deus auctor & consiliarius tanti boni.

Virginitatis consilium quanti pretij.

Quartum signum voluntatis Divinæ est permissio, quâ omne malum culpæ, etiam B tolerando, & cum summa displicentia, permittit, & ne infringat humanæ libertatis cursum, invitus quodammodo concursum subministrat, & ideò dicitur permissio, non indicando voluntatem cooperatricem, vel affectum ad eventum mali, sed voluntatem non impediendi cùm possit. Quintum signum est operatio, quæ Dei indicat voluntatem, quâ vult id facere, vel ad id concurrere, quod fieri decretum: quia omnia per voluntatem suam operatur. Verùm in hac operatione differentia & discrimen intervenit: aliter enim vult quod solus operatur, aliter quod concursu creaturæ conjuncto, aliter bonum virtutis opus quod ex integra causa conflatum, aliter quod malitiæ veneno corruptum, & C ideò Psal. 110. *Magna opera Dei, exquisita in omnes voluntates eius.* Verè exquisita, quia varij modi volendi, qui in operibus Dei lectissimè latent. An non vocatio quam August. lib. de grat. & libero arbit. congruam, altam, atque secretam, est stupenda? & quamvis gratia efficax Physicè, & reipsa nihil ex necessitate ponat in homine ultra sufficientiam: ex parte tamen Dei auxilium efficax addere speciale beneficium, quod Deus ex speciali & efficaci proposito, & affectu dandi fidem vel gratiam præbet illi vocationi, & illo tempore, & modo, prout novit accommodatam, ut homo cum reipsa & affectu cõsentiat; quamvis possit non consentire. Ponitur autem illa gratia in quadam congruitate morali quam D Deus infinito suo sapientiæ favore & benignâ misericordiâ, præbuit effectricem quibus voluit præparavit. Quid sit autem illa congruitas, vel in quo consistat, *remotum est à sensibus*, ut ait August. vel ut Paulus ait, *altitudo sapientiæ Dei.* Rom. 11. Hæc de signis Divinæ voluntatis, voluntas tamen signi, non est ipsum velle Dei formaliter, sed Divini velle signum: si spectes bonum præsens, adest operatio, seu adimpletio, si ad malum permissio: respectu mali futuri prohibitio: respectu veri boni necessarij præceptum: non necessarij, sed boni tamen, consilium. Vide Doctiss. viros P. Suarem, P. Vasquem, & alios Societ. Doctores.

Permissio mali voluntatis divinæ quomodo signum.

De altitudine secretæ vocationis.

§. XI.

§. XI.

Nunc de Beneplacito Dei.

Duplex voluntas in Deo, antecedens & consequens.

AD notitiam beneplaciti divini, præmittendum: In Deo inveniri voluntatem antecedentem, & consequentem. Sic D. Th. 1. part. quæst. 19. art. 6. vult voluntatem antecedentem non esse absolutam & efficacem; voluntatem verò consequentem esse efficacem & semper impleri.

Primam dicit vocari antecedentem, quia est de objecto & fine bono, secundùm se spectato, præscindendo ab omnibus particularibus circumstantijs. Qua voluntate antecedente vult omnes salvari vero & sincero affectu. Posteriorem verò vocari consequentem, quia est de re particulari circumstantijs omnibus consideratis, sicut quæ ex metu fiũt, esse simpliciter voluntaria, secundùm quid involuntaria. Unde cùm quis in periculo tempestatis vult conservare merces, quas nihilominus vult efficaciter projicere in mare, dici potest juxta hanc doctrinam habere voluntatem antecedentem per simplicem affectum non projiciendi, & voluntatem consequentem per voluntatem absolutam projiciẽdi merces in mare. His sic positis, ad manifestationem Divinæ bonitatis dicimus Deum habere voluntatem beneplaciti omnes homines salvandi, nec ullius interitum, aut damnationem intendere, nec quosdam prædestinasse ad malum, alios ad bonum, quod damnatum est in Concilio Arausicano, & Valentino. Verba Concilior. sunt: Aliquos ad malum prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sint qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illis anathema dicimus.

Quæ sit voluntas consequens.

Unde & Chrysost. Homil. 3. in Genes. *Propter hoc*, id est, *propter felicitatem nos formavit, non ut pereamus, nec ut suppliciis nos torqueat, sed ut nos salvet.* At si sine culpa prævisa hominem decrevisset in æternum punire, *quis non argueret in hunc finem, esse creatum ut in eo Deus suam ostendat justitiam.* D. August. lib. contra Iulian. cap. 18. *potest aliquos Deus sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia justus est.* Hanc voluntatem quâ Deus vult omnes salvari, pulcherrimè explicat Damascen. lib. 1. de fide cap. 29. explicans illud Timoth. 2. cùm ait: *Quin illud quoque ne nos fugiat, Deum ut bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines servari, ac regni sui compotes esse velle (neque enim supplicij, aut cruciatus causa, verùm ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, effinxit:) ut instum autem, iis qui peccant pœnam inferri nihilominus velle. Ac priùs illud, antecedens voluntas seu beneplacitum dicitur ex eo manans. Secundum autem, insequens ac permissio à nostro vitio ortum*

Patrum doctrina de salute omnium à Deo volita.

A *ducens. Atque huius permissionis duplex est genus: Alterum dispensatorium & erudiendi vim habens, quod ad nostram salutem spectat: Alterum à desperatione proficiscens, quod ad certissimam & extremam desperationem tendit, atque hic de rebus quæ minimè in nostra potestate sita sunt, statuere debemus: at verò, quæ in nostro consistunt arbitrio, ea si bona sint, primariò vult Deus, eaq; accepta habet.* Nota ut Damascenus, primariam, & antecedentem voluntatem quâ homines vult salvari vocet beneplacitum. Deinde bona quæ in nostra sunt potestate: denique tranquillam, & rectam vitam agere, Deo primariè esse volita, grata & accepta. Unde voluntas hæc non est signi tantum, sed etiam beneplaciti. Unde Deus (ex doctrina Damascen.) non

Damasceni solida doctrina de Dei voluntate omnes salvandi.

B solùm circa gloriam, quæ non est in nostra potestate, tanquam opus nostrum, licet à Dei voluntate pendeat ex meritis nostris: sed etiam circa ea quæ sunt in nostra potestate, ut circa bona opera & rectam vitam Deus habet voluntatem beneplaciti. Nam primariam Dei intentionem, quam beneplacitum appellat, circa utraque esse dixit, & circa ea quæ non sunt in nostra potestate, & circa ea quæ in nostro arbitrio posita sunt. Hanc doctrinam junxit in orbem Damasceno Chrysostomus antiquior, *Homil. 1. in Epistol. ad Ephes.* Ubi primariam, & secundariam voluntatem inde agnovit, quam Damascenus vocat antecedentem, & insequentem. Audiamus

C S. Patrem. *Secundùm propositum*, inquit, *voluntatis suæ, perinde est, quia vehementer vult fieri hoc ipsius desiderium; quasi si quis dicat: hac ipsius erat voluntas. Vbiq; enim est vox εὐδοκία id est, præcipua Dei voluntas. Est enim & alia ejus, voluntas, ut est primaria illa: secundùm hanc non vult perire peccatores, & est secundaria secundùm quam eos qui in sceleribus persistunt contaminati, vult perire: neq; istos necessitas plectit supplicio, sed voluntas.* Tale autem aliquid liceat videre apud Paulum, cùm dixit videlicet: *Volo enim vos omnes esse sicut meipsum*: volo juniores nubere, filios procreare, ubi & vocem εὐδοκία usurpavit; Primariam itaque voluntatem indicat, & ingentem ipsius & propensam erga nos flagranti desiderio conjunctam be-

Deus non solum vult omnes salvari, imo vehementer desiderat.

D nignitatem. Hanc & primariam, aliâ voce expressit, cùm præter vocem εὐδοκία, adjunxit & aliam, πῖζμα scilicet, quæ inter cetera significat, *contentionem*; unde & manifestè docuit voluntatem illam primariam verè esse in Deo, cùm sit beneplacitum illius, & insuper vehementem esse, cùm sit veluti quædam contentio, & ideò dixit εὐδοκία *significare ingentem quandam benignitatem cum flagranti desiderio conjunctam.* An non ingens desiderium explicat Christus D. ingeminans & gemitu, & lachrymis voces irrigatas, cùm ait: *Hierusalem*, Matth. 23. *Hierusalem quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Unde variæ & lamentabiles apud Prophetas voces: *Perditio tua ex te Israel*, Oseæ 13. 3. Hæc deinde volun-

voluntas beneplaciti clarè ex Paulo deducitur 1. ad Timoth. 2. ubi dixit orandum esse pro regibus, ut quietam, & tranquillam vitam agant, in omni pietate, & castitate; continuò adjecit: *hoc enim est bonum, & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines, vult salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire.* Eodem ergo modo vult omnes salvos fieri, qui vult omnes recta opera facere, seu trãquillam vitam agere; hæc enim connexa sunt. Homines autem rectè vivere bonum est, ac proinde acceptum coram Salvatore nostro: ergo illi gratum: ergo illi placet: ergo voluntas quâ vult omnes salvos fieri, rectè vivere, & veritatis cognitionem assequi, erit etiam beneplacitum. Quid enim est, Deum aliquid voluntate beneplaciti velle, quàm illi placere, & gratum esse? Unde & illud cùm dicitur 1. ad Thessalon. cap. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*, uon expressit voluntatem signi, sed beneplaciti. Damascenus ergo vocat *voluntatem intercedentem*, & primariam eam, quæ ex ipso Deo manat, hoc est ita in Deo existens, ut nullam ex nostris bonis, vel malis operibus occasionem captet; ita ut sit Deo innata & propensissima vis, intendens ut contentiosè prorumpat ad benefaciendum & salvandum. Secundaria verò & consequens, quæ ex nostro vitio ortum habet, juxta illud, *Perditio tua ex te Israel.* Oseæ 13. Nota bene, pœnam, quam vocat Damasc. permissionis. bifariam voluntate consequente volitam. Est enim pœna duplex: Una dispensatoria, & vim habens nos erudiendi, ex qua scilicet Deus nostram salutem dispensat, & nos erudit, ut cautiores simus; qualis est quæ nos ad veram pœnitentiam adducit. Altera est æterni supplicij. & utramque docet voluntatis consequentis esse, hoc est occasionem ex nostris vitijs captare: tam enim Deus pœnitentiam, quàm pœnam æternã suppositâ, & prævisâ culpâ constituit. Pœnitentia enim non est bonum simpliciter, sed occasionaliter, ut diei solet: similiter & redemptio; hæ enim supponunt culpam, & pœnam, quæ non sunt volita ex intentione permittendi peccati, ut dictum est.

Paulus docet Deum omnes velle salvos.

§. XII.

Latior hujus Divinæ voluntatis explicatio.

Deus vult omnes salvari, auctoritate Scripturæ, & SS. Patrum.

STatuenda ergo hæc Propositiò, tanquam certa, ex Apostolo, & Patribus, & alijs sacræ Scripturæ locis, Deum voluntate efficaci, quantum in se, & ardenti propensione omnes homines velle salvos fieri. Ut verò

A hunc sincerum affectum, vehemens desiderium, & supremas curas, & veram intentionẽm manifestet, nihil prætermittit auxilij, curæ, ut homines assequantur, quod maximè concupiscit.

Nemo ignorat mortem & vitam esse in potestate liberi arbitrij, quamvis auxilijs gratiæ sufficientibus adjuvetur, ita ut possit cooperando assentire, & dissentire si velit. Fraudator ergo & inficiator Divinorum præparatorum auxiliorum, magnum affert Deo dolorem, & frustratio ad indignationem eum provocat. Audi Isaiam Prophetam 5. cap. & Dei vicariam vocem. *Nunc ergo habitatores Hierusalem, & viri Iuda, judicate inter me, & vineam meam. Quid est quod debuì ultra facere. vinea mea, & non feci?* Quid hîc prætermisit curæ Deus? Quid est, inquit, quod debui B facere, & non feci? non ergo tui interitus causam dedi, sed tu qui respuisti motus gratiæ subministratos. An fortè creator animæ, ab ea rejectus, animam deserit rebellantem? Nequaquam: sed instar amatoris ab amata repulsi, suis insistit amoribus, captat favores & benevolentiam, ut efficacem constantemque declaret amorem efficacis suæ voluntatis. Audi gemitus & lamentabiles voces Christi D. Matth. 23. *Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* An non verus & efficax gallinæ affectus? an non amor sincerus qui & mortem orat pro suis? An non ergo & verus & sincerus, & efficax C Dei amor salutis hominum quos ardentiùs quàm gallina, suam amat factionem? Quid dicis ad verba Pauli 1. ad Timotheum 2. *Vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cujus hic est exceptio? An non omnes vocantur ad nuptias, & ad agnitionem? Quis repellitur si omnes velit ad se venire? Quid dicis ad illa ad Rom. 5. verba: *Igitur sicut per unius delictum mors in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ.* Sicut ergo in Adam omnis moriuntur, ita & in Christo omnes justificantur, & ampliori modo; *sed non sicut delictum ita & donum.* Copiosior enim gratiæ fuit donatio Christi quàm impietas Adami fuit. Si unius delicto mors regD navit per unum; multo magis abundantiam gratiæ, & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. An non Joan. 1 *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Scimus: quare nullus nisi ab illo illuminatur: scimus quare nullus nisi ab illo docetur; verùm ut illuminet, ut doceat omnes, duo sunt necessaria, ut sit qui velit doceri, & sit magister qui efficaciter velit docere.

Mors & vita in potestate liberi arbitrij.

Ex vero quæris Deus affectu salutem omnium.

Quid prodest esse magistrum literarum, si omnes non doceat, volentes discere? quia per eum stat ut doceantur. At si magister paratus sit omnes docere, & domum aperiat volenti-

volentibus discere, & omnes ad discendum invitat, dicitur, etiamsi paucos doceat, omnes docere, quia voluntate paratus est eos docere quos non docet. Non quia non vult, sed quia nolunt doceri invitati ab eo qui paratissimus est docere. Sic Deus ex parte sua accinctus, paratusque est ut doceat, illuminet; & ut ostendat se velle, pulsat ad ostium, & invitat, si autem tantum pauci sunt qui doceantur, non culpa magistri, sed recusantium velle doceri. Si vult omnes salvari, quomodo ergo dicunt quidam non velle omnes salvos? si non velit omnes salvari, quâ ratione consistit veritas apud Ezechiel.18. *Nunquid voluntatis mea est mors impij?* & in fine capitis: *Quia nolo mortem peccatoris dicit Dominus Deus revertimini, & vivite.* Si nolit mortem: ergo vult vitam. Peto an Deus oderit aliquem eorum qui creati sunt? si odit, quomodo Sapientiæ 11. dicitur: *Nihil odisti eorum quæ sunt. Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* An Deus amat quos destinat supplicio certo, & destinavit ab æterno antequã esset, dum negativè se habet, & segregavit à bonis, & partes eorum posuit cum infidelibus? quis erit exitus segregationis? an non amissio salutis? si quidem ab ijs segregabuntur, qui salutem consequũtur. An non negotium plenum desperationis, nõ vult omnes salvare Deus, quos potuit si voluit: at ab æterno non voluit me, quem si voluisset, non periret: ergo sine me noluit me, & fecit, ut negativè se habendo perderet me, dum non vult salvare me. Ubi ergo verba Christi: *Non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cælo est, ut pereat unus de pusillis istis.* Matth.18.

Deus est instar magistri volentis omnes docere.

§. XIII.

Consensus antiquorum in hanc sententiam Deum velle omnes salvare quantum in se est.

IUstinus, patrum inter antiquissimos numerandus in lib. de resurrectione, ubi probat animam resurrecturã cum corpore, eò quòd sit bonus Deus. Ubi post multa concludit: *An invidum faciunt Deum? atqui bonus est, & salvari vult omnes.*

Methodius Martyr in lib. de Resurrectione. *Dei bonitas ad omnes communiter pertinet, & quantum in ipso situm est, hoc est secundùm ipsius consilium, & voluntatem vellet omnes probos esse, & fideles, ac virtute præditos.*

Basilius in Psalm.39. in hæc verba Davidis, *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Quid*, inquit, *ergo dicit? Nimirum hoc ipsum esse, quod vult Deus omnes vitæ fieri participes.*

Chrysostomus Homilia 44. *Quod enim sæpius dixi, necessitate ac vi neminem unquam attrahit Deus:* sicut Paulus ait: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cur igitur non omnes salvi fiunt, si vult omnes salvos esse? quoniam non omnium voluntas, ex illius voluntate sequitur: porrò ipse neminem cogit.* Et Homil.2. in Epist. ad Hebr. *quos quantum in se, ad salutem perducere cupit.*

Hieronymus ad cap. Isaiæ 63. *Quare multi non sint salvati, si ipse salvavit eos & dilexit, & non pepercit filiis suis, & redemit eos sanguine suo? infertur causa perspicua. Ipsi autẽ non crediderunt, & exacerbaverunt spiritum ejus. Voluit itaque Deus salvare cupientes, & provocavit ad salutem, ut voluntas haberet præmium.* Voluntas ergo fuit Dei, ut omnes crederent & salvarentur. Et in caput primum ad Ephesios: *Vult salvari omnes, & in agnitionem veritatis venire.*

Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrij sumus,) vult nos bonum velle: ut cum voluerimus, velit in nobis, & ipse suum implere consilium. Ut docet Paulus Epistola secunda: *Omnem enim quantum in ipso est hominem salvum vult fieri qui fecit omnes.*

Hilarij Diaconi (qui suas elucubrationes Damaso Papæ dicavit, & ante Pelagium vixit) pulchra doctrina, in locum Pauli, ubi dicitur: *Vult Deus omnes homines salvos fieri; cur non impletur ejus voluntas? sed in omni locutione sensus est & conditio latet. Vult Deus omnes homines salvos fieri, si accedant ad Deum. Non enim sic vult ut nolentes salventur sed vult eos salvari, si & ipsi velint. Nam qui legem dedit omnibus, nullũ excepit à salute. Non est vera salus, si nolenti tribuatur.*

Ambrosius c.8. de paradiso: *Venerat Dominus Iesus omnes salvos facere peccatores etiã circa impios debuit ostendere suam voluntatem, ideò nec proditurem debuit præterire. Et quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare.* Et in Enarratio. in Ps.72. *Quàm bonus*, inquit, *Deus Israel, rectis corde! non ergo omnibus bonus est Deus? ille quidem omnibus bonus est, quia salvator est omnium, maximè fidelium. Et ideò venit Iesus, ut salvum faceret quod perierat. Venit ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Accipiunt sanitatem qui medicinam expetunt. Illi autem qui refutant medicum, nec requirunt, bonitatem medici quam non experiuntur, sentire non possunt. Bonus ergo est omnibus Deus, qui vult omnes homines salvos fieri.*

Quid ad hæc S. Augustinus addat, qui alio in sensu verba Apostoli explicarat, attende ex libro de spiritu & litera cap. 33. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes, justissimè iudicentur.* Proponit: ergo Deus illecebram gratiam libero arbitrio, qua possit bene agere, vel illam rejicere, quare & rectissimè judicentur, quia illam refutarunt: quare seria est Dei voluntas omnes salvandi: nec se habet negativè qui studet gratiæ dono suam creaturam ad sese pertrahere. Similis est

Deus patrifamiliàs, qui dicit: Volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem epulentur; ita ut quisquis eorum qui hoc noluerit, in pistrino semper molat. Sic Deus vult omnes salvos fieri voluntate generali, nec tamen absoluta; uti nec illa, qua paterfamiliàs, nullo excepto, labori servos vult incumbere: quiescere verò & epulari non nisi conditionatò.

Augustino sic sentienti accedit Prosper ejus discipulus, qui contra objectiones S. Augustino factas, ex ejus doctrina, quæ alijs locis declarata, insurgit docetque sincerissimè credendum atque profitẽdum esse, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Si quidem Apostolus, cujus sententia est, *solicitissimè præcipit quod in omnibus Ecclesiis custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum: quod multi salventur, salvantis est donum. Quid enim ex alia doctrina sequi posset nisi lamentabilis luctus: si verũ esset, Deum nolle omnes salvare, quam omnes salvari non posse etiamsi maximè vellent? impossibile enim est salvari aliquem, quem Deus nolit salvari.*

Prospero assentitur Primasius, alter discipulus S. August. in eundem locum ad Timotheum. *Quod non omnes salventur, pereuntium,* inquit, *est meritum: constat enim Deum omnia bona velle: sed homines præcipitantur in malis.* Addit deinde: *Pater,* inquit, *& Filius, & Spiritus sanctus omnium hominum Deus est, & ideò cupit omnes salvari, quos fecit.*

Concludant ergo duo alij Patres: Clemens Alexandrinus Græcus, qui in fine protreptici, cùm ait: *Propositum hoc semper est Deo humanum salvare gregem.* & Honorius Augustodunensis in libro de prædestinatione & libero arbitrio, qui sic ratiocinatur: *Deus condidit rationalem creaturam ad gloriam. Sed Angeli, & homines, creatura sunt rationales: Ergo omnes ad gloriam creati sunt.* Tunc percunctanti: *Si vult, cur non omnes salvantur? voluntati ejus quis resistit?* Ita satisfacit: *Perditio pereuntium non procedit ex Dei voluntate, quia non vult mortem peccatoris, & qui mortem non fecit, nec lætatur in morte morientium, sed ex libero arbitrio quo sponte justitiã, qua est pactum beatitudinis, deserunt: quã desertã beatitudinem amittunt & sic semper miseri erunt.*

§. XIV.

An Deus voluit Filium suum pro omnibus mori, id est, pro toto mundo.

SI Deus velit omnes quantum in se est, salvari, & salus dari non possit nisi Filij sui morte, necessariò sequitur pro omnibus Filium Dei mortuum. Sicut enim per unum mors, sic per unum hominem vita data. Sicut Adam totius speciei destructor, sic Christus reparator totius. Hoc docuit ipse Christus Dominus Joan. 3. *Non enim misit Deus filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Intulit mortem omnibus Adamus: & Christum misit Pater, ut pro omnibus gustaret mortem, ad Hebræos 2. vers. 9. & vitam inferret. Quid dicis ad hæc Calvine? qui negas Christum pro omnibus mortuum. Dum dicitur, *ut salvetur mundus per ipsum,* an non reprobos, electosque simul comprehendit mundus? cur tu solos fideles comprehendis? tu audes segregare, quos Filius Dei sua voluntate comprehendit, qui totum mundum comprehensum vult? Audi verba Christi eodem loco. *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei.* Habes hîc credentes; habes non credentes: habes non judicatos: habes judicatos. An non generali mundi appellatione continentur, Dum dicitur: *Misit Deus Filium suum ut salvetur mundus per illum?* An non credentes, & discredentes sunt in mundo? An non judicati, & non judicati, duos ordines faciunt, qui mundum constituunt, cujus gratiâ missus est Filius? Et quare alij judicati sunt, id est, condemnati? & alij non judicati, qui salvati? Audi ipsum Christum Dominum. *Hoc,* inquit, *judicium est mundi, quia lux venit (ut illuminaret scil. omnem hominem venientem in mundum, at mundus eum non cognovit propter quem verbũ Caro factum est) in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* An non ideo condemnandi, quia lucem repudiarunt, propter quos lux venerat, ut illuminarentur *& dederat illis potestatẽ ut filij Dei fierent,* si crederent in nomine ejus? nunc autem, quia suâ malitiâ non crediderunt, condemnati sunt. Quare & Christum pro omnibus mortuum, & quidem pro reprobis & damnandis docet locus ad Corinth. 1. 8. cap. *Et peribit,* inquit Paulus, *infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Dicit Apost. fieri posse ut infirmus, peccandi occasionẽ capiat, & æternùm damnetur, pro quo nihilominus mortuus est Christus, si damnetur: ergo & pro damnandis mortuus est Christus Dominus. Hoc ipsum agnovit Ioannes Baptista, Christum pro mundi salute mortuũ, dum ait Ioannis 1. c. 1. v. 30. *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Et quâ ratione tollit peccata mundi? *An non quando delens affixit quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & exspolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipsos* ad Coloss. 2. 14. & quãdo dixit: *Consummatum est, & emisit spiritum.* Joan. 19. Et quale erat peccatum mundi? An non originale quo genus humanum universum tenebatur obstrictum? Si pro communi ergo omnium hominum peccato mortuus est Christus Dominus, peto, An constituenda discretio personarũ, dum specificè omnes in voce

Christus datus mũdo salvator.

Multi non salvantur sua culpa damnatur.

voce generali contineantur? Si pro electis solùm mortuus est Christus, cur ad Rom. 5. v. 6. *Secundùm tempus pro impiis mortuus est?* Quid hoc est, *secundùm tempus?* cùm scil. ut ait Hieronymus ad Algasiam Epist. 151. qu. 2. *omnia plena essent infidelitate & peccato, & maximè egerent redemptione & medico: ergo pro omnibus mortuus est.* Eia dic Christum non esse mortuum pro omnibus, si audes: & ego dixero omnes non mortuos in Adam, quod est hæreticum: ergo fatere te hæreticum si negâris Christum esse mortuũ pro omnibus. Audi Apostolũ in 1. ad Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*; quantũ enim nocuit Adam, tantũ, & amplius profuit Christus, qui ad hoc venit, ut omnes Adæ & posterorum lapsus non tantum repararet, sed etiam altiùs eveheret. Per Christi merita, & mortẽ, datur resurrectio: si ergo non resurrexit, adhuc sumus in peccatis, quia fides justificans & expians peccata, est illa qua creditur Christum pro nobis mortuum esse, & resurrexisse. Age, quare Christus est pro omnibus mortuus? An non quia omnes in Adamo mortui, ut docet Apost. 5 ad Rom. v. 12. *Sicut per unum hominẽ peccatum intravit in mundum & per peccatum mors.* Nunc supple alterã partem similitudinis, ita per unum hominẽ vita per justitiam: per Christum enim reconciliatio facta est. Nunc attende ad locũ Apostoli in 2 ad Corinth. c. 5. v. 15. *Æstimantes quoniam pro omnibus mortuus est Christus.* Quare pro omnibus? ut salventur omnes: ut nemo pereat nisi suâ culpâ. Audi ipsum Augustin. in tract. 12. in Joan. *Non enim misit Deus Filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ergo* inquit, *quantum in medico est, sanare venit ægrum. Ipse se interimit, qui præcepta medici servare non vult. Venit Salvator in mundũ. Quare Salvator mundi dictus est? nisi ut salvet mũdum, non ut iudicet mundum? Salvari non vis? ex te iudicaberis.* Audis hæretice, Christum venisse ad salvandum omnes, & non solùm prædestinatos voluisse redimere, verùm omnes. Attende ad verba August. *Quantum est in medico, vult sanare ægrum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit. Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis. Salvator mundi est ut omnes salvet, non salvaris? Quare? quia oblatam salutem repudiasti. Medicus venit, ut salvet, at vi medicinam respuisti: quid mirũ si intereas?* Dicamus cùm S. Joanne, qui 1. Epist. 2. cap. sic loquitur: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Christus datus mũdo salvand.

Per Christum communis reparatio.

Mensis non solùs tur faculpa damnetur.

Augustini sententia Christum pro omnibus mortuum.

A

§. XV.

Nunc aciem SS. Patrum Græcorum producamus.

ORigenes contra Celsum lib 4. pag. 189. ait, Christum Dominum appellari salvatorem, maximè fidelium. Et quarto lib. pag. 169. *Per Christum Iesum magna facta est emẽdatio, qui non iis tantùm voluit mederi, qui in uno erant orbis angulo: sed quantum in ipso fuit, iis qui ubiq; sunt. Venit enim salvator omnium hominum.* Ecce habes mentem Origenis. Huic subservit Basil. in Ps. 48 *Iesum Christum* ait *sanguinem suum pro nobis omnibus fudisse.* Basilium & Origenem B confirmat Nazianz. in prima invectiva in Julianum. *Tu,* inquit, *manum adversus eam qua & pro te clavis transfixa est, ausus es movere?* In quẽ insurgit Nazianzenus? an non in improbum apostatam, damnatum, & reum æternæ pœnę? Et in oratione 38. de reprobis hæreticis loquens *pro quibus* (ait) *gratis mortuus est Christus.*

Hos Patres Doctissimos Chrysostomus nõ inferior, Homil. 63. pag. 439. sequitur, variis in locis, & in primis oratione primâ in S. Babylam de eodem Juliano, *bene de se meritum* ait, *& Salvatorem: qui ne unigenito quidem propter ipsum pepercerat, aversatus est, & odio habebat.* Ecce ut docet S. Pater, Deum Patrem improbo dedisse Filium. C

Et Clemens Alexand. 7. Stromatum pag. 298. Clarissimè docet omnibus mortalibus Christum D. assignatum salvatorem. ἐπὶ τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἐλήλυθεν σωτηρίαν, *ad communem mortalium salutem advenisse.* & ibidẽ pag. 300. ita omnibus assignat Salvatorem Christum D. ut hæreticus declinare non possit viri doctissimi auctoritatem. *Cùm singulis* (inquit) *privatim, tum communiter omnibus unum esse Salvatorem.*

Eusebius Cæsariensis claudet agmen Græcorum Patrum, qui ad illa verba Joannis 1. *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* pag. 287. 10. demonstrat. sic loquitur: *Qui pro toto grege hominum agnum illum sacrificatum fuisse dicit.* D

§. XVI.

Ad Latinos SS. Patres veniamus.

AUgustinus suprà citatus eandem fidem clarissimè docet, quam & S. Ambrosius clarissimè docuit lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. *Ipse ergo,* inquit, *qui pro salute universorum expectatus advenit; & in quo omnium suscepta est redemptio.* Et lib. de instit. Virginis c. 1. *Non est finis labori ejus, quia pro omnibus advocatus noster est apud Patrem.* Et lib. 3. officio. c. 3. loquens de eo qui fidelem, & Ecclesiæ membrum violat: *Christus quoque Dominus* (inquit) *qui pro univer-*

sis mortuus est, evacuatam mercedem sui sanguinis A *dolebit*.

Audiamus magnum Leonem Papam ex sede veritatis tonantem, Sermo. de Nativit. *Vna cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster, peccati mortisq; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et Ser. 1. de Pass. Judæos alloquens: *Mors igitur Christi nos liberat, vos accusat, meritò soli non habetis, quod omnibus perire voluistis; tamen tanta est bonitas nostri redemptoris, ut etiam vos possitis veniam consequi si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis.* Non enim Dominus in crucis frustrà oravit, dicens Lucæ 23. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quod remedium nec te Juda pertransiret, si ad eam pœnitentiam B confugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ revocaret ad laqueum.

Quid dices hæretice ad hæc sequentia verba Serm. 11. ubi illud de Juda. *Nam mortuo pro omnibus impius Domino, potuisset etiam fortè hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum?*

Prosper autem, cùm videret à Gallis objici Christum Dominũ nõ esse pro omnibus crucifixũ, sic arguit capitulo. 9. *Cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt (non quos ipse Christus absoluta voluntate voluit excludi, sed) qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi. Poculũ ergo immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute Divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. Ergo quantum in medico est, curare voluit omnes.* C

Eamdem fidem docet Primasius in verba Apostoli ad Timoth. 1. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: pro omnibus quidem effusus est sanguis Christi: sed credentibus prodest; incredulis erit in condemnationem.*

Sanctus Anselmus ad locum Pauli citatum, *vult omnes salvos fieri: Nullum excipiens qui vellet redimi ad salvandum. In hoc enim patet quantùm Deus, homines diligat & eos velit salvos fieri, si perversitas eorum non obstiterit: quia mediator Deus, quẽ Deus inter se & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes à morte rediment.* D *Et ideò qui non salvantur, non est quod de Deo, vel de mediatore possint conqueri, sed de seipsis, qui redemptionem, quam mediator dedit; nec salutem, quam Deus obtulit; voluerunt accipere.* Hic Anselmus, ut plenus Spiritu Christi Domini idem docet quod Christus Dominus Joan. 3.

Omissis alijs S. Patribus claudat agmen Honorius Augustodunensis in lib. de prædestinatione & libero arbitrio: *Et quamvis pro peccatoribus mortuus sit; Annæ, & Caiphæ, Herodi, & Pilato mors eius non profuit, sed multum obfuit. Et quare? quia noluerunt illum admittere in redemptorem, quem crucifixerant ut latronem.*

§. XVII.

Concludamus hanc doctrinam Sacrosancti Concilij Tridentini decreto de justificatione, Sessione sexta celebrata 13. mensis Ianuarij, anno 1547.

VBi districtius inhibetur ne deinceps audeat quispiam aliter credere prædicaretur dicere quam quod præsenti decreto statuitur ac declaratur.

Secundò ergo capite definit: *Hunc (scilicet Christum) proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.*

Capite autem 3. docet qui justificentur. *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficiũ recipiunt, sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis ejus cõmunicatur.* Nam sicut reverà homines nisi ex semine. *Adæ propagati nascerentur non nascerentur injusti: cùm ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam injustitiã contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur: cùm ea renascentia per meritum passionis, gratia qua iusti fiunt illis tribuatur.* Quid clariùs & efficaciùs in condemnationem hæreticorum dici potuit. An non claris & sacræ Scripturæ sensu, & sana doctrina Patrum ab Apostolis tradita hæretici confutantur? Quis audeat nisi sceleratus contraire & docere, sanâ doctrinâ profligatâ, Christum non esse pro omnibus mortuum.

An non idem docet symbolum Nicænum in Constantinopolitano Concilio probatum, ubi sic dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.* Quare & sanctè Synodus Arelatensis habita anno CCCCLXXV. dixit. *Anathema illi, qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.* Claudat agmen. S. Anselmus supracitatis. *Vide tomum primum concilio: Gallicanorum pag. 149.*

Nunc paucis conveniam novatores hæreticos, & fraternè percunctor, qua cõscientiæ securitate audeant, non solùm vocibus Apostolicis, SS. Patrum sententijs prostrati, & Sacrosancto concilio fortiter obluctari, verùm præfractis animis, & obduratis consilijs, pertinacibus calamis damnatam suam sententiam evulgare, atque tueri? An non Paulus ad Timoth. 1. c. 2. *docet pro omnibus esse mortuũ?* unus inquit, *Deus & mediator Dei & hominum qui dedit redemptionẽ semetipsum pro* omnibus. Si mortuus pro omnibus; voluit ergo omnes salvos fieri. Et qua voluntate? dico voluntate beneplaciti, sed non absoluta; verumtamen efficaci quantum est ex parte Dei, quæ tunc erit efficax, si cooperatio accesserit

cesserit volũtatis humanæ. *Nõ enim qui sine te creavit sine te, salvabit te, sine te.* Sic & Petrus docet cum Paulo: *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed ad omnes pœnitentiã reverti.* Estnè voluntas Dei mors impij? Audi Ezechielem 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non magis ut convertatur à vijs suis & vivat?* Et Matth. 11. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Eia lege lib. 2. constitut. Apostolicarum cap. 59. ubi S. Clemens docet, ab Apostolis acceptam & verissimam sententiam; *Deum scil. à mundi exordio voluisse omnes homines salvare.* Deinde subjicit: *Nos ergo qui digni facti sumus ut essemus testes adventus ipsius, cum Iacobo fratre Domini,* & alijs 72. & 7. *Diaconis ejus ex ore Domini nostri Iesu Christi, audivimus & perfectè scientes dicimus quæ sit voluntas Dei, bona placens & perfecta per Iesum Christum nobis demonstrata, ut nullus intereat, sed universi homines, unanimi sententiâ credentes ei, & unanimem laudem ferentes in eum, in æternum vivant.* Hæc ille. Rogo vos per Christum Dominum, ut imitemini Lucidum presbyterum, qui fuerat damnatus à Concilio Arelatensi, quòd docuerat Christum pro omnibus mortuum, ubi ipse contrarium docuerat, & pœnitens retractavit suam hæresim, & retractat: *Nunc sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abundè per spatia Divinarum inveniuntur scripturarum, ex seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor Christum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt; neque enim fas est, circa eos solùm qui videntur esse salvati, immensæ divitias bonitatis, ac beneficia Divina concludi: nam si Christum his tantum remedia attulisse dicimus qui redempti sunt, videbimur absolvere nõ redemptos, quos pro redemptione contẽpta constat esse puniendos. Misit ergo Deus Filium suum non ut judicet mundum sed ut salvetur mundus, per eum.* Eia fratres in Christi visceribus charissimi, venerandi, & omni misericordiâ dignissimi, intuemini Petram unde excisi estis; Petram scilicet inconcussæ veritatis, quam portæ inferi, nec ulla vis terrena potuit concutere. Adhærete vocibus, & doctrinæ SS. Patrum: adhærete SS. & Apostolicæ sedis & firmissimæ auctoritati, cui S. Spiritus continuâ suæ majestatis præsentiâ, ut errare non possit, assistit; dictum enim Petro: *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Lucæ 22. Manet ergo in Petri hæredibus immota promissio, & promissionis certæ securitas explorata, ut illa vera fides habeatur, quam Christus D. per Petrum, & Petrus per suos docuerit successores. Sit ergo Deus benedictus qui omnes homines, vult salvos fieri, & neminem hominum perire, qui ne pereant dignatus est pro omnibus hominibus mori.

Loca Scripturæ clara, Christum pro omnibus mortuum.

Epist. 2. c. 3.

Sanctus Clemens docet sententiam esse Apostolicam, Christum pro omnibus mortuum.

Lucidus hæreticus retractat suam hæresim, quam hujus temporis nonnulli suscitarunt.

ALTERA PARS

XIII. CONSOCIATIONIS.

§. I.

In Sanctissima Virgine esse voluntatem, in hominum salutem propensissimam, ac proinde velle omnium salutem. Communis Filij, & Matris cura.

IN Prima parte diximus in Deo esse voluntatem, illamque oriri non ex personarum numero, sed ex ipsa boni infiniti, & interminabilis felicitate, beatissimaq; natura. Sic & in Virgine dicimus esse voluntatem, ad cujus imperiũ, velut supremi dictatoris ceteræ potentiæ diriguntur, castra movent, & operi sese accingunt. Ad cujus nutum cęlum, terraque, Angeli & homines, velut ad sonitum tubæ milites stant parati pro Virgine aut vivere, aut mori.

Mater Dei, Filij sui æmula vult omnes salvari.

Nunc ad caput rerum. Diximus Deum voluntate antecedente tam ex Chrysostomo, quàm Damasceno, sitire, ardenter optare quantum in se, salutem omnium. Sic dicimus & Matrem Dei omnium salutem vehementer optare. Deus sitit & amat, quia Pater omnium: Virgo Sanctissima, quia Mater omnium. Poscit à Deo hanc solicitam curam, & ardens studium, infinitudo bonitatis Divinæ & oceanus innavigabilis benignitatis: poscit idem à Matre innata Matri pietas. Proprium Divinitatis & misericordiæ paternæ, nullum ex filijs velle perire: propriũ & Maternæ pietatis, filios suorum viscerum ab interitu vendicare. Mortalium salus; commune utriusque negotium, commune imperium, ac proindè communis regnandi voluntas, concordi filiorum felicitate subsistit, quibus beatis accrescit splendor novæ felicitatis. Filius non creavit homines, quos diligit ut filios ad interitum æternum; nec Mater filios effudit ad supplicia. Plorat Filius lamentabili voce sibi filios perijsse, & ait: *Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos* sub alas ut gallina pullos suos & noluisti? Plorat & Mater, & ait: Nolite me vocare matrem, quia filijs orbata vivo. Clamat Filius Dei tanquam Mater: *Filioli mei, quos iterum*

A *parturio*, & continuò parturio, quis mihi iterum dabit fuso sanguine parturire, & mori pro vobis? Clamat & Mater Dei, tanquam vera Mater instar Rebeccæ gravidæ: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere?* siccine privabor filijs meis uno in die. Filius ut redemptor in die luctuosi sui partus, operatus est salutem in cruce barbara, animam exhalans; & Sanctissima Virgo (ut ait Rupertus, expendens illa verba: *mulier cùm parit tristitiam habet*) dolores sub cruce instar parturientis sustinuit, & omnium nostrûm peperit salutem, & facta est omnium nostrûm communis mater. Mirum dictu; cùm mater, & Filius Dei quasi unum sint, in uno tamen discriminari: quòd scilicet Mater temeriùs filios diligens, abjudicatos & projectos à Fi-

B lio, non repudiet, & debita inmanissima, nulli solvenda, suis precibus, & lachrymis dependat. Et quod majoris moliminis, quàm damnationi proximos, damnationi surripere? & juratos hostes, filio reconciliatos, certæ saluti redonare? Gratiosè hoc docet B. Ansel. lib. de excellent. Virginis cap. 6. *Dicam quod sentio. Filius eius dominus est, & judex, discernens merita singulorum, dum aliquando suo nomine invocatus non exaudit, & justè quidem id facit: invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur: merita tamen matris intercedunt, ut exaudiatur. Quare instar veræ ma-*

temeriùs res nostras tanquam Mater videtur curare.

C *matris, quæ inter micantes gladios sese lancinans immittit, ut vita sua periculo, vitam filio conservet; sic illa, pericula suorum avertit suo.* Audi Hermãnum Patriarcahm, ut peccatores permulceat. *Quis*, inquit, *post Filium tuum curam gerit generis humani, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? sanè meministi, & Matris meministi & filiorum.* Præclarè idiota ad Virginẽ accensã igne charitatis, dicit: *Non est qui se abscondat à calore ejus ad quæ verba*, sic ait: *Longè positos illuminat radijs suæ misericordiæ: sibi propinquos speciali devotione accendit, & sic non est*

qui

qui abscondit se à colore eius. Induit illa quidē ut mater non solùm matris naturam, sed ipsam amoris flammam, imò & ipsissimā charitatem; sicut & misericordiam, ut tota ex charitate, & misericordia conflata videatur. Sic me docet Augustin. apud Bonaventuram in speculo cap. 14. *Quis dubitare poterit, omnino in charitatis affectum transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa qui Deus est charitas, novem mensibus corporaliter requievit?* Et verè duplici ex incendio Sanctissimæ Virginis anima exarsit; incendio, æternarum flammarum Filij Dei, quem portavit; sancti Spiritus cooperatione, qui personalitate amor est, & in ipsam supervenit; & hoc pacto Divinis flammis succensa tantum non incendijs flammarum deflagravit. An non sicut ferrum, ait Ildephons. de Assumpt. Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur nisi tantum amoris Dei, & hominum. Alterum incendium, quo Sanctissima Virgo exæstuans conflagrat, est amor adversus genus humanum, quem si vocarim amorem incendiariū, cum plausu appositè vocârim. An non hic in Virginis corde dominatur; missilibus telis omnes obvios incendit, & quocumque incedit, flammis dispersis, cuncta in flammas convertit? Sic flammas de suis flammis accendit, ut homines incandescant, & sui deditione factâ in amicitiam Dei accipiantur, ignes Divinos exspirantes. Amas Sanctissima Virgo Deum, quasi in Deum transformata, & ideò quodammodo infinitè amas: amas & homines, quos propter ad illam dignitatem evecta es: amas illos ut filios, & quia amas fugatis tenebris, luce tuarum flammarum irradias, ut peccatores ad Filium, à Filio proscripti revertantur, ut qui de actibus suis Filio placere non possunt, tuâ intercessione salventur. Non mireris omnium salutem adeò fortiter à Virgine procurari, quandoquidem nos omnes, quamdiu vivimus, in utero Virginis portemur, gestemur, & nutriamur. An non fœtus utero matris clausus, unum & idem cum matre esse censetur? Parili alimento nutriri, sustentari, & matris spiritu vivere in aperto est. Sic totum genus humanum unius Virginis perenni curâ, & amore, & alimentis cælestibus sustentatur. Cælo dimittitur à communi matre quo spiritum trahimus, ducimusque.

Duplici incendio ardet SS. Virgo.

Primariam Dei voluntatem Chrysost. superiùs voce εὐδοκία expressit, quæ vox ingentem ipsius, & propensam in nos, flagranti desiderio conjunctam benignitatem clarè demonstrat. Deinde quo vehementem Dei affectum liquidiùs explanet, adjunxit & aliam vocem πίζμα, quæ inter alia contentionem in nostram salutem significat. Simili affectu fertur in nos Sanctissima Virgo, à cujus utero portamur.

S. Virgo vehemens nostræ salutis curatrix.

Quis sic amavit Deum, ut illa? illius amor tanto exsuperavit omnium collectos amores, quantum cælum suâ sublimitate terram. An non amor Dei suscitat amorē proximi, & ille hujus parens & architectator? An non est unus habitus charitatis, quo Deum, & proximum amamus, unum, non plura objecta respiciens? Deum quippe respicit pro primo objecto, ut in se bonum, & secundariò, velle illum diligi, & per dilectionem haberi, à quocumque quantum in se est? Objectum ergo charitatis primum, est solus Deus in se; omnia autem alia quasi quædam objecta media actuum reflexorum, quibus tendimus in infinitum bonum, quod est Deus. Universa ergo dilectio à Deo, velut fonte sacro, & principio prorumpit, dimanatque; & dum proximum diligis, ad Deum velut ultimum finem properas contendisque; in ipso scilicet proximæ Deum contemplans. Diva ergo Mater eodem habitu charitatis quo Deū amabat, amabat & homines, & salvos volebat, quantū in se est, omnes efficaciter, sicut Deus efficaciter, qualem in se est, & ex vero sinceroque affectu, vult omnes salvos fieri. Nunc rogo, cujus meritis, perditi æternæ saluti donamur? an non Virginis patratis miraculis? an non miracula sunt, ut ait Augustin. *lib. 9. Confess.* introitus ad fidem? Sic quoque ad nostræ sententiæ fidem adstruendam, possem hîc illud Augustin. *contra Epistol. Manich. cap. 4.* afferre, *Catholica Ecclesia auctoritatem miraculis esse inchoatam, vetustate firmatam.* Eguit Ecclesia miraculis, in primis suis initiis; eguit & temporum progressione, quamvis auctoritate antiquitatis se tueri posset. Sic & Virginis Majestas eguit miraculis in primis suæ vitæ initiis, & ævorum currentium successionibus, quibus suam Majestatem defenderet. Quæ nostra spes si cadat; possem cum Richardo de S. Victore *de Trinit. lib. 1. cap. 2.* hæc verba ad Divam dirigere, quæ ille ad Deum: *Domina si non es Mater salutis, inventrix gratiæ: si tuis meritis non salvemur (non tamen sine Filio, ut sæpiùs dictum;) si error est, à te, & à SS. Patribus decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus; quæ non nisi per te fieri possunt;* ut latiùs dicitur in titulo: *De signo prædestinationis.* Et sanè quis locus in terris, ubi non explices, & ostentes vexillum tuæ potentiæ? quot loca in hoc nostro Belgio non clarant miraculis & inter horrida bella, pacificos ostentas ramos pietatis, & clementiæ? ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. Dedit Filius, sed non sine Matre, à quo accepit, ut se nobis daret. Et quomodo dare se posset, qui sine Matre non esset homo, ut hominem posset redimere patiendo; & Deus, plenè satisfaciendo.

Amplectimur ergo sententiam illam piam, & divinæ bonitati magis consentaneam post prævisa dari salutem; non verò ante prævisa ulla

ulla merita ex voluntate sola Dei conferri. Meum non est huic formidolosæ quæstioni immorari. Unum addidero & explorabo judicium Trismegisti, Aristotelis, Platonis, qui de Dei bonitate, ejusque natura benefica optimè senserunt.

Quid jam illi de Deo, sola luce naturæ illustrati, judicaturi, si incidissent in sententiam Divi Thomæ, qui docet ex parte hominum prædestinatorum, & reproborum nullam esse causam seu rationem, quare quidam eorum sint à Deo prædestinati, alij verò reprobati: sed rationem sumendam, reddendamque esse ex parte Dei: & quidem quod in genere quidam hominum ex æternitate fuerint electi & prædestinati, alij verò fuerint reprobati? Ratio (inquit) fuit, ut in prædestinatis divina bonitas per modum misericordiæ eluceret, illis clementer parcendo, in reprobis verò per modum justitiæ, illos justè puniendo, juxta illud Roman. 9. *Quid dicturi Gentiles ad hoc, quod quosdam determinatè prædestinârit, illos reprobârit Deus, non esse aliam rationem, quam divinam voluntatem, qua liberè ita fieri voluit.*

Prima gratia potest impetrari à SS. Virgine.

Nos verò vocamus Matrem Dei, Matrem misericordiæ, cujus favore prima gratia impetratur, & denique ex ejus effectibus salus hominum, qui ejus tutelæ per continuos cultus & opera virtutum sese commiserunt. O vos beati spiritus omnes, jungite vestras triumphales voces meo calamo infirmiori quàm ut assurgat ad laudes tantæ Virgini debitas, & decantate illud Judith 15. *Tu gloria Hierusalem: tu lætitia Israël: tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris, & post tuum virum, alterum nescieris, & ideò manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Verè Mater vitæ, salus universi, cæli pacatrix, animarum periturarum portus & azylum, statua refugij, quam qui complectitur, reus mortis, vitâ donatur.

§. II.

De dignitate intellectûs & voluntatis S. Virginis.

DIximus Deum esse intelligentem; diximus & volentem, & esse beatissimum spiritum, per intellectum, quo suam infinitam cognoscit essentiam circumfluam infinitis opibus suorum attributorum, quæ sunt ipse Deus. Diximus & beatissimum per suam voluntatem, quâ se necessariò amat, & felicissimè amat, & seipso solo beatus infinitè sine satietate amat. Sic modò dicimus, ipsum magnum Deum creasse unam creaturam, in quam quantum creaturæ capacitas ferre posset, sui intellectus, & voluntatis dignitatem & majestatem cum omni suorum attributorum felicitate derivaret in ostentamentum infinitæ suæ bonitatis. An non ut microcosmus daretur magni mundi?

Creavit ergo Virgini sanctissimæ ejusmodi intellectum, quo hominum, Angelorum, creaturarum omnium naturas; imò & ipsum Deum, quantum fieri posset, penetraret, cujus infinitatem intellectu cùm non posset penetrare; seipsa tamen clauderet, & magnum mundum microcosmum clausum bajularet, & suis visceribus gestaret.

Creavit & Virgini aliam potentiam in supremo nobilitatis gradu, voluntatem scilicet, sicut & intellectû, non ordinariâ scientiâ, sed altiori & supra omnem modum cognoscendi: cujus voluntatis nisu, potentiâ, & divino pondere, divinisque motibus in ipsum Deum, suorum bonorum fontem, & inde in amorem humanæ salutis raperetur. Credimus solum Dei Filium esse veram imaginem Dei Patris, quia propria imago, est similitudo ab aliquo expressa, qualis est Verbum divinum, quia procedit à Patre, & procedit illi similis in natura. Unde & Ambros. *lib. 4. de fide* dicit *speculum* vocari, quia in eo videtur Pater; & imago, quia in eo plenitudo virtutis. Et idem Lucæ 22. dixit: *Solus Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritatis unitatem.* Unde ad Philipp. 2. dicitur *qui cùm in forma Dei esset.* Credimus & animam Virginis (quamvis sicut Filius imago Dei dici non possit) nobilissimo ad imaginem Dei modo, qui à solo Deo tanti operis architecto cognoscitur, esse creatam, ita ut conspecta Virginis anima, ut totus Sol in speculo, sic Deus in ea videri posset.

Voluntas & intellectus Virginis nobilissimus.

Non hoc miraberis ubi intellexeris intellectum, & Virginis voluntatem, infinitis modis, formis & characteribus in ratione donorum exsuperare & excedere omnium Angelorum & hominum simul collectorum intellectum, & voluntatem; sic ut ipsa sola sit proximè speculum, in quo lucet beatissima Trinitas: non tamen sicut Filius dicitur speculum, & Patris imago; nihilominus analogicè tamen, in qua divinæ claritatis imago cumulatissimè resplendeat.

Deus in intellectu Virginis ut Sol in speculo videtur.

Exclamo, ô Mater admirabilis! quàm elevatæ, quàm celsæ, quàm prodigiosæ Majestatis, quàm perfectæ fuerunt illæ potentiæ in anima Virginis!

§. III.

An ergo anima Virginis propter altitudinem intellectus & voluntatis sit alterius speciei, quàm nostra?

QUot differentias specierum non videmus in rebus creatis, & fortassis in cælorum

lorum numero? Scimus novem choros Angelorum, A specie inter se distingui; & ex opinione D. Thomæ omnes inter se Angelos distingui specie, eò quòd existimet in substantiis spiritualibus, numericam pluralitatem esse non posse, nisi per materiam signatam quantitate, qua carent; si verò specie distinguantur, cùm eorum numerus propè sit infinitus (non redactus ad 47. ut docuit Aristoteles *lib. 12. Metaphys. textu* 48, juxta motû corporum cælestium) & innumerabilis, ut Job docuit *cap. 25. Nunquid non est numerus militum ejus?* & Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* & Dionys. 14. de cælest. Hierarch. *Multi sunt beati cælestium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerum rerum corporearum* B *quibus utimur superant & transeunt.* Et juxta D. Thomam substantiæ immateriales excedunt secundùm multitudinem, substantias materiales ferè sine ulla comparatione; non tamen quoad individua, ut sunt arenæ singulæ maris, grana tritici.

Intellectus SS. Virginis omnes Angelorum intellectus superat.

Bone Deus! cùm intellectus Virginis sit angelicis intellectibus simul collectis sublimior, altior, nobilior, quis dignitatem ejus cogitatione consequetur, cùm omnium specierum angelicarum sublimitas non solùm resideat in una Virgine, verùm longè etiam post se eam relinquat, ut Mater Regis, & Domina omnium suos servos, & sua mancipia longè præcedens? Deinde si verum sit, paucioribus indigere speciebus eos Angelos, C quo ceteris antecellunt, & plura & sublimiora cognoscere; quanta erit sublimitas Virginis intellectus? quanta perspicacitas? qualis intuitiva ferè cognitio? an non qualis solet esse visio, speculo nostris oculis objecto? Quare non longè à vero abesse videtur, si dicamus Matri tanti Dei infusas generales species, & universales, quarum coexistentia, singula quæque cognoscit penetratque, prout postulat Monarchiæ supremæ gubernatio, ut omne votum, omne suspirium, omnes preces statim cognoscantur, audiantur, & exaudiantur. Posset ergo nonnullis videri Matri Dei debita anima alterius speciei, ut animæ nobilitas, status nobilitati respondeat. D Quòd si ita esset, quàm admirabilis & instructus esset potentiarum animæ apparatus.

Voluntas & intellectus Virginis nobilissimus.

Deus in intellectu Virginis ut Sol in speculo videtur.

Attamen de fide tenendum est, esse ejusdem speciei cum anima sui Filij, cujus anima est ejusdem speciei cum nostra. Hoc docuit D. Leo Papa Epistol. 11. ad Julianum Episcopum Coensem: *Non alterius naturæ erat caro Christi, quàm nostra; nec alia illi, quàm ceteris hominibus anima à principio fuit inspirata.* Deinde ad Julianum sub finem Epistol. dicit: *Anima Christi excellit animas nostras non diversitate generis, sed sublimitate virtutis; est enim ejusdem generis cum animabus nostris, sed excellit Angelos secundùm plenitudinem gratiæ, & veritatis.* Modus autem creationis respondet animæ secundùm proprietatem sui generis, ex quo habet ut sit forma corporis, ut creetur simul, dum corpori infunditur. Necesse ergo est animam Virginis esse ejusdem speciei cum anima Filij; alioquin Filio Dei verba hæc aptari non possent, *Frater noster es, & caro nostra*; nec Virgini, *Mater nostra es, nec auderemus nos maternum nomen nobis vindicare, quos tamen filios utero sui, quasi instar matris nos parias generetq., quæ eo titulo mater dicitur, quod similem pariat creaturam, & suâ naturâ conditionem in ipso fœtu contempletur.* Omne enim vivens in similitudinem viventis generat.

Erat hic illustratus mirâ luce, & claritate scientiæ, eorum quæ agenda forent, tantis vallatus cælestibus auxiliis, ut nihil ignoraret eorum, quæ ad tanti dignitatem status pertinere viderentur. Unde sicut ad prudentem providentiam rationalis personæ pertinet, non admittere falsitatem, & deceptionem, ita non est passus Deus ut in animam tam beatam ulla falsitas, vel deceptio subintraret. Et quemadmodum de potentia absoluta Christus errare non potuit, consideratâ dignitate personæ, conditione naturæ, & ratione status, quæ omnia requirebant plenitudinem scientiæ, Joannis 1. ubi Christus dicitur *plenus gratiâ & veritate.* & Coloss. 1. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare.* Deinde quemadmodum humanitas verè & propriè est per unionem facta Verbi Dei consors, & Verbum quod est Persona, illius naturæ poterat, & debebat illam dirigere & gubernare, ut nunquam deciperetur; quæ enim poterat honesti esse ratio in errore & falsitate? Idem suo modo crediderim dicendum de sanctissima Virgine (quamvis enim scientia in dies cresceret & augeretur, quod in Christum non poterat cadere, de absoluta decentia, & æquitate) nulli errori aut falsitati illius intellectum potuisse esse obnoxium, vel fraude, vel falsitate circumveniri, ne illa, quæ vocatur *Mater honestatis*, aliqua honesti parte careret. Decebat præterea Deum, qui est lux sine tenebris, Matrem suam tantâ luce perfundere, ut tenebris erroris, nullus esset locus; ut in ipsa, quæ, ut Mater, debebat esse similis Filio; plenitudo gratiæ, & veritatis habitaret. Deinde ut foret dissimilis primæ corruptæ fœminæ, quæ ut fuit oceanus errorum; hæc foret oceanus veritatis & felicitatis. Quare & oculi Virginis oculis columbarum comparantur, ideò quod oculi intellectus, & ejus operationes essent simplicissimæ, ex omni parte integræ, atque purissimæ. Quare hæc gubernatio Matri tanti Dei in omni rigore decentiæ, debebatur.

In intellectum Virginis nullus error poterat irrepere.

§. IV.

§. IV.

De perfectione & potentia voluntatis sanctiss. Matris.

NUlli ignotum, ex intellectus dignitate, luce divinâ perfusi, absorptique nobilissimos voluntatis fructus exoriri. Quare & Seraphini præ ceteris intelligentiis feliciùs inardescunt, flagrant, & toti exæstuant in amorem summi boni, quia perspicaciùs, clariusque Dei infiniti, bona infinita cognoscunt. ἐκ τῦ ὁρᾷν γίγνεται, τὸ ἐρᾷν, *Ex notitia gignitur amor.* Unde & dici consuetum, hinc tam parum Deum amari, quia tam parum noscitur. Voluntas ergo Virginis adeò perfecta fuit & omnibus numeris, in suis motibus, actionibusque absoluta, divinæ voluntati, tanquam suarum actionum regulæ conformis, ut nec rectior nec conformior esse posset. Quare & hoc possidet encomium Canticor. 1.4. *Recti te diligunt.* vel ut alij vertunt *rectitudo*, id est, ipse scilicet Deus, omnis rectitudinis auctor. Diligit te rectitudo, quia non est in te macula proprij motus, propriæque voluntatis, in divino holocausto. Erat ergo simillima beatis qui habent quæcumque volunt, & nihil malè volunt. Dixerim ego, omnes actiones Virginis fuisse perpetua holocausta, & ea quidem miranda, in templo Salomonico, ubi fumus holocaustorum petens cælum, summâ rectitudine in cælum ferebatur, quamvis circumsonarent impetus ventorum sævientium; securus tamen tempestatum, ascensu pyramidali suum peragebat iter; ut nec in libero apertoque aëre vagari hac, illacque posset. Sic Virginis holocausta, cælum recto itinere petebant, nulla infelix curvitas, nulla inflexio ausa detorquere, vel intervenire. Tantus honos holocausti: malim tamen Virginis voluntatem comparâri thymiamati, quod soli Deo cremabatur. Et in hoc similis & germana Filij sui sanctissimæ voluntati; de qua S. Thomas *lib. 4. contra gentes, cap. 16.* sic ait; *Christum Dominum voluntate humanâ nihil voluisse, nisi quod eum velle voluntas divina disposuit.* secundùm illud Joannis 8. *Quæ placita sunt ei facio, semper.* Unde & idem D. Thom. *quæst. 21. artic. 4.* dicit Christum secundùm voluntatem rationis nihil voluisse, nisi quòd scivit Deum velle. Pulchrè igitur Christus Dominus, Joann. 4. v. 34. *Cibus meus est, facere voluntatem ejus qui misit me.* Propter hanc quoque unionem voluntatis Virgineæ cum Deo magis quodàmodo placebant Virginis opera quàm peccata hominum, quamvis infinito quasi odio displicerent. Mirum sanè dictu: sicut enim gravitas offensionis crescit ex dignitate offensæ personæ, ita & dignitas satisfactionis

A & valor sumitur ex persona satisfacientis. Christus ergo, qui fuit Persona infinitæ dignitatis, & id quod ad satisfactionem obtulit, fuit vita, & sanguis divinus, quæ erant res infiniti valoris, & orando exauditus fuit pro reverentia sibi debita, Hebræor. 5. quæ tanta fuit, ut ea de causâ revereretur illum Deus.

Deinde multo admirabilius est, infinitæ dignitatis Personam in infimam & maximè contemptibilem dejici sortem; & maximum fieri minimum, & infinitam Majestatem quasi ad nihil redigi, quàm infinitam Majestatem à vili homuncione, vili vermiculo, despicatui haberi; quàm sit ab eodem verme, infinito enti summas injurias inferri. Majus est *Nota hanc doctrinam, Lector.*
B ergo inclinari infinitam Majestatem, quàm injuriis affici. Cùm enim Deus suam Majestatem inclinat in infimum statum sortemque, suam totam infinitudinem inclinat, humiliat, & abjicit quanta est; cùm verò accipit injurias ab homine, qui cùm sit finitæ potentiæ, non læditur Deus secundùm omnem latitudinem, & infinitudinem suæ essentiæ & majestatis. Altioris ergo est ordinis, & conditionis, dignitas sese humiliantis, quàm sit vilitas offendentis. Dignitas ergo Personæ secum trahit satisfactionis valorem, quæ erit infinita, si provenerit à persona infiniti pretij & dignitatis.

Divæ ergo Virginis dignitas cùm sit infinito proxima, & infinitè suam infinitudinem
C inclinarit, gratior est Deo quàm sit peccatorum læsio offensioque. Hanc verò dignitatem non solùm conciliat dignitas Matris, verùm & gratia habitualis, quæ est nostri respectu infinita & concurrit ad omnem actum talis personæ, ut talis operans secundùm totam latitudinem operetur, & grata sit. Duplici ergo nomine, & jure ipso cùm sit Virgo sancta Deo gratissima, & infinitè quodammodo placeat quantum puræ creaturæ dignitas ordinariâ lege, & extraordinariis & inauditis gratiis placere potest, & præ omnibus creaturis simul collectis dilecta, per merita sanguinis Filij sui, qui fuit & Matris, at in Filio deificatus, & divinæ naturæ per unionem hypostaticam unitus, pro omnibus &
D singulis profusus hominibus facillimè impetrat veniam peccatorum, quamvis in rigore justitiæ, ipsius merita simul sumpta non possint adæquare satisfactionem unius peccati malitiæ debitam.

Hanc enim, solus is, qui Deus est, potest; quare eam solus præstat Filius hominis qui Deus est, & Deus, Deo læso injuriam pensat, & eam meritis non solùm exæquat, verùm etiam exsuperat: attamen tantæ est eminentiæ, & auctoritatis apud Filium Deum Mater, tantum pollet suis meritis, ut pro reverentia sua semper exaudiatur, & ipsius persona cum meritis plus placeat, & sit Deo gratior quàm omnium hominum peccata displiceant. Hoc movit Arnoldum Carnotensem, ut *Una S. Virgo plus placet Deo sola, quàm Deo omnia peccata displiceant.*

ut liberè diceret *in tractatu de laudibus Virginis: Securum jam habet accessum homo ad Deum Filium, qui Matri concedit peccatorum condonationem. Habet & Filium apud Deum Patrem, & ante Filium, Matrem mediatricem sua causa: Christus nudato latere, Patri ostendit latus & vulnera: Maria pectus & ubera; nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant, omni linguâ disertiùs hæc clementia monumenta, & pietatis insignia;* Filius ex justitiæ debito, Mater ex debito decentiæ, & dignitate suæ personæ, cujus opera exsuperant suo splendore gratiarum, omnes nebulas peccatorum: Mater enim quid non potest? & quid Matri tali non debetur, quæ Deo, majori est in pretio quàm omnes creaturæ simul collectæ? Hoc nos docebit impotens Alexandri Magni mater, cur non doceat potentissima Dei Mater? Antigonus pro Alexandro in Perside occupato, regebat Macedoniæ regnum: literis ad filium datis matrem accusat intolerabilis impotentiæ, quâ misceret omnia, tumultusque cieret. Euge Lector, specta potentiam materni affectus. Una, inquit filius, lachryma matris omnia hæc crimina velut pumice deterget, eluetque. An minor Filij Dei in Matrem innocentissimam pietas? Coriolanus, ut alibi dictum, Romam suam altricem patriam, ingratam tamen, arctè furiis agitatus obsidet, ruinam & cineres cum exitio meditatur: omnia consilia & opes Romæ conciderant: Roma cessura in prædam. Sic amor læsus exæstuat in iras. Sola mater leonem intractabilem flexit, & scelus patriæ, filius materno concessit amori; prætulit matris lachrymas suæ ultrici iræ. An non cederet ira filij matris unicè dilectæ precibus & vindictæ paratæ? una est omnibus, posthabitis etiam mille mundis, Mater dilecta: nullæ aquæ iniquitatum poterunt exstinguere charitatem filij adversus matrem. Una Esther prævaluit potentiæ Amani; una Esther solo aspectu Regem furentem placavit; una Esther sese communi objecit exitio, & suo periculo redemit commune periculum, necnon scelus vertit in auctorem sceleris. An Deo non Mater pluris est quàm Alexandro? quàm Coriolano mater? quàm Esther Regina? Sufficit dixisse Deo, Mater est; & tu credes filium non honorasse suam matrem? Filius Dei disquirit secum nostro modo loquendi, quænam sint partes suæ, quid divinum æquumque sit, ut offeratur. Crescit in Filio desiderium placendi matri, cujus infinita munificentia non potest donationibus exhauriri.

Lachryma una matris omnem offensam delet.

Quanta matris potentia.

§. V.

An in Virgine fuerit contrarietas voluntatis suæ cum divina? quæ sit contrarietas voluntatis?

AD contrarietatem voluntatis requiritur, ut circa eandem voluntatem sit contrarietas. Si enim vult quis secundùm appetitum rationis; & aliud vult secundùm appetitum sensitivum, non potest hic dici contrarietas, nisi fortè appetitus sensitivus in tantùm prævaleat, vel quod immutet, vel retardet appetitum rationis: sic enim ad ipsam voluntatem rationis perveniret aliquid ex motu contrario appetitus sensitivi. Sicut ergo in Christo voluntas naturalis, & voluntas sensualitatis in Christo aliud voluerit, quàm voluntas divina, & voluntas rationis, non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum: voluntas enim appetitus & naturalis statim, & in momento subjiciebat se voluntati divinæ. Quod evidentissimum est in mortis apprehensione; ubi voluntas sensitiva, & appetitus naturalis verè mortem refugiebat, tanquam malum naturæ, & diligebat vitam tanquam rem, omnium nobilissimam: hæc tamen voluntas non retardabat nec in minimo impediebat rationis voluntatem, quæ tota mortis avida plenis velis in mortem ferebatur; juxta illud: *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum priusquam patiar.* Lucæ 22. & *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor?* imò & voluntas rationis in Christo non refugiebat aut retardabat motum volũtatis naturalis humanæ, & motum sensualitatis in Christo; placebat quippe Christo, & summè placebat.

In Christo Domino non fuit contrarietas voluntatum.

Ut autem omnibus clarè constaret veritas assumptæ nostræ mortalitatis, permittebatur hoc pacto cursus voluntatis humanæ in ipso, qua manifestabat se hominem verum; quid enim honestius, & rationi conformius, quàm ut voluntas sensualitatis secundùm ordinem naturæ suæ moveretur? Movebatur ergo appetitus naturalis, & naturalis voluntas congenita naturæ humanæ, quâ in vitæ conservationem ferebatur, nec quidquam voluntas superior damni, vel infirmitatis, vel læsionis patiebatur. Nulla ergo fuit repugnantia, vel discors contrarietas voluntatum in Christo, verùm voluntas divina permittebat humanam suis propriis motibus agi, qui necessitate naturæ, nisi illam destruxeris, ipsi naturæ sunt insiti, nec ab illa sejungi possunt. In nobis verò per carnis concupiscentiam, impeditur & retardatur concupiscentia spiritus, ut non possit, nisi

In Christo summa concordia voluntatum.

nisi continuo duello, quod maximè vellet. A Unde & Paulus: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Galat. 5. *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ, & non quod volo bonum, sed quod nolo malum facio.* Rom. 7. 25. Pulchrè ergo & ordinatè in Christo Domino natura eliciebat suos motus, & affectus appetitus sensitivi, quos passiones vocare solemus, quæ in Christo ut in nobis non fuerunt, verùm (ut ita dicam) propassiones, quia proximè suboriuntur, & excitantur cum motione corporis, & humorum ejus. Non tamen est dubium quin fuerunt in Christo Domino altiori & perfectiori modo. Fuerunt ergo in Christi voluntate, hujusmodi affectus, ut est amor Dei & proximi: peccati odium: spes gloriæ corporis sui. Fuit & audacia, quatenus est voluntas efficax patiendi, & hic est actus fortitudinis, qui est perfectissima virtus; fuit & ira supremo judici necessaria. Fuit & voluntas efficax & inefficax, quales hæ fuerunt: *Oblatus est quia ipse voluit.* Isai. 53. 7. &, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth 26. 39. Actus ergo voluntatis inefficaces in Christo Domino fuerunt, ut natura est, quia procedit ex mera inclinatione naturali, quam voluntas habet; v. g. ad tuendam vitam, vel ad commodum suæ naturæ. Christus ergo cùm operabatur ex inclinatione naturæ suæ, rectè operabatur quia ea voluntas recta & honesta erat; & ideo assumpsit has voluntates procedentes ab ipsa voluntate, ut natura est, ut conformes, & non difformes rationi in seipsis.

In nobis alia lex.

§. VI.

Qualis fuerit concordia voluntatum in beatiss. Virgine. Nunc ad sanctiss. Virginem veniamus.

PAr concentus, & suavissima concordia, ex gratia data, fuit voluntati Virgineæ. In Virgine nulla contrarietas voluntatum; sub eodem ferè modo, quo in Christo Domino fuerunt, actus scilicet efficaces, & inefficaces. Sicut ergo Christus naturali pondere naturæ ferebatur in vitæ suæ conservatio nem, & tamen efficaciter Patri obediens, mortem volebat; sic & in Virgine sanctissima Matre hujusmodi actus ex impetu, & pondere inclinationis naturalis oriebantur. Diligebat illa Filium sine mensura. Et sanè cur non infinitè diligeret Filium quem sciebat Deum? Ex illo oriebatur affectus, & desiderium inexplicabile, quo rapiebatur in Filij sui tuendam incolumitatem, voluissetq; periculo suo salvam, & vitæ suæ jacturâ, Filij sui redemptam. Hinc lachrymas gemitusque indicibiles suscitabat amor in corde Virginis: hinc D natura suæ prolis avida ingeniosis artibus salutem moliebatur; nihilominus tamen decreto Patris attendens, quo mors Filij jubebatur, efficacissimè eam orabat, volebat, imò & imperasset. Ibat ergo concitatissimè in jussa Dei Patris, quæ præferebat & Filio, & sibi, noluissetque non solum, Filium vivere, verùm & cum ipso mori voluisset. At nec hîc prompta voluntas substitisset, sed & Filium non instar Abrahami, sed exitu facti sacrificasset. Ex una ergo consideratione objecti quod maximè volebat, nolebat ex alia: hi tamen voluntatum affectus inter se concordes, etsi discordes videri possent; jucundissimo tamen fœdere, & jucundissimâ harmoniâ in Dei voluntate suprema, placidissimè B conspirabant. Erat Olympi montis instar, qui altitudine aëris turbulenta regna supergrediens, nullo motu afflabatur, verùm summâ, & imperturbabili tranquillitate gaudebat. Pars mundi superior, & ordinatior ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur: omni tumultu caret. Ejusmodi erat animus S. Virginis, sublimis, quietus semper, & in tranquilla statione collocatus. An non venerabilis hic animus compositus, & Deo similis?

Simillima ergo Filio sancta Mater: sicut enim suprema voluntatis portione fuit actus timoris in Christo, sic & in Virgine. Deinde sicut & in inferiore parte verus fuit timor, C Marci 14. *Cœpit pavere, & tædere & mæstus esse.* Quem locum non solum de sensibili timore, sed & de naturali timore voluntatis Christi intellexit Damascen. *lib. 3. de fide, cap.* 18. Et sanè idem objectum quod potest excitare timorem in appetitu sensitivo, potest & excitare in voluntate. Sicut ergo in Christo permissi sunt omnes affectus naturales, & ex naturæ constitutione rationi conformes; sic & in Virgine. Quare & dicimus in sanctiss. Virgine verum exstitisse horrorem, & horrorem mortis circa Filium in ea fuisse tristitiam, pro magnitudine rei amatæ. Et quemadmodum Christus de se dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; ita & illa potuit dixisse; & sicut Christus Dominus in agonia prolixior orabat, & ex vero naturali, & rationabili desiderio vitæ amatæ mortem deprecabatur, nisi voluntas Patris obstaret, cui actutum se submisit naturalis, dicendo: *Non mea, sed tua voluntas fiat*: ita & in Virgine inerat inserta & naturalis voluntas Filium servandi, nisi Patris imperium, cum orbis salute conjunctum, urgeret. Concludamus ergo Virginem voluntate inefficaci, potuisse nolle quod Deus volebat, non tamen voluntate efficaci: ac proinde semper simillima Filio fuit, in quo actus voluntatis efficacis semper fuit conformis, in omni modo secundùm omnem latitudinem objecti, Dei beneplacito.

In Virgine erant omnes affectus naturales, qui tamen subdebant imperio partis superioris.

Vide Lector quàm sanctæ Virginis in Virgine,

gine, ut consũmata regnârit voluntas, ea scilicet qualis regnat in beatis unitissima cum Deo voluntas. Sublimissimo ergo modo se subijciebat divinæ voluntatis placitis & asperrima quæque & luctuosa cum summo gaudio complectebatur, nec quidquam detrectabat eorum, quorum cognitionẽ, vel ex revelatione, vel intellectus illuminatione per admirabilem Spiritus S. assistentiam, vel ex visione beatifica, quâ statis temporibus fruebatur, fuerat consecuta, nisi ex divini beneplaciti ordinatione. Christus Joannis 5. v. 19. dicit: *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem: quæcumque enim fecerit, hæc & similiter filius facit.* Virgo pariter non poterat facere quidquam nisi quod viderit patrem volentem. Cibus filio, erat voluntas Patris: Matris cibus & delitiæ, voluntas ejusdem. Quantùm verò spectat ad voluntatem inefficacem, & in hac parte simillima filio. Ille nonnunquam eâ voluntate volebat, quod Pater absolutè, & simpliciter nolebat; nihilominus, hujusmodi actus erat divinæ voluntati, tanquam suo principio, & regulæ perfectissimæ conformis. Quare illę voluntates nunquam fuerunt contrariæ, sed affectibus, & effectibus sibi conjunctissimæ. Desiderium ergo tuendæ vitæ, horror mortis, fuga mali, amor corporis sustentandi, in suo genere sunt actus honesti laude digni, Deoque grati, quos & exercere volebat, & humanâ voluntas in seipsam perfectâ deliberatione admittebat, ut in hoc divinæ voluntati penitus obsequeretur. Placebant ergò summo Deo Virginis lachrymæ sicut & Filii, suspiria & gemitus, & utriusque maxima tristitia placebat: placebat naturæ & materni affectus, & solicita, & luctuosa cura circa Filii passionẽ, & liberationem. Placebant præterea voces lamentabiles Virginis, ebriæ, dolore, luctuque: Fili mi, mi fili quis mihi dabit mori pro te? Fili viscerum meorum, fera pessima devoravit te. Addo aliquid, Deum filium voluisse effundi matrem in lachrymas, modestos & compositos ex tristitia fletus, gemitusque. Quid enim cõformius affectibus veræ matris, quos exuere quæ mater vera est, nec potest, nec debet? An non amissio filii mille & mille mundis præponderanda? an non infinitis lachrymis mors supremi principis digna? an non infinito luctu dignũ Deum trucidari? Quæ justiores lachrymæ, quàm matris in funere unici filii? Effera mater, quæ non parentaret, saltem per gemitus, suo gnato. Illachrymant equi, suorum Dominorum exitio, & multa animalia luctum inducunt; & matris cor non emollescet, non solvetur in irriguos fontes? Hæ tot tantæque causæ Virginis animum stimulabãt in filii liberationem; verùm frænum consiliis injecit suis, Patris suprema volũtas. Decreta ergo à patre, & matre filio mors: nec in hoc reperitur contrarietas, quia contrarietas saltem requirit, ut quod alteri sub aliqua ratione placet, sub eadem displiceat; vel illud idem quod una voluntas efficaciter vult, & altera absolutè velit; & nisi hæc adsit repugnantia, voluntates non se mutuò impediunt neque una alteram excludit, quod est de ratione contrariorum.

In Virgine erant omnes affectus naturales, qui tamen subdebant imperio partis superioris.

§. VII.

Voluntatis efficacis, & inefficacis ex sacra historia sumpta similitudo.

THamar gravidâ gemellis, *Genes.* 38. instante partum apparuerunt gemini in utero: atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum suam, cui obstetrix illigavit coccinum, dicens: *Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier: Quare propter te divisa est maceria? Et ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares. Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum: quem appellavit Zara.* Hæc series historiæ. An non homo gravidus duobus gemellis? an non duplici constat portione, atque substantiâ? an non utraque substantia duobus & diversis motibus, etsi germani fratresque sint, & impulsibus agũtur? Diversæ, & crebrò cõtrariæ utriusque leges & documenta. Constat homo fabricatus carne, & spiritu, appetitu sensuali, & appetitu rationali. Hic honesta virtutum; sapientiæ studia; vèri boni pulchritudinem, summo impetu conatur apprehendere: ille contrà, corporis blandas voluptates; sensuum inanes brevesque titillationes; maxima denique & effrænata appetentia, omnem jucunditatem omnemque motum, quo sensus beati videntur, sectatur: ille voluptates tanquam blandissimas dominas immittit in chorum virtutum, & majores partes animi à recto detorquet: at appetitus rationalis, seu ratio quid est aliud quàm arbitra bonorum & malorum domina, pars divini spiritus, mersa in corpus humanum: comes honesti, domitrix voluptatis, quæ nullis affectuum armis, sed regulâ recti gubernatur? Hinc fit ut homo duobus imperiis, velut classicis sonantibus sentiat se concitari ad acre duellum, tam diu pẽdente victoriâ, quoad una pars cesserit luctando, & in leges victoris iverit. Ad nostram similitudinem redeamus. Zaram ergo designat appetitum sensitivum, qui naturæ ordine primus ex utero progressus ostentat inclinationem in bona sibi commoda, v. g. in Christo Domino amorem vitæ, ostentat horrorem mortis, tanquam malum naturæ, qui actus ex natura sunt honesti & laude digni. Hunc ergo appetitum sensitivum non sine causa Zaram comparamus, quod nomen Hebraicè

Historia Zaram & Pharez.

braicè idem sonat quod Oriens, eò quòd suis affectibus & impetu rationem prævenīat, & suis armis vult bonum sui tueri atque defendere, & primùm oriatur. Verùm ubi alterâ manu sensit se ligatum Coccino, quasi primogenita non curans, eâdem retrahens quam exeruerat, eundem repetiit uterum, malle se non nasci significans, quàm vinctum purpurâ progredi; & locum dedit fratri, cui nomen Phares, cui & honorem detulit primogenituræ eumque ut Dominum suum est veneratus. Quid iste Phares nisi appetitus rationalis, qui purpurâ velut regio imperio (Reges enim purpura vestit) manum protensam & orientem ligat, & affectum naturalem sedat, componit & ad obedientiam redigit & utero recondit suo: significat enim tunc appetitus naturalis malle se non nasci quàm purpurâ vinctum progredi: longè enim fortunatius homini non nasci quàm non subdi rectæ rationis imperio. Sicut ergo Zaram naturæ cessit imperio quæ supra naturam quoddam admiratione dignum visa fuerat operata: si cùm appetitus sensitivus rationis cedit imperio, sic an non summa & admiratione digna patrare videtur. In Christo ergo Domino affectus naturales se ostentarunt, & vires honestas exeruerunt; at statim ad imperium rationis in uterum suum se receperunt rationis imperio locum, & fratri suo primogenituro dignitatem dâtes cesserunt. Zaram ergo cùm sensu naturali designat voluntatem inefficacem: Phares verò cum appetitu rationali efficacem, quæ virtute suæ dominationis totum regnum partis inferioris componit atque tranquillat. Habes hic regnum D. Virginis in suos partis inferioris affectus. Et quale?

§. VIII.

De dignitate atque Excellentia Conformationis voluntatis humanæ cum divina.

INter Gentiles Phiosophos nulli accuratiùs, subtiliusque hanc materiam posteritati elaboratam tradiderunt Senecâ, quem sustulit, & fax, & orbis turbo impius Nero: & unò Epicteto, cujus sapientia sub Nerone & sequentibus Imperatoribus claruit; & tandem tœdio Domitianæ tyrannidis Româ cessit, quam repetivit, eâ sublatâ, & ad tempora Marci Antonini Romæ commoratus. Qui quanto honore & fama mortales excesserit, lampas laborum socia, tribus millibus dragmarum vendita docuit. Hic summam Sapientiæ ad duo verba redegit: Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. *Sustine scilicet & abstine.* Inter sanctos Patres vexillum hujus materiæ prætulit S. Bernardus: inter nostri ævi sapientes viros P. Bernardinus Rossignolius, qui compendiosè nervosèque ante quadraginta annos hoc argumentum tractavit.

Summa sapientia duobus verbis constat.

§. IX.

Audiamus voces Senecæ, ut Deo committat se.

NOlebat se Seneca trahi à Deo, sed Deum sequi & æquare gradus, si scisset Dei volūtatem antecessisset. Hinc pleno ore laudat Demetrij fortissimi vocem, cujus dicit se meminisse. *Hoc unum, inquit, dij immortales de vobis queri possum, quod non ante vestram voluntatem notam fecistis: prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum.* Audi Senecam. *Vultis liberos sumere? illos vobis tollite: vultis aliquā partem corporis? Sumite. non magnam rem promitto, citò totum relinquam. Vultis spiritum? quid ni? nullam moram facio, quo minùs recipiatis quod dedistis. à volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergo est? maluissem offerre quàm tradere. Quid opus fuit auferre? auferre potuistis. Sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil auferetis, quia nihil eripitur nisi retinenti. nihil cogor, nihil patior invitus: nec servio Deo; sed assentior. quod est boni viri prabere se fato.* Hæc ille lib. 15. cap. 5. O religiosi! vincimini à gentili, utinam æquaremus gradus! Idem epistol. 73. *Placeat homini, quidquid Deo placuit. Ob hoc scipsum, suaq; moretur.* Et lib de Constantia Sapientis. *Et quemadmodum nec divina juvari desiderant, nec lædi possunt; sic nec quisquam nocere sapienti, aut prodesse. Sapiens autem vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo, quæ summa Sapientia idem velle & nolle* & in lib. de vita beata, *& ut bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, & transverberatus telis moriens amabit eum, pro quo cadet imperatorem: habebit in animo illud vetus; Sequere Deum,* Quisquis autem queritur, plorat, gemit: imperata vi facere cogitur, & invitus rapitur ad justa nihilominus, quomodo hic potest parere Deo, & quidquid evenit, bono animo excipere, si ad voluptatum dolorumq; portiunculas concurritur?

Stupenda voces hominis gentilis se Deo cōmittentis.

Placeat homini, quod placet Deo.

Placeat ergo homini quidquid Deo placet. Lege nunc, ut depingat hujusmodi viri ornatum: *Si nobis liceat viri boni animum inspicere; ô quàm pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidoq; fulgentem videres; hinc justitia; illinc fortitudine; hinc temperantia, prudentiaque lucentibus.* Unde mi Seneca tanta lux pulchritudinis viro bono? unde lunæ sua lux? an non ex aspectu solis? sic & viro bono ex Dei conjunctione, quam fundit voluntatis consensio. Quare & libr. de provid. cap. 1. docet virum esse amicum Dei. Inter bonos viros ac Deum amicitia est concilian-

te vir-

te virtute. Amicitiam dico, imò etiam necessitudo, & similitudo (& tamen quanta distantia in utrumque!) discipulus enim Dei vir bonus æmulatorque & vera progenies; & sanè nihil Deo gratius beneficâ hominis voluntate, qua sola delectatur Deus. Ita & hoc docet lib.7. de Benefic. cap.15. *Quod si animus sine re ad referendam gratiam, non valet: nemo adversus Deos gratus est, in quos sola volũtas confertur.* Decet, inquit, & Epi. 107. *Deum, quo auctore omnia proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles, qui Imperatorem gemens sequitur.* Quare impigri, atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quid patimur, intextum est. Alloquamur Jovem quemadmodum Cleanthe:

Lato animo Dei imperia sequenda.

Duc me parens celsiq; dominator poli,
Quocumque placuit. Nulla parendi mora est.
Assum impiger. Fac nolle. Comitabor gemens:
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Malusq; patiar, quod pati licuit bono.

Quis sit verus magnus animus.

Sic vivamus, sic loquamur, paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus qui se tradidit Deo: at contrà ille pusillus, ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mavult Deos, quàm se. Et Epistol. 106. *Si quid credis mihi intimos affectus tibi cùm maximè detego: in omnibus quæ adversa videntur, & dura sic formatus sum. Non pareo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil umquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam. Omnia tributa vita sunt, ad quæ gemimus, quæ expavescimus: omnia incommoda in longa vita sunt, quemadmodum in longa via, & pulvis & lutum, & pluvia.* Tu Christiane ut animum fulcias tuum, audi hominẽ Ethnicum Christianè loquentem. Quantæ sunt vires illius hominis, qui nihil agit, nisi quod Deo probandum est: nihil admittit, nisi quod Deus offert.

§. X.

Senecæ voces quasi ex cortinis pronuntiatas audivimus: nunc magni Epicteti.

In capite 77. sic inchoat: *In quovis incepto hæc optanda sunt. Duc me ô Iupiter, & tu fatum, eò, quò sum à vobis destinatus; sequar enim alacriter. Quòd si noluero, & improbus ero, & sequar nihilominus.*

Epicteti admirabilis cum Dei voluntate concordia.

Et cap. 78. *Necessitati qui se accommodat, sapit, estq; rerum divinarum conscius. Deinde vltimò si dijs ita visum fuerit, ita fiat: me autem Anytus & Melitus occidere sanè possunt, lædere verò non possunt.*

Audiamus intonantem Arrianum Epicteti cõmentatorem, qui sua animi magnitudine non cedit Magistro lib. 2. cap. 16. *Cervices tandem erige, tanquam servitute liberatus. Aude tandem sublatis ad cœlum oculis dicere: Tracta me posthac arbitrio tuo Deus S. Ejusdem tecum animi: Susq; deq; fero: nihil recuso, quod tibi videbitur: quò voles ducito. Vis me fungi Magistratu? privatam agere vitam? manere? exulare? paupertate conflictari? opibus abundare? ego te in omnibus his rebus apud homines defendam: ostendam quale sit cujusque hominis ingenium.* Et eodem l. c.17. *Nihil velis aliud quã quæ Deus vult. Quis te prohibebit? quis coget? Iovi donato & ceteris dijs tuam appetitionem, illis tradito, illi gubernant.*

Et lib. 3. disputat. cap. 26. vltra medium. *Appetitum meum obedientem præbeo Deo. Vult me febricitare? volo & ipse: vult me aliqua re potiri? volo & ipse: non vult? non volo.* O pudor Christianis! an non, hoc est se totum dedere Deo? & lib. 4. disput. cap. 7. *Melius,* inquit, *judico quod Deus vult, quàm quod ego. Adhæreo illi Minister, & pedissequus; cum illo desidero: cum illo expeto. Denique quod vult, & ipse volo.* Quid dicis ad hæc religiose? & nondum erubescis? Audi Athee, quanto te melior gentilis. *Religionis,* inquit (cap. 38.) in suo Enchiridio, *ergo Deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones: ut scias & esse eos, & bene, justèq; gubernare universa: parendum esse eis, & omnibus iis quæ fiant acquiescendum: & sequenda vltrò, ut quæ à præstantissima mente regantur. Magno ergo animo Deos accedito. Deinde si quid consilii datum fuerit, memento quos in consiliis adhibueris: & quorum nisi parueris, authoritatem neglexeris.* Hinc illa nobilis, & alta totius Philosophiæ vox, *Deum sequere.* Quid est, Deum sequi? nisi se Deo dedere; & quid est se Deo dedere? ut quod ipse voluerit, & ipse velis. Quî ergo fiet istud? quomodo fieret aliter, nisi consideratâ Dei appetitione, & administratione. Purissimus itaque cultus religionis hic est, & divina religio, si te hac ratione Deo jungas ut velis potiùs, quod vult ipse Deus.

§. XI.

Theatrum titulorum quibus dignitas, & excellentia hujus virtutis admirabilis declaratur.

Primus Titulus hujus virtutis.

Quod sit vocanda lapis Philosophalis Virga Midæ, Clavis cœli aurea. Quod minima extollat, & avehat ad sũma.

Conformatio voluntatis humanæ, cùm admirabiles & infinitas secum importet

tet opes, thesauros, & felicitatis supremum gradum, varios titulos indices dignitatis suę deposcit, ut luce veritatis acceptâ majestas tantæ dignitatis irradietur. Sit ergo primus titulus sui honoris; & vocabimus lapidem Philosophalem, qui omnia per attactum, ut Midas suâ virgâ, in aurum vertit. Per hanc etenim virtuté, vitia mutatas induût formas. An non ex luto colligit aurum? de spinis rosas? & ex vacatione laborum, cessationeque magnorum operum, innumerabiles fructus atque coronas? S. Franciscus Xaverius clauserat Patrem Gasparem Belgam Olmutio; & zelum viri quo totum orbem complectebatur, certis finibis coarctârat, Coangustavit tantus heros pressitque animum orbis capacem & varias vocantum regum legationes, quibus denunciatio poscebatur, orbe stupente dimisit. Maluit ille se signo & classico obedientię, qua se Deo conformabat, parêre, quam tot variis regnis fidei lumen inferre. Quis æstimabit pretium tanti facinoris? Gratior Deo victima ocii, quàm laborum tanta seges fuit. Peperit cessatio coronas, quas labor excidisset. Sicut ergo ceteris præstat metallis aurum, & suâ eminentiâ complectitur aliorum virtutes, vires, & bonitatem; sic hæc virtus ceterarum virtutum splendorem. An non igitur jure posset vocari clavis aurea cæli? Planè; cùm sit hæres voluntatis divinæ, non potest non esse hæres regni Dei. O nobilis virtus, quæ non tantum facinoribus & factis nobilitat magna patrantem, verùm etiam nihil operantem? Et cur hoc? hæc sunt voluntatis præmia, quâ Deus solâ, cùm merendi deest occasio, contentus est. Prohiberis extendere factis voluntatem, ad magna certamina paratam; fac Deo victimam accensis desideriis, plus placiturã, quàm si nobilibus operibus eam complesses: hæc solatia fulciunt, & sustentant, & Deo innixa clarificant Religiosos, quibus cursus magnorum operum inciditur, & zelus labefactatur.

Cõformatio voluntatis ex luto aurum facit.

§. XII.

Secundus titulus, compendium & summa virtutis & vitæ Christianæ.

SEcundus titulus, quòd sit compendium totius vitæ Christianæ, & omnium denique virtutũ. Unde natum est illud magni Basilii effatum: *Tota sanctitatis summa, ad Deum rerum omnium causas referre, quod est idem velle & nolle. Hoc enim Deum est sequi.* Ille se Deo totum dedit, qui se obtulit. Si sit compendium & summa virtutum, quis neget in hac beatitudinem positam, quæ in hac potest obtineri darique vita; cùm ea sit collectio bonorum omniũ, seu status bonorum omniũ aggregatione perfectus, teste Aristot. lib. 1.

A Ethic. *Quid deest homini sic beato, cui voluntas Dei, qua causa bonorum omnium, & causa beatitudinis, est sua beatitudo?* incedit hic omnibus gaudiis, cui Deus causa agendi, patiendi vel moriendi. An non amantium par conditio? amat, sapit, rectè facit, vivit lætè, lætè moritur, patitur lætè: qui lætè obsequitur Dei voluntati, beatus est. Valentior enim Dei voluntas omni bono, & condimentum ærumnæ, animus Deo junctus. Si igitur animum vicisti potiùs, quàm animus te, est quod gaudeas; eris enim victor victorum, & persimilis Deo, qui hoc solo beatus, quod sibi sufficiat. Et tibi non sufficiet Deus? Ex hac ergo beatitudine nascitur summum gaudiũ, quod ille possidet qui Deo nititur Deoq; fi-

B dit, ut bene August. in Psal. 84. Qui vult gaudere, illo gaudeat, qui non potest perire. An fortè fraudabitur ille delectationibus suis, cui Christus est gaudiũ? Æterna enim exultatio est quæ bono lætatur æterno. Et ubi bonum æternum invenies, nisi in bona Dei voluntate, quæ nostri boni causa est?

§. XIII.

Tertius titulus, perfecta sui deditio & victima.

C Est absoluta sui deditio, sicut victi dedũt se arbitrio victoris, & dedititii transeunt in potestatem & dominium alterius, cujus se permittunt potestati. Sic per conformationẽ voluntatis, homo transit per sui deditionem in divinæ voluntatis jus & nobilissimum imperium. Hanc sui deditioné pulchriori verbo Cassianus l. 11. c. 8. vocat transmigrationé in affectum omnis boni, non aliter quàm nova nupta, quę seposito parêre utroque, ex domo paterna migrans in domũ sui sponsi, omnem affectũ suorum, traducit in affectum sui conjugis; ita ut unum fiant. Amoris igne migrat nova nupta; migrat & dedititius hic: nupta desiit esse sua; & dedititius desiuit esse suus: nupta nova, teste Plutarcho, curru nuptiali

D vehitur ad domum mariti, qui ante domum mariti totus flammis consumitur; quasi hoc incendio diceretur, sibi redeundi ad suos potestatem esse sublatam. Sic & dedititius flammis amoris adactus, desiit esse sui juris, & libertatis. Bene & apposité utitur Cassianus vocabulo Transmigratio. Siquidem, qui intensè diligunt, & ferventissimè Dei summi voluntatem cõplectuntur, à seipsis recedunt, & per amorem, Deo intimè uniuntur. Hanc migrationem, & discessionem à seipso eleganter docet Dionysius de d. nom. cap. 4. ubi ait: *Dimovet de statu divinus amor, nec suos patitur amantes, sed in ipso Deo, quasi domicilio vivunt.* Verùm quomodò vivunt adhuc mortales? Mira quadam, ut docet Bernardus homil. 3. super Missus, ratione in mentibus hujusmodi

hujusmodi existit Deus, dum ait: *Deus à rationabilibus omnibus capi per cognitionem potest; sed à bonis tantum capitur per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum voluntates suas, ita justitiæ subdunt; ut non dedeceat Deum velle, quod ipsi volunt, & per hoc quod ab ejus voluntate non dissentiunt; Deum sibi specialiter jungunt.*

§. XIV.

Quartus titulus Deificatio.

HIc, tribus præcedentibus nobilior, & vocatur à Nazianzeno, oratione 21. *Deificatio*, sicut & à Bernardo lib. de diligendo Deo; nec non ab aliis *Deiformitas* quando homini nullum bonum, nulla quantumvis beatissima vita, potior est homini quàm sanctissima Dei voluntas. Hanc Dei formitatem sic explicant: Quo modo stilla aquæ modica, multo infusa mero deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem: & quo modo ferrum ignitum & candens, igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum: & quo modo solis luce perfusus aër, in eandem transformatur luminis claritatem; adeò, ut non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur: sic tunc omnem in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à seipsa liquescere, atque ita in Dei penitus transfundi voluntatem. Ex hac Deificatione magnificæ atque excelsæ voces ardentis Pauli, & transformati instar ferri igniti: *Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus.* Galat. 2. 20. & ad Philippenses 1. 21. Ut quis ad hanc Deificationem conscendere mereatur, necesse est integra perfectaque sui proscriptione, omnia à se projicere. Dico omnia, cum quibus complector etiam supernaturalia dona, solatia, illustrationes divinas, & cetera quæ aliquo modo pertinere ad hominem videri possent, & in una sola Dei voluntate, & voluntatis amore consummandæ obfirmato animo persistere: non quod illa bona supernaturalia non sint concupiscenda, sed quod illis sit anteponenda Dei voluntas, quam volo esse non omnia & legem dictatricem omnium meorum desideriorum. Hinc illa vox Augustini lib. 10. confess. c. 19. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. Altius adhuc pervolitat cælum Bernardus lib. de dilig. Deum. *Quoniam*, inquit, *Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profectò ut factura sese quodammodo conformet, & concordet auctori. Delectabit, non tam nostra, vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quod ejus in nobis, vel de nobis voluntas adimpleta videbitur. O pura & defæcata intentio voluntatis! eò certè defæcatior & purior, quò minus in ea de proprio nihil admixtum relinquitur: eò suavior, & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur.* Hæc

A ille. Et quid hoc est aliud, quàm vivere, & non vivere? vivere in se sine se, & vivere in Deo cum Deo, & propter Deum. An non hoc est quod dici solet: *Sine sensu vivere amantes?* Deus bone! quanta vis in amante Dei voluntatem? adeóne homines immutari, ut non cognoscas eosdem esse?

§. XV.

Quintus titulus Frater, soror & mater Dei homo creatur.

MAgnus & excellens est anterior 3. verùm superest altior cum sequente qui
B omnium supremus; & cùm maximè divinus, felicitatem confœderatæ voluntatis humanæ cum divina, ita extollit ut altiùs progredi non possit. Inter homines variis modis necessitudines contrahuntur; vel quia domi unà eruditi, vel militiæ contubernales, vel affinitate juncti, vel in omni vita familiares. Et quamvis ipsa natura, in omnibus necessariis nulla arctiora vincula charitatis, quàm inter parentes & filios esse voluerit, quòd sint sanguinis communione, & unitate conjunctissimi, atque ita conjuncti, ut filii & parentes pro una persona computentur; mirum tamen dictu, quomodò inter homines prima societas sit con-
C jugii; quo personæ, vel gradu sanguinis, vel divitiis, vel familiarum stemmate longè dispares, ita arcto firmoque vitæ & societatis fœdere copulantur; ut anima una, unus amor utrumque animare, formare, alere, augere videatur. Hoc docet sacra pagina cùm dicit. *Et erunt duo in carne una: propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Genes. 2. communis utrique ejusdem fortunæ sarcina, cùm idem jugum ferant indivisum. Magnificum, inter purpuratos regum numerari; magnificum, publicata fama dici regis amicum; magnificentius, dici alter à rege, vel à rege dici alter ego, qualis Hephæstion Alexandro fuit. Et
D ecce Joannis 15. firmata fide promittitur magni Dei amicitia, si promptâ voluntate, ad omnem nutum impleam Dei imperium. *Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis.* & Judith 8. vers. 22. *Abraham per multas tribulationes tentatus, amicus Dei factus est.* Gloriosum, & eximium, dici Regis frater, vel soror: gloriosius dici Regis mater. O Christiane habe fortunam in consilio, reverenter expecta, dabit Deus, quod optas si tu formâris mẽtem, & voluntatẽ ad Dei magni signum. Non erubescit hanc conditionem Deus, qua quàm maximè delectatur, si opera, si studiis omnibus, si in periculis, & tristibus temporibus, per omnia momenta præsto fueris, & animo tuo imperâris, ut imperium Dei accipias. Tanti æstimat Deus obedienter sibi parere & sanguine parentare jussibus divinis

Suprema conjunctio cum Deo per conformitatem voluntatis.

ad exemplum ab Abrahamo editum, & quæ bona Abrahamo non obvenerunt? Hos omnes favores sancivit Deus suo decreto, cùm dixit Matth. 12. *vers. ultim. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est.* An non magni æstimas esse fratrem Christi, vel ejus sororem compellari? & quod augustissimum est, dici matrem Dei? Et quid nobilius? quid admirabilius Dei matre? Lucæ 11. *dicitur beatus ejus venter & beata ubera filio Deiporrecta*; & tamen Dei matre augustior, beatior, nobilior & Deo clarior promptissima voluntate parendi; imò quàm felicitate Deum concipiendo. Et quia nulla creaturarum perfectius, cumulatius, & ardentiore promptitudine ad obsequium voluntatis divinæ complendum sese contulit quàm Sanctissima Virgo, an non ideo omnibus prælata creaturis? Tanti est flos hujus virtutis apud Deum, ut si tu Christiane, Virginis hanc virtutem superaris tua, Virginis, & Dei matris excesseris majestatem. Vide Christiane ad quos honores voceris, ut tanti sis apud Deum, quanto maximo potes, validusque obsequio parendi, & præcipuum obsidem animi tui, Deo consignâris, libertatem. Tota ergo vis, & cumulus omnis sanctitatis in hoc solo concluditur, ut inde stipendium, & magnitudinem tuarum virtutum metiri possis. Vis nosse quanti te faciat Deus? explora te ad amussim quanti facias omne momentum divinæ voluntatis. Hæc est veluti centrum, ex quo educuntur omnes lineæ, & in quod reducendæ. Hæc est fons scaturiginis perennis, redundans omnem felicitatem, qua majorem cælum non possidet. Cæli quippe felicitas quænam est, quàm summo bono esse conjunctissimum? An non omnes beatæ mentes, juxta illud Iob 38. Deo abblandiuntur dicuntque: vers. 35. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt; & revertentia dicent tibi: Adsumus:*

Frater, soror mater magni Dei sese conformans divinæ voluntati.

§. XVI.

His sic positis ad 6. titulum veniamus supremum omnium, qui est nuptiarum Paranimphus divinarum.

Diximus arctissimam colligationem esse parentum adversùs filios à natura ipsa altrice creatam: eximium tamen omnium necessitudinum, ut superiùs dictum, est conjugalis societas, qua nulla dari potest majoribus vinculis constricta. Quis credat ni fides astrueret, hominem posse nuptias divinas sperare, & ad eas subvehi? An non summa inter humanam, divinamque naturam infinita distantia? (ut suprà dictum de

A hominis vilitate, in Consociatione parvitatis divinæ) At quibus modis potest infinitum ens sociari quasi non enti, vel umbræ entis? Sociatur tamen, veris, sed miris modis. Audet itaque homo ambire nuptias & eas appetere, & appetendo consequi, & iis obtentis frui hujus virtutis nuptialibus donis. An non nuptiæ mutuâ voluntatum deditione peraguntur? Conspiratio sola voluntatum jungit proximè disparata, & firmissimo quasi adamantino nexu consociat, ita ut crebro simul in unum dives & pauper, olitor & purpura regia æterno fœdere junguntur. O vim admirabilem hujus virtutis, quæ nec hominem, nec ipsum Deum patitur esse suum: divinus enim amor, ut ait Dionys. lib. 4. de divin. nom. 6. part. 1.

Homo per hanc cōformitatē nubit Deo, & fit sponsa.

B hujus virtutis artifex utrumque *de suo statu dimovet, nec suos patitur esse amantes.* Qui crederet hunc amorem esse paranymphum nuptiarum? nuptiarum est inventor, & architectus beatæ vitæ, & æternæ veritatis. Cùm enim homo penitus transfert dominium, usumque suæ voluntatis in oceanum divinæ voluntatis, ita ab infinito bono absorbetur, ut totus divinus factus, in Dei transmigret societatem, & spirituales nuptię per concordiam voluntatum celebrentur. Audiamus Bernardum serm. 33. super Cant. *Talis conformatio maritat animam verbo, cui cùm videlicet non est similis per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens*

C *sicut dilecta est: ergo si perfectè diligit, nupsit.* Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius charitate, quâ fit ut humano magisterio non contenta per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad verbum, verbo constanter inhæreas, verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis connubii contractus est iste; parum dixi contractus, complexus est. Complexus ubi idem velle & nolle unum facit spiritum de duobus. Nota lector, ut superiùs dictum est, simul in unum dives & pau-

Anima paupercula Deo jungitur per amorem; quo fit potentissima.

D per. Nec verendum ne disparitas personarum, claudicare faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit; ab amando quippe amor dictus, non ab honorando. Honoret sanè qui horret, qui stupet, qui metuit. Vacant hæc omnia penes amantem. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, ceteros in se traducit, & captivat affectus; propterea qui amat, amat, & aliud novit nihil. Ipse qui honori meritò, & stupori, & miraculo est; amari tamen plus amat. Sponsus & sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem, & connexionem præter amari & amare? Hic nexus vincit etiam quod natura arctiùs vinxit, vinculum parentum ad filios. Penelope fidei conjugalis summum decus cum Lucretia: hæc ferro, & sanguine ulta violatum per nefas corpus: illa diuturna mora, fidem servavit. Huic

Anima jam sponsa Deū sponsum sequitur.

De Penelope

sponsæ

Homo per hanc cõformitatē nubit Deo, & fit sponsa.

sponsæ à sponso Ulysse data optio, vel ut se in Ithacam; vel patrem sequeretur Icarium, in Spartam. Quid agat pudor & amor? amor in sponsum vicit pudorem, nihil respondit: amor faciem obnubit velatque: didicit pater se à sponso vinci, palmamque dedit; abiret proinde cum sponso, qui naturam vicisset. An non ideò signum pudoris eo loci dedicatum? poterat & trophæum amoris. Vide Pausaniam in Lacedæmonios. Verùm quis non trepidabit ad infinitę majestatis formidabilem majestatem? horrorem suæ magnitudinis ponit infinitus amor, quo infinitè admirabilis dignatur se æquare vermiculo; vult amari, ut clamabat August. li. confess. cap.5. *Quid mihi sum ipse, ut amari te jubeas à me?* Attende lector ad incredibilem Dei bonitatem. *Et ni faciam*, inquit, *minaris mihi ingentes miserias. Parvane ipsa est miseria si non amem te?* Amatus ergo Deus, amori hominis vult succumbere, gaudetque qui impenetrabilis, penetrari, & vulnerari; *Vulnerasti*, inquit, *cor meum soror mea sponsa* Cantic. 4.9. quo vulnere velut infirmatus, debilitatusque, hominis infirmitati sese inclinat, amatque. Et sic Deus, qui naturâ Superior est, sese homini parem facit amando. An non hoc maximum in amicitia vinculum & bonum? ferreus es, homo, si amare recusas illum, quem scis posse fieri tuum. Discas securus accedere, servat amatus Deus leges sanctæ amicitiæ. An non summa & prima legum in amicitia, omnia esse communia? Mira bonitas Dei, qui & suorum pericula facit sua; prospera enim fovere non est magni animi decus. Induit ergo hominis instar sponsi, suæ sponsæ & veri amici fortunam, *& quamvis non pari*, (inquit Bernard. ibidem ut suprà) *ubertate fluunt, amans & amor, anima & verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis, quàm sitiens & fons. Quid ergo peribit propter hoc, & ex toto evacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, ardor amantis, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante? dulcedine, cum melle contenderet? candore cum lilio? claritate cum sole? charitate cum eo qui charitas est? Non: nam etsi minus diligit creatura, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligit, nihil deest ubi totum est. Propterea dixi: Sic amare nupsisse est: quoniam non potest sic diligere, & parum dilecta esse, ut in consensu duorum, integrum stet perfectumq; connubium, nisi quis dubitet animam à Verbo & prius amari, & plus. Prorsus prævenitur amando, & vincitur. Felix cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est, quod non est aliud quàm amor sanctus & castus, amor suavis & dulcis, amor mutuus & intimus, qui non in carne una, sed in uno planè spiritu duos jungat, duos faciat, jam non duos, sed unum. Paulo dicente 2. Corinth. 6. Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Videtur ergo Deus, ut se æquet homini, exuere suam majestatem; imò è contrà attollere hominis vilitatem, ut eâ exutum, reddat eum dignum suâ

Qua ratione homo ad Dei elevetur consortium,

majestate, si transfuderit homo in dotem nuptialem suam, in divinæ voluntatis beneplacitum, voluntatem. Hujus rei memorabile, & dignum famâ dabit exemplum Antuerpia orbis ocellus, qui & orbi quod est annulo adamas, quod nonnihil lucis conferet nuptiis his sacris quamvis indignum tantæ rei majestate, & impar congressus; at quia aliquid lucis dabit, proferetur. Puella ætatis flore, & gratiâ formosi corporis, pectus fabri ferrarii sauciarat. Miratur domitor ferri, se levi ictu domitum sagittæ, & quem ignis non usserat, igne, sine plaga torreri. Quid agat? visceribus mersus ignis vorat medullas: feriata jacent ferramenta, officina silet, incus muta stat, & sine luco caminus. Quid ageret impotens sui? prodet amorem? & quis celaverit ignem proditorem sui? an à domina poscet opem vulneri? Orat ergo spem voti, orat, ut qua cuspide vulnus; hac ipsâ sentiat opem: velut hasta Peliæ. Patitur irrisus repulsam, at dolore repulsæ, crescit amor. Spei it obviam, omnia tentat; ut nec latet haustus amor. Ingeminat preces irrisus. Puella igitur freta superbiâ formæ, spem sui facit hoc pretio, Ubi arma Vulcania permutâris armis Apellis. Ut agilis altas flamma percurrit trabes; & ut solet affuso surgere flamma mero, sic Quintini vita reluxit, spe data. Nulla mora: indurata callo suaque dextera, nodosique flammis & unsionibus digiti aptantur penicillis. Amor ex fabro novis ignibus suis, format Apellem. Cessit virgo, & vincit amor. Tanti viro tanto, una puella fuit. Spectantur opera utriusq; artis famosa cum hac inscriptione:

Historia nobilis fabri ferrarii.

Connubialis amor ex mulcebre fecit Apellem.

Cum cælitum bona gratia, & lectoris applico rem factam. Sic Deus positâ majestate se exarmat, ut summâ familiaritate se jungat homini quâ major nulla potest inveniri; quàm quæ exoritur adolescit, firmaturque inter sponsum & sponsam. Quare in toto libro Cantic. nullo alio nomine sponsus nobilitat amores, quàm suam amatam compellando sponsam; & ut blandos amores novo condimento venustet amoris, jungit dulce nomen sororis, quemadmodum & sponsa reciproco nomine suum sponsum, fratrem compellat, ut amor novo crescat amoris titulo. Sic Canticor. 4. vers. 8. *Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis. De libano*, loco scilicet deliciarum, qui in conformitate voluntatis tuæ cum mea reperitur, qui similis paradiso, in quo ego ambulo, ut pascam me fructibus operum tuorum: & tum maximè, quando blandissimè à te invitor amantissimis verbis Cantic. 4.6. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Quibus verborum invitamentis accensus sponsus, parili concertatione & sponsam pellicit ad suum hortum, & combinat amores; dum ait: *Veni in hortum meum soror mea sponsa: messui*

Anima paupercula Deo jungitur per amorem, quo fit potentissima.

Anima jam sponsa Dei sponsum sequitur.

De pœnelope.

Amatoria sacra & divina Dei & animæ amantis.

myrrham cum aromatibus meis; Cantic. 5. 1. A dum ardua tua opera insigni victoriâ subactæ tuæ voluntatis omni magnificentiâ coronavi, & animam tuam omni dulcedine replevi. Nota verba hæc, ut sponsa blandiens invitet sponsum ut veniat in hortum suum. Non dicit *meum*, ut declaret nihil sibi relictum voluntatis propriæ, quę tota jam devota sponsa in potestatem ejus transierit. Unde factum est, ut Deus sponsus exclamet, se veluti sagittâ transfixum, cùm ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*; Cantic. 4. 9. Et ut altiùs, grandiusque vulnus esse constet, ingeminat iterum; *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*, quo teneor captivus. Et cui hæc amatoria Canticorum debētur, nisi soli Virgini quæ supra omnem ordinem, supra omnem intellectus creati cogitationem motumque, perfectissimè omnes suæ voluntatis motus, & minima momenta substravit divinæ voluntati, ut illi concessum sit exclamare, Cantic. 2. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi, & ad me conversio ejus*. Illa à Deo vocatur & sponsa, & soror; & Deus ab illa & sponsus & frater; summi & ineffabilis amoris monumenta; ultra quæ nihil transgredi potest. Macte animo magni amator Dei, has opes, hos nuptiales amores, hunc divinum sublimissimæ dignitatis statum, candidatus ambito, ut sponsa summi monarchæ vocari merearis & instar sponsæ bonorum æternorum communione gaudere, & ad beatissimæ oscula divinitatis admitti, eaque & ingenti fiduciâ petere, juxta illud Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui*. Ecce, quò te provehit conformatio voluntatis tuæ cum divina. Verùm opus est ingentibus animis, opus ingenti & regio pectore, opus est ardenti virtute quæ te vehat ad supremi Dei summam altissimamque amicitiam. Bene dixit quicumque dixit: *Non vivitur in amore sine dolore*. Non vana scripsit magister amorum, de militia stultorum amantium; quid scripsisset, cognita militia Christiana?

Summa amatoria debentur SS. Virgini. B

Militia species amor est, discedite segnes,
Nec sunt hæc timidis signa tuenda viris,
Nox & hyems, longaq; via, sævią; labores
Mollibus his castris, & dolor omnis inest
Sæpè feres imbrem cælesti nube solutum;
Frigidus in nuda sæpè jacebis humo.

Amor Carnalis species militia.

Verè dictum & ab eodem:

Militat omnis amãs & habet sua castra Cupido:
Attice crede mihi, militat omnis amans.
Quis nisi vel miles vel amans, & frigora noctis,
Et denso mistas perferet imbre nives?

Aspice Paulum (de quo dictum est: *In profundo maris fui* quasi alter Jonas esset in ventre cæti, fluctuantem) ter lapidatum: vide militiam duram: specta unum Franciscum Xaverium tabulâ naufragâ vectum per decumanos fluctus, & victorem secutumque sui fluctibus, & ventis intonantibus imperare. Audacem faciebat amor. An non ille *qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur?* Planè: qui commiserat se totum Deo, Deo plenus vehebatur. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. Pulchrè Augusti. *Ure, seca, modò in æternum parcas*. Addidero ego: Ure, seca: in tuo uris, in tuo secas; modo in æternum ames, quia tuus sum ego qui meus esse desii. Nihil verus amor timere potest. Quid sponsa metuet Dei?

§. XVII.

De Coronide omnium titulorum. Martyrium continuum, & quare tanti meriti. Ad primum.

TAndem imponamus fastigium operi inchoato, ut eo posito noscat universus orbis dignitatem hujus virtutis. Audi ô Lector, quid audeam. Dico *esse martyrium continuũ*. Quid celsius martyrio? *Majorem*, inquit divina Sapientia, *Charitatem nemo habet quàm ut animam suam det pro amicis suis*. Joannis 15. Quid vitâ nobilius? Ut animam & vitam serves, ferrum pateris & ignes. Hanc donat Martyr Deo. Dulce & decorum, pro Deo mori: dulce & decorum, vitam impendere famæ Christi. Martyrium, supremum decus sponsæ, cui accessio majoris boni, nulla dari potest. Veræ sponsæ cum sponso eadem est fortuna, vita communis, idem fatalis rogus. Audi Martialem l. 1. Epigram.

Martyrium conformatio voluntatis humanæ cũ divina.

C

Conjugis audisset fatum cùm Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor,
An nescitis ait mortem non posse negari?
Credideram satis hoc, vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc & ferrum molesta nega.

Audi Lector qualem depingat amorem sponsa. Statius l. 3. Sylva. ad Alcanium.

—— quod si anceps metus ad majora vocasset,
Illa per armiferas, pro conjuge læta catervas
Fulmineosq; ignes, mediiq; pericula ponti
Exciperet.

Mors ergo, & fusus sanguis, supremi amoris indices, testesque. An non conformatio voluntatis, species militiæ? Stat miles armatus; stringit; recondit enses; infestis ingerit corpus mucronibus; revocat pedem, & simulatâ fugâ objicit corpus hosti: hæret viro vir, pes pedi, ad vulnus non ingemit, lętus spectat fluentem sanguinem, gloriatur vulneribus: avidus periculi, famæque, non quid passurus sit cogitat (quoniam quod passurus gloriæ pars est) sed quo periculo ducem tueatur suo. Si dux dixerit; Ire commilitones illò necesse est, unde redire non est necesse. An non concito gradu itur? itur. Si moriendum; jucundum pro duce animâ fundere, à cujus anima pendent universi. Orant locũ pugnæ sepulchrũ. Si adversus imbres telorum, & theatri in formam sit testudo instruenda, actutum robustis lacertis virorum testudo paratur. Et quâ ratione? umbonibus inter se compactis densatisque,

D

Qualis militum obedientia, & amor in ducem.

fatisque, in tecti formam leniter declivibus; mirum dictu; ut quadrijugo curru vectū ducem excipere possint, & ferre aurigātem. Sic concordi animo peragit decreta ducis miles, tam promptus mori, quàm vivere, cujus vita morsque in manu ducis. Mortis solatium fama ducis & more forti momordisse terram. Confer hanc militiam cum divina; an non dixeris esse speciem martyrii? Verùm ut clariùs ostendamus, absolutā conformationem voluntatis cum divina, esse speciem martyrii, necesse est fateri duplex esse martyrii genus, sicut & sacrificii, cruentum scilicet & incruentum. Cruentū obtulit sanctissima Virgo summo Deo, quando filium suum in purificatione suā in pignus pacis agnum devotum obtulit & dedicavit. Ingens nobilitas, & claritudo sacrificii. Quæ poterat hostia gratior, & pretiosior offerri? Incruentū obtulit sanctissima Virgo cùm sublimissimo actu, & perfectissimo voluntatis suæ cōsensu peregit opus sacratissimę incarnationis, quo agebatur de totius orbis salute, dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quo sublimissimo voluntatis opere merita est esse mater Dei, & tota quanta fuit, & quantum creaturæ contingere potest transire, in ipsius divinitatis cōsortium, & frui ad tempus beatificā visione. Quanta potentia resignationis in Virgine! quàm nobile! quàm divinū, Virginē jam matrem futurā dicere se ancillam, & dicere; Quid vis me & facere, & pati quàm cœlum, nulla parte sui repugnare? Quis comprehendet cruentum martyrium Virginis? quamvis sine sanguine peractum? nemo. Cur reginam martyrum vocamus? An non graviora martyria in suo toleravit corde, & animo, quàm martyres in suo corpore? Tot obtulit sacrificia, & martyria, quot Filius vulnera. An Virginis pectus impenetrabile ulli cessit amori materno, quem totū divinæ voluntati consignavit? an non illa pluris æstimavit minimum nutum divinæ voluntatis quàm suum filium? An non toties moriebatur martyr, quoties illa filium destinabat aræ mortiq; Et quando non destinavit? An non destinavit à primo puncto cōcepti filii, cujus advētus causam Regina Prophetarum non ignorabat? An non toties meditabatur martyrii perennes causas, fontesque dolorum, quoties filii corpus puerpera & alumna tractabat? Totus ergo filius totis quibus vixit annis, seges & campus, melius dixerim oceanus martyry fuit; & tamen martyrium sine sanguine. Diximus militiam esse imaginem martyrii: diximus & conformationem voluntatis cum divina, esse speciem militiæ, ac proinde martyrii admirabilis. An non ad omnem motum divini signi, seu sonitum vir conformis divinæ voluntati movet castra, movet arma præceps ruit in ardua, ingerit se in hostes, stat, movet, revocat gradū, objicit corpus & animam periculis, tendit passus, quantum possint passus humani se tendere; fessus, non deficit duris rebus, vincit omnia,

Duplex martyrii genus, & sacrificii.

Cruentum SS. Virginis Martyrium quale.

Perpetuo Martyr à filii conceptione.

Descriptio militiæ divinæ ex cōformitate voluntatis.

A eligēs potiùs mori, quàm vinci à propria voluntate. An non homo conformis Deo, martyr? Deus acuit illi suo militi grandia pericula; ille securus sui, in discrimina ruit; lętus spectat cruorē, nec pallescit ad suspicionē mali. Adeóne mens juncta Deo, sublimi ex arce despicit omnia mortalia? Deus spinosum, non molle ostentat iter; sitim, ardorem, glaciem, nivem, & Schyticum frigus. Sufficit ostentasse suo amanti; ecce nulla pavescit mala. Dulce & decorū ex voluntate Dei pati quam fecit suam. O voluntatem animosam divitiis suis! ô fortunam Dei solius fortunā, quam ipsa vehit! Deus recognoscit suum, indurat, exercet, amissā valetudine afficit, aliisq; incommodis; & quod gravissimum, damnat B carcere, tenebris, acerbo contemptu, & lōgā despicientiā: ille tamen manet immotus & virtus rebus fractis valentior eminet, nec dubitat se claris factis attollere. Imperat Deus, quasi iratus dura, acerba, non toleranda, & ille ut blanda, ut jucunda, ut facilia suscipit. Cur sic fatigat Deus? Imperia dura tolle, quid virtus erit? Gaudent magnæ animæ rebus adversis, non aliter quàm veteranı bello. Nunquā deseret causam Dei hujusmodi vir Deo amicissimus. In tempestate nosti gubernatorē, in acie militem: illi turpe est deseruisse laborantem navem; huic, signa; & accedere signis hosticis: in arduis Dei imperiis nosti, quo loco sit apud te Deus: tunc turpe tibi de- C seruisse locum, & tuæ voluntatis signa sequi. Tu ergo persequere corde, & animo atq; viribus jussa magni Dei magno animo. Dixit Diogenes in adversa prolapsus εὖγε ὦ τύχη ὅτι μ᾽ ἀνδρείως πρέσχηκας Euge ô fortuna quod me viriliter tractasti. Qui & idem cantillare consuetus rebus in asperis, tanquam cælo missis. Nullâ ergo parte sui repugnare, nec in puncto deserere viam ordinis divini, divinū est. Tu ergo, qui affectas hunc supremam divinæ amicitiæ statum, tu ne cede malis, sed cōtra audentior ito; quā tua te fortuna sinet. Ibis audentior, si non mala esse credideris, sed bona, & dona Dei. Exime ex pectore, quidquam non boni inesse jussibus divinis. D Quod nisi feceris, emollesces animo, & hebetabit impetum moratura suspicio. Quidquid evenerit, dicito: Sic Deo placitū. Si quid non ex voto ceciderit, dic: Deo aliter visum. In hoc æmulare ingentē animam magni Job decus terrarum. Hic mersus oceano malorū & circum sonantibus undique malorum fluctibus, exclamavit: *Sit nomen Domini benedictum; sicut Domino placuit, ita factum est.* Job 1. Quid hoc est dicere, quàm, *In volūtate tua deduxisti me?* An non postea cum gloria suscepit eum Deus? Attende ô religiose ne te species recti, aut imago fallat, & dimoveat à placito Dei: cave etiā pondus pili in divinę providēntię librā immiseris. Sicut melius fuisset Sauli domi mansisse, quàm ad regnum assumi; sic multa sæpè dantur in speciem beneficii, quæ trahunt secum ruinam, & multa cōcedit iratus Deus, quæ negaret placatus. Quare omnia

ria aspera quę Deus immittit, ferenda, quamvis & sint in pænam peccatorum; scias ergo provenire ex misericordissima Dei patris voluntates qui filios castigat, ne penitus pereant, atq; adeò bonum hoc ipsum esse, sic castigaris, sin vero nullus inde fructus nobis obveniat, scias, id tua culpa provenire.

§. XVI.

Quare Martyrij nomen mereatur hæc conformitas voluntatis, & cur tanti meriti.

HOlocausto, omnium Sacrificiorum, summo Sacrificio quid gratius? Planè nihil. An non perfecta conformitas, est totius hominis Holocaustum? Planè. Attamen dispar ratio. Holocausti brevis & durationis victima & exiguo spatio absolvitur: at vir Deo conformis tot offert Deo Sacrificia, & Holocausta, quot accipit imperia. Magnum & gloriosum maximos hostes vicisse: at seipsum seipso vicisse, & ingentes spes Deo substernere, domitas, fractasque; quantum victoriæ decus? Victoria Abrahami de tollēdo filio, quam stupendi meriti, gloriæ, & claritudinis fuit? An non Deo vincula injecit? an nō ijs magnum Deum sibi devinxit? an non hoc Martyrium trepido in corde patris, animosi & pariter filii omnibus Martyriis majus? uterque quidvis facere & pati promptus. An non ardens virtus patendi, utrumque exuit suis amoribus? Pater mucrone stricto vulnus destinat; filius nudam cervicem porrigit, Patri par. Neuter virtutis arduæ viam deseruit. Exclamo cū Silio Italico: Sidereæ ô animæ quas nulla æquaverit ætas, ite decus terrarum. O fortes animæ dignataque nomina cœlo, corporibus resoluta suis, terræque recessu. Veræ magnæ animæ quarum busto adhuc hodie prosilit nō exiguus cinis, qui terram implet sui laude & iter ad superos pandit glória. Magna sunt hæc præmia, majora fortè debentur viro qui ad Dei nutum, non unum filium, sed omnes suos amores sacrificat; omnem suum zelum, quo totum cōplecti posset orbem otio deside, non deside, verum propter Deum Seraphico, permutat. An non hoc est Deum Deo emere, & mundum Deo subegisse? An non docuit hoc Dei Filius, qui millies totius orbis agitabat imperium, Deo Patri debellaturus, ni Pater ardentem cobibuisset, juxta illud Sophoniæ 3. *Igne zeli & amoris mei devorabitur terra?* & Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* An efficax volūtas suo fructu destituta? nequaquam: dives volūtas adæquatur factis, si vera fuit. Patrem humeris extulisse flammis, decus ingēs; & evadentem per flammas, conantemque, par sequitur decus. Ingens Martyrium & continuum, placitis bonis abstinuisse. An non lucta perennis, zelum zelo premere, & perimere, & ignem igne exstinguere? & velle, nec posse mori, & tamen mori? Martyrum uno Sacrificio; hic, continuis sacrificiis peragit sacrificium.

§. XVII.

Ad secundum quare tanti meriti.

NEmo ignorat Martyrium consummari supremo actu charitatis, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Sic & dicimus maximū gradum conformitatis quâ homo, potentissimo animi conatu se transfundit in oceanum amantissimæ voluntatis divinæ, ut in Dei beneplacito rebus in omnibus acquiescat (Nota Lector,) ut nullum illi bonum, nulla illi vita quamtumlibet beatissima potior sit quàm Dei beneplacitum; ita ut nihil scire, cogitare ac velle nihil, imò nec esse nec vivere cupiat, nisi ad placitum Dei; hunc inquam gradum dicimus non posse perfici nisi impulsu, atque actibus heroïcis supremæ charitatis. Improbas enim vitiatæ naturæ vires atque inveteratas, (ne compressâ suâ feritate nonnunquam tacitè erumpant in actum) perdomuisse; divinæ virtutis, & amplissimæ charitatis est opus magnificum, sublimeque. Cur ita? an non poscit hæc virtus altissimā sui despicientiam quâ ab hominibus, & Angelis, propter Deum, Deique placitum optamus, nihil haberi? Quare fanè virtutem appellant multi sui annihilationem, vel annullationem voluntariam. Docuit Nazianz. Orat. 17. Intelligamus, inquit, nos nihil esse, si cum illa prima & vera Sapientia conferamur: eamque ob rem ad ipsum unum tendamus, nec quidquam aliud quæramus, quam ut promanantibus illuc radiis collustremur. Ut autem ad altissimam hanc tui despiciētiam pervenias, an non opus ingenti amore, unionem, & copulam cum homine in Deo fabricante, ut homo unum solum bonum amplectatur, ut cetera omnia bona sui exitio despiciat. Ut quid hæc unio operatur? Ut homo totus, toti Deo inhæreat; Deus homini bona velit procuretque. *Qui* enim *manet in charitate, in Deo manet. & Deus in eo.* Joan. 1. 4. cap. Hoc tamen discriminis interest, quòd Deus pro amatoria sua charitate prior diligit, ut diligatur. Tu dulcissime Jesu amas me, ut amem te; ego autem amo te, quia amas me, quia tuo amore me provocasti. Hic amor, prout describit amoris proprietatem Dionys. lib. de Divin. nomi. cap. 4. *Ecstasim facit*, inquit, *divinus amor. Et qualem ecstasim? oblivionem sui, qualē in Christo peperit qui de se professus est, Quæ placita sunt ei, facio semper.* Joannis 8. *Cibus meus est facere volūtatem ejus qui misit me.* Joannis. 4. Ecstasis ergo parit oblivionem sui. At qualem? Audi eundem Dionys. Amatores sui juris esse non finit, sed in ea quæ amant, penitus transfert. Ad hanc perfectionem vrserat se magnus ille gigas Paulus, cùm divino amore

Conformatio summo actu charitatis absolvitur.

Hæc virtus poscit summā despicientia.

Amoris proprietatis & conformitatis divinæ.

amore flagrans ; & excessivæ illius virtutis particeps factus exclamavit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Galat.2. Ne mireris in homine tantum posse hunc amorem, cùm in ipsum summum Deum exerceat suum regnum; ipse Deus sentit has sacras flammas, teste eodem Dionys. ibidem : Audebimus, inquit, & id loqui, quod ipse quoque auctor omnium, pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra se fit, ad omnia quæ sūt pertingendo multiplicis providentiæ ratione. An non hoc contigit, cùm inclinavit cœlos & descendit, & quasi sui oblitus exinanivit se, formam servi accipiens. Amor ergo parit unionem, parit unio ecstasim, ecstasis sui oblivionem; oblivio translationē sui in jus amantis, translatio sui, mortem parit, juxta desiderium viri Balaam, qui clamabat: *Moriatur anima mortè justorum.* Num.23.v.10. Moriar ut videam; Videam ut moriar; *Non enim me videbit homo, & vivet.* Exodi 33.n.20. Faciamus conclusionem, hanc virtutem conformitatis esse regnum summi meriti. Et sanè cur non esset, cùm sit regnū maximi amoris, ex Dei amore singulis momentis mori. De hac affectione loquitur B. Bernardus: *Quando quis hujusmodi experitur affectum, ut divino amore inebriatus animus, oblitus sui, factusque sibi ipsi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum, & adhærens Deo unus cum eo spiritus fiat & dicat: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Beatum dixeris, & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita, rarò interdum, vel semel, & hoc ipsum raptim, atque unius momenti spatio experiri donatum est? te enim quodammodo perdere, tanquam qui non sis, & omnino non sentire teipsum, & à temetipso exinaniri, & penè annullari, cælestis est conversationis, non humanæ affectionis. An nō hujusmodi hominem amor divinus dimovet de statu mentis? an non est trāsmigrare in affectum boni ipsius? An non est hoc, Deum sp. rare, & attigisse statum perfectissimæ atque consummatæ virtutis? qualem describit August. libro 10. Confess. cap. 26. ubi sic ait: *Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit: sed potius hoc velle quod à te audierit.* Verè optimus ille est minister, qui Samuelem imitatus dicit: *Loquere Domine quia audit servus tuus.* 1. Regum 3. Tuus sum ego creatione, emptione, perenni conservatione, quæ quibuslibet momentis, est instar novæ creationis; tuus insuper liberā abdicatione mei, in æterni numinis beatissimum dominium. Talem virum celebrarim divinis encomiis, & nominatim cœli terræque phœnicem, quem ipsa raritas commendat, & sui incineratione, novam induit juventam; & suis damnis in naturæ crescit adolescitq; miraculum. An non hunc virum dixerim granum frumenti quod cadens in terram, mortuumque, læta ubertate, in maximos luxuriat proventus. Cæteri verò, quos sui fallax avaritia tenet, & qui in sui damnum aliquâ parte Deo repugnant; & molles enervatâ virtute signa ducis æterni sequuntur, & secundæ notæ milites habentur; illos primos heroes ex intervallo producit eximia virtus; hos velut in mediocria naturæ bona, & in turbam nascentia producit nondum adulta virtus. Finio, si dixerim primos heroes quasi Deo genitos, omnia posse, & liberè cum ipso dominari. Audi Bernardum Homil.3. super Missus. *Deus, inquit, à malis, & non bonis capi potest per cognitionē; sed à bonis tantùm capitur per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam cum ipsis sit propter concordiam voluntatis: nam dum voluntates suas ita justitiæ subdunt, ut Deum non dedeceat velle, quod ipsi volunt, per hoc quod ab ipsius voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt.* Quanta potentia hujus virtutis, quâ solâ Deus vinci, vinciri, & teneri potest ; tantus amor hujus virtutis. *Omnia vincit amor, & quid non vinceret ille?*

Gradus amoris.

Conformatio summi actus charitatis absolvitur.

Suprema & cœlestis conversationis dignitas ex illa conformatione voluntatis.

Hac virtute pasci sibi, despicientia.

Elogium horum heroum qui Dei nutum sequuntur.

Amoris proprietatis & conformitatis divinæ.

§. XVIII.

Exemplorum mirabilium delibatio.

Simeon Stylites orbis ostentum quid non ausus? & quid non auderet amor divini beneplaciti? tanta cupido parendi Deo, ut nihil arduum sibi videretur. Abripit hominem ardens virtus obediendi. Ausis conscendere columnam angustam altamque, & in ea regnare tanquam cœli terræq; arbiter, & elementorum domitor: uno corpusculo excipere conjuratos ventos, imbres, nives, & intonantia cœli fulmina, & quidquid iratus aër posset, ridere. Quis credat octoginta amplius annos sic bellasse, semper in acie stantem, nunquam considentem, per hebdomada, unâ pastione contentus ? Magni Theodoreti famulus, adorationes cum inflexione corporis numeravit mille ducentas quatuor, & quadraginta exiguo spatio. Et quales inflexiones ? ut fronte lapidem contingeret. Non fatigatus inflectendo, fatigavit numerantem, qui victus desiit numerare. Quis credet hominem cilicio coopertum à capite ad pedes usque, potuisse tot annis, totque malis esse superstitem ? Prodigiosa vita, & terror orbis fuit. Et quæ voces? quæ tonitrua vibrabat ? Novissima memorare orbis. An non poterat vir tantus usurpare verba mercatoris apud Plautum: *Verè dignus mercator cœli terræq;. Neque ullus mihi obstabit amnis, neque mons, neque adeò mare.*

Nec calorem, nec frigus metuo: neque ventum neque grandinem.

Hyemem perpetiar, laborem sufferam, Solem, sitim.

Non concedam, neque conquiescam, usquam noctu, neque die.

Prius profectò, quàm ut amicum, aut mortem investigavero.

Quantus

Quantus ergo in tanto & prodigioso viro fervor Spiritus divini rapientis virum? quæ non ardua tentavit voluntas Deo plena? Vide Surium 1. Tom. 5. Januarii. Vitam tanti prodigii.

Monarcham quis non miretur potentissimum Josaphat, qui regnum avitum ad Dei vocem permutavit angustâ cellâ? Sensit se tactum crucifixi Jesu amatoriâ sagittâ; succubuit facilis, & se regnis exuit, Christum indutus. Quis non avidus tanti viri contingere dextram, os vultumve tueri: Quàm gravè imperium subiit, promptus Jsaias, vir adeò nobilis, & regis Manassis socer? Quid pudentius nuditate totius corporis: Jubetur vir tantus nudato corpore per totam urbem Jerosolymitanam, per triduum; vel, ut alii, per triennium discalceatis pedibus in signũ servitutis (nuditas enim pedum servitutem, sicut calceus libertatem signat) discurrere? An non debuit erubescere, pallere & titubare? Quid poterat illum in tanto dedecore delectare? Solâ Dei voluntas erat in deliciis. Sufficiebat paruisse. Audi Poëtam.

Non me per altas ire si jubeat nives.
Pigeat gelatis ingredi pindi jugis:
Non si per ignes ire & infesta agmina
Cuncter paratis ensibus pectus dare.

An non dedit se carnificinæ? An non lignea serrâ dissectus? ut canit Tertull. lib. contra Marcionem.

Quem populus sectam ligno sine labe repertum,
Immeritum demens crudeli morte peremit?

Accipe supremæ perfectionis unum incitamentum, & paucis in compendium. Tanti est Deo sua voluntas, quanti est Deus sibi. Tanti ergo æstimanda Dei voluntas, quanti ipse Deus. An non pluris æstimandus Deus, quàm infiniti milliones mundorum, & infinities amplius quàm quidquid Deus infinitâ suâ potentiâ eâque absolutâ potest patrare & exequi? Planè: quidquid enim fieri & perfici ab absoluta Dei potentia potest, an non semper erit punctum respectu lineæ? gutta respectu maris Oceani? granum arenæ, respectu numeri infiniti? Si ergo pluris æstimas Deum, quàm quidquid excogitari potest, an non eius sancta voluntas, & minimus divinæ voluntatis nutus omnibus rebus creatis anteponendus? Planè: præponit enim Deus suam voluntatem rebus omnibus. Macte ergo omnino, ô religiose: excubet hic acer custos apud te, custos scilicet pervigi. divinæ voluntatis. Cælum, paradisum, regnum, animi verissimam quietem, securum portum, compendium & quæstum, & luctum mille, & mille mundorum & animarum dabit Deus. Esto, nihil agendo vitam consumpseris: sufficit unus nutus obedientiæ. Hoc uno clauseris totũ orbem, & Deum Deo emeris. Quid ultrà poscis? quid trepidas? Amor timere neminem verus potest, amando Deum, quid ultrà amari datur?

Pluris æstimandus nutus divinæ voluntatis quàm mille mundi.

Pluris Deus æstimat suã voluntatem quàm omnia alia à se.

A

§. XIX.

Praxis ut omnia opera perficiantur perfectissimè ad regulam divinæ voluntatis.

1. Regula: Ut soli uni Deo labores placere, ille sit auctor operis & finis.

2. Ut in omni virtutum exercitatione unum hoc mediteris, quãlibet actionem ita perficiendã, ut Deus vult peragi, ut ea ad regulam & leges divini beneplaciti cõsummetur. v.g. ut lectio officii divini, oratio, peccatorum juvandorum ratio, sacrificium Missæ, eleëmosynæ donatio, jejunii forma, ægrorum visitatio, commercium cum sæcularibus, corporis refectio, cetera denique opera sic perfectè, & tam nobili conatu perficiantur, non aliter quàm virtutes horum operum postulant, non aliter quàm si literis cœlo ad nos destinatis significaretur eam esse supremi Imperatoris voluntatem, ut quamlibet actionem suis numeris absolutam peragamus, & hanc esse voluntatem Dei, cui tanquam supremæ regulæ nostra est conformanda. B

3. Perplacuit regula, & doctrina D. Thomæ, qui omnem actionem virtutis tam acri molimine consummari volebat, quasi vltimam totius vitæ futuram.

4. Cogitet, & secum usurpet illud Senecæ, *singulos dies esse singulas vitas, & singulis diebus castra movenda: omnibus horis esse convasandum & de vita statione discedendum.* C

5. Ingenti desiderio, & voluntate Dei, actiones nostras incrustandas esse auro charitatis, & Deum hoc unum spectare, ut omnes actiones etiam mediæ, & ex se indifferentes conformentur regulæ divini beneplaciti, ut honestatis laude vestiantur, ne similes iis jaculatoribus deprehendamur, qui exhaustâ pharetrâ, omnes sagittas inani & irrito labore ejaculati, nunquam scopum attigêre. Prô dolor! an non similes Danaidibus puellis, quarum maximo labore haustæ aquæ in cribrum fusæ perfluunt? Quid brevi fortes jaculamur ævo multa, quàm vano & inerti lacerto torquemus sagittas? quàm nullo merito? D

§. XX.

Error ingens in hujus virtutis exercitatione tollendus.

Accipiat pius Lector arma necessaria & documenta, quibus diadema, & imperium hujus virtutis parandum. Credo satis doctũ, hanc virtutem nobilissimã & esse sobolem, & effectũ, imò supremũ actum perpetuæ charitatis martyrii instar, quãvis hoc sit vltima forma ardentis charitatis, ac proinde hujus virtutis, de qua agimus, actus cõtinnos, si cõtinuo amoris proprii excidio cõficiantur, esse om-

Triumphus triumphorum. omnibus triumphis nobiliores triumphos: A de se enim triumphare, se traducere concatenatum, & captivum, quid est aliud quàm opima spolia Deo, & gratissimas victimas sacrificare, atque dedicare? nec unam vitam impendere famæ, & gloriæ divinæ; verùm in una vita, perenne, de integro semper esse funus sui, & pro Deo velle inflammari, incendi & funestari, & funesta appetere. Tanti debet esse homini, magni Dei beneplacitum, ut jucundissimum sit homini præ Deo; sui (ut loquitur Tertull. *lib.3. contra Marcion.*) nullificamen.

Primum documentum.

A Deo hanc virtutem in altissimo vertice B collocatam; ac proinde spiritu anhelanti, invicta contentione adverso clivo esse consurgendum. nemo persuadeat sibi, nisi falli velit, molle hoc iter, verùm obnitendum saxosis spinosisque viis, per salebras, interrupta itinerum aperiendam victoriam. Sic credas decrevisse Deum, Filij sui exemplo.

Alterum documentum.

Deus arduus exercet suos. Fascinari homines, qui virtutem robustam parari dulcedine solatiorum, & illustrationibus divinis (quamvis & dona Dei sint maxima, verùm sæpè noxia homini naturâ suâ, nimium se amanti) putant: discant proinde virtutem in arduo: discant satius esse, & C nobilius, voluntatem nostram trahi à Deo, per ea quæ nostram voluntatem oppugnant, contraque bellant; ita ut clade sui concidat interempta. Hoc duello, velut jucundissimo spectaculo capitur Deus. O quale sacrificium, hominem sibi esse Sacerdotem, & victimam, & vivere morte sui. Scevola injecit deceptam dextram perituris focis:

Et tam sæva pius miracula non tulit hostis
Et raptum flammis jussit abire virum.

Duris constat virtus. Quo oculo feret cælum, virum cremari suis flammis totum? an non obniti quæcumque sors dabit, rebus adversis, divinum? discant proinde omnes non artibus, quæ mulcent animam, & suavitate spiritûs eam inebriant (quæ crebrò spiritum suffocant) veros amicos Deo præparari; at magno sui contemptu, per longa fastidia, per lucis divinæ inopiam, per varios dolores, angustias cordis, ariditates, blasphemiarum molestias, oppugnationes hominum; ita ut vita acerbissima videatur, tædeatque hominem vitæ, duci trahique ad divini placiti executionem; in quo conflictu standum, aut cadendum. O quàm multi sic laborantem deseruere ratem: quàm multi arma proj. cere: quàm multi pedem retro tulerunt! O Lector! opus est animo ingenti & forti pectore, ut te beatum judices in circumsonantibus clamoribus undarum & tempestatum furiis, in doloribus extremisque angustiis; dicasque tibi: Emo Deum, deserto me: unum curo, nec aliud curo, quàm ne curem. Ure, seca, Deus, tibi pareo Deo; in tua voluntate mors & vita reperta mihi; tuus sum, utere tuo. Si tuus sim, pius in tuum exige ferrum: si in favillas cineresque redegeris, tum demum beatus ero: si mei nihil superfuerit, sufficit unicum solamen cineri: tibi placuisse obediendo, nec cinis exiguus prosiliet busto. Tu fide Deo; vir indignus Deo, sic præparatur à Deo. Ne trepides: quid? an Deus cedet mortali? vincetur ab homine Deus? porrigit dextram, qui vincendi materiam, & gratiam dedit: sit tibi proinde animus rerum prudens, & secundis temporibus, dubiisque rectus: accipe sortem quamcumque dabit Deus, Deo te committe, Deo te involve, mente geras Deum. Major est omnibus qui te sustentat Deus. *Voces generosi luctatoris, & amantis Deum.*

Tertium documentum.

Totam rationem meriti disce positam in victoria, notitiaque sui. Spoliatio enim sui amoris & vilitatis clara cognitio nobilissimas parant coronas. An non res adversæ, turbidi corruptæ naturæ motus? an non implacabilis pugna rixaque corporis cum mente? an non fœdarum cogitationum imagines, & cetera rebellis naturæ turba penitus ostentant, quid sit, & quam parum possit homo? Tunc exaudiuntur veræ voces, Miser sum & miserabilis: tunc itur in lachrymas, & gemitus profundos: tunc homo seipsum allatrat, detestatur, & totus sibi vilis, totus displicet sibi: tunc homo ad nihilum redactus, unum spectat Deum: tunc aperitur veritatis radius; & luce datâ, quid ex nobis, & quid ex Deo simus, cognoscit homo: ille ille animus sic sibi notus, & notus Deo non mutat quietem, tranquillũ se Deo permittit, semper sibi par, semper mores modesti: tum sanctitas non intumescit secundis solatiis, nec crescit animus, crescente virtute. An non huic operi vacat Deus? an non huic intendit felicitati? an non his studet amoribus, ut ametur purè propter se, non propter circumjacentia? an non hoc est proximum esse Deo? an non hoc est, merces, & pretium virtutis universæ? an non ibi D verum æternumque gaudium? Unum esse cum Deo, summa est votorum. *In quo posita meriti dignitas.* *Resignatus est semper, sibi par.*

Quartum documentum.

Non esse quærendam nobis quietem in hac vita, non magis quàm militi in acie stanti. Quàm multi putant vacuitatem tribulationum, delicias spirituales esse sectandas (quamvis illis sæpè vitio nostro caremus) contra quam velit Deus qui suos amicos non patitur inertes desidesque. Martiales imitatur duces, qui ferox movet arma, & suos in pulverem, calentemque ducit hostem. An non virtus in actione consistit? an non omnis ars experimentis discitur? an non vera ami- *Virtus durius quærenda.*

amicitia probatur factis? an non virtus, dum patitur crescit? an non habitus exercitatione induitur? Quos Deus sibi præparat, indurat: quos amat, conflictationibus objicit. Imperat ergo dura Deus, ut imperiis parendo, se donet in præmium. Ergo si sapis, potior sit tibi in rebus etiam minimis conficiendis nutus divinæ voluntatis, quàm spes mille & mille mundorum, quàm spes vitæ, quàm tui ipsius, quæ tamen summa rerum est, cura.

§. XX.

Deus facit hominem, quasi Deum, alium ex hac voluntatum concordia, & miraculorum patratorem.

DEus timentium se, facit voluntatem. Solius Dei est, Solem, qui pernicissimâ suâ circumvolutione excedit omnium cogitationem; ita ut ea vires angelicas exsuperet; sistere, sicut & movere; ad vocem & vocis imperium humanæ stat immobilis. *Sta* (inquit Josue) *Sol, & stetit.* Josue 3. Imperat Elias, 4. Reg. 1. ut cælum ignes ejaculetur, & consumat satellites regios: an non bis paruit, & consumpsit? An non mare impervium? an non vastos aperit sinus, præbetque percussum pallio, viam? 4. Reg. 2. An non solus Deus habet imperium mortis & vitæ? an non in partem imperij venit Elias & Elisæus; uterque arbiter vitæ mortisque? Quanti faciat Deus ossa sui servi obedientis, an non docuit cadaver mortui, qui contactu corporis Elisæi mortui revixit? 4. Regum 13. Bene dictum est Moysi, *Faciam te Deum Pharaonis.* An non instar Dei omnia commovit elementa? unde viro tanta potentia? an non quia unius cum Deo voluntatis? Unum Cæsarij *lib. 10. miraculor. cap. 6.* pro cunctis sufficiat. Magnus & sanctus ordo Cisterciensis dabit spectaculum, & mirabiles operationes hujus virtutis. Quidam Religiosus clarebat miraculis, & miraculorum fama percellebat omnes. Cinguli & vestium contactu, Pauli instar Apostoli, fugabat morbos, curabat ægros, imperio vocis dominabatur in corpora. Mirum dictu: erat hominem videre, nullo extraordinario pœnitentiæ cultu præ ceteris admirabilem; communis victus, habitus non abhorrens à vulgari, lectus, somnus, vitæ ratio de medio sumpta. Non committebat, ut aliqua laus singularis eniteret. Hoc omnes admirari, omnes stupere, nec capere: unum præ ceteris, apud Deum esse in deliciis; Deum quodammodo uni homini, nullâ virtute claro, velle commissum obligatumque videri. Cœnobiarcha, attonitus rerum novitate, hominem ad se vocatum percunctatur: *Dic,* inquit, *fili mi, quæ causa tantorum miraculorum?* Respondit ille: *Nescio Domine, non plus ceteris fratribus oro, non plus vigilo, non plus jejuno, non plus laboro; sed unum scio, quòd me non potest extollere prosperitas, neque frangere adversitas: sive de persona mea sit, sive aliorum. Instat Pater: Et cùm nobilis quidam hostis nostri ordinis villam nostram incendit, quis tibi sensus in communi acerbitate nostri luctus? an non infremuisti? an non dolor ussit, vel ira? Non,* inquit, *Pater: totum id,* inquit, *Deo commisi: si modicum habeo, totum id cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago.* Didicit ergo Abbas fontem bonorum, & gratiarum acceptarum manare ab illa divina conformitate voluntatis humanæ cum divina. An non hujusmodi vir est amicus Dei? an non amicorum omnia communia? Docet Ludovicus Blosius sidus propitium sui Ordinis, & decus Hannoniæ, Abbas illustris Lessiensis Monasterij, fusè dignitatem hujus virtutis. Tribus ego verbis velut copia in compendium missa, stringam. Docet inquam impium & sceleratum hominem expiatis per confessionem, debitumque dolorem peccatis, liberum à Purgatoriis flammis, in ipsum cælū & Dei gloriam admittendum, si penitus se divinæ voluntati permittat; ita ut nec vitæ peroptet usuram, nec mortis instantis deprecetur horrorem. Tanti est Deo, sui, à se, in Dei voluntatem transmigratio. Et quia tanti feci mentionem, adferam unum tantæ ex ipso viro virtutis hujus elogium non parum admirabile: *Nihil,* inquit, *Deo gratius offerri potest resignatione propria voluntatis; quia homini nihil est carius ipsa voluntate, & arbitrij libertate. Quando quis propter Deum, sensualitati propriæ etiam in minimis rebus, reluctatur, ac sese mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam revocaret.* Et ut probet vir piissimus, quanti æstimet etiam in minimis rebus sui victoriam, adfert comparationem duorum, quorum unus eleganti floris specie captus, florem decerpit, & alter blandientem, propter Deum præterit. Hic in re tam vili, in tantum supergreditur alium meritorum magnitudine, quantum cælum distat ab ima terra. Macte ergo animo Asceta, quot spolia tui potes inferre cælo, singulis ferè horis, dum oculis, ori, linguæ domināris, dicisque cum imperio: Propter te, Domine Jesu, nolo hoc videre, audire, loqui, tangere, gustare: sic perplacuit Deo, haustus effusæ aquæ tantopere à Davide expetitæ, & à cisterna Bethlehemitica periculo virorum allatæ. 1. Paralip. 11. Ingens desiderium vicisse, est Deo litasse.

Quantum autem displiceat Deo, non velificari statim divinæ voluntati, unus nostræ Societatis Pater Christophorus Ortizius vir Apostolicus docebit. Hic vir sui eximius contemptor, cùm nimium, regendi munus deprecaretur; quis non dotem virtutis notabilem laudarit? quis non in pretio posuerit tantum decus? an non honorificum, honorem declinasse? Invenit tamen Deus quod terribili

Homines Deo similes per voluntatum concordiam.

Clarescit miraculis conformis Deo.

Stupenda doctrina Ludovici Blosij.

Quanti meriti sit, sui victoria.

A B C D

A terribili modo castigaret: fulmine enim percussus interiit: & tamen Deus sic percussum illustribus post mortem operibus illustravit. Sæpiùs enim post mortem visus auditusque est concionari, eosque, quos ad fidem traduxerat, in fide confirmare. Magnus Deus sibi obediendo, vult honorari. Tanti vult Deus æstimari signum suæ voluntatis, ut etiam summis præferat sacrificiis. An non solâ Filij Dei voluntate sanctificati sumus, prout legitur: *Sacrificium & oblationem noluisti. Tunc dixi: Ecce venio.* Psal. 39. Non mireris; pretium rerum, est voluntas; & in Deo sua beatitudo. Adimit ergo virtuti suum fulgorem is, qui invitè peragit imperia: & Dei minuit & obscurat beatitudinis delicias, & ejus provocat indignationem, qui languidâ voluntate & dubitanter explet indicta jussa. B An non docuit hoc Propheta *lib. 3. Reg. cap.* 13. quem leo reducem invasit, & occidit? Peregerat jam clarus miraculis legationem: clamaverat contra altare: exaruerat dextera Regis Jeroboam, & aridam restituit, altare quoque scissum fuit, & effusus cinis qui in eo erat. Magnanimâ virtute Regis domum donaque regia & convivium contempsit: mandatum enim Dei erat, ne panem comederet, nec aquam biberet per viam qua venerat. Omnia felicibus auspiciis confecta, corrupit infelix eventus. Præbet aurem, heu nimium fidens! doloso vati: seducitur credulus, comedit bibitque in domo fraudulentâ; & ecce securo intonuit vox, & factus est sermo Domini ad Prophetam qui reduxit: C *Quia*, inquit, *inobediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod tibi præcepit Dominus Deus tuus, & reversus es & comedisti panem, & bibisti aquam, non inferetur cadaver in sepulchrum Patrum tuorum.* An non vir tantus sensit Dei indignationem? sensit. At quæ tanta noxa, cùm nulla poterat videri? Fuerat vir Dei circumventus à falso Propheta, quem verum indicârat. Cur simplex innocentia non est innocentem tutata? Alia Dei judicia, alia hominum. Rigidus est exactor suæ voluntatis & imperij Deus. Sensit diminutionem suæ Majestatis Deus, diminutione imperij violati. Qui Regis magnificas pollicitationes, & dona, magnifica altâque despexerat mente, D debuerat & Prophetæ Veri servi est, depellere aut quæ irritant, aut territant. Ingens gaudium fit, & inconcussum, sequi Deum.

Dei minuit beatitudinem qui languido obedit.

Punitio rigida tardè obedientis.

§. XXI.

Qualis fuerit animus Divæ Virginis ex hujus virtutis divino splendore.

SI vocârim Paradisum, in quo Deus jucundissimè ambulat, exspatiatur, velut in perpetuo Sabbatho deliciatur; dixerim aliquid: & quamvis fama, deliciarum regnum describat, loquaturque, minor est Paradisi gloria, quàm Virginis deliciosissimum animum possit exprimere. Animus Virginis, nullis susurris, nullis sibilis veternosi serpentis obnoxius fuit, quibus Paradisus. Si vocârim civitatem Hierusalem, quæ civitas Dei; civitas Regis magni, verum dixero; est enim & civitas magni Dei; verùm & excelsior dignitas animæ Virgineæ. Civitas Hierusalem, quæ dicta pacis visio, quamvis nec telum, nec sagittam in urbem librare potuit hostis obsidere tamen potuit. At Virginis animus nec obsideri, nec oppugnari pôtuit. Tanta pax, & concordia animi cum Dei voluntate, ut nec ullius rei accessu, vel recessu posset commoveri, nullo metu percelli, nullius doloris magnitudine, vel lætitiæ concuti atque obsideri, invicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa & conversantium cura; sciebat enim se bono communi genitam. Quemadmodum idem exercitus modò latiùs panditur, modò in angustum coarctatur, & aut in cornua sinuata, mediâ parte, curvatur, aut rectâ fronte explicatur, vis illi ordinaria est, eadem & voluntas pro iisdem partibus standi: Ejusmodi animus Virginis, semper sibi par; ita semper ordinatus, eadem semper vis: esto fuerit circumfusa malis undique: sic coalescebat animus, ut Deo plena, Deo frueretur, & quidem æquabili gaudio in summis mœroribus, sicut suprà probatum est. Nihil occurrit, cui Virginis animum compararim, quàm ipsum cælum, in quo omnes beatæ mentes, solâ Dei voluntate beatè & feliciter vivunt. Contigit ergo beatæ Virgini in terra, quod nulli alteri mortalium, quibus umbra quædam istorum bonorum, & similitudo contigit; quæ in Virgine, consummata, in aliis exstitit consummabilis.

Placidissimus animus Virginis.

In omni fortuna idem status.

Proximè illa accessit ad Filij sui similitudinem, qui ut comprehensor, Dei visione fruebatur; & ut viator, pati didicerat, & mori. Plena ergo Deo Virginis anima sic erat fundata, ut eum sequeretur, quidquid vellet nolletque, hilaritas scilicet continua, & lætitia alta, atque ex alto veniens, ut quæ sola Dei voluntate ejusque domesticis gauderet bonis, ex quibus sibi cælum in vita mortali construxerat. Summa enim & amplissima Dei cognitio, quâ plena erat, voluntatis divinæ beneplacitum, omnibus rebus præferebat. Unde & illi oriebatur inæstimabilis boni gustatio,

Perpetuum gaudium in Virginis SS. anima.

tio, quies mentis in tuto collocatæ, & sublimitas. Quare & ex cognitione Majestatis divinæ, & voluntatis unione cum divina, gaudium grande & immotum, & διάχυσις ψυχῆς, id est, diffusio animi, perpetua dilatatio. Et quid hoc est aliud quàm animum Virginis cælum esse?

Nos vilis turba (ait Statius) *caducis*
Deservire bonis, semper optare parati,
Spargimur in vulgus casus.

Et verè noxiam servitutem servimus, quos alternis dolor, & lætitia possidet, & variis incerti jactamur in undis.

Tu Virginem imitare, ejus virtutem adora & ex ingenti intervallo reptabundus sequere, & pugna contra naturæ desideria, deme quotidie aliquid vitiis tuis, & errores tuos objurga, ut optimus esse possis. Tunc autem te optimum indicabis, si in quocumque corporis habitu, sorte, fortunâ, rebus adversis, lætisque Deo te formandum tradideris: si te fortem, & in conspectu mortis hilarem lætumque, nec deficientem, quamvis deficias, exhibueris. Feras semper diffidium tui æquo vultu, ex Dei nutu; cælo potieris in hac vita, si cælum velis. Pudet Christianos, & inprimis Religiosos, non ita Deum, ut decet sequi. Dignus Deo si quidquid ex ejus constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. An non ad hoc Sacramentum adacti sumus ut omnia mortalia feramus? nec perturbari his, quæ vitare, potestatis nostræ non est? Deo parere libertas est. Ad hanc militiam adscripti sumus, ut ad signum magni Dei nos moveamus. Quid tibi pro hac expeditione promittit? ingentia & æqua divinis. Liber eris, tutus, indemnis; omnia tibi ex sententia cedent; nihil adversum accidet, nihil contra opinionem ac voluntatem. Quid adversum accidet, qui sua desideria Deo, ejusque voluntate clausit? Marcus Antoninus Imperator à vitæ incunabulis adeò tranquillo semper vultu fuit, ut nec mœrore, nec gaudio vultus mutaretur. Socrates, ab Apolline omnium mortalium sapientissimus judicatus, eodem semper floruit vultu.

Vera felicitas Christiani & Religiosi, est continua lætitia, ex animi compositione.

Admirabilis Antonini in vultu lætitia.

O virum acerrimum, & contra omnia naturæ desideria, indomitosque impetus pugnantem! ille laudavit ætatem in portu, & ad anchoram actæ quietem. Quò voluptatis non vexit virum Philosophia? & nos Christianos, & Religiosos non trahet imitatio Virginis? Et dubitamus virtutem extendere factis? Virgo sit tibi forma vivendi & magistra: non intumuit gaudio in Filij Conceptione; nec exiliit in ejus Nativitate; nec grandior facta in Regum adoratione; nec elata miraculorum claritudine; nec gloriosior in ejus Resurrectione: & quod omnium difficillimum, nec minor seipsâ in altissima sui despicientia, summisque doloribus.

SS. Virgo in omni varietate rerum semper sibi par.

A Pura illi & soluta mens: ex imperio Dei agebat omnia; nihil illi inopinatum accidit. quidquid accidit, Deo reddidit, & se totum Deo involvit. Nolite, obsecro vos mortales, expavescere ista, quæ Deus immortalis velut stimulos admovet animis. Calamitas omnis, virtutis occasio est.

§. XXII.

Suprema laus, eximiæ & supremæ potestatis circa nostram prædestinationem, quam sanctiss. Virgo in nobis operatur.

B

NUnc ponendum est fundamentum præcedentis Consociationis, & thesis modò propositæ, quæ gloriam Virginis, Virgini debitam per orbem, in unicum orbis solatium exhalat. Hæc publicat dilatatque, illam esse unicum asylum, & portum rebus collapsis: illam esse facem, in tenebris prælucentem, velut in altissima pharo: illam à Christo, (quem semper ut absolutum Redemptorem omniū, imò & suæ Matris credimus & scimus) esse rebus deploratis, causam nostræ salutis, nunquam aliter successuræ; nisi Virginis dextera porrecta intervenisset. Videndum ergo quomodo dicatur causa nostræ electionis ad gloriam.
C Deinde quomodo possit eam nobis mereri, & procurare? Deinde quo pacto firment SS. Patres, plurimos per Virginem servari, ceteroquin perituros. Ut autem hoc clarè cognoscatur, statuendum est, nullam efficacem electionem ad gloriam ex sola Dei voluntate fuisse, nisi post merita prævisa: sed quemlibet ad gloriam electum fuisse ex prævisis meritis: deinde Deū nullum habuisse peculiarem affectum erga prædestinatos, illis conferendi gloriam; sed circa omnes habuisse voluntatem simplicem, & antecedentem, quâ omnibus vitam æternam, & æternum bravium desideravit, eò quòd ex meritis prævisis gloriam proposuerit comparandam. An non juxta illud Matt. 25. ubi dicitur: *Venite benedicti Patris mei,*
D *possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c.* ubi causa præmij collati confertur in bona opera. Et 1. ad Corinth. 2. & Isai. 64. *Oculus non vidit quæ præparavit Deus diligentibus se, vel iis qui diligunt illum*; ubi dilectio est causa præparationis. Et ubi Paulus habet *qui diligunt illum*; Isaias secundùm vulgatam editionem habet, *expectantibus te*; & addit *occurristi lætanti, & facienti justitiam.* Septuag. verò habent, *Occurret enim facienti justitiam.* Ubi expectatio illa cui Deus præparat gratiam, & occursus ille causam apertam significat meritorum. Hoc perspicuè intellexit Ambros. ad Rom. 9. ad illa verba, *Iacob dilexi. Neminem damnat antequam peccet: nullum coronat antequam vincat.*

Meritis datur gloria.

Deinde

Nullus corona: ante victoriam.

Deinde quos præscivit devotos, illos elegit ad præmia promissa capienda. Et Hieronym. in Epistol. ad Hedibiam, quæ est 150. explicans illud Malach. 1. *Iacob dilexi. Non salvat*, inquit, *irrationabiliter Deus, & absque judicij veritate, sed causis præcedentibus: sed quia alij non susceperunt Filium Dei; alij autem sua sponte recipere noluerunt.* & infrà, ex quo ostenditur, *non gentes, sed hominum voluntates bonas, bonis scilicet operibus ornatas, ut tandem coronentur.* Merita ergo ad æterni bravij possessionem acquirendam, præcedunt ipsam electionem; & sanè quotiescumque media ad aliquem finem consequendum sunt merita, & qui proponit alteri finem consequendum per illa, ipsi proponenti sunt priora media, quàm decernit dare finem; nam talis finis non datur, nisi intuitu meritorum, & ad modum præmij: ille verò, cui talis finis proponitur, ad finem adhibet media, ut finem illum consequatur: ideò quoties medium est ad aliquem finem, moraliter, illud prius dicimus esse prævisum, quàm sit voluntas conferendi aliquem finem. Intelligitur autem, respectu voluntatis ejus, qui proponit finem. Sicut Deus proponit beatitudinem, respectu ejus qui suis meritis illam consequi debet. Dicimus enim, quod Deus voluit Petro dare vitam, quia vidit illum futurum sanctum; non autem voluit dare vitam æternam, ut esset sanctus. Deinde omnes fatentur ex D. Pauli doctrina, *Deum velle omnes salvos fieri*; & voluntate suâ antecedenti, & primariâ, voluisse omnibus beatitudinem dare, eamque voluntatem esse communem omnibus. Voluntas autem antecedens, & primaria, est ante omnem prævisionem meritorum: ergo voluntas Dei ante omnia prævisa merita est omnibus æqualis. Quare cùm non decreverit omnibus efficaci voluntate dare gloriam, efficitur, nullum ad illam electum esse efficaci voluntate, nisi ex præscientia meritorum. Porrò voluntatem antecedentem esse (sicut suprà dictum est) constat, quæ ex solo Deo est sine ulla præscientia meritorum; & ideò dicitur esse antecedens, quia simplex & inefficax, quia ex solo Deo est.

Voluntas Dei antecedens inefficax.

Exemplo probatur electionis forma.

Consequens verò voluntas, non dicitur consequens, quia efficax est, sed quia fit post prævisa nostra merita, & ex nobis occasionem capiens. Deinde ut humano modo loquamur, & inde ad divina ascendamus; si Rex proponeret præmium aliquod bene certantibus, atque illâ lege, ut nullus eo potiretur nisi qui foret victor; nulli quantumvis à Rege amato, dari possit, lege servatâ, nisi certanti, & vincenti. Servatâ tamen lege poterat dare meliora arma, meliorem equum; & commodiora ad certandum media quàm alteri, non tantùm amato; at illi præmium decernere & conferre stultum foret, si præmium propositum sit in mercedem laboris. Si verò præsciret eum fore victorem, cui præmium ex amore peroptabat, poterat quidem decernere se daturum illi, sed non ante victoriam partam: si verò non esset præscius ante tempus victoriæ, præmium dari non potuit, cujus intuitu præmium propositum.

§. XXIII.

His sic positis faciamus conclusionem.

Cum igitur Deus proponat omnibus beatitudinem, tanquam præmium, tanquam mercedem operum, tanquam bravium, tanquam coronam justitiæ bene certantibus, & victoribus, juxta illud: *Qui vicerit, dabo illi sedere.* Apocalyps. 3. & juxta illud Matth. 19. v. 29. *Qui reliquerit Patrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hanc promittit operanti, certanti, vincenti, tanquam debitam ex conventu, juxta Paulum 2. Timoth. 4. *Quam mihi*, inquit, *reddet coronam justus Iudex.* & ut paterfamiliâs denarium diurnum *ex conventione facta*, Matth. 20. vult solvere; at nisi post laborem, & meritum operis. Necesse est ergo exspectet victoriam, & certaminis felicem exitum, & exantlati operis horam, ut denarius ex debito solvatur. Verùm altitudine suæ præscientiæ cùm contempletur, & clarissimè videat omnia, & sciat omnia futura, non in tempore exspectat victoriam, sed secundùm rationem in sua æternitate, ut intuitu illius confert: nam stultum esset, absque intuitu illius præmium præfinire, si illud per victoriam solùm promisit. An non ideò Scriptura sacra passim protestatur, *unumquemque recepturum secundùm opera sua sive bonum, sive malum?* Quod nisi in nostra potestate situm esset, frustrà diceretur. Et cur dicimus *Adveniat regnum tuum*, si illud consequi, aut amittere non est in nostra potestate, vel libertate, sed omnino ante illam ex solo Deo? Non est ergo quod quispiam illius timeat amissionem, quia decretum illud dandi est infallibile, nec ex nostra pendet oratione; quippe sine nobis, independenter est decretum; ac proinde nemo potest electos rapere de manu Dei, imò nec ipsi prædestinati perdere animam suam, quia non possunt coronam sibi donatam.

Amitti potest corona, ergo posita in nostra voluntate.

Ponamus ergo aliquem electum non consequi gloriam, an non sequitur decretum Dei efficax esse irritum, qui decreverat tali dare gloriam? At quis evacuabit Dei decretum? Utrumque ergo impossibile est, talem electum non consequi gloriam, & irritum fieri efficax Dei decretum. Cùm igitur in nostra libertate sit nostra salus cum Dei auxilio, ejusque gratia tanquam causa principaliori, optimè monemur in Apocalyps. 3. v. 12. *Tene quod habes*, quia ab illo excidere potes. Quare quisquis est, ne altum sapiat, sed videat ut teneat

teneat quod habet. An non ideò Paulus etsi certus de sua prædestinatione, cùm videret suam salutem adhuc positam in sua libertate, 1. Corinth. 9. dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, reprobus efficiar*, id est, excludar à regno Dei? Quare igitur tantus Apostolus addit *fortè?* ad indicandam libertatem, quâ poterat labi, & reprobus effici? Deinde cur Paulus despondet sibi omnia certamina, affectat omnes labores, seipsum urget; certat cum bestiis, vitam objicit mille periculis? an non ut bravium consequatur? an non ut debitam coronam, quam justus Judex sit redditurus, obtineat? Verùm si Deus priùs dare statuit gloriam ante prævisa merita, nec illorum intuitu, sed ex sola liberalitate, eam donet, frustrà se urget. Deinde cùm Dei decretum mutari non possit; efficitur, ut ex vi illius in tempore conferat beatitudinem electis omnino gratis, & non ex gratitudine, nec ex debito, nec intuitu meritorum; siquidem decretum Dei omnino ex liberalitate, & gratuitum fuit. Quod si ita est, merita nihil pertinent ad beatitudinem consequendam; quod maximè absurdum.

Quare acriter monetur Angelus Philadelphiæ Apocalyps. 3. v. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Ubi Arabicus textus sic habet cum majori energia, dum additur verbum *cave: Tene quod habes, & cave ne quis accipiat coronam tuam.* Vide ut salus nostra sit posita in hominis arbitrio libero, vel mors, dum utitur gratia Dei præparata, si velit; vel non utitur, si nolit: ideò dicitur *Tene*, id est, retine constanter: id est, actu continuato retine fidem occurrente tentatione, ne quis coronam fidei tuæ promissam & præparatam, non absolutè, sed sub conditione (si videlicet perseveres) accipiat. Sic Paulus 1. Corinth. 9. v. 24. clamat: *Sic currite ut comprehendatis*, more scilicet Agonistarum, qui ex alto pendentem coronam concitato cursu manibus corripiebant. Ecce, si decreto æterno, & immobili sit destinata corona, quid opus est cursu? an fraudatio coronæ est metuenda? absit ut mutari Dei voluntas possit. Clamat ergo Spiritus sanctus: *Tene quod habes*; quia non sic tenes ut amitti non possit corona exposita & danda currenti promissa: ergo cursu opus. Hinc Chrysost. *homil. 7. ad Hebræos* clamat: *Adhuc pendet corona. At quâ ratione pendet si æterna, & inviolabili pactione & immutabili Dei voluntate sit donata? An non Olympici currus agitator rapit præmia post labores?* An non ubique promittitur corona certantibus? Ergo post prævisa certamina corona datur. Lege *cap. 2.* Apocalyps. *v. 7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei mei.* & *vers. 10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quid opus cohortatione ad fidelitatem, si ante prævisam fidelitatem stet adamantina, & irrevocabilis voluntas donandi coronam? Deinde *vers. 16. Pœ-*

A *nitentiam age, si quo minus, veniam tibi citò.* Ecce, ut post prævisam, vel omissam pœnitentiam sequatur decretum efficax. Et *vers. 26. Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes &c. & sicut accepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.* Opus ergo luctâ, opus & victoriâ, opus & perseverantiâ ut præmium detur, quod pendet à dono perseverantiæ. Operibus ergo, & luctæ & victoriæ & perseverantiæ stipendium, & denarius diurno labori datur: Ergo post prævisa merita. Et *cap. 3.* in quo ardenter Episcopus Sardensis feritur. *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant; non enim opera tua plena coram*
B *Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis, & serva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ ad te veniam. Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, &c.*

Vide Lector ut omnia sint à conditione pendentia, ut omnia intuitu operum pœnitentiæ & vigilantiæ & victoriæ promittantur: vide ut deleri, & non deleri de libro vitæ possit. Ergo victoria pœnitentiæ, perseverantia prævisa coronatur, non autem antequam prævideatur. Si Chrysologus sic scribat de infantibus pro Christo mortuis, quid de adultis scripturus? Audi S. Patrem: *Confitentur tacentes: nescientes pugnant: vincunt*
C *inscij: ignari tollunt palmas, id est, coronas rapiunt ignorantes. Nec tibi, dabitur corona, stipendiũ, laurus, triumphus, denarius nisi post labores, militiam, sudoresq́. Datur ergo misericordibus cælum, quia paverunt, quia dederunt bibere, quia vestiverunt, quia infirmos visitarunt, quia carcere clausos sunt solati.* An non supremæ sententiæ tota vis, & firmamentum ducitur ex hisce operibus clarisque factis, quæ causæ sunt futuræ æternæ felicitatis?

Concludo paucis: Dum suprà dicitur: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Poterat ergo corona accipi: & quomodo hoc potest esse verum si ante prævisa merita, erat corona irrevocabili Dei voluntate signata, & Dei decretum sit immutabile? Et textu
D Hebraïco dicitur *cave.* Poterat ergo excidere fortunato suo statu: si verò non potuit, frustrà dicitur, *Cave, ne quis accipiat coronam tuam*; tuam dico, si caveris; non tuam, si non caveris; verùm si ante prævisa merita eligit te sine te, hoc quam non pia dictum. Ergo Deus, quantum in se est, salvat te; sed non sine te, prævisis tuis meritis.

§. XXIV.

§. XXIV.

Secundùm fundamentum quo mirificè illustrabitur postea Sanctissimæ Virginis potentia Materna, circa nostram prædestinationem.

HOc posito primo fundamento quasi invicto, aliud dabitur, quo docebitur Christi Domini merita, fuisse promerita nostram prædestinationem, & electionem. Verùm antequam ordiamur, ut obscuritati provideatur, terminorum lucem dabimus, & eorum ordinem.

Nota ergo, hæc tria distingui: Dilectionem, Electionem, & Prædestinationem. Dilectio est voluntas quâ Deus vult alicui bonum absolutè, non comparatione cum alio. Electio verò est voluntas quâ vult uni bonum præ alio, id est, potiùs uni quàm alteri; vitam scilicet æternam, aut gratiam. Hinc patet duplicem esse electionem: unam ad gloriam; alteram ad gratiæ dona, de qua hîc non agitur, sed de efficaci Dei voluntate dandi potiùs uni quàm alteri vitam æternam. Idem ergo est, aliquem ad dignitatem seu bonum eligere, quod ab alijs secerni, & separari, quibus idem bonum non conceditur. Prædestinatio verò versatur circa media gratiæ, & est voluntas conferēdi media gratiæ: Electio autem versatur circa finem; circa vitam scilicet æternam. Prædestinatio ergo secundùm rationem præsupponit electionem, & dilectionem, & dilectio apud Deum præsupponitur electioni secundùm rationem, & electio prædestinationi: unde omnes prædestinati sunt electi & dilecti.

Veniamus, ad ipsum fundamentū in quo asserimus Christum Dominum non solùm meruisse ut à Deo diligeremur, & prædestinaremur per gratiam ejus, ad gloriam, sed etiā ut eligeremur ex massa perditionis, electione gratiæ, & electione ad gloriam. Prædestinatio ergo Christi fuit causa nostræ prædestinationis, an non quia Christus causa omnium gratiarum, quas nobis Deus prædestinavit, quæ sunt media ad finem speratum ducentia? Nunc probandum, Christi Domini meritis fuisse nos electos ex massa perditionis, in qua multi relicti sunt, qui nec dilecti, nec prædestinati, nec electi fuerunt. Audiamus magnum Paulum docentem, nos esse ex Christi meritis electionis filios, ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso, id est, Christo, ante mundi constitutionem ut essemus sancti.* Elegit ergo nos, id est, separavit à massa perditionis, in qua multi relicti sunt. Non ergo dicit Paulus, nos dilectionis, & prædestinationis, sed electionis ex Christi meritis: ubi particula Græca ἐν, id est, in significat causā, & ponitur

Audiamus Paulum ad Ephes. 1.

A loco particulæ διὰ, teste Chrysostomo, hoc est per, & ibidem *Qui gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et rursus: *In quo habemus redemptionē.* Et infrà: *In quo & sorte vocati estis, etiam benedictione in Christo.* Ubi Græci clarè dicunt Christum fuisse mediatorem, per quem Deus benedixit nos omni benedictione. Cùm ita Paulus dicit, *Elegit nos in ipso. Quasi diceret: Benedixit nos per ipsum, & per eundem elegit.* Quod clarissimè expressit Photius apud Oecumeniū, cùm ait: *Omni benedictione, benedixit per Filium: elegit per ipsum: charos nos effecit per ipsum*, id est, Christum secundùm humanitatem, ex meritis ipsius. Meritum ergo Christi, causa nostræ electionis. Quòd autem Christus sit meritus nostram electionem, hinc pa-

B tet: cùm enim essemus eodem modo, in primo parente damnati, & eandem sententiam subituri, non omnes, sed quidam ex illa massa communi fuerint separati, gratiā congruā, & efficaci usque ad finem vitæ: ergo quidam fuerunt præ alijs electi, sed gratia quā fuerūt separati per Christum. Ergo per Christum à communi massa electi.

Quod si ita in tempore factum est, nemo ambigat in præscientia Dei eodem modo factum; ac proinde peculiari applicatione meritorum fecit, ut quidam præ alijs eligerentur post incarnationem (incarnationis enim causa, solus Deus est) ut Lucæ 22. *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et Joannis 17. pro Apostolis peculiariter oravit; nec

C solùm pro illis, verùm etiam addidit: *Non pro mundo rogo; sed pro his quos dedisti mihi.* Forma autem orationis fuit, *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* quâ oratione perseverantiam illis postulavit à Deo. Cùm Christus ergo semper fuerit exauditus, dum absolutè oravit, sine dubio impetravit illis gratiam congruam & efficacem quā perseverarunt. Cumq; pro illis potiùs quàm pro alijs hanc gratiam obtinuerit, secrevit quosdam ab alijs.

Oratio Christi efficax & impetratoria.

Quod si ergo in tempore propter merita Christi, peculiariter ab ipso applicata, hæc gratia Apostolis fuit collata, nemo dubitet, in æterna electione, intuitu hujus orationis futuræ, his potiùs quàm alijs, eandem præparatam fuisse. Si hoc pro Apostolis Chri-

D stus fecerit, cur illud negabimus, factum pro omnibus prædestinatis, ut peculiari modo illis sua merita applicaret, & perseverantiam obtineret? Deinde quis non videat modo extraordinario ijs merita Christi applicata, qui singulari vocatione ad Christum conversi? Sicut ergo post prævisa merita, Pater Domini nostri Jesu Christi *benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* sic post prævisa merita Beatæ Virginis, quæ omnem suam virtutem obtinuit à Christo Filio, meritis ejus benedicimur omni benedictione cælesti, in qua & eligimur ante mundi constitutionem, in quo elucescit summa gloria Divinæ

Per orationem Christi, segregatio quorumdā facta ab alijs.

vinæ Virginis, & Christi Filij. Si enim electio cujusque ad gloriam non est ex meritis Christi, ergo nec prædestinatio gratiæ, & mediorum ad eam assequendam erit ex meritis Christi. Hoc autem falsum est: Ergo & antecedens ex quo id sequitur. An non efficax intentio finis necessariò imperat & elicit electionem mediorum ad finem necessariorum? atqui hic finis est gloria: Media necessaria ad eam sunt gratia, adoptio, & merita: Ergo si Deus ante prævisa merita Christi efficaciter nos intendit glorificare, efficaciter etiam intendit nos in filios adoptare, gratiam & merita dare, quibus gloriam nobis prædestinatam assequeremur. Sicut qui Romam efficaciter intendit, intendit & media itineri necessaria conficiendo. Incarnatio & merita Christi cùm non sint media necessaria, & connaturalia ad gloriæ consecutionem, poterat Deus alias rationes decrevisse. Si itaque nos prædestinavit ante merita Deus ad gloriam, etiam nos prædestinavit ante merita Christi ad gratiam, & justitiam, & adoptionem. Nunc autem Paulus docet quòd prædestinarit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum: ergo non tantùm adoptio nostra, sed etiam prædestinatio adoptionis facta est per Jesum, quia quando nos elegit ad gloriam, hoc ipso prædestinavit, & nos sibi in filios adoptavit. Unde & dicitur, *Elegit nos in ipso.* Unde non tantùm executio, sed & ipsa electio nostra facta est, per Christum. Quare & Paulus ad Ephesios 1, vers. 7. *In quo habemus adoptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

An non Deus, ut habetur ibidem vers. 10. instaurat nos in Christo? Ergo & prædestinavit nos & elegit in Christo.

§. XXV.

Veniamus ad Divinam Virginnem, ad cujus gloriam spectat electio post prævisa merita,

DUæ sunt famosæ circa electionem ad gloriam sententiæ; quarum prima est, electionem ad gloriam dari ante prævisa merita; quæ magnos & illustres circumfert auctores, principesque Theologos. Altera quæ & suos habet acres defensores, quales interest Molina, Vasques, Valentia, Leonardus Lessius, & plurimi hoc ævo magni nominis Theologi electionem ad gloriam non ante prævisa merita, sed post ea inchoari perficique.

Hæc sententia perplacet primùm, quia vehementer extollit & illustrat SS. Virginis supremam circa hominum salutem potentiam, quæ intervenit electioni, dum preces

A suas prosternit, & gratiam suis clientibus poscit. Deinde quia SS. Patrum magnificis encomijs conformior, quibus Sanctissimam Virginem incomparabiliter extollunt, dum illam causam nostræ salutis, mediatricem generis humani, & gratiæ auctricem, ut posteà videbitur, indubitàto consensu compellant.

Quare si ante prævisa merita contingat electio, tot encomiorum splendor, lucis ingẽtis damna, & gloriæ persentiet. Quid enim proderunt mihi supplicationes, merita, studia?

Quid proderunt amores ejus, si absolutâ Dei voluntate, absoluto Dei decreto, si irrevocabili iudicio omnia sint de mortalibus statuta, nec ullius meriti firmata intuitu? nullius personæ consideratâ majestate? nullo B adhibito in consilium collegâ? Cùm autem Christi Domini merita & orationes fuisse causam omnis gratiæ, quæ nobis concessa est, & prædestinatione præparata, sequitur fuisse causam nostræ prædestinationis, quæ nihil aliud est nisi donorum præparatio. Ut autem prima sententia in suo vigore intacta persistat, & incolumis, multi clarissimi viri SS. Patrum auctoritatem, & SS. Virginis omni gloriâ digniorem majestatem attendentes, dicunt Deum habuisse respectum ad merita, & efficacissimas suæ Matris orationes, easq; habuisse suum effectum, quo pacto absque ullo præjudicio, primæ sententiæ consulitur dignitati, & claritudini SS. Virginis nova lux triumphalis oboritur.

C Deinde & Sanctorum Patrum tam antiqua, quàm nova in suo vigore sententia toti orbi efflorescit. Evolvantur Patres antiqui, quas non spirant laudes in SS. Virginem; quantum fiduciæ tribuunt ejus suffragijs, dum illam vocant causam nostræ salutis, & testantur per illam salvari quoscumque cognoscimus salvos, de quo posteà.

Deinde sicut ex præscientia orationum Christi Domini prædestinatio, & electio ad beatitudinem obtenta fuit; sic ex præscientia orationum beatæ Virginis, primam gratiam, & media ad perseverantiam impetrari dicimus. O quàm jucundum hoc est intellectu! Sicut Christus in oratione sua, in tempore, D illis gratiam obtinuit, pro quibus peculiariter oravit, necessariò sequitur, ob eandem orationem, eos pro quibus oravit, potius quàm alios ad gratiam Dei in præscientia fuisse electos; nam quod Deus ob aliqua merita donat, Deus in æternitate ob eadem merita præparat, & definit. Idem putamus dicendum de orationibus, quas Deus prævidit à Virgine Sanctissima profundendas in favorem eorum qui se suæ sanctæ servituti sunt mancipatur; digna quippè est Mater Dei tanto honore, ut auxilia, & gratiæ in tempore dentur, extraordinariæ, quæ ab æterno in præsentia Dei fuerunt definitæ, tum in Matris gloriam, quæ Matris precibus debetur; tum ut omnes

gentes

gentes discant, omnes preces futuras, omnia merita, & favores suo tempore in salutem hominũ expendendos acceptatos fuisse. Nec aliter, quàm si legationem continuam in tota æternitate, pro suis amatis obire, peragere, & omnia exorare cœpissent. Tot ergo vocibus solicitatur Deus, quot Deus præscit futura in suam Matrem officiosa mortalium studia. Et quid deformitatis occurrit si Deus acquiescit futuris votis, desiderijs, & sanctæ voluntati suæ matris? nam ubi Divina voluntas spectat alicujus merita, ut eorum intuitu, præmium aliquod conferat, vel præparet, juxta illud, Quod humana voluntas postulat, Divina operatur, & se ei conformat. Existit ergo Virgo causa nostræ prædestinationis, per suas sanctissimas orationes, & sua merita, per quæ multi vocati, & perseverantiam sunt consecuti. Et sanè ratio convincit. An non illa quę est causa meritoria, aut impetratoria primę vocationis, totius etiam effectus dicitur causa, si ab illa vocatione prima, effectus prædestinationis incipiat? Igitur ex parte nostra dari non potest causa meritoria nostræ prædestinationis, sed solùm vel ex parte Christi, vel Sanctissimæ Virginis, cujus orationes semper efficaces fuerunt. Si ergo Christus Dominus, vel Sanctissima Virgo per sua merita inchoent ipsam prædestinationem, hoc est, effectus prædestinationis, erunt causa nostræ prædestinationis, dum gratia primæ vocationis datur à Christo, vel impetratur à Virgine cum gratia perseverantiæ. Quicumque igitur est causa meritoria, aut impetratoria primæ vocationis, totius etiam effectus dicitur esse causa, si ab illa causa effectus prædestinationis incipiat. Si itaque effectus ab illa gratia incipiat, quæ nobis conceditur, rectè probatur non ex parte nostra, sed Christi, vel Sanctissimæ Virginis dari causam meritoriam nostræ prædestinationis.

Orationes SS. Virginis ab omni æternitate prævisa sunt quasi legat solicitantes.

Quid igitur agunt nostra merita? nostra adjuvant, prædestinationem nostram consummando, & de congruo perseverantiam merendo. Habes Lector ut Sanctissima Virgo dicatur causa meritoria nostræ prædestinationis.

§. XXVI.

Nunc rationes afferendæ; cur tanta potestas Virgini tribuatur, ut mereatur dici causa salutis, auctrix ejusdem, mediatrix suo modo generis humani, sicut Filius solus absolutus est mediator.

PRæmittendum est, primùm, certum esse, eum plus posse apud Deum, quo magnitudine gratiarum est potentior; & digniorem eum ut exaudiatur, quo sanctitatis est eminentioris.

Quo quis sanctior eo potentior apud Deũ.

Alterum est; majoris difficultatis esse, alijs impetrare quàm sibi dona vel cælestia, vel temporalia.

Quare sæpiùs accidit ut homo, qui opere bono gratiam & justitiam sibi de condigno promeretur, atque reipsa obtinet, nihilominus auxilia efficacia posteriora, quæ minùs nobilia sunt quàm gratia, imò ipsa temporalia bona & externa promereatur quidem, sed non obtineat, quia Deus tale meritum ad ea bona acceptare non voluit. Inde fit ut per se difficilius sit alijs gratiam per merita sua obtinere quàm sibi: hoc enim formaliter merita ipsa necessariò præstant; illud verò ex libera Dei pendèt voluntate, qui voluntariè acceptat, vel refutat.

Difficilius alteri impetratur, quàm sibi.

Ad primum, cùm Patres omnes asserant, suo modo fuisse in Virgine infinitatem gratiæ, quis negabit infinitam suo modo potentiam? Quis negabit eam dignissimam ut omnia impetret, & dicatur causa nostræ salutis, quam per suorum meritorum dona procurat, ut cæli terræque dominatrix? Attende Lector ut sancti Patres concordi sensu magnitudinem immensam gratiarũ magnificis verbis decantent. D. Augustin. *lib. de natura & gratia*: *Inde novimus tantam gratiam ei esse collatam, quia Deum concipere meruit.* Nunc loquar cum ipso Augustino. Et qualis sancte Pater, & quanta collata? An tanta data est ea mensura, ut plurimum gratiæ donandũ supersit, cujus adhuc natura humana capax est? Minimè gentium: tanta data est, ut humanam capacitatem, & suam ipse Deus (loquor de potentia & lege ordinaria) potentiam exhauserit; lex enim ordinaria postulat, ut amplitudo gratiæ, dignitatem status exæquet, ad quem deligitur. Cùm igitur dignitas Matris sit ea, ut altiùs ire, nec provehi à Deo possit; quis non videt gratiam ei dignitati parem, & ejus esse amplitudinis; insuper & esse quàm maximam, quam Deus ordinaria lege potest producere, & ordinatam creaturæ capacitatem explere.

Infinitas gratiæ SS. Virgini collata est causa tantæ potentiæ.

Magnitudo gratiæ SS. Virgini collata ex SS. Patribus.

Quare optimè SS. Patres, quos dabo, docent

Magnitudo gratiæ, SS. Virgini collata ex SS. Patribus.

cent Cyprianus Serm. de Nativit. Christi. *Matri se plenitudo gratiæ infudit.* Athanas. Sermon. de laud. Virg. *Ex te prodijt Deus noster omnem tibi largiens gratiam.* Damian. *quam Deus omnibus gratiæ divitijs ornavit.* Bonavent. *in speculo. Quid mirum si omnis gratia in Mariam influxerit?* Anselm. de amore Dei erga Mariam, ostendit eum esse amorem erga Matrem, quo nullum putamus esse majorem, & rursus: ***Decebat illam eâ puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi.*** Sophron. in Serm. de Assump. ***In Mariam totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit.*** Gratiâ scilicet tota quæ in Christo est, liceat sic dicere, derivabilis in alios, juxta legem ordinariam: certum enim absolutâ Dei potentiâ ampliorem dari posse, verùm quia non decet, nec utique fiet, ut sub Sanctitate igitur Filij major Mariæ Sanctitas intelligi & esse nequeat. Quando igitur Patres dicunt gratiam Virginis esse infinitam, hoc pacto intellige: ejus scilicet magnitudinis, ut major, sublimior, perfectior nec comprehendi possit aut excogitari.

Sola gratia hypostaticæ unionis Sanctiss. Virgini defuit.

Quare ut ejus magnitudo cognosci possit, plures Theologi asseverant gratiam unionis hypostaticæ tantum defuisse, & sub illa maximam obtinuisse.

An non ideò, quia post assumptionem hominis nihil præstantius potest à Deo conferri homini, quàm ut Dei parens existat, atque ideò alicui conferri ampliorem gratiam neque decet, neque continget. Cùm igitur dignitas Maternitatis in suo genere sit infinita (ut dictum est sæpiùs) necesse est gratiâ infinitam infinitæ dignitati respondere: quapropter si in infinitũ gratia intenderetur, terminos dignitatis Maternæ non excederet. Si igitur dignitas Maternitatis excedat omnem omnium tam Angelorum, quàm hominum dignitatem, ratio convincit omnium creaturarum omnes gratias nõ posse exæquari gratiæ Virgineæ. Deinde cùm Filius Dei creaverit Mariam, tanquam generis humani mediatricem, (quod nomen alteri puræ creaturæ adscribi non potest,) an non tantæ dignitati gratiarum, infinitus quodammodo oceanus debebatur? Ex hoc officio colligit Laurentius magnitudinem gratiæ Marianæ, in Serm. de Assump. *Magna, inquit, fuit gratia gratia exuberans atq; completa, quæ cælis dedit gloriam, gaudium præstitit Angelis, sæculo pacem refudit, fide docuit gentes. Quomodo non est plena gratiâ Maria, juxta Ang. Gabrielis oraculũ, quæ est inventa paradisi scala, cæli janua, interventrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix.* Audiamus & Anselmum cap 9. de excell. Virgin. *Pura. inquit, Sanctitas, & Sanctissima puritas pijssimi pectoris ejus, omnem omniũ creaturæ puritatem Sanctitatemq; transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissimè fieret, quæ sola tantorum beneficiorum præ cunctis effici meruit mediatrix.* Libra Lector hæc verba, *omnem omnis creaturæ puritate Sanctitatẽ transcendens.* An non ideò

Omnẽ omnium creaturarum puritatem, puritas SS. Virginis superat.

A merita est effici mediatrix, quæ merita tanto munere æqualia secum tulit? Audi & Bernard. de aquæ ductu. *Altiùs ergo intuemini quanto devotionis affectu, eam à nobis voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare quæ ascendit delitijs affluens. Quid mirum,* ait S. Bonavent. *in speculo, si omnis gratia in Mariam confluxit per quam tanta gratia ad nos defluxit?* ait enim August. *Gratiâ plena Maria quam apud Deum invenisti, & per totum mundum effundere meruisti.* Finiamus cum Chrysologo Serm. 142. & deinde concludamus id quod primo loco præmissum fuit. *Beata quæ inter homines sola audire meruit, præ omnibus, Invenisti gratiam apud*

B *Dominum. Quantam? quantam superiùs dixerat, plenam, & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet in creaturam. Invenisti gratiam apud Deum. Hæc cùm dicit & Angelus miratur, fœminam tantum posse & omnes, vitam per fœminam meruisse.* An vir hic tantus non fatetur dignum admiratione, Deiparam omnibus vitam & salutem meruisse? Meritò ergo exclamat Ansel. *O fœmina plena, & superplena gratiâ, de cuius plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura.* Nota verbum *reviviscit*, sicut per fœminam mors, ita per fœminam vita. Redeamus ad caput hujus ratiocinationis: illum plus posse apud Deum, qui præ alijs est gratię excellentioris, At Diva Virgo, ut demonstratum est, omnes tam

Per Virginem vita ut per fœminam mors.

C homines quàm Angelos superat gratiâ: quis negabit illam plus posse? dignitas quippe Matris, tantam gratiam ex decentia postulat, ut per ipsam, dignior sit ut exaudiatur quàm omnes homines & Angeli simul: ergo utriusque creaturæ gratiam superat. Hoc probatur judice Richardo Victorino in c. 4. Canticor. *duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli.* His hinnulis duobus, B. Virginis ubera comparantur, quia etsi tam Angeli quàm Sancti pro peccatoribus soliciti sint, & tam meritis quàm intercessione subveniant, credendum tamen est Beatam Mariam tantum in hoc posse quantũ utraque simul creatura; imò utraque potentior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc restaurata

D est & humana natura reconciliata. Et unde Virgini tanta potentia? & quæ potentia non convenit Matri Dei? & quæ gratiæ, & merita, quæ divitiæ, non debentur summi Dei verissimæ Matri? Finio cum Augustino, qui speculo 6. citatur à Bonavent. *Nec dubium est quia meruit pro liberandis afferre pretium, posset plus omnibus liberatis impendere suffragium.*

§ XXVII.

§. XXVII.

Ad secundum caput, difficilius esse alijs impetrare, quàm sibi per merita.

CErtum est, meritis omnibus in charitate factis deberi suam mercedem, meritis impetrari nova auxilia, novas gratias, & augmenta Divini favoris. At ea alijs applicata non ex obligatione impetrant, quæ postulantur, nisi ea Deus acceptet solo nomine, & titulo decentiæ, & bonitatis Divinæ inclinatione, quâ Deus permovetur ut exaudiat preces suorum amicorum. quas suscepisse decorum Deo, & rejecisse tantæ bonitati haud consentaneum videtur. Ut unus igitur alteri promereatur & impetret, necesse est ut in vita meruerit supplicans; vel pro his orarit vel merita sua obtulerit. Unde multi Sancti multa in cælo beneficia ab ipso Deo impetrãt nullo alio titulo nisi amicitię, quo solo gaudent pueri innocentes, qui sine meritis discesserunt. Infinita ergo distantia intercedit inter impetrationem salutis & donorum cęlestium quę à S. Virgine impetrantur, & alijs Sanctis. Altiùs paulò ut hoc intelligatur, veritas petenda. Primum congere omnes gratias simul, & iunge omnes favores ab ipso conceptionis puncto donatos, cum summa abundantia gratiarum collatarum in ipso annunciationis tempore quo Filium concepit, & denique cum oceano meritorum per infinitos ferè actus virtutum cumulatorum toto vitæ decursu; an non inveneris rationes causasque cur Deus infinitam quodammodo debeat sacræ Matri obligationem? Nunc Lector attendas velim Sanctissimam Virginem, non solùm sibi tot nobilibus actibus copiosissimas gratias cum dignitate impetrasse, verùm & generis humani salutem ex decentia & congruitate promeruisse, ex mente & sententia D. August. Quare & optimè Irenæus lib. 3. contra hęres. cap. 33. *Virgo obediens, sibi & universo generi humano causa facta est salutis.* Pergit idem: *Quid est quod sine Maria cõsensu non perficitur mysterium incarnationis? quia nempè vult Deus eam, omnium bonorum esse principium.* Unde Epipha. *Solo Deo excepto cunctis superior existis.* Attende ergo qualis sit differentia inter impetrationem aliorum Sanctorum, & SS. Virginis, ex Damasceno prima de dormit. orat. *Virginis Dei Matris ac servorum infinitum est discrimen.* Verè dixit quicumque quod Hieronymo solet affingi. *Sicut in comparatione Dei nullus bonus, ita & in comparatione Matris Domini, nullus perfectus invenitur, quamvis virtutibus eximiis comprobetur.* Redeamus ad Them. Sanctissima itaque Virgo cùm tanta sit, nullam gratiam vel donum ulli impetravit, quod non meritis suis exantlatis priùs obtinuerit in hac vita. Deinde Sanctissima Virgo omnia sua merita, quæ dicimus suo modo infinita, in salutem, & auxilia hominum Deo obtulisse. Præterea non sufficiebat obtulisse, verùm & oblata, Deus Matris suæ merita, tanquam Filius & hæres Matris, jure naturæ tenebatur acceptare: hoc enim poscebat titulus mediatricis; & ut causa nostræ salutis diceretur. Quare audet Arnoldus Carnotensis, & verè affirmare, Virginem ipsam in nostra salute, communem cum Christo effectum obtinuisse. Hoc si ita sit, an non auctrix nostræ, & causa salutis? Pulchrè Richardus de S. Victore. *Omnium salutem desideravit, quæsivit, obtinuit; imò salus omniũ per ipsam effecta est.* An non per ipsam salus effecta est, cùm Filij sui sanguine sit empta? an non benedictio Abrahæ obvenit propter Filium? *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Gen. 22. 18. An non in Virginis Filio unico totus orbis libertati, excussâ servitute, donatus? an non Virgo dedit pretium pignusque redemptionis factæ? An non *Agamemnon*, dicitur *sanguine placasse ventos, clade sparsi sui sanguinis, cæsâ scilicet suâ Filiâ?* Abrahamo cessit summa benedictio, propter paratam filij oblationem, cur non Matri propter oblatum? An non Virgo redemit cordis sui sanguine mundum de congruo, quem Filius redemit sui corporis sanguine ex condigno? An non justa de causa tenetur ea curare, quæ tanto pretio suo, in suam hæreditatem concessere? Omnibus ergo modis, & studijs curat salutem vivorum, morientium, atque mortuorum. curat in æterna supplicia ruentes, dum sese objecit rebus desperatis.

Quis ergo negabit eam causam salutis, quando eam procurat in summa desperatione? Sicut Deus ex præscientiæ suæ altitudine ex hypothesi videt omnium causarum liberarum effectus, & in quam partem, & in quos actus in talium circumstantiarum, & objectorum ordine & præsentia se sint liberæ causæ determinaturæ. Unde & providet & virtutum, & vitiorum electionem liberam, & salutem, vel exitium secuturum: sic & Diva Virgo ex eadem Filij sui scientia, media prævidet & cognoscit certissimum suorum statum; suorum servorum & præsentissimum exitium; nisi instar pijssimæ Matris impetret indebita perituris auxilia, in tempore, ne pereant.

Ex decentia bonitatis impetratio datur non ex debito.

De congruo impetravit nobis salutem.

Discrimen inter impetrationem Sanctorum, & SS. Virginis.

§. XXVIII.

A

§. XXVIII.

Historiæ testes hujus veritatis.

PRimus orbis Princeps, & Christi vicarius dabit theatrum lugubre, Innocentius scilicet Tertius. Hic celebrato Concilio Lateranensi è vita sublatus apparuit Luitgardi, Sanctæ Virgini Illa ut vidit undique flammis cinctum, quisnam sit percunctatur. Respondit se Innocentium Papam. Et illa cum gemitu: Quid hoc est? communem omnium Patrem tam dirè cruciari? & ille: Ob tres, inquit, causas sic crucior, quę etiam æternis supplicijs me justissimæ addixissent, nisi per intercessionem Pijssimæ Matris Dei, cui monasterium condidi, in extremis me pœnituisset, contritionis actu impetrato, & ęternam quidem mortem evasi; verùm pœnis atrocissimis usque ad diem judicij cruciabor. Verùm & hoc beneficium impetravit Sanctissima Mater, ut suffragia à vobis coram daretur petere. His dictis evanuit. Vide Surium tomo 3. Thomam à Cantiprato. Vide præterea Bellarminum in libello de gemitu columbæ. Causas damnationis futuræ sancta Luitgardis erubuit evulgare: verùm quid in tanto Pontifice, exitium potuit machinari? terribilis in consilijs suis Deus super filios hominum.

§. XXIX.

Alterum dabit Pelbertus de Temesuar Ordinis Minorum in libro, quem Stellarum coronæ gloriosæ Virginis nuncupavit, & Sixto 4. Pontifici dedicavit anno 1471.

PAucis absolvam. Tres commiserant se Danubio. navis patitur naufragium. Duo periti natandi emergunt. Tertius in profundum mergitur. Et jam in profundo jacenti vox horrenda intonat: O homo, inquit, dignus es morte æternâ. Tandem in manus meæ justitiæ incidisti. Quid ultra tibi sperandum? Ecce ecce subitò fores damnandus, nisi te donassem pietati Matris, cui aliquando servijsti. Tribus jam diebus quæsitum cadaver, à piscatoribus: & ecce tibi tertio die cum socij victi desperatione, abitum pararet, emergit è profundo, & fluctibus in ambulans ad ripam venit, & rerum gestarum narratâ serie, exsolvit sua scelera confessione ipsi Patri Pelberto, hujus miraculi scriptori, & renuntians sæculo, Deo se mancipavit & SS. Virgini suæ liberatrici.

§. XXX.

Tertium offert Bzovius scriptor ad annum 1260.

IN Academia Cantabrigensi adolescens Guilielmus Vidius perditè vivebat immersus vitijs, non tamen sic ebrius ut Matrem Dei venerari desineret. Noctu per quietem tanto tremore corripitur, ut totus horroris metus sudore difflueret. Socios nequidquam excitat. Tandem ad se reversus dixit se raptum ad judicis tribunal, & cùm gravibus obje-
B ctis criminibus respondere non posset, quæ ex scripto recitabantur, rebus desperatis ubi S. Virginem vidit, illius gratiam impetravit, cujus precibus dimissus, & vitæ reservatus. Nec vana fides. Chartam in manu deprehendit gravioribus criminibus exaratam. Illicò ergo ad expedienda peccata se convertit, & vitam severi novæ austeritatis legibus ad omnium stuporem composuit.

§. XXXI.

Quartum dabit India Occidentalis.

HAnc Historiam ab Indiæ Patribus mis-
C sam, & publicis instrumentis probatam sæpiùs pro concione dixi: Viginti circiter abhinc annis cùm hæc scriberem, Nobilis Indus ad fidem conversus, primis tribus annis, ut solent rerum primordia fervida, in Virginis amorem ardescebat. Intepuit, & refrixit tandem fervidum studium: corripitur morbo mortis nuncio: præproperâ & præcipite confessione suam expiat vitam: mortuus ad tribunal rapitur. Hinc inde ab Angelis & Dæmonibus circumsessus audit accusationem trium scelerum nonquam confessorum institui. Quid agat miser? Fatetur culpam. Et hostis orat judicem, sibi dari suum reum vitam peracta, nullas inducias
D posse dari: nihil alieni posci, nisi quod jure sibi debeatur: legem datam non posse violari: neminem reum lethalis criminis nisi per confessionem expiati, posse servari. Hic miseri anima ad Dei Matrem confugit; illam orat ut suis meritis eripiat sententiæ nondum pronunciatæ: illam esse potentissimam, ac proinde, cùm omnia possit, supremæ calamitati subveniat. Oratur Filius à Matre, & exoratur. *Nihil*, inquit Filius, *tibi Mater mea negavi, tuis precibus cedat justitia.* Jubetur igitur trahi ad vicina inferis loca, ut spectator pœnarum, & auditor furentium clamorum, & ejulatuum, corpori restitutus esset nuncius. Restituitur corpori, diffugientes præ metu omnes revocat, territos solatur, se reducem esse confirmat beneficio Virginis,

nis, olim cultæ, & posteà neglectæ; reducem tamen esse & beatum nuncium suæ felicitatis adeptæ, cùm proximus fuisset æternis pœnis. Seriem ex ordine narrat, accusationem institutam, producta scelera, confessione suę propriâ verâ esse, se reum, beneficio tamen Virginis ad trium dierum inducias, remissum; quibus exactis remigrandum. Accersitur Rector collegij: expiat sua scelera. Fama interim volat per vicinas regiones; omnes tam gentiles quàm Christiani ad inauditam tragœdiam deproperare. Illi sciscitari de suis dijs, num dij essent? num infernus foret, ut à Christianis docebatur? num cælum? ubi esset beatorum sedes? Hi verò causas exquirere riditûs, & severi tribunalis formam, quo ordine causa fuisset instituta: hic Christiani tremere, pallere, & ingemiscere: gentiles verò sua idola detestari, ridere, & calcare: nunc credere animæ immortalitatem, & aliam vitam exstincto corpore superesse. Tertius jam dies præceps ibat: jubet se deferri ad Virginis Lauretanæ sacellum, sic dictum, quod in honorem Lauretanæ Virginis fabricatum, ut in Virginis sacro loco, Virgini devotam animam sumptâ priùs synaxi commendet. Felix morte suâ, felicissimus Virginis misericordiâ.

§. XXXII.

Reliqui Sancti Virginis intercessione impetrant damnandis salutem.

APud Surium tom. 6. in vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis. hæc scribitur Historia: Andreas quidam Romanus voluptatibus marcescens, unico præsidio se tuebatur, cultu scilicet Cæsarij Martyris, & cereorum lucentium donis. quàm malè homini cautum in horas. Pœnitens sui serò, rapitur ad mortem. Mediâ itaque nocte, sibi redditus, resedit in feretro, cunctisque stupentibus fatetur se raptum ad Dei tribunal. Et ecce jam jam trahendus ad æternas pœnas, nisi sanctus Cæsarius ope S. Virginis flammis adjudicandum liberasset. Vitam ergo & salutem Virgini referre acceptam. Hæc Surius nobis & S. Annon suo populo.

Quis Paulum rugitu crudelitatis cuncta territantem, domuit, & Christo sub jugum dedit? quis Christi hostem, in Christi præconem traduxit vertitque? An non Stephanus, qui Virginis precibus (ut alio loco dictum) firmatus, fortiter mortem sustinuit, & firmatus SS. Virginis robore Paulum suo sanguine impetravit?

§. XXXIII.

Si ante prævisa merita sit electio ad gloriam, tota obscuratur SS. Virginis gloria, nisi includantur merita SS. Virginis. Et contrà; si post prævisa merita, tota irradiatur.

INeamus ergo conclusionem totius hujus materiæ, & asseramus post prævisa merita, aut demerita mortalibus æternitatem bonorum, aut suppliciorum decerni, non autem ante prævisa, de nobis, sine nobis tractari. Et sanè quid horribilius priusquam quidquam boni, vel mali egerim, irrevocabili sententiâ eligi vel non eligi vel eligi, ad gloriam, vel relinqui ad pœnas: cùm enim Deus negativè se habet circa improbos, quid est aliud agere quàm à regno felicitatis excludi? impossibile enim est, illos verè posse salvari, cùm electio Dei sit infallibilis. Nos verò cùm dicimus post prævisa merita de nobis statui, damus locum meritis S. Virginis quorum ope, præsidiisque adjuti, ad salutem traducimur. Inania enim & infructuosa eius auxilia, inanes & favores, quorum intuitu non eligimur, si ante prævisa merita eligamur. Ejus preces ergo non intrant tum Senatum supremum, nec secretum sanctumque concilium sanctæ Trinitatis, si sine illa suprema summi Dictatoris sententia sit ab æterno ex libera ejus voluntate pronuntiata. Quam sancti Patres, ut Virginis majestatem summis præconijs extollerēt, & amorem simul venerationemq; mortalium animis, non solùm instillarent, verùm etiam largissimo infunderent imbre, vocarunt illam Matrem salutis, quemadmodum Filium tanto Matris Patrem vitæ & verum consummatoremque salutis, & Patrem futuri sæculi. Sicut ergo Filius de condigno meritus est salutem; sic & Mater de congruo meretur, & operatur nostram salutem. An non probant sanè veritatem breviter allata miracula, quibus fides nostræ sententiæ adstruitur firmaturque? An non hæ perituræ animæ, nisi Virginis misericordiâ servatæ fuissent? Merita ergo Virginis ut servarentur, intervenerunt. Et sanè quid obtinuissent ejus merita, si ante prævisa merita aut vita, aut mors decreta fuisset? Nunc autem hæc miracula, & infinita alia, toto orbe coruscātia, Virginis magnitudinem, potentiā, ac majestatem cum admirabili splendore illustrant, cùm mortales ad illā rebus desperatis, velut ad asylum portumque securitatis confugiant, & illius cultū pro signo certæ prædestinationis extollūt cōmendātque. Hæc est diffusa fama Virginis per orbem, quæ omnes populos ad sinum suæ misericordiæ vocat: hoc est supremum Virginis fastigium, suprema laus, gentes per illam salvari,

vari. Huic dignitati semper par fuisti, ô Sanctissima Virgo, & implesti famam meritis & factis, eò semper dignior habita, quò diutiùs imperasti. Hanc primariam dignitatem favore, & præconijs patrum Partam, laude triumphali, atque omnium gentium plausu sustines. Miror alterius sententiæ auctores, dum Sanctorum Patrum laudes obscurant, dicuntq; Patres per hyperbolem loqui, dum Virginis ita extollunt magnitudinem.

Et sanè cur non extollerent Sancti Patres Sanctissimæ Virginis magnitudinem, cùm scirent eâ lege eam natam, ut humani generis curaret salutem? Sciebat & S. Virgo se, non sibi natam, sed orbi tutando conservandoque. Quare ut orbi toti prodesset, totam Virginem sibi vendicabat orbis, cujus possessio tanquam regnatrici futuræ debebatur. Sicut ergo cuncta totius orbis regna, in Romanum imperium felicitate victoriarum concesserunt, ut una Roma foret parens orbis, & una gentium Domina, una patria gentium: sic Sanctissima Virgo felicitate, & gratiarum victricium, & Filij sui potestate creata est orbis regina, & quasi sedes & patria cunctarum nationum. Nunc fluat argumentum: Quis siccis oculis excidium suorum spectabit? Quis suæ familiæ & suorum civium eversionem? Quis parentum, nisi barbarus, suis excisis velit esse superstes? Omnibus votum, eodem tegi condique sepulchro. Cùm igitur cor Virginis, quantumcumque est, versum cùm sit in salutem suorum; poterítne non velle cunctorum salutem? Miramur Apostoli violentos amores, qui totum orbem ignitis alis, incendia permiscens pervolitavit; qui singulos, ut orbem, & totum orbem ut singulos complexus est: miramur: & benè. an non unus homo totum orbem circumferebat? Audiamus Chrysost Homil. 3. de laudib. Pauli. Specta animum omnia terrena calcantem, omnem hominem exhibere Deo cupientem: & omnes quantum ad ipsum spectat, exhibebat quasi universum mundum genuisset: pro omnibus orare, partim obstinatos terrere: partim labantes erigere, stantes firmare: humi jacentes erigere: sanare ægros: contritos oleo exhortationis animare: hostibus terribiliter intonare.

Ut ferrum in ignem missum, penitus in ignem transformatur; sic Paulus totus charitate succensus, totus charitas effectus: omnibus malis celsior; ex malis ipsis sibi fabricabat triumphos, non aliter quàm si incorporeus, malis assurgebat. Instar aquilæ magnæ orbem peevolitare, quasi orbem suis alis obumbraturus, & major seipso, in amore quotidie seipsum immolabat in gloriam, & salutem suorum.

Audi suprema amantium verba, ultra quæ non datur ire. Seipsum supergreditur ut novi addi nihil possit. *Veritatem dico in Christo: non mentior: testimonium mihi perhibente cõscientiâ in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Sic amo, sic æstuo, sic ardeo ut præ vehementia amoris, à Christo velim amore divelli pro amati populi mei salute. Sim exul, sim proscriptus, sim abjuratus, cælo dejectus, sit Diris devotum caput, vivam liberà peccato: pistillo contundar, nullum mortis genus retracto; in me cælum sua fulmina iratum vibret, & omnium malorum mergar oceano. Uno verbo absolvero omnia: in me conjurent omnia orbis mala, peream millies, modò salvi regnent.

Hic amor indomitus & latè in corde Pauli regnans. Scintillantes flammæ sunt Pauli, Virginis flammæ sunt incendia totum orbem depopulantia; quælibet flamma, suâ incensione cuncta regna depascit. At confer flammas cum Sanctissimæ Virginis flammis: exigui fontis rivulus est, si cum Oceano compararis: stilla est respectu profluentis: atomus præ arenarijs montibus: stella præ sole. Illa illa fert omnes atque orbem universum utero, mente, amoris oculis, fert humeris, brachijs, ducit, trahit comesque omnium, quæ dux & omnium Princeps. Parturit denique paritque, & vivos sustentat, mortuos ad vitam revocat, omnibus adest locis, omnibus se rebus nostris interserit: adest coram auxilio, ope, favore: sinum omnibus aperit: nemini claudit. Omnes mortales immanibus naufragijs jactatos; cum procellis luctantes, & sursum deorsumque jactatos, ad se velut portus securitatis invitat.

§. XXXIV.

Quàm certum sit, Sanctissimam Virginem voluntate absolutâ; & quantum in se est, & efficaciter omnium suorum filiorum salutem velle: & per sua merita procurare. Duo sunt partes hujus Propositionis: prima, velle omnium salutem: altera ut per sua merita nostram curet salutem.

Diximus ex Apostolo 1. ad Timoh. 2. quasi decretum fidei, Deum quantum in se est velle omnium salutem. Cùm autem Filij vox, qui Deus est, sit vox Matris, & una voluntas Filij sit & Matris, quia Filius, & Mater pro una in jure computantur; concludendum est ex Apostolo definitionem cadere sub idem fidei decretum, Matrem efficaciter, quantum in se est, velle & procurare omnium salutem. *In Virginis quippe voluntatem*; ut in Serm. 50. decit Bernard. *tantâ plenitudine Divinus amor infusus est, quòd nihil eligere vellet nisi quod*

quod Dei Sapientia pramonstrabat. Hac deinde sapientia illustrata; in tantum diligebat Deum, quantum illum à se diligendum intelligebat. Hoc ipsum scripsit S. Brigitta lib. cap. 1. *Mater mea à principio usque ad finem, nunquam aliud voluit, quàm quod ego.* Et lib. 5 revela. 4. *Oculi tui semper fuerunt in conspectu patris mei, quia in spirituali visu tuo, & intellectu anima tua videbat Pater omnem voluntatem suam quod nihil volebas nisi ipsum, & nihil desiderabas nisi secundùm ipsum.* Hinc illa vox magnifica Virginis Proverb. 8. *In viis justitia ambulo, in medio semitarum justitia, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Dominus enim possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio.* Possessa ergo tenebatur ejus voluntas à voluntate Divina, & ut Cantic. 3. habetur. *Quæ est ista quæ ascendit per desertū sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris:* recto scilicet impetu, & immobili ferebatur in cælum, *& ideò recti diligunt eam.* Ubi alia versio habet: *rectitudo diligit te,* id est ipsissima sapientia. Huic soli Virgini cõpetit illud Isai. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* Prout & docet ipsissima Virgo apud S Brigitt. lib. 3. c. 8. *Eram,* inquit, *in charitate Dei tam ardens, quod nihil mihi placuit, nisi perfectio voluntatis Divina.* Mens ergo Virginis erat thronus Divinitatis, in qua Deus residebat, vivebat, & seipsum cõtemplabatur. Per hanc ergo transmigrationē voluntatis suæ, proximè accedebat ad Dei similitudinem pro magnitudine charitatis accensæ; quid enim est amare, nisi idem velle? & quid est odisse nisi idem nolle? & quid est recta voluntas, nisi bonus amor? Virgo autem tantum in se suscepit Deum, quantum similitudinis ejus assumpsit. Summam ergo, quanta dari potest, similitudinem assumpsit. Tantum ergo suscepit, ut esset cor unum & anima una: illa denique esset character, & similitudo Dei. In Deo regnabat infinitus amor in genus humanum, regnabat & in Virgine. Amor Divinus in Deo est sagitta electa, quæ dirigitur, ut animas vulneret, quas petit. Idem amor in Virgine sagitta electa, quæ petit animas, ut sauciet. Sagittæ hæ duæ simul nodo Gordonio junctæ, simul jaculantur amore, animasque transfigunt: transfigit Divinus amor, transfigit & Virginis: amor Divinus vult omnes servari, vult & amor Virginis. Tam certum ergo videri debet, SS. Virginem omnium velle salutem, quàm Filium Dei.

§. XXXIV.

Alia testificatio hujus voluntatis, Propter intimam Matris cum Filio conjunctionem.

IUxta Aristotelem 9. Ethicor. cap. 4. *Is statuitur amicus, qui vult & agit bona, aut quæ apparent illius causa.* & lib. 8. cap. 3. *Qui amicis bona volunt, ipsorum causa maximè amici sunt.* Quis audeat negare summum, intra Matrem & Filium amicitiæ gradum? imò amicitiam supra amicitiam, cùm amicitia duo respiciat ad minimum. Et quid est medij inter Matrem & Filium? Si cognatorum amicitia ea videtur, quæ quicque est erga seipsum, quandoquidem neutrum à se queat distinguere; quàm arcta erit inter Matrem & Filium unitas? Si enim amicus est alter ipse, an non multo magis Mater & Filius? Si amicitia est communicatio, sicut erga seipsum, ita quoque erga amicum se habet, an tenerior & felicior & profusior erit communicatio inter Matrem, & Filium? Vide communicationem: Filius in quantum Deus, & in quantum homo, est Pater misericordiarum; illa Mater misericordiæ. Filius dicit de se: *Ego sum vita & lux mundi.* illa dicit: *Ego vita & lux mundi: vita dulcedo, & spes nostra.* De Filio scribitur: *Venite ad me omnes qui laboratis; venite sitientes ad aquas.* Et de illa: *Venite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Filius non vult interire bona sua, sed venit quærere quod perierat: illa stat in plateis, & clamitat Proverb. 8. *Nunquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem.* & 9. *Si quis est parvulus, veniat ad me. Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentia.* Totam universitatem complectebatur Filius, complectebatur & Mater, teste Richardo in Canticor. cap. 26. *Tanta fuit charitas ut non solùm ad suam gentem,* id est Judæos, *sed ad omnes homines charitas ejus extenderetur: pro his solicita fuit: pro his indesinenter orabat: pro his orando exaudita est, dicente Angelo, Invenisti gratiam apud Deum, scilicet quam quærebas. Omnium salutem desideravit, quæsivit, & obtinuit.* Imò salus omnium per ipsam facta est; unde & mundi salus dicta est. Vult ergo omnes salvos fieri, & neminem interire, similis Filio, qui venit quærere, quod perierat. Simul ergo gradiuntur, Mater & Filius, unâ vivunt voluntate, iisdem desiderijs flagrant, unus utriusque amor.

Amicitia arcta intra Matrem & Filium.

§. XXXV.

Vltimæ propositionis confirmatio. Christus Dominus unicus redemptor & reparator.

DE Fide est Christum Dominum generis humani perfectissimum reparatorem. Vitio ergo primorum parentum, genus humanum amisit omne jus ad vitam æternam, quod antè possidebat. Omnibus ergo bonis & subsidijs quibus supra naturam suam, ad eam evehi, adjuvarique poterat, spoliatum, nihil horum recuperat nisi per Christum Dominum, tantæ ruinæ reparatorem: *Non enim aliud nomen fuit datum sub cælo, in quo oporteat eos salvos fieri. Actor. 4.* Deinde de fide est, Christo Domino totum nostræ redemptionis & opus, & pretium deberi, nec ab ulla creatura peragi, aut tractari potuisse, & de condigno suscipi. Persona quippè dignitatis infinitæ poscebatur quæ infinitè secundùm quid læsioni, satisfaceret: Deus ergo homo factus infiniti pretij donatione, non solùm ad æqualitatem, summam debiti adduxit, verùm etiam infinitis modis superavit. Deus ergo est homo factus, ut posset pati; & homo, qui suâ par Deo natura non erat, factus Deus, suâ infinitâ dignitate posset satisfacere. Christus ergo per merita sua fuit causa nostræ prædestinationis, non solùm quoad primam gratiam quâ justificamur, & reliqua supernaturalia quæ illam usque ad assecutionem vitæ æternæ consequuntur, sed etiam quoad fidem, & omnem aliam dispositiomnē supernaturalem, quâ ad primam gratiam præparamur, juvamurque. Per merita ergo Christi regenerationis, & justificationis donum accipimus, quamvis merito suo non accepit ut per incarnationem simul esset homo, & Deus: hæc enim est prima voluntas & intentio Dei; nec eam potuit mereri, quia initium meriti, non cadit sub meritum: hęc enim est natura meriti, ut sit causa moralis respectu præmij, & per consequens debet habere prioritatem causalitatis seu naturæ respectu præmij: prioritas autem causalitatis, seu naturæ est prioritas independentiæ; consideratur enim pro eo priori jam entitas causæ independenter à suo effectu, id est, habens sufficienter suum esse aliũde quàm illud accipiat à suo effectu. Ergo meritum pro illo priori non potest dependere à præmio: ergo non potest realiter dependere à præmio tanquam vera causa.

Cur homo factus Deus.

Christus non est meritus ut homo fieret Deus.

Non igitur potest esse meritum respectu causarum à quibus dependet, quamvis hoc verum respectu Christi Domini quòd suam

A incarnationem, & unionem non fuerit meritus: attamen totus orbis ab ipsis incunabulis post lapsũ primi parentis debet meritis Christi omnes gratias, præparationes, dona, peccatorum remissiones, & omnia dona supernaturalia. Unde certissimum est, merito Christi, Deum Patrem cooperante Spiritu sancto, corpus & animam Beatæ Virginis, ut dignum Filij sui habitaculum effici mereretur, præparasse. Gratia namque, qua illâ anima sacratissima ita aptata, fuit, ex meritis Christi Domini collata fuit, qui sine matre in suo esse concipi non potuit. Prima ergo & vera causa nostræ salutis solus Christus Dominus, & quia sine Matre, modo ordinario generari non poterat, à Matre dependebat ut corpus

B acceptum in Sacrificium daret in generis humani redemptionem. Quod cùm Matri Sanctissimæ liquidò constaret summo impetu, quo Deo plena æstuabat & ardebat nostram salutem, à summo Deo intentam, & sanguinem, & mille vitas ut tantum opus peragi posset, hominibus dedicabat, quod sine sanguinis effusione peccatorum condonatio fieri non posset. Videbat ergo Sanctissima Mater, post Filium cæli, terræque molem humeris suis impositam, quam ut stantem servaret, omnes opes contulit, parata millies cum Filio mori, nequid præsidij deesset. Quare quantum in se est, ut Matrem decet, efficacissimè amat, & procurat generis huma-

C ni salutem. Erat ergo reparatrix generis humani, tanquam Mater & causa à Filio proxima, qui est absolutè verus generis humani reparator, cui & ipsa Mater primum opus redemptionis fuit.

§. XXXVI.

Nunc ad alteram quæstionis propositæ partem; quomodo dicatur sacratissima Virgo suis meritis procurare nostram salutem.

D NEmo ignorat Christum esse caput Ecclesiæ, qui in totum corpus influit Ecclesiæ ad Ephes. 3. sicut ei promisit Deus Pater apud Isa. 53. si proposuit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini dirigetur in manu ejus, id est, quidquid circa homines in vitam æternam supernaturaliter perducendos fieri constituit, meritis ejus executioni mandabitur. Solus ergo Christus redemptor generis humani, cùm solus sit ejus reparator, cùm soli Christo debeamus salutem acceptam; quonam spiritu sancti Patres afflatu causam salutis Virgini scribunt? Videamus S. Hieronymum in Epistola de Assumpt.

Sic loquitur: *Auctricem nostræ salutis veneremur, quæ dum suum auctorem de cælo concepit, nobis*

nobis redemptorem præbuit in terra. Augustin. Serm. 17. de Nativit. *Auctrix peccati Eva, & auctrix meriti Maria.* Anselmus vocat reparatricem hominum. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 38. *Universo generi humano causa salutis facta est.* Hieronym. ad Eustoch. *Vita,* inquit, *per Mariam.* Chrysolo. Serm. 142. *Angeli mirantur, omnes homines meruisse vitam per mulierem.* Bernard. Serm. 2. de Assumpt. *Mariam totius generis humani mediatricem.* Nota nos non vocare S. Virginem mediatricem ut alios Sanctos mediatores, at longè altiori modo; non tamen ut Christo Domino aliquid derogetur, qui est caput omnium. Nihilominus hæc Patrum patrocinia, & in rigore accepta, sunt vera, si veritatis luce perpendantur? An non Evæ Matri mortis totius orbis consensu, Sanctissima Virgo, tanquam vitæ parens, opposita. An non illa summi Dei fabricata manu, data in adjutorium Adamo? An non & Maria Filio Dei secundo Adamo, ab æternitate in adjutorium destinata? An non Eva auctrix, mediatrix, causa mortis verè & absolutè dici potest? An non per fœminam mors ingressa in orbem? Eva sui ipsius causâ progenita non est, & tamen maledictionis ministra fuit. Eva sceleris primi architecta, & operatrix. An non per Mariam vita in orbem ingressa, nō suijpsius causâ, sed bono publico nata, donata? an non ex illa, vitæ fons prodijt? an non ministravit orbi spem vitæ venturæ? An non omnium virtutum operatrix, atque totius religionis, ut docet Rupert. lib. 4. in Cantica, qualem nec oculus vidit, qualis nec ab initio, quando Eva facta est, non fuit, nec est, nec erit? Eva tenebrarum, & caliginis causa: Maria Luminum Sol præfulgens, quibus mūdus illustratur; teste etiam Ecclesia, cujus vita cunctas, inquit, illustrat Ecclesias. Horum omnium præconiorum veritas quàm solido sit innixa fundamento, consideremus. Intueamur ergo eundē Dei Patris Filium, quem Pater totius universitatis redemptorem decrevit; eundem, & esse Virginis. Deinde ni Pater eum dedisset, quem nulla necessitate dedit, nulla fuisset spes redēptionis futuræ. Similiter, & ni Virgo dedisset suum, an non hærebat suspensus rerum peragendarum ordo? Pater enim æternus eundem ipsum, in veritate unicum Filium, sibi coæterū, & naturalem, Filium Mariæ voluit esse naturalem; sic tamen, ut non duo essent Filij, unus scil. Patris, & alter Virginis, verum, eundem & Patris & Virginis; dissimili tamen naturæ propagatione, atque generatione. voluit Deus esse Patris, æternâ generatione, ex utero intellectus: Virginis in tēpore peractâ. Deus itaque Pater sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitū daret. Dedit ergo voluntariè: voluntas ergo libera, ejusque amor immensissimus est causa nostræ redemptionis. An non igitur, quicumque est causa causati, est causa causæ? Pater ergo & Virgo sunt causa causati: ergo & causa causæ, quæ opera-

Pater æternus Filium Dei cum SS. Virgine qui & eius est immolavit.

A ta est salutem generis humani: Pater dedit Filium in redemptionem; dedit & Mater: Pater voluit suum Filium crucifigi, voluit & Mater: Pater destinavit morti, & Mater destinavit, & ad hoc genuit: ardebat Pater salutem generis humani, ut Filij sui sanguine redimeretur; ardebat & Mater: vicit Patrem pietas ut donaret; vicit & Matrem, ut donaret: exuit, se Pater patre & Mater matre. *Nulla,* inquit Bonaventura, *Mater per amorem Dei, nostrique, sic exarsit, ut amantissimum Filium & unicum quidem donaret.* Considera nunc Lector, an non merito suo, & dignitate sui statûs, & ante omnia, dignitate suæ victimæ, quæ est infinitæ nobilitatis, debeat vocari genitrix vitæ, Mater gratiæ, reparatrix generis humani? an non Filius Dei, qui victima Matris est infinitæ dignitatis? an non oblatio proximè B participat moralem dignitatis, & meriti infinitudinem? si enim Maternitas, & Christi humanitas in suo genere, infinitam quandam dignitatem sortiuntur, cur non oblatio Virginis, quæ Deo libatur, dedicaturque, quæ est Dei Patris, & Virginis Filius, qui est persona infinitæ dignitatis? Actio ergo, quâ Filium suum, Personam scilicet infinitæ dignitatis, Sanctiss. Virgo Deo dedicavit, cur non proximè accederet ad quandam infinitudinem, cùm hæc actio fuerit illi cum Filio communis? obtulit se Filius; obtulit & Mater: Filius voluntariè mortem elegit; delegit & Mater Filio mortem, cum gaudio: Filius mortem sustinuit; mortem Filij cum gaudio sustinuit & Mater. Audi voces Gersonis in titu- C lo secundo decacordio 3. Dum proprium Filium, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum, & votorum suorum consensit crucifigi pro redemptione nostra dans nobis illum, utique cum gaudio, & exultatione, summam superabat carnis angustiam; alioquin qualiter implesset, quod dicitur, *Hilarem datorem diligit Deus?* An non Abraham suum filium dedicando, immensissima bona & thesauros gratiarum sibi, suisque posteris est gloriosissimè demeritus? Attendamus sacræ Scripturæ verba: *Cumque alligasset filium suum, posuit illum in altare super struem lignorum; extenditque manum suam, & arripuit gladium, ut im-* D *molaret filium suum. Et ecce Angelus de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum, dixitque, Deus: Nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti Unigenito filio tuo propter me. Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est littore maris. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Genesis 22. Quanto major debetur Sanctissimæ Virgini benedictio? An non ejus victima infinitis partibus nobilior victimâ Abrahami? Hic filium mortalem; illa Filium immortalis Dei: hic sibi paris na- turæ

Quanta dignitatis oblatio facta per Virginem SS.

Quantis meritis Abraham filium obtulit.

turæ, & humanæ; illa Divinæ naturæ, & humanæ consortem: Abraham tanto facinore ipsam naturam evicit, prostravitque; & tantâ victoriâ ad Dei amicitiam provectus, & amicus Dei factus, & Pater multarum gentium, & benedictio omnium gentium. Et cur Virginem non dicemus amicissimam Deo, omnium gentium & Matrem, & benedictionem, quæ in spem totius orbis, & omnium salutem Filium suum, Deo in hostiam sacram immolavit? Magnanima invicti Abraham ducis indoles, & mentis decertatio victrix clade suæ domus in filium strinxisse ferrum, quò velificetur Deo. Quid unquam fuit magnum, præter magnum animum Virginis, cui magno nihil fuit magnũ, quàm Deum magnum suum filium, immolare Deo? O quàm maluisset se immolari uterque? in hoc tamen dispares; quòd Virgo tenerrima, tenerrimo pectore omnia tormentorum tela, & acerbitates dolorum, acceperit; Abraham masculo, & rebus obdurato. Concludamus ergo: sicut Christus suis meritis, & morte voluntariâ susceptâ pro nobis satisfecit; sic & Virgo concordi suâ voluntate, quæ circa eam versabatur, dum Filium offert, omnium salutem impetravit: & sicut Christus de condigno, sic Virgo de congruo meruit omnium salutem. Hoc docet Arnoldus Carnotens. de laudibus Mariæ Omnino tunc erat Christi, & Mariæ una & eadem voluntas, unumque holocaustum: ambo pariter offerebant Deo; Mater in sanguine cordis; Filius in sanguine carnis; unde & communem in mundi salute, cum illo effectum obtinuit. An non Mater habet concursum causæ efficientis in generatione Filij? Planè. Poteratne Christus præviderì nisi dependenter à Virgine? Nequaquam. Qui absolutè vult ignem construere, dependenter vult à materia parata & debita construere, & dependenter ab illa in executione: sic Mater Dei merita est executione incarnationis, sicut & mereri potuit maternitatem. Cùm itaque talis tantaque Mater sit, & habuerit concursum efficientem in generatione Filij; illum fovendo in utero suo, & alimenta subministrando, quod est munus matris, cur Matrem salutis non vocabimus? Deinde natum alendo, & ad consummationem ætatis perducendo, ut tandem in victimam, Deo Patri pro mundi redemptione daret, qui nisi à Virgine educatus, conservatusque fuisset, quomodo mortem obijsset? Prævisus ergo primaria Dei voluntate & absoluta, est Christus hominis servator & in executione dependenter à Matre, ut orbis foret salvator. Quorsum hoc? ut orbis universus videat, se debitorem Virgini Sanctissimæ, & sese esse infinitè tributarium, & nunquam solvendo. Deinde ut contempletur veritatem præconiorum, quibus SS. Patres vocarint illam Matrem vitæ, & auctricem gratiæ, inventricem pacis, neminem salvari nisi per illam: cùm enim Filius à Matre separari non possit, Filius non independenter à Matre, orbis est salvator, & Mater meritis Filij sui, & dependenter ab illo, orbis servatrix, tutela est & Mater vitæ.

Vt Virgo SS. pro nobis satisfecit.

Nota in executione dependenter à Matre Filius.

Filius suis meritis, Mater Filij sui, orbis servatrix.

A B C D

§. XXXVIII.

Quâ providentiâ, quâ solicitudine continuá, quibus maternis auxilijs, consulat omnium saluti SS. Mater.

QUandoquidem Sanctissima Virgo habeat formalem actum voluntatis omnes salvandi, fatemur & agnoscimus in Virgine suscitari vigilem providentiam in omnes mortales, ut finem destinatum assequantur. Virtus in omnibus, multo magis in anima Matris celsa est, & actuosissima; est amor ingens, instar ignis obvia quæque corripientis, tanto negotiosior, quo major, & ardentior. Et sanè decet Virginem, quæ cunctorum Domina, & Mater est, omnibus exhibere suæ pietatis ubera, ut vitam accipiant, eamque tueantur. Verùm ne putes generali quadam solicitudine suum regnum gubernare, ut reges parum suorum curiosi, solent; verùm speciatim, singulatimque unumquemque, & quidem quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atomos curat, dirigit, & quasi manu ducit, & Matrem agit. Ipsa ordinem universi pulcherrimum, peccati malitiâ eversum restaurat; ipsa & elementa, cum ruptis obedientiæ fœderibus bellum minacibus iris homini indicunt, ad servitutem reducit; ac denique suis favoribus Deum homini conciliat. Hoc docet Ansel. lib. de excell. Virgin. cap. 11. *Vtiq; cuncta quæ Deus bona & utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerunt, per peccatum esse destiterunt; per Virginem in pristinũ statum revocata sunt, atque restituta.* Et quemadmodum Deus omnia creando dicitur Dominus omnium, sic & Virgo suis meritis cuncta reparando dicitur Domina rerum omniũ. Terrâ, marique igitur cum protendatur imperiũ, ubiq; suas vires exercet, omniũ voces audit, auxilijs subvenit, & opitulatur, neminē horret aut despicit, nisi obstinatè fugiētem. Omnes ergo creaturas advocat in hominum auxilia, quas, ut loquitur Damascenus orat. 5. de Assumpt. *coemptas à servitute in libertatem asseruit, quasi soluto pretio, suis obsequiis in hominum salutem, quos pretio Filij sui, & suis meritis concurrentibus sibi vendicavit.* Et sicut Sol terrâ marique, aurum, uniones, & singula quæque pretiosa producit, ita & Virgo; & propterea, teste Bernardo, in verba Apocal. 12. *Signum magnum.* ubi mulier amicta sole describitur, propterea velut alterum solem induit sibi. *Quemadmodum ille super bonos & malos indifferenter oritur super peccatores & justos: sic ipsa* quoque

Curiosa Virginis gubernatio.

SS. Virgo pravis, & bonis se æqualem exhibet.

quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet; omnium denique necessitates materno miseretur affectu.

§. XXXIX.

Hujus voluntatis Virgineæ per facta comprobatio.

DIximus in Deo esse voluntatem signi, & beneplaciti; ita & in sanctissima Virgine. Diximus præterea, signa divinæ voluntatis quinque numerari; sic & quinque signa Virgineæ voluntatis. Primum, præceptum, quo velut Regina & Domina leges rebus condit: nutu despotico gubernat, & ad nutum omnia frænat, laxatque. Et quis est qui audeat contraire? Alterum signum est prohibitio, quâ suis, & eorum factis cavet; quâ sceleribus prodeuntibus obviàm procedit; quâ interdicit vitæ pravæ commercia; quâ præcludit vias perversitati; quâ meditata scelera jubet poni. Tertium est, consilium, quo secretis molitionibus, & dulcibus susurris inspirat, & immittit bonæ mentis sanctos cogitatui, quo virtutis arduæ vias ineant & sequantur mortales. Quartum est permissio, quâ tristes eventus, & horribiles exitus rebus laxat, in majus & luculentius bonum. Quintum est operatio, quâ rebus manum injicit, easque suâ dextrâ moderatur, & efficaciter vult concurrere, vel precibus, vel miraculorum patratione, vel gratiarum impetratione. Circa hæc quinque signa, omnia prodigiosa miracula versantur. His quinque signis adest omnibus, ut omnibus, tanquam propugnaculum, tanquam murus inexpugnabilis, tanquam Mater orbis prospiciat atque defendat.

Quinque signa voluntatis Virgineæ, quibus suum gubernat imperium.

§. XL.

Salutem totius orbis laborantis & quasi perituri, complectitur, tuetur, & lachrymarum potentia redimit.

QUanti sit una Virgo, doceat sanctissimi duo Ordines in suis annalibus. Cùm S. Dominicus cum sua sancta sobole fax orbis in templo Principis Apostolorum per noctem, sui Ordinis meditaretur fausta principia, ecce subitò visum est cælum pandi. Videt Christum, flammato vultu consurgere in extremas iras, orbis exscindendi: videt Christum tribus lanceis funestis, orbi funus meditantem, unam in superbos, alteram in avaros, tertiam in lascivos & Veneris fœdæ fœdos heredes. Ardet ultio, minitans supremum malum. Cælites, quasi non cælites stant attoniti metu; quis audeat irato Deo procedere obviàm, desperatis quodammodo partibus? Sola Mater occursat: quid enim non audeat, & posset Mater? rogat sibi concedi justas iras, suum regnum peti, quod & suo videri posset sanguine partum: quandoquidem Filij adgeniculatur judici, qui grassantium peccatorum impunitam perversitatem aiebat non esse diutiùs tolerandam: & quamvis indomabilis videretur, solæ lachrymæ exorarunt; vox Matris influxit, & inflexit mentem. Eia Fili, inauguror dedicoque duos fideles servos (Dominicum scilicet & Franciscum,) qui populos ruentes in scelera, à sceleribus revocabunt ad virtutem ferè toto orbe languescentem, proscriptamque. Productus ergo Franciscus, productus & Dominicus hujus spectaculi testis (mirum dictu) Franciscum altero die occurrentem & ignotum, ex nocturno visu notum, arctè complexus est Dominicus, dixitque ad designati muneris partem vocari. Sic tractat continuò curas orbis in cælo: sic ruiturum orbem mole scelerum præcipitem, suâ intercessione levat, servatque vindice Filio, pacato.

§. XLI.

Agit & in terra, agit & in mari causam Christianorum.

VIdeamus ut dominetur ventis Oceani tyrannis, atque ipsi Oceano. Expugnatâ Cypro à Turcis anno 1570. totam armorum victricium molem, in Italiam, & reliquam orbis Christiani partem, ira victoris converterat. Tantus fragor detonabat in omnium nimio metu perculsas mentes, ut de summa rerum jacienda alea videretur. Undique pavor, & servitutis metus: Felix tunc Sedes Petri, Pio V. Præside, viro sanctissimo. Hic ex arce imperij omnia longè, lateque circumspicere, spes concipere, sociali fœdere jungere, instruereque classem, suas copias cum serenissimæ Reipub. & Hispanis unire, quæ spes, & vires orbis Christiani veherent. Jam Turcicus terror, secundo vento inflatus, lunato agmine properabat. Classis ingens, quâ nulla unquam major, quasi victoriæ certa, nostris cervicibus inhiabat. It clamor cælo, circumsonant omnia vocibus militum, quibus aut mori, aut vincere decretum. Ad Echinadas, & Naupactum, Corinthiaci sinus oppidum, ubi Octavianus Cæsar, & Antonius totius orbis viribus concurrêre. Committitur prælium. Christiani pro ultimo libertatis puncto: Turcæ pro totius reliqui orbis spolio. Utrimque atrox prælium. Obnituntur sibi invicem, & virtus virtute certat. Nusquam atrociùs, nec tam ancipiti marte concursum. Quinam ille horror, cùm diu pari marte nihil aliud acies, quàm occiderent. Et ecce cùm classi Christianæ, non minùs acre cum

Victoria Ioannis Austriaci contra Turcas.

mari, quàm inter se navibus esset bellum, & nescio quid deliberare videretur fortuna; subitos favores cælo misit partibus nostris sanctissima Virgo. Et cur non salutare sidus maris adderet suis servis spes viresque? Versus in hostes ventus, qui nostris adversus; reportatur victoria, post Ottomannici nominis memoriam, longè maxima. An non memorabili ad internecionem cæsus hostis prælio? catenas, servitutem victoriamque spirans? Quanta fuerit hostium cædes, ira, rabiesque, victoribus, sic æstimari potest: An non captæ triremes ferè cc. & ad triginta millia Turcarum cæsa? an non sex millia capta? an non quindecim millia Christianorum, qui catenati ad transtra sedebant, libertate donati? Quis tot bona peperit orbi Christiano, nisi Domina maris? Incedebat navis Prætoria Joannis Austriaci (qui tantum ostensus terris,) qui & classis Imperator, non firmior veterano milite, quàm voto, Virgini Lauretanæ facto. Illa classi, cujus imago ostro, auroque fulgens, toto pelago conspicua videbatur, præsidebat. Illa ut Domina maris ferebatur explicato sinu, & vocatis ventis, victrices suas catervas inferebat in hostem, & voti reo victoriam dedit. Nec tantis Princeps ingratus: voto se statim exsolvit; nec glacies, nec sævitia hyemis, nec aëris inclementia, nec victoriæ dulcedo moram itineri injecit. Neapoli Lauretam versus intendit iter pedes, & ubi in conspectum sacræ domus venit, terræ ageniculatus Dominam eminus salutare, venerari, terramque complecti & nudo capite reliquum iter absolvere. Solvitur, & suspenditur votivum Dominæ vexillum, tantæ victoriæ monumentum, quod etiamnum supra domus fastigium explicatum visitur. His sacris artibus pater Carolus V. domuit suos hostes, iisdem & filius: quàm jucundum spectaculum exhibuit, & orbi, & toti aulæ, & jucundius sibi, cùm ad Dominæ pedes coram Sacerdote totius vitæ maculas expiavit? quantus futurus, si vixisset, in quo totus pater, & patris fortuna vivebat.

Virgo decus cæli adfuit.

Victoria Virgini SS. nuncupata.

§. XLII.

Urbs regnatrix liberata.

QUoties altera Roma, Constantinopolis à barbararum gentium crudeli conspiratione liberata? Liberavit eam semper sanctissima Virgo, quamdiu in vera Filij sui fide stetit. Ex Theophane anno Domini 717. stringam paucis. A Saracenis ad triennium obsidetur, & liberatur: binæ classes annonam deferentes incensæ: perdurat obsidio; at fame & peste pereunt hostes, & à Bulgaris ad 22. millia trucidantur. Classis vehens reliquias exercitus, dispersa: partim tempestatibus hausta: partim cùm Ægæum pelagus transisset (dictu horridum) grandine igneâ ebulliens mare, dissolvit pice liquefactâ naves, absorbuitque; decem tantum salvis, ut essent nunciæ suæ calamitatis, & potentiæ Virgineæ. Virgini ergo æterna supplicatio decreta, ut constat ex Menelogio Basilij Imperatoris. Hanc urbem sanctissima Virgo ut suam tuebatur, futura æterna nisi veram fidem deserens, à matre deserta fuisset. Et ut æterna foret, Constantinus Magnus anno salutis 330. Virgini dedicavit. Sic Nicephor. *lib 6. cap. 26.* Hanc urbem esse in unius Virginis tutela, & ejus fidei & felicitati commendatam pulcherrimo facinore docuit Joannes Commenus Imperator 5. sui anno imperij & Christi 1124. Hic fiduciâ Virginis ingentes Scytharum copias, barbarasque alias junctas gentes fregit, vicit, & in triumphum duxit. Verùm, ut ducem belli, & victoriæ curatricem Virginem agnovit, sic & debitum triumphum Virgini persolvit, eique non suis armis victoriam retulit. Ipse igitur currum triumphalem magnifico apparatu structum, cui imposita Virginis statua, pedes crucem manu gerens, currum anteibat, equos verò candidissimos cognatis suis regendos dedit. Lætus ergo templum Sophiæ ingressus, supremo dictatori Deo, & suæ Dictatrici gratias debitas solvit, festumque instituit, quod Pazzinacarum dicitur, id est, universarum victoriarum. Sic Nicætas Choniates. Huic præluxit majori gloriâ anno Christi 971. Joannes Zemisca secundo sui imperij anno. Fusam historiam à Joanne Curopalate scriptam contraham. Conspirârant simul Rossi, Bulgari, Scythæ, Turcæ & alij barbari adversus Romanum imperium, ad trecenta millia militum. Quid agat Imperator? adfuit illi auxilium Matris, quæ sancto Theodoro Martyri, militi quondam, imperavit his verbis: *Meus ac tuus, Theodore, Ioannes in periculo versatur: ad ejus auxilium propera.* Barbari ergo numero infiniti, cæsi; vulnerati autem ferè omnes. Sūma ergo Religione, quâ vicerat, triumphum paravit: paratur currus magnificus: renuit illum conscendere, verùm albo equo tectus, allatas admittens coronas triumphavit. Vide victoris moderationem; currum triumphalem onustum Bulgarorum vestibus, quæ Genitricis imagini tanquam victrici erant substratæ, ipse tanquam collega Theodori Martyris sequebatur; & nihil altum, nihil sublime spirans, Constantinopolim festivis plausibus exultantem intravit. Nostri ævi spes, summa horribilis rerum tempestas in domo Austriaca proferet imperium Ferdinandus II quem cælum videtur elaborasse insolenti rerum jactatione, & bellorum, armorumque portentoso semper exitu, in ostentamentum magnanimitatis inconcussæ, & sanctæ Virginis ornamentum. In illo viro ostendit fortuna, quid posset; cùm totus orbis in unum visus conjuratus bellare: in illo eodem viro gloriosissimè monstravit Mater Dei suam potentiam, quâ fortunam undique tumultuantem

Constantinopolis triennali obsidione pressa, liberatur à Virgine.

Urbs S. Virginis.

Ioannes Commenus Imperator triumphum Virgini tribuit.

Ioannes Zemisca victor 30000. millibus occisis.

tem pressit, & supra omnem mortalium spem, subegit.

Beatus Bernardinus, cui Virgo corculum animæ, & ipse Virgini, cùm ardenter in hæc verba Joannis diceret: *Signum magnum apparuit in cælo, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Cùm primam stellam exponeret de Virginitate; an Virgo distulit præmium memor laudis donatæ? Ecce tibi radiantissimo Sole, Stella Sole micantior supra caput dicentis fulsit, quæ suos radios in faciem dicentis tota concione spectante vibrabat. Laudavit Stellam Virginem, nec Stella Virgo illaudatum dimisit suum laudatorem. Memorabile est quod narrat Pelbertus in Stellario *lib.2. p.2. & 3.* huic eidem Sancto coronam recitanti Virginem apparuisse, eumque sic compellasse: Bernardine devote mi famule, multum mihi in tua devotione complacui, pro qua à Filio meo tibi gratiam verbi & miraculorum impetravi, tandem & æternæ vitæ lauream. Felix successus promissa probavit. Vir sanctus ebrius ab uberibus Virginis, ut solet esse in ebrietate pectoris, nuditas, clarè confessus est, se nihil cælo donorum cælestium accepisse, nisi Virginis patrocinio, & devota gaudiorum memoria, quorum causa coronam quotidie Virgini dicabat. Inter ceteras memorem præteritorum obsequiorum mentem Virginis nuntiabat posteris Thomas à Kempis, qui finivit 1471. Hic ab ipsis teneris unguiculis biberat amorem Virginis,

S. Bernardinus cuncta impetravit à Domina cæli, & tandem vitæ lauream.

A eamque studio & veneratione sustentabat. Verùm ut anceps & inconstans in utramque partem animus humanus, deflexit de recto in pravum; & ignis factus est cinis, penitusque refrixit. An Virgo deseret sui desertorem? gerit illa memorem animum. Visu nocturno dignata est juvenem, quo ad pristina revocaret. Visus est sibi juvenis interesse sacræ lectioni sodalitij, cui & se Virgo cælo descendens præsentem stitit & fratres, qui verba Dei spargebant, collaudans complexabatur intentos alienæ saluti. Inter spem & metum, sperabat animosius Thomas eosdem beatos complexus: verùm longè aliter cecidit; nam Virgo tristi severoque vultu, & severiore voce intonans, juvenem compellat: *Túne ausus mei amoris complexus sperare, qui castra mea, meosque* B *ordines fugitivus deseruisti? Transfuga es, & alienis militas signis, qui priùs in amore mihi miles stipendia meruisti. Ubi arma pristina? ubi tesseræ? ubi voces mihi notæ, & studia serviendi?* Emeritis stipendiis meæ familiæ, commigrasti in hostilem: *Abi*, inquit, *à me, non hoc tibi sic abibit.* Et vultum aversata, cælo se reddidit. Quis tunc animus juveni? Hærent verba infixa medullis, non aliter quàm cervo volatile telum. Damnat ergo desidiam, inertiamque vitæ actæ; collecto animo revocat accenditque pristinos amores. Quantum à se diversus, temporis processus docuit. O quantum instar in ipso!

Thomas à Kempis frigidus incaluit SS. Virginis acri monitione.

Quanta est illi cura nostra salutis.

DECI-

DECIMÆ QVARTÆ CONSOCIATIONIS DE BONITATE DEI.

PARS PRIMA.

§. I.

Quomodo sit summum bonum simpliciter, alio modo quàm creaturæ bonæ sunt.

QUID sit bonum, & quale summum bonum quis comprehendet? nisi qui comprehendit infinitum, quod solùm omni modo, & omni ratione, quæ excogitari potest, perfectum est. Quid est summum bonum? quod ita bonum est, ut nullum malum adesse possit: & sit ipsa bonitas, qualis in Deo est bonitas naturalis, per quam habet omnem perfectionem in toto genere entis, tanquam infinitum bonorum omnium pelagus. Quare non solùm omne bonum in se; sed etiam eminentissimè continet, non per multas diversas formas, vel qualitates; sed per unam, & simplicissimam formam; nempe per essentiam suam. Huc spectat, quod suprà allegavi ex Platonis Philebo, ubi ostendit Deum esse summum bonum ex conditionibus summi boni: quarum prima erat; summum bonum esse perfectum, sufficiens, expetendum perfectum, quia nihil sibi deest: sufficiens, quia ipsum habenti, nihil deest: expetendum, quia in illo, & ex illo, & per illud est, quidquid expetitur.

Qualis sit summum bonum.

Conditiones summo bono insitæ.

Deus ergo, hoc ipsum solum bonum perfectum est, quia, ut suprà dictum est, omnes boni conditiones in se continet, quales sunt hæ: Dare omnia, & nihil cupere: nullius esse indigum: à nullo vinci posse; esse sibi sufficientem, & omnibus numeris perfectum. Pulchrè Dionysius *lib. 4. de divinis Nominibus*: ***Bonum illud est, ex quo omnia con-***

A ***stiterunt, & veluti à perfectissima causa producta sunt, & in qua consistunt universa, tanquam in fundo cuncta continente, custodita, contentaq́; & ad quod omnia, tanquam ad finem, quæque suum convertuntur, quodq́; appetunt universa.*** Et sanè præclarè. Hæc enim est natura bonitatis; ut omnia ad se convertat, primaque quæ dispersa sunt, colligat, tanquam vivifica Divinitas, & principium Unitatis, omniaque ipsam, ut principium, ut complexum, ut finem appetant. Diximus autem suprà bonum, & pulchrum, ratione differre. Quæcumque igitur sunt, & fiunt; propter bonum, & pulchrum sunt, & fiunt, & cuncta in ipsum intuentur, & ab ipso moventur, & conservantur; & ipsius gratiâ, & propter ipsum, & in ipso omne principium B exemplare, finale, efficiens, formale, materiale; & denique omne principium, omnis conservatio, omnis finis existit. Universis ergo pulchrum, & bonum desiderabile, & amabile est, & ab universis diligitur.

Natura bonitatis.

Nota, quæso Lector, vim, & naturam ipsius bonitatis, ex ipsomet Divo Dionysio ***eodem cap. Quin & hoc verè audemus dicere, quod ipse Deus, scilicet, qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis, omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, omnia ad se convertit; & est divinus amor, bonus boni propter bonum.*** Quare & amor vocatur Græcè ὁ ἀγαθόεργος τῶν ὄντων ἔρως, ad verbum, bonificus rerum amor. Hic amor, qui ante omnia in bono exstitit, non remansit sine

Bonitas est causa amoris divini, erga homines.

sine fœtu; sed potiùs bonum amorem nobis peperit, per quem bonum, & pulchrum expetimus. Observa hinc motum: amor enim bonorum effector, movit Deum ad providendum nobis, ut & nos constitueret, ut cùm moveretur, produceret, & non remaneret expers fœtus. Et hoc est, quod Dionysius dicit; Deum ex amatoriâ bonitate extra se ferri; quia, scilicet, bonum est diffusivum sui. Non enim potest Sol non lucidissimos spargere radios sui fulgoris. Deus, summum bonum est; quia bonus quâcumque bonitate, & quidem simpliciter; non solùm in aliquo genere, vel ordine rerum: sicût creaturæ; quæ etsi bonæ sint per essentiam, non tamen bonæ quâcumque bonitate: perficiuntur enim aliquo addito, distinctæ ab essentia. Deus autem hoc modo non perficitur, quia quodcumq; in Deo est, est de ipsius essentia: Deus enim ita bonus est, ut sicut essentia ipsius non potest non existere; ita & ejus bonitas non possit ei non inesse; ita bonus, ut malitia nulla illi possit opponi, cùm ipsius essentia non possit non esse: creaturæ verò bonitati opponitur malitia, quæ est corruptio, & interitus ipsius substantiæ: hâc autem sublatâ, omnis rei bonitas de medio tollitur.

Deus productor fœtus.

Creatura semper aliquid deest.

Vide ergo quâ ratione Deo proprium est, esse bonum per essentiam; cùm bonitas sit ipsius essentia: in creaturis verò bonitas rei creatæ, non est ipsa ejus essentia; sed aliquid superadditum, v.g. perfectio superaddita, vel ordo ad finem. Juxta Aristotelem, id perfectum est, cui nihil deest. Perfectus ergo Deus, cui quid deesse poterit? Res præterea bona est, quæ in suo esse perfecta est, quæ habet omnia, quæ ad complementum sui esse requirit. Præclarè hæc Dionysius: quare & primum attributum Dei constituit, dum ait in exordio capitis quarti: Age jam, ad ipsum boni nomen progrediamur, quod exemptè omnes, Divinitati suprà Divinitatem attribuunt Theologi, vocantes (ut arbitror) bonitatem ipsam, essentiam divinam, Divinitatis originem. Et quia sic suâ essentiâ bonus est Deus, ut tanquam substantiale bonum, bonitatem in omnia porrigat. Hoc ipsum divinè docuit Dionysius *cap.* 13. ubi docet, quo sensu, Deus dicatur perfectus: Perfectus itaque est, non tantum ut seipso perfectus, & per se à seipso uniformiter definitus, totusque, secundùm se totum, perfectissimus; verùm etiam supra quàm perfectus secundùm omnem excessum: atque omnem quidem Divinitatem definiens; supra omnem quidem finem expansus, & à nullo comprehensus, aut contentus; sed ad omnia pariter, & supra omnia indeficientibus largitionibus, & nûquam finiendis operationibus pertingens. Perfectus item dicitur, ut qui nullum accipiat incrementum, semperque perfectus sit; nec minui possit, omnia in se præhabens, & exuberans, unâ & eâdem incessabili, & supra quam plenâ, & immutabili largitione, per

Bonitas Dei, est ejus essentia.

A quam omnia perfecta perficit, & unumquodque congruâ sibi perfectione adimplet. Quare & dicitur Auctor, fons, origo omnis perfectionis, quâ creaturæ tam in ordine naturali, quàm in ordine supernaturali perficiuntur; ut congruè, & feliciter possint exercere communicatæ virtutis laudabiles actiones. Quare optimè sacri Theologi, boni nomen tribuunt Divinitati, à quo bona cuncta procedunt: quoniam omnia producta sunt propter bonitatem, ipsam Dei superexistentiam appellantes bonitatem, & per se bonitatem; non quòd Deus adscititium habeat bonum, aut per accidens, quasi essentia sit quid aliud, & accidentariam habeat bonitatem; (de quo posteà) sed ipse cùm existat ipsius boni substantia,

B naturaliter ad omnes extendit bonitatis suæ fulgorem; hoc ipso, quò bonus est; quemadmodum Sol non aliundè lumen mutuando, illuminat; siquidem ipse, lux est Et hoc ipso, quo lux est, naturaliter illuminat omnia quæcumque lumen ejus valent excipere. Non absque ratione Dionysius *lib. 4. de divinis Nominib.* dicit Solem divinæ bonitatis figuram, cùm ait: *Sic etiam ingens iste, & totus splendidus, ac semper lucens Sol; imago est expressa Divinitatis, quatenus tenuissimum quid illius boni in eo procul resonat; & omnia, quæ illum participare possunt, illustrat; & lumen quod supra extensum, quod in universum mundum, qui cernitur, tum superiorem, tum inferiorem splendore suorum radiorum multiplicat; & si quid eum non participat, non est in causa imbecillitas, aut tenuitas illuminandi; sed potiùs rem ipsam non esse expeditam, quia non sit idonea ad admittendum illud.*

Sol divinæ bonitatis tenue speculum.

C Ab ipsa ergo bonitate Angelorum mirabilis perfectionis consummatio ex universali causa, fontalique bonitate proficiscuntur, ex qua ipsis forma bonitatis data, concessumque est; ut latentem in se bonitatem Dei valeant enuntiare, sintque Interpretes; & clara lumina sanctissimæ Trinitatis, cui nomen boni ex toto & integro convenit; ut docet Dionysius, *cap. 2. de divinis Nominib.* cùm ait: *Ipsamet bonitas à sacris Literis celebratur, totam essentiam, quidquid tandem sit, definivisse, atque explanasse.* Ipse enim Christus hoc ipsum tradidit, dum respondit Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus.*

D Quod de totâ Deitate accipiendum est; sicut & illud de totâ Trinitate accipiendum est, *Ego sum, qui sum.* Exodi 3. Bonitas ergo Dei, effusione sui boni inundat omnia creata, omnem mentem, tam cælestem quàm mundanam, & plenitudine suâ imbuit, & lumine suo collustrat, ut omnes similes efficiat sibi.

§. II.

§. II.

Quid est bonum summum, vel in quo situm est.

PHilosophorum Gentilium, & sanctorum Patrum laudes in summi boni Majestatem celebratæ, nos invitant; ut naturam boni pervestigemus: & inprimis quid sit, vel in quo situm sit summum bonum. Quid enim, inquit Tullius, *lib.1. de finibus*, in vita tantopere quærendum, quàm quid sit finis, quod extremum, quod ultimum, quò sint omnia benè vivendi, rectéque consilia referenda. An non ad summi boni notitiam, ejusque amorem, omnis cura declinanda? quo enim rectè vivet, qui vitæ regulam ignorat? an non Artifex ad regulam, & perpendiculum operatur? Scopus nostrarum actionum, est bonum summum, tanquam ultimus finis, quo excidisse, est periisse. Versandus ergo animus in omnes partes; ut rei tam sublimis veritate obtentâ, omnes, in ejus consecutionem, nervos intendat. Aggrediamur ergo summi boni excellentiam, quæ degustata, tanquàm fons radiorum, & effusio luminis, mentem congregatione omnis felicitatis inundat.

Quantùm Philosophi, tanquàm cæci à veritatis luce aberrarint, videamus. Lactantius, *lib.3. divinarum institutionum, cap.7.* decem ponit Philosophorum, de summo bono, divinitorias sententias. Audiamus ipsum Lactantium: Epicurus, inquit, summum bonum in voluptate animi esse censet. Quamvis Cicero, *lib.2. de finibus*, probet & Epicurum fuisse complexum voluptatem corporis, in qua Aristippus, & alij Epicurei, summum bonum collocarunt. Hos porcos sequitur Mahumetus in suo Alcorano, Azoara 2. & 28. in quibus locis pollicetur paradisum, amœnitate felicem, fontes dulcissimos, fructus varios, & mundissimas mulieres. Hujusmodi mercedem, ut ipse loquitur, interminabilem benè viventibus addicit. Quantæ infelicitatis hoc summum bonum, in cujus partem veniunt & stolidæ pecudes, ad pastum, & libidinem projectæ? An voluptas corporis potest esse summum bonum, quâ homo, seipso deterior, & pecudum induit naturam? An non Plato voluptatem, vocavit escam malorum omnium? Et Seneca *Epist.111.* indulgere voluptati, initium omnium malorum est? An non totus orbis cum Poëtis contra hanc opinionem, ut pestiferam & lætiferam consurgit armatus? Clamat Horatius, *Epist.1. ad Lollium*:

Epicuri summum bonum quale.

Epicurus bestias homines facit.

Superne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Seneca *in Thyeste*:

Nulla sors longa est, dolor ac voluptas
A *Invicem cedunt, brevior voluptas.*
Ima permutat brevis hora summis.

Silius Italicus:

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostis,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.

Corporis voluptas malum magnum.

Audi Epicure Senecam, *Epist.39.* Quis, inquit, hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam suæ sunt voluptates? quorum impotenti, & insanæ libidini ob hoc unum posses ignoscere, quod quæ fecêre, patiuntur. Infelix schola Epicuri, qui suis non alium Deum statuit, quàm ventrem, & ea, quæ sub ventre sunt; juxta illud Apostoli: *Quorum Deus, venter est*, ad Philipp.3. *v.19.* cui uni, Cyclopem imitati, sacrificant; B qui dicebat se Jovem non curare, sed maximum Deorum, esse suum ventrem, cui quotidie litabat. Proscribamus orbe Epicurum, qui prô dolor! Epicureis abundat, & dicamus cum Cicerone, in Catone Majore, nullam capitaliorem pestem, quàm corporis voluptatem, hominibus à naturâ datam: nullum scelus, nullum facinus esse posse, ad quod suscipiendum, non libido voluptatis impellat: cumque menti nihil sit præstabilius à Deo datum, huic divino muneri nihil esse tam inimicum quàm voluptatem: nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse; nec omnino in regno voluptatis virtutem posse consistere. Circe suis medicatis poculis homines in bestias vertebat. Deterior vo-C luptas, quæ mentem deturbat, & in pecudem transmutat. Ah prô dolor! quàm docilis orbis, magno certamine fœdæ voluptatis servit imperiis! prô dolor! ut uni voluptati habetur honor! Si summum bonum, voluptas; quare sui possessores non beat, atque felicitat? cur deteriores, & saltem non bonos facit? cui sui desiderio, & potitos votis implet sui fastidio? A summo bono mœror, & omnis exulat molestia, quâ qui non caret, beatus esse summo bono non potest. De qua re posteà latiùs. Redeamus ad Lactantium. Calliphon, & Dinomachus, & Cireniaci honestatem cum voluptate conjunxerunt. Ah quàm malè in una sede locantur!

Epicureorum vita.

Voluptas cum virtute stare non potest.

Diodorus, in privatione doloris summum D bonum posuit, id est, in dolore mitigando, & sensim exstinguendo: Hieronymus, in non dolendo: Peripatetici, in bonis animi, & corporis, & fortunæ: Herilli, summum bonum, est scientia: Zenonis, cum natura congruenter vivere: quorundam Stoïcorum, virtutem sequi. Aristoteles, in honestate, & virtute summum bonum collocavit: hic constituit Beatitudinem potissimùm in perfectissima operatione præstantissimæ facultatis circa præstantissimum objectum, hoc est, in contemplatione Dei, & rerum divinarum, quantum fas est homini: requirit tamen secundariò, functiones virtutum moralium, tum bona corporis, tum bona fortunæ.

Sententia Gentilium de summo bono, in quo sit positum.

Apu-

Bonum naturæ divinæ causa à Gentilibus dictum.

Apuleius, Deum beatum, & beatificum A nominat: Speusippus, Deum dicit immortalem, ad Beatitudinem sufficiens, naturæ ipsius bonum esse causam. Quare & Plato in convivio dicit, contemplatione istius boni fieri beatum. Optimè proinde Mercurius Trismegistus: *Deus exhibet omnia, cupit nihil:* Deus quia bonus est, dedit homini omnia, suæ congratulatus imagini, quam obsignat suâ imagine, quâ sui esset capax opificis, illumque posset intelligere, ac si intellectum amaret, & demùm sua esset fruitio, atque possessio. Quod ipsum docet Augustinus, primo, *de doctrinâ Christianâ: Summa merces est,* inquit, *ut Deo fruamur: Deus enim, quia solum bonum perfectum, solus hominis implet mentem.* Bonum verò nostrum, docet Mercurius Trismegistus, B nihil aliud esse, quàm minimam mali portionem. Optimè ergo Plato dicit, boni nomen soli Deo congruere: & licet mala inferat pœnæ, non tamen malorum Auctor dicendus est. Meliùs, inquit idem in Gorgiâ, sic nos castigari, quàm permanere in scelere. Quare Stenides Locrus Pythagoricus, *lib. de regno,* provocat Reges ad imitationem: *Quàm optime,* inquit, *Deum Rex imitabitur; si magnanimum, sapientem, & paucorum indigum sese præstiterit, paternum animum in subditos gerens.* Hanc enim ob causam præcipuè Deus existimatur primus parens Deorum, ac hominum; quoniam omnibus subjectis se benignum exhibet, nec unquam cessat gubernatione suâ neglectâ: nec satis putavit se Creatorem C tantum omnium esse, quin etiam nutritor, præceptorque bonorum omnium, ac legislator omnibus ex æquo est. An non ideò exhibet se nutritorem, quia optimus? Callicratides Pythagoricus, Lacon de familiarum felicitate. Quocirca mundus, Græcè, Cosmus appellatur, ut qui per decoram administrationem pulchri, ad unum optimum dirigatur. Est verò illud optimum, Deus ipse cælestis, incorruptibilis, principium, & causa rerum omnium. Xenophon, in Epistolâ ad Æschinem præclarè docet, Divinitatis naturam supergredi limitati intellectus nostri conditionem, quamvis insatiabili sciendi cupiditate semper uratur; ac proinde ejus inquisitionem non esse tentandam. Quinam verò sint Dij, D nec inveniri facilè potest, nec inquiri fas est; quippe servorum non interest, naturam, aut facta suorum Dominorum scire; ut quibus nihil convenit, nisi servire. Rationem dabit Mercurius Trismegistus, ad Tatium scribens, ubi sic orditur: Deum cogitare difficile est, eloqui impossibile: res enim incorporea non potest corpore significari, & quod æternum est, cum temperamento ægri non componitur: hoc præterit, illud semper existit; inferius à præstantiore tantùm distat, quantum à divina natura mortalia, quæ oculis, & aliis sensibus usurpari possunt; ut corpora visibilia (& eorum accidentia) eâdem linguâ enuntiare possumus: quod autem incorporeum, inconspicuum est; & sine omni figura est, neque naturâ constat, à sensibus percipi non potest. Intelligo Tati, intelligo Deum ineffabilem. Cùm igitur essentia Divinitatis, sit ipsa bonitas, & pulchritudo infinita; quis infinitudinem boni, & pulchri, quæ se in infinitos gradus coëxtendunt, assequetur? sic dixi bonum, & pulchrum, esse divinam essentiam; ut tamen licet eodem subjecto insint, ratione tamen ab invicem differre: bonum enim, ad appetitum: pulchrum, ad vim cognoscitivam attinet. Bonum, quod omnia appetunt, finis habet rationem: pulchrum, rationem formæ obtinet, & intellectu cognoscitur, & videtur. Paucis subjeci oculis Philosophorum, præclara de summi boni natura, elogia: utinam & bonum infinitum & laudassent amando, sicut intelligendo, & scribendo.

Deus castigans non desinit esse bonus.

Reges sint imitatores Dei.

Quantum distent divina ab humanis.

§. III.

Admirabilem, & stupendum divinæ bonitatis indolem & commendationem, primùm ex sacra Scriptura, deinde ex sanctis Patribus discamus hauriamusque.

Sacra Pagina totâ quanta, est gravida exundantibus laudibus divinæ bonitatis; exaltat eam, & omnibus quibus potest modis celebrat, & adorandam, & amandam proponit. Quàm ebriâ quasi mente Vates Regius, Psalm. 117. omnes invitat, ad vocum, & laudum consociationem, dum ait: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat nunc Israël, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus.* Orditur, ingeminat, & finit Psalmum eodem concentu, dum ait: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculũ misericordia ejus.* Negat Augustinus, potuisse laudem Dei brevius explicari, nec quidquam grandius dici istâ brevitate, cùm respondit Christus laudanti Christum ut hominem, *neminem esse bonum, nisi solum Deum.* Matth. 19. & ideò maximâ laude dignus, quia Deus per se, & substantialiter bonus, multoque magis, quod nos beneficiis afficit. Et quamvis naturâ suâ bonus sit, tamen præcipuè in se substantialiter bonum ostendit, quòd vehementer læsus, se communicat, & læsus obruit beneficiis, quod jacentes extollit, & donis amplificet. Quicumque hoc egerit, non solùm simillimum summis viris, sed simillimum Deo judico. Deinde quicumque cum Psalmista confitetur Domino, non quia sibi bonus, sed quoniam bonus est; hic diligit Deum propter Deum, & non propter seipsum, & omnia creata propter ipsum. Quare & Hugo dicit *laudandum Deum, nullâ spe compensationis propositâ, quia bonus*

Solus Deus bonus.

Quæ laus placeat Deo.

nus in se, & ex naturâ, & aliis bonus ex gratiâ. A

Quàm grata sit Deo confessio suæ bonitatis, docet sacra Scriptura, 1. *Paralip.* 16. cùm enim tubis, & cymbalis, & organis, & diversi generis instrumentis, laudes divinæ bonitatis extollerent; fuit impleta domus Domini nube, ita ut non possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem; quia compleverat gloria Domini, domum Dei: provocatur quippe Deus laudibus suæ infinitæ bonitatis, dum naturam ipsius, & supremam substantiam, quæ est ipsa bonitas, in apertum producimus, manifestamus, & in admirationem extollimus; ut in omnes thesauros suæ bonitatis superplenos, exundantes, & nunquam deficientes effundat: & quod summæ bonitatis B proprium est, quantum fieri potest, homines Deos sibi Deo faciat similes. Et ut id fiat, se in cibum sumendum dedit, ut tanquam cibus grandium in suam transferat Divinitatem, nostram mortalitatem. An non Deus 2. *Paralip.* 20. laudibus suæ bonitatis, & misericordiæ excitatus, instar summi Imperatoris sua arma pro Rege Josaphat movit, & victoriam inexpectatam dedit? Audiamus ipsum textum: *Iosaphat dedit consilium populo, & statuit cantores Domini, ut laudarent Deum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consonâ dicerent: Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.* (& ecce: ecce Deus adest, adest Deus;) cùm enim cœpissent canere, vertit Dominus insidias in se- C ipsos, & percussi sunt, omnesque usque ad internecionem perierunt: tanta verò spoliorum magnitudo, & copia relicta; ut per tres dies spolia tolli non potuerint. Et ne memoria tanti beneficij interiret, locum vocârunt vallem benedictionis: quoniam, ibi benedixerant Dominum. Deinde vide Lector, quàm longè lateque divina laudata bonitas sese diffuderit: *Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cùm audissent, quòd pugnasset Dominus contra inimicos Israel. Quievitque regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.* Sic bonitas superplena, & supra quàm bonitas Dei, quæ est ejus substantia, precibus vocata adest, prodigiosis eventibus suos supplices illustrans. Sic ad Ezechiæ Regis 2. *Paralip. cap.* 30. D pacatus Deus, voces Regis exaudiit: *Dominus*, inquit, *bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum; & non imputabit eis, quòd minus sanctificati sint. Quem exaudivit Dominus.* Verè pius, & clemens noster, qui subitò ad peccatoris pœnitentis vocem placatur. Qua de causa Chrysostomus, *homil. de pœnit.* exclamat: *Dat gloriam Deo, qui peccata sua confitetur, quia Dei deprædicat bonitatem.* & ideò Augustinus legit, *suavis.* ubi & Hieronymus docet pro nomine *bonus*, legi χρηστός, id est, *suavis.*

Fructus ex laude Dei manant.

Victoria ex laude divina.

Confessio deprædicatio bonitatis divinæ.

§. IV.

Videamus ut sancti Patres celebrent Dei bonitatem.

PRæ ceteris Patribus occurrit nobis Augustinus, qui summi boni laudes magnificè deprædicat extollitque, *tomo* 8. *pag.* 315. *Deus*, inquit, *bonus, & summè bonus, & de se sibi bonus; & ipse, nostrum summum bonum, & inde recedendo, non sumus boni, sed mali.* Attende Lector, ad altitudinem bonitatis. Bonus est Dominus, sed bonus non est, ut sunt sua bona, quæ fecit bona valdè; quia melior est, qui fecit, quàm ea quæ fecit. Ibidèm *folio* 633. quod enim bonus est, non aliunde participat, non adhærendo alteri bono: sic bonus est, ut altero non indigeat, quo fiat bonus.

Summè bonus Deus seipso, non alio bono.

Hoc bonum sit hominis bonum, & quid illi deesse poterit, cui summum bonum, bonum. Hoc solum bonum, est animæ nostræ sufficientia; hoc solum insatiabilem implet animæ cupiditatem: inquietum enim est cor nostrum, donec perveniat ad summum bonum. Illi soli bono adhærere, felicitas est. Audi magnum Patrem, *lib.* 12. *de Civitate Dei cap.* 6. *Causa Beatitudinis bonorum Angelorum si requiritur, hac est, quòd adhærent, qui summè est: cùm verò causa miseriæ, malorum Angelorum ea meritò occurrit, quod ab eo, qui summè est, aversi, ad se ipsos conversi sunt, qui non summè sunt.* Et hoc vitium, quid aliud quàm superbia nuncupatur? Initium quippe omnis peccati superbia.

Infelicitas infelicium Angelorum unde orta.

Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam, & qui magis essent, si ei, qui summè est, adhærerent; se illi præferendo, id quod minus est, prætulerunt. Hic primus defectus, & prima inopia, primumque vitium ejus naturæ, quæ ita creata est, ut nec summè esset: & tamen ad beatitudinem habendam, eo qui summè est, frui posset; à quo aversa non quidem nulla, sed tamen minus esset, atque ob hoc misera fieret.

Quare ergo boni Angeli beati sunt? Rectè respondetur, Quia adhærent Deo. Et cur alij infelices? Quia sibi, non Deo adhæserunt. Non est creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi solus Deus; quo adepto, beata est; quo amisso, misera. Deus autem, qui non alio, quàm seipso bono beatus est, ideò miser esse non potest, qui se non potest amittere. Dicamus ergo immutabile bonum non esse, nisi unum verum Deum beatum: ea verò, quæ fecit, bona quidem esse, quæ ab illo, verumtamen mutabilia, quæ non de illo, sed de nihilo facta sunt.

Unde felicitas bonorum Angelorū.

Omne mutabile bonum non est absolutè bonum.

Deus

A Deus ergo nostræ Beatitudinis, ipse omnis appetitionis nostræ finis; ad hunc per dilectionem tendamus, perveniendo quiescamus. Sanctè ergo Divus Augustinus, *tomo 1 lib. 4 cap. 1. lib. retractationum*, seipsum corrigit, quòd in mente collocasset summum bonum. Audiamus illum: Si quid mihi videatur, quæris, inquam, in mente esse summum bonum hominis, veriùs dixissem in Deo: ipso enim mens fruitur, ut beata sit, tanquam bono suo. Idem sanctus Pater claudat se, seipso ex Manuali, *folio* 389. *Cor humanum in desiderio æternitatis non fixum, nunquam stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius: de alio transit in aliud, quærens requiem, ubi non est.* Tantæ enim est dignitatis, ut nullum bonum, præter summum bonum sufficere possit: tantæ libertatis, ut in aliquod vitium cogi non possit.

B Damascenus, libro de Orthodoxâ Fide *cap. 1. Nam cùm Deus bonitate præstet, boni profectò omnis suppeditator est, ut qui nec invidiâ, nec ullis laboret affectibus.* Procul enim à divina natura abest invidia; quippe quæ perturbatione omni vacat, solaque bona est. An non ideò, quia sola Divinitas bona, seipsam communicat? quod proprium est bonitatis, de quo in titulo de benignitate.

C Basilius, Concione 9. in Psalm. 33. *Quemadmodum mellis natura non in tantum fervore declarari inexpertis potest, quantùm in ipso gustus sensu: sic neque bonitas cælestis, verbi clarè doctrinis tradi potest; si non veritatis dogmatibus diutius examinatis, per propriam experientiam bonitatem Domini apprehendere poterimus. Gustate ergo, & videte, quàm bonus sit Dominus.* Videmus enim, ô Lector, nunc per speculum, ac per ænigma videmus veritatem: veniet autem quando præsens arrabo, & hic bonitatis gustus ad perfectionem voluptatis perveniet.

Quid moverit Deum ad creationem utriusque naturæ.

D Gregorius Nazianzenus, 42. *Movebatur Deus suæ pulchritudinis splendorem perspiciens. Movebatur autem, mundi formas intuens, quas in magnis suis cogitationibus mens mundi fabricatrix constituerat. Posteaquàm autem bonus ille non habuit satis seipsum contemplari: verùm ob bonitatis suæ exuberantiam quadam esse voluit, qua beneficio afficerentur, ac bonitatem ipsius participarent; bonum enim diffundi, ac propagari oportebat: ob hanc causam mundum produxit universum, non ob necessitatem aliquam, verùm propter summam bonitatem.*

Ergo autem primi fulgoris administros creavit. Prima enim fulgida natura est: deinde hominem partim intellectualem, partim corporeum creavit, ut in utroque genere bonitas elucesceret participata.

Origenes, tractatu 8. in Matth. super illa verba: *Vnus est enim bonus Deus. Scire oportet propriè uni soli Deo convenire bonum: abusivè autem aliis. Ipse quoque Dominus, qui est imago Dei invisibilis; sic & bonitatis illius imago est: & sicut ipse distat à bonitate Patris, quasi imago bonitatis à principali bonitate; sic & omnes, in quibus bonitatis nomen invenitur, distant à bonitate Filij. Plus distant omnes boni à bonitate Filij, quàm bonitas Filij à bonitate Patris. Quoniam autem plus Filius est propinquus Patri in omnibus bonis, quàm omnes Filio.*

§. V.

Deo soli bonitas vera, & essentialis bonitas danda est.

Cùm itaque unumquodque dicitur bonum, secundùm quod perfectum est; Deus cùm in se contineat omnem perfectionem, necesse est, in se continere omnem bonitatem. Inveniuntur in creaturis tres gradus perfectionis. Primus consistit in plenitudine substantialis perfectionis, quâ res secundùm totam essentiam, & omnibus numeris consummata, & absoluta est. Secundus gradus perfectionis, conciliatur accessione extrinsecorum accidentium, rei superadditorum. Tertius gradus est, quando per consecutionem finis rei consummatur.

Qui gradus perfectionis conveniant Deo.

Has omnes conditiones habet Deus per suam essentiam, nec ulli creato convenire possunt: Deus enim per essentiam est suum esse, & cui non adveniunt aliqua accidentia; sed quæ aliis extrinsecus adveniunt, Deo essentialiter sunt innata propriaque: qualia sunt, ipsius Imperatoria attributa, infinita scilicet pulchritudo, sapientia, potentiaque. Deinde ipse ad nihil aliud ordinatur, sicut ad finem; sed ipse est finis ultimus omnium rerum. Et sanè quomodo ad aliud ordinaretur, cùm non sit capax alienæ perfectionis? Sicut enim dicitur Deus à se esse, quatenus non est ab alio: ita dicitur quiescere in se, & non in alio, quia non habet extra se finem; sed sibimet est illud bonum, quod in ultimo fine esse potest, præcisis imperfectionibus; quo semper beatus est, & in se habet omnem sufficientiam, & beatitudinem, quâ fruitur per suam essentiam; intelligendo, & amando se, quod habet per suam essentiam.

Creatura verò bona est secundùm quid: Deus autem simpliciter, absolutè, juxta illud Exodi 33. ubi ipse Deus appellavit se bonum, dicens: *Ego ostendam tibi omne bonum.* ad quod omnia referuntur, ipsum verò ad aliud non refertur: quodque omnia appetunt. Quando autem bonitatem ipsam dicis, summam, sufficientiam prorsus intelligis, quæ neque partibus eam componentibus, neque additamento prorsus eget ullo. Est igitur simplex in seipsa penitus, & nihil habet additum, quod non sit ipsa bonitas.

Deus quia infinitè perfectus, infinitè bonus est.

Sicut Deus ergo infinitè perfectus; nam A omnis perfectio illi debita est: ita & pariter bonus, & per Antonomasiam bonus, ratione singularis excellentiæ, ut Filius Dei, Lucæ 18. testatur, cùm ait: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Quare & Isai. 44. ipse Deus magnitudinem suæ excellentiæ ostentat, cùm ait: *Quis similis mei?* & 46. *Cui assimilastis me, & fecistis me similem?* & ideò exclamat Vates Regius, plenus Deo, Psalm. 34. *Domine quis similis tibi?* Excellentiæ verò singularis Majestas in hoc posita est, quòd Deus solus habet, quòd sit bonus per essentiam; ut 1. *part. quæst. 6. art. 3.* Divus Thomas docet. Et Divus Leo, cùm ait: *Cujus naturâ bonitas, ita ut malum fieri non possit.* Bonum enim, malum fieri non posse, supereminentiam declarat bonitatis: & justum nunquam B posse fieri injustum. Stabilem soliditatem eloquitur justitiæ innatæ, & potentiam beatissimæ naturæ inflexibilem, quæ in suo beatissimo statu felicissimè persistit.

§. VI.

Accipe Lector ex Dionysio quatuor rationes, ex quibus demonstrabimus admirabilem, & illimitatum, & redundantissimum infinitum infinitæ pelagus bonitatis.

Diximus bonum propriè id dici, quod est perfectum; & bonitatem rei, esse ejus perfectionem: ut igitur bonitatis immensitatem comprehendas; saltem per umbram necesse est, perfectionis immensitati lucem dare; quandoquidem bonitatis mensura perfectionis mensurâ circumscribatur.

Prima bonitatis Ratio.

Deus per se perfectus.

A Dionysio Deus perfectus vocatur, quia αὐτοτελὴς *per se perfectus*; quod sibi sit origo, & fons omnis suæ felicitatis, in sua substantia propria totus quantus, est circumfluus simplicissimi boni infinito pelago: non accumulatione multarum rerum; sed unitate beatissimæ naturæ simplicissimâ in æternum beatus. *Quis prior dedit illi, & retribuetur?* ipse est causa efficiens rerum omnium, qui omnibus dat largiter, & communicat seipsum sine invidia, quia est infinitè perfectus, & infinitè bonus.

Secunda Ratio.

Omnem excedit perfectionem.

Quia est ὑπερτελὴς, id est, *excedens omnem perfectionem*, omni imaginariâ perfectione superior. Dicitur pariter ὑπεράγαθος, id est, *superbonus*, transcendens omnem bonitatem; sicut & omnis perfectionis conceptibilis altitudinem transcendit. Intra ergo mare sine fundo, sine termino: intra abyssos illimitatas, & ascende per omnes species creaturarum imaginarias; semper superest nova cogitationi materia, nova seges, novumque spatium, ad nova perfectionis spatia transeundi: exsuperat enim omnem perfectionem, & ideò ὑπερτελὴς, id est, *superperfectus* vocatur.

Tertia Ratio.

Perfectus in omni genere.

Vocatur Deus perfectus, quia ita perfectus in omni genere, ut nulla accessio alicujus boni fieri possit.

Quarta Ratio.

Perfectus perenni largitione.

Vocatur perfectus, ob perennem semper fluentis, & inexhaustæ bonitatis fontem, in C omnia redundantem. Audiamus Magni Patris verba: *Exuberans,* inquit, *unâ incessabili, & eâdem, & superplenâ, & imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, & unumquodque congruâ sibi perfectione adimplet.* In hoc ergo eminentissimam suam perfectionem ostendit, & plenitudinem affluentis suæ bonitatis, quòd assiduè, quòd continuò largitionem suorum donorum, & gratiarum, & auxiliorum, & favoris singularis impertiatur, nihilque æstimet donatum effusumque, nisi redundent omnia suæ excellentiæ bonis.

Bonitate ergo Dei continuâ singula, ne evanescant, sustentantur. Has ob rationes à Dionysio Deus vocatur perfectus: ob easdem vocabimus & summum bonum; quia D perfectioni bonitas coæquatur. Ipse est ergo bonitas αὐτοτελὴς per suam essentiam, ὑπερτελὴς super omnem bonitatem; cujus infinitudinis bonitas, ut augeri, nec minui possit. Quidquid igitur addideris, quidquid detraxeris, constat sibi sua plenitudo bonitatis: quare & superplenam, & inexhaustam vocabimus.

§. VII.

Omnis bonitas creaturæ, quasi nulla est, divinæ comparata bonitati.

Omnis bonitas creaturæ quasi nihil, Deo comparata.

OMnis ergo creatura quanta est, bonitati divinæ comparata, quasi nihil est, nec quicquam boni habet. Orbis ergo, & Deus; etsi quid melius à Durando *in primo, distinct.* 44. *quæst.* 3. dicitur majus quoddam bonum extensivè, quàm sit Deus solus; quod nequaquàm tamen admitti debet, quamvis esse plura bona secundùm numerum admitti posset. Et sanè quomodo majus bonum esse posset, cùm finitum additum infinito non efficiat quid majus. Et quamvis infinita dari possent in aliqua specie, ad infinitum simpliciter nihil efficit, qualis est Deus Optimus Maximus, qui est infinitus, & illimitatus. An non illud, quod addit orbis, eminenter est in Deo? eâ namque ratione Deus solus bonus sine creaturis. Exodi 33. dicitur *omne bonum*, quòd omnium bonitatem antequam sint, in seipso præhabeat, possideatque nobiliori modo, quàm in seipsis sint. Unde præclarè Divus Thomas 1 2. *quæst.* 34. *art.* 3. *ad* 2. docet, optimum simpliciter esse, per cujus participationem omnia sunt bona; ut est Deus, qui nullius boni additione potest fieri melior: in aliis verò bonis generaliter verum esse, quodlibet eorum, additione alterius boni fieri melius. & *in* 3. *sentent. distinct.* 6. *quæst.* 2. *art.* 3 docet: licet in Christo bonum increatum naturæ divinæ, & bonum creatum naturæ humanæ, sint plura bona, quàm sola divina natura: conjunctum tamen ex utraque natura, non esse majus bonum, neque melius solâ naturâ divinâ. Cujus rei duplicem reddit rationem: Prima, quia bonum creatum habet se ad increatum, tanquam punctum ad lineam, quatenus neutrum habet proportionem ad alterum. Quare, inquit, sicut punctum additum lineæ, non efficit majus: ita neque natura humana addita divinæ, efficit majus aut melius. Altera est, ut dictum est, quòd finitum additum infinito, non possit fieri melius aut majus. Quod pulchrè tribus verbis Divus Augustinus *lib. 6. de Trinitate cap.* 8. illustrat: *Cùm creatura adhæresit suo Creatori, illa fit major, quàm erat, non ille.*

...mo Deus ...omo ...nl addit ...vinæ bo...tati.

Deus ergo solus bonus, etiamsi omnia bona, quæ fecit Deus, sint valdè bona: & quamvis sanctissimam Virginem dicamus summè bonam, & Sanctos valdè bonos bonitate morali, Deus tamen solus, quia bonitatem habet à sua essentia independenter à quocumque alio, à quo illum participet, aut à quo compleatur, & dependeat. Hinc Dionysius *cap.* 4. *de divinis Nominibus*, ait, *Deum* A *esse bonum essentiâ suâ, & per se bonum: alia verò per participationem à Deo.* Et cur tam pauci amant summum bonum? Quare? quia non gustant. Bonum enim sapore cognoscitur: *Gustate, & videte, quàm suavis sit Dominus.* Psalm. 33. Bonum sapore: sapor appetitu dignoscitur, palato infecto non percipitur. Purga ergo stomachum: purga appetitum animæ: purga voluntatis pravos, & corruptos mores; contagiosus enim est anhelitus creaturarum, inficit contactu, & perimit. Ubi animam perpurgaveris, cognosces, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Et cur creaturarum bona diligis? diligis ea, quæ plena felle sunt, & amaritie imbuta. Unde nullus purus, & sin- B cerus haustus educitur; ut præclarè docet Socrates in Phœdone: dolorem, scilicet, & voluptatem ex eodem capite, ambo esse connexa, eâque de causâ fieri, ut cùm alicui alterum adest, eumdem posteà sequatur & alterum.

Summum bonum ignotum non placet.

Omnis voluptas felle permixta.

Hoc idem declarat Apologus Platonicus, cùm voluptas apud Jovem, jactaret se Pallade nobiliorem, diviniorem que, quòd ipsam videbat jaculis, venatione Dianam, & Vestam laribus, & igne delectari. Ad hæc delectata Pallas ait: O Jupiter! mox videbis, quàm fortis sit voluptas. Accerse huc pavorem non Deorum tantùm, sed omnium abjectissimum. Exclamavit Jupiter: Accede heus! pavor. confestim ad ipsum pavoris no- C men, omnes voluptates statim fugêre. Sic omnes voluptates, quæ ex bono creato nascuntur; nisi in bonum infinitum tendant, evanescunt & dolorem causant: quia bonum infinitum est hypostasis, & fundamentum omnis veræ voluptatis, & veri boni. Gustato ergo spiritu, desipit caro. An non ingens Solis lumen, stellarum lumina, ut ne quidem videantur, fugat, obscuratque? sic minimum bonum cæli, terreni boni amores: facilis est contemptus exilis boni, possessione maximi. An non Lombardi (à quibus Gallia Cisalpina, Lombardiæ nomen sumpsit) à Principe Narzeta, desertâ patriâ evocati: ubi enim fructus Italiæ, tanquam pignora felicis fœcunditatis missa, fuêre contemplati, (& ta- D men quid patriæ solo charius esse solet?) inarsêre tamen boni præsentiâ. An non opum spectaculo, vinorum variorum gustatione? opulentiâ Italiæ, ejusque illecebris pellecti; habito cum uxoribus consilio, ignes & flammas suis rusticis, & miseris casis injecerunt? An non exultantes spe tantorum bonorum, nativos lares peregrinæ terræ postposuerunt? Planè: omnibus convasatis, classicum itineris, & lætæ profectionis, quasi triumphantes dedêre, & spe melioris boni stimulati, omnia sua bona projecêre; ut pretio vitæ, & labore emerent beatæ Italiæ, ut dicebant, bona? An non Joseph totius Ægypti Princeps creatus, jucundâ oblivione patriæ, casarum rusticarum animo exturbavit

Lombardi in Italiam exusta sua patria commigrarunt.

Iosephus facile posuit memoriam casæ rusticæ.

turbavit memoriam? Jucunda erat in tanta rerum affluentia, oblivio: imò pudor erat bona pastoritia commemorasse. Qua de causa procreatis duobus filijs, hujus rei monumentum voluit æternum, dum nomina, gratus Divinæ Majestati, plenus sapientiâ indidit. Vocavit quippè primogenitum Manassem, dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus Patris mei*: Genes. 41. Præsens quippè felicitas, silentium adduxit præteritæ paupertatis. Et nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: *Crescere me fecit in terra paupertatis meæ.* An non bona cælestia ejus conditionis sunt, ut subitò eradant memoriam mundanorum bonorum? omnis enim sensus fallax, est bonitas, & brevis voluptas, quæ fit si immoderatiòr, sensus extinguit, vitam transversam agit. At animæ bona cùm sint infinita, ita & infinitæ voluptatis, per quæ libero volatu spatiatur anima & singula degustans, inebriatur dulcedine bonorum æternorum. Hinc illæ voces sancti Xaverij, quas totus ebrius eructabat: *Satis est Domine, sat est.* Et Dei voces ad Moysem exardescentem videre faciem Dei: *Nemo*, inquit, *me videbit, & vivet.* Exod. 33. quasi diceret: Inconcessa petis; si videris, morieris: in aspectu vitæ, mors erit: non enim bonitatis meæ pelagus poteris sustinere. Verùm ut ij, qui morbo affecti, præ sensuum stupore suavitatem cibi non sentiunt; ita libidinosi, & terrenis affectibus ebrij, verorum bonorum gustum non sentiunt. Et quid mirum? Peracerba primò, & adhuc rudibus, & inexpertis videtur virtutis voluptas, & hinc illam fastidiũt, & miseri famem, novæ famis ingruentis hianti appetitu saturare desiderant, instar Tantali, qui sitit in mediis aquis Hoc ipsum intellexit Plato in Phædone: *Anima cùm per sensus aliquid considerat, tum quidem à corpore trahitur ad ea quæ nunquam eodem modo sunt, atqui ipsa aberrat, perturbaturq; quasi ebria vacillans: utpotè quæ talia quadam attigerit.* Quasi diceret; quæ nova desideria desideriis excitant, & animam insaturatam relinquunt. Pergit Plato: At verò quoties ipse animus per seipsum excogitat, illucque se confert ad purum, sempiternum, & immortale, semper eodem modo se habens bonum, tanquam ipsius cognatus semper adhæret illi: semper autem illi adhærere, perfectissimæ est fruitionis: ideò dum hîc sumus, veri boni scientiam consequi non possumus; aut post mortem, si purgati discesserimus: tunc summum bonum intuentes, fruemur re tantoperè à nobis concupitâ. Faciamus finem, & fateamur omnia bona creaturarũ esse segmẽta, umbras, imagines, somnia æternorum bonorum, imò fumos, quibus pascimur, & necamur. Et ut clariùs per sensibilia demonstrentur, dicam esse paleas, & stramina, bonorum Divinorum delitijs comparata. Et quemadmodum paleæ, & stramina, frumento decusso, porcis, & pecudibus objiciuntur; ita bona terrena, instar strami-

Voluptas corporis quam noxia.

Per sensus fallax voluptas.

Platonis mira doctrina de boni apprehensione.

Voluptates huius mũdi stramina & Palea sunt.

A nis, & paleæ, vanis hominibus conceduntur; quibus se porcorum more pascunt, veri boni ignoratione. Josephus Historicus, de suo Josepho scribit; quo populis fame laborantibus subveniret, paleas, ac stramina per Nilum præcipitari jussisse, ut ad omnium littora, terrasque secundo alueo devoluta nuntia forent abundãtiæ Ægyptiacæ, & præcones felicitatis præsentis: & hoc pacto populos evocatos redimeret instantibus periculis, & copiâ frumenti sustentaret. Hoc pacto fecit Deus, dispersit plenâ manu multa bonorum, & delitiarum fercula: replevit orbem quasi cornucopia voluptatibus. Ah quàm stultè his caducis adhærescunt homines! paleæ sunt & stramina cum toto suo apparatu, veris bonis, & B æternis comparata: nuntia sunt æternæ felicitatis, quæ carcere mancipatis, morti devotis, tam piis, quam impiis ad breve tempus sunt concessa. O qui cæli, qui ipsius Dei bona gustasset? an non ebrius exclamaret cum nostro Ignatio: *Quam sordet terra, cùm cælum aspicio?* & cum Davide: *Quid est mihi in cælo; & à te quid volui super terram?* tu enim es Deus cordis mei, Deus meus, omne bonum meum, & ideò inquietum est cor meum, donec perveniat ad te, Deus meus, qui es mihi omnia. Quare benè monet Augustinus, in primo, de doctrinâ Chistianâ cap. 31. *eâ re nobis fruendum esse, quâ efficimur beati: ceteris verò utendum.* Et quarto de Trinitate: *Frui illarum rerum est, in quibus voluntas propter se, quietata quiescit.* Et C in primo de Trinitate: *Plenum gaudium est, frui Sanctissima Trinitate.*

Iosephi Patriarchæ mira industria orbem à fame servandi.

Paleæ fuere præcones ubertatis.

Finiero, si infirmarim omnium gentilium de summo bono, uti ipsi existimârunt, certas conclusiones, quibus & comprehendo Principis Philosophorum, qui ad summi boni fruitionem requirit bona corporis, & fortunæ, An ergò Magnus Deus, & infinitum bonum à bonis corporis, & fortunæ destitus infinitè, felix & beatus, si ijs careat, esse potest? an non animam, ut ipse Aristoteles testatur in sua Metaphysica, contemplatione Dei, beatã esse, quo habito, habet, & possidet omnia, & omne bonum. Deinde sciscitor, num cetera à Philosophis excogitata bona eam generant D felicitatem, ut eâ beatus homo vivat? an non appetens majoris; sed eâ contentus, expleat omnia sua desideria? Fallimur ea bona ejusmodi sunt, ut sitim sui majori exacuant siti, & à summi boni comprehensione non solùm mentem retardent, verùm etiam avertant. Quid conferunt corporis bona ad veri boni consecutionem? & quomodo vocari ea bona vera possunt, quæ Deus repudiat, nec admittit, & illis sine beatissimè vitâ omni felicitate felicissimâ vivit? Caruisse ergo satius judicavit Deus, quàm illis frui, quibus frui magnæ est miseriæ, & infelicis inopiæ. An non omnis voluptas stimulis agit fruentes? an non gaudiũ volatile sequitur mœror? comes gaudij pudor & dolor. At ut fortiùs opiniones Philosophorum convincantur, contra omnes inducam

O Lector Nota vim argumenti carere bonis corporis felicitas.

inducam sanctum Augustinum, Epist. 85. hoc pacto differentem: *Aut ista bona*, inquit, *non sunt, quæ vocantur; aut homo felicior est Deo. Quæ enim nobis bona videntur, non habet in usu Deus; nec enim libido ad illum, nec epularum lætitia, nec opes. Incredibile autem, bon a Deo deesse. Hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt. Adde, quod multa quæ bona videntur, animalibus, quàm homini pleniora contingant illa cibo avidiùs utuntur, Venere non æquè fatigantur: virium illis major est firmitas, sequitur, ut multò feliciora sint homine: nam sine fraudibus, & nequitia degunt. Fruuntur voluptate sine ullo pudoris, aut pœnitentiæ metu. Fallimur: bona sunt vera, quæ ratio dat: solida, ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere. cetera, opinione, bona sunt: hoc verò habent commune cum veris; proprietas verò boni in illis non est.* Hactenus Augustinus. Concludo ergo. An nascitur ex bono vero, malum non magis quàm ex ficu, olea ad semen respondent nata? Non mireris ergò, si ex bonis Philosophorum mala nascantur, quia semen boni absolutè bonum non fuit; sed malum comes boni.

Quandoquidem ergo omne bonum, quod verè bonum est, teste Senecâ in Epistola 118. animum invitat, & ad se vocat; & illud bonum, præsertim quod absolutum, quod sui gratiâ est expetendum, hominem arcanis il- A lecebris ad se trahit. Qui fit ergo, homines summi & infiniti boni blandimentis non rapi? non ejus desiderijs inardescere? Exclamo cum Juvenali Satyr. 10.

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usq;
Auroram, & Gangen, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atq; illis multum diversa, remotis
Errorum nebulis. Quid enim ratione timemus;
Aut cupimus? quid tam dextro pede cócipis, ut te
Conatus non pœniteat, votiq; peracti?

Exclamo cum Vate sacro: *Filij hominum usquequò gravi, corde ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Unum summum bonum est necessarium, quid turbaris erga plurima? B dimitte plurima, uno te satura; in uno omne bonum. Esto, possideas omne quod cupis; beatus ne eris? An non dixeris te beatum? Planè; & quidem, si absit, quod velis abesse. Quid hæres attonitus? An non aliquando satiaberis bonis hisce, & fastidies amata, & summa copia inopem te faciet? & nascetur falsa saturitas? Opus est ergo infinito & ex omni parte sui circumfluente bono, cui adsit boni semper recens & infinita novitas, & infiniti pulchri inusitata, & infinitè nova & antiqua imago spectaculumque, quod ipsum soli Deo, qui solus est bonum infinitum, convenire potest.

ALTERA PARS
XIV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De bonitate Virginis.

DIXIMUS Deum naturaliter bonum esse infinitum, quia omnem bonitatem in se continet; ut præclarè Mercurius Trismegistus dixit: Ita bonus est Deus, ut non sit aliud, quàm bonum. Cogita infinitam lucem, potentiam, sapientiam, pulchritudinem, dulcedinem, gaudium, infinitas opes, & infinita similia: hæc omnia continet infinita bonitas, infinitum bonorum pelagus. Undè Plato dixit, soli Deo boni nomen convenire; & quamvis pœnæ malum infert, malorum Auctorem dicendum non esse.

Acturi ergo de bonitate Virginis, dicimus eam non de se bonam esse; quia ipsissima bonitas creavit illam bonam: bonam ergo dicimus non suo, sed alieno bono: ipse enim Auctor omnis boni, creavit illam in Spiritu sancto; ipse contemplatus est Virginis infinitam propè bonitatem; quia super illam effudit omnes opes, & thesauros bonitatis suæ, in imaginem bonitatis suæ.

Discrimen Sanctitatis Marianæ & summi Dei.

Quadruplex itaque, inter bonitatem summi Auctoris, & imaginis; & inter Creatoris, & creaturæ supra omnia amatæ, discrimen deprehendimus.

Bonitas Dei independens.

Primum discrimen: Deus est primus & purissimus actus, & primum, & independens bonum. Hinc Moyses æstuans videre faciem Dei, pro responso accepit: *Ostendam tibi omne bonum* Exod. 33. vers. 19. Cujus natura est, esse independens, cujus nomen est, *Ego sum, qui sum.* Et Christus Lucæ 18. & Marci, 10. respondet dicenti, *Magister bone.* Quare me vocas bonum? Deus solus bonus est. Virginis ergo bonitas etsi sit incomparabilis, est tamen à Deo dependens, & in potentia, non purissimi actus: sicut lux, & stellæ splendor, à solis splendore. Indè nascebatur Virginis summa humilitas, summaque exultatio cum valido clamore: *Magnificat anima mea Dominum.* Hinc Seraphinorum verecundus, & plenus pavore clamor, Sanctissimæ Triadi congratulantium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sciebat quippè Virgo, sese omnibus gratijs cumulatam, non meritis proprijs, sed effluentiâ bonitatis Divinæ. Gestabat itaque Bullam

A supra pectus, in qua altè scriptum erat omnis sapientiæ monumentum: *Nosce teipsum.*

Bonitas Dei illimitata.

Secundum discrimen: Quòd bonitas Dei sit illimitata, pelagus infinitum; undè pulcherrimi fontes omnis largitatis profluunt, atque emanant: dare, scilicet, omnia; nihil cupere; nullius indigum esse; à nullo vinci posse; dare omnia paratissimè; infinitè plura dare quàm petantur, nullâ invidiâ moveri. Virgo quoque plenissima omnium gratiarum, sic prodiga in largiendo, ut à nullo vinci possit obsequijs, paratior omnia dare, quàm preces pati, & infinitè plura, quàm petantur, nullâ denique invidiâ tangi, quæ Mater amoris est, in sua celsitudine triumphans, lætior dando, quàm homo sit accipiendo.

SS. Virgo sorum donorum prodiga.

Bonitas Dei augeri non potest.

B Tertium discrimen: quòd bonitas Dei non possit augeri, nec minui; nulla denique possit fieri ei accessio: Virginis verò bonitas etsi sit ineffabilis, nec more aliorum Sanctorum limitata, posset tamen absolutè loquendo augeri sine fine; tantas tamen prope possidet opes, quantum natura humana capere potest.

In Deo gustatio gaudij, paris novum gaudium ex quo semper novum gaudium.

Quartum discrimen: quòd in Deo sit completa gustatio omnis novi boni: quidquid enim homo potest imaginari, fingere, aut omnibus viribus excogitare, audit semper sibi dici: *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 21. vers. 23. nam novum novo crescit, & semper novitas hauritur gaudij, accessu noui gaudij in æternum: & quò penitius, pleniusque hauseris, sine mensura restat hauriendum: semper enim occurrit nova pulchritudinis
C facies, & inexperti boni nova gustatio. Intra ergo & intra, & rursum intra profundiùs, & intimiùs: semper dabitur, quod potabis, quo inebrieris torrente voluptatis ejus: quamvis de Virgine dicat Bonaventura, inventâ Mariâ, inveniri omne bonum, quia omne bonum in illam diffusum: at alio modo, in ipso, & ex ipso primo fonte, quàm ex fontis profluvio purius hauritur. Gustatio bonitatis Marianæ, etsi nullam generat fastidij spinam, nihil mœroris, vel tædij secum adfert, & ejus convictus, visioque Majestatis insatiabilem pariat voluptatem; attamen creaturæ finita beatitudo etiamsi maxima pertranseundo innumeros gradus perfectionis, & felicitatis, tandem ad ultimum gradum perveniendum est,

est atque ibi sistendum, cùm in Deo plenissima, & semper inexhausta gustatio. Bonitas itaque Dei, & Sanctissimæ Matris, animum reddit tranquillum, & suum possessorem continuâ quasi novâ juventâ exhilarat: creaturarum verò bonitas, ubi se in sinum infudit; egenam, & inopem sui relinquit mentem: bonitas tamen Virginis etsi sit communicata à summo bono, tanta tamen est, tantoque excessu supergreditur omnem bonitatem ceteris creaturis collatam, ut proxima infinitè videatur, cujus gustatio semper novam sitim sine tormento, & famem sine molestia generat, cujus conversatio nullam generat amaritudinem, ut videbimus, quando de ejus pulchritudine agemus.

Voluptas ex bonitate mariana quanta.

§. II.

De triplici Virginis bonitate.

TRiplicem bonitatem in Sanctissima Virgine reperio.

Prima est excellentissimæ naturæ summa bonitas: si enim Salomon de se gloriatur: *Eram* inquit, *sortitus animam bonam*: Sap. 8 vers. 19. an non præ servo, Domina omnium creaturarum gloriari potest se sortitam animam bonam, in corpore nunquam vitiato? An non ideò, Judææ balsamo comparatur; cùm dicitur: *Sicut balsamum, dedi suavitatem odoris?* Ecclef. 24. vers. 10. Quod Sancti PP. cum S. Ecclesia accinunt SS. Virgini Deiparæ. An non indoles, & natura balsami ea est, ut nullâ injuriâ violari possit; per se, & ex se pinguedine salutiferâ exundans, liquore suo vegetans omnia, vulnera sanans: cui ejusmodi bonitas innata est, ut nec odorem à bonitate, nec liquorem fluidæ pinguedinis possis separare, nisi naturam ipsam balsami sustuleris. Innata est balsamo, uti & oleo, pinguedo ad omnia utilis, ad omnia se extendens, ultrò se dilitans, & dilatando propagans suas vires. Ea est bonitas naturæ, & indolis Virgineæ. An non Virgo ad omnes mortales amicos, cultores sui; imò ad hostes, suique contemptores, suæ bonitatis, & suarum gratiarum pinguedinem diffundit? potiùs Virginem sustuleris è medio, quàm ejus bonitatis largissimos fontes coarctâris potiùs substantiæ solis lumen, radiosque; quàm Virgini naturæ suæ Regiam bonitatem abstuleris.

Summa à Virgine natura bonitas.

Virginis SS. indoles balsamo comparata.

Secunda bonitas est moralis, quid enim est vita Virginis, nisi Paradisus omnium virtutum, & gratiarum? Indè discerpit sibi Deus flores, Rosas Lilia, & omnes hortorum opes, quibus sese coronat. Incedit Virgo stellata Rosis omnium virtutum: incedit vestitu deaurato charitatis; Lilia denique Virginitatis prætendit, & instar sponsæ sui Filij, qui est candidus, & rubicundus: ipsa est rubicunda, & candida. De bonitate morali vide Consociationem de Sanctitate.

2. Bonitas natura Virginea.

A Tertia bonitas est beneficentia largitatis, & liberalitatis, quæ cùm sint filiæ, quodammodo bonitatis. de his pariter in hac Consociatione nonnulla proferemus. Meritò vocamus benignitatem, bonitatis filiam. An non bonitas naturâ suâ quò major est, & perfectior, ad sui diffusionem excellentiùs propendet, & stimulatur? an non natura ipsa ad sui conservationem, propagationemque continuis, & arcanis motibus se provocat, & provocatur ad sui propagationem, quò subsistat in sui similitudine? sic bonitatis natura, quæ est instar olei, contineri non potest quin sese diffundat; quia fœcunda bonitas nullâ relætior, nisi sui communicatione. Hinc Paulus, de Dei bonitate exclamat, ad Titum 3. scribens: *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri.* Græcè χρηστότης καὶ φιλανθρωπία: summa videlicet beneficentia, & summus amor adversus homines, ut suprà dictum.

3. Bonitas est beneficentia.

B

Hunc magnum Deum, Dei Mater, cùm bonitatis Divinæ sit proximè particeps, & in partem regnorum sit vocata, felicissimè æmulatur, & instar solis, radios suæ bonitatis, quæ Virgini innata est, dispergit illamque perpetuis motibus, pulsibusque provocat, agitque, ut plenâ manu thesauros suos, & opes suæ benignitatis in mortales omnes effundat.

Videamus naturam, & indolem benignitatis, & beneficentiæ.

Benefica anima SS. Virgin centro comparatur.

Nulli rei melius Virginis beneficam animam, quam centro comparârim; quia cùm centrum sit infima pars terræ, & quidquid est fluviorum, fontium, aquarum summo impetu eò devolvitur: ita Virgo, cùm sit sui cognitione humillima, ac proindè in oculis suis, omnium creaturarum se statuat infimam, & tamen Deo proxima & eminentissima; omnes gradus bonitatis, & gratiarum ex altissimo oceano Divinitatis in eam, quasi suum centrum devolvuntur, ut paulò pôst videbimus. Exundans ergo omnibus bonis, summo appetitu fertur; ut in omnes exoneret gravidos beneficentiæ fontes. Hanc beneficentiam ex legibus animæ beneficæ, ejusque gradibus proponamus.

C

Primus gradus: Ante omnia, ut libenter dones: Secundus, ut citò, Tertius; sine ulla dubitatione. An non ingratum beneficium, quod diu inter manus hæsit? diu deliberatum, fastidium ipsa mora ingerit. An non proximus à negante, qui diu dubitavit? nec jam beneficium, gratiam meretur. Vis gratam petenti beneficia? sint subitò parata, facilè occurrentia, quæ nullâ tanguntur verecundiâ. Vis eminere splendorem beneficij? summus splendor, si beneficium antecedat desiderium, & illud occupare, antequam rogemur; quia cùm homini probo ad rogandum os concurrit, (ut ait Seneca) quàm vile est beneficium. Quid est hoc, cùm dicimus, os concurrit? est nescio quis concursus oris, & cum verbis quædam colluctatio, & os deducimus ægriùs, & molliter verba formamus, dum ad rogandum

Animæ beneficæ gradus.

D

Cuius sit natura beneficus à solutus.

rogandum accedimus. An non ita est? an non pudor ora suffundit, dum descendimus ad preces? Suffundit planè. Multiplicat ergo munus suum, qui hoc tormentum remittit, multiplicat verè, & cum fœnore quidem magno. An tulit ille gratis, qui priusquam accepit, multum rogavit?

Sublimissimus gradus beneficentiæ.

Divinus gradus beneficentiæ est, divinare cujusque voluntatem, & cùm intellecta est, necessitate rogandi, eam liberare. Hoc beneficium jucundum, semperque victurum in animo scias, quod obviàm venit; quod placidâ fronte tribuitur; quod nullâ pompâ venit, & in ægrum descendit.

An ille homo non est alteri Deus, qui observat idoneum tempus, & in occasione potiùs, quam necessitate venit? Vide Senecam lib. 5. more suo de beneficij Majestate disputantem.

Vide supremam SS. Virginis beneficentiam.

Vis noscere Virginis beneficentiam? tam parum eam penetrâris, quàm ejus bonitatem: sicut illius bonitas, omnes bonitatis; ita beneficentia pariter, beneficentiæ gradus transcendit: illa enim non citò, sed citissimè: non libenter, sed libentissimè: non interpellata, beneficiorum thesauros effundit. An non omnibus præsto est? nullam perdit horam, nullum bene merendi de mortalibus momentum transilit.

Nobilissimum & ferè inauditum beneficentiæ genus.

Miramur Arcesilaum, quem ut alij Apellem Chio esse volunt, quem tamen Laertius & Arcesilaum vocat, qui amico pauperi, & paupertatem dissimulanti, ut narrat Seneca, nec non & ægro, & ne hoc confitenti deesse sibi sumptum ad necessarios usus, cùm clam succurrendum judicasset, pulvino ejus ignorantis sacculum subjecit, ut homo inutiliter verecundus inveniret potiùs, quàm acciperet. Pudor sanè inutilis, qui viro indigo adhæret. An non morem hunc æmulatus beatus Nicolaus, qui nocturnis muneribus facem beneficentiæ, & lucis prætulit universo? Hac arte secerne ab amico adulatorem. Vide Plutarchum in libello aureo, de internoscendo amico ab adulatore.

An non pulchrum χλεῦμμα Arcesilai? An non pulcher ludus Nicolai? qui adjutus est, & illusus habet, nec à quo acceperit, scivit. An non pulcher ludus, illis solum beneficia nota esse, quibus profuêre?

Huic similis lusus Virgineæ beneficentiæ.

Hunc morem servat vigilans, & accurata beneficentia Virginis, ut meritò de ea dici posset, quod Psalm. 38. *Misericordia ejus præveniet me.* Quasi diceret: Inexpectatam lucem spargit, inopinatas messes submittit misericordia. Et illud Sapientiæ 6. *Præoccupat eos qui se concupiscunt.*

An non in hoc imitatur Filij sui naturam Divinam? Planè: quemadmodum enim præpotens Deus, nullius indigus, pro lucro suo nostras opes gratiæ reponit, suumque reputat, quod nostrum est, & dum nos florentes suis beneficijs videt, quasi se opulentiorem judicat, suamque, nostrâ beatitudine florere,

A & contra graviter ingemiscit, & indolentiæ suæ oblitus cum Hieremia 15. bene dolenter ingeminat: *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam.* Ubi juxta Septuaginta legimus: *Non profui*, quasi suam infelicitatem deplorans, quòd diem perdidisset, quòd profusio substitisset, quòd liberalitati objecta repagula; quòd nullus ex irriguis bonorum fontibus hausisset opes: existimans non dando se depauperari; sed tum fontes suos sitire, nisi largiter indè bibatur: *Transite*, inquit, *ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Ecclesiastici 24. Ecce omnes thesauros meos explicui: *Venite, & emite absque argento*; nunquam sum ditior, quàm dando, nec potentior, quàm largiendo. Et sanè

Virgo expandit officinam.

B mihi videtur liberalissima Virgo proximè imitari: Illa enim Mercatoris instar, qui ad tabernam omni opulentiâ instructam auro, argentoque cælato, gemmis, & margaritis collucentibus, purpurâ, & bysso, & quidquid acu Phœnicum, vel Sydonio opere elaboratum, & desudatum est, transeuntes invitat. Ubi verò se diem, & operam perdidisse, sub noctem seram deprehendit, ex alto suspirat, & non solùm se diem perdidisse, verùm & aporiatum, & depauperatum, & ad inopiam redactum exclamat. Et sanè Hieremiæ locum explicans, in persona Christi loquitur: Nullus tantum voluit accipere, quantum ego tribuere desideravi; nec profuit mihi quis-

C quam. salus enim creaturæ, lucrum est creatoris; ac proindè exclamat se aporiatum. Eadem est Virginis indoles, qualis est Filij: angitur Filius, si prodesse nō possit; angitur & illa: præoccupat Filius, ut prodesse possit, præoccupat illa, & fortassis amplius, quia Mater est, & Matris indolem circumfert: at Filius judicis illa præbet auxilia, nec flagitanti, nec beneficia exposcenti. Non dicit beatissima Virgo, ut plurimi dicunt Proverb. 3. vers. 28. *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.* Cur vis cras dare, cum continuò possis benefacere? non enim scis, quid contingat sequenti die. Tardè dare, nolentis est. omnis benignitas properat;

Heroicum donationis genus.

D ut ait Seneca, & proprium facientis libenter, citò facere: qui de die in diem trahens profuit, non ex animo facit: itaque duas res maximas perdit, & gratiam & tempus: bis enim dat, qui citò dat; dat quippè beneficium, & tempus. Has omnes beneficentiæ leges magnificè implevit Sanctissima Virgo in nuptijs Canæ Galilææ: libenter, citò, sine ullâ dubitatione, præsentiens necessitatem, divinans voluntatem petendi ex necessitate ortam; obviàm ivit, & voluntati, & necessitati, & pudore verecundiaque, omnes tanto beneficio levavit. Vinum deerat: egestas exprimebat necessitatem, necessitas ruborem ingratum. Omnibus providet Sanctissima Mater, & nullâ pompâ, nullo strepitu, placidâ prece impetrat à Filio vini copiam, quem sciebat rerum omnium conditorem. Quàm vellem

omnia

omnia manifestare Virginis heroica opera inperscripta ab Euangelistis: verùm ex uno disce cetera.

Superest alius modus liberalitatis, qui naturæ humanæ vires excedens, proximè ad ipsam Divinitatem accedit, quem etiam Virgo possidet. An non summæ virtutis, ingratæ terræ semina effundere? An digni solis radiis, qui exosi solem, eum jaculis furiosè petunt? An largitionibus digni, qui beneficas manus claudunt? An non ejusmodi donis, & muneribus indigni? Planè: & tamen infinito numero indiguos, & gratiæ immemores prævenit Virgo altitudine suæ beneficentiæ, & præventos novis beneficiis obligat, & amoris sui blandimentis ad se tractos opulentat. Tanta in Virgine dominatur beneficentia, ut improbâ ingratitudine coarctari non possit. Esto videat beneficia collata, peritura; sufficit Matri, potuisse dare: gloriatur se dignis dare, gloriatur & quod possit, velitque & indignis, & ingratis dona largiri. An non diem, solem, hyemis, æstatisque recursus, & media Veris, autumnique temperamenta, imbres, & fontium haustus Deus pro universis invenit, & bonis, & improbis? Iisdem artibus Virgo dispergit sua bona omnibus, se paratam exhibet. Nec hîc ipsius beneficẽtia hæret, verum etiam fugientibus, sui prodiga, sese offert: sine discrimine, omnibus haurientibus fons patet. An non etiam datur congiarium indignis? Quis à vento secundo, & Favonio excluditur? Prorsus nemo Ipsa Virgo omnibus est bonum commune, & imbres beneficos tam in bonorum, quàm malorum campos, & rura defluere patitur. Quemadmodum *avarus totâ die concupiscit, & desiderat*, juxta illud Proverb 21. & hiante semper ore ad novas prædas se stimulat, & sitim novâ siti exacuit: non aliter Virgo totâ die concupiscit dare; sitit, ut fontes effluere possent. An non stellæ de cælo suos rores in terram distillant, terrasque inebriant? Si Titus Imperator, Orbis amor, exclamârit: *Diem perdidi.* si quando dies vacuus donatione perijsset; quasi diceret: Fontes aruerunt mihi; nullum Imperij mei sensi fructum: at multò magis Virgo. Basilius Imperator hoc pacto filium suum Leonem docet, ut habetur tom. 5. Biblioth. PP. *Largire*, inquit, *stipem egentibus; ut ipsi tibi misericordiam eliciant à Rege universorum Deo.* Nam in eo præcipuè versatur pietas, si tua, non habentibus benignè impertiaris. Eum ergo diem tibi perijsse existimato, in quo nemini benefeceris, pro beneficijs, quæ illo die acceperis. Sanctissima ergo Virgo, beneficiis Divinæ bonitatis cùm sit undique cumulata, ipsâ Divinâ bonitate provocatur, ut bona sua diffundere gestiat Sciebat se conditam, ut esset urbs refugij: & ideò ingratis, & improbis subvenit, & portas salutis aperit, quia spes publica, & medicina cunctis condita est Mater sapientiæ, ut præberet consiliorum copiam, ut esset fons vitæ, ut quilibet etiam pessimi, indè aquas vitæ haurirent, & esset asylum illis, qui plurimum peccaverunt: denique ut esset per omnia similis Filio, qui solem suum oriri facit super iustos & injustos, amicos & inimicos. Circumspice quæso totum terrarum orbem, & contemplare, quanta singulis ferè momentis in omnibus terrarum partibus, terraque marique moliatur, quàm opportunis auxiliorum, & gratiarum motibus obstinata peccatorum pectora, instar imbris terras asperas fœcundantis emolliat, & scelestorum mentes, infuso per occulta cælesti spiramine, trahat ad æternorum bonorum considerationem. Disce oculis tuam felicitatem, ô homo; gratuitam habes terrarum Matrem, & Virginem.

Suprema dos liberalis, & beneficentiæ.

Pulchra parenesis imperatoris ad filiũ.

Tu Lector, ab hoc exemplari non aberra: fige in hanc imaginem sensus tuos, imitare Virginem, & citò, & libenter, & nullo apparatu sis beneficus. Nemo queratur, quòd serò dederit, quòd extortũ munus acceperit: labores nemo inauspicatus jactet: suas preces nemo inanes; nemo se in turbam conjectum putet: da sine teste; teste conscientiâ solâ: detrahe jactationem; res loquatur, te tacente. Ingratum est beneficium, quod superbè datum; extinguitur, cùm circumducitur: non est commemorandum, nisi aliud dando, ut prioris admoneas. In beneficijs ergo Matris Dei tria specta summè laudanda: quòd larga; assidua; & quòd effusa in impios: & nemo pessimorum sit, qui illâ Advocatâ non senserit opem. Finem facio: nulla enim beneficiorum laudatio satisfacit. Exclamo ad indolem Virginis. Quis vidit umquam tam benignam etiam levissimorum beneficiorum æstimationem? cò prolapsa est bonitas admirabilis Matris, ut sibi dari putet beneficium, quod ulli datur: parata est, ne quem beneficij pœniteat, pro ingratis dependere. Ideoque pleniùs ad Virginem sic data revertuntur. Et ut gloria fugientes magis ac magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratiùs respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. O ingentem SS. Virginis animum! quæ tam diu fert ingratos donec fecerit gratos: succumbunt vitia virtutibus. Senec. de beneficiis, lib. 5. *Historias quæras.*

Silens beneficentia est nobilissima.

Dedisse est accepisse beneficium.

§. III.

§. III.

Calentes Virgini semper gratiæ agendæ.

An non Deo, nullius rei indigenti, & extra desiderium posito gratias, easque ut expetitas delitias pro beneficiis referimus? Planè: nam & salutem, & spiritum, & quidquid circa nos positum videmus, debemus. Reposcit Deus gratitudinem: excusationem mentis ingratæ ab infirmitate, aut inopiâ non admittit: cui hæ voces prohibentur? Quid faciam, Magne Deus? & quomodò, & quibus tibi Domino rerum omnium encomijs gratiam referam? sine impendio, sine opera, sine artificio gratitudinem perpetuam, vivaci memoriâ, & oris studio tuere: fatere te obligatum, nec ullâ parte tui parem esse posse. Hâc arte placuit Jacob Genes. 32. vers. 10. *Minor*, inquit, *sum, Domine, omnibus miserationibus tuis*; major est liberalitas, quàm mereor, excedit omnem fortunam meam. Si pro magnitudine beneficij loquar impensiùs: sat gratus est, qui se onerat; & eodem momento, quo se obligatum agnoscit, proximè etiam paria fecit beneficia. Euge anima mea; ait David Psalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius*: omnia ossa dicant; *Domine quis similis tibi?* Psalm. 34. Sacer denique vates totus quantus est, sese effundit atque dilatat in gratiarum actiones. Secundùm Deum Virgini Sanctissimæ instrue apparatus laudum æternarum, refer gratiam, quantũ potes: majora enim sunt beneficia omnibus gratijs. Imitare Caium Furnium, de quo Seneca, qui fuit Consul anno Urbis 736 qui in nullo magis artificio demeruit Augustum Cæsarem, & ad alia impetranda faciliorem reddidit, quàm quòd Patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset; dixit: *Hanc unam vocem, Cæsar, habeo iniuriam tuam*, (*ô callidè dictum!*) *effecit, ut viverem, & morerer ingratus: in summo beneficio tuo, inquit, tua mixta est iniuria.* Ita & tu his vocibus utere adversus Sanctissimam Virginem: agnosce te nullo modo posse satisfacere, nunquam ad spem in minimo exæquandi beneficii perventurum: opperire singula momenta, atque velut dato signo prosilias in laudem, & Matris tam beneficæ studia luceant in vultu, & conscientiâ secreta: veniat memori vita; si verè gratus sis, nunquid de reddendo non statim cogitabis? An non terra consita, mollito sinu semen accipit? & satorem læto proventu recognoscit? An non reddit beneficium duplicato fœnore? Esto sis impotens; voluntate tamen potens es: ea non lateat moribus, & vitâ; circumferas tantæ Dominæ munera accepta, & profer imaginem tuæ

Gratitudo necessaria.

Mirum artificium gratitudinis.

Terra imitanda grata suo cultori.

A beneficatricis. Dabit mihi veniam, Lector, ut producam Senecæ similitudinem, quâ nihil elegantius dici potest: Qui, inquit, accipit beneficium, licet animo benigno acceperit, non consummavit officium, restat enim pars reddendi. Sicut, inquit, in lusu est aliquid pilam scitè, ac diligenter accipere: sed non dicitur bonus lusor, nisi qui aptè, & expeditè remisit, quam exceperat: nec tamen ideò non bonum lusorem dicam, qui pilam ut oportebat, excepit, si per ipsum, mora, quò minus remitteret, fuit. Sed quamvis, inquit, nihil arti ludentis desit, quia partem quidem fecit: sed & partem, quam non fecit, potest facere: ludus tamen imperfectus est, qui consummatur vicibus mittendi, & remit-

Pila reciproca ars imitanda gratis.

B tendi. Esto sit hoc exemplum dissimile in hoc: quia ludi laus in corporis est motu, & agilitate, non in animo: est tamen simile, quod animum beneficia poscant; si animum reposueris, cùm aliud nihil possis, beneficium reddidisti. Appara ergo ingentes animos, & spiritus, qui Virgini subserviant: appara voces, quæ ancillentur tantæ pietati; plurimum fecisti, si bono animo bonum retuleris: magnam partem pensionis beneficij solveris, si hoc egeris: non furtivè gratias egeris, non ad aurem, non in angulo, produc notitiam beneficiorum; ingratus es, qui remotis arbitris gratiam refers. Avidè accepisti; ita auidè memineris, nec segniter tuearis: sicut enim agricola non destituit labores

C in semine sparso, sed multa cura perducit ad segetem: æqualis cura necessaria est in prima pueri educatione, ac posteriori. Nihil pervenit in fructum, nisi pari curâ per sua tempora sustentetur. Vide ergo ne beneficia sepelias: maximum enim crimen est, esse ingratum. Quàm multi verentur palam referre beneficia, ut suâ virtute potiùs, quàm alienâ videantur esse consecuti; qui tamen alieno vivunt beneficio. Benè Dio Cassius lib. 46. *Dedignantur videri beneficio affecti, & gratia ultrò obliviscuntur.* Pulchrè & Herodianus in Pertinace: *Iniuriarum*, inquit *si quæ factæ sint, semper est memoria, & quidquid offendit, ægrè exuitur, aut obliteratur*: at beneficiorum unà

Nobile documentum historicorũ.

D cum fructu usque memoria perit. Ingens ergo turba ingratorum; quos vel accepisse pudet, & obligationem declinant, vel dedignantur eguisse, ne fortunæ inopiam monstrent; vel maleficijs obliterant, vel ex beneficio deteriores effecti, calce feriunt, quo famam eludant & suas necessitates: quod hominum omnium pessimum est. Cujus exemplum dabit Seneca, lib. 4. beneficiorum ultimâ pagellâ: Alexandri Magni, inquit, Pater Philippus habebat militem manu fortem, cui virtutis causâ subindè ex præda aliquid donârat, & hoc pacto hominem crebris auctoramentis accendebat. Hic naufragus ad possessionem cujusdam Macedonis expulsus est: Macedo in villam suam transtulit, spiritum ejus collegit, diebus triginta impensâ sui curavit,

Horribile ingrati exemplum imo & tragœdia.

vit, refecit, viatico instruxit subindè dicentem: Gratiam tibi referam, videre tantum Imperatorem mihi contingat. Narravit Philippo naufragium suum, tacuit auxilium, petijt ut sibi prædam cujusdam donaret. Ille erat hospes ejus, à quo cumulatus tot beneficiis. Multa Reges, in bello præsertim, opertis oculis donant, & qui sufficiet tot armatis cupiditatibus? inducitur in bona sui servatoris, non tulit ut rusticus injuriam, tacitus Epistolam strictam, ac liberam scribit Philippo; quâ acceptâ ita exarsit, ut statim Pausaniæ mandaret, bona priori Domino restitueret; ceterùm ingratissimo naufrago stigmata inscriberet, ingratum hospitem testantia. An non dignus ille, cui nomen inscriberetur; sed etiam insculperetur, ô improbum, & sceleratum! qui benefactorem eo loco expulerat, quo fuerat receptus.

Horribile ingrati exemplum imo & tragœdia.

Quis non indignatur ad tantum scelus ingratitudinis? Quis ejus pœnâ movetur, qui commisit, propter quod nemo miserari misericors potest? Circumfert scelestus litteras fronti inustas, omnium oculis spectandas: circumferat nunquam delenda fronti data signa focorum, qui focos hospitales, & hospitalem mensam violavit.

Declina ergò ingratitudinem, novercam omnis boni, & mali nutricem: pugnat illa effera bestia, & pellit regno virtutis, quidquid est honesti: perierunt illa omnia, cui reverentia, & memoria beneficij perit. Volo te herbam parietariam, non eo modo, quo Trajanus Imperator, herba parietaria, vocatus, qui vanâ ambitionis aurâ devictus, singulis operibus, etiam minimis nomen suum inscribi ad ævi memoriam mandabat: sed te herbam parietariam volo, ut sis Præco, Orator, Nuntius beneficiorum acceptorum, ut omnibus Sanctissimæ Virginis virtus innotescat, & per te ubique celebretur.

§. IV.

De Sanctitate Dei.

Hæc procreata cum benignitate ab ipsa bonitate, quod sit Sanctitas, cur Deus sanctus Sanctorum vocetur, & quomodo homines sancti efficiantur.

Diximus Deum infinitè in suæ essentiæ infinitâ excellentiâ perfectum, quare & infinitè omni conceptibili, & imaginariâ, ut sic loquar, bonitate, quæ est ipsius essentia, bonum dicimus. Hinc sequitur, & esse per-

A fectissimum infinitâ perfectione moris, quæ perfectio, Sanctitas vocatur: deinde dicimus & perfectissimum absolutissimâ benignitatis, sive beneficentiæ gloriâ. Sicut ergo bonitate naturæ suæ complectitur omnem perfectionem in omni genere entis: sic & omnem Sanctitatem, & benignitatem, & omnia cetera attributa.

Primùm nunc agendum de Sanctitate: deinde de benignitate, quæ sunt quasi ab ipsâ bonitate prognatæ, sive filiæ, sive surculi, sive duo fontes, qui ex pelago ipsius profluunt bonitatis: necesse enim est ab ipsa bonitate infinita provenire, tanquam à prima origine, nostro modo concipiendi Sanctitatem, & beneficentiam: quod enim perfectissimum, & optimum est & sanctissimum, quod & pariter benignum, & beneficentissimum: omne enim bonum perfectissimum, cùm constet integrâ causâ, est sui diffusivum, ut Sol suorum radiorum. De bonitate procreatrice superiùs actum. De Sanctitate Divus Dionysius de Divinis nominibus agit cap. 12. & sic describit Sanctitatem: *Sanctitas igitur* (ut nostro more loquar) *est ab omni scelere libera, & omninò perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* Ut autem quantum decet, absolutissimam puritatem tribuamus Deo; addemus ipsam Deitatem, esse supra eminentem Sanctitatem; si quidem ex ipsa singulariter, & ubertim emanat, atque diffusa est omnis mera perfectio totius sinceræ puritatis, & omnis rerum distributio, atque distinctio, quæ inconcinnitatem, & inæqualitatem, ac disproportionem exterminat, & ad benè ordinatam identitatem, ac rectitudinem informat, & continet illa, quæ jam digna fuerunt ejus participatione; quia est perfecta, & omnis, omnium quæ pulchra sunt, possessio, & omnis Divina Providentia, quæ contemplatur, & conservat ea, quibus consulit, seseque benignè effert, ad formandum in eis, qui ad ipsam convertuntur Divinitatem: ut, scilicet, sancti simus, sicut ipse sanctus est. Vocatur autem Sanctus Sanctorum: quoniam, inquit Dionysius, universorum Actor, rerum omnium plenissimus, secundùm unam, quæ omnes antecellit, excellentiam; sanctus Sanctorum nominatur. Deinde & vocari potest sanctus Sanctorum, quod nulli intelligentiæ ad illam puritatem perfectè contemplandam, detur accessus. Dum ingeminant Seraphini tertiùm *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Isai. 6. *Deitas*, inquit Damascenus, *sanctificatur, gloriaq; afficitur; & tres hypostases unâ tantùm gloriâ afficiuntur, cùm dicitur, Dominus Deus Sabaoth. Non enim propter numerum Trinitatis Divinitas inest; sed quia Divinitas in Trinitate est, idcircò numerus ternarius perfectus est.* Sic & Augustinus lib. de Fide ad Petrum c. 1. Verum & alij benè ter ingeminari dicunt, ut significent Deum esse abyssum Sanctitatis, ex quâ tam Angeli, quàm homines, & Christus omnem

Sanctitas & benignitas ab ipsa bonitate nascuntur.

Quid sit Sanctitas.

Cur Deus vocetur Sanctus Sanctorum.

Sanctitatem participant: sicut radij à sole hauriunt suum lumen. Quare & hoc Canticum dicitur τετράγιον ter sanctum. Quod Chaldæi sic transtulerunt: *Sanctus in cælo, domo Maiestatis eius: sanctus super terram, quæ est opus potentiæ ipsius: sanctus in sæculum, & in sæcula sæculorum, Dominus exercituum.* Unicum ergo officium, & negotium omnium Angelorum, laudare Dei Sanctitatem. Tu imitare; quia Dei Sanctitatem laudasse, est Sanctitatem demereri. Quantò enim præstant, ut ait Dionys. 12. de Divin. nomin. sancta, vel Divina, vel dominantia, vel Regia ijs, quæ non sunt talia, & rursus ipsæ participationes participantibus: tanto est omnibus sublimior, qui supra omnia, & omnium participantium; & participationum Auctor imparticipabilis. Eum ergo actionibus Divinis, continuò laudasse an non est Sanctitatis gloriam participasse? an non per sacras ascensiones, ipsum ad fontem omnis Sanctitatis, proximè accessisset? Dicitur itaque sanctus Sanctorum, quia essentia ipsius, est prima radix omnium Sanctorum: dicitur sanctus Sanctorum, quia est objectum omnis Sanctitatis, quæ in amore, & conjunctione cum Deo sita est, quæ tanto est major, quo purior, & à rerum terrenarum contactu liberior: dicitur sanctus, quia per legem æternam est regula omnis Sanctitatis, quæ consistit in conformatione affectus cum lege æterna: dicitur sanctus formaliter: Sanctitas enim, est formaliter puritas affectus: puritas autem affectus, est amor Dei, quia est adhæsio cum eo, quod est purissimum, & nobilissimum. Quare cùm Deus sit sui amor, formaliter est sua Sanctitas, & quia se amat, infinitè sanctus est. Dicitur sanctus, quia causaliter est fons, & principium Sanctitatis in creaturis. Vocatur autem Græcè Ἁγιότης, omni labe, & impuritate privatum, seu Sanctitas, nomen formatum ex α privativa, & voce ἄγος, id est, impuritas, quasi ἀζγιότης, & gemino α α, in ω longum aspiratum, coalescente ἁγιότης. Duplicatur autem nomen, & vocamus summum bonum, sanctum Sanctorum: sicut & Regem Regum, Dominum Dominantium, Deum Deorum, & manifestationem summæ excellentiæ Divinæ, quam mortalis lingua eloqui non potest. Quare & optimè dicitur, quod sanctitas, dominatus, & regnum, & Divinitas absolutè quidem in Deo dicta, silentium ejus sunt beatum, & supra substantiam, extra Deum verò proprietates accipiunt ad creaturas spectantes, ut acutè Cyparissiotus docet decad. 5. cap. 9. Hinc Propheta: *Tibi silentium Deus.* quasi silentio magis Deus laudetur, & admirationis raptu. Sicut laudarunt Seraphini apud Isaiam cap. 6. absconditum illud Numen vocibus intonantibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* An non ideò ingeminarunt, ut & nos ingeminaremus propter superplenam excellentiam, quâ omnem excedit puritatem? &

Quare Deus vocetur sanctus.

Vt sanctitas Græcè dicatur.

Cur vocatur Deus sanctus sanctorum.

A ut hoc innotescat, geminatur illud nomen *Sanctus sanctorum*, quasi suprema, & infinita essentia omnis puritatis, cui omnis sanctitas comparata creaturarum, est quasi nulla: quantum enim differt natura pura, & causa à qualitate, & effectu, & quantum illud, quod participatur ab eo quod participat; tantum differt Dei puritas à puritate communicata: omnia enim ex Deo sunt: solus autem Deus à nullo. Sicut itaque sacra Scriptura vocat Deum Deorum, non quod præ uno Deo, alios statuamus, sed eo modo, quo vocamus Reges, Dominos, sanctos, propter excellentiam, quod inferioribus præsint, & vice Dei fungantur: sic & Deos eos vocamus, quasi spectabilem Dei imaginem repræsentet. Optimè ergo Propheta, Psal. 81. exclamavit: *Ego dixi: Dij estis.* Deus enim illos sanctificat; & facit Deos per gratiæ infusæ participationem. Undè & personæ Divinæ à Dionysio, & sanctis Patribus vocantur θεαρχικαὶ, id est, Deificæ, & Spiritus sancti, id est, Spiritus supra Deos, quos, scilicet sacrificando facit Deos sive in cælo, sive in terrâ: facit autem sanctos gratiæ suæ in animam infusione, quam vocat Divus Petrus *pretiosissimum donum*, quod ejusmodi est, ut nullus possit justus vocari ab alterius justitia, vel sanctitate, vel forma determinante, sed ab hac Divina qualitate, aut mutatione facta in justo, actu, vel habitu. Quare nemo potest dici sanctus, & justus Justitiâ Christi, aut Dei, sed neque favore illius tantùm, aut amore, aut lege. Cùm igitur dicitur: *factus nobis sapientia, sanctificatio, & redemptio*, id est, ad Corinth. 1. intelligendum bonitate Dei nos esse bonos, tanquam efficienti, & exemplari, quia in nobis efficit, quidquid est boni: tum etiam fine; universa enim propter seipsum operatus est Dominus. Proverb. 16. Sic igitur Christus, qui merito suo sanctificationem, & redemptionem nobis comparavit, dicitur sanctificatio, sapientia, redemptio nostra. Quare & Christus Dominus præcisè ex vi unionis hypostaticæ quamvis esset sanctus, attamen ei gratia fuit infusa, quæ propter unionem facta est illi connaturalis, ad justitiæ & Sanctitatis operationes perficiendas. Gratiâ ergo ut simus justi, & efficiamur filij Dei, per adoptionem, nobis per Spiritum sanctum infundenda est gratia, utpotè gratiæ suæ in animam infusione, sine quâ consors Divinæ naturæ nemo potest esse. Et ideò Divus Petrus 2. Epist. cap. 1. gratiam, maxima, & pretiosa dona vocavit: denominatio enim sancti, aut justi, apud Deum talis est naturæ, ut nullus possit justus appellari ab alterius justitia.

Reges, ac dominos, sacerdotes vocamus sanctos.

Nemo potest dici sanctus aliena virtute, imo nec Dei, nec Christi Domini.

§. V.

A

§. V.

Quanta sit Sanctitas Dei.

CUm Bonitas Dei sit infinita; necesse est, esse & Sanctitatem infinitam omni modo & intensivè, & extensivè, ita ut nec crescere, nec diminui possit; quandoquidem sicut Bonitas Deo est essentialis, ita & Sanctitas est essentialis, & extendit se ad ea omnia ad quæ coëxtendit se infinita Bonitas. Extendit autem se Bonitas ad infinita, ita & Sanctitas: Bonitas supergreditur, & excedit omnem conceptum formabilem, ita & Sanctitas est superior omni puritate intelligibili. Perfectio bonitatis Divinæ est Deo propria per essentiam, & ipsa essentia Divina, sic & perfectio puritatis in summo gradu est Deo connaturalis, & Deo propria, & ipsissima essentia Divina: Bonitas est eminenter, & causaliter omnium bonorum fons, & principium; ita Sanctitas est fons, & principium omnis Sanctitatis in creaturis. Et sicut Bonitas creaturis non ingenita, nec propria per essentiam, sic nec Sanctitas, quæ à Deo ex infinitâ bonitate illis confertur: est quippè creaturis qualitas substantiæ accessoria, & quæ ad infinitudinem Divinæ Sanctitatis non potest attingere: quæ ut augeri in infinitum, ita & minui, & ad nihilum redigi potest. Quare omnis creaturæ Sanctitas, Divinæ Sanctitati collata, est instar nihil: sicuti omnis pulchritudo, omnis potentia, omnis sapientia, & excellentia totius creaturæ est quasi nihil, & pro nihilo computatur. Optimè ergo docent Theologi, totum universum Deo adjunctum, non esse quid præstantius Deo solo; quia ipse est omnia, in se continet omnia eminenter, & idem numero, ita ut nulla accessio notabilis facta dici possit, etiamsi mille mundi, uni huic mundo adjungerentur: quid enim una gutta infinito pelago apportat incrementi? quid una arena immensitati terræ? nihil enim est, quod in Deo non sit, & multò perfectiùs quàm sit in seipso. Omnis ergo bonitas creaturæ etsi excellens sit, & excellentia per eam opera producantur, attamen Divinæ bonitati comparata, est quasi non esset Bonitas. Pari modo omnis sanctitas creaturæ, Creatoris Sanctitati collata, est quasi impuritas.

Quanta est bonitas tanta est Dei sanctitas.

Omnis sanctitas creaturæ, Dei sanctitati collata est quasi nihil.

§. VI.

Quibus gradibus ascendatur ad Sanctitatem.

VEhementer plurimi mirantur, hisce nostris tẽporibus tam paucos extraordinariâ Sanctitatis luce, & primorum Patrum virtutum facibus irradiari. An fortè putamus Deum, omnis puritatis, & lucis solem primis sæculis radios gratiarum in aliquos tantùm transmisisse, & arcana suorum mysteriorum revelasse, & nunc extremis temporibus, quasi B effœta senecta, largitatis suæ favores contraxisse? Errat quicumque hoc sibi persuadet. An non idem Deus, & immutabilis fons, semper largiter fluens, qui nunquam arescit, nisi ingratis, & impijs; & tamen illis etiam nolentibus semper affluit. Ipse Deus infinitè bonus, semper largus, semper amator vehemens, & dator, qui dando, putat se fieri ditiorem: non potest negare seipsum, nec suas opes egenti, vel eas optanti. Tota culpa nostræ impuritatis, & tenuis lucis à nobis profecta, in nos redundat. Licet tibi, licet & omnibus paria magnis sanctis recipere, si paria sanctis feceris; ita nimirum, ut hæc habeas, quæ sancti habuerunt. Sit summa cura, C teipsum nosse cum tui despicientiâ: nulli te præferre, etiamsi maximus sis: minimos nævos summâ contentione devitare: dextro oculo æterna, sinistro temporalia contemplari: hæc ut momentanea, illa ut æterna: cum Deo, summâ reverentiâ adhibitâ tractare: tantum corpori tribuere, quantum sapiens Domina ancillæ, ut par sit laboribus, non delitiis marcida: exstirpare radicitus omnem affectum regnandi, & præsidendi rebus: famam nominis, & laudes humanas, ut umbratile corpus æstimare. Ad hoc contende, ut Dei totus sis, & totus à te discedas. Stude animæ sanitati, ut sacerdos Sanctitati templi, & exhibe te, ut templum Deo. Hoc sensu docuit Clemens Alexandrinus, exhortatione ad D Gentes; dum ait: *Homo teipsum consecra in templum.* Hoc sensu & Chrysologus docuit, dum ait, *Venire ex se, in se.* Hujusmodi templum vocat Abbas Abraham, *cellam animæ*: *Pulchram*, inquit, *domum David in corde suo, Domino cupiens exhibere, dicebat: Domine*, inquit, *dilexi decorem domus tuæ; & locum habitationis gloriæ tuæ.* Quod quomodo fiat, docet Basilius in verba Psalm. 28. *Adorate Dominum in aula sancta ejus: Quemadmodum*, inquit, *se adornat quis, & instruit domum, templum Dei ut sit; ita & aulam eius, sive atrium, undiq; potest cingere seipsum, quasi muro quodam communiens, vitâ, sermone, Divinis cogitationibus, in seipso adorans Deum.* Hoc ipsum beatus Nilus: *Quandoquidem domi nostræ Ecclesiam, mentem quisque suam habemus, peragere etiam debemus in ipsa Ec-*

Cur tam pauci hodie eminenter sancti.

Qua paranda ad vitæ sanctitatem obtinendam.

Exhibe te ut templum Dei.

clesia sacrificia. Et Chrysostomus 79. ad populum: *Vbicumq; sis, potes altare tuum constituere, si mentem tantum ferventem exhibeas, & orationis perfectionem consummaveris. Vubicumq; sis, ora, templum es: locum ne quæras, teipsum habes*. Hujusmodi templum exhibuit se Antoninus, de quo Surius primo Maij: *Nulla fuit unquam tanta negotiorum moles, & causarum incurrentium implicatio, ut vel tantillum, Deo plenum hominem retinere posset, quin in sublime totus, speculatus cælestia, raperetur. Habebat, scilicet reconditum quemdam mentis angulum, quem intactum servabat: ad quem negotiorum strepitus, vel curarum Pastoralium anxietas non irrepebat: ad quem, tanquam ad asylum tutissimum ab hoc exteriore, ad eum, quem Paulus ad Ephes.3. vocabat interiorem hominem recurreret*. Sin verò obruaris negotijs ex obedientiâ, nec tibi vacare possis, sufficiat, & soletur te vox missa à Christo ad P. Balthasarem de inopiâ temporis conquerentem: *Conquiesce, & satis tibi existima, quod utar operâ tuâ, etiamsi non sis mecum*. Vis obtinere Sanctitatem, exhibe te Deo sanctum Sanctorum, ad quod nulli, nisi summo sacerdoti patebat accessus: ante quod semper ignis ardebat æternus, & ne deficeret, instruebatur. Verus ignis, charitas fervida, quâ Deum rapis. Hoc ipsum Christus Dominus docuit sanctam Brigittam: *Dilige me solum, & omnia habebis, quæ velis, & abundabis*. Si verbis meis credideris, & compleveris ea, gaudio, & exultatione non deficies in æternum: & tunc admitteris ô homo in Dei jucundam societatem, si puritati Sanctitatis studueris: nam, ut ait sanctus Macarius homil. 15. sicut in Palatio Regis, formosæ, ac speciosæ puellæ, quæ nullâ maculâ respersæ sunt, in Regiam societatem admittuntur: sic & in spirituali Palatio animæ, quæ omnibus bonorũ generibus sunt exornatæ, communem habent

Sanctus esse desideras? sis tibi sanctum sanctorum.

A cum Rege cælesti, necessitudinem, ad has animas, teste Laurentio Justiniano, verbum accedit, nec recedit, etsi ad horam dispensativè, non tamen diu: nam vehemens amor citò revocat, quod levis fugavit culpa. Qui igitur ardentiùs diligit, citiùs reconciliatur. Hinc est, quod à corde perfecti diu non valet abesse sponsus.

In sancto Sanctorum dabat Deus responsa rerum futurarũ, ubi quasi caligine tectus, à Cherubinis adorabatur. Quare ut sis sanctum Sanctorum, munda sit anima, & accipies arcana responsa: *mundi enim sunt oculi Dei, ne videat malum, & ad iniquitatem respicere non potest*. Quare & summè displicet omnis inordinatio, omne peccatum: perdit enim Deus omnes operantes iniquitatem, quâ templum animæ violatur: perdit omnem iniquitatem, quia summè amat Sanctitatem, & ideò sumus omnes prædestinati in Christo, *ut simus sancti, & immaculati in conspectu ejus*. Ad Ephes. 1. Si Seraphini tegunt alis facies suas, quasi verecundiores, ut Deum contueantur: si illi cælestes spiritus, ab omni terrenę concretionis labe, & contactu liberi, erubescunt Dei Sanctitatem intueri, quanto major necessitas homines premit, ne audeant tantæ Majestatis puritatem etiam eminus spectare, qui infinitis ferè passibus distant ab Angelica puritate? Clamabo ergo cum purissimis illis spiritibus: Ego minimus vermiculus, cùm aliud non audeam, quàm Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloriâ tuâ. toto pectore ne tædium subrepat tantam Sanctitatem laudandi: tædio enim fuscatur hilaritas, in qua datorem diligit Deus, quod surrepit tantò magis, quantò minus quisque, & tantò minùs, quantò magis profecerit. Sic Augustinus *lib. de perfectione institut. cap.* 8.

Levissima peccata profliga.

Sis verecundus cum Deo agens.

CONSO-

CONSOCIATIO

§. I.

De benignitate, seu beneficentia.

QUID sit, & quàm admirabilis, & ab omnibus adamata, videamus. Diximus Deitatem esse perfectissimam in omni genere entis, ita & optimam, & summum bonum esse omni bonitate conceptibili; undè necessariò consequitur esse infinitæ sanctitatis, & benignitatis. Ut igitur clarissimè cognoscatur, summum bonum esse diffusivum sui, omnes vocamus Deum infinitè benignum. Is enim benignus dicitur, qui pro naturæ suæ bonitate, innatis impulsibus movetur ad benefaciendum; & nemini malefaciendum. Est ergo Deus infinitè benignus, quia infinitis impulsibus, & ijs quidem amatorijs, instar Zelotypi commovetur, agitur, & rapitur, ut se, suaque bonitatis dona & thesauros expendens, largiter effundat. Est igitur beneficentia, quæ Græcis dicitur εὐεργεσία, exterior actus amicitiæ vel amantis, secundùm rationem communem: sicut benevolentiæ est actus interior præsuppositus à beneficentia. Hanc virtutē vehementer sunt admirati Gentiles Philosophi. Cicero lib. de naturâ Deorum: quid est melius, & præstantius bonitate, & beneficentiâ, quæ Græcè εὐεργεσία vocatur? Hinc εὐεργέτης, beneficus, munificus, spontaneus, qui ex impulsu suæ bonitatis internæ ad beneficia porrigenda provocatur.

Quis dicitur benignus.

Nota, principem benefici dotem non satis laudatam; quòd à sancto, & non inimico animo proficiscatur. Dona enim sunt hostilia, quæ hostili animo data, etiamsi maxima, qualia fuêre Ajacis, & Hectoris, juxta illud:

Ajaci datus ensis ab Hectore: baltheus ab Ajace
Hectori, utriq; suum donum erat exitio.

Pythagoras interrogatus, quâ ratione homines Dijs similes efficerentur. Si veritatem, inquit, *amplecterentur, & cunctis benefacerent.* Ælianus lib. 12. variarum lectionum. Democritus, Pythagorâ animosior, docuit: *Si homo*, inquit, *Deus esse vellet, ad largiendum debet esse promptior, quàm ad promittendum.* Alexander Magnus rogatus, quis videretur sibi optimus, respondit; *Qui amicos muneribus, & inimicos beneficiis conciliaret.* Optimè Alexander: gratiam enim Principis voluntas nuda non afferit, nec beneficium dici potest, quod nullâ utilitate sentitur. Sentitur autem fructus beneficentiæ, dando, & accipiendo: dando autem magis; nam beneficium est benevola actio, tribuens, captansque gaudium, tribuendo id, quod agit, teste Augustino. Quare melius est esse beneficium quàm secus. *An non melius*, teste Aristotele lib. 2. magnorum moralium, *amare, quàm amari:* siquidem amare, voluptatis est actio quædam & bonum? ab eo autem quod amatur, nulla actio est: sicut melius est cognoscere, quàm cognosci: cognoscienim, & amari, etiam in carentibus animâ existit; cognoscere, & amare in rebus animatis.

Ratio quare melius amare quam amari.

Deus itaque cùm sit infinitè bonus, suam bonitatem maximè beneficentiæ dote manifestat. Et ideò Sapientiæ 7. *Spiritus Domini suavis, amans bonum, acutus, & quem nihil vetat, benefaciens humanus. benignus est spiritus sapientia*, Græcè habetur φιλάνθρωπος, singularis amator hominum, ubi Augustinus lib. de mendacio c. 16. legit: *Humanus est Spiritus sapientia.* Syrus: *amans enim filios hominum, qui optat suam sapientiam, & gratiam hominibus communicare.* Hoc testatur Paulus ad Titum 3. cùm ait; *Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri: non ex operibus Iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Ubi Græcè habetur χρηστότης, & φιλανθρωπία, excellēs benignitas, & summus amor adversus homines, quò benefaciendo, & amādo, homines sibi devinctos, obligatosque volebat. Præstantissima ergo juxtà & nobilissima est actio in beneficentia Divina, quæ instar solis in omnes, suos radios suæ largitatis, nullâ spe ἀντιδόσεως, disseminat, atque diffundit. Admiranda planè beneficentiæ Divinæ natura, ut gaudio majore, & voluptate quodammodo exultet, tripudiet, & perfundatur, beneficentiam exercendo; beneficia promptissimâ manu spargendo, quàm beneficijs ditari, affectique: magis enim quisque proprium suum opus amat, quàm ipse ab opere amaretur, si animæ particeps esset. Hinc Poëtæ supra modum sua Poëmata, perindè ac suos filios amant. Tali simile est id, quod faciunt ij, qui beneficia contulerunt: nam qui beneficium accepit, est opus benefacientis. Hoc ipsum docet Aristoteles lib. 7. ad Eudemum. *Magis*, inquit, *suam sobolem diligunt parentes, quàm diligantur ab iis, & effusiore charitate Matres complectuntur, quam Patres amant, quia magis suum opus esse, liberos arbitrantur, & quia opus difficultate definiunt, magisque itaque generando affliguntur.* Sic Deus naturâ suâ benignissimus, summè amat opus suæ benignitatis, & magis magisque delectatur, gaudet beneficia conferendo, quàm accipientes fruendo: quia, ut dictum est, accipiens beneficium,

Summa Deo voluptas dare.

ciũ, est opus beneficiẽtis. Magnus ergo Deus mansuetudine, & beneficentiâ elicit omniũ hominum gratiam, & ad amorem provocat, dum illos continuâ largitione fatigat, & trãsmutat. Accipe ex Nazianeni oratione 47. in Pentecost. *Hic spiritus, utpotè, Sanctissimus, atque hominum amantissimus, si Pastorem nactus fuerit, Psalten efficit, atque Israelis Regem facit: si Caprarium moros vellicantem, reddit Prophetam Davidem, & Amos. Cogita. si adolescentem pulchræ indolis acciperet, præsbyterorum judicem constituit, idq; suprà quam ætatis ratio ferre videtur. Testis est Daniel, qui leones in lacu superavit. Si Piscatores invenerit, Christo irretit, orbem universum sermonis retibus complectendum. Petrum, & Andream accipe; tonitruiq; filios, qui spiritualia intonuerunt. Si Publicanos, ad Apostolatum elucratur, & animarum negotiatores efficit.* Adde Lector optime, huic amantissimo spiritui, spiritui omnis benignitatis Auctori. Quòd etsi profusus sit in dando; ita tamen benignus est, ut pollicitationes maximas beneficijs obruat. An non Jobo, duplo plura reddita, quàm ablata? an non Salomoni præter Sapientiam, quam unicam postulabat, gloriæ splendor, opum superbarum jactantia, & cetera, quæ vulgò sunt in honore, & pretio, sunt sine mensura collata? an non Virga Aaron præter promissum germinis, & germinavit, & floruit, & folia, & fructus tulit? Adhæresce summo bono, & quantò arctiùs adhæseris, tantò opulentiùs in te senties derivari, & exundare profluvium bonorum: bonitas enim non fit minor propter consortis accessum; imò tantò major est, quantò concordiùs possidet socium charitas individua. Vis experiri infinitam Dei benignitatem? dic benignissimo Deo, (si licitum humana comparare Divinis) quod Æschines, Socratis auditor, Socrati: *Nihil invenio; te dignum, quod offerre possim* (pauperem se designabat) *dabo tamen quod habeo, meipsum.* Hoc munus qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multa tibi dederint, plus sibi retinuisse. Dic Deo: Pauper ego sum, & inops: tu bonus, & benignus; fac me dignum tuâ benignitate, & cùm non habeam quod donem meipsum dono, imò redonem meipsum, mihi à te donatum: dono tamen id, quod donatum accepi liberè, & voluntariè, quod unicum donum tibi gratum perplacet. Felix dator dabitur tibi datori felix responsum, longè magnificentius quàm tulit Æschines, cui Socrates: *Quid ni*, inquit, *tu mihi magnum donum dederis, nisi fortè te parvo existimes? habebo*, inquit, *curam tui, ut te meliorem tibi reddam, quàm accepi.* Tu Lector, redde benigno te Deo, à quo es: redde te; non enim reddendo te, fies deterior. Benignus est Deus, non egenus: ipse non crescit ex redditis, sed te redditorem faciet in se crescere. Perditur quod non redditur: si te reddis, reddenti additur. Idipsum erit redditor, &

Magnifica sui donatio.

A redditum, quia ipsum erat debitum, & debitor. Vis esse beatus? da te Deo, à quo accepisti quod es. Imaginem Dei habes, dum rationis es particeps. Ad similitudinem autem Dei efficeris, dum benignitatem colis: benignitatem autem Dei coles; si te dederis Deo, qui naturâ bonus est, & ideò bonorum omnium largitor: & si proximis prodesse velis, quod est proprium bonorum hominum: *Charitas* enim, clamat Paulus, *benigna est.* 1. Corinth. 13. Audi Bernardum. Sermo. 69. in Cantic. Habet Ecclesia Dei spirituales suos, qui non modò fideliter, sed etiam fiducialiter agunt cum Deo, quasi cum amico loquentes, testimonium illis perhibente conscientiâ gloriæ ejus. Quinam illi

B sint, id quidem penes Deum: tu verò audi qualem te esse oporteat, si talis vis esse. Da animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est, cui vivere Christus non tantum sit, sed & diu jam fuerit: cui studij, & otij sit, providere Deum in conspectu suo semper, cui solicitè ambulare cum Deo suo. Da talem animam: & ego non nego dignam curam sponsi, Majestatis respectu, dominantis favore, solicitudinis gubernaculis. Igitur qualem te paraveris Deo, talem oportet, appareat tibi Deus. Bonus es Domine, animæ quærenti te: occurris, amplecteris, sponsum exhibes. Caussam ergo cur pauci eximiè sancti, dat idem Pater Serm. 6. de Ascensione. Undè spiri-

Qualis tu Deo, talis tibi Deus.

C tualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cùm alijs tanta copia exuberet? Profectò nec inops, nec avarus est gratiæ distributor, sed ubi vasa vacua desunt, stare oleum necesse est. Præoccupatum desiderijs sæcularibus animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana vanis, æterna caducis, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram. Hoc docuit Maria de Pazij lib. 2. revelat. cap. 22. *Dignus erit consolatione Divinâ, qui non alium consolatorem quærit, nisi Deum.* Vis esse sanctus? exhibe te purum, & immaculatum Deo, puras attolle manus: Beati, inquit Dominus, *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Aaron nisi ter ablutus fuisset, non ingrediebatur in

Quis consolatione dignus.

D Sancta sanctorum: Mundet igitur cor, qui verbi cupit contemplari præsentiam. Ideò Laurentius Justinianus de casto connub. c. 18. *contemplationis oculum, tabernaculum sapientia, exuberantem gaudio mysteriorum domum appellat.* Odibilis ergo, ait Bernardus, de conversione ad clericos c. 25. *Macula, quæ beatam adimit visionem, & execrabilis negligentia, quâ dissimulamus interni illius oculi mundationem: ut enim corporeus nobis visus, aut humore interiore, aut exterioris pulveris injectione impeditur: sic & spiritualis intuitus, interdum quidem propriâ carnis illecebrâ, interdum curiositate sæculari, & ambitione turbatur.* Et tu Sanctitatis, bonitatis, & benignitatis aliquem gradum speras, qui jocis delectaris, spatiari desideras, nova semper

per audire, & videre appetis, & aliorum negotia percunctari sedulâ curiositate non cessas? Unde Laurentius Justinianus *de disciplina Monach. cap.* 12. Memineris Prophetæ clamantis: *In silentio, & spe erit fortitudo tua*; fortitudo, scilicet sanctitatis, bonitatis, & benignitatis. Vasis disruptis diffluit oleum. Muscus patulo deperit aëre. Robur regnandi est secreti cura. Urbis firmamentum, robusti muri. Acquisitio, & conservatio sanctitatis, silentium. Moyses in silentio, in solitudine montis à turbis semotus, curis abjectis humanis, admittitur ad Dei colloquium. Bene monuit sanctus Leo, *serm.* 8. *de Iejunio*, & vult animum nostrum omni strepitu terrenarum silere curarum; ut in meditationibus sanctis, & deliciis lætetur. Quod si in hac vita difficile est continuari, potest tamen frequenter adsumi, ut sæpiùs, & diutiùs spiritualibus potiùs, quàm carnalibus occupemur. Et cum melioribus curis

A majores impendimus curas, etiam temporales transeunt curas. Ideò beata Magdalena de Pazzi dicebat; vide etiam *in cap.* 44. *Anima religiosa, quæ non delectatur silentio, est impossibile, ut gustum habeat in rebus divinis.* Benignus est iis Deus, qui benigni in seipsos, & sunt sibi viri misericordes. Quid est esse benignum in seipsum, quàm omnes opes animi, conquisitis studiis in seipsum profundere? quàm omnes primas curas in se derivare, posteriores rebus perituris? qui optima quæque sibi reservat, vilia quæque destinat fugacibus bonis. At nunc præpostero digeruntur ordine actiones humanæ. Omnis labor desudat rebus nihil in morte profuturis. Quàm multorum vita transit, nihil, aut parum agentibus: utinam non malè! & quomodo fontes benignitatis divinæ senties in te dimanare, qui illos in te ἀνελεήμων existis & immisericors, ne fluant occludis?

B

Quando Deus benignus homini.

TERTIA PARS
XIV. CONSOCIATIONIS,
De Virginis sanctitate.

§. I.

Comparatur aliquo modo Filij sui sanctitati, quæ non est infinita in se. Deinde qualis sit sanctitas D. Virginis.

QUIs poterit Virginis sanctissimæ sanctitatem assequi? quis penetrare? quæ sanctitate Filij sui solius inferior probatur: tantò enim creaturarum sanctitatem transcendit, quantò nobilius est esse Dei Matrem, quàm servum. Cùm igitur omnium creaturarum sanctitas infinitis propè intervallis cedat Virginis sanctitati, cum primaria sanctitate sui Filij necesse erit, quamvis inæqualem & imparem, instituere comparationem; tantò enim est Filij celsior, quò Virginis reliquarum creaturarum sanctitatem puritas supergressa gloriosiùs antecellit.

Ordiamur ergo. In Christo Dei Patris Filio, qui & Virginis sanctissimæ Filius, duplex invenitur sanctitas: prima quæ adnascitur, ratione unionis hypostaticæ, & est Christo Domino connaturalis, ut sit impossibile esse non Sanctum, & Sanctum sanctorum, quæ sanctitas per se & suâ Majestate absque aliqua gratia potest subsistere. Humanitas itaque Christi tota sancta est & justa, juxta illud Lucæ 1. *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* & Joannis 10. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* Perfectus autem Christus fuit, non modò propter Divinitatem, quâ nihil est perfectius; sed etiam propter humanitatem Divinitate delibutam: Divinitate enim uncta est humanitas totius unctionis præsentia. Præclarè hoc Damascenus *lib 3. cap. 3.* docet, dum ait: *Ipse enim seipsum unxit; ungens quidem ut Deus suâ Deitate: unctus autem ut homo; nam ipse est hoc, & illud. Siquidem Deitas est unctio humanitatis. Quare Divinitas dicitur oleum, quo unctus est Christus Dominus.* Ex quâ sanctitate omnia opera Christi vendicant sibi valorem infinitum in ratione meriti: dignificantur enim hâc excellenti sanctitate in ordine ad omnia præmia possibilia, & à qua humanitas Christi

Pulchra Damasceni doctrina.

Quomodo Christus unctus dicatur.

A redditur formaliter, & realiter, & actualiter sancta, prout formaliter distinguitur contra eminenter.

Humanitas ergo sancta est per Verbum, quia Verbo unitur; quia habet in se aliquid divinum, quod est participare Divinitatem, & habere in se Divinitatem, seu verè & physicè participare aliquid divinum. dum enim subsistit in Verbo, sanctificatur substantialiter per unionem cum Verbo; non enim potest uniri ut subsistat, & non sanctificari.

Nota tamen non unione sanctificari humanitatem Christi; sed Verbi personalitate formaliter, quæ sanctitas Christi, si in concreto accipiatur Christus, est infinita; quia
B ut sic includit Verbi personalitatem dignam infinito amore; quare & Christus amatur infinito amore: si verò Christi humanitas, ut humanitas spectetur secundùm se; sic non est amore infinito digna, ita nec infinitè sancta est, quantumcumque humanitas uniatur Verbo: non enim hæc unio sufficit, ut reddatur immensa & infinita per Verbum; quia esse immensam & infinitam, non est solùm habere in se immensam Deitatem; sed ipsam immensitatem: sicut licet humanitas habeat in se existentiam Dei, non tamen formaliter per illam existentiam existit, quia nimirum
C existere per existentiam Dei, non est habere utcumque existentiam Dei in se; sed habere illam per unionem sufficientem ad existendum. Quare licet humanitas habeat existentiam Dei in se, non existit per illam, quia unio requisita ad existendum est identitas existentiæ cum essentia; & quia humanitas supponitur completa essentia in sua quidditate, non est capax accipiendi complementum essentiale, & quidditativum ab aliquo distincto; ideò non potest existere existentiâ Dei, quam in se habet. Sic per unionem Dei cum Verbo habet in se immensitatem Dei, non est immensa. Quare in se habet aliquid divinum,

Christus sanctificatur non unione, sed Verbi personalitate.

num, quod est formaliter sanctificari. & habere in se Divinitatem, & esse sanctum. Unde benè sequitur, quòd humanitas sicut non est infinitè sancta, ita nec infinitè amabilis. A

Pulchra doctrina de subsistentia divina dignitate.

Ad majorem intelligentiam, fatendum & firmiter credendum, subsistentiam divinam, in se esse bonitatem infinitam, & infinitè proinde amabilem; non tamen reddere humanitatem infinitè amabilem secundùm se, quia non est tam bona illa subsistentia humanitati, quàm ipsi Verbo, tum propter minorem proportionem quam habet cum humanitate, tum quia non se communicat tam perfecto modo humanitati, quàm Verbo; huic enim se communicat per identitatem necessariam, illi solùm per unionem creatam, & contingentem. An non multis & infinitis intervallis communicatio per identitatem est nobilior, & melior, quàm per unionem creatam & contingentem? ideò licet illa bonitas in se sit infinitè amabilis, & licet conjunctum ex humanitate, & Verbo sit infinitè amabile, quatenùs includit Verbum; humanitas tamen non terminat illum infinitum amorem, sed alium affectum inferiorem. Unde necessariò sequitur, humanitatem ex vi subsistentiæ divinæ non esse infinitè amabilem, nec infinitè sanctam, ob rationem factam ex eminentissimo Cardinali de Lugo *in tomo de mysterio sacræ Incarnationis.* Et sanè non tam placet Deo humanitas propter gratiam unionis, quàm Deitas: humanitas enim secundùm se est aliquid creatum & finitum, atque ideò non est digna amore summo: ergo non est infinitè sancta. B

Et hæc sufficiant de prima sanctitate, quæ est humanitati Christi Domini connaturalis ex vi unionis Hypostaticæ.

Secunda sanctitas est quæ sacræ humanitati Christi infunditur per gratiam habitualem; quæ si infinita dari posset, de facto Christo daretur: nunc autem cùm repugnet, videtur tamen concedi posse gratia infinita secundùm quid; nam per consortium unionis habuit illa gratia habitualis esse summa gratia, quæ dari potuit; nam habuit ordinem ad unionem, ut consequens unionem quatenus non potuit ordinari ad aliquid melius, quàm ad Verbum unitum; ex qua conjunctione habet vim producendi actus infinitè meritorios, ut fiant efficienter à gratia habituali, vel charitate actus, qui propter consortium Verbi habeant valorem infinitum; unde videtur illa gratia participare quandam infinitatem secundùm quid. In hoc tamen gratia habitualis Christi discriminatur à nostra, quòd nostra non sit nobis substantialis, neque connaturalis; sicut sacræ humanitati Christi Domini est substantialis, & connaturalis, & ideò infinitè quodammodo malitiæ peccati repugnat. nam quò major est sanctitas, eò capitalior est inimicitia, & exercetur hostilitas cum peccato implacabilior.

Quo quis sanctior, tanto major hostis peccati.

§. II.

His positis, ad Virginis sanctissimæ veniamus sanctitatem, quâ sanctitate gloriosius superemineat omnibus.

CErtum sanctitatem humanitati ut humanitati collatam, etsi infinita non sit, multis tamen modis excedere sanctissimæ Matris sanctitatem; attamen sanctissimæ Virginis sanctitatem proximè accedere: mater quippe est, quia vera Dei Mater, hominem verum, & verum Deum in unitate personæ Christi generavit, quo partu cùm nihil sublimius dici, aut à Deo creari potest, sublimissimam sanctitatem requirebat, ut infrà dicetur. Sicut enim magnitudo Dei excedit omnem altitudinem intellectus: sic & excelsitas Maternitatis divinæ omnem exsuperat magnitudinem. Deinde existimo certum, summæ sanctitatis Majestatem, & decus, & ornamentum inveniri in sanctissimâ Virgine: ac proinde dotatam supremis omnibus gratiis & virtutibus, quæ in purè mortalem cadere possunt; ac ideò sanctitatem Virginis sanctissimæ excessisse omnium creaturarum sanctitatem simul congestam, conjunctamque. Hoc docuit Damascenus *orat. de dormit. Virg. Dei scilicet Matris & servorum infinitum est discrimen.* De quo posteà. C

Certum deinde est, hanc sanctitatem tam admirabilem Virgini sanctissimæ accidentalem quidem esse, nec posse dici substantialem & connaturalem; sicut Filio Christo Domino, quæ illi obveniebat ab ipsa Deitate inhabitante. Verùm omnem sanctitatem Virgini tam in prima sanctificatione (quam tunc majorem adepta, quàm supremus Angelus, vel dignissimus Beatorum omnium) quàm toto vitæ decursu infusam fuisse dignitati status, & altitudini Maternitatis fuisse convenientem. Quod pulchrè docuit Divus Thomas 3. *Propos. quæst. 7. art. 10.* ubi sic ait: *In Matre Dei fuit gratia proportionata tali dignitati.* Cui multis sæculis prælusit Divus Augustinus *in libro de naturâ & gratiâ: Indè novimus tantam illi gratiam collatam, quia Deum concipere meruit.* Quare sanctitas summa, & omni sanctitate admirabilior erat debita, & conveniens Materno statui. Et ut largiori modo loquar, erat connaturalis, quia conditio supremi status poscebat eam sanctitatem, quæ Deum ex Virgine nasciturum decebat; ut Sanctus sanctorum ex Sancta sanctorum procrearetur, & aquarum viventium, & sanctitatis fons, suæ origini assimilaretur; Christo scilicet Domino, tantæ Matris Filio. Quare præclarè hoc ipsum docent sancti Patres, & in primis sanctus Cyprianus *serm. de* D

Sanctitas Virginis omnem mensuram excedit.

Nativi-

Nativitate sanctissimæ Virginis: Matri Dei plenitudo gratiæ debetur. Deinde Anselmus *de amore Filij erga Matrem: Ostendit eum amorem erga Matrem, quo nullum putamus posse esse majorem.* An non summus amor, inventor, architectus ingeniosus, & effusus munerum, & gratiarum donator? an non summus amor prodigus sui, qui nec metas, nec tempora donandi ponit? an non amor spoliat se amati gratia? Quas non effudit ergo opes infinitus & omnipotens amor Dei, qui dando fit ditior? & ideò sicut regno amoris nullus est finis, ita nec donandi fit: ergo respondet donatio vehementiæ amoris. Quis neget donationes non esse proximè infinitas? Dicamus ergo proximè infinitam sanctitatem. Hanc immensitatem gratiæ, ac proinde sanctitatis extollit Epiphanius *de laudibus Virginis: Gratia,* inquit, *ejus immensa; ergo & sanctitas.* Deinde Anselmus *lib. de excellentia Virginis: Immensitatem gratiæ & gloriæ, considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.* His accedit Seraphicus Bonaventura *cap. 5. in Speculo: Immensa fuit sanctissimæ Virginis gratia, quia eâ fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo plenum est.* Unde idem ille: *Virgo attulit aurum charitatis infinitum.* Et quamvis ab ardore charitatis Seraphini vocentur, & cùm præstantissimæ sint naturæ, comparationem nobilem habeant; sanctissima tamen Virgo cum nullo alio comparari potest, nisi cum solo Deo. Hoc egregio calamo Damianus *in Virginis Nativitate* notavit his verbis: *Quid grandius Virgine? Attende,* inquit, *Seraphin, & in illa naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumq; opificem opus istud supergredi.* Non sine ratione à sancto Hieronymo pronuntiatum: *Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini, nullus perfectus invenitur, quamvis virtutibus eximiis comprobetur.* Seraphini ergo cum toto exercitu cælestium agminum frigidi in suis ardoribus, præ Virginis flagranti charitate, & minus puri omnes simul conjuncti consertique, cum Virginis munditia collati, videntur.

Amor nobilis architectus.

Concludamus ex sancti Bernardini sententia altitudinem sanctitatis incomparabilem *tom. 2. serm. 31. art. 3. cap. 1.* ubi sic loquitur: *Beata Virgo in Conceptionis Filij Dei consensu plus meruit, quàm omnes creaturæ, tam Angeli, quàm homines, in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis; etsi tunc tamē in admirando illo consensu meruit totalem fomitis exstinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum.* Ego infero: & plenitudinem omnis sanctitatis. Hinc clarè sequi necesse est; cùm sanctissima Mater sit propriè & verè Regina omnium; homines, & Angelos, necnon dæmones esse vera mancipia Reginæ Dominatricis. *Christus ergo Dominus,* ut scribit Arnoldus Carnotensis, *Maria, Domina: constituta quippe super omnem creaturam, & quicumque sub Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat.*

In consensu Incarnationis plus meruit Virgo quàm omnes creaturæ.

Omne genu curvatur Christo Iesu sic & Matri.

Eia ergo servias huic Reginæ, cui servire, regnare est; & inter illius mancipia numerari, plusquàm Regium. Prætermitto fusiorem orationem ex titulo Maternitatis, qui in genere suo est infinitæ dignitatis, quæ omnium hominum, & Angelorum dignitatem excedit; cui, quandoquidem sit infinitæ dignitatis, cur non deberetur infinitæ sanctitatis amplitudo? Amicus Lector plura habebit suo loco. Et concludo cum doctissimo Gabriele Vasquez: *Decens,* inquit, *erat, ut in prima sanctificatione, ut quæ tunc in Reginam Angelorum omnium, & hominum sanctificaretur, eâ tunc gratiâ ornaretur, quâ omnes vel Angelos, vel homines superaret.* Quanto ergo decentius ex titulo Maternitatis, cùm gratia, & sanctitas ad infinitæ dignitatis opus destinaretur, & quidem tale, ut nec altius, nec divinius esse posset. Prætermitto præterea tractare magnitudinem gratiæ, de qua suo loco dictum est, quàm necessariò consequitur sanctitatis magnitudo. Amissis aliis titulis, quibus sanctissimæ Virgini proximè sanctitas infinita debetur, unum titulum paucis complectar, quod sit Mediatrix hominum, cui titulo honoris videtur deberi sanctitas quodammodo infinita.

§. III.

De titulo Mediatricis, qui poscit sibi sanctitatem proximè infinitam.

Sanctorum Patrum concors sententia, varios & exquisitissimos titulos invenêre, quibus supremum sanctitatis fastigium non solùm consecrant sanctissimæ Virgini; verùm etiam magnificentissimo post Deum ipsum gratiarum apparatu ita extollunt, ut quid addi possit, non videam. Primus occurrit Hieronymus *de Assumptione,* si tamen Hieronymi sit, ausus sanctissimam Virginem vocare *salutis auctricem: Veneremur,* inquit, *salutis auctricem, quæ dum Auctorem suum concepit de cælo, nobis Redemptorem dedit terris.* Et quomodo præbuit auctorem? an non quia auctrix? Hunc sequitur orbis Gigas Augustinus *serm. 17. de Nativitate: Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti Maria.* Anselmus *reparatricem hominum* appellat. *Quid ais sancte Pater? an non Creator orbis, est ejus reparator? an non ille restitutor perditæ libertatis, dum se servum efficit? an non ille suâ virtute efficaci mundum tyrannicâ servitute oppressum, tyrannicâ servitute victor liberavit? Plane. Cur ergo Virginem vocas reparatricem, cùm soli Christo sit danda gloria? Danda est. Et lo sint hæc vera: voco tamen reparatricem longè veriori calamo quàm Evam orbis eversi causam; quam tamen solus Adam sustentabat,*

Ex Patribus vocatur Auctrix, Reparatrix, Mediatrix.

tabat, quo non peccante staret orbis incolumis: & peccante corrueret beata felicitas. Quare optimè Irenæus *lib. 3. contra hæreses cap. 38. Vniverso generi humano causa salutis facta est sanctissima Virgo Maria.* Et quomodo facta causa salutis? Quia, ut Hieronymus scribit ad Eustochium, *Vita*, inquit, *per Mariam*; quia nisi data vita, salus dari non potuit. An non per Filium omnia facta sunt? Joannis 1. *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux.* Quomodo ergo vita per Mariam, cùm per Filium data sit vita, & lux per vitam? Miraris; hoc ipsum, teste Chrysologo *serm. 142. Et Angeli mirantur, omnes scilicet homines vitam meruisse per Virginem. Quod idem religiosissimè sancta & Apostolica canit Ecclesia, cùm ait: Vitam datam per Virginem, gentes redempta plaudite.*

Magnifici hi tituli, qui ex vero, in sensu tamen suo debentur Virgini. At hos omnes titulos, Mediatricis titulus excedit, qui omnia sanctitatis jura requirit: sicut enim Christo summa sanctitas debetur; quia ipse solus, & unicus Mediator inter Deum & hominem, Paulo docente 1. ad Timoth. 2. *Vnus Mediator Dei & hominum Iesus Christus*; ita & Virgo, quam Deus voluit suam Matrem, camdemque generis humani Mediatricem. Quid existimas esse Mediatorem summum? an non eum, qui summos Principes, quasi iis major, vel potentior, vel æqualis, vel electus admissusque, cùm ad supremi juris dicundi Majestatem, tum potentiam supremam leges condendi, & res difficillimas decidendi, ut partes, & actiones dissidentium cum auctoritate, & efficacia componit, jubet, dicitque pacis fœdera, conciliat hostiles animos, & clauso Jano orbi pacem donat, & illius est, præscribere fines imperij, & metas ponere, & ablata restituere. Christus ergo ut homo Deus, Mediator summus constitutus apud Deum cum auctoritate & efficacia propter infinitum valorem suarum precum provenientem ex hypostaticâ unione, non solum intercedit; sed ut Mediator solvit ex suis thesauris infinitis, & satisfacit Deo Patri infinitè quodammodo læso, dum infinita debita dissolvit, & omnes pœnas orbis debitas sanguine suo fuso nos redimens, suâ morte dependit. Pacem ergo suâ auctoritate reduxit, dum Pater ejus sanctitatem efficacem, & operum valorem infinitum reveritus, exaudivit preces ejus. Ut igitur ad Mediatricis Virginis titulum descendamus, operæpretium est ex Filij Mediatoris statu, Virginis Mediatricis potentiam, & statum describere. Hæc omnia quæ dicta sunt, videamus.

Quid sit esse Mediatorem.

Christus summus Mediator constitutus.

Dictum suprà à sanctis Patribus, Virginem vocari salutis Auctricem, orbis Reparatricem, humanæ salutis causam, vitamque universi; ac nunc denique vocamus Mediatricem, quam rectè compellemus hoc sacrum sidus tot eximiis nominibus ornatum.

A Videamus quæ nulli Sanctorum tribui, aut ullo pacto concedi possunt. An non ut suprà dictum, qui est causa causæ, consequenter dicitur causa causati, & causa effectus à causa producti? An non Mater produxit Filium, cui vitam dedit? An non ergo causa vitæ? Ergo vera vita veræ vitæ causa, & fons lucis. An non per Matrem Filius Reparator orbis, & causa salutis? Quis negârit Matrem Reginam, & Dominam, Filio Rege, & orbis Domino? Quis inficiabitur Matrem Mediatricem, quæ genuit orbis Mediatorem?

Dicamus ergo Filium Dei Christum Dominum, qui verus Deus & homo, omnes hos titulos absoluto jure sibi vendicare. B Ipse est verus orbis Reparator, orbis verus Redemptor, causa salutis, auctor gratiæ, & vita, & lux hominum. Ut igitur absolutus, & quasi omnipotens esset Christus Dominus Mediator; necesse erat opera Christi Domini habuisse in se sufficientem valorem, & condignitatem ad satisfaciendum pro peccatis. Valor autem hic infinitæ dignitatis nascebatur ex infinitudine personæ operantis & satisfacientis, à qua redditur satisfaciens infinita: sicut enim dignitas personæ offensæ auget gravitatem peccati; multò magis dignitas personæ satisfacientis auget valorem satisfacientis: multò enim majus, & eminentius est Deum penitus exinaniri, & humiliari, quàm hominem in ipsum Deum insurgere. C Plus ergo movet ad placandum Deum, Deus humilians, quàm ad irascendum, homo se elevans. Cùm ergo Persona Christi Mediatoris sit infinitæ dignitatis, necesse est operationes ejus sortiri valorem infinitæ dignitatis, non solum ad impetrandum; sed etiam ad merendum & satisfaciendum: tantò enim opera sunt in se gratiora, quò persona excellentioris est dignitatis, cujus ratione gratior est, & majori in veneratione: sicut unum idemque nobile facinus à disparibus perpetratum, à Principe scilicet vel plebeio, plus gratiæ & præmij sibi poscit persona Principis, quàm plebeij.

Persona satisfacientis quo nobilior & plus dignitatis acquirit opus ejus.

Opera ergo Christi valoris sunt infiniti, quia persona infinita, & merentur præmia infinita, tam ad merendum, quàm satisfaciendum; D non solùm maxima, sed etiam minima: nam docente Clemente Sexto in Extravagante de pœnitentia & remissione, ubi sic ait; Christum Dominum acquisivisse sibi thesaurum infinitum hominibus, cujus quidem una gutta sanguinis propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset. Desine mirari; persona enim infinitæ dignitatis dum operatur, minimum opus elevat ad suæ dignitatis æqualitatem; ut respectu illius non sit magnum, quidquid est finitum. Et sanè quis limitabit hunc effectum, nisi quis volet ereptam personæ infinitæ suam Deitatem.

Vna gutta sanguinis ex dignitate personæ poterat satisfecisse pro peccatis mundi.

Mediator ergo Christus Dominus ad hoc

datus

datus & constitutus à Deo Patre, ut restauraret universa. Paulo ad Ephes. 1. vers. 7. & 10. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, redemptionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus, &c. ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporis instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terrâ sunt, in ipso.* Principem ergo causam nostræ salutis dicimus Christum, sicut Mediatorem solum unicum verumque. Ex vero tamen dicimus Virginem à suo dilecto Filio esse proximè & causam nostræ salutis, & orbis Mediatricem. An non Mediator Christus verus fuit Virginis sanctissimæ Filius? an non illa & Filium suum obtulit in sacrificium, ut Cruci affixus parturiret salutem mundo per Virginem Matrem genitus? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: sic & Virgo sanctissima Mater adeò dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Donavit ergo suum Filium, qui causa salutis, & Mediator. Filius quidem redemit: ipsa verò Mater genuit agnum, qui redimeret, & voluntariè Filium obtulit morti, concors Filio. Virgo ergo Mater sanctissima Filium, qui semper fuit sub dominio Virginis, & sub illius patriâ potestate, consecravit nobis Filium in vitam, in salutem, in reparationem, & causam nostræ salutis; ut esset Rex & Mediator hominum ex justitia, ex condignitate operum, ex sanctitatis altitudine: & ipsa Mater Regis, & Mediatrix universi statueretur, quæ saluti nostræ donatione Filij facta fuerat proximè cooperata.

Qua ratione SS. Virgo sit Mediatrix.

Ille quidem Mediator ex condigno: & Mater ex congruo, ut est communis Doctorum sententia; quamvis nonnulli decernunt Mediatricem ex condigno. An non Filius tanquàm Mediator in sua carne satisfecit? Satisfecit, & pro mille aliis mundis, si forent ejusdem cum nostro conditionis. Quid hic Arnoldus Carnotensis ausus effari? Matrem sanctissimam, quia Filium suum, verè suum morti dedicavit, orbis salutem impetrasse. Verba adferam: *Omnino tunc erat una Christi & Mariæ voluntas: unumq; holocaustum ambo offerebant: hæc in sanguine cordis; ille in sanguine carnis. Vnde communem in mundi salute effectum obtinuit. Quomodo obtinuit? an non ut Mediatrix?* Quare non sine causa exclamat Anselmus *de excellentia Virginis cap. 9. Quis igitur ista perpendens, æstimare queat, quâ laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis esse debuit Mediatrix?* Habemus Christum Dominum Mediatorem, cui omnis sanctitas debita est: habemus & sanctissimam Virginem Mediatricem, cui & pariter summa sanctitas debita, quæ summæ ipsius gratiæ correspondet; quam summam Deus conferre voluit, quia Mediatricem eam esse decrevit. Hoc præclarè docuit Divus Laurentius Justinianus *serm. de Annuntiatione*. ubi sic fatur: *Magna profectò fuit Mariæ gratia, exuberans atque completa, quæ cælis dedit gloriam, gaudium præstitit Angelis, sæculo pacem refudit, fide docuit gentes, vitiisq; finem imposuit.* Quomodo non est plena Maria, juxta Gabrielis Oraculum: *Gratia plena, quæ effecta est Paradisi scala, cæli janua, interventrix mundi, Dei atque hominum verissima Mediatrix?*

Probatio ex SS. Patribus S. Virginem vocari Mediatricem.

Hoc ipso ergo quo Deus Filium statuit absolutum Mediatorem, omni sanctitatis plenitudine connaturalis & substantialis unctum voluit: Matrem autem Dei Mediatricem non quidem substantiali; verùm omni accidentali, habituali gratiâ, ac proinde sanctitate donatam voluit. Ex sententia enim non solùm Divi Justiniani; verùm & Basilij, Seleuciæ Episcopi, *in serm. de Annuntiatione* affirmatur officium Mediatricis omnem gratiæ plenitudinem postulare: *Ave*, inquit, *gratiâ plena, quæ propterea Deum & hominem intercedens efficis; ut interjectus inimicis paries, tandem aliquando everteretur.* Qualem verò quantamque huic nostræ Mediatrici Deus sanctitatem profusissimè, qui in Matrem non potuit esse restrictior, qui in alios est largus, Matris verò suæ stipendiarius, donârit, quis assequetur? Disce ex sancto Anselmo *de excellentia Virginis cap. 9. Pura*, inquit, *sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatem transcendens, incomparabili puritate promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissimè fieret.* & infrà: *Quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis meruit esse Mediatrix.*

Attende ad singula verba Lector, ut reparatrix, ut mediatrix celebretur; ut mediatrici omnem omnis gratiæ puritatem & sanctitatem assignet sanctus Doctor. Quare tam nobile & excellens est hoc mediatricis officium, ut omnia & singula bona per ipsam mortalibus obveniant. Sicut Deus Pater per Christum omnia nobis donavit, qui suis meritis omnia impetravit: sic Filius, qui in sui Regni partem Matrem vocavit, ita Regni sui administrationem Matri suæ unicè dilectæ permisit, ut omnes opes sui Imperij per manus suæ Matris distribui velit, ac decrevit, atque ab illa velut à fonte bonorum, omnes gratiarum fontes in mortales dimanare. Et sanè quare largissimis donationibus non studeat gratificari mortalibus, cùm ipsa in hoc mundo degens, ut possit omnia summa largiri, sit promerita, quia pro his omnia sua merita obtulit, quæ & Deus acceptavit.

Ut autem pius Lector intelligat quomodo merita & opera mediatricis ad eam provecta sint æstimationem, celsitudinem, dignitatem excellentissimi pretij & præmij, ut vi meritorum suorum non solùm gratiarum species, vel diversa gratiarum genera; sed etiam singulas gratias, & omnes favores suis meritis obtineret & impetraret; attendat in primis duo præterea esse, quæ opera alicujus personæ

personæ ad extraordinariam provehunt æstimationem; celsitudinem, & dignitatem excellentissimi pretij & præmij. Primum, si persona operantis magno sit in amore apud Principem, & vinculis charitatis Principem sibi devinctum teneat. An non multum confert ad impetrandum omnia magnus amor? an non magnus Princeps precibus summi amici actutum incurvatus succumbit? *Omnia quippe vincit amor, & quid non cedit amori?* Alterum, si amori accesserit eminens excellentia personæ: valor enim & condignitas ad præmium non tam provenit ab amore Principis erga personam, quàm ab excellentia personæ; quia hæc retributio imitatur modum justitiæ, & non ducitur ab affectu præmia conferentis; sed ex meritis dignis præmio. Hæc duo concurrunt in persona Christi Domini infinitè amati: Pater quippe Christum Dominum infinito amore diligit tanquàm Filium suum naturalem, de quo suo loco dictum. Diligit prætereà summo amore Christum Dominum Deus Pater ut hominem, qui semper *pro reverentia sua fuit exauditus*, ad Hebr.5.v.7. Concurrunt prætereà ea duo in personâ sanctissimæ Virginis, præ omnibus creaturis simul collectis amata, ut dictum est. Deinde quæ personæ fuerunt, & erunt, quæ in excellentiæ Majestate, & pretio Christo Domino, & sanctissimæ Virgini possunt comparari? Persona Christi, ut suprà dictum, infinitæ excellentiæ & dignitatis: Matris autem sanctissimæ persona infinitæ dignitatis secundùm quid, ut dictum est. Ejus operationes ad fines Divinitatis accedunt, nec ad altiora & diviniora possunt ordinari. Opera ergo infinitè placet, si persona infinitè placeat. Opera ergo Christi sunt infiniti valoris, quia persona Christi est unita Verbo infinitæ dignitatis & Majestatis, & infinitè placet Deo: opera verò D. Virginis & merita proximè sunt infinita, quia persona Matris, quæ ut Dei Mater infinitè quodammodo dilecta, & majori in amore, & deliciis habita; quàm omnes creaturæ simul, ut dictum est. Deinde persona Matris, cùm excellentissima sit, omnibus gratiis, favoribus divinis, & omni gratiâ habituali dotata est. Hinc fit, ut opera, & merita sanctissimæ Virginis supremum ferè valorem, & pretium consequantur: valor enim & pretium, & æstimatio operis, non solùm sumitur à bonitate operis; verùm etiam ex gratia habituali subjecti: ergo sicut crescente opere, crescit valor; ita etiam crescente gratiâ, sequitur major valor. Gratia verò tantum conducit ad operis valorem, in quantum facit; quod illud opus sit excellentis personæ & eximiæ; ex hoc enim fit, præmium operis debere esse præmium excellens, ut sit præmium æstimabile in ordine ad illam personam. Major autem gratia constituit etiam personam excellentiorem, & venerabiliorem: ergo ex eadem ratione illud opus exigit præmium excellentius. Hoc est quod docet Di-

Duo sunt quo provehunt ad magnam æstimationem pretij & præmij.

Opera Christi infiniti valoris, quia persona unita Verbo est infinita dignitatis.

A vus Thomas *in 2.distinct.29.quæst.1.art.4.* ubi ait: *Quantò majori gratiâ actus informatur, tantò magis est meritorium.*

Quantorum ergo meritorum, & pretij & valoris fuerunt opera sanctissimæ Virginis? Deinde quantæ excellentiæ ipsius persona, quæ gratiarum, & meritorum multitudine omnes Sanctos superavit simul collectos, ut suo loco probatum? si dignitatem, & excellentiam personæ vis metiri, metire illam ex infinitate, & Majestate æterni Dei, qui Virginem, suam Matrem constituit. Sicut ergo Dei infiniti personâ nihil majus, & excelsius dici, aut fingi potest; sic nec Matris Dei personâ, ex cujus sanctissimo sanguine, & carnis sanctissimis exuviis humanitas Christi fabricata B est, quæ non priùs, nec anterius unquam, nisi Verbô Dei unita exstitit in Unitatem personæ. Humanitas ergo, nostro dicendi modo, ex Virgine sanctissima desumpta, adeò intimè inhæret unita Christo, quàm Verbum unitum humanitati; ita ut proximè, & intimè Virgo concurrerit tanquàm vera Mater ad personæ Christi Domini constitutionem, sicut Verbum per unionem suæ subsistentiæ, quâ caro & humanitas à Virgine communicata subsistit. Hujus operis supremam dignitatem sicut nemo perfectè assequitur; sic & nemo magnitudinem gratiæ, & sanctitatis, & præmij tanto operi debitam fuit unquam assecutus. Cùm itaque Virgo sanctissima sit Patrum auctoritate Mediatrix humani gene- C ris celebrata; omnis sanctitas, & auctoritas, & efficacia ad impetrandum omnia quæ dari possunt, est concessa. Et quomodo concessa? meritis suis in vita comparatis, & divinæ Majestati oblatis, & ab eadem sua Majestate acceptatis. Quare & sancti Patres, cùm sanctissimam Matrem vocârunt causam, auctricem nostræ salutis, & Mediatricem, &c. intellexerunt, in sanctissima Virgine omnia ejus intercessione donari. Sicut & docet sanctus Bernardus *serm. de Aquæductu*: *Altius ergo intuemini quanto devotionis affectu, à nobis eam* (Matrem suam) *voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid in nobis spei est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare; quæ ascendit* D *deliciis affluens.* Nota verba: *Qui totius plenitudinem posuit in Maria.* Si ergo obtinuit omnem plenitudinem totius boni, & gratiæ; meritis suis obtinuit omnia, & singula nobis promeruit tanquàm Mater, tanquàm persona summè amata: multùm enim persona amata confert ad impetrandum, quia faciliùs inclinatur Deus ad preces magni amici. Dignitas prætereà personæ magnam vim addit impetrandi. Magnitudo ergo meritorum Virgineorum non tantùm inde sumenda est, quòd nostram salutem, & omnem gratiam de congruo promeruerit, ut suprà dictum est; sed ex eo quòd ipsius promerita ad tantum effectum, tamque nobilem ita acceptârit Deus, ut potius affirmare liceat, & uti verbis Arnol-

Quanti pretij opera SS Virgini quanta excellentia persona.

Omnia impetrantur à Virgine.

Arnoldi Carnotensis, *Ipsam in nostra salute communem cum Christo obtinuisse effectum*. Deinde & verbis Victorini Richardi, *omnium salutem desideravit, quæsivit, obtinuit; imò salus omnium per ipsam effecta est*. Ex eo ergo quòd Mediatrix constituta est, omnem gratiæ plenitudinem, & consequenter sanctitatis obtinuit. Finiam cum Chrysologo *serm*.142. *Beata quæ inter homines sola audire meruit: Præ omnibus invenisti gratiam apud Dominum*. Quantam? quantam superiùs dixerat, plenam; & verè plenam, quo largo imbre totam perfunderet creaturam. *Invenisti enim gratiam apud Deum*. Hæc cùm dicit, & ipse Angelus miratur, aut fœminam tantùm, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam.

Nota pie Lector, multò difficilius esse, aliis impetrare gratiam, quàm sibi. Hinc summi amici signum est, aliis dona divina impetrare, & Deum aliis conciliare. Totam ergo fudit, & infudit creaturam largo imbre; ut loquitur Chrysologus. Quid ergo non impetravit summè amata, & excellentissima Virgo Mediatrix generis humani? Exclamo cum Bonaventurâ: *O fœmina plena, & superplena gratiâ, de cujus plenitudinis abundantia reviviscit omnis creatura*. Exclamo & ego: Felix universitas te Mediatrice, & ter iterum felix, quam hostibus infernalibus oppigneratam Filij tui pretio, Patri reconciliato redonasti, & omnibus tuis opibus collatis, profusisque meritis, tuam fecisti. Salve ergo sanctissima Mediatrix, salve causa salutis, salve auctrix gratiæ, salve ærarium omnium thesaurorum, salve fons sanctitatis, cui omnis post Filium sanctitas debetur. Quid enim non debet Deus Filij sui meritis? Qui Filij debet, debet & Matris: persona Filij infinitè amata, & ideò sancta: infinitè excellens, & ideò summi valoris. Persona Matris proxima Filio; an non ideò proximè amata? proximè excellens; an non summi pretij, & dignitatis omnes ejus actus, & opera Virginea? Desine ergo mirari: si sanctissima Virgo, Dei Mater contriverit caput serpentis, quæ omni sanctitate, & nitore puritatis antecelleret; an non summæ sanctitati, summa cum peccato repugnantia; & quò quis purior, tantò Deo vicinior, & omni nævo sublimior, & à minimis nimbis remotior? Quæ nævi suspicio audeat sacrum illud, divinumque corpus; sacram, divinamque illam animam contingere, aut commaculare? An non Virgini suum Trisagion accinitur: Sancta, sancta, sancta Domina? quale & sanctissimæ Triadi, dum Ecclesia intonat: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, &c.

§. IV.

CONSOCIATIO

De Benignitate, ut sit propria virtus. Laus celebris. Sanctitatis indicium. Fructus admirabilis in hoste.

QUandoquidem mansuetudinis, bonitatis, misericordiæ, & clementiæ decora fusè, lateque tractaverimus; benignitatis supervacua posset videri tractatio, cùm ejus dignitas hisce virtutibus velut in suo centro præsumatur contineri. Fateor harum virtutum intimam esse, consanguineamque quodammodò societatem, ita ut difficile sit aliquâ differentiâ eas notare, atque distinguere; cùm tamen benignitas benè perpendenti, sibi proprium regnum, & jura suæ virtutis decernat, constituatque. Docet hoc me Paulus ad Galat. 5. *vers*. 22. ubi numerans fructus sancti Spiritus; verbi gratiâ, *charitatem, gaudium, pacem, patientiam*, interponit *benignitatem*, quam ceteri fructus consequuntur. Quare & Sapientiæ 1. *vers*. 4. spiritus Sapientiæ vocatur *benignus*. Ubi Græcè habetur: *Sapientia est spiritus benignus*. ubi & pro *benignus* Græcè habetur φιλάνθρωπος, amator hominum. & Augustinus *lib. de mendacio cap*. 16. legit: *Humanus est Spiritus sanctus*. Syrus verò: *Amans filios hominum*, φιλάνθρωπος. Et Elias Cretensis *in Orat*. 4. *Nazianzeni*: *Qui inimicis etiam blandum, ac liberalem se præbet, ac quantùm potest, Deum imitatur, qui justos, & injustos beneficiis afficit*. Quare Græci vocant benignitatem χρηστότης, id est, humanus, blandiloquus supercilio & arrogantiæ contrarius. Habet ergo suum proprium stemma benignitas à mansuetudine, misericordia, & beneficentia discretum. Vidistis beneficum, at sæpè cum fastu, & supercilio liberalem, qui unâ manu dat, & alterâ corrumpit beneficum. Corde & animo donat: at ore, & sermone donum superbè, vel precibus fatigatum prophanat. Laudas clementiam: & quis non laudârit sidus hominibus propitium, si placido lumine luceat? at quantum decoris abest, si rigidior accessus, recessusque conciliati? si in adversaria gratia referatur? Quàm amabilis est misericordia, si Dei imitetur misericordiam, cujus est speciosa misericordia, juxta Ecclesiasticum 35. *In tempore tribulationis quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis*. At si desit hilaritas, si desit pius amplexus, quantùm claritudinis illi discesserit? Deinde mansuetudo, quæ iras, & vindictæ mala, & odij semina penitùs tollit, & expugnat; quàm nobilis, quàm heroïca! verùm si malis rigidior, & austerior sit occursus hosti, si ad colloquium obductâ, tristique fronte tardiùs admittatur, si Laconico sermone, & astricto parcè, & jejunè accipiatur; an non magna

Benignitas propria virtus.

Discrimen in objecto.

magna pars fulgidæ virtutis obsolescit? modestia disponit hominem ad exteriores actiones, quæ in dictis, & factis modum observat: verùm sit modestia astrictior, minus humana, ad loquendum tardior, diceres quidem laudabilem Catonem, ad numeros compositum: verùm non dixeris Lælium, vel Africanum, vel Cæsarem, vel ex sanctis Phœnicem Augustinum, vel Nazianzenum, qui benignitate ipsam modestiam temperabant. Laudamus & castitatem, quæ interiores concupiscentias moderatur; verùm castitas si lucem sui amabilem proferat, quantum lucis, & amoris sui accendit!

Benignitas ergo dat omnibus virtutibus pondus, amorem, illecebram, & pretium sui, dum omnium virtutum splendorem suâ claritudine penitus irradiat, & amabilem facit. Contra ergo omnia nobilissimarum virtutum vulnera etsi levia; si levia dicenda ea, quæ tantis bonis suam decerpunt pulchritudinem;

Laus benigni ex SS. Patribus. militat unica virtus benignitas. Audiamus sanctos Patres, ut illam virtutem quasi unicam illecebram ad juvandas animas; ac proinde viris zelosis necessariam extollant. Divus Bonaventura in libello de incendio amoris sic loquitur: *Benignitas est quidam dulcor animæ, excludens omnem nequitiam, & habilitans animam ad benevolentiam, & ad internam lætitiam.* Audiamus sanctum Thomam 2.2. *q.* 80. *Ad id autem quod est juxta hominem, scilicet proximum, benè disponitur mens hominis. Primò, quantùm ad voluntatem benefaciendi, ad hoc pertinet bonitas: quantùm autem ad beneficentiæ executionem, & ad hoc pertinet benignitas.* Dicuntur autem benigni, quos bonus ignis amoris fervere facit ad benefaciendum proximis. Alij vocant benignitatem, bonam gratiam; & dicunt idem esse cum affectu, quem ponit Macrobius. Isidorus autem *in lib. Etymolog. Quod benignus est vir spontè ad benefaciendum paratus, & dulcis ad eloquium.* Andronicus *Etymolog.* dicit, *quod benignitas sit habitus voluntariè benefactivus.* Dsinde D. Thomas 2.2. *quæst.* 80. *Benignitas est habitus voluntariè*

Natura & indoles benignitatis. *benefactivus, & ad loquendum dulciter.* Unde Græcè vocatur χρηστὸς, sponte videlicet ad benefaciendum paratus, & dulcis ad eloquiũ. Flectit ergo hæc virtus animam, & naturam hominis ad omnem modestiam, civilitatem agendi, dulcedinem verborum, ad vultus amabilis sideream gratiam, & circumspectum tractandi, quo homines obligentur ad obsequium. Et quem non demerebitur hæc Angelica virtus? Non sine causa sancti Patres aiunt esse magnum indicium sancti Spiritus, qui, ut dicitur Sapientiæ 7. *v.* 22. *Spiritus sanctus suavis & benignus.* An non adeò vulgus hâc virtute capitur, ut hominis sanctitatem hâc virtute metiantur? Et sanè quò quis san-

Benigni sancti judicantur. ctior, & eò benignior exstitit. Austeritas, & asperi ingenij quædam barbaries, cui placuit unquam? cui torvus vultus, frons caperata, sermo inconditus, & saxeus, moresque rusti-ci non displicuerunt? Divus Chrysostomus inter barbaros aperuit sibi viam suâ benignâ suadelâ: sicut & Ovidius Gentilis inter Sarmatas, ferasque gentes, quas uno hoc fascino sibi obligavit. An non ideò inter Epitheta, & sacra Elogia, quæ Sapientiæ 7. *vers.* 22. Spiritui sancto tribuuntur, est, quod sit certus, suavis, & amans bonum. Ubi Græcè est Ἀπήμαντος, illæsus: quod Divo Ambrosio, *inviolabilis, incolumis, & incolumes faciens*: Vatablo, *innocuus, qui nocere nequit, & cui noceri non potest.* quod adeò benignus Spiritus sanctus, ut non tantùm noceat nemini; sed etiam omnibus prodesse studeat; adeò enim suavis, ut omnes incolumes servare studeat, solari denique, & erigere. Unde & Ethnici suum Jovem vocârunt Apennium, quasi tristes noxas solveret. Hoc spiritu pleni zelosi viri sedent ad clavum animarum, quas veluti Favonio hoc sacro actas, impulsasque ad voluntatem Dei, & virtutis amorem dirigunt. Felix animarum venator, qui hoc spiritu retia benignitatis extendit explicatque: Felix, qui colore hoc tinctus, & in imitationem Christi est indutus, & hunc spiritum facie, loquelâ, vultu manifestat. Ut enim facies Domini, famulus: speculum magistri, discipulus: regni moderator, Rex: ita Spiritus S. Filij suaves, comes, blandi, ingenio, moribus, & modo agendi, ad concentũ Spiritus S. emodulandum sunt compositi; ut mel, & nectar spirare videantur. An non eo veluti hamo, ut à balæna affusâ ambrâ pisces, peccatores capiantur? Non est quod mireris? quid oculo blando, & amatorio potentius? quid non hominem furatur sibi? an non oculus plenus fascinis? Hujusmodi sunt oculi benigni, qui summam animi pulchritudinem comitantur, & contingunt; ut qui non excandescant, irascantur, aut bile moveantur, & splendidam semper faciem habeant. Quare & benignitas Græcè ἀγαθότης, virtus facta ad benefaciendum cum gratia & hilaritate.

Viri zelosi sunt benigni.

Benignitas judicium Spiritus S. inhabitantis in anima.

Stupenda in hoste benignitas. Quanta sit vis benignitatis, docebit Antiochus Rex. Is cùm Hierosolymam obsideret, Judæis petentibus septem dies ad maximum festum celebrandum, non solum concessit; verùm etiam tauros auratis cornibus, magnamque aromatum vim ad portas usque urbis cum solemni pompa deduci jussit, traditâque Sacerdotibus hostiâ ipse in castra rediit. Regis benignitatem admirati Judæi, se in ejus fidem dedêre. Sic Josephus in suis antiquitatibus. Magnus Adamantis vigor, magna vis innata, ut ferro dominetur: major, & imperiosior benignitatis indoles Regia. Reges in ipsos imperium habet benignitas. Quis resistit ignis potentiæ? omnia dura calefacit, dissolvit ignis domitor omnium: regnat sui securus, benignus. An non viri benigni animus est bonus ignis, & benè ignis validus? Finio, & dico benignitatem expugnatricem omnium.

Hinc ergo suspendo coronas, arma, tubulas,

las, & spolia, & currus triumphales. Vir zelose indue te hoc sacro thorace, incede contectus armis unicæ benignitatis; Herculem monstrorum, & orbis Domitorem te creabit benignitas: trahes orbem sacro & blando eloquio, imò & instar Atlantis humeris cælum impositum feres Atlantis hæres, qui cælum tulit. Quàm jucundus erit triumphus viro benigno, cujus currum sequentur multa millia devictarum animarum, quot spolia opima erepta inferno traducentur? montes personabunt vocibus canentium pæana; carminibus, & lætitiæ, & congratulationum, & plausuum quis erit finis?

§. V.

De duplici genere benignitatis, ad normam duplicis humilitatis.

Diximus in Consociatione humilitatis, diversis ex fontibus nasci duos diversos humilitatis gradus. Primus, qui ex conscientia propriorum scelerum procedit, & hominem de statu dejicit proprij amoris, & ad luctum, lachrymásque translatum ad ima deprimit, ut fiunt lachrymæ panes die ac nocte, & cinere caput operiat. Peccati ergo cognitio, & offensi Dei Majestas summam inducit, parturitque humilitatem. Altera humilitatis species est nobilissima, Deoque incredibili modo accepta, quam parit clara virtutum summarum possessio, & sanctitas à Deo summo in animam infusa. Hæc quo celsior, & divinior, eò majorem producit in anima sanctissima spiritum profundæ humilitatis. Rarum, & inæstimabile decus. Hanc humilitatem sanctissima Virgo, cùm Mater esset summi Dei; ita ut nec altior, nec major esse posset, cumulatissimè possedit. An non ideò se minimam, quæ maxima, dixit: *Quia*, inquit, *respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.*

Duplex benignitatis genus.

Virgo ergo sanctissima cùm tanta esset, Dei Creatoris beneficentiâ gratuitâ, nec ullis suis meritis clarè cognoscebat ad tantam se dignitatem provectam; cùm infinitæ aliæ mulieres oculis divinæ Providentiæ occursarent, quarum delectus erat in Dei plenissima potestate.

Duplicis quoque generis instituêre benignitatis gradus. Primus, qui oritur ex propriorum peccatorum consideratione, & conscientia propriæ infirmitatis, quâ revocamur ab asperiore ratione proximum tractandi. Hoc præcepto, & regulâ magnus Paulus orbem, quem humeris ferebat, studiosè rege-

A bat, dum se omnibus adæquat, & omnium induit infirmitates, & miserias. Audiamus *ad Galat. 6. vers. 1.* hoc Apostolicum munus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Ubi nos habemus *instruite*: Græcè est καταρτίζετε, *erigite*, vel ut genuinè Vatablus, *instaurate, redintegrate, restituite.* Sicuti cum magno sensu animi, artus, & membra hominis laxata tractantur; ita fidem, & mores laxatos proximorum restaurate. Et quo calamitosus artificio instruendus? Artifice linguâ leni, & spiritu lenitatis. Blandâ suadelâ æger animus tractandus, ut blando attactu læsus oculus, qui digitos asperos, nec manus callosas admittit. Spiritu lenitatis re-

Qua arte peccatores tractandi.

B gendus æger, qui est donum Spiritus sancti; & ut docet Chrysostomus, inspirat, & inhalat verbis monitoriis suam lenitatem, & dulcedinem, ut ipsa verba, & gestus spirent quandam lenitatem, & suavitatem corripientis. Aspicite quâ solitâ curâ cereos artus, membraque infantis nati nutrix componat, infasciet, pannis sedulè & molliter involvat. Ejusmodi volo esse virum zelosum, qui lac det, non amaras pilulas; aut si eæ dandæ, dentur inauratæ, vel oblitæ saccaro. Optimè ergo Chrysostomus *homil. 52. ad popul. Linguam nostram fieri, quasi linguam Christi, si in docendo, & corripiendo imitemur Christi mansuetudinem.*

Ars viri zelosi in tractandis animis.

Lingua zelosi sit lingua Christi Domini.

C *Et quâ arte, & gratiâ Moyses ad intimam Dei summi pervenit familiaritatem? an non virtute mansuetudinis?* Vide Dionysium *in Epist. 8.* ad Demophilum, cujus intolerabilem, & acerbam asperitatem tanquam tonitru misso persequitur (utinam omnes qui rebus præsunt, illam epistolam combiberent!) ubi docet: *Hoc, inquit, eximiæ in se dilectionis argumentum capit Christus, si pascamus gregem ipsius modestissimâ gubernatione.* Quare optimè Augustinus hoc loco: *Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cùm internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere.* Si enim impulsu veri amoris feceris; & reus sentiat se diligi. Audi Augustinum: *Dilige, & dic quod voles.* Itaque

Quæ reprehensionis forma, & facies.

D non ægris irascamur; sed adversus morbos insurgamus. An tu, qui asper es, non es consors ejusdem tentationis? an non obnoxius iisdem miseriis? Quid inclemens es in fratrem, cùm ejusdem culpæ fortassis reus? Si non reus es, esse potes. Vis prudenter & fructuosè reprehendere, præcedat faciem tuam misericordia, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Cur superbis peccato alieno quasi melior, & fortè non melior; quandoquidem tu objurgatione peccas, cùm te ira peccantis iratum facit? Faciat miseria aliena misericordem. Magna firmitas, suam infirmitatem cogitare. Præclarè Seneca: *Alteri semper ignoscito, tibi nunquam.* Optimum semper ignoscere, tanquam quotidie

Nota Lector.

tidie ipſe pecces. De viſione carpi. Accipe A paucis medullam ex Dionyſij *Epiſt.*8. graviſſimæ inſectationis in Demophili crudam acerbitatem, quâ pœnitentem abſolutum à Sacerdote inmaniter tractârat, quâ & in ipſum Sacerdotem fuerat debacchatus; docetque in calce Epiſtolæ Deo benigniſſimo omnem duritiem inclementem viſione dilucidâ vehementer diſplicere. Epiſtolam ſic exorditur: *Hebræorum hiſtoriæ tradunt, generosè Demophile, ſanctum illum etiam Moyſem propter magnam ſuam manſuetudinem Dei conſpectu dignum fuiſſe judicatum.* At verò quando ipſum divinâ viſione fruſtratum ſcribunt; non prius à Deo, quàm à manſuetudine excludunt. Ipſi, ſcilicet, inſoleſcenti admodum, & divinis conſiliis reluctanti, iratum aſſerunt furore B Dominum. Ubi verò illi à Deo dignitatibus illuſtrem prædicant, à prævenienti benigni Dei imitatione commendatur: erat enim admodum manſuetus, atque ideò Dei famulus nuncupatur, cæteriſque Prophetis dignior ad videndum Deum. Manſuetudinem verò ejus, ſanctus Pater *ex Numeror. cap.*10. extollit. Deinde collaudat manſuetudinem Angelorum *ex Zacharia cap.*1. *Apocal.*7. *Danielis* 10. *Tobiæ* 8. ut illi gentibus miſereantur, ac pro ipſis divinæ bonitati preces offerant, pernicioſaſque turbas, ac perditas increpent, ac malis noſtris condoleant; ſaluti verò eorum, qui ad bona converſi ſunt, congratulentur. Deinde extollit Chriſti Domini beneficentiam, ut pro ineffabili, & incomprehenſibili bonitate omnia C velit ſibi ſimilia, & pro cujuſque captu ſe communicare. Deinde ut deficientes à ſe proſequatur amore, contincatque, ac roget, ne dedignentur amores: quin & delicioſos ipſos, ac fruſtrà provocatos ſuſtinet, atque ipſemet excuſat, eoque magis ſe recipit illos curaturum; ipſiſque jam adhuc diſtantibus, ſimul tamen adverſantibus occurrit, & obviat, totuſque totos complectens oſculatur, neque de priſtinis eos arguit; ſed diligit præſentia, feſtumque diem agit, ac convocat amicos, videlicet, bonos, ut ſit omnium lætantium habitatio. Exclama hîc, ô ineffabilem Dei, & incomprehenſibilem benignitatem, quâ amatoriè perſequitur hominem, & gaudet bonis noſtris tamquam ſuis. His ſic poſitis, ferociter, & implacabilis invadit Demo- D philum: *Tu verò,* inquit, *accidentem Sacerdoti, illum quem impium, ac peccatorem dicis; neſcio quomodo per te præſens repuleris: tum ille quidem deprecabatur, & fatebatur ſe ad malorum medicinam adveniſſe. Tu autem nihil veritus, bonum inſuper Sacerdotem cum quadam inſolentia convitiatus es, quòd miſeratus eſſet pœnitentis, ac impium juſtificaſſet.* & poſteà: *Tu autem, ô homo, ita temerarius es in iis, quæ clementis, & benigni Dei ſunt, & Pontificis ipſius inſtitutum attingunt.* Multis denique ubi Demophilum refutavit, concludit: *Nequaquam itaque probabimus minimè zelandos conatus tuos, etiamſi Phineem, & Heliam jactites.* Hæc enim Jeſu à diſcipulis

Quando Moyſes admiſſus ad Dei colloquium, & quando repulſus.

manſueti adhuc, benigniqúe ſpiritus expertibus, audienti, minimè placuerunt. Et quomodo placuiſſent, cùm graviter correptos increpuerit manſuetiſſimus Dominus, cùm ait Lucæ 9.v.55. *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare?* Proprium paludamentum noſtri Imperatoris eſt mitis benignitas: *Diſcite,* inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth.11. Invitat omnes Chriſtus non inſuavibus, at blandis incitamentis: *Venite,* inquit, *ad me omnes qui laboratis, &c.* Laboratis autem, quia homines mortales, fragiles, infirmi, quibus neceſſarius ad ſalutem Medicus benignus, fortis, & æternus. Eſto ergo homini Deus. Quin & noſter diviniſſimus Præceptor in manſuetudine docet eos, qui doctrinæ Chriſti adverſantur, non ſuppliciis affici: quemadmodum & cæcos minimè cruciamus; ſed manu ducimus. Contrà verò tu viro reſpirare in lucem inchoanti colaphum impingendo obſtitiſti, accedentemque ſumma cum verecundia temerariè repuliſti; illum quem (quod honore dignum) Chriſtus in montibus errabundum, fugientemque revocat, vixque repertum in humeros tollit. Ne, quæſo, tam malè nobis conſulamus, neque gladium in nos ipſos impellamus. Addo ego eam manſuetudinem & benignitatem, quam peccatoribus, & infirmis in virtute exhibemus eâdem menſurâ nobis exhibendam. Attende ad ſcopum noſtræ Conſociationis, & hoc ab exemplo diſce, quanti æſtimet benigniſſimus Jeſus benignitatem. Hauſit ipſe Dionyſius contextum viſionis ab ipſo Carpo, qui Cretæ hoſpitio Dionyſium benignè acceperat. Hic Carpus nunquam ſacros myſteriorum ritus auſpicabatur, niſi priùs ipſi inter præparatorias orationes ſacra quædam, & propria viſio apparuiſſet. Hunc ergo infidelis contriſtaverat. Triſtitiæ cauſa erat, quòd ille ab Eccleſia quemdam ad infidelitatis errorem ſeduxiſſet, cùm adhuc celebritatis, quæ ab hilaritate nomen accepit, dies agerentur. Vehementi ergo indignatione, & amaritudine conceptâ obdormierat. Turbido ſomno interrupto ſtans ad divina colloquia, non ſatis religiosè triſtabatur, graviterque ferebat; iniquum eſſe, dicens, impios adhuc homines, rectaſque vias Domini pervertentes vivere, orabatque fulgetro immiſericorditer illos concidi. His dictis, referebat ſe vidiſſe domum, primùm quidem conquaſſatam à ſummo vertice, bifariamque diviſam, & quemdam ante ſe ingentis luminis rogum, eumque è cælo ad ſe uſque delatum; cælum autem ipſum apertum, & in cæli cardine Jeſum innumeris illi humanâ ſpecie Angelis aſtantibus. Et iſta quidem ſurſum conſpiciebat, deorſum dicebat Carpus, ſe vidiſſe ipſum pavimentum inſtar vaſtæ cujuſdam voraginis diffiſſum, illoſque viros, quos diris devoverat, ante ſe ad os voraginis trementes ſtare, ac miſerabiles tanquam jamjamque præ pedum lubricitate collapſuros.

Qui aliis acerbus, habet ſibi acerbum.

Infernè verò è voragine serpentes emergere cernebat circa tam labiles eorum pedes modo quodam in gyrum actos, & implicitos simul pertrahentes; modò quoque dentibus, & caudis incedentes, ac demulcentes ad præcipitium; alios deinde fuisse viros, qui lapsum moliebantur. Hoc viso inferiore, aiebat Carpus, se delectatum: neglecto superiore, graviter ferens reos nondum cecidisse; atque ad hanc rem sæpè cùm incubuisset, indignatum, & iis imprecatum esse. Et cùm vix tandem revocatis ad superna luminibus, jam vidisset quidem denuò sicut priùs cælum; Jesum verò miseratum, quod fiebat; desuper cælesti throno descendisse, atque ad ipsos accedentem, benignam manum porrexisse, Angelosque unà opem conferentes; alterum virorum ex altera parte retinuisse, Jesumque ipsi Carpo dixisse: *Manu jam extensâ percute me; siquidem adhuc paratus sim denuò pro hominibus salvandis pati, illudq́, libentissimè, ne demùm alij homines peccent.* Ceterùm considera, num tibi expediat, hanc istiusmodi hiatus, & cum serpentibus mansionem, Dei, ac bonorum clementissimorum Angelorum consortio præferre. Visio digna relatu, dignissima confessariis, ut exhibeant se benignos; & matres non ad ruinam, sed ad lucrum animarum, quas benignissimus Jesus sui sanguinis pretiosissimi pretio redemit: emptæ enim sunt pretio magno. Hoc ponant ob oculos animarum Præsides speculum historicum; & cum timore & tremore correptionem instituant, ne, dum prodesse volunt, occidant. Quàm multos perdidit acerbitas Superiorum, quos benignitas servasset! & animam confecisse, vel saltem ruinæ causam dedisse; quot in uno scelere scelera committit.

Quanti Deus æstimet animam. Mortem expetit novam.

Alia est species benignitatis, quæ ab altitudine insignis sanctitatis, & ab affluentia, generosoque impetu bonitatis innatæ dimanat, quâ qui dotatus est, imbre beneficiorum continuo omnes nullo discrimine habito perfundit, nec unquam cessat effundere: hæc omnes mortales in spiritu lenitatis ad Christi Domini imitationem complectitur, & ad Christi Domini amorem traducere studet. Sufficit benigno, & zeloso dignitas animæ, summus Dei amor, quo Deus quemlibet

Altera benignitatis species.

A peccatorem ambitiosè quærit. Hujus benigni viri stratagemata, & studia sunt, tegere plagas, malagmate dulci oblinire, honorem peccatoris tueri, diluere scelera, facilè ignoscere, & ignoscendo osculum dare, & fœdere inito vitam procurare. Hoc Spiritus sancti dicitur donum, & osculum, & suavium Dei. Sic benignus Pater filium suum prodigum complexus, osculatus est. Hinc Bernardus *in serm. I. de Spiritu sancto*, dicit: *Hoc est dulcissimum, quod est Deo.* Quid dulcius quàm audire hæc verba: *Osculetur me osculo oris sui* dùm Filius Dei porrigit osculum naturæ humanæ in sua sacra Incarnatione, dum homo factus est Deus, & homo Deus. Hinc Ecclesiastici 24. v. 27. Sapientia de se dicit: *Spiritus*

B *meus super mel dulcis.* Quare & amans bonum, φιλάγαθος, boni studiosus, osculans, & suavis. Benignitas in viris benignis elucet in oculis, in sermone, in incessu, in omni ratione vivendi; nihil quod exasperet, auditur; nihil quod deterreat, videtur; omnia, ut in testudine nervi ad concentum composita. Ut verbo absolvam, hujusmodi benignitas fuit illecebra, quæ Deum cælo detraxit, amandumque nobis dedit. An non tum melliflui facti sunt cæli, & terra sensit Dei summam, & inexpectatam, & infinitam benignitatem? impulsus infinitæ bonitatis, & misericordiæ, fontes tunc perennis benignitatis aperuit. Unde & Paulus *ad Titum 3.* exclamat: *Benignitas, & humanitas Domini nostri Salvatoris ap-*

C *paruit, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Ecce Philanthropia, & humanitas; id est, singularis Dei amor erga homines cum effusione suæ benignitatis in indignas, immeritas, & nullius pretij creaturas. Quænam ergo radix, quod fundamentum, & origo tantæ benignitatis? an non infinita bonitas Deo innata? ab ipsâ bonitate oritur, & scaturit profluvium tantæ benignitatis, ut ea suâ inundatione operiat terram. In homine reperit Deus causam odij: in se causam amandi: non petita est ratio amoris à peccatore; sed ab ipsa bonitate Dei, ut salvaret peccatorem. Apparuit ergo benignitas, & humanitas, id est, amor Dei in nos, quem parturiit benignitas ex utero infinitæ bonitatis prognata.

QVAR.

QVARTA PARS

XIV. CONSOCIATIONIS,

De benignitate Sanctissimæ Virginis.

QUAMVIS circumfluat Sanctissima Dei Mater omnium virtutum ornatu, juxta Vatis sacri Prophetiam Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circũdata varietate*, prout in aliis Cõsociationibus vidimus; attamen ut in Filio eminẽter in verbis, factis, cõgressibus, modo agẽdi, & totius deniq; vitæ decursu, si vestigia sequamur, transflucet Regia, & admirabilis benignitas: sic & Matrem tanti Filij eâdem virtute præ ceteris, maximis virtutibus si illustratam dixerimus, ex vero dixerimus, & Filium, & Matrem non solùm coronari diademate benignitatis, sed ipsissimam esse benignitatem. Est quidem misericors Filius, Psalm. 68. sed misericordia ejus est benigna, & benignitate misericordia conditur. Est quidem mitis: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 11. at mititas benigna. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris Dei nostri*, ad Titum 3. ut dictum est. Quàm benignè cum Magdalena peccatrice actum, dum coram duris Censoribus blandè compellatus amnistia, & oblivio scelerum datur. Quam benignè adulteræ suscepit defensionem, & confusis accusatoribus, ijsque refutatis, ait: *Mulier quis te condemnavit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo.* Quàm benignè osculum proditori suo detulit, benignè compellans sanguinarium, amicum. *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* Matth. 26. Quàm benignè, moriturus, solicitat Patrem, sui ipsius oblitus, injuriarum condonationem. Tu perlege, & relege vitam agni mansueti, in cujus ore non est inventum mendaciũ, nullus dolus, nulla asperitas. Quid colliges, nisi rosas sine spinis, oleum pietatis benignæ absque amurca: si quando vinum admixtum oleo, ungitur periturus, ungitur unctione benignitatis, ne pereat moriturus. De Virginis benignitate quid dicemus? absolvero paucis, si dixerim esse omnium Matrem: sic enim nominatur ab Ecclesia, & ab omnibus sanctis Patribus, dum proclamatur Mater viventium, ob cujus gratiam omnes vivunt. An non, ut sæpiùs dictum est, omnes etiamnum in utero tam benignæ Matris portantur, ad ubera ponuntur, & nutriuntur? an non omnia materna exhibet obsequia, quæ benignissima Mater suis natis solet? Impius foret, & Dæmone sceleratior, qui ausus negare, Dei Matrem, non vocari Matrem omnium mortalium. Hanc tota Ecclesia, cum

SS. Virgo est ipsa benignitas, sicut & ipsa misericordia.

Ioan 8. 10 Tota vita Christi condita benignitate.

A omnibus sanctis Patribus vocant, salutant, invocant plenis vocibus, & labris Matrem Dei, & Matrem hominum; ubique hæ voces insonant: *Salve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve, &c.* Anselmus in tractatu de excellentiâ Virginis cap. 1. *Si igitur illa propter peccatores, scilicet propter me, & mei similes, facta est Dei Mater; cur non illam erga me, parentem sperabo?* & cap. 12. *Cur itaque non iuvabis nos, & eris nostra Mater, quando propter nos in tantam celsitudinem elevata es, ut te Dominam habeat, & veneretur omnis creatura?* Augustinus lib. de sanctâ Virginitate: *Fuit illa Mater spiritu, non capitis nostri, quod est Salvator, à quo magis illa spiritualiter nata est; sed planè Mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate suâ, ut fideles in Ecclesia nasceremur.*

Virgo benignitatis forma, quia omniũ Mater.

B AbbasGuerricus in sermone de Virginis Nativitate, de filijs adoptivis loquens: *Qui etsi geniti sint verbo veritatis, nihilominus parturit* (Sanctissima, scilicet, Virgo & Mater) *eos quotidie desiderio, & curâ pietatis, donec formetur Christus in illis.* Hanc veritatem docuit Spiritus sanctus per Psaltem sacrum Psal. 86. *Mater Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea.* Sic legunt Divus Ambrosius, & Augustinus, & uterque Sanctissimæ Virgini adscribit. Homo verò iterum atque iterum dicitur: quia ex Maria non solùm unus homo Christus, sed etiam alter homo; totum, scilicet, genus humanum feliciter natum, & procreatum est. Vel aliter homo, & homo: quia semel Christum peperit; semel quidem in se, iterum in nobis. Hinc ut ostendatur incredibi-

Spiritus S. docet Virginem esse Matrem hominum.

C lis benignitas tantæ Matris, Proverbiorum octavo, in sensu mystico sancti Patres hæc verba accommodant Sanctissimæ Virgini: *Eram*, inquit, *cum eo cuncta componens.* Ubi Hebraicè habetur: *Eram prope ipsum nutritia*, & ad instar nutricis in alendo, fovendo, nutriendo omnia. Non mireris nutritiam hominum benignissimam dici. Si fuerit Dei Θεοδόχος, & Mater, & nutritia; & quomodo non esset membrorum, quæ fuit capitis? Quare rectè Bernardus super Signum magnum: *Omni loco se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium necessitates Materno miseretur affectu. Quid negabit Mater benignissima, quæ novit se ad hoc electam, ut Matrem se exhiberet? Quis ergo timebit domui suæ à frigoribus nivis? omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Proverb. 31. vers. 21. ubi Hebraicè habetur: *Omnis domus eius vestita est coccinis*, Quæ verba in

in suo sensu Sanctissimæ Matri consignantur. Verè sapiens mulier, benigna Mater: Vestit quippe suos duplici charitate, proximi, & Dei. Addamus & amore sui, quam qui amat ardenter, an poterit algere? vel duplicibus vestibus dicuntur indui, quia non solùm Christum, sed etiam Matrem ejus, per morum, & vitæ imitationem induunt. Paulus exclamat: *Induite Iesum Christum*. Rom. 13. Et Bonavent. *Induite Mariam, quotquot diligitis eam*. Hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus, in Psalterio. Non opus nuncijs, literis, non Oratore, qui ejus deprædicent benignitatem. Tota anima Sanctissimæ Virginis hujus, est virtutis nuncia, quandoquidem tota anima Sanctissimæ Virginis cum ipso Sanctissimo corpore, per quod ipsa translucet anima, à summo Architecto benignissimo Deo ad benignitatis spectaculum fabricata sit. Lege librum Canticorum, & circumspice, ut Spiritus sanctus in Virginis descripta imagine vivacibus coloribus, imaginem serenæ benignitatis depingat: an non benignitas corporis Imperatorij, benignitatem Imperatoriæ mentis in corpore habitantis eloquitur? Planè. An non benigni oculi, pulchritudinem benigni animi sine voce pronuntiant, & effantur? cujusmodi oculos benignitati elaborabimus? Spiritus sanctus, nullius creaturæ oculos, quàm columbæ, cujus & ipse speciem assumpsit, dum sedit super Christum Dominum baptizatum, accommodavit. Et sanè quæ plena Spiritu sancto, an non Spiritus sancti oculos accommodatitios merebatur referre? ille in columbæ specie: hæc vera columba moribus, & elegantiâ benignæ naturæ. *Vna*, inquit Spiritus sanctus, *est columba mea, perfecta mea*, Canticorum 6. vers. 8. An non pulchritudo hominis maximè cernitur in facie, & oculis? quia sicut imago mentis, est vultus; ita oculi indices, & nuntij cordis. Oculos columbarum circumfert Virgo, quia circumfert imaginē consummatissimæ benignitatis. An non oculi columbarum candidi, ingenui simplices, pudici, recti, non obliqui, amantes, amabiles, & blandi? nec blandi solùm, sed blandi, & amantes. Augent Virginis benignitatem Septuaginta, dum vertunt: Oculi tui περιστεραί, id est columbæ, in nominativo plurali, quasi diceret: Oculi tui non columbarum, verum adeò belli, amabiles, benigni, ut non tam columbini, quàm ipsæ columbæ videantur. Quidquid ergo pulchrum, & amabile est in columbis; hoc totum possides, & repræsentas in oculis. Speciosa facies ornata si pulcherrimis oculis, quantum decoris, gratiæ, & amicitiæ sibi conciliat, quibus si comis vox, & sermo ingenuus, dulcis Orator, & exorator accesserit, an non novæ vitæ gratia accesserit, cui omnia cedūt? ut autem vivaciorem Spiritus sanctus in sancta Virgine benignitatis constantis, & fidelis imaginem delinearet, voluit illius genus turturis amabilis genis, quæ sunt sedes Virginei pudoris, comparari. *Pulchra* (inquit Cantic. 1. cap. 1. vers. 9.) *sunt genæ tuæ sicut turturis*. Ubi Rab. Abraham vertit murænulas, quæ depictæ erant instar turturis, vel ut alij murænulas ad turturis speciem effigiatas. Bene ergo turturis genis comparatæ Virginis genæ. An non turtur symbolum pudicitiæ, quem Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. vocat *avem pudicissimam*? Quid Sanctissimæ Virginis pudore angelico nitidius, cujus pudor est ipsissima intemerata natura, & ipsissima eximia puritas, & intactus flos verecundiæ? An non turtur symbolum fidelitatis? unde & Becanus in Saxonicis ab Hebræo Tor & Latino *turtur* dictum putat Cimbricum, & Belgicum *trou*, id est, fidelitas, & per metathesim *trouwen* fidem conjugij dare, sicut turtur dat turturi. Et qualis & quanta fides avis in suum comparem, ut illo mortuo, semper absentem, functumque viduus lugeat? Quem non Sanctissimæ Virginis fidelitas, quem non ipsius oculi custodiunt? Quis non eo tēpore quo maximè operam & fidelitatem Virginis SS desiderat, eam non experitur? Fide Virgini, & tabulæ inscribe cum Lemmate, *Virginis fides*. An ideò benigna est, ut ab amatis deserta, se desertam non plangat, verùm tanquam vidua amatos fugitivos lugeat, & instar turturis gemebunda, illorum fortunam deploret, nec à gemitu quamdiu vivunt, cesset gemere? An non ideò & turtur symbolum sapientiæ, quia vitam gemitibus, & suspirijs explet, & cor sapientiæ ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia, Eccles. 7. Verè ô Sanctissima Virgo factæ sunt speciosæ genæ tuæ, sicut turturis; quia in illis apparet pulchritudo benignitatis tuæ, dum sapienter doces nos gemere & futura prospicere, ut custodiamus tempus adventus nostri, ut docet Jeremias cap. 8. vers. 7. *Turtur & hirundo, & ciconia*, cognoverunt tempus adventus sui. Doces ergo artem gemendi dum scena mundi peragitur, ne æternum gemamus, & sit nobis pro cantu planctus dum tempus habemus. Constans ergo instar turturis est benignitas tua, quæ semper instar veræ Matris gemis & gemere doces.

Hos flores corporis, Spiritus sanctus consignavit in dotem Sanctissimè Virgini, dum Canticorum 2. rogat, sibi faciei, & vocis copiam fieri. *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Quare tam decora? erat enim, teste Epiphanio lib. 2. Histor. cap. 23. fastûs omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil molliciei secum trahens, sed præcellentem humilitatem colens. Et cur non esset hujusmodi, quæ simillima suo filio? Teste Nicephoro lib. 1. cap. 40. Talis facies Christi, qualis erat Matris, &c. spectabatur prudentia cum lenitate cunjuncta, deindè placabilitas, iracundiæ expers; persimilis denique per omnia fuit Divinæ & immaculatæ suæ Genitrici. Quanta vis in utriusque vultu,

SS. Virgo fabricata est ad imaginem benignitatis, vel potius imago ipsius benignitatis.

Virgo SS. columba benigna.

Quanta vis in vultu formoso.

Matris & Filij similitudo.

tu! totus orbis trahebatur benignâ vultûs Majestate, Divinis radiis collucente. Quis non submitteret oculos captivos triumphali utriusque benignitati, quæ voce, oculis, & totius corporis Imperatoriâ staturâ promicabat? ân non uterque pulchro vultu fulminabat? Quis resistit fulmini? ân non fulmen benignitatis, fulmine potentius? Paucis accipe celeberrimæ benignitatis Elogium, & inusitatæ apud homines tesseram, quam Filius, & Mater omnibus ad sui imitationem dedit; atque utinam sonaret æmula virtus:

Benignitatis regia & Divina dos & supremum elogium & ultra quod, nihil.

A benigno quisque quod vult, impetrat nutu unico:
Anteit preces benignus. Sordidus dat post preces:
Antequam rogetur, ultrò rem ingerit benignitas.
Campus justitiæ amplus, benignitatis amplior.
Omnibus benignus est amicus, hostis nemini;
Dando incitatur, haud ruit benignitas.

§. II.

Et quis fructus Benignitatis?

Benignitate redderis Rex pro Deo:
Pares Dei homines, facit benignitas.

ET quid fecit Deum benignum, nisi infinita bonitas; parens, & origo benignitatis? Quid genuit in anima Sanctissimæ Virginis benignitatem, nisi bonitas à Deo collata? Diffusiva ergo sui bonitas genuit benignitatem, tanquam illecebram sui, ut homines benignitate molliti, captique, ad Deum tanquam summum bonum, velut amoris philtro ebrij festinarent. Admirabilis ergo benignitas Filij: admirabilis & Sanctissimæ Matris.

§. III.

Quibus ex floribus coronam tantæ benignitati contexemus?

Flos campi & lilium convallium vinciunt coronam verticem & Filii & Matris.

QUinam legendi, carpendique flores, quàm flos campi, & Lilium convallium, Spiritus sanctus amatos Filio Dei, & Sanctissimæ Matri Virgini consecravit? An non ideò Filius cum Sanctissima Matre hisce floribus delectantur, dum uterque ait: *Ego sum flos campi, & Lilium convallium?* & in imagine, & tesserâ horum florum, suæ benignitatis volunt indolem vivaciter expressam? Præbent hi flores decoram cohærentiam, & conveniens spectaculum benignitatis. Excutiamus paucis horum florum delicias gratiasque.

Flos campi, ornatus mundi: Christus cum Matre, decus universi. Sicut flos campi nullo septus horto, omnibus carpendus expositus: sic Christi, & Matris omnibus facilè parabilis patet benignitas. An non facilè parabilis omnibus patuit Filius, & Mater Sanctissima, quando illa puerpera, Filium & se totiuniverso communem communi in stabulo destinavit, fecit, & oppigneravit? An non superiùs diximus, Filium Dei à Patre factum expositium, & in alienas juris novi leges transisse, juxta illud Isa. 9. vers. 6. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis?* Et quomodo datus? Pater futuri sæculi, & Princeps pacis in fratrem; flos, scilicet, campi, flos pacis, sub quo claudentur belli portæ, quo hastæ, quo & Mavortia arma intexta miscescent, & litui, & bellatrices Aquilæ frondibus, & paciferâ lauru animabuntur. Et toto, ut canit ille,

——— Surgit gens aurea mundo.

Cur hisce floribus benignitas comparetur

Flos campi, donum naturæ, nullâ culturâ florescit, sponte cunctis obvius arridet. An non obviam cunctis, Filio Dei connaturalis, & agnata Matri procedit benignitas? Deinde sicut flos campi; ita & Lilium convallium decet Filium & Matrem. Cur placuit Lilium convallium? an non in convallibus confluunt aquæ, quibus Lilia gaudent, natura sua sicca, ibique pulchriora, & fragrantiora proveniunt? Hinc pro *convallium*, Arabicus textus habet *torrentium*. An non Filius & Mater, Lilium convallium, in quos omnis cæli benedictio defluxit, tanquam profundissimæ humilitatis valles? Deinde Lilio, candor niveus, & odor inest cum aureo colore prominente. Quid candidius Filij Dei humanitate, & Matris Virginitate? Aureus utrique inest color: Filio ex Deitate, Matri ex aureâ charitate. Magnû Decus naturæ in raro flore color, & odor; rarius decus, & dos, si salutari diffluat oleo, aut tota substantia floris exhibeat cum pulchritudine medicam olei præstantis officinam. O nobile Emblema benignitatis Virgineæ! an non illa est officina pulchri, & omnis salubris medicamenti! *verè oleum effusum, nomen tuum*, Canticorum 1. cujus odorem omnes sequuntur. Lilium, mirum dictu, pandulum, & incurvum. Quid hoc signat, nisi summam Filij, & Matris benignitatem adversus omnes peccatores? incurvat se uterque, ut omnibus dextram porrigant, & amplexum. An non Filius vulnera, & Mater ubera, uterque se inflectens misericorditer, publicentur, & offerunt? Quid Lilio fœcundius, cùm, teste Plinio l. b. 21. cap. 2. unâ radice sæpè emittat quinquagenos bulbos? Quis enarrabit multitudinem, & magnitudinem benignitatis utriusque? totus orbis non est par muneribus, & donis computandis. De quo argumento, in potentiæ Consociatione. Deinde quid inter flores excelsius? Benè Plinius: *Nulli florum maior excelsitas trium interdum cubitorum, languido semper collo, & non sufficiente oneri resupinis per ambitum labris, tenuique filo, & semine, stantibus in medio crocis.* Benè Spiritus sanctus, Filium & Matrem Lilio assimula-

Dotes utriusque.

Lilii dotes color, odor, varietas, excelsitas adest.

simulavit. Quid excelsius Dei Filio, & Dei A Matre? ut sæpiùs dictum. An non languido uterque collo, & vultu, & resupinis oris labris, ut præbeant cunctis accurrentibus parata oscula? Nihil in illis asperum, nihil acerbum, nihil cervicosum, nihil rigidum: frons, oculi, vultus, os, labra, genæ, inflexio colli cum blando sermone; tota denique corporis structura spirant, & exhalant benignitatis Maternæ suavissimos affectus, ita ut nulli prohibeatur verecundus accessus, nisi contumaci. Verè apparuit humanitas, & benignitas beatissimorum siderum: Christi, scilicet, Domini nostri, & Sanctissimæ Matris. Ex his ergo floribus à Spiritu sancto signatis, & Filij, & Sanctissimæ Matris summæ benignitati coronas texat Orbis universus, qui benignitate B utriusque stat, ne præceps corruat, & intereat. Necte pie Lector, benignitati utriusque coronas: non quales canit Claudianus in nuptijs Honorij.

Tu festas Hymanee faces, tu gratia flores
Elige, tu geminas concordia necte coronas.

Componant gentiles sponsis ex asparago, sisymbrio, è Verbenis, ex abjete, & pinu: sint illæ, indices lætitiæ, & hilaritatis, & gratulationis, Esto sint excelsæ, & quasi turritæ coronæ, ut docet Lucanus lib. 2.

Turritaq; premens frontem Matrona corona,
Tralata vetuit contingere limina planta.

Nos humiles, vobis! ô beati Angeli, offerimus calathos florum campi & nivea Lilia: vos artifice manu, Dædaleum, & Regium contexite opus: vos Spiritus aggeniculati, purissimo Spirituum Christi Domini, & purissimæ Matris sacro vertici imponite coronam, floribus sacris contextam: & celebrate benignitatem utriusque, æternum pæana cantantes.

Te Lector oro ut induas benignitatem, tanquam perfecti viri Paludamentum Imperatorium: imitare SS. Virginem, Matrem benignitatis, imitare & S. Virginis Filium, totius benignitatis fontem: memineris quæso magni Basilij doctrinam. *Imaginem*, inquit, *Dei habeo, dum rationis sum particeps, ad similitudinem autem fio, dum benignitatem colo. Vis imperare? benignus esto.*

§. IV.

Admirabilem Virginis Deiparæ benignitatem promulgabit miraculosa Conversio cujusdam Mauri mancipij, facta Neapoli 3. Augusti 1648. quam, ne fastidio esset prolixior narratio, decreveram contrahere. Verùm ne splendori Miraculi sua lux debita minuatur, & Fides Scriptoris mutato calamo varietur, decretum, copiam rerum gestarum ab ipso Scriptore primo haustam dare: placere enim solet primus nativus veri color fuco seposito, qui multum infringit Historiæ nervos.

Commorabatur in obsequio & familia Domini Octavij Monaco d'Aragona servus natione Maurus, uti obstinatus animo Religionē Christianam amplecti numquam, ita æquè indocilis, & non idoneus cujuscumque instructionis, ut opera & labor omnis in eo docendo frustrà collocari, atque adeò C ejus ad finem conversio absque peculiari Dei subsidio nullo modo speranda videretur. Augebat pervicaciam hujus hominis contubernium & familiaritas alterius servi in eandem domum recepti. Hic ut vultu, & colore, animique dotibus Mauro dissimilis, ita in obstinatione atque impietate erat illi simillimus, & cùm advertisset, quantis modis allaboratum esset, ut Maurus ad fidem Christi adduceretur, omnem adhibuit conatū, ut persuaderet ne deinceps sermonibus istis ullo modo aurem daret, quibus à Mahometi doctrina & religione avocaretur: hoc tamen obtinere unum non potuit; ut quod Maurus per duorum annorū spatium, quo in ea familia vixe-D rat, obsequium deferre consueverat Imagini Virginis beatissimę in pariete horti depictę, deinceps omitteret; atque illud erat: Lampadem adornare sub noctem, & coram imagine illa accendere, in quem finem singulis diebus ex pecunia, quam in sumptus quotidianos accipiebat ab Hero, nummulos duos seponebat, ut oleum compararet. Interrogatus sæpè tum à sodali conservo, tum à Domino, ad quid genus istud obsequij imagini præstaret, respondebat, quia ipsi videretur formosissima illa Domina, à qua ob qualecumque istud obsequium, diebus singulis opem & patrocinium singulare speraret. Delatum hoc est ad P. Directorem congregationis mancipiorum, quæ Neapol. in Collegio Societatis erecta est, duos esse servos illos in

Nobilis.

Nobilis illius domo, eò se contulit sacerdos ille, servos est allocutus, hortatusque, ut sanctam vitam amplecterentur, & sequerentur exemplum, quamplurimorum, qui brevì sacro Baptismo initiandi erant. Verùm eo die, alijsque quampluribus domum rediit Pater delusus & derisus. Quare cùm tempus, & operam perdi judicaret, negotium cum solo Deo agitandum esse; statuit hujuscujusque viribus atque industriâ deficientibus Divinam opem implorandam. Sedulò itaque ambobus injunxit, ut salutem suam commendarent Deo: Mauro autem consuetum erga Virginem Matrem obsequium ne umquam omitteret; atque ita demum animo numquam ad eos revertendi recessit. Paucis pòst diebus cum Maurus nocte mediâ sub tecto ubi collocabatur rheda, somnum caperet, audijt repentè vocari se his verbis: *Abel, Abel* (hoc enim erat illi nomen) *evigila; Verbum unum habeo tibi dicendum.* Excitatus est ad eam vocem servus, & vidit locum illum clarâ luce illustratum, Matronamque admirandæ Majestatis candidis vestitam coram se adstare, aderat ad latus senex venerandus, qui vas argenteum aquâ plenum manibus gestabat. Exhorruit eo spectaculo Maurus: *Et qua tu es,* inquit, *qua portis clausis cum se ne illo huc intraveris?* subjunxit Domina: *Ego sum Maria, quam tu tanto tempore in imagine mea in horti pariete depicta veneratus es; senex ille Iosephus est sponsus meus: descendi porrò de cælo, & huc veni, ut te exhorter, ut Christianus fias, & Iosephi nomen assumas: quia autem cæli terræq; sum Domina, propterea occlusis portis huc intrare potui.* Respondit ad hæc Maurus: *Quamlibet rem aliam impera Domina mea, sine mora libentissimè exequar, ut autem fiam Christianus, fieri non potest.* Accessit ad servum intereà beata Mater, ejusque humerum blandè percutiens ait: *Eia Abel, Christianus fias, neque ultrà reluctaris.* Ad hunc Virgineæ manus ictum exclamavit Maurus: *Domina mea inflammasti cor meum, Christianus esse volo, & vocari Iosephus; sed quomodo hoc fiet? ego qui memoria sum perquàm labili, preces Christianorum quâ ratione ediscere potero?* Respondit Beata Virgo & Mater: *Esto animo bono, ego ipsa instruere te aggrediar.* Apprehensaque manu ejus dexterâ, signum Crucis efformare eum docuit, subjunxitque ex nunc memoriâ hoc numquam excidet: precationes te docebit Director Congregationis servorum, ad quem tu sine mora confugias.

Rogavit Maurus quo facto, & quo ritu Christianus fieri deberet? Tum Virgo è vase manus quam capiens, totum respersit Maurum, addiditque: *Ita te Sacerdos aquâ Baptismi consperget, fietq; anima tua hâc veste meâ candidior.* Videbatur recedere velle beata Virgo: at Maurus prehensâ manu Virginis: *O Domina,* ait, *cùm ego tristitiâ aliquâ cruciabor, sine me conspectu tuo recreari. Volo,* inquit Virgo, *& libenter hanc tibi* A *præstabo gratiam.* Atque his dictis ex oculis se subduxit.

Continuò ad Herum suum currit Maurus, cumque à somno excitatum totâ rei serie rogat, Directorem Congregationis servorum curaret accersi, à quo precationes Christianorum edoceretur.

Dici non potest, quantâ consolatione perfusus sit Nobilis, cùm intellexit tam insigni, & insperato beneficio servum illum miserum, à magna cælorum Regina tanto beneficio affectum. Evocatus Congregationis Director servum fortunatissimum doctrinam Christianam ilicò docere cœpit, neque magnam passus est molestiam, nam inter dies paucos quidquid ad Baptismum reci- B piendum scire oportebat, summâ felicitate Maurus addidicit. Intereà servus alter cùm à contubernali audiisset, quæ gesta essent, & perpetuis cùm servi exhortationibus concuteretur, manus tandem dedit, & sacram amplecti fidem velle se professus est, atque incredibili in Mahometanos concepto odio, Christianorum precationibus ediscendis totum se applicuit. Stetit verò promissis beata Mater: cùm enim Maurus semel atque iterum domesticis laboribus fatigatus, & fractus eo temporis spatio, quod fuit ad diem usque Baptismi, animo & corpore vehementer affligeretur, erectis in cælum oculis dixit: *O Domina mea tempus nunc est ut cùm maximè, quo te mihi videndam exhi-* C *beas.* Et repentè adfuit Magna Dei Mater, ac dixit: *Iosephe patientiam habe.* Quibus ipse verbis tantam cepit voluptatem, ut si (verba ejus sunt) Paradisum in cor suum recepisset.

Sacro Baptismo initiatus est die Assumptionis Virginis Matris insequenti, unaque conservus, qui propriâ electione Mustaphæ nomen cum Joannis Baptistæ commutare voluit. Auxère solemnitatem servi alij decem, cum Ecclesiæ consuetis ritibus eâ die conciliati, qui Christiani olim, Deinde per vim fidem abjurare coacti, cùm in Turcorum potestatem venissent. Baptismi solemnitas eâ die tantâ magnificentiâ facta est, quanta excogitari potuit propter miraculi constantiam, & dignitatem Dominorum, D qui in Urbe Neapoli sunt primarii, ac singuli servis suis adesse, ac baptizandos quidem ipsimet suscipere voluerunt. Josephus noster sive propter corporis ornatum, sive propter egregiam pietatis speciem, quam præferebat, infinitæ multitudinis oculos in se convertit, & concursus incredibilis fuit ad Archiepiscopi Curiam, ubi manu Domini Joannis Vincentii G ovine Canonici Baptismus collatus est.

Magnus Patrum Societatis numerus tum è domo professa, tum è Collegio; multi ex congregatione nobilium, aliisque Oratoriis ac Sodalitatibus eam solemnitatem suâ præsentiâ honorârunt. Conclusit celebritatem supplicatio

ſupplicatio ſatis ſplendida per magnam Civitatis pertem. Præcedebant confraternitates quædam, alumni ſeminariorum, tum noſtri, tum Archiepiſcopi, pueri innumeri Angelorum ſpecie ornati, ac medii inter omnes hos ſervi illi baptizati ſequebantur ſervatis ordinibus, Canonici multi agmen claudebant. Dominus Joannes Vincentius Giovine, P.P. Societatis, & magna nobilium multitudo, A tùm ad Curiam Archiepiſcopi ſupplicatio converſa eſſet, Neophyti, præeunte congregationes Patre, magnas Deo Optimo Maximo egêre gratias pro emenſo beneficio in ſe collato, ac denique ab eodem Patre ſacro numiſmate, imagine unâ, æneaque Crucifixi effigie donati, cum roſario, quod initio ſupplicationis acceperant, domum ſinguli mirâ conſolatione delibuti rediêrunt.

Ad majorem Dei, beatiſsimaque Virginis gloriam.

DECI-

DECIMÆQVINTÆ CONSOCIATIONIS DE AMORE DEI

PARS PRIMA.

§. I.

In Deo esse amorem totus Philosophorum chorus docuit.

IN Deo non solùm regnare potentissimum amorem; imò nec sine eo posse vivere, tam Gentiles Philosophi, quàm Christiani docuerunt. Quis ignorat Deum constare intellectu, & voluntate? & sicut actus, & partus intellectus est rerum omnium scientia, ita & voluntatis, seu virtutis appetitivæ primus motus est amor, ex quo, velut, utero sicut primogenitus procedit, & vexillum omnibus affectibus ejusdem virtutis præfert appetitivę Necesse est ergo in Deo esse amorem, uti & voluntatem, quæ ita inter se connexa sunt, ut nullâ ratione à se invicem divelli possint. Cùm itaque voluntas incitatissimè feratur in appetentiam boni; & quò bonum excellentius, eò & ardentior est & appetitus, ex quo prosilit amor in objectum,

Amor voluntatis primogenitus.

A amabile, bonum, pulchrumque pro mensura boni, amabilis, pulchrique; qui tantò potentior, quò nobiliores partes, & conditiones ipsum bonum sortitur. Cùm ergo Deus sit bonum infinitum, infinitæ perfectionis, infinitè amabile, infiniteque pulchrum, necesse est ex voluntate, veluti ex intentissimo arcu, tela infiniti amoris vibrari, & in Deo regnare amorem infinitum, qui tanto bono correspondeat, cujus natura sit infinita. Amat ergo seipsum infinitè, quia invenit in se objectum infiniti amoris, de quo bono

B gaudet infinitè: nemo enim gaudet, nisi de bono amato. Non itaque temerè Philosophi Gentiles dixerunt, amorem Deorum, ipsos fecisse fœcundos. Et Plato, amorem non modò Deum; sed maximum Deum appellavit? Soroaster & magi dicebant Oromazen summum Deum generasse sex filios: primum εὔνοιαν benignitatem. Sic canit & Parmenides: Ante Deos omnes primum genueravit

Amor ardēs pro mēsura boni.

Infinitus in Deo amor qua bonum infinitum.

Amor Deorum potentissimus.

neravit amorem. Amor enim præoccupat divina Dei opera. Amore temperat cuncta. Atque adeò primogenita Dei cognitio erga creaturas est beneficentia. Et Agathon Deum vocat beatissimum amore. Et Socrates in convivio: *Amor*, inquit, *est pulchritudinis desiderium.* Omnes autem pulchrum, & bonum appetunt: omnes ergo amorem divinum habere desiderant. Plato libro 7. de Rep. ait Theologum ascendere usque ad principium universi, & illud tangere, atque tenere per amorem. Tactus verò iste non fit sensu, sed intellectu. Mercurius Trismeg. docet ex mente, & Deo, unum spiritum coalescere, per amorem scilicet summi boni amati. Et Jamblicus de mysteriis Ægyptiorum, ante omnem rationis usum, inest nobis naturaliter Deorum cognitio; imò tactus quidam divinitatis melior, quàm notitia. Quî autem ille tactus fieri possit, vel fiat, difficile est intellectu, nisi per amorem, quo amans transfertur in rem amatam, & junctis desideriis, & affectibus, in ipsam transeant unitatis naturam, & quasi in unum coalescunt. Hoc videtur subtiliter intellexisse Augustinus libro 4. de Trinitate, capite 15. ubi hunc tactum sic explicat: Omnis lex justa describitur in libro lucis illius, quæ veritas dicitur, & in cor hominis, qui operatur justitiam; non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur: sicut imago ex annulo, & in ceram transit, & annulum non relinquit; qui verò non operatur, & tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur. Hæc autem adhæsio, sine tactus amore perficitur, quo instigante, atque trahente anima multitudinem omnem exuit. Sic soluta, jam tota surgit in unitatem suam, per quam cum ipso uno rerum principio inæstimabilem consequitur unionem. Sic Gentiles amorem Dei extulerunt, eumque in Deo regnare, nec sine eo posse vivere, docuerunt. Christiani verò, fidei radiis illustrati, altiùs hoc ipsum penetrarunt. Augustinus libro 15. de Trinitate capite 20. dicit: Sicut necessarium est, Deum intelligere; sic etiam necessarium est, amare: sicut etiam necessarium est, ipsum esse, & vivere; est enim Deus naturâ intellectualis, cujus proprium est intelligere, & amare; cumque sit actus purus, non aliquando amat, & intelligit, aliquando verò non; sed semper amat, semper intelligit; nulla enim imperfectio in Deo est: esset autem si posset amare, & aliquando non haberet in se actum amandi: semper ergò necessariò amat. Non miremur ergo Deum amare, quando habet in se objectum infinitè bonum. Unde & Scriptura sacra dicit, quòd Deus sit Charitas, Joannis 1. epistol. capite 4. quòd Deus sit totus amor, quasi totum regnum ipsius sit regnum amoris: amant enim seipsos Pater, Filius, & Spiritus sanctus amore infinito: Dicitur tamen Deus amor, & quandoque amabilis; amor appellatur tanquam auctor, & genitor amoris; in quantum verò ipse est id quod amatur, amabilis dicitur.

Quaratione Deus tangatur. — *Per amorē fit contractus.* — *Per amorē fit unio cum Deo.* — *Necessarius amor in Deo.* — *Æternum semper amat Deus.* — *Dicitur Deus amor & amabilis.* — *Deus amor & ignis.*

Primò movetur ad alia amanda; secundò movet alia ad amorem suum. Vel amabilis dicitur, quia vim habet adducendi, ac movendi materiam ad Spiritus conjunctionem, id est, quod hujus mediator, & ipse conciliator sit amoris, quo à suis creaturis adamatur.

Dicitur & Deus ignis, symbolum amoris, quia amor ignis, omnia consumens. Exodi 3.2. *Apparuit Dominus illi*, id est Moysi, *in flammâ ignis.* Deuteronom 4. 24. *Deus ignis consumens est.* Et ideò ibidem: *Loquebatur de medio ignis*: & ostendit tibi ignem suum, quia Deus totus ignis, & amor est. Amorem verò esse ignem, quid apud Gentiles famosius? Ovidius 1. Metamorphos. *Sic Deus in flammas abit; sic pectore toto uritur.* Et 4. Æneid. *Est mollis flamma medullas.* Et alibi, *meus ignis Amyntas.* Verus ergo Deus noster, & amor, & ignis, qui nisi in amore, & igne vivit, regnatque.

Amor ignis.

§. II.

De dilectione ad Creaturas.

Ingens & admirabilis stupor hinc suboritur, cùm Deus sit sibi infinitè bonum, & rationem inveniat in se omnis boni infinitè amabilis; supra modum admirabile est quod condidit amore creaturas; at condidit quia bonus est; & quia bonus est, eas diligit eo amore, quo seipsum, ut præclarè Dionysius de divinis nominibus capite 4. ubi docet à Deo omnia diligi, quia naturâ suâ bonus: *Omnibus*, inquit, *bonum est*, *amabile, & desiderabile*, juxta illud Exodi 33. *Ostendam tibi omne bonum* (quod explicans Augustinus libro 1. de Trinitate capite 3. *Tolle hoc; tolle istud, & respice omne bonum, si potes*, hoc est Deus.) Quod verò aliquid extra se tantus amet Deus & ex amore producat creaturam suam, & quodammodò egressus suâ infinitate, rem finitam, actu infinito

Ingens stupor Deum amare aliquid extra se. — *Diligit Deus, quia bonus.*

Infinito diligat, quâ tamen non egeat. Valde admirabile. An non diceres, quasi deesset in se objectum, quod totum suum adæquaret amorem? An non est sibi infinitè bonum, amabile, infiniteque pulchrum? Cur ergo extra se in alia objecta defertur? An non quia tale, ideò ab universis diligitur, & propter ipsum, & ipsius gratiâ, & inferiora, conversionis ratione præstantiora amant, & paria socialiter æqualia, & præstantiora minoribus, providendo amore junguntur, & omnia quæcumque faciunt, boni desiderio faciunt, & volunt confidenter? Omnem fidem vinceret nisi divina fides astrueret Deum amatoriis artibus suas rationales creaturas, quasi unicos suos amores prosequi persequique. Et ideò verissimâ ratione dicimus, quòd ipse etiam auctor omnium, pro bonitatis magnitudine, omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, convertitque ad se ex amore.

Amatoriè Deus amat.

Est enim amor divinus, bonus boni, propter bonum, auctor beneficus; & quia entium amor: nequaquam ipsum in seipso infœcundum manere permisit.

Amor Dei fœcundum facit.

Ut autem creatura tanti amoris secura, credat se amari, tota Scriptura sacra tantis amoris æstibus redundans, divitias tanti amoris longè, lateque diffundit. Et in primis Ioannis 3. Ipse filius Dei incomprehensibilem Dei Patris intimat amorem, dum hâc particulâ utitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Vnigenitum daret*: tantâ scilicet amoris vehementiâ, & conatu, ut illum exprimere cùm non posset, unâ particulâ per admirationem, & stuporem expressit, quâ suspensum orbem, attonitumque cælum, & omnes creaturas mutas efficeret.

Vehementia amoris.

De quo posteà. Hunc ardentis amoris æstum indicibilem Paulus ad Roman. 5. totus ipse inardescens, extollit. *Commendat autem*, inquit, *Charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et capite 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quàm tesseram amoris poterat dare certiorem; quàm Filium dare in vadimonium? Quid majus dare potuit, cùm unicum solùm haberet? Vide ut increscat, & insurgat, quasi tumescentibus undis amor. Donavit non terram, non cælum; sed Filium suum unigenitum.

Summi amoris descriptio.

Primùm, quia priùs dilexit nos.

Secundò, quia tantus Deus, homines, à quibus tantâ dissimilitudine distat, ut nulla conciliandi amoris gratia possit intercedere.

Tertiò, quòd peccatores, suos hostes, & perduelles amaret; & in gratiam hostes admitteret. An non visus Deus Pater sui Paterni amoris oblitus, dum suo Filio, quem paternè, & infinitè amabat, non pepercerit Pater?

Quartò, quòd Filium innocentem damnârit pro iis, à quibus tot injuriis lacessitus fuerat.

Deinde pro iis, quos tanto pretio redemptos volebat, sciebat futuros ingratos.

Ultimò, & quod maximè mirabile; si consideres rationem, & modum, quo Filium dederit. Dedit illum tanquam mancipium, qui erat splendor figuræ substantiæ Patris: tanquam fugitivum, qui ante Luciferum in sinu Patris æterno quiescebat: tanquam servum vilissimum, qui erat auctor omnis libertatis, morti addixerit; & morti quidem crucis, omnium suppliciorum tormento crudelissimo. Quid Charitate illâ majus dici potest? Tertullianus libro adversus Praxeam capite 3. hunc locum Pauli, *Qui proprio Filio suo non pepercit*, confert cum illo Isaiæ 53. *Et Dominus tradidit eum pro delictis nostris.* Sic enim ille legit: ubi Hieronymus vertit; *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Hinc Tertullianus libro de fuga in persecutione capite 12. indignam judicat fugam tempore persecutionis, & fortissimè sugillat fugientes: *Quàm indignum*, inquit, *Deo, qui proprio Filio suo non pepercit; pro te, ut fieret maledictum: quia maledictus qui pependerit in ligno, qui tamquam ovis ad occisionem ductus, qui coram tondente se non aperuit os suum, &c. Qui posuit dorsum suum in flagella, maxillas in palmas, & faciem non avertit à sputaminibus, & inter iniquos deputatus, & traditus est in mortem.*

Potentia amoris in Deum.

Dicitur non pepercisse Filio, eò quòd ab eo deposceret promissi nobis vadimonii fidem. Tanta est potentia amoris, ut Deum in exstasim raptum, nostrique amore ebrium à sede sapientiæ dimoverit.

Ebrietas amoris divini.

Hinc forma vehemens, & acre argumentum; Dei celsissimam charitatem exaltandi. Et tu potes de ejus charitate vacillare? An non habes tesseram, & signum indubitati amoris? Quid potest esse tam magnum, tam pretiosum quod nobis à divina denegetur Charitate? *Quis abscondet sese à calore Charitatis ejus?* Placet, quod scribit Augustinus libro 4. de Trinitate.

Primum, nobis persuadendum fuit, quantum nos diligeret Deus, ne desperatione victi, non auderemus erigi in eum. Quales autem dilexerit, ostendi oportebat, ne tanquam de meritis superbientes, magis ab eo resiliremus, & in nostra fortitudine magis deficeremus; ac per hoc egit nobiscum, ut per ejus fortitudinem potiùs proficeremus,

ficeremus, atque ita in infirmitate humilitatis, perficeretur virtus Charitatis. Et 13. Trinitatis: *Quid tam necessarium ad erigendam spem nostram, quàm ut demonstraretur nobis, quantum nos penderet, & diligeret Deus? Quid verò hujus rei tanto indicio manifestius, quàm quod Filius Dei, nostrum dignatus est inire consortium?* Amat ergo Deus, quia bene vult; amare enim juxta Aristotelem 2. Rhetor. capite 4. est alicui bonum velle, & complacentiam illius habere. Convenit ergò Deo amare, sic ut velle; convenit & divinæ bonitati, quæ est diffusiva sui, creaturas condere, & amare.

§. III.

Habemus firmam probationem, in Deo esse amorem: Nunc quid sit amor, videndum.

Amoris divini non est definitio.

QVis definiet amorem infinitum? quis assequetur ejus mensuram, cum à vi & beneficio notitiæ, vis amoris noscatur? cujus itaque notitia non est, nec erit definitio. Deum esse amorem, & æternum, & infinitum, diximus. Quis infiniti dabit definitionem? An non illius natura incomprehensibilis? Planè. Definitio declarat, & comprehendit rei definitæ essentiam; rerum verò maximarum, & supernaturalium essentiam definitio comprehendere non potest, multò minùs amoris essentia infinita, aliquâ definitione potest circumscribi: omnis intellectus, ut oculus noctuæ, ad solis lumen rerum æternarum claritate, luceque percussus, cæcutit, hebescitque. Imitabimur ergo Pictores, qui variis tabellis excellentem pulchritudinem depingunt, & per partes singulas, formositates exponunt. Ex variis itaque amatoribus amori suos titulos appingemus. In primis itaque amor, ignis vocatur, ut videatur ex ignis officinâ ducere originem. Ad quod alludit Christus Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram.* Deinde Tertia Persona, ignis sub specie in signum, se esse verum amorem, ignemque demonstravit. An non sacrificium Aaronis ignis cælestis absumpsit? Levitici 9. vers. 24. *Apparuit gloria Domini, omni multitudini: & ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipes qui erant super altare. Quod cùm vidissent turba, laudaverunt Deum ruentes in facies suas.*

Varia amoris imagines,

Jussitque Deus hunc cælestem ignem servari, qui fuit conservatus usque ad tempus captivitatis Babylonicæ, quo igne cælesti volebat omnia sacrificia succendi. Crediderim in symbolum, Deum scilicet velle in nostris mentibus ignem cælestem, & inviolabilem ardere. Et Levitici 2. de primitiis, ubi etiam voluit spicam viridem igne torreri, ut foret Deo in sacrificium gratum. Sanctus Augustinus de substantia amoris, dicit esse *delectationem, & motum cordis*: & eodem lib. dicit esse *vitam cordis; & sicut impossibile est vivere sine corde, ita impossibile est sine amore.* Deinde lib. tertio cap. 11. de doctrina Christiana: *Charitatem*, inquit, *voco motum animi, ad fruendum Deo propter ipsum, & se, & proximum propter Deum.* Deinde Dionysius de divinis nominibus cap. 4. *quod amor sit unionem faciens.* Quod sic divus Thomas exponit 1. 2. quæst. 27. art. 2. vel effectivè; ut amor concupiscentiæ, movens ad desiderandum, & amandum præsentiam amati, vel ad se pertinentis: vel formaliter, ut amor amicitiæ, qui est talis unio, vel nexus. Leo Hebræus dicit esse *affectionem voluntariam gaudendo de bono apprehenso.* Aristoteles dicit esse *passionem.* Divus Thomas 1. 2. quæstion. Job articul. 1. & quæstion. 25. dicit esse *principium omnium passionum, & quod omnes passiones quasi in amore radicentur, quasi effectus in sua causa.* Augustinus libro 8. de Trinitate capite 10. sic definit: *Est*, inquit, *quasi junctura quadam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens*; amantem scilicet, & id quod amatur.

Varia amoris descriptiones.

Amor est junctura.

Diceres magneticæ esse amorem substantiæ, qui occulto spiramine, & vi secretâ ferrum sibi vult maritari, unirique, & ut amans, amatæ rei conjungi. Dionysius libro 4. de divinis nominibus, vocat Dei amorem, circulum, qui in bono est, & ex bono, substantiis emanat, ac rursus bonum ad se convertit: in quo quidem quòd fine careat, atque principio, divinus amor excellenter ostendit, quòd sit veluti circulus sempiternus, propter bonum; & ex bono in bonum, & ad bonum omnia trahens, procedens semper, manans, & remeans; est enim nexus quo omnia ad inuicem conjunguntur, quo omnia compaginantur, & constant. Et §. 15. ibidem. Amorem divinum, sive Angelicum, sive spiritualem, sive animalem, sive naturalem dixerimus, vim quandam, sive potestatem copulantem, & commiscentem intelligamus, superiora quidem moventem ad providentiam inferiorum; & ea quæ sunt ejusdem ordinis ad mutuam communicationem; & novissimè ea quæ sunt

Amor est circulus.

sunt inferiora, ad convertendum se ad præstatiora, & præposita id est nobiliora. Amor autem eximius, & circularis dicitur, quia principio, & fine caret: utpotè ex bono prodiens, & ad bonum se convertens, secundùm figuram circularem; quemadmodum neque linea circuli cognosci potest, unde inceperit, vel ubi desierit: etenim ex ipso, boni desiderium, & ad ipsum iterum tendit. In ipso est, & manet amor connaturalis bonitatis, & eorum quæ ad bonum tendunt. Agedum accipe & diviniorem amoris descriptionem. Dicamus ergo, ait Dionysius in Hymno amatorio, *unam esse simplicem virtutem per se moventem adamatorium quandam mixtionem ex bono usque ad extremum eorum quæ existunt, & ab illo rursus consequenter per omnia ad bonum ex seipsâ, per seipsam, & in seipsa seipsam revolventem, & ad seipsam semper eodem modo revertentem.* Nota Lector, ut vocet amorem virtutem per se moventem; seu esse vim motricem; tum quia Deum movet, ut descendat ad creaturas, eisque instar amantis omnia sua bona largiter impertiatur; tū quia rationales creaturas sursum ad Deum trahit: undè & amor dicitur exstaticus, quia miro impetu inclinavit Deum ad hominem, & hominem ad Deum; ut in Deo tanquam centro suo adepto conquiescat, ut eant omnia eò, unde proveniant, instar fluminum, quæ à pelago transunt ortum, & eódem pernici agmine revolvuntur. Ideò enim amoris impulsu Deus factus homo, ut ille qui habitabat lucem inaccessibilem, nec ulli creaturæ erat manifestus, incarnationis beneficio mortalibus foret manifestus; juxta illud Baruch 3. *Post hæc in terris visus, & cum hominibus conversatus est.* Ut autem amoris vim circumscribamus; tribus nominibus illum definiemus; & vocabimus amorem, dilectionem, charitatem, & amicitiam, quæ inter nomina, hoc discrimen intervenit; ut secerni possint; ut omnis dilectio, vel charitas sit amor; sed non è converso: addit enim dilectio supra amorem, electionem præcedentem; ut ipsum nomen sonat: unde dilectio non est in concupiscibili; sed in voluntate tantùm, & in sola creatura rationali. Charitas addit supra amorem, perfectionem quandam amoris, in quantum id quod amatur, magni pretii æstimatur; ut sit carum, quia rarum. Amicitia autem sit quasi habitus, qui ex amore, dilectione, & charitate sit prognatus, procreatusque, juxta Philosoph. 8. Ethic. c. 5.

Amor utpotenter Deū moveris.

Amor reddidit Deū invisibilem visibilem.

Amor tribus nominibus describitur.

§. IV.

De modo quo Deus amat creaturas omnes.

CErtum est, Deum omnes creaturas diligere, tam irrationales quæ sunt vestigia suæ bonitatis; ut fumus, ignis, & umbra hominis: quam rationales; & inter rationales eas amplius quæ sunt membra Unigeniti filii sui. Nihil enim odit Deus eo um quæ fecit; etsi propriè, & verè Deo conveniat odisse, at nisi malum. Verè enim, & propriè Deus non solum peccatum, verùm etiam peccatorē odit; non quatenus creatura est; sed quatenus à rectitudine defecit. *Unde odium, est dissonantia appetitus cum malo; sicut bonum, est consonantia appetitus cum bono*: ut dicit Divus Thomas 1. 2. quæst. 29. art. 1. Ut autem intelligamus, quomodo Deus diligat creaturas irrationales, & rationales, pius Lector audiat Sanctum Thomam primâ secundæ quæst. 16. art. 4. Duplex est, inquit, in amore respectus: alter ad rem, cui bonum volumus: alter ad bonum ipsum, quod volumus. Ratione prioris dicitur amor amicitiæ; ratione posterioris amor concupiscentiæ: non quidem quòd sit duplex actus amoris; sed quòd in eodem actu sit duplex respectus. Uterque hic ergo Deo convenit. Priori respectu Deus amat homines, & Angelos, amore scilicet amicitiæ; irrationabiles verò creaturas amore concupiscentiæ. *Cùm enim amor amicitia, vel benevolentia sit inchoatio quædam amicitia*, ut ait Aristoteles 8. Ethic. cap. 5. *& res irrationales non possint esse objectum amicitia, nequeunt esse objectum benevolentia.* Unde lib. 7. ad Eudemum cap. 8. docet amorem benevolentiæ esse etiam amicitiæ. Est enim affectio quædam quâ quis alteri bonum desiderat propter illius virtutem, non propter suam utilitatem, vel voluptatem: non enim pro hisce, inquit, benevolentia fit; alioquin enim sequeretur nos amare bestias amore benevolentiæ; illis enim afficimur propter nostram utilitatem; quemadmodum & illas diligimus, & omnia ratione carentia propter nostram voluptatem, & commoditatem. Inter rationales verò creaturas, certum est, unam præ alia magis diligi. Diligit enim Deus semper omnia meliora; diligit enim quicquid sibi similius est. Et juxta Ecclesiasticum 13. omne animal diligit sibi simile. In tantum est autem aliquid melius, in quantum est similius Deo; meliora autem magis diliguntur; ex hoc autem sunt aliqua meliora, quod majus bonum eis Deus velit: sicut sanctissimæ Matri omnia summa voluit; & cùm Deus Charitas sit, seipsum diligendo, omnia diligit, idque propter seipsum; quoniam omnia

In Deo verum odiū.

Quid sit malum.

Qualis sit dilectio erga creaturas.

Duplex in amore respectus.

Ut homines diligat Deus: & ut bestias.

Deus fortius diligit meliora.

omnia propter seipsum operatus est Dominus. Ut autem intelligamus, quomodo Deus unum præ alio magis amet, pius Lector attendat bifariam, unum præ alio magis amari; uno modo ex parte ipsius dilectionis, quia intensiùs fertur in unum, quàm in alterum; ut inter homines evenit, cùm duobus æquale bonum volumus, unum intensiùs tamen, quàm alterum. Et hoc modo non potest Deus unum magis, quàm alium amare; sed omnia æqualiter diligit: eò quòd actus dilectionis, quo Deus amat creaturas, sit sua ipsius essentia, quæ in se omnino eadem est. Quod adeò verum est, ut Theologi asserant, eodem prorsus actu dilectionis, quo Deus Pater, & Filius æternus, diligunt Spiritum sanctum, diligere etiam creaturas; tametsi non æquè primò ad Spiritum sanctum, & creaturas referatur. Quæ sanè diversitas non ex parte actûs, sed ex parte ipsarum creaturarum sumitur; quia minùs necessariò esse habent: poterat enim illas Deus non condere; poterat & non amare: etsi eas cognosceret. Non enim dependebat amor, ut esset à scientia divina, at amor Patris, & Filii in Spiritum sanctum ex necessitate naturæ divinæ est, & non potest non esse, nisi esse desineret. Altero modo, unum magis diligitur quàm aliud; non quia intensiùs, sed quia magis illud bonum illi desideramus; & hoc pacto Deus potest unum magis diligere quàm aliud; quatenus uni majora bona desiderat quàm alteri; sicut desideravit sanctissimæ Matri, quam prævenit omni benedictione dulcedinis, & gratiarum. Hoc est quod divus Thomas quæst. 20. art. 3. docet: *Duplici ratione potest aliquid magis, vel minus amari. Vno modo ex parte ipsius actûs voluntatis, qui est magis, minúsve intensus; sic Deus magis amat quædam præ aliis. Alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato.* Et sic dicitur alius magis præ alio amari, cui majus bonum volumus, quamvis non magis intensâ voluntate. Cùm enim amor sit causa bonitatis rerum, non esset aliquid alio melius; si non vellet uni majus bonum, quàm alteri. Sanctissimam ergò Matrem, quia supra omnia amavit; super omnia bonum voluit: & quia amor Dei est infundens, & creans bonitatem in rebus: ut docet Divus Thomas art. 2. quæst. 20. *Cùm Matrem super omnia amaverit; omnem bonitatem creatam, quæ concipi ab intellectu creato potest, in illam infudit.*

Qua ratione unum præ alio magis diligatur.

Quo pacto Deus unum præ alio magis diligit.

Dupliciter bonum præ alio minus, magisve potest amari.

§. V.

An sapiens dixerit, hos affectus in Deo regnare.

QVod si dixerim hos affectus amoris violenti in Deo reperiri; an à vero aberrârim? si dixerim ergo infinitam sapientiam extra se rapi, & quasi insanire? Sic hostes Christianorum dixêre. Perlege Lector Prophetas, omnes hos affectus violenti amoris in Deo sine imperfectione depictos deprehendes. Amat Deus, & quam maximè amat; & quid amori huic potest addi? Audi Isaïam 44. cap. 1. quibus amoris nominibus compellet suam creaturam rebellem. Intende ad amorem. *Et nunc audi Iacob serve meus, & Israël quem elegi: hæc dicit Dominus, faciens, & formans ab utero auxiliator tuus: Noli timere serve meus Iacob, (& rectissimè) quem elegi.* Attende qualia incrementa sumat amor: cap. 42. 1 *Ecce servus, meus suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Ecce quasi pœnitens iræ, ut absentem amatoriè revocet. *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te*, versu 8. cap. 42. & cap. 44. v. 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Revertere ad me quia redemi te.* Nunc vide odium Isai. cap. 42. v. 14. ex zelo nimii amoris effervescens: *Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* Ozee 9. vers. 10. *Væ eis cùm recessero ab eis.* Ecce nunc tibi prodigium amoris ut absentem & perditum revocat Ozee 11. 2. *Et ego quasi nutricius Ephraim; portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curarem eos. Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester: loquimini ad cor Ierusalem; & advocate eum: quoniam completa est malitia ejus; dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu ejus duplicia pro omnibus peccatis suis.* Et Cant. 6. quater ingeminãs voces igniti amoris: *Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere; ut intueamur te.* Et Luc. 19. *Filius hominis venit quærere, & salvum facere quod perierat.* Et ecce quam formam induat iratus. Præsentem metuit, horret, & oculos subtrahit. Deus summè amans non fert conspectum amati. Jeremiæ 15. *Et dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses, & Samuël coram me; non est anima ad populum istum; ejice illos à facie mea, & egrediantur.* O Deus magne, cur sic horres præsentem, quem vocas Ozee 11. puerum tuum, & filium? *Quia puer Israël, & dilexi eum; & ex Ægypto vocavi Filium meum.* Amatores blandiloquis lenociniis orant amores suos, seu amatam. Audi Deum ô amor! ô bonitas dantem blandimenta, & elicientem amorem. Audi verba Cantic. cap. 5. ut poscat humili prece

prece ingressum, & sibi oratori locum dari. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni guttis noctium.* Et cap 2. *Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Adeóne Deus peccatrici adulatur; quæ clausit domum sui & intus adultero studet? Adeóne Deus ... ad admitti ad dicendam causam? orat deindè & sibi vocem dari, & aspectum. Audi Isaïam cap. 43. num. 4. ut captet benevolentiam: *Ex quo, inquit, honorabilis factus es, in oculis meis, & gloriosus: dilexi te, & dabo homines pro te: noli timere quia tecum sum.*

§. VI.

Certamen Gentilium circa definitionem amoris alludentium proferemus. Et an in Deo regnent amoris diversi affectus? Amor ænigma est.

PHavorinus ait esse affectum, qui animo insidet, & quidnam sit, ignoro. Teste Theophrasto, est irrationalis cujusdam cupiditatis excessus, qui velocem habet accessum, tardum autem recessum. Deinde idem interrogatus quid esset amor: respondit, animæ ociosæ affectus. Plutarchus ex variis, nonnullique alii prædicant esse mentem, alii cupiditatem, alii insaniam: sunt qui divinum quendam motum, quidam planè Deum faciunt. Quocirca rectè aliquibus visum est, à principio cupiditatem solùm esse: si verò excedat furorem, & similem ei agnatum. Quod si humilis sit, esse ægritudinem: prosperè verò actus, divinum quendam furorem parit. Quamobrem Poëtæ, pictores, statuarii, seu figuli facem gerere dixerunt: nam & ignis pars splendida, & suavissima est: urens verò molestissima. Habet amor quoddam illicium trahax, & floridum. Aliis Sphinx est amoris tessera qui etiam varietatem alarum illecebrosam habuit, ut quidem scribit:

Quare fax amoris datur.

Ad solis radios scilicet conversa, & aureus erat
Bestia color: adversus nubes autem
Cæruleus: quale jubar iridis relucet.

Sic amor habet quid gratiosum, nec inelegans, sed blandum & jucundum. Rapit autem hominum vitas, familiasque, nuptias, & Imperatores, non ænigmata proponens, sed ipsemet totus ænigma, difficile inventu, semper existens. Ut si quis hujusmodi ænigma componat: Quid sit, quod oderit simul & amet: fugiat & persequatur: minetur, & supplicet: irascatur, & misereatur: detineri velit, & nolit: eâdem re maximè tum gaudeat, tum tristetur? Hic sanè nodus ægrè

Amor stupendum ænigma.

A solvi, & conciliari potest. Verùm ænigmata Sphingis multa conficta habent; nam ex vero tripes, videlicet non est senex, si baculo innitatur, neque infans quadrupes, quia gressus molles, & infirmos manibus facit. At amantium affectus, veri sunt, amant, oderunt: eundem absentem desiderant, præsentem metuunt: adulantur, convitia dicunt: pro amato moriuntur, & occidunt: optant non amare, abstinere amore nolunt: oculant, & excæcant: docent, ac perdunt scientiam: imperare volunt, & servitutem tolerant. Hæc est causa, cur hi affectus maximè pro insaniâ reputentur.

Amoris contrarii effectus.

B

§. VII.

Convitia dat.

VÆ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum? Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Isa. 5. 20. & 24 num. 17. *Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.* Et Isa. 1. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum.*

C

§. VIII.

Optat non amare.

IErem. 23. vers. 33. *Si interrogârit te populus iste, vel Propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus: projiciam quippè vos, dicit Dominus. Si dixerint, quid locutus est Dominus? Et onus Domini ultrà non memorabitur; quia onus erit unicuique sermo suus: & pervertistis verba Dei viventis, & quia dixistis sermonem istum: Onus Domini: & misi ad vos, dicens: Nolite dicere: Onus Domini. Propterea ecce ego tollam vos portans, & derelinquam vos:* D *& Civitatem quam dedi vobis, & Patribus vestris à facie mea: & dabo vos in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.* Vide ibidem plura. Et Ozee 4. nu. 6. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego.* Vide ut amor tulerit onus intolerabile sibi, & tandem aliquando excusserit onus, quod jam quodammodò imponens Deus ferebat impositum, & cum disjecto onere, etiam animo suo ejecerit amorem.

§. IX.

Et ecce non amans abstinere amore non vult.

ADeò infixus hæret amor medullis, ut ejici radicitus nisi medullis evulsis non possit. Videns ergo populus se projectum; Isai 49. *Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* Ecce ut subitò ignis exstinctus, in corde Dei re vixerit. *Nunquid,* inquit Deus, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa fuerit oblita, ego tamen non obliviscar tui.* Isa. 54. B
Ad punctū in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In modico indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus. Vis videre adamantinis clavis fixum amorem? *Ecce,* inquit Isai 49. *in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Ecce ut facies amati, semper occurrat oculis; sic peccator amoribus divinis. Vult ergo oblivisci, & non vult. Vult perditos, & minimè perditos. Quidquid sit, amore abstinere nec vult, nec potest; quia ipse amor est: nec enim ignis desertor sui, si verus sit, esse potest.

§. X.

Imperare vult, & servitutem tolerare.

AN non ubique Deus, & Dominus universæ terræ promulgatur: Domini est terra, & plenitudo ejus. Psal. 23. ipse est Rex omnis terræ. Ego, inquit apud Isaiam 44. Dominus primus, & novissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? qui respicit terram, & facit eam tremere. Psal. 45. & Isa. 45. vers. 15. *Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego. Manus tetenderunt cælos, & omni militia* (tanquam Imperator) *mandavi.* D
Verè tantum in te est Deus, & non absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus: Rex omnium sæculorum, solus habens immortalitatem, id est, cujus magnitudinis non est finis: cui soli curvabitur omne genu: & tamen tantus cum sit, tolerat servitutem. Audi justam infiniti Monarchæ querelam Isai. 43. vers. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor! ô humilem amatorem infinitum Deum. Ecce sistit se judicio, & provocat Deus ad judicem. *Reduc me in memoriam, & judicemur simul: narra si quid*

A *habes, ut justificeris ibidem.* O qualem amorem! Ecce revocat iras.

§. XI.

Et pro amato moritur.

AN non pro omnibus Christus mortuus est? An non dedit seipsum pro me? An non suspensus in ligno? An non morte turpissimâ condemnatus? An non lignum missum in panem ejus?

§. XII.

Occidit amatos; moritur ut vivant.

DEuterom. 32. vers. 39. Ego occidam, & vivere faciam: percutiam, & sanabo eos. Juxta illud Isa. 43. *Angelus faciei ejus salvavit eos in dilectione suâ, & indulgentiâ suâ redemit eos, & portavit eos. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum sanctū ejus, & conversus est eis in inimicum, & debellavit:* & tamen in hoc apparuit Charitas Dei: non quasi nos dilexerimus illum, *sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum in propitiationem pro peccatis nostris.* Joannis
C Epist. 1. cap. 4. Audi Isa. cap. 44. *Formavi te, servus meus es tu Israel; ne obliviscaris mei; delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.* Quid aliud excogitare potest amor infinitus? dat se Deus infinitus in pretium infinitum; ut in præmium cedat pretium. Hostibus, qui viventi vitam abstulerunt, mortuus donat vitam mortuis; & ne æternum pereant, decrevit mori, & vitam proscriptam, morte suâ redimere: Deus tibi se; tu te Deo. Pensa maleficia novis obsequiis homo: pudeat non redamare Deum adeò amantem.

§. XIII.

Amor ænigma est.

AN non dixeris hæc omnia ænigmata? dixeris. An non dixeris ænigma supra omnem scientiam admirabile? Deum vi amoris hominem fieri? Deum ex amore & velle, & posse mori? An non summum ænigma, Deum ab amore genitum spiritu oris sui, & verbo hominis, per amorem, panem transubstantiari in hominem, verumque Deum converti? Aspice in picturato pegmate: amore amorem generari, & amorem Deum, amore multiplicari, nec tamen

men à seipso discedere: spectat amor Deus amore Deum, & totus seipsum in seipso videt, & digressus à seipso, non tamen digressus, idem tamen semper; numero grandior, non grandior substantiâ. Quanta potentia infiniti amoris! Redeamus ad propositam quæstionem. Quid sit amor divinus: Responderim me nescire, & hoc scire, esse impenetrabile ænigma: ænigma omnium admirabilium operum Dei; ænigma quod nullus creatus intellectus solvet. Filius Dei Patris, qui & Virginis Matris Filius, totus cum Matre, ænigma est; Mater, & cum Filio suo, qui amor Patris, & simul amor Matris, & Virgo, & fœcunda Mater tota, fœcundum ænigma est. Amor ergo ænigma est.

§. XIV.

Deus speculum veri amoris, ex nobilissimis qualitatibus perfectè amantis.

Diximus in Deo necessitate naturæ amoris æterni fontes infinitos manare, atque regnare: nec mirum esse, quòd se Deus amet; imò prodigium foret, si se non amaret. Hoc ipso enim quo Deus suam pulchritudinem & boni fontem, manantem contemplatur, statim infinitum consurgit amoris incendium, qui pulchritudini, & bonitati infinitæ commensuratus correspondet, & immediatè in pulchrum, & bonum sese reflectit. Intellectus quippè divinus, ubi menti divinæ objectum infiniti boni, pulchrique proposuit, accendit in voluntate amorem, qui amor proximè & essentialiter, reflectitur in bonum, & pulchrum; undè fit ut infinitè se amet ardore, & infinito æstu, & æstimatione, intensivè scilicet & appretiativè. Beatus est ergo Deus contemplatione suæ infinitæ bonitatis, & pulchritudinis; amore, quò se infinito gaudio, & voluptate undique circumfluâ delectat. Occupatur itaque totus infinitis suis bonis, & ea intelligendo, & amando. At quòd illud infinitum ens seipso beatissimum, ad creaturas voluerit radios suæ bonitatis, & pulchritudinis extendere, eisque quibus non indigeret, favores communicare, hoc est valdè mirabile. Ut autem summi entis, summus amor in creaturas cognoscatur, speculum veri amoris, Deum ipsum ex proprietatibus veri amantis proponemus, ut Lector in tantum, & sic immensè amatus, infinitam bonitatem immensis reciprocis amoribus, ex aliqua parte remuneretur, & debitum redimat justo servitutis tributo.

A

§. XV.

Prima proprietas.

Veri amatoris est semper amare, ita ut amor ortū sumpserit cum ipso amante, & utriusq; sit idē natalis dies; & quod primū spiramen vitæ, sit & amoris, ut sit quasi scaturigo aquæ, cum ipso fonte; radius cū ipso sole. Fœtui innascitur amor in matrē, etiamsi matrem non agnoscat. An non videmus agnellos vix natos arcano naturæ instinctu, etiamsi numerosis gregibus permixti, matrem sectari, secernere, eamque aliis prætermissis

B sequi. Talis est & innatus arboribus secretus amor; quæ dissociatæ exarescunt (Castaneę, occultâ naturæ vi mutuam præsentiam sentiunt & quasi dispares sexu, si junctæ fuerint, fœcundantur; adeò etiam arbores sentiunt vim amoris.) Qualis pariter, & iis innascitur secretus amor, qui singulari sympathiâ naturæ, seu elementi concordis dulci spiramine consentiunt, qui numquam à se invicem, testificante per nares fluxu sanguinis, vehementer exardescunt. Eandem vim sympathiæ duæ testudines, si artifice dextrâ ad numerum fuerint compositæ; tunc enim ad unius attactum respondet altera intacta, in jucundum gaudentis naturæ spectaculum.

C Stupendum naturæ appetitum Magneti impressum quis non admiratur, ut arcanis viribus dissitum à se ferrum quasi vinculis amoris ad se trahat? Quis non miretur ut ferri ramentis veluti fasciis amoris involutus inhorrescat, ferroque tamquam pabulo, se nutriat, pascatque? An non Claudianus testatur rem quasi prodigiosam, ut Veneris statua, Martis horridi ferream per longa spatia distantem, quasi foret alata, ad se pertraxerit, & connubia, spectante, mirantéque populo, celebrarit sacerdos? Audiamus Poëtam:

— Lapis cognomine Magnes
Decolor, obscurus, vilis, —
D *Qui, ex ferro meruit vitam, ferriq; rigore*
Vescitur. Has dulces epulas, has pabula novit
Mavors sanguineâ qui cuspide verberat urbes
Et Venus humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi
Effigies non una Deis; sed ferrea Martis
Forma nitet, Venerē Magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat, de more sacerdos;
Ducit flamma Choros, festa frondentia Myrto
Limina cinguntur, roseisq; cubilia surgunt
Floribus, & thalamos dotalis purpura velat.
Hic mirum consurgit opus Cytherea maritum
Spontè rapit —
Et tantum suspendit onus, galeaq; lacertos
Implicat, & viris totum complexibus ambit.
Ille lacessitus longo spiraminis actu
Arcanis trahitur gemmâ de conjuge nodis.

Pronuba

Pronuba fit natura Deis: ferrúmque maritat
Aura tenax, subitis sociantur numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? qua duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhela silex, & amica saucia sentit
Materiam, placidósque Chalybs cognoscit amores:
Et lapides suus ardor agit, ferrúmque tenetur
Illecebris, rigido regnant in pectore flammæ.

Tanta est vis, & potentia creato amori innata. At in Deo quanta erit, cui sicut innata est infinita bonitas, ita & infinitus amor, qui etsi voluntariè se diffundat in homines, quia placuit amare; voluit tamen hunc amorem esse tam æternum, & antiquum; quàm sit amor suus erga seipsum, ita ut nec prior, nec posterior sit ejus amor in creaturas, quàm in seipsum, ut se probet verum amatorem ab æterno in seipsum; ab æterno in creaturas sine ortu, & principio suus amor; uterque antiquitate par, utrique idem natalis dies. Talis appetitus Divinæ naturæ sese communicandi est naturaliter inditus; ut nos velut ferrum magnetico amore ad se pertraheret, & faceret Divinæ naturæ cõsortes, juxta illud Hieremiæ 21. *In charitate perpetua dilexi te.* & Ephesiorum 1. *Dilexit nos ante Constitutionem mundi.* Quasi diceret: Amavit aliquando futuros priusquam essemus, & amavit in se futuros tamquam præsentes: effectus quidem amoris in tempore fuit in radice, & in pectore æterni Dei ab æterno, cũ amore sui unus, idemque concretus, atque reconditus, juxta Augustinum lib. 12. de Civit. cap. 17. ubi docet Consilium Dei æternum fuisse de hisque futura erant, opus tamen novum. Et Cyrillum lib. 1. Thesauri cap. 5. *Creator*, inquit, *ab æterno, attamen in tempore apparuit.* Addo ego, amator ab æterno, effectus autem amoris in tempore. Pudeat te qui sic amatus, tam parum redames: an non ut redames, omnibus innatum est desiderium amandi, sicut & noscẽdi Deũ? impellit quippè Deus ab æterno semina amoris sui in te: Ps. 4. *Signatum est super nos lumẽ vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo*: notitiam scilicet Dei, ex qua lætitia consurgit amorosus affectus in Deum, an non velut in Patrem? Ebullientes aquæ, caput fontis, radius suum solem, agnelli suas Matres, puer risu matrem, ferrum insensibili amore Magnetem, ut amantem agnoscit, & tamquam ad suum principium accurrit. Omnibus his tu inferior, ferroque durior, ad caput tu fontis, vitæ tuæ solem, ad sinum parentis qui te genuit, cur non festinatò deproperas, ut redames tantum præamatus? Quare nos amat ab æterno, priusquã essemus? prior enim dilexit nos. alia caussa signari non potest, nisi quod tota Dei natura sit tota bonitas, atque ipsissima bonitas. Quemadmodum ea est natura olei, ut pinguedinem sui diffusivam deserere nequeat, nisi cum sui interitu, sic tam admirabilis, & incomprehensibilis est Divinæ bonitatis conditio, ut non possit non

A amare seipsum, nisi suo interitu, & ad creaturarum productionem æternis impulsibus, atque amatoriis actibus ad eas amãdas concitari. Ama ergò tantam Majestatem ab æterno amatus. Quid à mortali, fugitivoque creaturarum amore, cujus duratio instar momenti, qui vagus, & incertus, expectas felicitatis? junge amores tuos æterno amori, quò æternus evadas. Circulus est, ut dictum est in amore Divino, & se extendit ad te, descenditque, ut suo attactu accendens, convertat te, & trãsmutet in naturæ suæ bonum, pulchrumque, & sic bonus, & pulcher ejus bono, pulchroque efficiaris. Audi Virginis heroïcæ heroïca verba, ut plena Deo Agnes rapta ad mortem, sprevetit mortem, & ebria

B Dei amoribus, mortalis sponsi calcârit amores. *Discede*, inquit, *à me pabulum mortis: quia ab alio amatore præventa sum, posuit signum in faciem meam, ut nullum, præter eum, amatorem admittam.* agnosce vim amoris, *quem cùm amavero, casta sum: cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, Virgo sum: jam corpus ejus corpori meo sociatum est, & sanguis ejus ornavit genas meas: cujus Mater, Virgo est; & Pater feminam nescit: ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol, & luna mirantur.* Et ecce: nulla sic ad thalamum properavit nupta, ut illa ad supplicij locum, læta successu, gradu festina. Flere omnes, ipsa sine fletu. Habes hîc hostiam veri amoris, nil mortale gerentem, sed facibus Divini amoris ardentem, quibus cessêre flam-

C mæ quæ tenerum corpus urebant. Sic vincitur flamma meliore flammâ, & bonum nobiliore bono. Et quis sanæ mentis auro projecto, dederit palmam luto? Est quippè Deus oculis animæ, quod sol corporeis, juxta Gregorium Nazianz. in Natal. Domini Ὥσπερ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἥλιος, οὕτως τοῖς νοητοῖς ὁ θεός: *Sicut in rebus sensibilibus est sol, ita & in intelligibilibus Deus.* An non calor ex sole descendit ad ima terræ, quæ quidem per lucem priùs illustratur, quàm calorem concipiat? an non calore concepto induunt ea quæ leviotis sunt naturæ, genium, & indolem agiliorem, & sursum levantur exutâ gravitate quâ in visceribus terræ premebantur: hæc artificis naturæ in-

D dustria in auri, gemmarumque productione, dum fœces concretas perpurgat, & suæ dignitatis, & charitatis effundit originem: sic Deus æterna lux, æternus sol, luce Sapientiæ nos illustrat, cognitionem infiniti boni, & pulchritudinis infundit. Et quis gustato bono infinito? quis visâ pulchritudine æternâ, non concipiet flammas, & incendia amoris æterni? Glorientur nobiles se diligi à Principe: at quanto ambitu, quantisque periculis? & vix gratia conquisita, constanter perdurat. Hoc uno glorieris, si sapis: unum solum nosse, & unum pariter amasse.

§. XVI.

§. XVI.

Secunda proprietas veri amatoris.

PRimam qualitatem amoris sequitur altera non ignobilior; libertas scilicet, & delectus amandi, & nullo suo commodo obtectus. Qui enim & expectatione cõmodorum tactus, amat, & spe proventus concitatur, non verè, nec perfectissimè amat. Est enim similis elemento ignis, qui appositam materiam necessitate naturæ inardescens, inflammat, consumitq; : similis est & soli, qui lucet, producit, generat, variisque affectibus inclarescit, at nõ liberè. Quòd verò Deus non potest seipsum non amare, & necessitate absolutâ amet, nec hæc impotentia, sed sũma potentia; non enim potest nõ amari infinitum bonum, sicut non posse mori firmitatis, non infirmitatis est, cùm ipse sit vita: sed amare creaturas, quas quidem etsi necessariò cognoscat dum suam potentiam contemplatur, liberum est non amare, sicut & non creare, quia sine illis beatus est.

Amor Dei liberrimus.

Liberrimus ergo magni Dei amor; quæ libertas cùm absoluta sit, & omnibus numeris perfecta, tãto perfectior est amor quòd ex amore, libertatem suam Deus ab æterno ad producendam creaturam nullâ prorsus suâ utilitate determinarit. An non omnes Reges, & Principes ad amandum suos Duces utilitate trahuntur? An non videmus vulgare, & commune charitatis mutuæ fundamentum, esse propriam utilitatem? Rara amicitia, quæ non utilitate probatur.

Humanus amor habet fundamentum & caussam sui. Justiniani Imperatoris ingens amor en Belisariũ.

Justinianus Imperator forma felicis, & infelicis Principis, qui terris ostendit, quantum religio culta possit dilatandis imperiis, & quantum officiat neglecta: Hic, inquam, Belisario fortunatissimo Duci quos amores, & honores non impendit, ubi Africam Wãdalis centum annis subditam, & Jtaliam Gothis eripuit; & tunc multò magis dum Persicis victoriis potitus, Imperium illustravit? An non imaginem ejus ad pectus appensum cõtinuò ferè, & impensè, osculis dissuaviabatur? Nihil nec ore, nec oculis præter unum Belisarium præ se ferebat. Fundamentum tanti amoris, Imperii utilitas, & domestica accessio gloriæ.

Amor Dei nullum habet fundamẽtum nisi à seipso.

Eja nunc mirabilem Dei amorem perpende, qui non solùm, hominẽ, amore æterno, verùm etiam nullo suo commodo, proventuque dilexit. Quid enim speraret qui est omnia, in quo sunt omnia, ex quo sunt omnia, & per quem omnia subsistunt, qui omnia infinita in se continet, & quidem sublimiori modo perfectiùs, quàm res superiores in se continent res inferiores?

Omnes creaturæ sunt perfectiùs in Deo quàm in seipsis.

Perfectiùs enim sunt creaturæ in Deo, quàm in seipsis. Quod optimè docet Divus Dionysius cap. 5. de Divinis nominibus. Sicut argentum perfectius est in
A auro, quàm sit in seipso; ita & nummus inferior in superiore; & infimi Angeli in superioribus, usque ad Seraphinum.

Amor Dei, non Deo, sed nobis utilis.

Cùm ergò Deus amat, nobis amat, non sibi: in nostram redundat utilitatem: ut præclarè Jrenæus lib. 4. cap. 28. *Cùm Deus, inquit, fecit sibi amicum Abrahamum, non ob propriam utilitatem, sed ob utilitatem Abrahæ fecit: totus amicitiæ fructus in Abraham descendit. Superflua enim Deo,* ut dicit Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 6. *creaturarum productio, quantum ad Dei perfectionem pertinent.* Is enim erat Deus ante mundi fabricam, & sibi sufficiens, quam ea condita. Nihil illi accessit felicitatis, vel utilitatis. Destruatur eadem, & intereat, & in suum nihil revoluatur; nihil infinitæ Majestati discedit.

Cur Deus omnia creavit in tempore.

An non ideò
B in tempore creavit omnia, & non ab æterno, ut idipsum manifestaret? Quomodo enim egeret guttâ aquæ, Pelagus infinitæ essentiæ? eminentius in se possidet omnia, quàm si creaturæ condantur. Hoc ipsum Augustin. lib. de Civit. 12. cap. 17. in tẽpore creaturas Deum creasse, ut declaret se eis non indiguisse, sed sine eis ab æterno beatum, perfectumque extitisse. Quare optimè Divus Vates Psal. 15. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Poterit ergo non creare, qui liberè creavit, qui non creando, sicut creando erat beatissimus.

C

§. XVII.

Tertia proprietas perfecti amoris.

SIcut commune, & ordinariè amoris humani fundamentum est speratæ utilitatis consideratio, ita præter utilitatis spem, si ea seponatur, necesse est ad amoris generationem, ejusque ortum præcedere semen, caussam, rationemque futuri amoris: nemo enim sine caussa amat.

Omnis amor præsupponit caussam sui amoris.

Omnis amor humanus vel invenit, vel saltem fingit in aliquo aliquod bonum, pulchrumque, cujus impulsu, atque
D illecebris inescatus ad amandum, per arcanas vires pertrahatur. Omnis quippè amor nascitur ex bono, pulchroque, tamquam fœcundâ matre dilectus filius, non aliter quàm flos ex radice calore blandiente dulciter evocatus.

Amor Dei nulla prævia caussa nascitur ex homine amato.

Hoc differt Divinus amor ab humano, quòd hic præsupponat caussam amandi, cujus gratiâ quempiam diligimus; at ille ex ipso Deo tamquam summo bono, quo hominem amat, nullâ præcurrente caussâ amandi, nascitur. Qui cùm efficax sit, & fœcundus, generat in homine pulchritudinem amabilem, quâ Deus ad amandum provocatur. Ipsius ergo amor nos bonos, pulchrosque facit, quo amore beati sumus. Queadmodũ enim omnia quæ sunt, & quæ bona sũt, & quæ pulchra sunt

sunt, amavit Deus amore naturali, non quia in illis materia alicujus boni, vel pulchri præcessit, quod amaret, sed quia amavit, fecit ut pulchra bonaque essent. Amor ergo causam productionis dedit, ut essent, quæ non erant. Sic Deus diligit hominem, eo amore quo seipsum, & eo quidem tanto, quantus ipse est supernaturalis; non quòd ratio diligendi sit in homine fundata, sed in ipso amore Dei, qui in homine creavit bonum, quo dignus fieri posset amore Dei. Quod ipsum Dionysius de divinis nominibus cap. 4. paucis perstringit. *Ipse enim amor divinus, qui bonitatem in ipsis quæ sunt, operatur, quia priùs extitit in bono superlatè, non finit ipsum in se sine fœtu permanere; sed potiùs movit eum ad operandum secundùm excellentiam virtutis suæ, omnium rerum effectricis. Quæcumque enim sunt, & fiunt propter pulchrum, & bonum sunt & fiunt.*

Ratio dilectionis divinæ non est in homine.

Amor Dei in se est productivus rerum.

§. XVIII.

Quarta proprietas, quòd amor divinus sit exstaticus sive exstasis generator.

Amor humanus exstaticus, est simulacrũ divini.

VUlgus terræ affixum, cùm res divinas minimè cogitatione percipiat, vim hujus qualitatis non assequitur, sed ad corporeas amoris carnalis formas, & figuras revoluitur, qui nomen solum habet amoris; tamen nec verus amor est, sed magis simulacrum, vel prolapsio à vero amore: sicut enim ars fucandi faciem, dum fuco coloris pulchritudinem mentitur, vera ars pictoria nominari non meretur, sed simulacrum, vel umbra artis generosę; sic & amor corporeus, simulacrum est amoris divini, cùm animum accendat, rapitque ad objectum indignum vero amore, instabile, fugitivum; qui non amor, sed potiùs lapsus amoris vocari debet. Divinus amor proprius est animæ; ille autem alienus, & extraneus. An non naturaliter omnibus est insitus appetitus boni? An non ad favorem ejus incalescimus? An non ideò, quia insitus est per gratiam ejusmodi calor, motusque? Nunc verò quia per concupiscentiam mens à vero judicio aberrat illusa, & quod secundùm naturam odio habendum est, existimat desiderandum esse, & tamquam quid permanens, quod transitorium est, amplectitur, & tamquam stabile, quod fugacissimum amat, diligitque; tamen cùm amor corporeus, qui in parte concupiscibili regnat, suo genere sit exstaticus, & simulacrum quoddam videtur esse divini amoris, & ab eo lapsus ex impassibili in passibilem; ex divino & incorporeo in corporeũ; ex immateriali in materialem; ut per corporeum amorem ad divinũ, & per materialem ad immaterialem, qui terrenis affectibus plurimum adhærescimus, transcendamus; effectibus amoris carnalis, divini, & extatici amoris effectus, per mutuam oppositionem metiemur. Nomen amoris extatici tribuimus vehementer, & ardenter amantibus; tribuimus & Deo ardenter amanti: sicut David vehementiam flagrantissimi amoris in Jonatham, dum conatur exprimere, nihil occurrit melius cui compararet, quàm vehemens amor connubialis, qui conjuges in unũ copulat, unumque efficit: *Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum.* Quasi diceret, inquit, 2. Reg. 1. Cecedit dilectio tua in me, sicut dilectio mulierum. Verba sunt Davidis deplorantis mortem Jonathæ. *Quàm stulti qui reprehendunt*, inquit Theodoretus, *cùm David vehementiam sui amoris, vehementia conjugum castè sese amantium explorata, voluit declarare.* Non est ergo quod quispiam reprehendat, dum corporei amoris simulacrum, ejusqua potentiam proponimus; vt inde ad veri amoris extatici cognitionem mens transferatur. Insani hujus vires, imò tyrannidem describit Seneca in Hippolyto:

Corporeus amor divinum explicat per effectus.

Amor Davidis in Ionatham exstaticus.

Spes nulla, tantum posse leniri malum,
Finisq; flammis nullus insanis erit.
Torretur æstu tanto, & inclusus quoque
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Erupit oculis ignis, & lassa genæ
Lucem recusant; nil idem dubiè placet,
Artusq; variè jactat invitus dolor:
Nunc ut soluto rapitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput;
Nunc se quieti reddit, & somni immemor
Noctem querelis ducit. Attolli jubet
Iterúmque poni corpus, & solvi comas,
Rursusque fingi semper impatiens sui
Mutatur habitus, nulla jam Cereris subit
Cura, aut salutis: vadit incerto pede
Iam viribus defecta, non idem vigor,
Non ora tingens, nitida purpureus rubor
Populatur artus cura jam gressus tremunt
Tenérque nitidi corporis constetit decor:
Oculi nihil gentile, nec Patrium micant.
Lachryma cadunt per ora.

Tyrannis amoris exstatici humani.

Vide exstaticum amorem in mente vitiatum, ut novercæ nomen ponat, maritati amoris oblita, abjiciat quidquid honesti est: *Me*, inquit, *vel sororem Hippolyte, vel famulam voca; si famula potius omne servitium feram.* Quis credat in novercam tantum posse cadere scelus?

Ejusdem amoris intolerabilem tyrannidem pingit Virgilius lib. 4. ubi Didonem flammis æstuantem tamquam captivam sibique ereptam oculis subjicit:

Vritur infelix Dido, totâq; vagatur
Vrbe furens: qualis conjectâ cerva sagittâ
Quam procul incautã nemore inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitq; volatile telum
Nescius: illa fuga silvas, saltúsq; peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.

§. XIX.

§. XIX.

Intuere animæ ebriæ amore.

INcipit effari, mediáque in voce resistit:
Nunc eadem labente die convivia quærit
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendétque iterum narrantis ab ore.
Postquam ibi digressi, luménque obscura vicissim,
Luna premit; suadéntq; cadentia sidera somnum
Sola domo mæret vacua, stratisque relictis
Incubat, illum absens absentem auditque, videtque.

Verè dictũ est, animum magis esse ubi amat, quã ubi animat. Quare & sine sensu dicuntur vivere amantes; quia vivunt, & animantur alieno spiritu. Hinc Propertius non minus eleganter quam verè:

Amantes vivunt alieno spiritu.

Quicumque ille fuit puerum qui finxit amorem
Nónne putas miras hunc habuisse manus?
Idem non frustrà ventosas addidit alas:
Fecit & humano corde volare Deum.
Et merito hamatis manus est armata sagittis
Et pharetra ex humero Gnossia utroq; jacet
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes
Et levibus curis magna perire bona.
Ante ferit quoniam tuti quem cernimus hostem
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis jmago:
Et certè pennas perdidit ille suas;
Evolat è nostro quoniam de pectore nusquam
Assiduúsque meo sanguine bella gerit.

Perspexit & Ovidius vim amoris exstatici, qui ut dominatũ amoris incredibili schemate, vel exemplo vivaciùs explicaret; finxit Deos sagittis amoris subactos, varias formas induisse; Jovem in olorem niveum mutatum; deinde in imbrem aureum, variasque alias formas pudendas, positâ scilicet Divinitatis Majestate. Hoc est quod Seneca præludit in Hippolyto:

Hic volucer omni regnat in terrâ potens
Ipsúmque flammis torret indomitis Iovem,
Gradivus istas belliger sensit faces
Opifex trisulci fulminis sensit Deus:
Et qui furentes semper Ætnæis jugis
Versat caminos, igne tam parvo calet
Ipsúmque Phœbum tela qui nervo regit,
Figit sagitta certior missa puer,
Volitátque cœlo, pariter & terra gravis.

Audisti figmenta Poëtarum indigna Deo, Deique Majestate, quæ & ipsi ut scelesta sunt detestati: sic enim Seneca canit in Hippolyto

Deum esse amorem
Turpiter vitio favens
Finxit libido, quoque liberior foret
Titulum furori Numinis falsi addidit.
Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit; ille per cælum volans
Proterva tenerâ tela molitur manu,
Regnúmque tantum minimus in superos habet;
Vana ista demens animus adscivit sibi
Venerisque Numen finxit, atque arcus Dei.

A Non credit sapiens gẽtilitas, Deos amoribus tãgi humanis: & sanè quis crederet Divinũ, arcanumque Numen amore creaturæ posse sauciari & torreri, qui seipso, & sui ipsius amore beatissimus ab omnibus prædicatur? Et sanè quorsum, & quo fine amaret aliquid extra se, qui Aristotelis sententia sui contemplatione beatus est? at Deus Magnus, cujus judicia inscrutabilia, & cujus natura tota bonitas, ut amari voluit, sic & amare. Quis credet Deum præ amore crucifixum? quis mortuum? Hinc illæ Pauli voces: *Prædicamus crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus ludibrium.* Et sanè nisi fides astrueret, intellectus reclamaret. Præluserunt ergo Poëtæ summæ veritatis nescii, Deum in aliam figuram mutatum, & metamorphosim quamdam introduxisse.

Quis credet ejusmodi esse Dei amorem.

B His sic positis, aggrediamur exstaticum Divinæ Majestatis amorem. Perspeximus in Senecâ vehementiam amoris exstatici, ut leniri non possit, ut flammis insanis similis, ut torreatur amans æstu tacito, ut furenti similis circumagat oculos, ut nihil placeat, præter amatum, ut vi amoris variè se jactet, ut subitò moriens labatur gradu. Singula perlege ex Senecâ, ut amans defectis viribus proximè intereat, & tota non sit sua, sed solum amoris spolium. Virgilius autẽ quàm regiè Reginam stimulis amoris furentem describat. Lector videat, ut comparat cervæ sagittâ cõfixæ, ut sermones abrumpat, ut impotens sui ad singula hæreat, ut tota in Æneam feratur, ut absens absentem quærat. Deinde quàm pulchrè

C Propertius, qui dicit *sine sensu vivere amantes,* & super omnia humano corde volare Deum: venustè, & acutè, & verè, sicut & docet Ovidius 2. de Ponto:

Ante meos oculos præsto est tua semper jmago,
Et videor oculos mente videre tuos.

An non de summo nostro Deo, cum infinito stupore hæc sunt differenda? An non omnia, & singula conveniunt Christo Deo? Vitam Christi perlege, omnes & singulos actus decurre; singulos exstatici amoris contemplaberis affectus. Amor amantem extra se rapit, & transfert in amatum: amor Deum extra se rapuit, & transtulit in nos amaros. Amor amantem sui immemorem fecit. Amor Dei Deum sui immemorẽ fecit: amor totum

D amantem occupat amoribus amati: amor Divinus totum Deum occupat amore nostri; juxta Augustinum in soliloquiis cap. 7. *Si fas est dicere, nihil aliud agis Deus, nisi ut saluti meæ provideas, & cum ita totum ad meam salutem occupatum video, quasi omnium sit oblitus, & mihi soli vacare velit.* Audiamus vim exstatici amoris Dionys. c. 4. de Divinis nominibus: *Est præterea Divinus amor exstaticus, qui non sinit suos, esse sui juris qui sunt amatores, sed in ea quæ amãt penitus transfert.* Unde Divinus Paulus, Divino isto amore captus, & virtutis exstatici particeps factus, Divino ore ait: ad Galat. 2. v. 20. *Ζῶ οὐκ ἔτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus:* tamquã verus

amator,

amator, qui excessit è se, Deo; & jam non vitam suam, sed amati, tamquam vehementer dilectâ vivens. Pauli exstasim audivimus: nũc Dei legamus. Audendũ est hoc etiam pro veritate dicere, quod ipsemet omnium auctor pulchro, & bono omniũ amore propter excellentiam summam amatoriæ bonitatis extra se, per providentias omnium rerum existat, & bonitate, atque dilectione, & amore veluti delinitur, & oblectetur: & cùm sit supra omnia, & ex omnibus exẽptus, ad omnia demittitur secundùm potestatem supra substantialem, qua extra se nõ egrediendo exit. An non obstupuit tota posteritas, Herculem mõstrorum domitorem amore vilissimę mulierculæ prostratum, perdomitũque; pro clavâ ferratâ fila ducere, interritum monstris ad flagellum mulierculæ terreri, & cervicem, humerosque infractos, quos cœlo supposuerat, ad Dominæ nutum flecti, reflectique? Totus orbis stupescit Samsonem invictissimum heroëm ad unius Dalilæ imperiũ stare, vivere, suspirare, procumbere, & sui obliũ, ad vincula, funes, colligationes (ô infandũ amorem!) sese submittere. Hęc cùm legimus, indignamur, & attoniti stamus. Parva sunt hæc omnia amoris diliramenta, at in Deo infinities major exstaticus amor fuit: præ vehementia enim amoris omnes. (Ps 17.) *Cœlos inclinavit, & descendit*, & præ amore maximus, factus est omniũ minimus: puellæ gremio portatur, qui cœlo nõ tenetur: Dominator ęternitatis, nascitur puer: magnus ille Πᾶν ad ubera Virginis admotus, lactatur, ubera nectare cœlesti plena fugit. Parum hoc est. An non omni exstatico amore major infinitam sapiẽtiam præ amore videri furere? Phædram, & Didonem furentẽ legimus. Christum Deum præ amore furentem credidêre discipuli, Marci 3. *Venit ad domũ*, inquit, *& convenit iterũ turba, ita ut non possent neque panem manducare. Et cùm audivissent sui, exierunt tenere eũ; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Ignari verũ dixerunt; cœlestis enim furor erat præ amoris accẽsi vehemẽtia. Subtiliter ergo Dionysius de Divinis nominibus c. 4. dicit, amorem Divinum esse vim motricẽ. Et sanè vis infiniti amoris intercedere debuit, quæ Deũ movit, ut ad creaturas descenderet, & suâ retentâ, alienâ formâ assumeret, & scribi posset liber Metamorphosis, de quo in capite libri scriptũ fuerat. Et quia Deus vi, & amoris potentiâ invisibilem se visibilẽ exhibuit, dicit idem Dionysius ibidem, amorem esse manifestationem Dei per seipsum, dum Deus factus est homo, & Divinitas juncta corporeæ humanitati. Benè Scriptura de hac manifestatione loquitur, dum ait: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*, dũ scilicet per amorem egreditur seipsum; apud se manens tamen, & cum hominibus cõversatus est. Verùm admirabilis egressus, & stupẽdus. Quare & illam vim motricẽ idem Dionysius vocat ἐρωτικὴν κίνησιν *amatoriã motionem*, quâ Deus quodammodo movetur, ut extra se feratur in

Deus amatoriè amat.

Extra se fertur.

Hercules victus amore.

Magnus Deus præ amore minimus.

Christus furenti similis.

Amor Dei manifestatio.

Michææ 5. vers. 2.

A creaturas, & quatenus auctor omnis boni, pulchrique ad nos descendit, dicitur moveri ut nobiscũ sit, & in nobis delicietur. Miraberis cur Theologi vocent Deum amorẽ, & dilectionem, quandoque verò amabilem, & dilectum cùm videatur concors, sensus. Attẽde benigne Lector: amorem & dilectionem vocant, quia illius quidem (scilicet amoris, & dilectionis) auctor, & tamquam productor, ac generator est: hoc autem quo amabilis, & dilectus ipse est; ille quidẽ amore, & dilectione movetur. Hoc autem quo est amabilis & dilectus, movet, quia seipso adducit, & sibi adducit, & movet. Dilectus ergo, & amabilis, quia pulcher, & bonus, amor verò, & dilectio, tamquam vis motrix, & sursum trahẽs ad se,

B qui solus est ipse per se pulchrum, & bonum. Quis credidit auditui; Deũ præ amatoria sua bonitate ferri extra se, & Deum animari quodammodo in creatura, quam vehemẽtissimè amat, ad amoris ardẽtis sui refrigerationem, solatiumque? Videtur præ vehemẽtia amoris seipsũ exuisse, ut nos captivos se vestitos, servitute, & carcere scelerum vindice liberaret. Mirantur omnes Sanctiæ Hispanæ (quæ soror Therasiæ Reginæ Legionẽsis,) affectum, erga Ferdinãdum Castellæ Comitem, cui infensa Therasia ob Patris sui mortẽ quam ulcisci femineâ fraude parabat. Conventus regni indicitur. Comes ut intersit comitiis publicis, vocatur. Captus ergo dolo, arctæ custodiæ datur. Quid aget Sãctia, quo suos sibi

C vendicet amores? quid molietur ingeniosus amor, ut amato subveniat? Placuit simulare se voti ad Divi Jacobi limina ream, multis fatigat sororem, ut mariti unâ nocte copiã faciat. Quis negarit noctis unius gratiã? Consilium domo allatũ in carcere perficit. Mutatur habitus, Sanctia maritum mentitur, & ille suam Sãctiam. Quis animorum sensus? qui speciosi doli? Dubiâ luce pro Sanctia Ferdinandus emittitur, & dispositis equis usus, evasit. Quid non cogit amor? Sanctia læta fructu suæ piæ fraudis, a carcere clausa, marito salvo, canit pæana. Tãdem judicio fraudis facto Rex ambiguus animi, num sæviendũ, aut simulandus dolor. Tandẽ in corde lacero vicit pietas, tollitque laudibus robustam feminæ caritatem,

D & honesto comitatu ad maritũ remisit. Magnus amor Sanctiæ in maritum. At major, riorque Eponinæ Vespasiani ævo, quo rebellio in Gallia fuit, Dux Partiũ Julius Sabinus. Victus ergo ad supplicium quærebatur. Is in speluncã sparsâ famâ mortis per venenũ quæsitæ, refugit. Uxor ignara consilii quasi mortuum, certa mori, & cibi per triduum expers lugebat. Liberti duo fidi Domino indicant, & ille conjugis amans, amanti subvenit. Et illa ut didicit suum Sabinũ vivere, speluncã subiit, & fidem, & silentium per totos novem annos coluit, & sola caritate obstetricante filios marito dedit: quæ tãdem jussu Vespasiani, facto evulgato, cũ marito operiit, cũ quo tot annos jam antè fuerat sepulta. Finge amores omniũ aman-

Deus se exuit dum amat.

Exemplum in genere amoris.

Simile aliud, & stuporeplenam.

amantium: præ Christi amoribus frigidi sunt omnes omnium ignes, sunt exstincti cineres. Jacob pro sua Rachele servivit septem annis. Et Deus triginta tribus amplius annis servituti lachrymabili servivit. In Consociatione de humilitate magni Numinis, spectare licet amoris magnitudinem, qui illam exuit, ut nos viles suâ magnitudine vestiret. Liceat hic exemplis uti. An non Christus inclusit se carceri nostræ humanitatis; ut nos carcere servitutis diabolicæ liberaret? Magnum hoc est. An non majus, quod præ vehementia amoris, sub qualitatibus panis, & vini quasi carcere clausus, contectus vilibus speciebus, & velut exutus gloriâ suæ Majestatis usque ad mũdi finem sit nobiscum mansurus? Vita, mores, labores, tolerantia, abjectio sui, passio tota cum morte quid aliud sunt quàm exstasis amoris & violenti effectus?

§. XX.

De effectu amoris exstatici, quem in nobis producit.

OMne animal generat sibi simile. Omnis arbor trahit naturâ sui soli, & qualitates imprimunt, ingenerantq; effectus suæ naturæ. Sic amor Divinus exstaticus hominem à seipso dimovet; & in Deum penitus transfert, ut non homo, sed homo Divinus; ut ferrum ignitum, non ferrũ, sed ignis esse videatur. Hoc docet D. Dionysius c. 4. de Divinis nominibus. *Divinus amor exstaticus non sinit esse suos, eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant.* Unde Divinus Paulus isto amore captus, & virtutis exstaticæ particeps factus, Divino ore ait, ut suprà dictum: *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus*; tamquam verus amator, & qui excessit à se, Deo unitus; & jam non vitam suam, sed amati tamquam vehementer dilectam vivens. Non sinit ergo verus amor hominem esse sui juris; sed penitus transfert in amatum. Unde Paulus mẽtis excessum patiens, vivebat, sed non sibi; verum Christo, cui soli vivebat, qui in ipso vivebat: *Vita, inquit, nostra abscondita est cum Christo,* Coloss. 3. v. 2. in Deo. Christus ignis, & ego ignis, & ignitus ab illo: unde & charitas Christi urget me, continuis stimulis fodit; & per omnes terrarum sinus præcipitem agit, ut Christum crucifixum prædicem, cum quo sum crucifixus. Spectasti in Paulo exstaticum amorem: contemplare in Jgnatio Martyre non minus ardentem, imò flãmas, & incendia amoris vomentem. Audi ut clamet: *Amor meus crucifixus est.* An non instar leonis in medio rugientium leonum spirat, & exspirat ignes? Vtinam, inquit, fruar bestiis, quæ, mihi sunt paratæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia: cumque rugientes audiret leones, ardore patiendi ait: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Sic amantem nec crux, nec ignis, nec corporis contritio, nec omnia tormenta diaboli à Christo separabunt, modo Christo frui possit.

Vis amoris exstatici.

Dimovet de statu suo amantes.

Incorporat hominem Deo.

Paulus exstaticus.

Sic & Ignatius.

§. XXI.

Amoris exstatici, & humani speciem contemplare ex quo disce vim Divini.

LAodamia Acasti filia tanto desiderio Protesilai sponsi sui, qui primus Græcorum à Trojanis in litore fuit occisus, flagravit, ut imaginem illius pictam suaviaretur, & amplecteretur, & in ejus amplexu contabesceret; ac tandem tabidam, atriles æstus impatiens ferendo, in lenimentum amoris dicitur incubuisse crudeli ferro: *Ferrum unica medela stultè amantium*: multò potentiorem amorem exstaticum depingit Richardus de sancto Victore; divinum audi illum in gradibus violentæ charitatis, in gradu quarto. Qui sic amat, quidquid agat quidquid sibi fiat desiderium ardentis animæ non satiat: sitit & bibit, bibendo tamen ignem non exstinguit, sed quò amplius bibit, eò amplius sitit. Hoc est ille gradus qui defectum adducit, qui de remedio desperare facit, & sic desperatus æger, qui quasi præmortuis membris jacet, jam ulteriùs quod agat, vel ab alio expectare debeat nõ habet: ultimũ jam trahit spiritum, & quid circa se agatur, vel quid sibi fiat nec attendit nec advertit. In hoc gradu verum est illud: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Hoc amore saucia clamabat sponsa in Canticis cap. 2. *quia amore langueo, &* qua deficiebat anima clamabat, *fulcite me floribus, stipate me malis.* Nihil aliud clamat quàm *dilectus meus mihi & ego illi*: cetera omnia fastidit, aspernatur, conculcatque, & instar Pauli ad Philipp. 3. arbitratur ut stercora. Optimè ergo Theodoretus in Historia religiosor. sect. 31. orat. de charit. ostendit Sanctos Patres, vi hujusmodi charitatis vulneratos omnia perdomuisse, tolerasseque. Audi illum: Amor in Deum, inquit, effecit, ut naturæ terminos transilirent, & supernâ flãmâ accensi, libenter ferrent impetum frigoris, & qui à superis descendit, rore flammâ radiorum mitigans, qui eos alit, & rigat, & amicit, & dat pennas & edocet volare, & efficit ut cœlum transcendant, & eum qui amatur, quoad fieri potest, ostendit, & visione contemplationis incendit desiderium, & excitat amatorium, & flamma accendit ardentiorem. Hanc flammã sensit August. cùm clamaret: *Sagittaveras me Domine charitate tuâ. Amo te Domine, dabis amem amplius.* At ex illo amore nascitur alius effectus, quem describit idem Dionysius cap. 4. *Hanc ob caussam, inquit, periti rerũ Divinarum zelotem vocant amorem, quod magno & benigno rerum amore teneatur, easque ad ipsius amatorij desiderij zelũ provocet,*

Deus præ amore zelosus.

vocet, atq; adeò ſemetipſum quodãmodo zelotẽ præſtat, ut cui res deſiderabiles ſint, zelo dignæ, & ut qui rerũ quibus providet zelo, afficiatur; quod eſt propriũ veri amici: ut docet Divus Thomas primâ ſecundæ qu. 38. art. 4. *Amor amicitiæ*, inquit, *quærit bonum amici*. Unde quando intenſus eſt, facit hominem moveri contra illud quod repugnat bono amici, & ſecundùm hoc dicitur zelare pro amico, quando ſi qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere ſtudet. Unde & Deus verus Zelotypus noſtræ ſanctitatis; nec patienter tolerat minimos nævos peccatorum, ſed eos tentationibus, & flagellis perſequitur; ut vitiatam pulchritudinẽ repurget. Omnis nævus amanti, in amato gravis. Hoc docet ſanctus Theodorus ſerm. 11. cùm ſcribit: *Ambitioſus eſt vel maximè Chriſtus animi à vitijs purgati: nullâque re tantoperè delectatur, ac mente à vitiis purâ*. Habet enim, ut ait Chryſoſtomus homil. 60. in Geneſim, *Dominum univerſi inhabitantem*, qui vehementer zelat noſtrã perfectionem; quæ parvis rebus retardatur, ut levis arena objecta maris impetus. Quare fortiter agit ut ſibi ſimiles efficiamur: ut Sanctus Petrus Epiſt. 2. 2. docet, conſortes ſcilicet divinæ naturæ. Quò altius igitur in virtutibus progredimur, de ipſo Deo magis participamus. Hos proficientes, & Dionyſius c. 1. de divinis nominibus vocat *Deiformes*. Et Nazianzenus orat. 1. in Julianũ, *Deificantes ſe*. Anaſtaſius Synaita Patriarcha Antiochenus *eoſdem fieri quodammodo chriſtos, in divinitate ſimul & humanitate*. Cùm Moyſes eſſet in itinere, in diverſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum: tulit ilicò Sephora petram acutiſſimam, & circumcidit præputium filii ſui; tetigitque pedes ejus, & dixit ei: *Sponſus ſanguinis mihi es*. Cur intentatur mors tanto Principi futuro, & patratori miraculorum? An non ob neglectam filiorum circumciſionem? Sanguis ergo fuſus per circumciſionem Moyſi vitam dedit. Nõ fert Deus ſtatum animæ nævis vitiatæ. Amputata & circumciſa omni inanitate, errore, & pravis affectibus, anima tanto Deo & amatori donanda. Oculi ejus non poſſunt ferre iniquitatem.

Deus ſuos caſtigat ut purget.

Ambitioſus pulchritudinis.

Proficientes in amore Deiformes.

§. XXII.

Quinta proprietas veri amoris, Vis unitiva.

QUinta proprietas eſt, quod in amore ſit vis unitiva. Hæc proprietas eſt, quodãmodo finis, & ſcopus, in quẽ ceteræ proprietates dictę cõtendunt, atq; collimant. Et ſicut victoria, eſt ſuſceptę militię, laborum, & vulnerũ finis: ita finis ſupremus veri amoris, eſt unio amantium. Ceteræ enim proprietates amoris quævis ſint admirabiles; illę tamẽ ſunt quædã velut ſemina, ex quibus unio amantiũ

Finis & ſcopus amoris.

A velut ſuaviſſimus fructus naſcitur, & procreatur. An nõ exſtaticus amor eſt, ut amantẽ à ſe digreſſum, in amatum transferat per vim unitivam amoris; illumque ſibi devinciat, & uniat; ut ex duobus ſine ſui divortio in unum coaleſcant: ita ut uterque, amans, & amatus dicere poſſit: Alter ergo: & conſtans unione duorũ dilectiſſima μονάς, & unitas? Hoc dicit Dionyſius l. 4 de divinis nominibus: *Amor eſt virtus unionem faciens*. Unde & Auguſt. l. 8. de Trinit. c. 10. dicit quòd *amor ſit junctura quadam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens*; amantem ſcilicet & amatum: ut ſuprà dictũ locũ Dionyſii pulchrè explicat Divus Thom. 1. 2. q. 17. art. 2. vel effectivè: ut amor concupiſcentiæ movens ad deſiderandã, vel amãdam præſentiam ſui amati, quaſi ſibi convenientis, vel ad ſe pertinentis. B Eo amore tactus clamabat Auguſt. l. 1 confeſſ. c. 5. *Quis mihi dabit, venias in cor meũ, & inebries illud, ut obliviſcar mala mea, & unum bonum amplectar te? Noli abſcondere faciẽ tuã: moriárne? moriar ut vivã*. Eſto dictũ fuerit Exod. 33. v. 20. *Nõ me videbit homo, & vivet*; dulcis, & optabilis mors, qua datur tã amabilis vita. Vel formaliter; ut amor amicitię, qui eſt talis unio, & nexus quo amãs optat uniri ſuo amato, cervi inſtar anhelantis ad fontes aquarum; juxta illud Davidici Pſal. 41. *Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarũ; ita deſiderat anima mea ad te Deus*. Vivit ergo Deus amãs in amato homine. Et infrà: Ita ut unus Spiritus, una vita, unus ſenſus, una anima eſſe videatur; ita ut prorſus à ſe deficiens, in C Deum tranſeat homo, & à ſeipſo digrediens, flãmis divinitatis colliqueſcat: nihil aliud cogitans, intelligens, ſentiens pręter Deũ inſtar guttæ aquæ, quæ in oceanum vini infuſa, nihil ſui retinens, in oceani naturã tranſire videtur. Hoc eſt quod docet Divus Thomas, dum quinque proprietates amoris deſcribit ex Dionyſio de divinis nominibus c. 4. dicitque tertiam amoris proprietatẽ eſſe, quòd is, qui amorem, & charitatem habet, in alium tendat, erga quem habet amorem: contrà ac facit cognitio per intellectũ, quæ rem agnitam trahit ad cognoſcendã, & in ſe transformat: amor verò trahit amantẽ extra ſe ad eũ quẽ amat. An non ſic amor traxit Deum ad hominẽ, ut de ſe ita ſtrictè naturã ſuã homi- D ni cõjungat, uniatq; non ſolũ affectu, & curã, ſed etiã effectu, & ſubſtantiã; ut idẽ Deus, verus homo ſit, & dicatur, & cõtrà homo Deus? Sic per amorẽ homo ita in Deũ transfertur, unus ut ſpiritus cũ Deo efficiatur; juxta Chriſti orationem Joan. 17. *Rogo Pater ut unũ ſint, ſicuti nos unũ ſumus*. A ſeipſo ergo deficiet homo per amorem; & quodammodò ſummo Deo incorporatus, vivet; juxta illud Thren. 4. nu. 20. *In umbra tua vivemus*. Et de Spiritu illius vivemus, & ſic viventes ſpiritu Dei, omne bonum dilecto optabimus, procurabimuſq; ardentiùs, quàm nobis ipſis; quia unũ ſumus cũ dilecto Deo; juxta illud Ignatii ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *Amor meus crucifixus eſt*. Quaſi diceret:

Amantes unum ſunt.

Qua ratione fiat unio.

Amor concupiſcentiæ.

Amor amicitiæ.

Alia operatio intellectus, alia voluntatis.

Amor Deũ trãsformat

Homo per amorem fit Deus.

ceret: vivo in amore Dei exstatico; & ego exstaticus cũ amore meo vivo in illo, qui amor coalescẽs est crucifixus; & sic duo crucifixi in amore crucifixo: Integer enim amor Dei, quocũque se vertit, familiarem habet admonitionẽ Dei, & cum eructat; cujus amore factus est ebrius: sicut enim alimenta in naturã aliti transmittuntur, pari modo amans anima transit quodammodo in naturam Divinitatis, juxta illud Augustini lib. 7. Confess. cap. 10. ubi fatetur se audivisse vocem in interiore homine: *Cibus sum grandium: cresce & manducabis me: non tu mutabis me in te, sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me, & ad similitudinem Filii Dei.* Homo perfectè amans erit in Deo, per amorem Deo unitus, ut Filius Patri: sicut enim Pater est in Filio, & Filius in Patre, sic erit ei cui adhærere Deo bonum est: ut docet Bernardus Serm. 71. in Constit. non se existimet homo ipsi perfectè unitum, nisi cùm & illum in se, & se in illo manentem persẽserit. Et qui sic adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, ut Patris Spiritus unus est cum Filii Spiritu. Qui sic amat Deum, verè & liberè dicere poterit cum Vate: *Defecit caro mea, & cor meum in Deo meo: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* An non dixeris hunc beatum, & ter & amplius, cui in hac mortali vita hoc felicitatis contigit, ut per sui expropriationem (*nam minus te amat Deus, qui tecum aliquid amat*, quod propter *te non amat*, ut loquitur ardens Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 29.) totus transeat in Deum suum, qui est nobis omnia. An non cælestis conversationis, seipsum propter Deum perdere; & omnibus affectibus, & desideriis exutum seipsum non sentire; & præ vehementiã amoris à seipso exinaniri, & penè annullari? Hæc vis amoris unitivi.

Amans vertit se in amatum.

Felicitas veri amatoris.

§. XXIII.

Ex hac unione nascitur bonorum communicatio.

Arctius vinculum inter Deum & hominem, quàm inter conjuges.

QVemadmodum in conjugio bona sunt communia, sicut & corpora, nec ullum vinculum à naturâ arctiùs concessum, quàm sit sacri conjugii: unde & conjuges pro uno computantur: Genesis 2. *Et erunt duo in carne unâ*, & ita unum sunt, ut vinculum non nisi mortis interventu disrumpi possit. Longè arctiori modo, & arctiori vinculo per amorem mortalis homo Deo cõjungitur, & quodammodo in naturam Divinitatis adoptatur: ita ut bona Dei sint communia, & Deus cum homine per amorem quasi unum censeatur. Ex hoc amore, veluti ex sacro connubii thalamo nascitur Filius, id est una voluntas ex conspiratione duarum voluntatum, divinæ scilicet & humanæ, quâ sibi mutuò consentiunt, homo & Deus. Unde necesse est im-

Bona communia.

A mensa bona, & charismata Divina copiosè dimanare: sicuti humanitati Christi propter unionem Divinæ naturæ perfecta contigit per communicationem idiomatum donatio omnium bonorum sanctissimæ Divinitatis, ita ut plenitudo Divinitatis habitet in Christo, sic per amoris potẽtiam quâ hominis voluntas in Divinam transfertur, & Divinæ Justitiæ se subdit, Divina efficitur, ita ut Deus non dedignetur velle, quod homo velit, per hoc quod ab ejus voluntate non dissentiat homo. Per hunc itaque amorem elevata anima, sic à Deo absorbetur, ut sua desinat esse, non aliter quàm stilla aquæ modicæ, ut dictum est, multo infusa mero à se deficere videtur, dum & saporem vini induit, & colo-B rem. Et quomodo Sol is luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus, quàm ipsum lumen videatur. Et sicuti Sol cõmunicat aëri lucis suæ bona: ita & Deus communicat per amorem animæ amatæ omnia sua bona, facitque omnia communia, sicuti in sacro connubio bona sunt cõmunia. Quod autem animæ simile connubium ex Dei dignatate sic ardenter amantis obveniat; audiamus sanctum Bernardum Serm. 38. in Cantica: *Talis conformitas maritat animã verbo, cui cùm videlicet dissimilis sit per naturam, similem nihilominus ipse se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hâc conformitate jucundius? Quid optabilius charitate? quâ fit* C *ut humano magisterio nõ contẽta per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad Verbũ, Verbo constanter inhæreas, verbum familiariter percuncteris, consultésque de omni re, quantũ intellectu capax, tantũ audax desiderio. Verè spiritualis, sanctique connubij contractus est iste. Parum dixi contractus, complexus est. Complexus planè, ubi idem velle, & nolle idem unum facis Spiritum de duobus. Nec verendum ne disparitas personarum claudicare faciat convenientiam voluntatũ, quia amor reverentiam nescit. Ab amando quippè amor, non ab honorando nominatur. Honoret sanè, qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur. Vacãt hac omnia penes amantem. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, ceteros in se omnes traducit, & captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud novit, nihil. Ipse qui honori,* D *meritò stupori, & miraculo est, amari tamen plus amat. Sponsus, & sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem, vel connexionem præter amari, & amare? Hic nexus vincit etiam, quod natura arctiùs vinxit, vinculum parentum ad filios.* Et cùm declarasset alios affectus sine amore Deo gratos non esse, addit: *Is* (nempè amor) *per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi & amor, præter se non requirit caussam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo. Amo, ut amem. Magna res, amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat.*

Homo bonorum divinorum particeps.

Instar Solis communicat Deus sua bona.

Per amorem homo nubit Deo.

Mira vis unionis per amorem.

Stupenda certè magni Dei dignatio, sic ab homine velle diligi, & eum elevare, & attolle-

tollere ad suavissimam connubii sui societatem. Hoc ipsum mirabatur Augustinus lib. 1. Confess. cap. 5. *Quid mihi sum ipse, ut amari te jubeas à me; & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parváne est miseria, si non amem te?* Tanta est vis hujus amoris unitivi, ut animam ita introrsum rapiat, ut nec se, nec suum corpus, nec vitam, nec tormenta carnificum, jmò nec tormenta diaboli æstimet, nihil perhorrescat, modò Christo amato perfruatur. Tanta quippè est constantia, & unitas duarum volūtatum per amorem acta, ut homo omni conamine, omni vehementiâ in Oceanū Divini amoris, & Divinæ voluntatis sese demergat, ita in Dei beneplacito conquiescat, ut nullum bonum, nullam creaturam jmaginabilem præ dilecti voluntate ponderet, æstimetque. Quemadmodum Paulus de se testatur: 1. Corinth. 2. *Se nihil scire præter Iesum, & hunc Crucifixum*: sic per vim amoris unitivi amans nihil scit, nihil cogitat; jmò nec se velle scire, nec cogitare: jmò nec velle vivere, jmò nec esse, nisi ex placito Dei amati, dictis & factis profitetur. Hinc Paulus exclamat: *Quasi mortui & ecce vivimus.* 2. Corinth. 6. v. 9. *Morientes ergo vivimus.* An non sic affici est Deificari? juxta Bernardum de diligendo Deo. Quam Deificationem seu unionem Nazianzenus orat. 21. vocat Deiformitatem. Et doctissimè sanè: per intellectum enim & voluntatem homo intrat in Divinitatem, & Divinitas in illam, fitque mutua veluti penetratio, & intima unio vitalis inter animam, & Deum. Unde & in altera vita ex hac unione, mutuoque quasi contactu nascitur in anima ineffabilis quidam dulcedinis sensus, seu delectatio, quâ infinitam Dei dulcedinem conjunctam vitaliter degustat. Unde oritur infiniti gaudij voluptas, & æterna gustatio: ô beatam! ô admirabilem! ô felicem unionem, in quâ simul, & summum bonum nostrum, & summa Dei gloria reposita est! Per illam enim efficimur participes Divinitatis, & omnium bonorum Divinorum: per eam enim fulget Divinitas summè extra se in speculo mentis creatæ sicut intra se fulget sibi. In aliis rebus creatis, sicut in mundi fabricâ, & variis rerum gradibus, elucent tenues Divinitatis radii, ex quibus per conjecturas Divinam potentiam, sapientiam, & cetera attributa cognoscimus: at in mente nostra sic elevata, & unita Deo, splendet tota Divinitatis natura, atque plenitudo, totaque relucet ejus pulchritudo, ita ut quamvis in se sit unica, miro tamen modo multiplicetur, ut tot videantur esse Divinitates, quot sunt beatæ mentes: unde affluent omnia, & singulorum attributorum bona. Potentes à potentia, sapientes à sapientia, sancti à summa sanctitate: pulchri corpore instar solis, & mente, instar Divinitatis ab ipso summo pulchro. In unione ergo animæ cum ipso Deo quæ per amorem

Ingens potentia amoris divini.

Vnio per amorem est Deificatio.

Est contactus per intellectum.

Tot quodammodò divinitates quot beatæ mentes.

A conciliatur, positum est summum bonum nostrum; & summa Dei gloria. Utar versiculo Virgiliano; *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Pandat tibi iter ad tanta gaudia, virtus ignea. parænesim claudat tuba cæli, pariter & orbis, Paulus, breve & momentaneum æternum gloriæ pondus operetur. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo æternitatis gloria acquiritur: Tu præ Deo nihil æstima, sufficiat eo potiri.

Vlysses Circem, & Calypso Deas sprevisse dicitur, victus amore Penelopes uxoris: quid non cogit amor, unam per decennale naufragium, per tot horrida discrimina contendens, quæsivit, ac eâ potitus (Ludovici: Vives lib. 2.) visus summam votorum attigisse.

Vlysses Deas præ conjuge sprevit.

B Quâ curâ Marcus Tullius, quâ animi contentione, quantâ molitione consecraturum se ait memoriam suæ filiæ Tulliolæ, omniumque excellentium ingeniorum & Græcis, & Latinis monumentis effecturum, ut pro Deâ habeatur: quâ solicitudine scribit ad Atticum, ut ager ematur loco celebri, in quo fanum extruatur Tulliolæ. Scripsit libros duos de morte filiæ, quibus, ut credibile est, profusis ingenii opibus, argumentis, cultu, & orationis ornatu conatus est persuadere posteritati Tulliolam esse Deam. Quid non molitus amor, ut æternitatem filiæ daret?

Tullius studet filiam creare Deam.

Concludamus hanc vim unitivi amoris: C si Vlysses deas (more Gentilium loquor) præ conjugis amore, & immortalitatis promissæ dona, sit aspernatus, ut tu Deo Christiane potiaris, an non omnia, triumphali mente calcanda? Pudeat Christianos vinci gentilis amoris inanitate, & te non tangi infiniti boni præmio, & immortalitate. Pudeat te Christiane & te religiose. Pudeat te non studere ut per omnes profusos labores, æternitatem Dei celebres, ut verum Deum, per orbem deprædices, alatis laboribus circumferas Dei nomen. Tullius victus amore Tulliæ, tanquam delirus senex affectabat mortali Divinitatis gloriam, cur tu non ipsi veræ Divinitati affectas, & omni ambitu quæris gloriæ, & nominis amD plificationem, Imperii Sacri justissimum & debitum incrementum, ut omnis lingua clamet: *Soli Deo & immortali omnis honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Amor est instar ignis, & omnium potentissimus, à gentilibus, & Christianis celebratrus.

Gentiles Philosophi docuerunt amorem omnium Deorum esse potentissimum; omnes Deos, & Deas suo subjugare imperio. Pulchrè Argentarius Poëta exprimit vim, & potentiam amoris hoc Emblemate:

Amor Deorum omniū potentissimus.

Video (inquit) *inevitabilem in sigillo amorem*
Manibus instar auriga moderantem vim leoninam.
Alterâ flagrum incutit cervici: alterâ manu frænum
Regit. Multum autem gratia circa ipsum floret:
Pertimet homicidam. Cùm enim feram quoque domet
Agrestem; ne minimum quidem parcet hominibus?

Et sanè qui feras domat; potentiùs domat ferinas voluptates, quæ amore imbecilliores sunt, & ab illo superantur, ille dominatur. Quare & Gentiles amorem fortissimum dixerunt, quod dominator omnium, omnia expugnaret: an fortè Mars bellator resistere poterit, quem & captivum ducit, detinetque? potentius est id quod detinet, quàm quod detinetur. Qui verò fortissimo dominatur, omnium sanè fortissimus judicatur. An non ussit & ipsum Jovem, qui tonans olor factus est. Quanta potentia amoris, qui nec ipso Jove abstinuit; dum, ut ait Theocritus,

Gentilium sententia de Deo amore.

Iupiter Saturnius ut vidit Europam,
Statim ictus animo, & inopinatis domitus sagittis.

Apud Menandrum Poëtam:
Maximus est Divorum amor.
Deinde: *amor inter Deos potentissimus.*

Plato in convivio: *Assero*, inquit, *cùm Dii sint beati, amorem, si modo fas est, & tolerabile dictu, esse omnium beatissimum: quippè cùm pulcherrimus omnium, optimúsque existat; quod verò pulcherrimus sit, ex eo primùm patet, quod Deorum omnium sit maximè juvenis, cui inest summa formositas; forma scilicet composita, atque figura concinna; quâ amor omnium maximè procul dubio est decoratus: proindè deformitatis osor admirabilis; quare oritur inter amorem, & deformitatem pugna perpetua: coloris quoque decorem, assidua inter flores habitatio hujus Dei significat. In eo siquidem quod floribus caret, aut deflorescit sive corpus, sive animus; seu quodvis aliud sit: amor ipse non insidet.* Ubicumque verò floridus, & odorifer est locus, gratissimè conquiescit. Ecce Lector ut conformiter sponsi in Canticis

Amor Deorum summè juvenis.

Amor odit deformes.

Amor florū amator.

A species & indoles depicta, describatur. Quid liber Canticorum, nisi liber castus castorum amorum, & pulchrorum? ubique flores, odores, & pulchritudo decantantur cap. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus; lectulus noster floridus*; & cap. 2. *Ego flos campi, & lilium convallium. Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. Dilectus meus mihi, & ego illi; qui pascitur inter lilia.* Et cap. 1. vers. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Unum ergo & pulchrum amoris centrum, fundamentumque. Disce deformes vitiis non amari à Deo; & velut apes fumum, fimumque, & quidquid est putidum horrent, sic amor vitiosos fugit, odit, & aver-

B satur.

Hæc Gentilitas ingeniosè finxit; nos Christiani ex vero docemus Deum induisse aliam figuram mortalibus salutariorem, amoremque longè excellentiorem suprà dictis Diis, hominibusque. An non amor Deum nostrum, verumque cælo detraxit, & docuit omnia humana pati, & cum hominibus humanâ in formâ spectabilem conversari? Latet ergo domitus sagittis veris amoris sub humana forma Deus: Ingens opus amoris, sic posse transformari Deum. An non opus mirabilius omnibus operibus naturæ infinitam Majestatem sub speciebus panis & vini, & sub minima particula infinitum Deum, totus quantus est, latêre, claudique? Exclamo

C mau hu; quid hoc est? Sub vilibus panis, & vini involucris Deum Augustissimæ Majestatis teneri, exhiberique? Bene Sacrosanctum Concil. Trident. sess. 13. cap. *Divitias divini sui erga homines amoris Christum servatorem velut effudisse; (quis non) perspicit?* Quis feret incendia tanti amoris, qui tenuissimum radium amoris, & bonitatis non ferimus? Spectamus in homine Deum; non solum qua Deus est in forma servi, sed & qua homo in forma cibi, & potus. Spectamus in istis exuviis omnium operum divinorum compendium, quod divinus amor architectatus est: & se jubet esse cibum, potumque. Aspice alatum amore Arcitenentem, & face ar-

D matum:

Consecrationis vis.

Aspice ut exspiret amores spiritu oris sui
Divus amor operi latus insistens suo
Summúmq; meditans, artis exhausit sinus
Omnes, & oris viridi flatu unico
In orbe minimo, maximum semet dedit:
Et orbis maximus minimo totus orbe clauditur:
Vssit ergo divinus amor Deum, solem, astra, mundum, homines,
Et unum terras fecit, & astra rogum.

Et dubitamus adhuc non redamare sic amantem? ardet amans Deus; nec habent ejus incendia finem: ardet ut flammis videatur suis perire; qui perire non potest: ardet, & autumat ardere sibi parum, nisi tu ardeas, & ut ardeas, flammas ministrat, & sufficit faces: Arde: Deus ignis tuis recubat medul-

 lis,

lis, dum pasceris divinâ dape. Deus sub panis, Deus sub sacro nectaris haustu, & idem in utroque totus, & quantus est Deus. In Cōsociatione humilitatis leges victoriam amoris triumphosque magnificos adversus Deū. Quis credet Deum columnæ velut palo alligatum, stare nudum, & ab amore spoliatum? ferre flagra, ferre spinas, ferre Crucem, lignumque fatale sibi, in quo moriens cadet hostia magnum illud ens & infinitum, suamque pro cunctis dabit vitam? *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.* Tanto ergo cur non servimus amori? vicit amor invincibilem Deum, & non potens vincere imbellem hominem.

Prô dolor! ex amore victus Deus dat se in pretium in Cruce, in mensa sacra se dat in cibum, cibum panem vitæ, dat & craterem salutis. An nō opus omnibus majus operibus? quidnam operum amplius tanto potest addi? Verè magnus Deus admirabilis, juxtà ac amabilis, qui se vinciri voluit victus ab amore, & tamen tanto non servimus amori. Diximus superiùs amorem esse ænigma: an nō in hoc amoris artificio, verum & continuum ænigma? Infinitum Deum contineri sub minimo fragmēto visibili? Exclamo: Quid hoc est? An non singula fragmenta, singula totius divinitatis specula, quibus, ut minimâ parte speculi tota facies objecta, totus Deus continetur? Hoc docuit Sacrosanctum Cōcilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. *sub singulis cujusq; speciei partibus separatione factâ totum Christum contineri.* Quid non molitus est amor? Fecit & aliud prodigiosum miraculum quod continuò se prodit, in hoc amoris convivio; ejusdem scilicet rei in diversis simul locis replicatio. Quid dubitas? omnia potest amor & omnia vincit. An non spirituales substantiæ cùm sint omnino simplices, & consequenter totæ in qualibet parte loci cui inexistunt, naturaliter sunt replicatæ, & cur non corpora adhibita Dei potentiâ potest amor replicare? Memoriam fecit amor mirabilium suorum. Verè fecit memoriam mirabilium suorum amor divinus, cùm adeò saluriferum instituit sacrificii, & cibi divini miraculum, ut hujus oblatione placatus Deus (juxta mentem Sancti Concilii Tridentini sess. 22. cap. 2.) *Gratiam & Donum pœnitentiæ concedens, & peccata etiam ingentia dimittit.* O Amor qui semper ardes & nunquam extingueris! Hinc pete sacros amores, salutaresque ignes, quibus felix, beatusque vives. Fuge fœminæ, & carnis lubricæ amores; fuge etiam minimos contactus. Audi Paulum Silentiarium: *Nunquam aperias Veneri mentem. A duro namque levis amor corde statim resilit; furor ille naturam habet lubricam. Si quis sagitta flammæ, vel summum ceperit, ingreditur tota. Ne mentem demulceas impudicâ fece Veneris artus exedentis; suscitat ignem, animúmque totum ad se trahit.* Lege ex Moscho, quàm metuenda ac plena periculis sint omnia arma cupidinis.

A Audi Moschi elaboratum opus; quo depingitur ex ipsius Veneris, Martisque ingenio fraus mellea, & dulce exitium amoris; prætermissis nonnullis. Plurima signa insunt puero:

Non est alba cutis, color inficit igneus, acres
Flammantésque oculi, mens improba, mellea lingua
Gratia, quod loquitur, non sentit: atrocibus ira
Si quando stimulis agitur mens, aspera sævit
Fraude, dolisque puer fallax mendacia miscens
Crudeles ludos agit, aurea vernat in ipsa
Vertice Cæsaries, fronti non est pudor ullus.
Parva manus: verùm longè jaculatur, in ipsum
Sæpè Acheronta jacit, Plutonia regna lacessens
Nudum corpus habet, mentem fallacia velat.
B *More avium quatit excutiens per brachia pēnas*
Nunc hos, nunc alios petit, atque in viscera serpit
Saucia sæpè viri, percussa sæpè puella.
Parvulus est illi quem contrahit omnibus arcus,
Impositum nervo telum breve, quo tamen ipse
Sidera summa petit: tergo tenus aurea pendet
Plena venenatis calamis, & parva pharetra
Parva manu fax, & quâ solem sæpè perurit.
Quod si ceperis hunc, strictum preme ne qua videto
Te capiat flentis miseratio: riserit autem,
Fortius ipse liga: consurget in oscula, noli
Consentire: mala sunt hæc oscula: labra veneno
Tota tument, atque ipsa malum sunt labra venenum:
C *Dux erit: hospes habe, nostra hæc tibi tradimus arma:*
Et simul obtulerit, nihil accipe, talibus armis
Fallit, & ignitum derivat in ossa venenum:
Omnia namque ferunt, certâ domnat illius ignem.

Salutaris ergo quam nobis cautio Pauli data. Vita amores pravos, ne domitus pereas. Non sine causa ergo Scriptura sacra docet fortitudinem amoris esse tantam, ut nulli rei, nisi soli morti conferri possit, dum ait: *Fortis est dilectio sicut mors*, Cantic. ultim. Quare morti comparari debeat, videamus? Quid fortius morte inveniri potest? Omnis
D potentia cedit morti, illa dominatur omnibus, illa inexorabilis parcit nemini, subigitque omnia. Comparamus ergo amorem morti, quia nihil fortius occurrebat, cui posset comparari: sicuti Matthæus 17. Christi faciem (*resplenduit facies sicut Sol*) Solis splendori comparavit; quia nihil Solis fulgoribus occurrit fulgentius. Mors ergo omnia domat; sic & amor: omnes invadit mors; sic & amor: mors omnes vulnerat, & amor: mors omnes jugulat, sic & amor. At in Deum nihil potest mors, quia Deus vita ipsissima est; in Deum tamen amor imperium habet. Mortales omnes, mortis tributarii. At amoris tributarius Deus: mors propagat fines suos in omnes orbis partes; amor in cęlū coëxtendit potentiam, & docuit Deum posse mori, morte ipsâ potentior. Lege jus dominationis. Filius Dei crucem, tactus amore nostri ascendit,

ascendit; juxta Jacobi Patriarchæ vaticinium Genesis 49. *Quasi ad prædam ascendisti fili mi: & in cruce quasi Leo dormiit: quis suscitabit illum?* Christus igitur crucifixus, manus, pedes terebratus, duello videbatur inhabilis; & mortis futurus triumphus. Mors igitur crucem conscendit, ut Christum interimeret pugnæ impotentem. Christus itaque confixus, cùm corpore toto luctari non posset, dentibus pugnavit, & hosti suo jurato victor immortuus, vitam mortuus dedit, & sic inclinato capite, dentibus mortem comprehensam, captivamque tenens, suâ ruinâ secum involuit, juxta illud Oseæ 13. vers. 14. *Ero mors tua, ô mors!* Et sic per amorem Christus moriens, mortem absorpsit; juxta illud Pauli 1. Corinth. cap. 15. vers. 54. *Absorpta est mors in victoriâ. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Amor itaque omnium fortissimus, fortissimâ morte fortior; attamen non ideò fortissimus, quia morte fortior; sed quia Deo immortali fortior, cui veram immortalitatem in aliena forma ademit, cùm Deum mori coëgit: deinde & fortissimus, quia omnia invalida, & imbecilla roborat, vehementia amoris armat; teste Platone. An non ignava, & timida, reddit animosa? An non cervus timidus prælia cum tauro committit? An non imbecillis gallina, furentis instar cōtra accipitrem pro pullorum vita decertat? Quid Leone, urso, equis furiosius tempore amoris? & ideò & amorem furorem vocant Poëtæ. Et Justinianus in codice dicit, *nihil amoris passione esse impetuosius.* Quid mirum si flammis comparetur, quæ cuncta domant. Flammas potentis amoris divini senserunt tres reginæ Austriacæ Hallis in ditione Tirolensi, quæ divino afflatæ numine, omnem luxum, & perituræ vanitatis ludibria perosæ, cælestem vitam transegêre. Stetit orbis attonitus, qui regum nuptias, & connubia spondebat, ad fugam orbis, & spectaculum nunquam visum, nisi sancta Pulcheria cum suis sororibus dedisset. Quid est obsideri boni æterni sacris amoribus? Ille, ille agebat has regias mentes terris sublimiores ad Dei amorem, ut illi soli, suas animas, non mortali, in sacram victimam litarent.

§. XXV.

Signa veri amoris.

Primum signum. Quòd amor sit activus, non otiosus; inops verborum, prodigus factorum.

Viri sapientis, atque fortis est, factis extendere virtutem, non verbis. Agere est proprium amantis; parcus verborum sapiens; vir fortis, & verus amans: nemo impotentior in suam laudem, quàm insipiens, ignavus & ignobilis. Hi more militis gloriosi verbis sua publicant; in pace feroces, & fortes; in bello ignavi, & timidi. Ejus naturæ est falsus amor ut sit ore, & linguâ potens; at sine brachiis, & manibus. Vide Plauti militem gloriosum. At contrà verus amor manibus, dextrâ, & facinoribus potens. Amor verus mutus, sed solicitus, curiosus, agilis, ad omnia intentus. Amor prætereà se nudat, ut amatum vestiat. An non ideò Poëtæ finxerunt amorem esse filium paupertatis, quem Cicero dixit Veneris, & Martis? alii verò terræ, & confusionis. Aptiùs tamen filium paupertatis dixerim. An non amor se spoliat amati gratiâ? An non ideò lege civili prohibentur inter conjuges prodigæ donationes, ne seipsos spolient? Sic Jonathas filius Saulis Regis, præ magnitudine amoris sui, corporis spoliis, & purpurâ se spoliavit; ut pastorculum Davidem regiè vestiret, & illum in se transferret. Antigonus Rex, cùm ingenti prælio superasset hostem, præmium belli ad Patrem transtulit, & imperium illi tradidit Cypri. An non hoc est planè regnum, & quidem præpotens, nolle regnare cùm possis? Cæl. li. 11. c. 17. Idem amor Nini Assyriorum Regem coëgit, ut detracto sibi Diademate Regio, suam conjugē, cui nomen Semyramis, nimiò plus dilectam, coronaret: & in illam regnū ad triduum trāsferret; quę rerum potita, demeti viro tantopere amanti caput jussit. O incautum, improvidum, & cæcum amorem! An non concubina Darii in summo Principum Regiorum consessu, ausa de Regis capite tollere coronā, & suum redenite, ausa & palmis faciem Regis cædere? Quid non audet amor? de quo aliàs. Quidquid amor jussit, nemo contemnit: regnat ubique. Et cur non regnet, qui & in superos jus extendit suum? An non amor spoliavit cælum Filio Dei, & nobis donavit? An non ut desolatę inopiam terrę ditaret cęli spoliis, cælū, ut verbo utar Varronis, depauperavit? An non Filius Dei propter nos egenus factus, ut nos ejus paupertate ditaremur? ut Paulus 2. Corinth. 8. *Qui propter nos egenus factus est, cùm esset dives; ut illius inopiâ vos divites essetis.* An nō præ amore æternus Deus Pater pro

Factis potens amor, non verbis.

Amor filius paupertatis.

Amor activus.

Ionathas se spoliat ex amore.

Ninus causa mortis suæ ex amoris potētia.

Amor cælū depauperavit.

pro nobis percussit Filiũ suum? An nõ amor spoliavit filiũ vestibus, cute, sanguine, famâ, vitâ denique ipsâ? O potentiã amoris infinitam! An non Christus spectaculum amoris dominantis? cruce deformatus, purpuratus totus, & suo sanguine madẽs? An nõ ex corde transfosso, velut fornace ignis disrupta flamma, & incendia amoris toto orbe, ut iis inardesceret, dispersa? O prodigũ amorem factorum! ô verborum parcum! Noë vitis suæ suavissimis botris ebrius, planè nudus, spoliatusque honorâ veste jacebat, jacebat sine sensu sopitus. Tolle oculos in crucem: specta Christum Dominum velut alterum Noë, suo innato amoris vino ebriũ, nudumque, Crux illi lectus Regius; laniata cutis, peristromata & purpura; spinetum, corona aurea; vulnera, sidera, & tamen totus excarnificatus, amat. Amor activus est, & ideò totus inanis dat omnia, operatur omnia, nec requiem capit; profundit omnia largiter, nihil reservat sibi, nec donat sibi. Martha, & Magdalena sorores divitiis pares; in Magdalena tamen agnosce amoris paupertatem. Martha sola excipit hospitio, struit convivia, solicitè comparat omnia: de Maria nihil quid simile, nisi quòd solùm amet: nihil habet, omnia dedit; quod donet reliqui nihil est. An non ideò Filius Dei à morte ostendit discipulis manus, & latus; quasi diceret: Tales sunt manus, quale est pectus, & cor; & tale pectus, quales sunt manus: qualis amor, & talia sunt opera: Inquit Gregor. in 1. Reg. c.4. l.2. *Signum amoris non est in affectione animi; sed in studio bonæ operationis*: Unde & in Evangelio præmisit Dominus, dicens: *Qui habet mandata mea, & facit ea; ille est qui diligit me*, Joannis 14. n. 21. Hoc signum amoris describit quodam loco Chrysostomus, dum ait: *Anima cælesti amore sublimis, ea quæ sunt suavia in hac vita, ita ridet, ut non sentiat; sicut nos, vel ipsi mortui: corpora autem mortua tantum abest, ne ab effectione quâpiam capiantur, quantum aurum quod igne probatur à maculis abscedit: hæc omnia operatur amor hominis, si ingens fuerit, & ita est.* Et quamvis, cùm Dei magnitudinem, infinitam sapientiam, & immensam felicitatem tacitè contemplatur, & suam vilem parvitaté quasi nihil circumspicit: hæret attonitus, & otiosus, quod tantæ magnitudini non possit respõdere; prorumpit tamen in ardua, ut aliquâ ex parte possit amores adæquare suis amoribus, & claris facinoribus amati gloriam provehere; ut omnes creaturæ cognoscãt Deum dignum infinitis amoribus. Augusti sunt illi limites mundi; major est animus omnibus rebus creatis: crescit illi orbis in orbe; nec uno satiatur: nihil inexpugnabile, nihil inaccessum, nihil impervium suis amoribus putat: omnia sic supervolitat, & transcendit igneus amor. Vide hominem destitutum, exarmatumque, ut ad sonitum tubæ trepidet, umbram sui horrescat, singula levia, dura reputet; dulcia, aspera & amara, ad omnia languidus, mollis, fractusque, consulit vitæ, pericula circumspicit, eloquẽs orator quò suadeat se laboribus imparem, profusus in carnis, corporisque commodam mollitiem, vagus novarum rerum, locorumque appetens; ac denique insatiabilis cùm sit, ex uno in aliud devolvitur, finitque se miserabiliter rapi, cõfundique. Benè & sapienter dictũ: Pone cor tuũ super humeros tuos. Quid hoc? ponere cor super humeros? quî fieri potest? pulchrè tamẽ & dicitur, & pulchriùs factis ostenditur. An non humeros oneri supponimus? an non humeris labores sustinemus, & oneribus objicimus? An non in humeris fortitudo regnat, ut amor in corde? Junge ergo cor humeris; junge amorem factis; si amas, grãdia para, corde ardes, humeros operibus aptes: si amor est, activus est: *diligamus non verbo, sed opere, & veritate.* Joan. 3. v. 18. An non Joan. 21. dicitur Petro: *Petre amas me? Tu scis, quia amo te*, inquit, suppone humeros amori, onus suscipe, appara humeros portãdis ovibus meis: pasce oves meas. Triplex amoris fit exploratio; triplici amoris effectu, testificatam probat Petrus curam ovium suscipiendo. Mulier sapiens misit manum suam ad fortia. An non ideò Jaël fortis, quæ audax facinoris Regii, armatum Sisarum Principem Regis Jabin, potentem nongentorum curruum falcatorũ, clavo confixit fugientem, & desertum à suis? Mulier sapiens non otiosa nec otiosè panem comedit. Quando manus Moysis operatrix miraculorum? an non tunc quando cor flammis divinis ex visione rubi ardentis succensum? Verè magnus patrator miraculorum & facinorũ, non eloquens quidem à colloquio divino: at factorũ claritudine mirabilis, non verborum. Magnus ille Paulus: quantus factis, at sermo quàm contemptibilis, vilisque, &c. *Veni non sublimitate sermonis, aut sapientia, annuntians vobis testimonium Christi, &c. Non in persuasibilibus sapientiæ verbis* 1. *Corinth.* 2. *sed in virtute Dei.* Quàm clarus Antigonus Rex, facto uno: ut suprà dictum, vicerat hostem ingenti prælio, at quo fructu claruit victoria? præmium belli ad Patrem retulit: illi Imperium Cypri tradidit. An non hoc regnũ potens, nolle regnare cùm possis; nolle dominari Patri, cùm lex, & regnũ jubeat. Cælius Rodoginus l.11. c.17. Sic potens amator Dei, totum sui regnum transfert in ipsum Deum, & nec sui reliquum quidquam sibi reservat. Hoc docuit S. Greg. l. 10. mor. c.4. *Qui perfectè Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat.* Hanc amoris perfectionem docuit Christus Sanctam Brigittam, cùm dixit: *Perfecta charitas illa est ad Deum, quando homo sibi de se nihil relinquit, sed ad omnem virtutem, ac perfectionem se dilatat.* Sic amare, est beatè vivere: & è cõtrà infeliciter vivit, qui se amat, ut docet Augustinus tractatu in Joannem 123. *Nescio quo inexplicabili modo quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat: qui enim non potest vivere nisi de se,*

Amor omnia profundit.

Magdalena dat omnia.

Quale est pectus tales sunt manus

Amor activus.

Amor conatur se coadæquare divino amori.

Amore vacuus, vacuus robore.

Cor humeris apta.

Petrus factis probat amorem.

Moyses factis magnus

Paulus factis magnus

Verus amor se spoliat omnibus.

de se, moritur utique amando se: cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo vivat. Quisquis ergò se sui exspoliat amoribus, speret remunerationem quâ Deus infinito quodam impetu amoris se transfundet in animam sic amantem. Hoc docet Deus Pater, alloquens sanctissimam Filii sui Matrem, apud Brigittam l. 1. revelat. c. 24. *Quia tu nihil mihi negasti in terra, ideò ego tibi nihil negabo in cælo: voluntas tua complebitur.* Da ergò Deo Lector quod tibi charissimum, quod tu es. An non amor consistit in mutua facultatum, & operum communicatione? Verè dicatur utrumque amantem spolium esse amoris, dum se mutuò spoliarit: activus enim est amor & negociosus. Amor ignis, qui nisi agat, interit.

Dei mater nihil Deo negavit in terra.

Amor ociosus interit.

§. XXVI.

Secundum signum Amoris.

Potens Amor nihil arduum æstimat, nihil sibi impossibile judicat.

Omnia possum in eo qui in Deo träsgrediar murum.

Omnia amori dulcia, & levia.

IN hac omnes, velut in triremi laboramus, & desudamus: nemo labore vacuus, vel immunis; solus amor jucundus spectator est laborum, non quòd non laboret, sed quia C sine labore omnis: labores illi deliciæ dulces; sitis, æstus, ardor, arena, dira paupertas, mors ipsa denique dulcis amori: omne amarum temperat seipso, & dulce reddit. An nō modicâ farinâ Elizæus l. 4. Reg c. 4. ollam plenam amarissimis herbis (quas vocat Scriptura colocynthidas) & clamores dicentium; *Mors est in illa*, temperavit? Sic amore quidquid amarum, durumque temperatur, nihil occursat acerbi, nihil asperi fortiter amanti. An non ille amator per mare brachiis ut remis transnavigat ad amatam? & undis amatæ periit? Verè dicit Christus: *Iugum meum* (amoris) *suave, & onus meum leve*, Matthæi 11. v. 30. jugum tamen est, & onus. Genes. D 9. Jacobo amanti Rachaëlem septem anni servitii præ magnitudine amoris, dies breves videbantur: labores diurni, nocturnique, æstus, & frigora præ pretio amatæ nihili ducebantur. Suppositâ Liâ per fraudem soceri nō dedignatus novam septem annorum militiam, quo potiatur amatâ. Quid non cogit amor? stetit illi præmium, & victoria servitute quatuordecim annorum, qui dies breves in se videbantur. Filius Dei *Luca* 24. v. 15. Discipulis in Emaus euntibus occursans, rogat, quasi ebrius magnitudine amoris; quænam passus esset Propheta, de quo loquebantur. Haud dissimulanter sciscitabatur, sed ex mēte, & tamen tam horribilia passus, non meminerat patientiæ tolerata prælia. O amor, ut extasim paris, ut attenuas, delesque

Rachel pretium magni laboris & tamen vile

A memoriam crudelis passionis, fusi sanguinis & omnium tormentorum! Cuncta maxima, exigua reputat amor: trabem festucam; solitudinem, cælum, Paradisum, cætum govionem; tristitiam, amœnitatem. Contrà verò qui nō amat, muscam timet ut Elephantem; formicam, ut leonem; guttam ut oceanum. Nō amanti semper leo est in via. Amanti tota lex quanta est, unū verbum est: & non amāti plurima. Perspicilia quædā ejus naturæ sunt, ut minima maxima faciant, & maxima, exigua, & exilia: ita amor vetus, & falsus. Hic deserit amatum, ætate, & felicitate minutum: ille navigat vento semper suo; nulla illi impendet nova cura: omnis in amato salus.

Amor omnia attenuat.

Tota lex uno verbo completur.

B §. XXVII.

India dabit veritatis hujus fidem.

LEctoris oculis subjiciam castas amorum faces apud Indos, arduas imitatu; & quis dicet esse imitabiles? Audi Propertium l. 3.

Indicarum mulierum amor in maritos.

Felix Æois lex funeris una maritis
Quos aurora suis rubra colorat equis
Namq; ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Vxorum fusis stat pia turba comis.
Et certamen habet lethi, quæ viva sequatur;
Conjugium pudor est, non potuisse mori.
Ardent victrices flammæ
Imponuntq; suis ora perusta viris.

Diodorus Siculus l. 19. admirabile dabit honesti amoris extatici certamen. Eumenes contra Antigonum commisso prælio, cæsos sepelire studebat. Intererat & his Cetenscorum, qui ex India venerat, Dux: duas hic uxores amatas; unam (quarum nova nupta alterâ aliquamdiu societate lecti antiquior) in exercitu reliquerat: aderat utraque ad Cetei sepulturam; utraque mortem ambitiosè orare, hoc decus appetere. Ducum erat finire duellum. Junior sibi adjudicavit; dum docet alteram esse gravidam: & impium, gravidam tollere: proindè sibi in præmiū mortem deberi. Contrà verò, animosior morte ipsâ insurrexit & aliā, sese oppigneratā mori dicere, quæ pignus haberet diutinæ societatis, & ætatis privilegium: verùm exploratus venter sibi præmium abjudicavit. Tunc lamentari, fremere, lacerare diadema, capillos evellere, caput obvoluere, gravissimè de injuria conqueri. Junior ergò prælata; quasi læta de ingenti victoria properare ad pyram, caput mitris coronare, comitatu mulierum quasi Regina incedere, quæ solemni, magnificoque cantu laudes celebrabant arsuræ. Ut autem pyræ fuit admota; Regium ornatum in suos, ad sui memoriam distribuere. Erant manus gravidæ annulis aureis; caput aurearum stellarum non exiguo numero, & lapillis pretiosis distinctum: collum verò torquibus aureis vario ordine distinctis circumdatum,

Admirabile par conjugū

cumulatum. Stabat ergo victima amoris; & ab amicis, & à fratre rogo imposita; & ad viri latus locata est. Stupor ingẽs; nec flãmis, nec ustione mollita, stupẽte multitudine, quæ videndi studio affluxerat, vitam heroïcè finivit. Non ergo mireris; si universus exercitus stipendium tãtæ virtuti; uter spatium rogi flagrantis obeundo decurrens persolverit. Hipsicratea uxor Mithridatis, qui æternus Imperii Romani hostis, adeò effusis suum conjugem affectibus amavit, ut præcipuum formæ suæ decorem, in habitum viri convertere summæ loco voluptatis habuerit: tonsis enim capillis; equo, & armis se assuefecit; quo faciliùs laboribus, & periculis ejus interesset: quem etiam victum à Pompejo, per efferatas gentes fugientem animo, & corpore pariter infatigabili secuta est: cujus tanta fides asperarũ, atq; difficilium rerũ maximum Mithridati solatium, & jucundissimum lenimentum fuit: domo enim, & penatibus se vagari non credidit; uxore simul exulante. Quã cõstantiã, & fortitudine numerosissimi martyrũ exercitus Domini nostri Iesu Christi charitate flagrantes, horribilia tormenta toleravêre? major semper & ardentior omnibus flammis flamma cælestis regnavit. Specta oculis certamen viginti millium martyrum apud Nicomediam qui in Natali ad Dominicum conveverant, id est ut interessent sacrificio Missæ, & jussu Diocletiani januis clausis detenti & ardentibus ignibus obsessi, maluerunt pro Christo mori, quàm egredi ut vivere possent, si thus tripodi præ foribus posito in Jovis honorem injecissent: maluerunt sanguinem Deo quàm Jovi thus adolere, & morte ipsâ animosiores respondcrũt se malle pro Christo mori, & sic igne incenso consumpti finiverunt.

Omnia amor molitur.

Amor martyrum in Christum.

In die natali 2000. millia martyrum flãmis absumpti.

Anastasiam mirantur omnes quæ nobilissima Romana matrona à viro suo Publio primã diro & immitem custodiam perpessa, deinde à fero præfecto Illyrici diuturnã custodiã macerata, ad ultimum manibus & pedibus extensis ligata ad palum, & circa eam igne accenso cremata fuit. Quàm Superiore sæculo illustris fuit Anglia, martyrũ funestis suppliciis? Quæ terra magis inundata sanguine innocentum quàm Anglia? Inexorabilis & sanguinaria Calvinistica proles, feris & Turcis crudelior. Quò adegit Henricum 8. Angliæ regem indomita unius mulieris scelératæ libido? An non divina & humana omnia evertit, fidemque stravit? Pone ob oculos ut Joannem Fischerum, Episcopum Roffensem Cardinalem, vitæ & doctrinæ gloriã longè clarissimum: & Thomam Morum Equitem Auratum, summo regni magistratu perfunctũ, securi percusserit, quod regis libidini pro sedis Apostolicæ gloria, ne in Dei amorem quo ardebant peccarent, animosissimè obsisterent. Amor Dei vincit omnia. Idem amor Margaritam regiæ familiæ fœminam lectissimã, & Poli Cardinalis serenissimi matrem

Angliæ tyrannis.

Matrona regia securi feritur.

A ut mortem vitâ contemptâ ferret, sauciavit. Et quæ causa mortis? Non ferebat impius tyrannus Christi Domini plagas, quarum insigne cùm gestasset nobilis matrona, plagam securis accepit. Felix morte suâ. Quid memorẽ puerorum claras victorias qui Christi flammis saucii flãmas appetivêre. Paucis unã accipe ex Metaphraste & Baronii to. 7. ann. 522. Mulier Christiana martyrum conspectâ constantiâ ejusdem decoris æmula sanguinis martyrum, & se & filiolum secum quinquẽnem trahens junxit. Ducitur ad tyrannũ irritatum mulieris dictis. Rogus paratur, ligantur manus, ligna, pix, Sulphur ignem correptura. Spectabat puerulus pyram, matrẽ requirit, regem adit, pro matre rogat, rogat & B se solvi, ut sociũ martyrii jungat, ad quod me oppidò sæpe hortata est. Et tyrannus: Quid hoc est, quod dicis martyrium? & puer: pro Christo, inquit, mori, & rursum Vivere. Et quis, inquit tyrannus, ille Christus? Veni inquit puer, in ecclesiam & ostendam tibi imaginẽ Christi. At puer ubi matrẽ dira patientẽ, vidit, inclamat matrem. Rex propositis omnibus blandimẽtis, à puero spernitur, ubi Judæum agnovit, quem Christianum putabat: Non inquit te sustineo, non fero, sine ad matrem properare; hoc unum oro matrem mihi redona vel me matri. Quid non cogit facer amor Christi in parvulo? spectat matrẽ ignibus tradi, vi abrumpit omnia, regẽ in fœmore C mordet, contendit ad matrem, & in rogũ insilit ardentem, & matrem complexus, se in pulcherrimũ bustum Deo amori cõbustum dedicavit. Quæ supplicia & tormẽta non invenit, ferax martyrũ Japonia? ignibus & rogis ardentibus repertę graviores carnificinę. Dulcis & lenis nimium est visus ignis, quia tortor expeditior: lenta supplicia dedit furor, quo lentior & tardior mors morâ foret horribilior. Longum esset ire per omnia. Duo præ aliis immaniora sunt. Trahuntur ad fontes bullientium aquarũ nobilissimæ quæque Christianæ matronæ, quarũ corpora nudata, plenis cãtharis per aliquot horas lẽtè perfundunt & ita proluunt, ut totũ corpus, & pelle carnibus nudetur, diceres viva corpora ex- D carnificata, vivida tamen, ea quæ per contumeliam in terram projecta per summos cruciatus tardè emoriũtur. Aliud genus immanitate gravius & omnibus visum intolerabile. Defodiũtur altę scrobes, & pedibus in altũ suspensis totum caput usque ad humeros demergitur, ita ut respirationi copia non sit. Totũ ergo corpus instar balonis intumescit, ita ut nec vivendi, nec moriendi sit facultas. Sunt pręclari magniq; athletę, qui aliquoties victores, tandem horrore supplicii victi succubuêre: plures tamen virtus ignea in ipso certamine post ingentes luctas vitã, quam abstulit tortor, donavit, & ad cælum vexit. Hujusmodi in certamine ad stuporem totius gentis certavit tertiùm gloriosus noster Mastrillo, & ut diximus suo loco plenus æstuásq; amore

Puerili martyrium nobile.

amore divino viator, redimitur æternâ laureâ. Omnes Sancti Martyres quanta passi tormenta, ut securi pervenirét ad æterna premia? At quo duce? Amore Dei, qui dulces & lenes facit ignes, dulcem & lenem facit amaram mortem. Amanti Deum, dulce & decorum pro Deo mori.

§. XXVIII.

Tertium signum veri amoris.

Quod ex spinis rosas; ex luto aurum; & ex tormentis glorium distillet conficiatq;.

Amor omnia facit pretiosa.

NObilissimum signũ veri amoris, quod instar lapidis Philosophalis, ut fertur, suo contactu omnia in aurum convertat. Videtur famosi fontis naturam imitari; qui panem, lignum, & quicquid injicitur, in saxum commutat: vel ignis; qui obscuris, attrisque confert splendorem: vel Phœnicis æviterni in cineres redacti, qui ex cineribus suis hæredem sui seni suscitat juvenescentẽ. Sic amor ex plagis, tormentis, immensisque doloribus contexit floreas coronas. Ex saxis Sanctus Stephanus margaritas: Laurentius ex ignitis carbonibus rosas confecit: Paulus ex persecutionibus gloriam, 1. Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus*. Apostoli ex contumeliis gaudium; Actor. c. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati*. Ignatius Martyr optabat bestiarũ dentibus moli, ut mundus Christi panis effici posset, provocaturus eas si lacerationem tardarent. Et Christus ipse passionem vocavit, Lucæ 22. desiderium: *Desiderio*, inquit, *desideravi manducare hoc Pascha vobiscum priusquã patiar*. Quod desiderium vocat, Lucæ 12. v. 50. & baptismum voluptatis: *Baptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor usquedum perficiatur?* Coarctatur cor Christi donec erumpat ignis. Flamma exardescet fuso sanguine, ut in fonte Dodoneo faces exstinctæ accenduntur, ut mersæ fontis aquis. Sic Plinius l. 12. c. 50. ubi silex fuerit concussus, prosiliet ignis. Amor ergò ex tormentis, spinisq; rosas colligit. An non ex torculari vina fluunt? An nõ adamas fulget, si subactus, graviterq; seipso, suisque cineribus tortus, politusque? An non

Amor ex duris dulcia distillat.

A *aqua amara facta potabiles immissione ligni?* 15. Exod. 25. An non granum frumenti, si mortuum fuerit, exurgit in fœcundos culmos, & multũ fructum affert? An non Christus præ amore cum suis Martyribus granũ frumenti mortuum? An non mortuus, totum orbem replevit dulcedine vitæ? An non exaltatus in cruce; impotens factus, toto corpore laceratus, totum orbem potentiâ suâ ad se traxit? Hæc vis amoris, ut ex malis noverit elicere bonum, ut ligatus, & impotẽs summâ fortitudine ad se ligantes trahat, & vinciat? An non Orphei instar, qui fidibus suis canoris lapides, rupesque ad se traxit? Mirabilis sanè, ut Dominus noster acerbissimum passionis mare, calicem vocârit? *Potestis bibere calicem, quẽ ego*
B *bibiturus sum?* Marci 10. v. 38. An non calix conviviorum lætitia, & stipendium amœnitatis? An non lætitiæ comes? An non largis calicibus amici provocãtur ad amoris duellum? Calicem tamen vocat amarissimũ pelagus passionis: vocat tamquã ebrius medicatũ poculum, juxta Prophetam Ps. 22. v. 5. *Calix meus inebrians, quàm præclarus est? Calicem salutaris accipiam*. At quomodo salutaris qui lethi, mortisque causa? Conspice vim deliciosi calicis, ut inebriatus, in cruce nudus, spoliatusque jaceat instar Noëmi, qui vino suo ebrius, nudatusque à filio suo, id est, populo Judaïco tantùm amato, fuit illusus. An non
C noster Egmundus Campianus hujusmodi vino ebrius, ad mortem quasi ad epulas properavit, & morti proximus in ipso theatro fatali his verbis finivit: *Spectaculum Deo facti sumus, hominibus, & Angelis*. Verè spectaculum jucunditatis, & triumphorũ omnium summumque lætantium, posse pro Christo mori. Deus qui est scopus omnis amoris nostri, ille est qui dat os, vocem, gaudium, ut instar Cygnorum cantent Martyres morituri. An nõ Cygnus ad sensum sui fati, qui totâ vitâ quasi cithara muta fuit, lætas alas explicat, & præcinit funus suum? Et cur hoc? An quia purissimus sanguis ad classicum mortis, velut agmine facto cor petit? illudque vitalium
D spirituum dulcedine demulcet? Planè. Sic Martyrum animos conscientia rectè factorum in mediis tormentis per amorem quasi ad numerum compositis fidibus, cælesti cõcentu replet, & inebriat.

Amor ex malis bona elicit.

Amor calix lætitiæ.

Christus ebrius.

Campiani mors læta.

Instar Cygnorũ moriuntur Martyres.

Cur Cygnus moriturus canit.

§. XXIX.

Quartum signum amoris perfectissimi.

Esse, & vivere instar mortui.

Summa amoris perfectio, esse instar mortui.

DIximus amantes vivere sine sensu, sine vitæ suæ amore, sed alienæ velut pabulo pasci, inde nutrimenta sumere, & sustentari. Quare & hoc pignus, certissimamque perfectissimi amoris tesseram cõstituit; si scilicet amor mortuus sit; qui non desiderat, nõ vult, non quærit quicquam, non cupit, nec æstuat. Aliter hanc scientiam beata Magdalena de Pazzi in raptu quodam divinitus didicit, quæ sic ait: *Quia possidens illum quem diligit per mortuam relaxationem, quam sui fecit in Deo, non desiderat illum cognoscere, nec intelligere, nec gustare, nisi prout vult Deus. Nihil vult, nihil scit, nil vult posse; & tantum se humiliat, si ei diceretur, quòd sit Deus, quàm si diceretur, quòd sit dæmonium, & tantum se extollit, si ei diceretur: Tu fueris paradiso, quàm si diceretur: Ibis in infernum, quia pœna illi pœnam non apportat, & gloriam non quærit, vivendo tanquam mortua: Vivo ego, jam non ego; mortui sumus, & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* Hic itaque amor in perfectissima conformitate voluntatis humanæ cum divina consistit. Et sanè si creatura rationalis, ex ratione vitæ suæ ordinat leges, & regulas; quid illi felicius potest accidere ad nutum divinæ sapientiæ, & infinitæ bonitatis stare, moverique? Hanc veritatem nostræ naturæ insitam agnovit Epictetus l. 3. Enchirid. c. 26. ubi sic loquitur: *Qui Deo se adjunxerit; tutò transiturus hujus iter vitæ latrociniis infestum.* Quid verò est quod appellat se adjungere Deo? Ut quod ipse volet: ipse quoque velit: & quod nolit, ab eodem ipse abhorreat. Et l. 4. c. 7. *Et quod accidit, semper acquiesco. Melius enim est quod vult Deus, quàm quod ego volo. Adsum ei servus, & minister, adeoq; pedissequus: ad eadem contendo, nec alia expeto; idem quod ipse, volo ego quoque, & sentio. Vt,* inquit, *loquar cum Deo sic possim. Num tua præcepta prætergressus sum? num appetitionibus, quas à te habeo, ad alia abstinenda, fui usus? num sensibus aliter? num anticipatis notionibus? aliquandonè accusavi te, aut reprehendi tuam dispensationem? Ægrotavi quando tibi visum fuit, sed & alii: at ego patienter: at ego inops factus sum; cùm tu ita*

Ecce figura & species veri amatoris.

Sũma perfectio amãtis, eadẽ & una voluntas.

Stupenda Epicteti perfectio & unio cum Deo.

A *velles, sed gaudebam. Non præfui gubernando, aut gessi Magistratum, quia noluisti; ideò nec expetivi quidem, nec vidisti hanc ob causam me tristiorem. an occurri tibi aliquando parùm læto vultu? semper paratus, si quid mihi mandes, si quid significes. Nunc ex Conventu illo si vis me decedere; decedã. Gratias verò ago tibi, quòd me Conventum celebrare permiseris, atque inspicere opera tua, ac voluntati tuæ in omnibus obedientem feceris. O utinã hæc cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem mors opprimat.* Ecce hominem vi amoris mortuum sibi, & Deo adhærẽtem. Habes hîc Religiose Gentilem virũ, quem admireris: erubesce si non imiteris: pudeat te si vinceris: tu in palæstris Christi, & ille in solius naturæ: tu audes hiscere contra Dei nutum, qui est superiorum: tu ne audes inverecundè solicitare

B munia, instar filiorum Zebedæi tibi nocitura: tu non trepidas consilia tua Divinæ Majestatis consiliis inserere, & omnia permiscere, ut votis tuis potiaris, tuis votis periturus. Hoccinè est amare Deum; velle ea quæ non vult Deus, & machinari ea quæ Deus dissipaturus consilia? Non vivis Deo, sed tibi, qui tuus es, non Dei. Hoc est sibi vivere, & non esse mortuum. Paucis accipe lucem, ut mentem veri amatoris introspicias. Verus amator infinitè amat, & coëxtendit se in eam immẽsitatem, quam intellectus immensitate suæ potentiæ potest affingere; pluris æstimat gloriam Dei, quàm suam; quare & cæcus fertur

C in suam voluntatem, & oculatissimus, lynceusque in divinam. Verus amator evertit naturæ leges: natura pati respuit, & dedignatur: verus amor gaudet duris, & calicem appetit amaritudinis. Natura appetit honores, & ad eos porrigit vires obtinendos. Amator verò vi amoris inclinatur ad fugam speciosorum officiorum, personarumque, à quibus laudari posset: sin ad honores provectus, in illis vivit tamquam spinis undique obvallatus; vivit tamquam in mediis puncturis: sin verò nulla pateat honorum fuga; amor verus causat fastidia, eosque ut inanem ventum reputat. Et sanè quid est honor, nisi ventus, &

D umbra? quid stultius, dementiusque quàm delectari umbrâ relicto corpore? Verus ergò amator stat potens sui, velut idolum, vel statua inconcussa: nullas sentit illecebras honoris, vel gloriæ; quia solius divinæ acer sectator: sin verò delectatur honore, qui à subditis defertur; delectatur ille quidem, quia in sui amati redundat honorem. Verus ergò amator destruit quidquid pugnat, & contrarium est amati beneplacito; carnem, sensus, minimaque vitia persequitur, castigatque, nihil patitur inultum, omnia sua rigidâ censurâ discutit, exenteratque: unica illi cura, studiumque, assimilare se amato (similitudo enim est amoris causa) & amatis ab amato prodesse, subvenire, dextramque porrigere: & tu dices à te Deum amari; cujus imaginem vides in sterquilinio jacere; vides computrescere;

Verus amator Dei cæcus in suam volũtatem Lynceus in divinam.

Amãs Deũ spernit honores.

Amator Dei naturæ contrarius.

putrescere; vides à Dæmone possideri: tu Deum diligis, cujus regnum, & patrimonium spectas otiosus, malisque vastari, flammis exuri, & inimicæ subdi potestati. Hoccine est amare Deum; cernere siccis oculis amatu filios exitiali ruinâ involutos perire? O insignem viri Religiosi amorem! quem defraudat exigua corporis cura, & obtundit metus, & horror exigui laboris. Eia vince animos, corpus, & sensus; uni placuisse labora. An non homo satiatus Persicis, & delicatis cibis; promiscuos, & vulgares cibos fastidit, horretque? Planè: omnis creatura fastidio, oneri est amanti Deum, si verè amat. Plena Deo anima, fastidit universa; vilescit putridus amor creaturæ, gustato creatore. Et quid tibi sufficiet, si Deus non sufficit? Virgo Mater uno suo Filio contenta despiciebat infra se cetera: paupertas, contemptus, æstus, frigusque in Filio amato deliciæ. Poterat usurpare voces Matris Tobiæ omnia simul in te uno habemus: In solo Deo habeo omnia. Amor in Deum efficit, ut naturæ terminos transiliat verus amator, & supernâ flammâ accensus, omnes fortunæ, & incommodorum sustineat impetus: visione enim contemplationis incendit desideria, & amatoria; quibus velut pulcherrimis pennis cælum transcendens, in amatum Deum transferatur. Quàm feliciter ardet cui contigit sic ardere! Feliciter vivit qui sic vivendo est mortuus sibi, vivitque Deo: mortuus ad nutum movetur, omnem locum datum non respuit; stat immobilis, si erigatur; recumbit, si inflexus; in omnem partem voluitur rotaturque, nec est sui juris. Habes in mortuo amantis sortem: vivit & non vivit, quia spiritu alieno vivit. Hoc docet Paulus magnus amator ad Coloss. 3. capite versus 3. *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo, in Deo.* Quare & capite 2. numero 20. intonuit cùm dixit: *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?* Talium mortuorum vox est (inquit August. libro de Continentia, capite 13, tom. 4.) *Vivo autem non ego, vivit verò in me Christus.* Quorum ergo vita abscondita est in Deo, admonentur, & exhortantur, ut membra sua mortificent quæ sunt super terram, per continentiam, scilicet, concupiscentiæ motibus non consentiendo, ut licet ipsa nostra cogitatio eorum quâdam suggestione, & quasi susurratione tangatur, tamen ne eis oblectetur, avertantur. Horum vocem & Psalmista expressit, cùm dicebat: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Psalm. 83. 3. Concupiscunt nonnulli; sed non deficiunt, quia jam quidem cælestia appetunt, sed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè lassantur. Concupiscit verò & in atrio Dei deficit, qui cùm æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat. Horum mortuorum vita abscondita est cum Christo in Deo. Quare abscondita? Sicut hortorum decus hyems abscondit, & arbores aridæ spoliis veris nudæ lugere videntur, latet tamen tota pulchritudo, totus vigor virorque cum nativis opibus in radice: sic amatoris felicitas, gloria & flos pulchri absconditur in Deo cum Christo, qui nos præcipitatâ hyeme id est, vitæ palæstrâ exactâ, suæ vitæ gloriâ donabit. *Eia ergo dulcissime Deus hoc mihi tecum pactum erit: Planè moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas: totus intra me silebo, ut tu in me loquaris: totus quiescam, ut tu solus opereris in me,* ait Sanctus Augustinus. Comes Elzearius ibi hospitabatur, ibi vivebat. *Quod si*, inquit ad uxorem scribens, *me videre vis, quære me in latere vulneris Christi: Illic enim habito, ibi me poteris invenire, frustrà alibi quæsitura.* Vide caput vitæ 30. Sicut ergo aurum in terræ sinu, gemmæ in conchis, Adamas in rupibus suisque involucris tecta latent, & ibi se tuentur, ita mortui amatores uni Christo in Deo vivunt.

Gustatio majoris boni cetera bona minora ducit in contemptū.

§. XXX.

Vehemens concitatio ad fugam amoris pravi.

O Miser si admiseris scintillã, semenque pravi amoris; quid non passurus? amor enim arbitrio animi sumitur, non ponitur; amans quid cupiat, scit; quid sapiat, non videt. Extorqueri non potest: at elabi vix potest. An non libertate spoliatus, jugum indues servitutis? An non deerit otium honestis artibus, operibusque? Quod si amori adjunxeris osculum; an non periculum blandum, ignesque bibes? bibes & dulce venenum: tanta vis mutui oris conspirantis. Quis ignorat phalangia (sunt aranearum species, quarum pedes internodii, & præsentissimi veneni) solo attactu dolores inspirare, & exagitatos à mente alienare: mordendo quippè telum evibrant. Stulte audes osculum porrigere? an ignores insertum acutius venenum, quàm sensus possit effugere. Memineris hanc vim pulchro, formosoque inesse; ut non tactu, sed solo visu periculum ipsis phalangiis terribilius ejaculetur. Stupenda in dulci exitio calamitas; ut visus eminus urat, sagittasque mittat: & ideò cupidines fortassis sagittarii, quòd à longinquo speciosi vulnerent, depinguntur. Tu ergo quicumque sapis, formas speciosas vita, fugiasque. Audi Socratem apud Platonem: *Consulo tibi, à Xenophon, ut cùm formosum videris, fugias quantum potes, ita ut ne respicias quidem. Tibi verò ô Critobule consulo, ut integrum absis annum: vix enim intra hoc tempus, morsu sanari poteris. Si confidis, & audes liberè oculis vagari; hauris incautus, & spargis blandum mortis malum: lentè bibis diu hæsurum in visceribus venenum.* Amor enim neque subitò, & universim gignitur ut ira: neque statim transit, quamvis pennigerum, alarumque fama vult esse. Per sinus quidem occultos sese insinuat, & lento igne accenditur; qui ut regnum suum formârit, inhæret pertinacissimè, nec senes, canosque deserit. Mirum dictu malum: ut instar flammæ, fulminisque relinquat in sua exusta materia formam, vestigiaque sui: ira intumescens ubi exspiravit suos furores, & resederit flamma, nullum vulnus post se relinquit: amatorii verò visus vim ubi bestia susceperit, inhæret virus, & exundant interna vulnera. Tu quicumque sapis, fuge oculos alienos, nec tuis delibes;

A noli carpi alieno dolo: ne des locum semini; expelle feram priusquam ungues, aut dentes producat: per occultas fraudes illabitur dulcis insania, quæ crescit indulgentiâ; nec satiatur uno aspectu, vel colloquio, sed ab ipso aspectu, colloquioque trahit novam famem videndi, loquendique; & sui ministrat alimenta. Ignis in igne est, qui vento crescit amoris. Verè Spiritus sanctus grandia pericula denunciat, dum clamat: *Oculus meus deprædatus est animam meam: mors ascendit per fenestras. De vestimentis mulieris exit ignis: propter speciem* B *mulieris perierunt multi.* Eccles. 9. *Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Eccles. 9. *Cum muliere aliena ne sedeas omnino.* Siracidi succinit Bensira Alphab. 2. Literâ Beth. *Multi pessumdati fuerunt, & robusti omnes interfecti ab ea.* Et Literâ Deleth. *Abstrahe carnem tuam à muliere gratiosa tanquam à carne prunarum.* Quid hoc sibi vult *à carne prunarum*, quàm dicere, mulier ignis est, non caro. Et tu tibi astrues fidem securitatis inter incendia? Attende Lector quàm attonito mandato Spiritus sanctus vetet liberam cum muliere tractationem; dum non solùm affectionem, verùm conspectum oculis vehementer interdicat. *Virginem ne conspicias,* C *ne fortè scandalizeris in decore illius:* Ecclesiastici 9. versus 5. Quid est scandalizari, nisi trahi in ruinam luxuriæ: ut ille fatetur de seipso; Ut vidi, ut perii. Syrus sic habet: *Virginem ne attentè aspicias; ne condemneris,* id est, reus fias. Ideam castæ mentis proponit Nazianzenus: *Virgo sis oculis, sis ore, atque auribus ipsis; quodcumque labem visu accersit, fuge; oculos ut ipse Virgines serves tuos.* Et vir religiose qui navigas inter Syrtes, & Charybdim; navigas securus in tuo instante naufragio? tu ne audes interritus, & prodigus animæ tuæ, ad multas D horas texere inanes sermones, limis oculis formas mulierum delibare, blando risu, risum evocare, nec facere finem. Et quis finem fecerit? hæc libertas pugnat cum sanctitate antiquorum Patrum, qui vigili curâ, & soliciti, & circumspecti cum altero sexu tractarunt: nemo virorum verè timentium Deum, in hoc genere, non nisi timidus, & metuens sui fuit. Si tibi non es scandalo, desine esse aliis. Audiant Juniores, & florentes ætate Sacerdotes, Magnũ Nazianze-

Nazianzenum ætate senem, canumque laboribus, & studiis fractum: *Si procul à femina fueris, manet scintilla appetitus; si autem vita commercium cum ea habeas, ex parvo vento magnum incendium excitabis. Quid tibi mortiferum toxicum intus habere opus est? equidem in hâc canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis, nocturnisq; curis ter miseram animam conficio, ut eam à flamma extraham: non sic quidem tamen, nisi admodum ægrè, corpus in potestate teneo.* Quânam ergo fronte, tu & ætate florens, & carnes saginando excitans, proindè atque egregiâ quâdam puritate præditus, alium sexum, spirituali dumtaxat amore complecteris? O aversandum amorem, quem Christus fastidit. Quare qui castus esse desiderat, audiat

A Jobum capite 31. *Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Audiat & fortem meretricem apud Apuleium libro 2. Discede (ait) miselle; discede à foculo; nam si te modicè meus afflaverit aspectus, urêris intimè. Summi miraculi instar. Hugo Gratianopolis Episcopus fuit, per quinquaginta duorum annorum spatia, cùm primariarum feminarum con-

B fessiones exciperet, ita oculos frænârat, ut nullam de facie nosceret. Oculus capitis, præco est oculi mentis: naufragus ille, & hic naufragus: per oculos carnis ebullit oculus mentis: à tenui scintilla oculi carnei, magnum incendium mentis oculis suscitatur; juxta Salomonem: *A scintillâ unâ augetur ignis.* Ecclesiast. 11. num. 34.

ALTERA PARS XV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Amore Virgineo.

PRIMO orbis Cosmographo Moysi, cùm nullū nomen occurreret, quo ipsam divinitatem consignaret, exclamavit, Deuteron. 4. 24. *Deus*, inquit, *ignis est.* Magnus præterea, magni tonitrui filius Ioānes, ingens aquila, qui irretortis oculis aciem in flammas divinitatis conjiciens, eamque contemplatus, tandem Deo nomen tribuit hereditarium: Joannis 14. v. 8. *Deus*, inquit, *charitas est.* Et sanè quid Deus est, nisi charitas, qui se æterno amore & infinito amat, illoque in Trinitate contentus, quo Trinitas unitur? est enim, teste Dionysio l. de div. nomin. c. 4. *Amor unionem faciens*, quâ Pater, & Filius, & Spiritus sanctus inter se unitissimi vivunt beatissimè, ita ut Pater & Filius amēt se Spiritu sancto, qui utriusq; est amor, Deus de Deo Patre & Filio procedens. Quod nomen Virgini dabimus? si vocaverim illam Rubum ardentem, est. Et quomodò non arderet, cùm Deus, qui ignis est, in illa sit, illam vestiat suis flammis, ardentemq; faciat? Tota ergo ignea est. Et quomodò non ignesceret, vel potiùs in ignis naturam non transiret, ex eo, quòd Spiritus sanctus, qui personali suâ proprietate amor & ignis est, in ipsam supervenerit, juxta Ildephonsum orat. 1. de Assumpt. *Videte quæso vos filii*, inquit, *imitamini signaculum fidei vestræ, Mariam beatam, quā velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit; ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi tantū ignis amoris Dei & hominum.* Si virtute ignis omnia elementa naturam suam & indolem vel amittant, vel in ignis regnum & proprietates, sui quasi factâ deditione, transferuntur: an nō Virginis anima & corpus, in qua Deus habitavit veluti in proprio domicilio, non transibit in conditionem ignis divini? Benè ergo vocari potest altera Sara, quæ nomine suo, velut umbra, prælusit nostræ Virgini. Quid enim Sara, nisi Dominam & carbonē ardentē significat? Verè Virgo & mater Dei Domina est, & carbo succensus ignibus æternis, qui cunctos mortales accendit, qui fulgoribus flammarū omnes illuminat, ut pulchrè Idiota ad Virginē flammis ardentē hæc verba Psal. 18. deflexit: *Non est qui se abscondat à* A *calore ejus. Longè positos illuminas radiis misericordiæ suæ, sibi propinquos per specialem devotionē accendit, & sic non est, qui se abscōdat à calore ejus.* Rubum ergo ardentem, & ipsum ignem Matrem Dei vocamus. Si vocaverim illā Amorē & Charitatem; ipsa verus amor, & Charitas est, per omnia similis Filio: quantum fieri potest ac proinde talis Mater in amore, qualis Filius.

Deus ignis.

Deus charitas.

Virgo sanctissima Rubus ardens.

Ferro ignito similis.

Virgo sanctissima vocata Sara.

§. II.

Contemplemur Amorem filii, & eo B *metiamur amorem SS. Virginis.*

ANima filii in pūcto creationis ubi se vidit ad divinitatis thronum elevatā, atque ipsi divinitati unitam, ac proinde Dominam factam rerū omnium, & ab omnibus Angelis adorari, Hebræor. 1. & se dote beatitudinis, & denique visione Dei ex tunc donatam, nec quid quā reliqui, quod dari posset: quippe cui ratione suppositi omnis honor, potestas, benedictio & claritas deberetur: (Cui enim aliquando dictum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?*) quæ inquam, ubi anima Christi vidit, & felicitatem suam est cō- C templata, quis mente, vel cogitatione assequetur, quantis amoris facibus arserit, mille & mille votis exæstuans sibi dari materiā & campum amoris probandi atque exercendi, quo ex æquo posset tanto Deo suo, tantorū bonorum largitori gratiam rependere. Ardent quidem Seraphini, qui & ab ardore nomen trahunt; at præ amore hujus beatæ animæ frigidi sine igne amoris sunt. Et quid mirum, si cognitā Dei Patris voluntate, quâ decretum erat genus humanum redimi, mortem per mille vulnera, cruces, tormenta, mortesque infinitas exoptârit, & Deo Patri in victimam grati odoris sese devoverit. Urgebat enim Charitas Dei Patris, & ideò ad mortem, quasi ad triumphum iturus, velut saliens in montibus transiliens colles, & instar gigantis exultavit ad currendam viam,

Anima Christi quos actus elicuerit in puncto conceptionis.

viam, & jexta illud Jsaiæ 42, quasi omni gaudio profusus: *Non erit*, inquit, *tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ exspectabunt.* Et Joannis 14. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem; sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Summo & infinito ergo amore quia in Patrem ferebatur instar balonis, qui valido impetu cùm in saxum præceps irruit, non minori impetu per repercussionem resilit; in astantes ex repercussione paterni amoris, quo sciebat homines amari, in homines resiliit, & ardentissimo amore salutem hominum complexus fuit. Et ideò Psalm. 18. dictum est: *Exultavit ut gigas* dilatando spatia passuum *ad currendam viam, & à summo cœlo egressio ejus*, ut terram inimicam pacifico oris osculo complecteretur. Ex vi ergo paterni amoris, qui in homines devolvebatur, millies erat parata anima mori, & quidem pro quolibet sicut pro omnibus, si Pater imperasset. Multa & infanda an non est Christus passus? Passus est infandissima; at illi levia & amatoria & infra amorem tormenta fuerunt omnia. Non sufficiebant illi 34. anni, & hi breves nimium præ magnitudine amoris, mille anni non adæquassent ardorem studiumque placendi Deo Patri. An non singula membra erant singuli præcones, singulæ linguæ, largi fontes ebullientis amoris? Major erat amor, quàm venis & toto corpore clausus, major quàm venis exsectis posset effluere: vulnera minora etsi ingentia, quàm totus amor patêre posset. Sacro Salomonis templo fenestræ ex interiori parte multò majores erant, quàm extrinsecus apparebat sic Villapanda & alij. Tragica & cruenta Domini Passio, scintilla fuit, quæ præmicuit ex tanto igne, rivulus fuit tanti oceani, ramusculus fuit ingentis arboris, quæ totum mundum adumbrabat, in qua omnes volucres habitabant. Daniel 4. Ita ut merito dici possit de Christi amore, quod Sophoniæ 3. dicitur: *Igne zeli & amoris mei devorabitur omnis terra.* Et Sachariæ 2. num. 5. *Ero ei*, ait Dominus, *murus igneus in circuitu* (Jerusalem scilicet) *& in gloria ero in medio ejus.* Et Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat?* Quantum autem ignem intulerit in terram, testatur Jsaias 64. *Vtinam disrumperes cœlos & descenderes! à facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni.* An non elementa pugnantia ignis & aqua? Planè. An non se invicem æterno duello perimunt? Perimunt. An non victoria unius constat exitio alterius? Constat. Quanta ergo fuerit Christi Domini flamma, quæ totum orbem diluviis aquarum demersum, aquas erat succen-

Christi amor, ex repercussione amoris Paterni in nos resiliebat.

Stupendus amor Christi & incomprehensibilis.

Major in corde quàm exterius apparebat.

A sura? Benè dicit Lucas 12. num. 50. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Et quomodo coarctor instar vasis musto ex æstuantis rupturamque minantis. Coarctabatur amor brevibus terrarum spatiis, angulus scilicet terrarum, erat ingens, qui totum orbem fuerat complexus. Coarctabatur ipsa mora: tempus enim & omnis mora longa semper amanti. Pigebat illum omnis procrastinationis, & ni Patris decretum obstitisset, totum orbem victoriis, mille mortibus antè toleratis illustrasset. Jngens amor premebatur clausus exiguo corpore: ut ingens mare appositis aggeribus, quos conatur perrumpere. Erat ergo videre Christum Dominum velut rogum ingentem flammatum B quaqua versùm flammas spargentem. Totus ergo Filius Virginis ignis, & flamma, & charitas.

Amor Christi totum orbem complexus.

§. III.

Contemplemur quanto arserit igne SS. Virgo.

EX filii ardore disce quantâ charitate & amore arserit, tanti Filii tanta mater, & Filii imitatrix. Sãctissima ergo Virgo in primò suæ Conceptionis puncto cum Deum C vidit, & vidit se præventã omnibus dotibus gratiarũ, & æterno consilio divinitatis delectam ad maternitatis divinæ titulum, ut esset Mater infiniti Dei, & Domina & Regina tam Angelorum, quàm hominum: quantis gratitudinis, quantis immensi amoris affectibus in Deum tantorum bonorum auctorem sese effudit atque lancinavit. Ex quo amore exarsit succensa novâ flammâ in genus humanum. Cùm enim videret Deum Patrem & suum Filium totos incumbere, impelli & coarctari, parturientium instar in hominum salutem, quam non nisi suo assensu perfici posse videbat; disce quantis & quàm vehementibus amorum jaculis percusserit D cor Patris & Filii, ut sese Patri & Filio ad omnia comparatum obtulerit, ut mille & mille animas & mille corpora optàrit, quo voluntati Patris fieret satis. Volebat illa vitam pro gloria Dei pacisci: nulla mora erat in Virgine, & sibi mori lucrum erat pro amore: tantum erat uni placuisse Deo, & lucrum animarum cum sui retulisse exitio. Si Agrippina monstruosi Neronis mater cupidine regni, quod filio adlaborabat, quod dari non poterat ex Astrologi sententia, nisi pignore suæ mortis, quæ sibi à filio portendebatur, exclamavit: *Cedat, modò regnet.* O monstrum ambitionis? An non

Quod fuerit primum opus B. Virginis.

Ardens oblatio sui.

Virgo optabat suo etiã interitu Deũ regnare.

Virgo mille mortes ambitiosiùs advocasset, modò regnaret Deus? Percam, inquit, ego, & regnet Deus meo exitio. Mihi dulce est perire, & in cineres favillasque converti, modò regnet rex sæculorum omnium Deus. Felix hæc mors, & ter beata, quæ hoc sacro sepelitur triumpho. Quid mirum? Virgo erat ebria amore Dei: introduxerat enim Rex eam in cellam vinariam.

§. IV.

Quo amore amaverit Deum sanctissima Virgo?

Duplex amor. Amor scilicet amicitiæ & concupiscentiæ.

DVplicem Amorem statuũt Philosophi cum Aristotele lib.8. Ethicor.cap.25. Amorem scilicet amicitiæ seu benevolentiæ, & concupiscentiæ. Hic est, cùm referimus amicitiam ad fructum nostrum, non ad illius commoda, quem diligimus; & habet pro objecto suo formali bonitatem rei concupitæ, quo pacto prata & agri & pecudum greges diliguntur.

Quis sit amor amicitiæ.

Ille verò est, cùm gratuitâ amicitiâ aliquem diligimus; & pro objecto suo formali habet bonitatẽ seu dignitatem rei amatæ, cui soli insistit, inhæret & conglutinatur, quæ & totus totius amoris finis, utilitatis inde propriæ intercessione depulsâ.

Amor concupiscentiæ.

Quotiescumque verò alicui aliquod bonum exopto & efficaciter volo, quia mihi bonum est, objectum formale hujusmodi amoris non est dignitas seu bonitas personæ; sed bonitas rei concupitæ, quia delectabilis, quia bona, erga quam amor concupiscentiæ terminatur: ubi contrà, amor amicitiæ nullo habito alio respectu, in dignitatem & bonitatem personæ, cui bonum volo, terminatur; quia scilicet digna est amari, cujus dignitas & bonitas est ultima amoris illius formalis ratio bene volendi & optandi.

Duplex in Virgine amor.

Duplici hoc amore crediderim Deum à Virgine Sanctissima ardenter, & potissimùm amore amicitiæ perfectissimo fuisse vehementer amatum. Et quamvis facilè admiserim & amorem concupiscentiæ, eò quòd nullam imperfectionis notam nævumque secum trahat; attamen rursùs crediderim actibus Virgineis frequentatum, propterea quòd inferioris sit dignitatis, & sanctissima Virgo excellentissimos (propter eminentissimam divinæ excellentiæ, & bonitatis cognitionem, quâ omnes creaturas antecedebat) actus charitatis semper

Actus amicitiæ & perfectæ charitatis semper in exercitio.

A exercuerit: penetrabat enim illa abyssos infinitæ bonitatis divinæ, ac proinde caritate, quæ est amor amicitiæ, infinita bona Deo volebat, quia ipsi bona, non quatenus erat ipsius beatitudo, aut auctor alicujus boni; sed quatenus est sua beatitudo & in se continens infinitam omnis entis perfectionem. Ratio ergo Virgini diligendi Deum erat Dei ipsius infinita bonitas, quæ est ipsius substantia. Infinitæ ergo & perfectissimæ quodammodo notitiæ coæquabatur altissimæ perfectionis charitas, & sicut in Virgine novis in infinitum ferè incrementis augebatur scientia, sic & charitatis ardor & mensura amoris, semper actuum

B cumulis crescebat. Nostro ergo modo concipiendi, cùm charitas possit magis & magis in infinitum intendi, quis fines charitatis Virgineæ attinget, quæ poterat totâ habituum mole singulos actus elicere? Cùm ergo tota vita fuerit perpetua palæstra & continuus ardor amoris, an non in infinitum proximè, credemus esse amorem propagatum? Si Paulus *ad Philippens.* 3. ad ea quæ priora sunt extendebat seipsum; cur non ad ejus æmulationem omnis Christianus? Ubi Augustinus docet omnes posse incrementa sumere, dum ait: *Si autem dixeris: Sufficit; peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice; noli in via remanere.* Si de sa-

Ex toto habitu eliciebat actus.

C cris animalibus Ezechiel. 1. dicitur: *Vbi erat impetus spiritus, illic gradiebantur:* quo impetu, quibus ignitis alis, quo curru ignèo putas fuisse raptam in summi boni substantiam, sanctissimam Virginem? Si Angeli præ Dei non solum incorporali, sed etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine omnia quæ infra sunt, & quod ille est, non sunt, seque ipsos inter omnia despiciunt, ut ex toto quo boni sunt bono perfruantur; quali complexu charitatis Dei mater suum Deum constrinxerit, quis enarrabit? quia infinita millionum vota cumulans, sine numero, sine fine omnia bona optabat summo infinitoque bono, quo perfruendo sciebat se

Angeli seipsos præ amoris magnitudine despiciunt.

D beatam. Vide dicenda in Consociatione de infinitate gratiæ, quæ huic materiæ deserviunt, cùm probabilius sit gratiam justificantem non distingui ab habitu charitatis. Unum addidero, Actus Virgineos à charitate elicitos, triplicem absolutam omnibus numeris habuisse perfectionem. Primum ratione suæ intensionis, quæ major omni intensione imaginariâ, excedebat omnem ardorem omnium tam creatarum mentium, quàm hominum simul collectum; quia magis amata, & amans. Deinde ratione majoris appretiationis, ut ita loquar: Deus quippe quo majoris est æstimationis & pretii,

Actus charitatis Virgineæ triplicem habuerunt perfectionem.

pretii, eò actus amoris major excellentiorque reputatur. Sicut venditio regni in pretium adamantis, dignitatem & valorem adamantis manifestaret; excellentem magnitudinem rei oblatæ, pretium, magnitudo laborum, difficultas oblata expugnataque solet comprobare. Tertia actûs perfectio nascitur fulgetque ex personæ elicientis dignitate. An non quò persona sanctior, & operatio nobilior excellentiorque? & quæ creatura sanctior nobiliorque Sanctissimâ Virgine? quæ Deo propinquior eâ, quæ Deum genuit? Non tamen negârim, ut suprà dixi, nonnumquam elicitos actus amoris ex amore concupiscentiæ, qui majores vires secum trahebat ex influxu amoris benevolentiæ. Hujusmodi ergo actus eliciebat, Prophetam David imitata Psalm. 17. *Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum & refugium meum: Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.* Item Psalm. 61. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Et Psalm. 70. & 61. *Spes mea, fortitudo mea, exspectatio, exultatio, gloria mea, Deus auxilij mei, pars mea Deus*, &c. Denique quoties audiebantur voces: Deus meus, omne bonum meum; Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum? Quid amo, cùm te amo? omne bonum amo, & omne bonum meum. Contexebatur ergo tota Virginis vita, & series actionum amore benevolentiæ, quo malebat Deum, quàm se esse; longè excellentiori modò quàm Augustinus, ut circumfertur, exultans in Deum. *Ego*, inquit, *Augustinus sum, tu Deus: sed si (quod nec est, & esse nequit) ego Deus essem, & tu Augustinus, vellem omninò commutatis personis ego esse Augustinus, ut Deus esses.* O Virgo sanctissima, te sanctus Amor Dei eò provexit, ut major esse non possis, ut cùm Deus esse non possis, sis magni Dei mater. Contexebatur & vita amore concupiscentiæ, quem gratulatoriis affectibus sociabat amori benevolentiæ. An non lactat filiolum, quem Deum sciebat, & ad ubera pressans exclamabat: Tu Deus meus, & omne bonum meum; cùm ostendis te mihi, ostendis omne bonum tuum & meum. Tu beatitudo mea, & salus mea, sicut tu te mihi donas, & ego te tibi dono, ego felix amore tuo, & tu felix gaudes amore meo; & tu felix naturâ, ego gratiâ. Concludamus ergo propositionem factam; Virginem non potuisse virtute nec nobiliori, nec perfectiori, quàm suâ charitate Deum amasse; nulla enim virtus generaliùs consummatiusque conformat voluntatem humanam divinæ voluntati, quæ debet esse regula nostrarum actionum, quàm Charitas, quæ ad omnia se extendit virtutum objecta, tam explicitè quàm implicitè. Illa enim est forma cæterarum virtutum, quæ omnes actus virtutum dirigit in suum finem, eisque tribuit eam dignitatem, quâ mereri possunt præmium supernaturale; qui etsi verè virtutis naturam sortiantur, tamen nisi gratiâ charitatis animentur, actus infructuosi persistant. Perfectissima ergo charitatis virtus, inter omnes virtutes hujus vitæ tam intellectus, quàm voluntatis, in Virgine secundùm entitatem Physicam perfectissimè semper dominata est; in patria tamen, quomodo illa beata anima per amissionem beatificam attinget Deum ut in se est, & quidem modo perfectissimo qui dari potest, entitate tum perfectiori quàm actu charitatis Deo conjungetur: Visio enim illa faciet magis magisque Virginem divinam, ac quasi Deo similem, Deumque perfectissimè in illa exprimet suprà quàm dici potest. Si enim 1. Joan. 3. dicitur: *Similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est*: quanto similior tum mater Filio futura, quæ amore perfectissimè translata erit in Deum (amor enim transfert hominem in rem amatam) & per visionem beatificam in illam Deus transferetur? Intellectus enim res intellectas in se transfert, & quodammodo suas facit. Felicem ergo te pronunciamus, ô Sanctissima Virgo, & amando & videndo; fac tuis meritis ut amem amore semper vigili æternoque super omnia; & videam oculo beato, tuum meumque infinitum bonum.

Rarius eliciti actus concupiscentiæ.

Actus amoris concupiscentiæ.

Summus actus amoris ex Augustino.

Actus perfectæ charitatis.

Forma cæterarum virtutum est charitas.

Mirabilis effectus visionis beatificæ in Virginis anima.

§. V.

§. V.

Dilucidatio amoris Virginei, qui tantus est, quantus dari potest.

QVò Virginis amores intimiùs penetremus, ab altiori principio ducendum exordium. Duæ erunt partes hujus tituli. 1. Pars continet proprietates divini amoris in nos. Altera Pars proprietates amoris Virginei in homines.

1. Pars Deus est amor, Deus est charitas. Si amor essẽtialiter accipiatur, est communis tribus personis, si verò personaliter accipiatur, in quantum procedit à voluntate Patris & Filii, isto modo cõstituit tertiam personam, quæ est Spiritus sanctus, quandoquidem procedat per viam voluntatis. Cùm itaque tantus sit amor, & charitas tanta in Deo, ut duabus personis sufficiat, & adhuc præterea adeò sufficiens, ut infinitè sufficiat ad tertiam personam constituendam in suo esse, &, ut humano loquendi modo utar, tanta est charitas essentialis, quã tres personæ se invicem diligunt & amant, ut supersit infinita potentia amoris, ut domicilium tertium Spiritui sancto statuatur. Amor ergo sive essentialiter accipiatur, ut est communis tribus personis, totus est substantialis, quo personæ divinæ se invicem amant: si verò personaliter accipiatur, in quantum procedit à Patre & Filio ad Spiritus sancti productionem, & totus est substantialis, nullum enim accidens in Deo datur. Amãt ergo se tres beatissimæ personæ substantiali amore, qui in singulis earum est substantia, & quidem substantiæ infinitæ, & sicut superiùs dictum est, non possunt non amare se invicem nisi amore substantiali infinito: quia illorum substantia, est bonum, ex omni parte infinitum, & infinitã perfectione cumulatum. Proprietates itaque divini amoris, quo nos amamur, sunt substantiales: & amor quo Deus nos amat, est sua substantia divinus, & consequenter amor substantialis, quia tota substantia & essentia divina, ut loquar populariter, infinito amore cumulata constat. Amor ergo divinus, quo se tres personæ infinitè invicem amant, sicut est infinitè substantialis, sic est amor quo Pater & Filius amant nos in Spiritu sancto, est infinitè substantialis. Cùm igitur omnis amor in Deo sit sustantialis, & nihil accidentis habeat, diligit nos Deus amore substantiali, quo seipsum diligit. Quis tam ferreus, cujus pectus non commoveatur, cùm videat se ita amari ab infinito illo Deo, ab infinita illa Majestate eodem amore, quo se Pater & Filius amant in Spiritu sancto? Pelle ergo ex animo tuo omnes amores carnales: proscribe corde tuo omnia vana, quæ ingenerant vana, marcida, & sine substantia accidentia. Hujus substantialis amoris & tanti, vim in tres proprietates dividemus. Prima: Amor Dei, quo nos amat, est infinitus magnitudine, tantusque quantus ipse est. Quid hoc est? nisi quod quiddam majus sit amor Dei, quo minimum justorum amat, quàm omnis amor justorum, Angelorum, & ardentium Seraphinorum, quo illi Deum amant? Quid mirum, cùm omnis amor Angelorum & creaturarum sit limitatus & amor creaturæ, quia tantæ substantiæ & ideò finitus: amor verò quo quis amatur à Deo, est naturâ suâ infinitus, sine termino, sine fundo, cujus finem non est reperire. An non hoc magni solatii est, quemlibet justum ab infinito amatore sic amati, nullo suo bono, nisi hoc, ut possit se creaturis, opesque suæ bonitatis summâ profusione communicare? Secunda proprietas: quòd hic amor infinitus in sua substantia, sit etiam æternus, ita ut quemadmodum Pater & Filius amârunt se invicem ab æterno in Spiritu sancto, ita & nos amamur. Et quemadmodum tres personæ inter se amatoriis sibi mutuo gratulantur affectibus, omnibus studiis, amoris officiis infinitis & æternis inter se certant, quia inest illis essentia, bonitas & pulchritudo infinita, objecta scilicet amoris æterni; ita Pater & Filius suas creaturas rationales, & maximè homines ab æterno, æterno amore sunt prosecuti. Et quidem tunc, cùm starent (ut ita loquar) in abysso suę nihileitatis, cùm nondum essent producti. Quis non prosiliat ad redamãdum beatissimas illas tres personas, quæ in seipsis & suis cordibus velut uno corde tam tenerè & curiosè nos amârunt, priusquàm creati. Hujus considerationis vulnere tacta sponsa, orabat jam amatrix trahi, dum ait Cantic. 1. *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ultima proprietas; quòd hic amor præterquã quòd sit substantialis, infinitus & æternus, sit efficax & operatorius, ut Deum ex se provocet ad omnia largienda atque profundenda, & quodammodo cogatur, cùm ipse sit bonum infinitum, omnes thesauros & fontes bonitatis aperire, ut verè dici possit (secundùm hominem loquor) Deum sui prodigum esse præ hominis desiderio, & similis ebrio, qui vinctus vino, vel similis ęstuãti febribus, qui omnia stragula projicit & se nudatũ omnibus esse vult: sic Deus quasi ebrius omnia donat, om-

1. Proprietas amoris. Amor Dei in nos est infinitæ magnitudine.

2. Proprietas. Amor Dei in nos æternus.

3. Proprietas. Amor Dei in nos efficax.

omnia dispergit, & quasi omnibus se nudatum vult, hoc solo contentus, ut ametur, & nos amore ipsius simus beati. Placuit enim Deo nos *benedicere in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo, sicut nos elegit in ipso ante mundi constitutionem secundùm propositum voluntatis suæ.* Ephesior. 1. Ubi Chrysostomus legit *secundùm vehemens & efficax propositum*, & essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. An non æquum est, ut Deo efficaciter amanti respondeamus efficaci amore?

§. IV.

Altera pars capitis continens proprietates vi amoris Virginei.

QVorsùm hæc omnia? Eò nimirum tendunt, ut ex amoris divini notitia, quo diligimur, immensitatem Virginei amoris, quo nos diligit, etsi infinita sit inæqualitas, cognoscamus. Fateor omnes amores hominum esse accidentia, & substantiales esse non posse, qualis est amor divinus, qui est substantialis: attamen cùm amor Virginis substantialis esse non possit, ipsa Filium Dei Patris, qui est & essentia, & substantia Patris, ut amores suos quodammodo substantiales faceret, dedit nobis filium in fratrem, vestiens illum carne nostræ mortalitatis: ut verè dici possit illud Isaiæ 9. v. 10. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Nobiscum Emmanuel, nobiscum Deus, qui frater noster substantialis factus est nobis, os de ossibus nostris, caro de carne nostra, cùm Virgo & mater & soror nostra illum nobis generet, ut frater noster esset. Ex proprietatibus amoris disce magnitudinem Virginei amoris.

Amor hominum est accidentalis, Dei substantialis.

Amor Virginis erga nos quia substantialis esse non poterat dedit substantiam.

Prima itaque proprietas amoris Virginei est quod sit quodámodo infinitus, sicut amor Dei infinitus est. Sciebat illa nos amari à Deo super omnes creaturas amore infinito propter filium incarnandum in generis humani redemptionem. Inde in Virgine tantus amor per refractionem in nos descendebat, ut omnes amores simul juncti non possent illi adæquari. Sicuti aquæ fontium, quo ex altiori loco in canales emittuntur, eò altiùs valentiori impetu prosiliunt, pondere scilicet à tergo compellente quasi tormento adactæ in aërem altissimum evibrantur: ita Virgo cùm sciret Patris cor ad nos versum, & ideò se ab æternitate electam ut mater nostra esset, adeò exarsit, adeò amore premente sese extulit, ita in omnes partes effudit amores suos, ut nullo obice contineri posset. Hinc in ipso Conceptionis momento, quo anima corpori unita & essentiam Dei contemplata est obtulit sese promptissimam Sanctissimæ TRINITATI in omnia altissima obsequia salutis humanæ, & quidem tanto amore, ut etiam tum elanguesceret, dicens Canticorum 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo*: considerate quòd nigra sim vel fusca, quia decoloravit me sol divinus. Sicut enim in speculo concavo omnes radii colliguntur, & ignis inde flammæque prosiliunt, sic in Virginis anima omnes amores Sanctissimæ TRINITATIS erant collecti, quibus continuò ardebat, ut quasi decolorata videretur, ut impleretur quod erat Canticorum 2. vers. 4. *In me ordinavit charitatem, ut tota charitas sim, & vocer mater pulchra dilectionis, ut Deus Pater Deus amoris.*

Amor Virginis an non proximus est infinito.

Oblatio sui in Conceptione sua.

In cor Virginis omnes amores fluxerunt.

Secunda proprietas, quòd æterno amore nos amet ut Pater, quia illa *ab æterno ordinata*, Proverbiorum 8. vel ut Septuaginta habent *fundata*, & cùm fundata esset, ordinavit in illa charitatem, quâ Deum & homines ardentissimè complecteretur.

Virginis amor æternus.

Tertia proprietas divini amoris est, quòd sit efficax, ut Virginis amor instar matris non solùm est efficax, sed ipsa efficacia. Quemadmodum sanguis Abel clamat de terra, Genesis 4. sic omnes guttæ sanguinis materni clamant pro nobis. Vide efficacem potentiam amoris: parata Filium suum suis manibus pro nobis crucifigere, si Patri placitum fuisset. Omnes ab illa juvantur, nulli negatur auxilium, nemo recedit ab illa mœstus, patet omnibus sinus misericordiæ, omnes sitientes bibunt, ægri sanantur, desperabundi ad spem revocantur, nemo perit, nisi quem perire delectat, & quidem obstinatè.

Virginis amor efficax.

§ V.

Gratitudo deferenda Deo & Virgini.

REstat nunc ut de gratitudine cogitemus, & Deo, & Virgini rependamus, quamvis non ex æquo, quod fieri non potest: sed iis studiis, quæ nostra permittit mortalitas. Quid agit homo cum Deo, tantopere amatus à Deo? quid agit cùm Virgine immensis amoribus à Virgine præventus? numquam ullâ parte sui remetietur affectus affectibus, etiamsi dederit omnem substantiam suam. Quomodo respondit amori divino, qui substantialis, noster amor accidentalis? quomodo voluntas

Amor Dei & Virginis in nos exigunt gratitudinem.

tas nostra, in qua residet amor, voluntati divinæ, cùm & voluntas nostra accidens sit in substantia animæ fundata? Deinde cùm omnis actus creaturæ sit finitus, & creatus, quomodo infinito & æterno poterit adæquari? Deinde quomodo homo respondebit tanto amori Virginis, qui tantus est adversus nos, ut major esse non possit? ac proinde eodem modo infinitus, quo peccatum dicitur infinitæ malitiæ; non quòd verè ejusmodi infinitum malum sit, sed quia tantum, ut majus esse non possit, ac proinde suo modo infinitum: quærendus tamen modus & investiganda ratio tātis beneficiis satisfaciendi, & dives voluntas offerenda est, cùm aliud non possis. Modus autem hic sit: Ut diligamus Deum & Virginem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus; & cum paupercula vidua duo minuta; corpus scilicet & animā, cum vehemēti amore & affectu voluntatis, tātis Principibus offerentes consecremus. Quo pacto fiet, ut substantialem amorem divinum quasi per umbram adæquemus; per amorem scilicet, qui est actus voluntatis, quæ est sola potentia, quâ Deum amare anima potest. Cujus intervētu per amorem homo reddit substantiam animæ suæ, sui intellectus, suæ voluntatis, omnium sensuum & virium suarum totius corporis. Cùm ergo amorem substantialem reddere non potest, per amorem reddit omnem suam substantiam, & suo creatori redonat: Secundus modus satisfaciendi: Infinitum amorem offerre non possumus; ita est: quomodo enim creatura attinget altitudinem infiniti? Imitemur ergo Seraphinos Isaiæ 6. qui clamabāt alter ad alterum & dicebant: *Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloriâ ejus.* Imitemur *viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis; ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem magnam & regnasti.* Eamus de virtute in virtutem; crescat amor singulis momētis vitæ; advocemus omnes creaturas cœli & terræ, ut compari concentu in laudes Dei excurrant, & jungamus voces tribus pueris in medio flammarum innoxiis, Danielis 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* & cùm Davide Psalm. 148. ut simul conspiranti voce Deum laudibus afficiant, & illud magnum numen adorent. Omnes denique creaturas advoca, cœlum & terram invita, & denique quidquid in orbe terrarum creatum tanquam classico dato ad debitas laudes Virgini offerendas titulo cognationis, seu jure parentelæ, ceu communione eiusdem substantiæ ferventer invita. Et ne quid desit votorum communi gratulatione, Virginis felicitati congratulentur, quòd illa inter omnes sit electa, & omnibus aliis posthabitis sic sit exaltata. Et cùm actum infinitum exercere non possumus, saltem per velleitatem, ut loquuntur Theologi, seu per desideria inefficacia, ardentissima tamen, eò usque animam nostram extendamus, ut si possibile foret, quantum in nobis est, vellemus Deo offerre infinitos amores; uti D. Dominicus, qui præ vehementia amoris optabat omnia membra in particulas dissecari, quo diutiùs viveret, & lentiùs posset mori in amori summi argumentum.

Gratitudo paratur divite voluntate.

Primus modus gratitudinis solvendæ.

Quâ arte erit amor noster substantialis.

Quomodo infinitus amor à nobis formandus.

Per actus inefficaces omni vi elicitos summè Deus honoratur.

Per actus inefficaces eliciendi actus infiniti.

Æterno verò amori, sicut nec Dei, ita nec Virginis, nec per similitudinem, nec per umbram aliquibus obsequiis possumus remunerari, aut vicissitudine amoris aliquam gratiam referre, cùm æterni non simus. Per vota ergo & actus complacentiæ dedicemus Deo æternas gratiarum actiones in compensationem amoris, quo nos ab æterno amavit; cum qua æternitate jmaginaria, homo per jmaginem æternitati amoris divini correspondebit. Hæc subtiliter observavit Origenes, Hom. 6. super Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum & ultrà.* Et de Virgine: *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Quid hoc est dicere, nisi vocis complacentiæ & desideriis ex amore profectis optare Deo mille & mille æternitates si forent possibiles? Cùm enim terminus in æternitate dari non possit, ita nec ultrà procedi potest; nihilominus tamen intellectus noster transvolat super omnia, & fingit mille æternitates. Sicuti fingimus ultramarinos terminos ab hoc termino: sic & amor dum fertur in objectum infinitè amatum, elevat se per potentiam voluntatis, & optat & vult bonum infinitum, quod comprehendere nequit per intellectum, qui fingit sibi illud, & lancinat se in abyssum, donec ibi mersus absorptusque, altitudine infinitæ Majestatis opprimatur. Et quamvis per illos actus amoris nobilissimos infinitè mereri non possimus, cùm infinitum Deum nequeat infinitè attingere: supra modum tamen summè crescunt merita hujusmodi generosis actibus, quibus Deus & infinitè & æternè per imaginationem intellectualem; quantum possibile est, honoratur. Sicut enim qui aureum dat in eleēmosynam, verè dat aureum in specie; imaginans tamen & verè existimans esse doublonem, congratulando sibi esse doublonem, quem dare pauperi possit, an non ille meritum doublonis assequitur? cur non & is, qui æternos optabiliter & inflammatis votis Deo dedicat, consecrat & transmittit amores, cur hujusmodi amorum præmia non mereretur?

Quâ ratione æterni amoris actus eliciendi.

Per intellectus operationes fingimus æternitates, quas Deo dicam, gratissimum Deo.

An per hujusmodi actus infinite mereamur.

Actus hujusmodi summi meriti.

Restat ut quanta fuerint incendia flammarum exæstuantium in corde Virgineo sanctissimâque animâ adversus Deum & suum Filium, ostendatur.

Summi

§. VI.

De quatuor gradibus violentæ charitatis.

PRimus gradus vulnerat, Secundus ligat; Tertius languidum facit, Quartus in defectum adducit. Vulnerat. Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Ligat. Oseæ 11. vers. 4. *In funiculis Adam traham eos*, in funiculis charitatis. Languidum facit, *Annunciate ei quia amore langueo.* Cantic. 2. In defectum adducit: Psalm. 117. vers. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Et alibi: *Defecit cor meum & caro mea in Deum meum.* Psalm. 72. vers. 26.

Primus gradus violenti amoris.

Vulnus cordis.

Primum gradum sic explicat subtilis Doctor Tract. 4. de gradibus violentæ charitatis: Nónne tibi corde percussus videtur, quando igneus ille amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectum transverberat interim, ut desiderij sui æstus cohibere vel dissimulare non valeat? Desiderio ardet, fervet affectu, æstuat, anhelat, profundè ingemiscens, & longa suspiria trahẽs. Hæc tibi animæ vulneratæ certa signa sint: gemitus atque suspiria, vultu pallens atque tabescens. Hic tamen gradus interpolationem recipit & incumbentium negotiorum curis & sollicitudinibus cedit. Febricitantium itaque more, qui hoc typho vexantur, nunc acrius uruntur, nunc occupationum suarum occasione aliquantulum recreantur: sed iterum post modicam interpolationem æstuans, ardor ferventior redit, animumq; jam fractum acriùs incendit, & vehementiùs urit. Nunc gradum amoris violenti multis partibus prætergreditur Virgo: omnes enim ejus actiones erant quasi Cantic. 8. *Lampades ignis atque flammarum*, vel, ut alia lectio habet, *ala ignita*, quibus ad cælum volitans, cælum totum incendebat, ut planè ignitum videretur. Nullus erat respirationi locus, & quidem tum, cùm videretur respirare, quælibet vox, quilibet cordis motus & oculi, cor dilecti vulnerabant. Erat tota quasi incendiaria, & similis Deo, qui totus ignis est.

Secundus gradus, quod amor liget.

Secundus gradus: Sæpè itaque recedens amor, semperq; seipso maior rediens, paulatim animum emollit, viresque effringit atque exhaurit, donec planè animum sibi subigat atque substernat, jugique sui memoriâ totum occupet, totum obliget, ita ut hoc ei excidere aut aliud cogitare non possit, & jam de primo gradu ad secundum transit. Nónne ligatus est animus, quando hoc unum oblivisci, aut aliud meditari non potest? Quidquid agat, quidquid dicat, hoc semper mente revolvitur, perennique memoriâ tenetur; hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni horâ retractat. Hic gradus non, sicut ille superior, aliquam interpolationem admittit, sed, more acutæ febris, continuo ardore animum urit, jugique desiderij sui æstu incendit, nec die, nec nocte animam quiescere sinit. Magnus hic & elevatus gradus: at & illum supergreditur Sanctissima Virgo; illa enim & dormiens, & ligatis sensibus, ut dictum est, incensis operabatur affectibus: illa quippe operabatur more Angelico independenter à phantasmatibus, juxta illud Cantic. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vigilat igne æterno, quem nec universa flumina valent exstinguere.

Tertius gradus violenti amoris, languor.

Tertius gradus. Summus est secundus, sed non solus. In tertio itaque violentæ charitatis gradu, nil omninò satisfacere potest, præter unum, sicut & nihil sapere, nisi propter unum; unum amat, unum diligit, unum sitit, unum concupiscit, solum est in quo reficitur, solum ex quo satiatur.

Discrimen inter secundum gradũ & tertium.

Quis affectus hujus tyrannidem describat, quomodo omne desiderium expellit, omne studium excludit? In secundo gradu alienis negotiis per actionem utique occupari potest, sed per cogitationem non potest, quia ejus, quod diligit, omninò oblivisci non potest. In hoc autem gradu mens tabida, & amoris nimietate languida, sicut non potest alia meditari; sic non potest alia operari. Secundus ligat in cogitatione; hic enervat in actione: in illo gradu manus & pedes adhuc liberos habemus, & febricitantis more huc atque illuc extendere & in bono opere exercere & possumus & debemus; in hoc autem gradu amoris nimietas ad languoris similitudinem manus ac pedes enervat, ut deinceps mens nihil prorsus ab arbitrio agat. Altior hic tertius duobus primis. Hic amans languet, & contabescit, febricitat, totus suus non est, quasi ligatus vivit, quasi enervatus jacet. Altior & hoc gradu est Virginis amor. Virgo quidem languet ex excessu amoris: non languet tamen; sed hoc amore vivacior flammas amans patitur, & vegetior seipsâ in flammas amoris sese immittit. Tanta est fortitudo Virginis in ipsis amorum flammis: Illa non more aliorum Sanctorum exstaticorum defectionem sui patitur, non tabescit vulnere sauciata, etsi tota vulnerata: sed instar Salamandræ vivit in ipsis ignibus, quibus pascitur tanquam deliciis & omni pabulo voluptatis. Dicam melius: Ita facta est charitatis & amoris filia, ut proximè Deum imitetur, qui charitas & ignis est, & beatissimè, summè tamen ardens vivit & ignitus; ita & ipsa, quia mater pulchræ dilectionis, nihil patitur violentiæ; sed in ipsa charitate quasi sibi nativâ substantiâ felicissimè vivit. Et nec mirum: nam in hoc tota quanta est simillima Filio, in cujus actionibus nihil violentiæ natura humana patiebatur; quandoquidem anima cum naturæ affectibus plenè Deo esset sub ordinata

Diversa exstasis S. Virginis ab aliorum sanctorũ.

Nihil patiebatur Virgo violentiæ.

More quasi naturali affi ciebatur.

ordinata atque subjecta. Quemadmodum album & qualitates subjecta sibi proportionata afficiunt sine molestia, sine repugnantia: ita Virgo æstuabat ardebatque in similitudinem languoris sine languore, cum hominibus ita Dei causâ vivebat quamvis viveret charitatis sagittis vulnerata, ut imaginem tantarum flammarum non præ se ferret. Attende Lector: operationes enim matris Dei propter altitudinem gratiarum erant illi factæ quodammodò connaturales. Quemadmodum surculi per incisionem artificis, arboris genitricis per adoptationem succos & alimentum in sui educationem & incrementum trahunt: sic Sanctissima Virgo summo Deo, quasi tanto bono insita, nullo naturæ sensu vel detrimento adhærebat; ita ut quasi adolesceret his spiritualibus succis in novam ætatem, vel, si velis, erat instar aquæ guttæ, immersæ oceano vini optimi, ita ut illa tenuitas aquæ nusquam compareret.

Cuiusmodi erant Virginis operationes sine læsione corporis.

Quartus gradus violentæ charitatis est, quando æstuantis animi desiderio jam omninò nihil satisfacere potest. Hic gradus quia humanæ possibilitatis metas semel excessit, crescendi, ut ceteri, terminum nescit; quia semper invenit, quod adhuc concupiscere possit.

Quartus gradus, violentæ charitatis.

Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat: sitit & bibit, bibendo tamen sitim suam non extinguit; sed quò amplius bibit, eò amplius & sitit. Hic est ille gradus, qui defectum adducit, qui de remedio jam desperare facit; & sic desperatus æger, qui quasi præmortuis membris jacet, jam ulteriùs quid agat, vel ab alio exspectare debeat, non habet; ultimum jam spiritum trahit, & quid circa se agatur, vel quid sibi fiat, nec attendit, nec advertit. In hoc gradu verum est illud: *Fortis est, ut mors, dilectio.* Cantic. 8. Quartus hic gradus tantus est, ut ferè excedat omnem vim amoris, qui in hac vita obtineri potest: illum tamen infinitis quasi passibus Sanctissima Virgo supergreditur, in se complectens perfectiùs & nobiliori modo quidquid illo gradu describitur. Illa instar Salamandræ in mediis ignibus, ut dictum est, plena Deo, vegeto & vitali corpore operabatur; illa tota immersa in Filij amoribus, novos amores nutriebat, quibus æstuabat sine æstu: quidquid rerum gerebat; gerebat autem res maximas, & fortiter Filij causam & gloriam propagabat; ita tamen propagabat, ut intenta summis curis, semper intensissimis frueretur amoribus. Hos semper bibebat & habebat amores, & bibendo novas flammas bibebat, ut immori nullo mortis sensu, suis amoribus videretur. Erat illa prodigium amoris, & flammarum semper novis accessionibus crescentium, erat & prodigium fortitudinis, quâ patiens tantos æstus felicissimè viveret.

Admirabilis officina amoris ardentis.

Prodigium flammarũ Virgo.

A Amor Virginis in cruce deficiebat & deficiens moriebatur, & fortior amor ipsâ morte vivebat: stabat enim Virginis amor erectus.

Sustentavit Deus fragile corpus ne cremaretur incendiis amoris, qui trium puerorum tiaras in igne Babylonio servavit innoxias. Si Divinæ placuit voluntati, inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solùm puerorum corpora, verùm etiam vestimenta servare innoxia, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Sic Augustinus in Serm. de Assumpt. Cùm igitur de caussa mortis disputatur, scio nullam consignari, quàm dominantis amoris excessum, quàm infinita B propè flammarum incendia, quibus cordis succus, & vigor cum ætate graviore sensim sine sensu fuit consumptus. Violentiam ergo amoris non tolerandam, jucundè toleravit, nec non impetus & majores natura patiens, & non patiens jucundè per tot annos exhausit; quandoquidem (ut dictum) sine tædio & fastidio corporis, vel grandi virium diminutione (quæ Sanctis aliis solet accidere, qui corporis vires extenuant & exhauriunt) more Angelico in Deum ferebatur; non aliter ferè, quàm Seraphini, quibus connaturalis est ardor, & in flammis vivere est beatè & sempiternâ vitâ vivere. Nihilominus cùm moriendum erat, nullo defectu suo obiit, sed solâ charitate complexa Filium, C finivit & transijt ex aula sui corporis in aulam cælestis gaudii, ita ut eædem flammæ & amoris actus, qui vitæ comites fuerant, fuerint & comites futuræ. Dabit mihi veniam hic Sanctus Doctor Richardus, si dixerim amorem his gradibus non terminari: quomodo enim terminari posset, cùm status Virginis sit proximus dignitatis infinitæ: dignitati autem necesse est ut amor correspondeat? Quanto ergo amore decebat illam vestiri, quam Sol, flammarum pater vestit? An non decebat illam esse amorem ipsum, quæ facta est Mater pulchræ dilectionis? Virginis anima Deum amans amore non satiabatur; quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat: amare au- D tem amorem circulum facit, ut nullus sit finis amoris.

Vivebat in flammis ut tres pueri in fornace.

Mors Angelica Deiparæ ferebatur per amorem.

Amor circulus amoris.

§. VII.

§. VII.

De triplici amore B. Virginis, naturali scilicet, acquisito, & supernaturali.

QUò autem perfectiùs magnitudinem amoris Sanctissimæ Virginis penetremus, proponemus Virginem triplici amoris diademate coronatam.

Summus parentum in filios amor.

Primum diadema est amoris naturalis, qui maximus & ardentissimus esse solet. Quid enim ardentius amore parentum in filios? quippè qui diligant filios ut maximam partem sui, seque ipsos in filijs velut in speculo contemplantur, ex quo amoris radij ardentiores resultant. Et quamvis juxta Aristotelem, lib. 8. Ethicor. cap. 12. dicatur, *hominem quamvis ratione objecti debeat magis diligere parentes; ratione tamen sui magis diligere filium, quippè sibi conjunctiorem.* Multò tamen præ alijs matribus ardentior fuit Virginis amor in filium, qui totus Virginis fuit, nullus enim in societatem hujus generationis admissus. An non hunc maternum amorem etiam animalibus Deus indidit? an non corvi, ut narrat Albertus l. 8. de animalib. milvum unguibus & furore conficiunt, dum natis præcipiti volatu insidiatur? An non imbellis turtur & gallina sese armat, & potentioribus sese objicit vitæ & sanguinis prodiga. Sabaudia dabit hujus non injucundũ spectaculum. Venator catulos ursæ, matre absente rapit, & jam securus sui discedit; at mater ubi viduum torum sensit, stimulante furore hâc illacque in diversa rapitur, tandem irarum plena in obvium spoliatorem laxat furores, & invadit intrepida. Fit pugna, duellumq; atrox, utrimq; magnis animis: illa pro natis; hic pro vita certat. Succũbit furori venator, & brachium dentibus furiosæ tenetur. Quid agat ingeniosa ultima necessitas? nunc aut vincendum, aut moriẽdum. Librat se in villosum tergum. Abripitur igitur per cæcos præcipitesque saltus, & abruptos saxosósq; colles montesq;. Uterq; sibi captivus videbatur; bestia sessore; venator dentibus feræ: utrimque metus, utrimq; periculum, utrinque cupido vitæ. Tandem belua in supremo quasi desperationis spiritu ultimum sibi & sessori parat exitium, in saltum immanem & præcipitem se libratura; eques verò spectator jam sui exitij ubi brachium laxatum sensit, leniter in terram defluit: belua excusso domitore per saltus & invia quasi exanimata sese præcipitat. At venator casu tanto exẽptus ad Ducẽ cum catulis, quasi triumpho potitus redit. Nullum non animal ex se natum fœtum amat. Hæc lex communis, ita & vehementem in liberos amoris affectum dedit Deus, teste Euripide in Alcmene. *Tantus amor à natura insitus matribus, penes quas ut est laborio-*

Naturalis amor virginis ardentior ordinario.

Corvus turtur gallina pro suo fœtu pugnant.

Mirum spectaculũ Ursæ, & venatoris.

Cur matres ardentius amant.

A *sior educatio, ita & amor ardentior*, teste Aristotele lib. 9. c. 7. At in Virgine duplicatus amor naturalis, quippè ubi paterno non erat locus, ideò fortior & ardentior erat qui in filium redundabat. Rectè Themistius ex lib. de moderat. affectuũ dum disputat alium esse liberorum, quàm divitiarum & pecuniarum amorem. *Est enim*, inquit, *liberorum amor calitus natura alligatus, qui planè ab aurea illa infraq; catena pendet, quam natura perpetuò contexens & abeuntibus nascentia conjũgens, & ne in nihilum relabatur, sibi cavet.* Quamobrem & Philosophus, propter philotecniam, hoc est prolis amorem, non erubescit, natura scilicet. Pulchrè hoc Anselmus de excellentia Virgin. cap. 14. *Amorem*, inquit, *quem pater & mater*
B *singuli debent filio suo, debet hac felicissima matrum sola filio suo* Et Bernardinus tom. 3 serm. 1. de gloria nominis Mariæ art. 1. cap. 2. agens de amore naturali Virginis: *Cùm similitudo*, inquit, *& propinquitas est causa amoris naturalis: profectò inter filium & quamcumque aliam matrem tanta propinquitas & similitudo non fuit, quia Christus totus fuit de sola matris substantia.* Igitur inter nullos tanta dilectio. Si singulis parentibus insidet cælitus immissus amor, & latè indomitus regnat ut vinci non possit: quantus virgineæ menti cælitus insitus amor venit? quis nexus, quæ catena aurea aurei amoris contexta inter filium tantum, tantamqum matrem?

In Virgine duplicatus amor naturalis.

Quare in virgine ut matre tantus amor naturalis?

C Secundum diadema amoris, quo coronata est mater Dei, est amor acquisitus, qui exardescit in animo materno, ex bonorum consideratione quæ insunt filio, tam in anima, quàm in corpore. Hic amor acquisitus crescit & adolescit, nec finem facit crescendi, quamdiu materia ex altitudine considerationis subministratur majoris. Quemadmodum ergo in Filio Dei, continuò crescebat sapientia & sanctitas coram hominibus, ita & crescebat & augebatur amor matris singulis momentis. Mittebat Filius signa suæ virtutis, ita & amor acquisitus mittebat radices altioris amoris. Si de sapientia dicatur 8. sap. *Generositatem eius glorificat contubernium habens Dei.* Ubi Græcè habetur: *συμβίωσις*, id est, *convictus: non habet*
D *amaritudinem conversatio illius, nec tadium convictus illius, sed latitiam & gaudium.* Crescebat ergo indies amor acquisitus, & latiùs vires novis additis incrementis diffundebat quodammodo infinitas. Quis posuit terminos filij sui virtutibus? Cum igitur amor ex virtutum claritudine nascatur, & claritudo filij instar auroræ properantis per singula momenta fulgentius procederet, in quantam magnitudinem vim amoris virginei credes processisse, si amor virtutibus responderit? an non dixeris indictum, non imitabilẽ, ac proximè infinitum, cum Filij virtutes excesserint omnem mensuram? Quàm plenis ergo velis pius naturæ affectus, & quàm lætâ aurâ afflatus provehebatur! Auctor amoris & Filius, & mater, mater impertiendo seipsam, filius red-

Secundus amor est amor acquisitus.

In Virgine acquisitus continuo augebatur.

Causa incrementi.

dendo se matri semper se majorem. O quàm dulcis, & Divinus nexus amoris continuò adolescens! Nullus, quod sciam, acquisiti amoris quotidiana & continua sic expressit incremẽta, quàm Fabius Rutillanus Romanus. Hic quinque consulatibus cum gloria peractis, virtutibus & meritis stipendijs clarus, filio suo Fabio gurgiti ad bellum difficile, & periculosum conficiendum Legatus ire non recusavit, non tam corpore, jam effæto, quàm animo militaturus: ultima enim senectus otio lecti, quàm præliorum habilior. Peperit virtus patris filio victoriam. Idem ergo triumphantis currum, equo insidens, sequi, quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat, in maxima voluptate posuit: nec accessor gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est. Crescebant in filio virtutes, & in patre crescebant amores; ut in arboris cortice amantis nomen incisum dum crescit cortex, & amantis crescunt amores. Vide Valerium Maximum lib. 5. Sic & Philippus Alexandri Magni pater caput complexus exclamavit: *Major es, quàm ut te Græcia capiat.* Admiratio virtutis admirabiles augebat amores. Credidit vix filius Dei se exulem tam fido, tam amico, tam constanti, tam decoro matris suæ sanctissimæ convictu, commercioque, cælo deserto, cælũ novum acquisierat: Ministri in cælis Angeli: potior omnibus Angelis una mater ministra: adoratores Angeli; mater adoratrix: illi ad obedientiam creati; Mater & obedientiæ & imperio nata. Exilium in cælum permutatum & in regnum amoris.

Spectaculum amoris crescentis in patre.

Hipsicratea uxor Mithidatis, Mithridati, erat unicum domi forisque pace belloque & in exilio solatium, & fugiens per deserta mapaliaque non æstimabat se profugum tali comite, ut suprà dictum est. Longè gratius filio Dei suæ matris hospitium, & dulce contubernium. Nunquam animo divisus à matre filius, non absentia Filij diremit matrem à filio: videbat semper corde filium mater, & mente complexum pia, fovebat exilio comes & mortis socia, & dolorum particeps: una tamen, ut ita dicam, lis fuit, pericula duri fati uter raperet prior; & cum matri mors dura non daretur præripuit natus, & se sponsorem matris fecit.

Crevit ergo in immensum amor continuo convictu, nec finem facere poterat crescendi, qui secundùm omnem suam latitudinem poterat millies & infinitum millies multiplicari. Quid dicam? Absolvi, si dixero convictũ matris cum Filio fuisse regnum infiniti amoris. Desine ergo mirari, si domicilium sacri convictus Laureti, voluerit filius in sui convictus famam & memoriam servari. An non hoc palatium æterni amoris, quod nemo improbus audet temerare, quod aurea sepes amoris circuit, ubi patet indulgentia peccatoribus æternæ misericordiæ ubi vacat Justitiæ rigor, ubi ubi omnes sentiunt Divini amoris ignem quodammodo debellatur justitia victa amoris flammis, unde omnes referunt trophæa victoriæ de peccatis partæ. Quæ non oscula impressa sacris lapidibus? quæ non suspiria suspirijs conglomerata cælo missa? hîc haurit unusquisque insolitos Virginis ignes, hîc felix peccator amat, & secum vulnera dolorũ trahit. Quid mirum? qui excubant pro sacris penetralibus Angeli pharetrati sparguntque sagittas. O fortunati nimium Lauretani, si sua dona norunt?

Lauretana domus favores, & efficax virtus.

Tertium diadema, quo fulsit caput Virginis, fuit amor supernaturalis & Theologicus, qui infinitis partibus superabat utrumque, quo Deum & Filium diligebat, ut non amare, sed ipsissimus amor esse videretur. Audi Bernardum serm. 29. in Cantica: *Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransijt, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret: sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratiâ plena.* Hoc triplici diademate amorum fulget, & radiat caput Serenissimæ Virginis, qui si conglobentur in unum, quantùm incendiorum erit atq; flammarum! Gradus amoris exstaticos ex B. Richardo citatos, quotuquisque est, qui illos assequatur? at Virgo illos infinitis partibus super volitat. Conjungo his tres amores, quasi tres soles in corde Virginis, an non totum terrarum orbẽ atque cælum incendent atque inflammabunt? Verùm hæc omnia, quæ fusè de pelago amoris Virginei dicta sunt, adumbrant tantùm Virginis ardores, qui quanti sint, nullo modo cognosci possunt, nisi cum amore Patris æterni institutâ Consociatione comparentur. Quemadmodum enim maria objectis molibus violentè retenta, cum fremitu validè intumescunt, assurguntque, si fortè machinas evicerint, straverintque, cum ingenti strage longè lateque sese vortices aquarum diffundunt: vel sicut flammæ ingentes coarctatæ firmiterque cohibitæ, si tandem objecta repagula ferrea, vel rupes fuerint eluctatæ, & victrices perruperint, sine mora ad omnia sese coextendunt, & obvia quæque depascuntur: sic Virginis amores quando cum omnibus creatis conferuntur amoribus, nimium & supra modum coarctantur, si verò cum Patris æterni claritate conferantur, quasi ruptis objicibus convalescunt, & quasi in infinitum sese extendunt. Tanta est magnitudo amoris in uno corde virgineo, ut exhauriri non possit, nisi solâ Patris æterni charitate. Consociationes ergo instituendæ, ut cognosci possit.

Tertius amor in Virgine fuit supernaturalis.

Omnes amoris gradus exstaticos supergressa Virgo.

§. VIII.

§. VIII.

Comparatio amoris paterni cum amore Matris Dei.

QUis crederet hominem à Patre æterno æternis amoribus diligi, nisi ex arcano pectore Patris flammæ prorumpentes in mũdum prosiliissent, in eumque prosilientes concremassent? Latebat in corde Patris infinitus amor & exstaticus quem prodidit, cùm filium suum unigenitum, Deum de se Deo natum, mundo inimico propter nimiam suam charitatem donavit. Et quando juxta Dionysium de Div. in. nomin. c. 4. omnium amator præ amatoriæ bonitatis magnitudine extra se ad omnia quæ sunt pertingẽdo multiplici Providentiæ ratione est egressus. Hunc amorem Patris ipse filius per suum Filium adoptivum Joan. cap. 3. Sic explicans intonuit, dum quasi per exstasim, exstaticum amorem Patris orbi proposuit. *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quid amplius dici potuit? Ipsa sapientia Patris, tanquam homo non potuit verbis humanis assequi infinitum Patris amorem, nisi excessivâ per stuporem particulâ uteretur, ac quasi obrutus ebriusque pelago tanti amoris exclamaret: *Sic Deus dilexit mundum.* Quasi diceret: Tantus, tam excessivus, tam admirabilis, & incomprehensibilis sine mensura, sine fundo, sine termino fuit amor, qui Patrem coëgit ut filium suum daret, ut amoris magnitudinem nullus assequi posset, nisi magnitudine doni perpensa perspectâque. Doni enim magnitudo magnitudinem amoris aperiet, & mensuræ doni respondebit insolens magnitudo amoris. At filio suo quid maius Deus Pater dare potuit, qui in donum datus est? Sic ergo Deus Pater dilexit, tantâ scilicet vehementiâ, tantoque conatu, ut ebrij instar sine discrimine, quasi inconsultè, quasi (si ita fas sit loqui) cum inconsiderantia, quasi prodigè tantum donum, id est filium unicum stimulante infinitæ bonitatis flammâ profuderit. An non pari conamine Sanctissima Virgo quantum creaturæ concessum, Patris æterni respondit amoribus, & mundum diligendo, quem sic dilexit, *ut filium suum unigenitum daret.* Pater Filium dedit, non Angelum, non cælestis aulæ Principem, non cælum, non mundos, sed cæli & universi Dominum, filium suum, per quem creavit & sæcula, juxta Paulum Roman. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* An non Mater Virgo Filium tradidit? non aliquem cognati sanguinis heredem, non mancipia coëmit aut servos; sed Filium Materno sese exuens amore.

Filij donatio & à Deo Patre, & à Matre Virgine facta.

Collatio donationis ex parte utriusque per totum.

Pater suum Filium, verè suum ejusdem secum substantiæ, quem ex se accepit, non ab alio, illum filium quo ipse Pater beatus est: & Mater Virgo Filium suum naturalem, qui est & Patri naturalis, hunc communem filium, qui erat verè totus Virginis, sicut & Patris, & qui sic erat Patris æterni, ut non desineret esse Virginis: totus partus Patris; totus partus Virginis: quem Pater infinitè & Mater infinitè diligebat; Pater indiviso & unico amore; Mater unico & indiviso amore, quo in Filium rapiebatur, ut instar unius essent, ut docet Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 20. *Amor est quasi junctura quadam duo copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet & amatum.* Abraham B cum dedit filium, non dat perfectè suum; nam filij hominum plus sui, quàm patrum sunt: nam substantia filiorum alia est à substantia parentum.

Quamvis ergo homo filium suum dedat, non suum perfectè dat: at Pater æternus dat suum, ejusdem secum substantiæ, cùm ex ipso habeat esse: sic & Mater Virgo dat Filium suum à quâ & ex qua suum ortum accepit.

Pater unigenitum dedit, quia unicum habebat: facilis est donatio in rerum copia, & magna affluentia jacturæ exiguæ damna non sentit; nunc unicum & unigenitum dat Pater ex se natum, non per adoptionis jus acquisitum; sed naturalem: sic & Mater C Virgo dat suum unigenitum, quem peperit, quem & pannis involvit & reclinavit in præsepio, instar leænæ, quæ tantum semel parit. Pater dedit Filium gratuitò, nullo suo bono, nullâ re inde factus ditior; & quidem solo impulsu bonitatis dedit ijs, sine quibus & esse, & benè esse poterat, cùm omnia sint per illum, & in illo, & ex illo: Mater Virgo dedit ijsdem filium nullo suo bono.

Quo enim bono egeret, cujus Filius est omne bonum, qui solus ostendit omne bonum, & sine quo, bonum nullum, est bonum? dedit tamen illum æmulata Patrem æternum, ut nos bonitate Filij dati bonos faceret.

D Cui dedit Deus Pater, & Mater Virgo Filium? seu pro quo? Pro servo, pro mancipio, eoque ingrato & hoste. Mirabile sanè, quod Filius Dominator pro servo, innocens pro iniquo, creator pro creatura detur. Pater dedit Filium exaltandum. Quis umquam tale quid vidit, aut audivit, aut imaginari potuit? Si dedisset ut nobis imperaret, ut à nobis coleretur, magna esset gratia: at dedit exaltandum in cruce tanquam sceleratum. An non hoc omnes limites amoris transcendit? Virgo dedit & exaltandum; scimus enim Virginem Filium suum non semel obtulisse pro mundi salute in victimam expiationis: vix enim bene natum quadragesimo à sacro intaminati partus

die, sine sanguine quidem in templo dedicavit agnum immaculatum, ut figuram, quæ habetur Numerorum 28. nu. 3. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum (offeretis. scil.) Unum offeretis mane & alterum ad vesperum. Jubebatur ergo bis agnus in die immolari, manè & vesperè: manè Virgo in ortu Filij, & vesperè in ara Crucis cruento sacrificio quasi sacerdos immolavit. Mirus profectò utriusque amor, cujus magnitudinem verbis exprimere non valens sanctus Evangelista, uno verbo vehementi expressit, dum ait: *Sic dilexit* Pater victus amore nostri, *ut daret Filium*, ne æternũ periret orbis: sic dedit & Virgo Filium, quo salvaretur; filius eodem amore victus, ultrò seipsum dedit in pretium, quo nos captivos redimeret. Pater Filium dedit tanquam donum amoris, Mater tanquam pignus fidei futuræ; Filius in pretium. Concors ergo per omnia matris amor cum amore Patris. Audi Gersonem in titulo secundo de Cant. 3. Parte, agens de Virgine. *Erige*, inquit, *aures ad voces spiritus sui, dum proprium filium, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum & votorũ consumsit crucifigi pro redemptione nostra, dans nobis illum, utique cum gaudio & exultatione, qua summam superabat carnis angustiam, Matris exuit affectus, alioquin quomodo aliter implesset. Hilarem datorem diligit Deus?* 2. Corinth. 9. cap. vers. 8.

§. IX.

Vltima exstasis, & ultimus gradus Paterni & Materni amoris.

Pater infinitè diligens Filium, uti & Mater Filium infinitè dilectum, præ vehementia amoris ut mundus salvari posset, expositìtium esse voluerunt, juxta Prophetam Psalm. 21. *Tu es, qui extraxisti me de ventre Matris meæ, & in te sum proiectus ex utero. De ventre Matris meæ, Deus meus es tu.* Quæ verba juxta textum Hebraicum sic sunt efferenda: *Expositìtius factus sum ego apud te ex utero Matris meæ.* Quid hoc est, *expositìtius factus sum*? an factus sum Patri vel Matri onus grave, quia expositìtius? an ego Patri & Matri ingratus fructus, quia expositìtius? An non Cyrum Astyages avus territus prodigio, se regno spoliandum à nepote, crudeliter exposuit? Romulus cum Remo fratre spurius, Amulij patrui imperio in profluentem abjectus, & ad pabulum ferarum damnatus, ne qua spes regni, & semen principis sanguinis per Numitorem primogenitum Amulij fratrem superesset? An non Moyses effero Pharaonis imperio aquis suffocandus in flumen deportatus,

Christus factus expositìtius.

Qui expositìtij.

A in odium gentis Hebrææ? Sic & Hieron Syracusanus in silvas projectus, & Semyramis, regina potentissimæ Monarchiæ, juxta stagnum, vix bene nata, seposita: & hi omnes vel odio, vel metu potentiæ, vel invidiâ ad interitum profligati. At ego Patre Deo infinitè amante, & Virgine Matre dilectionis & amoris fonte natus, cur sic miserabilem in modum expositus? Non est locus odio apud infinitè amantem: nullus metus, ubi securitas felicitatis æternæ inconcussa: nullum invidiæ semen, ubi est infinita utrimque summæ beatitudinis par & indivisa in æqualitate Consociatio, in qua ego & Pater, & mecum Mater unum sumus, & tamen quàm dispare fortunâ ego præ alijs abjectus? Cyro Divina Providentia canem, qui vagienti præberet ubera, & à feris defenderet, deinde pastorem stabuli B regij, à quo enutriretur, submisit. Quæ res futuram magnitudinem portendere visa. Romulo & Remo Lupa vagitum sequuta, infantibus se Matrem catulis relictis gessit, & Faustulus regis pastor in futuram spem educavit. Moysen nova forma triremis excepit, fiscella scilicet scirpea bitumine & pice oblita, in flumine natans. At quanta Dei Providentia! à Pharaonis filia in aulam deductus, & in spem regiæ magnitudinis educatus. Hieroni in silvas projecto propè fuit apum exercitus, quæ melle in os conjecto in regem virtute & facinoribus futurum aluerunt. At Semyramis futuræ felicitatis præsagio diu ab avibus nutrita, & paulò pòst à pastoribus sublata, ad eam magnitudinem pervenit, ut penè suâ ma- C gnitudine laboraret: at ego expositìtius videor factus, qui princeps pacis, qui pater futuri sæculi, in prodigium miseriarum & calamitatum, in quem quidquid humana natura patiendo tolerare posset, incurreret. Mater in præsepe vagientem declinavit exposuitque. Sciebat Mater mea mundum nisi me nato, seque matre servari non posse; sciebat donatione mei homines Deo Patri redonandos, & tamen ita tractavit expositum, ut quodammodo se jure materno abdicaret: abdicavit ut me expositum mortales invaderent raperentque, & se periculis, meo periculo liberarent. Mater ergo hominis amore victa, sibi severa, sibique parca, mihi verò quasi facta noverca, ab ulnis, à pectore, ab uberibus, à D complexu avulsum, in publicum stabulum, quasi aulam regiam induxit, ibique natum, & præ frigore trementem in fœno & stramine, quem sciebat regem totius æternitatis, collocavit. In alijs expositìtijs portentosa miracula præsagiebant inexspectatam gloriæ & potentiæ celsitudinem: at in Virginis Filio stabulum, præsepe, stramen & expositio portentosam mortis horribilis & suppliciorum indignitatem loquebantur, & horum non ignara Mater, summè amans Filium tamen suum & unigenitum & verè totum suum, quasi non mater, quasi exutis visceribus suique oblita, in scopum telorum & vulnerum, tanquam

Qua ratione Divina Providentia expositìtiis providit.

Diva Virgo suum Filium ut expositìtium tractavit.

quam sceleratum reum dedit. Et quamvis cor animumque iisdem malorum & telorum imbribus petendum obruendumque præsciret; dedit tamen & Filium in mortem, & se in mortis periculum, maluitque & Filium & seipsam interire, quàm Filij sui proditores.

Virgo Mater visa Matrem exuisse.

Quem ergo Virgo purissima pepererat ex amore nostri, natum exposuit, ut expositio servaremur, expositio gauderemus. O amor! quid non potes? quid non audes? quid non operaris? ô amor! quæ non tentas & perficis? Matrem exuis matre, & viscera tenerrimi amoris transfers in adamantina. Quis nosset magnitudinem, efficientiamque amoris, nisi in tanta luce amoris toto cælo terraque videretur diffusus? O amor, qui semper arsit in corde Patris, qui & arsit in corde Matris; ut mutas ima summis, & operaris prodigia solus, qui transfers hominem in Deum, & Deum in hominem: qui cogis Deum mori, & Deum dejectum gloriæ suæ solio, cruci, quasi sceleratum & opprobrium hominum affigis. Verè diximus (suprà) Deum amorem esse Deorum potentissimum, tam potens amor in Patre Deo, & Matre Virgine, ut Filium suum unigenitum darent.

§. X.

Provocatio ad Dei amorem ab amore vano perituroque.

HAbet universus orbis divini & Virginei amoris tenui calamo ad imitationem instructum adumbratumque exemplum. Ex archetypo tu Lector, tu sume tibi formam amandi; nunquam deerit amandi materia boni pulchrique. Vis ergo beatè vivere? Beatè certè omnes vivere volumus, nec quisquam est, qui non velit esse beatus, & huic voci vix emissæ non statim consentiat. Quem dixeris ergo beatum? Audi Augustinum *lib. 1. de morib. Ecclesiæ cap. 3.*

Quis dicendus beatus.

Beatus, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit: neque qui habet quod amat, si noxium sit: neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit: nam & qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est, quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit, quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria; nec miseria, nec beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt. Nullus ergo istorum beatus. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, A *cùm id, quod est hominis optimum, & habetur, & amatur. Quid enim est aliud, quod dicimus frui, nisi præsto habere, quod diligis? neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beatè vivere cogitamus. Quære ergo quod est hominis optimum; quod profectò deterius esse, quàm ipse homo, non potest.*

Quod sit hominis optimum.

An non hominis optimum Deus? Hunc ergo si sequeris bene, & assequeris; non tantùm benè, sed beatè vives. An non Deus summum bonum? an non summum bonum dignum summo amore? Et quis est summus amor, nisi tendere toto corde in Deum? Nec hoc satis est: ex tota anima tua? nec id quidem satis B est: ex tota mente tua? Et quid vis amplius? Vellem fortasse si viderem quid potest esse amplius. Intuere, precor, Paulum seraphico amore vehementiùs æstuantem amatorem Roman. 8. *Quid ergo nos separabit à charitate Dei? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Cur ita? an non quia bonorum summa nobis Deus est, nobis summum bonum, ac proinde neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum? alterum periculosum est, alterum nullum.

Cùm ergo sit omne bonum, quod etiam optimum dicitur, quis ambiget non sic diligendum, ut nihil aliud præ illo, aut cum illo sit diligendum, nisi propter se? Ad hoc ergo C consilia referas, ut ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente infinitum illud bonum diligas, & ceteris postpositis ad illud adipiscendum Seraphico cursu festines. Dilectione tendit in Deum anima, quâ se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantiùs ac studiosiùs, tanto erit beatior atque sublimior, & illo dominante liberrima. Nemo ergo nos separet ab infinito bono minando mortem: id ipsum enim, quod diligimus, mori non potest, nisi dum non diligit Deum, cùm mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quàm ei quicquam in diligendo aut sequendo præponere. Nemo separet pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat D pollicendo aquam. Nulla nos creatura separet, cùm habeamus creaturæ Creatorem, cui inhærendo beati sumus. Summo ergo Deo, vero amori gloria, longè lateque patens fama. Et quid est optima & summa & latè patens fama? quantò enim meliùs atque diffusiùs diffamatur, tantò diligitur & amatur ardentiùs. Quod cùm fit, ab humano genere, quàm certo & constanti gradu in optimam vitam & beatissimam pergitur.

§. V.

Dilucidatio amoris Virginei, qui tantus est, quantus dari potest.

QVò Virginis amores intimiùs penetremus, ab altiori principio ducendum exordium. Duæ erunt partes hujus tituli. 1. Pars continet proprietates divini amoris in nos. Altera Pars proprietates amoris Virginei in homines.

1. Pars Deus est amor, Deus est charitas. Si amor essētialiter accipiatur, est communis tribus personis, si verò personaliter accipiatur, in quantum procedit à voluntate Patris & Filii, isto modo cōstituit tertiam personam, quæ est Spiritus sanctus, quandoquidem procedat per viam voluntatis. Cùm itaque tantus sit amor, & charitas tanta in Deo, ut duabus personis sufficiat, & adhuc præterea adeò sufficiens, ut infinitè sufficiat ad tertiam personam constituendam in suo esse, &, ut humano loquendi modo utar, tanta est charitas essentialis, quā tres personæ se invicem diligunt & amant, ut supersit infinita potentia amoris, ut domicilium tertium Spiritui sancto statuatur. Amor ergo sive essentialiter accipiatur, ut est communis tribus personis, totus est substantialis, quo personæ divinæ se invicem amant: si verò personaliter accipiatur, in quantum procedit à Patre & Filio ad Spiritus sancti productionem, & totus est substantialis, nullum enim accidens in Deo datur. Amāt ergo se tres beatissimæ personæ substantiali amore, qui in singulis earum est substantia, & quidem substantiæ infinitæ, & sicut superiùs dictum est, non possunt non amare se invicem nisi amore substantiali infinito: quia illorum substantia, est bonum, ex omni parte infinitum, & infinitā perfectione cumulatum. Proprietates itaque divini amoris, quo nos amamur, sunt substantiales: & amor quo Deus nos amat, est sua substantia divinus, & consequenter amor substantialis, quia tota substantia & essentia divina, ut loquar populariter, infinito amore cumulata constat. Amor ergo divinus, quo se tres personæ infinitè invicem amant, sicut est infinitè substantialis, sic est amor quo Pater & Filius amant nos in Spiritu sancto, est infinitè substantialis. Cùm igitur omnis amor in Deo sit sustantialis, & nihil accidentis habeat, diligit nos Deus amore substantiali, quo seipsum diligit. Quis tam ferreus, cujus pectus non commoveatur, cùm videat se ita amari ab infinito illo Deo, ab infinita illa Majestate eodem amore, quo se Pater & Filius amant in Spiritu sancto? Pelle er- A go ex animo tuo omnes amores carnales: proscribe corde tuo omnia vana, quæ ingenerant vana, marcida, & sine substantia accidentia. Hujus substantialis amoris & tanti, vim in tres proprietates dividemus. Prima: Amor Dei, quo nos amat, est infinitus magnitudine, tantusque quantus ipse est. Quid hoc est? nisi quod quiddam majus sit amor Dei, quo minimum justorum amat, quàm omnis amor justorum, Angelorum, & ardentium Seraphinorum, quo illi Deum amant? Quid mirum, cùm omnis amor Angelorum & creaturarum sit limitatus & amor creaturæ, quia tantæ substantiæ & ideò finitus: amor verò quo quis amatur à B Deo, est naturâ suâ infinitus, sine termino, sine fundo, cujus finem non est reperire. An non hoc magni solatii est, quemlibet justum ab infinito amatore sic amari, nullo suo bono, nisi hoc, ut possit se creaturis, opesque suæ bonitatis summâ profusione communicare? Secunda proprietas: quòd hic amor infinitus in sua substantia, sit etiam æternus, ita ut quemadmodum Pater & Filius amârunt se invicem ab æterno in Spiritu sancto, ita & nos amamur. Et quemadmodum tres personæ inter se amatoriis sibi mutuo gratulantur affectibus, omnibus studiis, amoris officiis infinitis & C æternis inter se certant, quia inest illis essentia, bonitas & pulchritudo infinita, objecta scilicet amoris æterni; ita Pater & Filius suas creaturas rationales, & maximè homines ab æterno, æterno amore sunt prosecuti. Et quidem tunc, cùm starent (ut ita loquar) in abysso suę nihileitatis, cùm nondum essent producti. Quis non prosiliat ad redamādum beatissimas illas tres personas, quæ in seipsis & suis cordibus velut uno corde tam tenerè & curiosè nos amârunt, priusquàm creati. Hujus considerationis vulnere tacta sponsa, orabat jam amatrix trahi, dum ait Cantic. 1. *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ultima D proprietas; quòd hic amor præterquā quòd sit substantialis, infinitus & æternus, sit efficax & operatorius, ut Deum ex se provocet ad omnia largienda atque profundenda, & quodammodo cogatur, cùm ipse sit bonum infinitum, omnes thesauros & fontes bonitatis aperire, ut verè dici possit (secundùm hominem loquor) Deum sui prodigum esse præ hominis desiderio, & similis ebrio, qui vinctus vino, vel similis ęstuāti febribus, qui omnia stragula projicit & se nudatū omnibus esse vult: sic Deus quasi ebrius omnia donat, om-

1. Proprietas amoris. Amor Dei in nos est infinitus magnitudine.

2. Proprietas. Amor Dei in nos æternus.

3. Proprietas. Amor Dei in nos efficax.

omnia dispergit, & quasi omnibus se nudatum vult, hoc solo contentus, ut ametur, & nos amore ipsius simus beati. Placuit enim Deo nos *benedicere in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo, sicut nos elegit in ipso ante mundi constitutionem secundùm propositum voluntatis suæ.* Ephesior. 1. Ubi Chrysostomus legit *secundùm vehemens & efficax propositum*, & essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. An non æquum est, ut Deo efficaciter amanti respondeamus efficaci amore?

§. IV.

Altera pars capitis continens proprietates vi amoris Virginei.

Amor hominum est accidentalis, Dei substantialis.

Amor Virginis erga nos quia substãtialis esse non poterat dedit substantiam.

QVorsùm hæc omnia? Eò nimirum tendunt, ut ex amoris divini notitia, quo diligimur, immensitatem Virginei amoris, quo nos diligit, etsi infinita sit inæqualitas, cognoscamus. Fateor omnes amores hominum esse accidentia, & substantiales esse non posse, qualis est amor divinus, qui est substantialis: attamen cùm amor Virginis substantialis esse non possit, ipsa Filium Dei Patris, qui est & essentia, & substantia Patris, ut amores suos quodammodo substantiales faceret, dedit nobis filium in fratrem, vestiens illum carne nostræ mortalitatis: ut verè dici possit illud Isaiæ 9. v. 10. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Nobiscum Emmanuel, nobiscum Deus, qui frater noster substantialis factus est nobis, os de ossibus nostris, caro de carne nostra, cùm Virgo & mater & soror nostra illum nobis generet, ut frater noster esset. Ex proprietatibus amoris disce magnitudinem Virginei amoris.

Amor Virginis an non proximus est infinito.

Prima itaque proprietas amoris Virginei est quod sit quodãmodo infinitus, sicut amor Dei infinitus est. Sciebat illa nos amari à Deo super omnes creaturas amore infinito propter filium incarnandum in generis humani redemptionem. Inde in Virgine tantus amor per refractionem in nos descendebat, ut omnes amores simul juncti non possent illi adæquari. Sicuti aquæ fontium, quo ex altiori loco in canales emittuntur, eò altiùs valentiori impetu prosiliunt, pondere scilicet à tergo compellente quasi tormento adactæ in aërem altissimum evibrantur: ita Virgo cùm sciret Patris cor ad nos versum, & ideò se ab æternitate electam ut mater nostra esset, adeò exarsit, adeò amore premente sese extulit, ita in omnes partes effudit amores suos, ut nullo obice contineri posset. Hinc in ipso Conceptio- A nis momento, quo anima corpori unita & essentiam Dei contemplata est obtulit sese promptissimam Sanctissimæ TRINITATI in omnia altissima obsequia salutis humanæ, & quidem tanto amore, ut etiam tum elangueſceret, dicens Canticorum 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo*: considerate quòd nigra sim vel fusca, quia decoloravit me sol divinus. Sicut enim in speculo concavo omnes radii colliguntur, & ignis inde flammæque prosiliunt, sic in Virginis anima omnes amores Sanctissimæ TRINITATIS erant collecti, quibus continuò ardebat, ut quasi decolorata videretur, ut impleretur quod erat Canticorum 2. vers. 4. *In me ordi-* B *navit charitatem, ut tota charitas sim, & vocer mater pulchra dilectionis, ut Deus Pater Deus amoris.*

Oblatio sui in Conceptione sua.

In cor Virginis omnes amores fluxerunt.

Virginis amor æternus.

Secunda proprietas, quòd æterno amore nos amet ut Pater, quia illa *ab æterno ordinata*, Proverbiorum 8. vel ut Septuaginta habent *fundata*, & cùm fundata esset, ordinavit in illa charitatem, quà Deum & homines ardentissimè cumplecteretur.

Virginis amor efficax.

Tertia proprietas divini amoris est, quòd sit efficax, ut Virginis amor instar matris non solùm est efficax, sed ipsa efficacia. Quemadmodum sanguis Abel clamat de terra, Genesis 4. sic omnes guttæ sanguinis materni clamant pro nobis. Vide efficacem potentiam amoris: parata Filium C suum suis manibus pro nobis crucifigere, si Patri placitum fuisset. Omnes ab illa juvantur, nulli negatur auxilium, nemo recedit ab illa mœstus, patet omnibus sinus misericordiæ, omnes sitientes bibunt, ægri sanantur, desperabundi ad spem revocantur, nemo perit, nisi quem perire delectat, & quidem obstinatè.

§ V.

Gratitudo deferenda Deo D *& Virgini.*

Amor Dei & Virginis in nos exigunt gratitudinem.

REstat nunc ut de gratitudine cogitemus, & Deo, & Virgini rependamus, quamvis non ex æquo, quod fieri non potest: sed iis studiis, quæ nostra permittit mortalitas. Quid agit homo cum Deo, tantopere amatus à Deo? quid agit cùm Virgine immensis amoribus à Virgine præventus? numquam ullâ parte sui remetietur affectus affectibus, etiamsi dederit omnem substantiam suam. Quomodo respondit amori divino, qui substantialis, noster amor accidentalis? quomodo volun-

tas

tas nostra, in qua residet amor, voluntati A divinæ, cùm & voluntas nostra accidens sit in substantia animæ fundata? Deinde cùm omnis actus creaturæ sit finitus, & creatus, quomodo infinito & æterno poterit adæquari? Deinde quomodo homo respondebit tanto amori Virginis, qui tantus est adversus nos, ut major esse non possit? ac proinde eodem modo infinitus, quo peccatum dicitur infinitæ malitiæ; non quòd verè ejusmodi infinitum malum sit, sed quia tantum, ut majus esse non possit, ac proinde suo modo infinitum: quærendus tamen modus & investiganda ratio tãtis beneficiis satisfaciendi, & dives voluntas offerenda est, cùm aliud non possis. Modus autem hic sit: Ut diligamus Deum & Virginem ex toto B corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus; & cum paupercula vidua duo minuta; corpus scilicet & animã, cum vehemẽti amore & affectu voluntatis, tãtis Principibus offerentes consecremus. Quo pacto fiet, ut substantialem amorem divinum quasi per umbram adæquemus; per amorem scilicet, qui est actus voluntatis, quæ est sola potentia, quâ Deum amare anima potest. Cujus intervẽtu per amorem homo reddit substantiam animæ suæ, sui intellectus, suæ voluntatis, omnium sensuum & virium suarum totius corporis. Cùm ergo amorem substantialem reddere non potest, per amorem reddit omnem suam substantiam, & suo creatori redonat: Secundus modus satisfa- C ciendi: Infinitum amorem offerre non possumus; ita est: quomodo enim creatura attinget altitudinem infiniti? Imitemur ergo Seraphinos Isaiæ 6. qui clamabãt alter ad alterum & dicebant: *Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloriâ ejus.* Imitemur *viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis; ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem magnam & regnasti.* Eamus de virtute in virtutem; crescat amor singulis momẽtis vitæ; advocemus omnes creaturas cœli & terræ, ut compari concentu in laudes Dei excurrant, & jungamus vo- D ces tribus pueris in medio flammarum innoxiis, Danielis 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* & cùm Davide Psalm. 148. ut simul conspiranti voce Deum laudibus afficiant, & illud magnum numen adorent. Omnes denique creaturas advoca, cœlum & terram invita, & denique quidquid in orbe terrarum creatum tanquam classico dato ad debitas laudes Virginis offerendas titulo cognationis, seu jure parentelæ, ceu communione eiusdem substantiæ ferventer invita. Et ne quid desit votorum communi gratulatione, Virginis felicitati congratulentur, quòd illa inter omnes sit electa, & om-

Gratitudo paratur divite voluntate.

Primus modus gratitudinis solvenda.

Quâ arte erit amor noster substantialis.

Quomodo infinitus amor à nobis formandus.

Per actus inefficaces omni vi elicitos summè Deus honoratur.

nibus aliis posthabitis sic sit exaltata. Et cùm actum infinitum exercere non possumus, saltem per velleitatem, ut loquuntur Theologi, seu per desideria inefficacia, ardentissima tamen, eò usque animam nostram extendamus, ut si possibile foret, quantum in nobis est, vellemus Deo offerre infinitos amores; uti D. Dominicus, qui præ vehementia amoris optabat omnia membra in particulas dissecari, quo diutiùs viveret, & lentiùs posset mori in amori summi argumentum.

Per actus inefficaces eliciendi actus infiniti.

Æterno verò amori, sicut nec Dei, ita nec Virginis, nec per similitudinem, nec per umbram aliquibus obsequiis possumus remunerari, aut vicissitudine amoris aliquam gratiam referre, cùm æterni non simus. Per vota ergo & actus complacentiæ dedicemus Deo æternas gratiarum actiones in compensationem amoris, quo nos ab æterno amavit; cum qua æternitate imaginaria, homo per imaginem æternitati amoris divini correspondebit. Hæc subtiliter observavit Origenes, Hom. 6. super Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum & ultrà.* Et de Virgine: *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Quid hoc est dicere, nisi vocis complacentiæ & desideriis ex amore profectis optare Deo mille & mille æternitates si forent possibiles? Cùm enim terminus in æternitate dari non possit, ita nec ultrà procedi potest; nihilominus tamen intellectus noster transvolat super omnia, & fingit mille æternitates. Sicuti fingimus ultramarinos terminos ab hoc termino: sic & amor dum fertur in objectum infinitè amatum, elevat se per potentiam voluntatis, & optat & vult bonum infinitum, quod comprehendere nequit per intellectum, qui fingit sibi illud, & lancinat se in abyssum, donec ibi mersus absorptusque, altitudine infinitæ Majestatis opprimatur. Et quamvis per illos actus amoris nobilissimos infinitè mereri non possimus, cùm infinitum Deum nequeat infinitè attingere: supra modum tamen summè crescunt merita hujusmodi generosis actibus, quibus Deus & infinitè & æternè per imaginationem intellectualem; quantum possibile est, honoratur. Sicut enim qui aureum dat in eleëmosynam, verè dat aureum in specie; imaginans tamen & verè existimans esse doublonem, congratulando sibi esse doublonem, quem dare pauperi possit, an non ille meritum doublonis assequitur? cur non & is, qui æternos optabiliter & inflammatis votis Deo dedicat, consecrat & transmittit amores, cur hujusmodi amorum præmia non mereretur?

Quâ ratione æterni amoris actus eliciendi.

Per intellectus operationes fingimus æternitates, quas Deo dicam, gratissimum Deo.

An per hujusmodi actus infinite mereamur.

Actus hujusmodi summi meriti.

Restat ut quanta fuerint incendia flammarum exæstuantium in corde Virgineo sanctissimâque animâ adversus Deum & suum Filium, ostendatur.

Summi

§. VI.

De quatuor gradibus violentæ charitatis.

PRimus gradus vulnerat, Secundus ligat; Tertius languidum facit, Quartus in defectum adducit. Vulnerat. Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Ligat. Oseæ 11. vers. 4. *In funiculis Adam traham eos*, in funiculis charitatis. Languidum facit. *Annunciate ei quia amore langueo.* Cantic. 2. In defectum adducit: Psalm. 117. vers. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Et alibi: *Defecit cor meum & caro mea in Deum meum.* Psalm. 72. vers. 26.

Primus gradus violenti amoris. *Vulnus cordis.*

Primum gradum sic explicat subtilis Doctor Tract. 4. de gradibus violentæ charitatis: Nónne tibi corde percussus videtur, quando igneus ille amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectum transverberat interim, ut desiderij sui æstus cohibere vel dissimulare non valeat? Desiderio ardet, fervet affectu, æstuat, anhelat, profundè ingemiscens, & longa suspiria trahẽs. Hæc tibi animæ vulneratæ certa signa sint: gemitus atque suspiria, vultu pallens atque tabescens. Hic tamen gradus interpolationem recipit & incumbentium negotiorum curis & sollicitudinibus cedit. Febricitantium itaque more, qui hoc typho vexantur, nunc acriùs uruntur, nunc occupationum suarum occasione aliquantulum recreantur: sed iterum post modicam interpolationem æstuans, ardor ferventior redit, animumq; jam fractum acriùs incendit, & vehementiùs urit. Nunc gradum amoris violenti multis partibus prætergreditur Virgo: omnes enim ejus actiones erant quasi Cantic. 8. *Lampades ignis atque flammarum*, vel, ut alia lectio habet, *alæ ignitæ*, quibus ad cælum volitans, cælum totum incendebat, ut planè ignitum videretur. Nullus erat respirationi locus, & quidem tum, cùm videretur respirare, quælibet vox, quilibet cordis motus & oculi, cor dilecti vulnerabant. Erat tota quasi incendiaria, & similis Deo, qui totus ignis est.

Secundus gradus, quod amor ligat.

Secundus gradus: Sæpè itaque recedens amor, semperq; seipso maior rediens, paulatim animum emollit, viresque effringit atque exhaurit, donec planè animum sibi subigat atque substernat, jugique sui memoriâ totum occupet, totum obliget, ita ut hoc ei excidere aut aliud cogitare non possit, & jam de primo gradu ad secundum transit. Nónne ligatus est animus, quando hoc unum oblivisci, aut aliud meditari non potest? Quidquid agat, quidquid dicat, hoc semper mente revolvitur, perennique memoriâ tenetur; hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni horâ

A retractat. Hic gradus non, sicut ille superior, aliquam interpolationem admittit, sed, more acutæ febris, continuo ardore animum urit, jugique desiderij sui æstu incendit, nec die, nec nocte animam quiescere sinit. Magnus hic & elevatus gradus: at & illum supergreditur Sanctissima Virgo; illa enim & dormiens, & ligatis sensibus, ut dictum est, incensis operabatur affectibus: illa quippe operabatur more Angelico independenter à phantasmatibus, juxta illud Cantic. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vigilat igne æterno, quem nec universa flumina valent exstinguere.

Tertius gradus violenti amoris, languor.

Tertius gradus. Summus est secundus, sed non solus. In tertio itaque violentæ charita-
B tis gradu, nil omninò satisfacere potest, præter unum, sicut & nihil sapere, nisi propter unum; unum amat, unum diligit, unum sitit, unum concupiscit. solum est in quo reficitur, solum ex quo satiatur.

Discrimen inter secundum gradũ & tertium.

Quis affectus hujus tyrannidem describat, quomodo omne desiderium expellit, omne studium excludit? In secundo gradu alienis negotiis per actionem utique occupari potest, sed per cogitationem non potest, quia ejus, quod diligit, omninò oblivisci non potest. In hoc autem gradu mens tabida, & amoris nimietate languida, sicut non potest alia meditari; sic non potest alia operari. Secundus ligat in cogitatione; hic enervat in
C actione: in illo gradu manus & pedes adhuc liberos habemus, & febricitantis more huc atque illuc extendere & in bono opere exercere & possumus & debemus; in hoc autem gradu amoris nimietas ad languoris similitudinem manus ac pedes enervat, ut deinceps mens nihil prorsus ab arbitrio agat. Altior hic tertius duobus primis. Hîc amans languet, & contabescit, febricitat, totus suus non est, quasi ligatus vivit, quasi enervatus jacet. Altior & hoc gradu est Virginis amor. Virgo quidem languet ex excessu amoris: non languet tamen; sed hoc amore vivacior flammas amans patitur, & vegetior seipsâ in flammas amoris sese immittit. Tanta est fortitudo Virginis in ipsis amorum flammis: Illa non more aliorum

Diversa exstasis S. Virginis ab aliorum sanctorũ.

D Sanctorum exstaticorum defectionem sui patitur, non tabescit vulnere sauciata, etsi tota vulnerata: sed instar Salamandræ vivit in ipsis ignibus, quibus pascitur tanquam deliciis & omni pabulo voluptatis. Dicam melius: Ita facta est charitatis & amoris filia, ut proximè Deum imitetur, qui charitas & ignis est, & beatissimè, summè tamen ardens vivit & ignitus; ita & ipsa, quia mater pulchræ dilectionis, nihil patitur violentiæ; sed in ipsa charitate quasi sibi nativâ substantiâ felicissimè vivit. Et nec mirum: nam in hoc tota quanta est simillima Filio, in cujus actionibus nihil violentiæ natura humana patiebatur; quandoquidem anima cum naturæ affectibus plenè Deo esset sub

Nihil patiebatur Virgo violentiæ.

More qualitatum non male afficientium.

ordinata atque subjecta. Quemadmodum album & qualitates subjecta sibi proportionata afficiunt sine molestia, sine repugnantia: ita Virgo æstuabat ardebatque in similitudinem languoris sine languore, cum hominibus ita Dei caussâ vivebat quamvis viveret charitatis sagittis vulnerata, ut imaginem tantarum flammarum non præ se ferret. Attende Lector: operationes enim matris Dei propter altitudinem gratiarum erant illi factæ quodammodò connaturales. Quemadmodum surculi per incisionem artificis, arboris genitricis per adoptationem succos & alimentum in sui educationem & incrementum trahunt: sic Sanctissima Virgo summo Deo, quasi tanto bono insita, nullo naturæ sensu vel detrimento adhærebat; ita ut quasi adolesceret his spiritualibus succis in novam ætatem, vel, si velis, erat instar aquæ guttæ, immersæ oceano vini optimi, ita ut illa tenuitas aquæ nusquam compareret.

Cujusmodi erant Virginis operationes sine læsione corporis.

Quartus gradus violentæ charitatis est, quando æstuantis animi desiderio jam omninò nihil satisfacere potest. Hic gradus quia humanæ possibilitatis metas semel excessit, crescendi, ut ceteri, terminum nescit; quia semper invenit, quod adhuc concupiscere possit.

Quartus gradus, violentæ charitatis.

Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat: sitit & bibit, bibendo tamen sitim suam non extinguit; sed quò amplius bibit, eò amplius & sitit. Hic est ille gradus, qui defectum adducit, qui de remedio jam desperare facit; & sic desperatus æger, qui quasi præmortuis membris jacet, jam ulteriùs quid agat, vel ab alio exspectare debeat, non habet; ultimum jam spiritum trahit, & quid circa se agatur, vel quid sibi fiat, nec attendit, nec advertit. In hoc gradu verum est illud: *Fortis est, ut mors, dilectio.* Cantic. 8. Quartus hic gradus tantus est, ut ferè excedat omnem vim amoris, qui in hac vita obtineri potest: illum tamen infinitis quasi passibus Sanctissima Virgo supergreditur, in se complectens perfectiùs & nobiliori modo quidquid illo gradu describitur. Illa instar Salamandræ in mediis ignibus, ut dictum est, plena Deo, vegeto & vitali corpore operabatur; illa tota immersa in Filij amoribus, novos amores nutriebat, quibus æstuabat sine æstu: quidquid rerum gerebat; gerebat autem res maximas, & fortiter Filij causam & gloriam propagabat; ita tamen propagabat, ut intenta summis curis, semper intensissimis frueretur amoribus. Hos semper bibebat & habebat amores, & bibendo novas flammas bibebat, ut immori nullo mortis sensu, suis amoribus videretur. Erat illa prodigium amoris, & flammarum semper novis accessionibus crescentium; erat & prodigium fortitudinis, quâ patiens tantos æstus felicissimè viveret.

Admirabilis officina amoris ardentis.

Prodigium flammarū Virgo.

A Amor Virginis in cruce deficiebat & deficiens moriebatur, & fortior amor ipsâ morte vivebat: stabat enim Virginis amor erectus.

Sustentavit Deus fragile corpus ne cremaretur incendiis amoris, qui trium puerorum tiaras in igne Babylonio servavit innoxias. Si Divinæ placuit voluntati, inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solùm puerorum corpora, verùm etiam vestimenta servare innoxia, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Sic Augustinus in Serm. de Assumpt. Cùm igitur de caussa mortis disputatur, scio nullam consignari, quàm dominantis amoris excessum, quàm infinita B propè flammarum incendia, quibus cordis succus, & vigor cum ætate graviore sensim sine sensu fuit consumptus. Violentiam ergo amoris non tolerandam, jucundè toleravit, nec non impetus & majores natura patiens, & non patiens jucundè per tot annos exhausit; quandoquidem (ut dictum) sine tædio & fastidio corporis, vel grandi virium diminutione (quæ Sanctis aliis solet accidere, qui corporis vires extenuant & exhauriunt) more Angelico in Deum ferebatur; non aliter ferè, quàm Seraphini, quibus connaturalis est ardor, & in flammis vivere est beatè & sempiternâ vitâ vivere. Nihilominus cùm moriendum erat, nullo defectu suo obiit, sed solâ charitate complexa Filium, C finivit & transijt ex aula sui corporis in aulam cælestis gaudii, ita ut eædem flammæ & amoris actus, qui vitæ comites fuerant, fuerint & comites futuræ. Dabit mihi veniam hic Sanctus Doctor Richardus, si dixerim amorem his gradibus non terminari: quomodo enim terminari posset, cùm status Virginis sit proximus dignitatis infinitæ: dignitati autem necesse est ut amor correspondeat? Quanto ergo amore decebat illam vestiri, quam Sol, flammarum pater vestit? An non decebat illam esse amorem ipsum, quæ facta est Mater pulchræ dilectionis? Virginis anima Deum amans amore non satiabatur; quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat: amare autem D amorem circulum facit, ut nullus sit finis amoris.

Vivebat in flammis ut tres pueri in fornace.

More Angelicō Deū ferebatur per amorem

Amor circulus amoris.

§. VII.

§. VII.

De triplici amore B. Virginis, naturali scilicet, acquisito, & supernaturali.

QUò autem perfectiùs magnitudinem amoris Sanctissimæ Virginis penetremus, proponemus Virginem triplici amoris diademate coronatam.

Summus parentum in filios amor.

Primum diadema est amoris naturalis, qui maximus & ardentissimus esse solet. Quid enim ardentius amore parentum in filios? quippè qui diligant filios ut maximam partem sui, seque ipsos in filijs velut in speculo contemplantur, ex quo amoris radij ardentiores resultant. Et quamvis juxta Aristotelem, lib. 8. Ethicor. cap. 12. dicatur, *hominem quamvis ratione objecti debeat magis diligere parentes; ratione tamen sui magis diligere filium, quippè sibi conjunctiorem.* Multò tamen præ alijs matribus ardentior fuit Virginis amor in filium, qui totus Virginis fuit, nullus enim in societatem hujus generationis admissus. An non hunc maternum amorem etiam animalibus Deus indidit? an non corvi, ut narrat Albertus l. 8. de animalib. milvum unguibus & furore conficiunt, dum natis præcipiti volatu insidiatur? An non imbellis turtur & gallina sese armat, & potentioribus sese objicit vitæ & sanguinis prodiga. Sabaudia dabit hujus non injucundũ spectaculum. Venator catulos ursæ, matre absente rapit, & jam securus sui discedit; at mater ubi viduum torum sensit, stimulante furore hàc illacque in diversa rapitur, tandem irarum plena in obvium spoliatorem laxat furores, & invadit intrepida. Fit pugna, duellumq; atrox, utrimq; magnis animis: illa pro natis; hic pro vita certat. Succũbit furori venator, & brachium dentibus furiosæ tenetur. Quid agat ingeniosa ultima necessitas? nunc aut vincendum, aut moriẽdum. Librat se in villosum tergum. Abripitur igitur per cæcos præcipitesque saltus, & abruptos saxosofq; colles montesq;. Uterq; sibi captivus videbatur; bestia sessore; venator dentibus feræ: utrimque metus, utrimq; periculum, utrimque cupido vitæ. Tandem belua in supremo quasi desperationis spiritu ultimum sibi & sessori parat exitium, in saltum immanem & præcipitem se libratura; eques verò spectator jam sui exitij ubi brachium laxatum sensit, leniter in terram defluit: belua excusso domitore per saltus & invia quasi exanimata sese præcipitat. At venator casu tanto exéptus ad Ducẽ cum catulis, quasi triumpho potitus redit. Nullum non animal ex se natum fœtum amat. Hæc lex communis, ita & vehementem in liberos amoris affectum dedit Deus, teste Euripide in Alcmene. *Tantus amor à natura insitus matribus, penes quas ut est laboriosior educatio, ita & amor ardentior,* teste Aristotele lib. 9. c. 7. At in Virgine duplicatus amor naturalis, quippè ubi paterno non erat locus, ideò fortior & ardentior erat qui in filium redundabat. Rectè Themistius ex lib. de moderat. affectuũ dum disputat alium esse liberorum, quàm divitiarum & pecuniarum amorem. *Est enim,* inquit, *liberorum amor cælitus naturæ alligatus, qui planè ab aurea illa infractaq; catena pendet, quam natura perpetuò contexens & abeuntibus nascentia conjũgens, & ne in nihilum relabatur, sibi cavet.* Quamobrem & Philosophus, propter philotecniam, hoc est prolis amorem, non erubescit, natura scilicet. Pulchrè hoc Anselmus de excellentia Virgin. cap. 14. *Amorem,* inquit, *quem pater & mater singuli debent filio suo, debet hæc felicissima matrum sola filio suo* Et Bernardinus tom. 3 serm. 1. de gloria nominis Mariæ art. 1. cap. 2. agens de amore naturali Virginis: *Cùm similitudo,* inquit, *& propinquitas est causa amoris naturalis: profectò inter filium & quamcumque aliam matrem tanta propinquitas & similitudo non fuit, quia Christus totus fuit de sola matris substantia.* Igitur inter nullos tanta dilectio. Si singulis parentibus insidet cælitus immissus amor, & latè indomitus regnat ut vinci non possit: quantus virgineæ menti cælitus insitus amor venit? quis nexus, quæ catena aurea aurei amoris contexta inter filium tantum, tantamqum matrem?

Naturalis amor virginis ardentior ordinario.

Corvus turtur gallina pro suo fœtu pugnant.

Mirum spectaculũ Ursæ, & venatoris.

Cur matres ardentius amant.

In Virgine duplicatus amor naturalis.

Quare in virgine ut matre tantus amor naturalis?

Secundus amor est amor acquisitus.

Secundum diadema amoris, quo coronata est mater Dei, est amor acquisitus, qui exardescit in animo materno, ex bonorum consideratione quæ insunt filio, tam in anima, quàm in corpore. Hic amor acquisitus crescit & adolescit, nec finem facit crescendi, quamdiu materia ex altitudine considerationis subministratur majoris. Quemadmodum ergo in Filio Dei, continuò crescebat sapientia & sanctitas coram hominibus, ita & crescebat & augebatur amor matris singulis momentis. Mittebat Filius signa suæ virtutis, ita & amor acquisitus mittebat radices altioris amoris. Si de sapientia dicatur 8. sap. *Generositatem eius glorificat contubernium habens Dei.* Ubi Græcè habetur: συμβίωσις, id est, *convictus: non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Crescebat ergo indies amor acquisitus, & latiùs vires novis additis incrementis diffundebat quodammodo infinitas. Quis posuit terminos filij sui virtutibus? Cum igitur amor ex virtutum claritudine nascatur, & claritudo filij instar auroræ properantis per singula momenta fulgentius procederet, in quantam magnitudinem vim amoris virginei credes processisse, si amor virtutibus responderit? an non dixeris indictum, non imitabilẽ, ac proximè infinitum, cum Filij virtutes excesserint omnem mensuram? Quàm plenis ergo velis pius naturæ affectus, & quàm lætâ aurâ afflatus provehebatur! Auctor amoris & Filius, & mater; mater impertiendo seipsam, filius reddendo

In Virgine acquisitus continuo augebatur.

Causa incrementi.

dendo se matri semper se majorem. O quàm dulcis, & Divinus nexus amoris continuò adolescens! Nullus, quod sciam, acquisiti amoris quotidiana & continua sic expressit incremēta, quàm Fabius Rutillanus Romanus. Hic quinque consulatibus cum gloria peractis, virtutibus & meritis stipendijs clarus, filio suo Fabio gurgiti ad bellum difficile, & periculosum conficiendum Legatus ire non recusavit, non tam corpore, jam effæto, quàm animo militaturus: ultima enim senectus otio lecti, quàm præliorum habilior. Peperit virtus patris filio victoriam. Idem ergo triumphantis currum, equo insidens, sequi, quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat, in maxima voluptate posuit: nec accessor gloriosæ illius pompæ; sed auctor spectatus est. Crescebant in filio virtutes, & in patre crescebant amores; ut in arboris cortice amantis nomen incisum dum crescit cortex, & amantis crescunt amores. Vide Valerium Maximum lib. 5. Sic & Philippus Alexandri Magni pater caput complexus exclamavit: *Major es, quàm ut te Græcia capiat.* Admiratio virtutis admirabiles augebat amores. Credidit vix filius Dei se exulem tam fido, tam amico, tam constanti, tam decoro matris suæ sanctissimæ convictu, commercioque, cælo deserto, cælū novum acquisierat; Ministri in cælis Angeli: potior omnibus Angelis una mater ministra: adoratores Angeli; mater adoratrix: illi ad obedientiam creati; Mater & obedientiæ & imperio nata. Exilium in cælum permutatum & in regnum amoris.

Spectaculum amoris crescentis in patre.

Hipsicratea uxor Mithidatis, Mithridati, erat unicum domi forisque pace belloque & in exilio solatium, & fugiens per deserta mapaliaque non æstimabat se profugum tali comite, ut suprà dictum est. Longè gratius filio Dei suæ matris hospitium, & dulce contubernium. Nunquam animo divisus à matre filius, non absentia Filij diremit matrem à filio: videbat semper corde filium mater, & mente complexum pia, fovebat exilio comes & mortis socia, & dolorum particeps: una tamen, ut ita dicam, lis fuit, pericula duri fati uter raperet prior; & cum matri mors dura non daretur præripuit natus, & se sponsorem matris fecit.

Crevit ergo in immensum amor continuo convictu, nec finem facere poterat crescendi, qui secundùm omnem suam latitudinem poterat millies & infinitum millies multiplicari. Quid dicam? Absolvi, si dixero convictū matris cum Filio fuisse regnum infiniti amoris. Desine ergo mirari, si domicilium sacri convictus Laureti, voluerit filius in sui convictus famam & memoriam servari. An non hoc palatium æterni amoris, quod nemo improbus audet temerare, quod aurea sepes amoris circuit, ubi patet indulgentia peccatoribus æternæ misericordiæ ubi vacat Justitiæ rigor, ubi ubi omnes sentiunt Divini amoris ignem quodammodo debellatur justitia victa amo-

Lauretana domus favores, & efficax virtus.

A ris flammis, unde omnes referunt trophæa victoriæ de peccatis partæ. Quæ non oscula impressa sacris lapidibus? quæ non suspiria suspirijs conglomerata cælo missa? hìc haurit unusquisque insolitos Virginis ignes, hìc felix peccator amat, & secum vulnera dolorū trahit. Quid mirum? qui excubant pro sacris penetralibus Angeli pharetrati sparguntque sagittas. O fortunati nimium Lauretani, si sua dona norunt?

Tertium diadema, quo fulsit caput Virginis, fuit amor supernaturalis & Theologicus, qui infinitis partibus superabat utrumque, quo Deum & Filium diligebat, ut non amare, sed ipsissimus amor esse videretur. Audi Bernardum serm. 29. in Cantica: *Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modò*

Tertius amor in Virgine fuit supernaturalis.

B *confixit, sed etiam pertransijt, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret: sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratiâ plena.* Hoc triplici diademate amorum fulget, & radiat caput Serenissimæ Virginis, qui si conglobentur in unum, quantùm incendiorum erit atq; flammarum! Gradus amoris exstaticos ex B. Richardo citatos, quotuquisque est, qui illos assequatur? at Virgo illos infinitis partibus super volitat. Conjungo his tres amores, quasi tres soles in corde Virginis, an non totum terrarum orbē atque cælum incendent atque inflammabunt? Verùm hæc omnia, quæ fusè de pelago amoris Virginei dicta sunt, adumbrant tantùm

Omnes amoris gradus exstaticos supergressa Virgo.

C Virginis ardores, qui quanti sint, nullo modo cognosci possunt, nisi cum amore Patris æterni institutâ Consociatione comparentur. Quemadmodum enim maria objectis molibus violentè retenta, cum fremitu validè intumescunt, assurguntque, si fortè machinas evicerint, straverintque, cum ingenti strage longè lateque sese vortices aquarum diffundunt: vel sicut flammæ ingentes coarctatæ firmiterque cohibitæ, si tandem objecta repagula ferrea, vel rupes fuerint eluctatæ, & victrices perruperint, sine mora ad omnia sese coextendunt, & obvia quæque depascuntur: sic Virginis amores quando cum omnibus creatis conferuntur amoribus, nimium & supra modum coarctantur, si verò

D cum Patris æterni claritate conferantur, quasi ruptis objicibus convalescunt, & quasi in infinitum sese extendunt. Tanta est magnitudo amoris in uno corde virgineo, ut exhauriri non possit, nisi solâ Patris æterni charitate. Consociationes ergo instituendæ, ut cognosci possit.

§. VIII.

§. VIII.

Comparatio amoris paterni cum amore Matris Dei.

QUis crederet hominem à Patre æterno æternis amoribus diligi, nisi ex arcano pectore Patris flammæ prorumpentes in mũdum prosiliissent, in eumque prosilientes concremassent? Latebat in corde Patris infinitus amor & exstaticus quem prodidit, cùm filium suum unigenitum, Deum de se Deo natum, mundo inimico propter nimiam suam charitatem donavit. Et quando juxta Dionysium de Divin. nomin c. 4. omnium amator præ amatoriæ bonitatis magnitudine extra se ad omnia quæ sunt pertingẽdo multiplici Providentiæ ratione est egressus. Hunc amorem Patris ipse filius per suum Filium adoptivum Joan. cap. 3. Sic explicans intonuit, dum quasi per exstasim, exstaticum amorem Patris orbi proposuit. *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quid amplius dici potuit? Ipsa sapientia Patris, tanquam homo non potuit verbis humanis assequi infinitum Patris amorem, nisi excessivâ per stuporem particulâ uteretur, ac quasi obrutus ebriusque pelago tanti amoris exclamaret: *Sic Deus dilexit mundum.* Quasi diceret: Tantus, tam excessivus, tam admirabilis, & incomprehensibilis sine mensura, sine fundo, sine termino fuit amor, qui Patrem coëgit ut filium suum daret, ut amoris magnitudinem nullus assequi posset, nisi magnitudine doni perpensa perspectâque. Doni enim magnitudo magnitudinem amoris aperiet, & mensuræ doni respondebit insolens magnitudo amoris. At filio suo quid maius Deus Pater dare potuit, qui in donum datus est? Sic ergo Deus Pater dilexit, tantâ scilicet vehementiâ, tantoque conatu, ut ebrij instar sine discrimine, quasi inconsultè, quasi (si ita fas sit loqui) cum inconsiderantia, quasi prodigè tantum donum, id est filium unicum stimulante infinitæ bonitatis flammâ profuderit. An non pari conamine Sanctissima Virgo quantum creaturæ concessum, Patris æterni respondit amoribus, & mundum diligendo, quem sic dilexit, *ut filium suum unigenitum daret.* Pater Filium dedit, non Angelum, non cælestis aulæ Principem, non cælum, non mundos, sed cæli & universi Dominum, filium suum, per quem creavit & sæcula, juxta Paulum Roman. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Annon Mater Virgo Filium tradidit? non aliquem cognati sanguinis heredem, non mancipia coëmit aut servos; sed Filium Materno sese exuens amore.

Filij donatio & à Deo Patre, & à Matre Virgine facta.

Collatio donationis ex parte utriusque per totum.

Pater suum Filium, verè suum ejusdem secum substantiæ, quem ex se accepit, non ab alio, illum filium quo ipse Pater beatus est: & Mater Virgo Filium suum naturalem, qui est & Patri naturalis, hunc communem filium, qui erat verè totus Virginis, sicut & Patris, & qui sic erat Patris æterni, ut non desineret esse Virginis: totus partus Patris; totus partus Virginis: quem Pater infinitè & Mater infinitè diligebat; Pater indiviso & unico amore; Mater unico & indiviso amore, quo in Filium rapiebatur, ut instar unius essent, ut docet Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 20. *Amor est quasi junctura quadam duo copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet & amatum.* Abraham

B cum dedit filium, non dat perfectè suum; nam filij hominum plus sui, quàm patrum sunt: nam substantia filiorum alia est à substantia parentum.

Quamvis ergo homo filium suum dedat, non suum perfectè dat: at Pater æternus dat suum, ejusdem secum substantiæ, cùm ex ipso habeat esse: sic & Mater Virgo dat Filium suum à quâ & ex qua suum ortum accepit.

Pater unigenitum dedit, quia unicum habebat: facilis est donatio in rerum copia, & magna affluentia jacturæ exiguæ damna non sentit; nunc unicum & unigenitum dat Pater ex se natum, non per adoptionis jus acquisitum; sed naturalem: sic & Mater

C Virgo dat suum unigenitum, quem peperit, quem & pannis involvit & reclinavit in præsepio, instar leænæ, quæ tantum semel parit. Pater dedit Filium gratuitò, nullo suo bono, nullâ re inde factus ditior; & quidem solo impulsu bonitatis dedit ijs, sine quibus & esse, & benè esse poterat, cùm omnia sint per illum, & in illo, & ex illo: Mater Virgo dedit ijsdem filium nullo suo bono.

Quo enim bono egeret, cujus Filius est omne bonum, qui solus ostendit omne bonum, & sine quo, bonum nullum, est bonum? dedit tamen illum æmulata Patrem æternum, ut nos bonitate Filij dati bonos faceret.

D Cui dedit Deus Pater, & Mater Virgo Filium? seu pro quo? Pro servo, pro mancipio, eoque ingrato & hoste. Mirabile sanè, quod Filius Dominator pro servo, Innocens pro iniquo, creator pro creatura detur. Pater dedit Filium exaltandum. Quis umquam tale quid vidit, aut audivit, aut imaginari potuit? Si dedisset ut nobis imperaret, ut à nobis coleretur, magna esset gratia: at dedit exaltandum in cruce tanquam sceleratum. An non hoc omnes limites amoris transcendit? Virgo dedit & exaltandum; scimus enim Virginem Filium suum non semel obtulisse pro mundi salute in victimam expiationis: vix enim bene natum quadragesimo à sacro intaminati partus die,

die, sine sanguine quidem in templo dedicavit agnum immaculatum, ut figuram, quæ habetur Numerorum 28. nu. 3. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum (offeretis. scil.) Unum offeretis mane & alterum ad vesperum. Jubebatur ergo bis agnus in die immolari, manè & vesperè: manè Virgo in ortu Filij, & vesperè in ara Crucis cruento sacrificio quasi sacerdos immolavit. Mirus profectò utriusque amor, cujus magnitudinem verbis exprimere non valens sanctus Evangelista, uno verbo vehementi expressit, dum ait: *Sic dilexit* Pater victus amore nostri, *ut daret Filium*, ne æternũ periret orbis: sic dedit & Virgo Filium, quo salvaretur; filius eodem amore victus, ultrò seipsum dedit in pretium, quo nos captivos redimeret. Pater Filium dedit tanquam donum amoris, Mater tanquam pignus fidei futuræ; Filius in pretium. Concors ergo per omnia matris amor cum amore Patris. Audi Gersonem in titulo secundo de Cant. 3. Parte, agens de Virgine. *Erige*, inquit, *aures ad voces spiritus sui, dum proprium filium, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum & votorũ consumsit crucifigi pro redemptione nostra, dans nobis illum, utique cum gaudio & exultatione, quæ summam superabat carnis angustiam, Matris exuit affectus, alioquin quomodo aliter implesset. Hilarem datorem diligit Deus?* 2. Corinth. 9. cap. vers. 8.

§. IX.

Vltima exstasis, & ultimus gradus Paterni & Materni amoris.

PAter infinitè diligens Filium, uti & Mater Filium infinitè dilectum, præ vehementia amoris ut mundus salvari posset, expositititium esse voluerunt, juxta Prophetam Psalm. 21. *Tu es, qui extraxisti me de ventre Matris meæ, & in te sum proiectus ex utero. De ventre Matris meæ, Deus meus es tu.* Quæ verba juxta textum Hebraicum sic sunt efferenda: *Expostitius fructus sum ego apud te ex utero Matris meæ.* Quid hoc est, *expostititius factus sum?* an factus sum Patri vel Matri onus grave, quia expositititius? an ego Patri & Matri ingratus fructus, quia expositititius? An non Cyrum Astyages avus territus prodigio, se regno spoliandum à nepote, crudeliter exposuit? Romulus cum Remo fratre spurius, Amulij patrui imperio in profluentem abjectus, & ad pabulum ferarum damnatus, ne qua spes regni, & semen principis sanguinis per Numitorem primogenitum Amulij fratrem superesset? An non Moyses effero Pharaonis imperio aquis suffocandus in flumen deportatus,

Christus factus expositititius.

Qui expositij.

A in odium gentis Hebrææ? Sic & Hieron Syracusanus in silvas projectus, & Semyramis, regina potentissimæ Monarchiæ, juxta stagnum, vix bene nata, seposita: & hi omnes vel odio, vel metu potentiæ, vel invidiâ ad interitum profligati. At ego Patre Deo infinitè amante, & Virgine Matre dilectionis & amoris fonte natus, cur sic miserabilem in modum expositus? Non est locus odio apud infinitè amantem: nullus metus, ubi securitas felicitatis æternæ inconcussa: nullum invidiæ semen, ubi est infinita utrimque summæ beatitudinis par & indivisa in æqualitate Consociatio, in qua ego & Pater, & mecum Mater unum sumus, & tamen quàm dispare fortunâ ego præ alijs abjectus? Cyro Divina Providentia canem, qui vagienti præberet ubera, & à feris defenderet, deinde pastorem stabuli B regij, à quo enutriretur, submisit. Quæ res futuram magnitudinem portendere visa. Romulo & Remo Lupa vagitum sequuta, infantibus se Matrem catulis relictis gessit, & Faustulus regis pastor in futuram spem educavit. Moysen nova forma triremis excepit, fiscella scilicet scirpea bitumine & pice oblita, in flumine natans. At quanta Dei Providentia! à Pharaonis filia in aulam deductus, & in spem regiæ magnitudinis educatus. Hieroni in silvas projecto propè fuit apum exercitus, quæ melle in os conjecto in regem virtute & facinoribus futurum aluerunt. At Semyramis futuræ felicitatis præsagio diu ab avibus nutrita, & paulò pòst à pastoribus sublata, ad eam magnitudinem pervenit, ut penè suâ magnitudine laboraret: at ego C expositititius videor factus, qui princeps pacis, qui pater futuri sæculi, in prodigium miseriarum & calamitatum, in quem quidquid humana natura patiendo tolerare posset, incurreret. Mater in præsepe vagientem declinavit exposuitque. Sciebat Mater mea mundum nisi me nato, seque matre servari non posse; sciebat donatione mei homines Deo Patri redonandos, & tamen ita tractavit expositum, ut quodammodo se jure materno abdicaret: abdicavit ut me expositum mortales invaderent rapere ntque, & se periculis, meo periculo liberarent. Mater ergo hominis amore victa, sibi severa, sibique parca, mihi verò quasi facta noverca, ab ulnis, à pectore, ab uberibus, à D complexu avulsum, in publicum stabulum, quasi aulam regiam induxit, ibique natum, & præ frigore trementem in fœno & stramine, quem sciebat regem totius æternitatis, collocavit. In alijs expositititijs portentosa miracula præsagiebant inexspectatam gloriæ & potentiæ celsitudinem: at in Virginis Filio stabulum, præsepe, stramen & expositio portentosam mortis horribilis & suppliciorum indignitatem loquebantur, & horum non ignara Mater, summè amans Filium tamen suum & unigenitum & verè totum suum, quasi non mater, quasi exutis visceribus suique oblita, in scopum telorum & vulnerum, tanquam

Qua ratione Divina Providentia expositititiis providit.

Diva Virgo suum Filium ut exposititium tractavit.

quam sceleratum reum dedit. Et quamvis cor animumque iisdem malorum & telorum imbribus petendum obruendumque præsciret; dedit tamen & Filium in mortem, & se in mortis periculum, maluitque & Filium & seipsam interire, quàm Filij sui proditores.

Virgo Mater visa Matrem exuisse.

Quem ergo Virgo purissima pepererat ex amore nostri, natum exposuit, ut exposititio servaremur, expositio gauderemus. O amor! quid non potes? quid non audes? quid non operaris? ô amor! quæ non tentas & perficis? Matrem exuis matre, & viscera tenerrimi amoris transfers in adamantina. Quis nosset magnitudinem, efficientiamque amoris, nisi in tanta luce amoris toto cælo terraque videretur diffusus? O amor, qui semper arsit in corde Patris, qui & arsit in corde Matris; ut mutas ima summis, & operaris prodigia solus, qui transfers hominem in Deum, & Deum in hominem: qui cogis Deum mori, & Deum dejectum gloriæ suæ solio, cruci, quasi sceleratum & opprobrium hominum affigis. Verè diximus (suprà) Deum amorem esse Deorum potentissimum, tam potens amor in Patre Deo, & Matre Virgine, ut Filium suum unigenitum darent.

§. X.

Provocatio ad Dei amorem ab amore vano perituroq;.

HAbet universus orbis divini & Virginei amoris tenui calamo ad imitationem instructum adumbratumque exemplum. Ex archetypo tu Lector, tu sume tibi formam amandi; nunquam deerit amandi materia boni pulchrique. Vis ergo beatè vivere? Beatè certè omnes vivere volumus, nec quisquam est, qui non velit esse beatus, & huic voci vix emissæ non statim consentiat. Quem dixeris ergo beatum? Audi Augustinum *lib. 1. de morib. Ecclesiæ cap. 3.*

Quis dicendus beatus.

Beatus, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit: neque qui habet quod amat, si noxium sit: neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit: nam & qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est, quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit, quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria; nec miseria, nec beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt. Nullus ergo istorum beatus. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, A *cùm id, quod est hominis optimum, & habetur, & amatur. Quid enim est aliud, quod dicimus frui, nisi præsto habere, quod diligis? neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beatè vivere cogitamus. Quare ergo quod est hominis optimum; quod profectò deterius esse, quàm ipse homo, non potest.*

Quod sit hominis optimum.

An non hominis optimum Deus? Hunc ergo si sequeris bene, & assequeris; non tantùm benè, sed beatè vives. An non Deus summum bonum? an non summum bonum dignum summo amore? Et quis est summus amor, nisi tendere toto corde in Deum? Nec hoc satis est: ex tota anima tua? nec id quidem satis est: B ex tota mente tua? Et quid vis amplius? Vellem fortasse si viderem quid potest esse amplius. Intuere, precor, Paulum seraphico amore vehementiùs æstuantem, amatorem Roman. 8. *Quid ergo nos separabit à charitate Dei? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Cur ita? an non quia bonorum summa nobis Deus est, nobis summum bonum, ac proinde neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum? alterum periculosum est, alterum nullum.

Cùm ergo sit omne bonum, quod etiam optimum dicitur, quis ambiget non sic diligendum, ut nihil aliud præ illo, aut cum illo sit diligendum, nisi propter se? Ad hoc ergo C consilia referas, ut ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente infinitum illud bonum diligas, & ceteris postpositis ad illud adipiscendum Seraphico cursu festines. Dilectione tendit in Deum anima, quâ se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantiùs ac studiosiùs, tanto erit beatior atque sublimior, & illo dominante liberrima. Nemo ergo nos separet ab infinito bono minando mortem: id ipsum enim, quod diligimus, mori non potest, nisi dum non diligit Deum, cùm mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quàm ei quicquam in diligendo aut sequendo præponere. Nemo separet pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat D pollicendo aquam. Nulla nos creatura separet, cùm habeamus creaturæ Creatorem, cui inhærendo beati sumus. Summo ergo Deo, vero amori gloria, longè lateque patens fama. Et quid est optima & summa & latè patens fama? quantò enim meliùs atque diffusiùs diffamatur, tantò diligitur & amatur ardentiùs. Quod cùm fit, ab humano genere, quàm certo & constanti gradu in optimam vitam & beatissimam pergitur.

AD LECTOREM.

Emblema veri amoris & ejus tessera.

ACcipe, benigne, & amans Dei Lector, imaginem, & Emblema veri amatoris: sit tibi forma viri, facie iuvenili, capite discooperto; qui indutus tunicâ viridi, in cujus fimbriis sit scriptum literis aureis, Vita, & Mors. In fronte, Æstas, & Hyems. Sit apertura nobilis, circa cor, per quam totum corpus videri potest, ibique sit scriptum, Longè, & propè. Accipe dilucidationem. Cur forma viri? ut constantia invulnerabilis signetur; muliebres enim animos, quos omnis effœminat aura, aversatur amor. Cur juvenili decore, vultuque? an non ut constantem amorem comitetur perennis vigor, amœnusque, & nunquam senescens viror? Omnis enim amor fictus, transfuga, & adulter, ilicò vanescit. Cur nudo capite? an quia consilia amantium sibi invicem nuda patent? nihil nisi apertum in amantibus, qui se, suaque credunt, & toto pectore admittunt, omnesque curas miscent: habita fides, obligat fidem. Verum non priùs ama, quàm judicaveris: gravis error, ubi cùm amaverint, judicant. Cur Viridis tunica? quia in amore semper adolescit amor, & seipso nutritus crescit; ut solet occulto nectaris rore Laurus. Nunquam intabescit vegetus amor, si sit. Cur in fimbriis aureis exarata verba, Vita, & Mors? an non quia fulvum aurum perpetuitatem signat? Amicitia incorrupta est, nec sentit ulla incommoda, sicut nec aurum damna flammæ. Cedrina est, nec sentit vetustatem, nec cariem. Posthuma est, & cineri superstes vivit: omni enim tempore diligit, qui amicus est. Cur in fronte Æstas, & hyems? an quia amor facit consortium rerum omnium, nec secundi quidquam est singulis, nec adversi, & in cōmune vivitur. Una anima in duobus corporibus inhabitans; dixit Aristoteles, rogatus quid esset amicus. Turbido, & sereno die semper idem est:

Verus amicus semper idem.

Turpe sequi casum, & fortunæ accedere amicum,
Et nisi sit felix, esse negare suum.

Detrahit amicitiæ Majestatem suam, qui illam parat ad bonos casus. Temporaria est ista, quæ tam diu placet quàmdiu utilis, & expedit. Fictus amicus fortunæ metum ponit larvam:

Turpe laborantem deseruisse ratem.

Cur apertura cordis? ut interior amicitiæ societas sincera cognoscatur, & cor utriusque, sit utrique speculum, & nuntius cum literis amoris. Cur cordi inscriptum, Longè, & propè? quia absens amicus, semper præsens regnat in corde alterius. Sic socialis amor utrumque nectit indissociabili vinculo. Absentia dissitos jungit amantes. Hujus amoris imaginem in Maria Magdalena miraberis absolutissimam, si singulos actus metiaris. Ardentissimè Christum amavit viventem, ambiguum an non ardentiùs mortuum: moriturum sequitur, morienti astat igne amoris succensa; ardens desideriis, ploransque à monumento non recedit: stat, & plorat. Amor faciebat, ut loquitur Origenes, stare: & dolor cogebat plorare. Stabat, circumferens oculos, ut videret amatum: plorabat, quia credebat sublatum, quem amabat. Ingens dolor, & vulnus: dolor de mortuo, & vulnus de corpore sublato. Non defuit obsequio ungendi mortuum; verùm ubi defuit, quem condiret: crevit dolor super dolorem: duos ergo dolores gestabat in uno corde, perseverans. Perdiderat vitam animæ suæ, & jam melius sibi arbitrabatur posse mori, quàm vivere: quia forsitan inveniret moriens, quem invenire non poterat vivens; sine quo tamen vivere non valebat. *Fortis est ut mors, dilectio.* Quid enim aliud faceret mors Mariæ? Vivebat sine vita, & vivens, erat exanimis facta, facta insensibilis; sentiens non sentiebat, videns non videbat, audiens non audiebat: sed neque ibi erat, ubi erat: quia tota ibi erat, ubi Magister erat, de quo

Magdalena Emblematis exemplar.

quo ubi esset, nesciebat. Quærebat, & non inveniebat: & ideo stabat ad monumentum tota lachrymabilis, totaque miserabilis. Disce peccator à Maria peccatrice, cui tamen dimissa sunt peccata, Deum amare, & in Jesum sperare: disce plorare Dei absentiam, & desiderare ejus præsentiam, nullam consolationem extra Jesum quærere, omnia propter Jesum contemnere: disce à Maria quærere Jesum in monumento cordis tui: revolve lapidem ab ostio monumenti Dei, amove omnem duritiem, remove omne obstaculum à fide tua; plora, & quære Jesum in te, donec invenias illum. Fide Deo, invenies illum. Cerne ut omnia amoris studia expleverit in amore suo Maria: ut amor semper recens, & novus suo amore. Disce ex hoc Emblemate, cujus amoris regnum sit in te, cui milites cum gloria, cujus signa sequaris. Felix ter, & amplius, si flammis cælestibus ardeas. Vera charitas in Deum, & Virginem, est inviolabilis, immota, & inconcussa, contra casus indurata; ut nec inclinari quidem, necdum vinci possit. Qualis fuit apparatus charitatis Magdalenicæ, adversus omnia terribilia inter hostes in fortitudine, apud monumentum inter mortuos, inter terrores Judæorum rectos oculos tenuit: præsidio charitatis nihil ex vultu mutavit; sive dura mors, sive libertas, sive lenocinia vitæ ostentarentur. Vivebat in possessione unius sui amati, à qua depelli non poterat: quâ salvâ, salva erant illi omnia. Poterat dicere: Omnia mea mecum sunt. Cetera omnia quæ mundus amat, adventitia sunt, & nutum fortunæ sequentia. Charitas mei amati, in quo mihi omnia bona resident, quæ non ut propria diligo, victoriam mundi mundo excussit; & mihi soli pax perennis est, eritque.

Credis Lector tantum firmitatis in fœminam, aut tantam animi magnitudinem cadere: ut inter magnos motus rerum circa se frementium, fragoremque hostilem, sit secura; nec quidquam putet suum, nisi suum amatum. Specta in hâc Viragine imaginem Emblematis, & verum decus singularum partium, propriumque Magdalenæ, quale proposuimus: specta mulierem munimentis inexsuperabilis charitatis præcinctam: sit tibi exemplar, quod æmuleris; ut in virtute procedas, & teipso celsior, solidis bonis delecteris.

TER.

TERTIA PARS
XV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De odio Dei in peccatum, quia infinita malitia infinitus amor.

CUM Deus sit infinitè bonus, & infinitæ potentiæ; quomodo potest in Deo infinitè bono, & omnipotente nasci odium? quid contraire tantæ potentiæ audeat? quid inimicas attollere manus in infinitam bonitatem? Certum est, Deum nihil odisse eorum quæ fecit: omnia quippe quæ fecit, bona sunt, & valde bona; nihil ergo odit eorum quæ fecit, quia quæ bona sunt, odisse non potest qui bonus est. Quidquid igitur est, vel trahit originem sui ab ipso primo ente, vel trahere potest, propterea quod nondum existat. Omnia ergo quæ actu existunt, vel sunt in potentia, non aliunde participant, vel participare possunt, quàm ab ipso primo summo ente; quare & amantur, & conservantur. Acutè hoc docet Augustinus *lib. 2. de liber. arbitr. Nulla*, inquit, *natura est quæ non sit à Deo.* Quid ergo Deus odit? quæ causa irarum infinitarum? quòd inexorabilis incensúsque in pœnarum æternarum iras effervescit? odit quod suum non est. Inde infert Augustinus ibidem: quod motus aversionis à Deo nihil sit (quod fatemur esse peccatum) quoniam defectionis motus est: omnis autem defectus ex nihilo est. Vide ergo quo pertineat, & ad Deum pertinere non dubites? Benè Augustinus: *Et sanè quomodo ad Deum pertineret, quia sine ipso factum est nihil?* Peccatum ergo non per ipsum factum est; & manifestum est, quia peccatum est nihil, & nihil sunt homines cum peccant: unde Deus ejus auctor esse non potest, qui omnis entis auctor est, & à quo est omne quod est. Odit ergo Deus privationem boni, quod est peccatum; odit Deus recessum à regula rationis; odit Deus quod est contra legem æternam, & rectam rationem; odit Deus aversionem ab incommutabili bono, & conversionem ad commutabile; odit Deus desertionem virtutis; odit Deus prolapsionem à bonis divinis, & naturalibus; odit Deus defectionem à seipso ut summo bono; odit Deus inobedientiam cælestium mandato- A rum; odit Deus contemptum legum suarum, quas tenerrimè diligit; odit Deus, qui est amator & auctor rectitudinis, omnes distortas & curvas & inordinatas actiones, quæ sunt peccata; odit Deus, qui lux, tenebras; odit Deus, qui est vita æterna, peccata, quæ mortem conciliant; odit Deus, qui infinito honore dignus, peccatum, quia Deum infinitè contemnit; odit Deus peccatum, quia Filium Dei trucidavit, infinitè à Deo dilectum. An non amat Deus infinitè vitam suam? amat. Cur non infinitè odisset peccatum, quod Deum spoliat suâ, quantùm in se est, vitâ? Quantus malorum oceanus in uno peccato? an non infinitè malum, sicut Deus infinitè bonus? hoc infinitum malum, Deus infinitus infinito odio persequitur. Tantæ B ne iræ cælesti Deo? & cur hoc? an non ad ipsum pertinet tueri vitam suam? propulsare injurias legi æternæ per omnes contemptus illatas? stare pro regno rectæ rationis? Duo docet sanctus Thomas *quæst. 83. art. 4. Inesse peccato: quorum unum, est aversio ab incommutabili bono, quod est verè infinitum*; quare & hâc ex parte est malitiæ infinitæ. Alterum, est *inordinata conversio ad bonum commutabile*, & hâc ex parte est finitæ. Age quomodo capiemus peccato inesse malitiam infinitam? ac proinde justo infinitoque odio Deum persequi peccatores, eosque infinitâ pœnâ, infinitæ scilicet durationis castigare. An mortale non est simpliciter finitum? & sanè cur C non esset, cùm habeat principium & finem? Deinde cùm liberè fiat, fit alicujus gratiâ, quæ est de genere qualitatis & actionis. Præterea intensio ejus finita est, & cùm peccatum sit naturâ spirituale & non corporeum, non potest esse infinitum nec multitudine, nec magnitudine. An vero mortale dicitur infinitum, quia ejus infinitudo continet omnem gravitatem possibilem in ratione malitiæ? an quia effectus peccati, est pœna adæquata in genere moris, quia Deus non movetur ad infligendam pœnam, nisi à malitia peccati, quæ peccato debetur in aliquo genere, infinita? Non ergo peccatum potest dici infinitum? Infinitum ergo vocabitur in causalitate morali, quia ejus virtus talis est, ut non

Quidquid est à Deo est, & à Deo amatur.

Quidnam odit Deus?

Peccati natura.

Duo mala in peccato.

Quomodo infinita malitia.

non possit ei præscribi terminus in causando moraliter; quia non habet primum nec ultimum effectum possibilem, & tota effectuum infinitudo reperitur collecta in uno solo peccato. Deinde infinitudo ejus potest deduci ex æstimatione morali, quia plus æstimatur, quàm omnia alia objecta infinita; unde moraliter est infinita sine principio & fine, quia in æstimatione Dei tanti fit, quanti fieret, si haberet partes specie distinctas, carentes primâ & ultimâ, ita ut per singulas partes esset causa meritoria pœnæ. An non infinitudo ejus ex infinitis effectibus colligitur? Cùm ergo ratio offensæ in peccato, sit malitia moralis; quia est contra rectam rationem, & malitiam Theologicam vocare possumus. Habet ergo illam malitiam Theologicam, seu rationem offensæ Dei moraliter in se infinitam in eo genere, & non secundùm quid, quia dignitas ad pœnam simpliciter in genere demeriti in peccato mortali, est dignitas ad pœnam simpliciter infinitam. Cur ergo in peccato commisso non esset gravitas infinita? an non peccatum moraliter est causa activa supplicij, quia pœna ut pœna non oritur nisi radicaliter à culpâ? An non causa moralis effectus simpliciter infiniti, in eo genere debet esse infinita? an peccatum non est dignum pœnâ æternâ? Ergo simpliciter dignum pœnâ infinitâ. An non pœna æterna est tantum malum, quantum pœna infinitè intensa pro uno instanti? an non damnato infliguntur dolores per totam æternitatem, æquivalentes infinitis afflictionibus pro uno instanti? Ergo damnato infligitur pœna simpliciter infinita, & secundùm se est dignum pœnâ simpliciter infinitâ peccatum, quia nulla pœna finitè intensa est æquivalens commutatio pro acerbissimis æternis: ergo peccatum mortale secundùm se est dignum pœnâ infinitè intensâ, quia dignum est pœnâ æternâ acerbissimâ, quæ non potest dignè commutari nisi pro infinitâ. In peccato ergo quia malitia infinita reperitur, debetur odium infinitum peccato.

Unde colligenda infinitudo peccati.

Infinitudo peccati colligitur à pœna infinitudine.

§. II.

Quare dicatur peccatum continere malitiam simpliciter infinitam, atque ideò mereri odium infinitum?

Miraberis hoc dici, cùm non contineat omnem malitiam & gravitatem possibilem. Si non contineat omnem possibilem: quomodo ergo infinitam? At non ideò dicitur esse gravitatis infinitæ, quasi debeat continere omnem gravitatem possibilem; sed quia continet omnem malitiam in suo genere; nam infinitum in uno genere non continet omnia possibilia in aliis generibus, sed tantum in suo: sicut furtū non continet omnem malitiam odij, sed tantùm sui generis: ut si calor esset infinitè intensus, non esset infinitus in genere aliarum qualitatum. Infinitum non est, nisi quod caret aliquâ ratione, principio & fine, & quia Deus illis caret in sua entitate, ideò formaliter est infinitus. Ex quo illi oritur ratione nostri, quod contineat formaliter & eminenter omnem perfectionem possibilem, quod non habet ex conceptu infiniti, sed ex conceptu infiniti in essentia. Cetera autē infinita non continent formaliter, nec eminenter omnia in omni genere possibilia; sed præcisè in eo genere sunt infinita, quia in eo genere carent principio & fine, & quamvis nullum infinitum esset majus alio in eo genere, at in diversis generibus unum est majus alio. An non misericordia infinitè intensa potest esse minor intensione, quam habet charitas intensione infinitâ? Nequaquam: at charitas tamen nobilior misericordiâ, & in ratione virtutis major est, & ideò magis placet; quia cùm sint diversarum specierum, non habent essentiam æqualem, ex quo conceptu sunt majores, & minores virtutes; non verò ex intensione: duo enim actus æquè intensi, non erunt æquè perfecti: ita ratio malitiæ in diversis speciebus, in peccatis diversis, ob quod sunt peccata inæqualia in malitia, & sic offensa est inæqualis. An non Christi opus quodcumque est dignum infinito præmio? Omnino. Et cur non esset? attamen quis dicet opera æqualia? an non actus charitatis prævalent actibus misericordiæ? Sunt igitur peccata æqualia in ratione demeriti, non quòd æqualiter displiceant Deo, neque ratione malitiæ, neque ratione offensæ. In ratione igitur injuriæ, peccati mortalis gravitas est infinita: tanto enim est offensio, & injuria gravior, quanto persona offensa, & injuriis læsa est sublimior excelsiorque; & quanto persona lædentis vilior projectiorque. Crescit quippe offensionis gravitas ex vilitate offendentis, & offensi majestate. Cùm itaque Deus sit infinitæ dignitatis, infinitæ pulchritudinis, & infinitæ bonitatis; & homo vilissimum mancipium inter creaturas rationales; quantam peccati malitiam, fœditatem & turpitudinem necesse est oriri; & quàm barbaram immanitatem contingere, ubi infinitus & incomprehensibilis Deus à vilissimo vermiculo contemnitur, & quasi nihili æstimatur. An non est distantia infinita, infinitumque intervallum inter supremum & incomprehensibile ens entium, omnia entia infinitè transcendens; & hominem, qui non est umbra supereminentis Dei? Planè. An non hæc distantia multiplicat, & in infinitum exaggerat peccati fœdissimam & crudelissimam tyrannidem, quam non reformidat in ipsum exercere Deum; & si potestas daretur, penitus destructum vellet. Damnatus ad triremes an non damnatur læsæ Majestatis reus, si Regem convitiis non solùm proscinderit, verùm & vulneribus fœdârit? An

Qualis sit infinitudo peccati.

Opera Christi non sunt æqualis meriti.

Peccatum malitia infinita ratione injuriæ.

Dignitas personæ consideranda.

An erit innocens, & non reus qui Deitatem immani vulnere læsam violârit? Esto, Deum nec Physicè, nec intrinsecè nec extrinsecè in re aliqua lædi posse. An non læditur in honore dum infractâ rebellique cervice imperium ejus violatur, mandata calcantur, obedientia abjicitur, nec rationi paret peccator, cui lege naturæ est subjectus? An non Deus tenerrimè suas diligit leges, & rectitudinem; & cur. infinito ejus violatores persequeretur odio? an non barbarum, impium, indignum cogitatu, amorem Deo debitum, creaturis traditum, oppugnare? postponere voluntatem Dei vel humano arbitrio? an non transgressio legum legislatori insolenter injuriosa, & inimica justitiæ? Tu Lector ex hoc capite peccati mortalis magnitudinem ejusque infinitam injuriam expende. Oro ne populari trutinâ hanc examines, sed sincerâ judicij staterâ libres penderesque. Hoc ipsum Divus Anselmus *lib. Cur Deus homo*, cap. 21. discussit: *Hinc*, inquit, *graves, lamentabiles, & intolerabiles voces Dei in sacra Scriptura*. Isa. 1. *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me*. lib. 1. Regum cap. 2. *Quare calce abjecistis victimam meam, & magis honorastis filios tuos quàm me*. Et ibidem vers. 30. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo illum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Et lib. 3. Regum cap. 14. vers. 10. *Fecisti tibi Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares; me autem projecisti post tergum tuum. Idcirco ecce ego inducam mala super domum Ieroboam*. Levitici, cap. 6. vers. 1. *Anima quæ peccaverit, & contempto Deo, negaverit proximo depositum*. Et cap. 26. dicitur: *Spernere legem Dei, id est, irritum reddere pactum Dei*. Constituitur ergo peccatum per legis Divinæ contemptum; ut docet apertè Divus Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. ubi docet peccatum esse malum, quia prohibitum lege æternâ, sive per aversionem à Deo, sive conversionem ad creaturas, quæ aversio, & conversio fieri non potest nisi per contemptum. Cùm igitur infinita Majestas contemnatur, calce abjiciatur, post corpus projiciatur, pluris æstimetur vilis creatura, & postponatur illi; quid miraris si provocatus infinitâ injuriâ, succensusque odio infinito peccatum persequatur? & sanè moderatiori non potest odio profligare tantum suum hostem, hostem suæ bonitatis infinitæ? Absolutâ enim necessitate, infinita justitia ad peccati excisionem ruinamque compellitur, si cælo orbique pacem, quam infestat, velit dari. An non necessario amore diligit, complectitur, & tuetur rectitudinem legis æternæ? Omninò. Ergo hostili odio, & crudelitate abripitur in peccatum cælesti rectitudini inimicum. An non peccatum distortum expugnat rectitudinem legis æternæ? an non illam suo solio deturbat, & reponit omnem nequitiam? an non amat Deus infinito amore suam infinitam bonitatem? Quid nequius capite peccati? quidnam plenius malitiâ? quid tam contrarium bonitati, & Sanctitati Dei? sicut essentia Divina, est prima radix, & originalis fons omnis puritatis & Sanctitatis, sic essentia peccati, ut sic loquar, quia peccatum est privatio omnis essentiæ, est radix & fons, & causa omnium malorum, tam hujus quàm futuræ vitæ. Quantum sit malum, ex hoc disce, quod non nisi morte Filii Dei potuit deleri. Opus ergo fuit infinitâ potentiâ, ut superaretur: infinitâ Sanctitate, ut purgaretur: infinitâ bonitate, ut malitia exterminaretur.

Peccatum est Dei contemptus.

Omnis causa mali peccatum.

§. III.

Si infinita sit peccati malitia, quâ ratione odium infinitum placari & debitum infinitum solvi poterit?

CErtum est & de fide, à nulla purè creatura, injuriæ per peccatum Deo illatæ satisfieri posse. Altioris est ordinis, & sublimioris gradus, quàm creatura eò transcendat, ut minimâ parte Deo coæquari possit. Persona quippè offensa Deus est: persona ergo satisfaciens sit Deus. Ut igitur Deo reconcilietur creatura, positis odiis opus est Deo, & nisi esset Deus, quomodo offerret remedium? & nisi idem Deus esset homo, quomodo pro homine pati posset, ut redimeretur homo. Quare nisi Deus factus homo fuisset, nunquam à peccatis vindicati resurrexissimus. Divus Leo Epist. 85. hoc clarè docet: *Quâ*, inquit, *reconciliatio esse poterat, quâ humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominumq; susciperet*? Unde & Anselmus lib. 1. cap. 20. & 2. *Cur Deus homo: Maius erat vulnus odij, quo corruerat posteritas humana, & quo læsa pariter Divina Majestas, quàm ut humanis remediis componi posset*. Opus erat infinito Medico & cælesti, qui sanguine Deifico exstingueret odia utriusque partis, & pacem cælo & terræ reduceret: opus erat Deo homine: ut æternus Deus placaretur hominibus. Cùm igitur peccatum esset infinitæ malitiæ (attende Lector,) quidnam molita sit Divina sapientia, ut satisfieri posset offensæ infinitæ. Junxit Deus pro sua bonitate humanam naturam exosam in sua specie, amatam in Christo, ex Virgine purissima fabricatam, & ideò nullâ illecebrâ vitiatam; junxit, inquam, Divinæ naturæ in unitatem personæ, ut sic Deo altiori modo perfectiùs, & nobiliùs satisfaceret, quàm malitia peccati, odijque Deum læserat: Satisfactio quippè per Christum, per communicationem idiomatum, & propter humanam naturam unitam Deo realiter, intrinseca est Deo. Physicè ergo satisfit Deo, qui Physicè non fuit læsus. Satisfactio ergo Christi est omni injuriâ, & offensâ quæ ex peccato profluit, maior, quia peccata

Opus est infinita persona in peccati solutionem.

peccati offensa est Deo extrinseca: satisfactio verò intrinseca, & ideo multis partibus superior. Hoc enim discrimē est inter opera Christi, & peccati malitiā: quòd peccatum non habeat infinitatem in sua essentia, à qua formaliter injuria sit infinita: opera verò Christi habent sanctitatem infinitam per essentiam, à qua profluit infinitas valoris: meritum enim condignum includit & operis bonitatem, & personæ dignitatem, quia Deus non solùm sibi complacet in opere, sed & in persona ut operante. Habet ergo Deus in Christo ut operante objectum infinitè bonum, & infinitè amabile. Sanctitas Christi in se est simpliciter infinita, à qua infinitate oritur infinitudo in operibus Christi. Valor ergo meritorum Christi est infinitus.

Satisfactio Christi infinita intrinsece.

Valor meritorũ Christi est infinitus

Primò, ratione dignitatis personalis non consideratâ sanctitate.

Secundò, ratione sanctitatis increatæ, non consideratâ dignitate personali. Quò pluris ergo æstimatur persona, nobiliorque, à qua offertur satisfactio, eò pluris & nobilior est satisfactio, & pluris æstimatur. Satisfactio ergo Christi æstimatur infinita in ratione personæ, ex personali ergo dignitate Christi crescit dignitas satisfactionis. An non plus potest Rex apud aliquem, quàm plebeius; & Angelus, quam homo? Quid maius dici fingique potest, quàm homo Deus, & Deus homo? quid mirabilius, quàm Deum mori, patique extrema posse? Ex hac altissima supremæ Majestatis dejectione tantam dignitatem opera Christi consequuntur, ut infinitæ sint æstimationis pretiique. Et sanè quid æquius, cùm per sacram hypostasim ex parte Dei homo satisfaciens est Deus, qui homo absolutè est æqualis Deo Patri, quamvis ut homo inferior Patre, & Pater major est? Absolutè tamen & sine reduplicatione Christus & Pater unum sunt. Sicut & ipse Joannes 10. vers. 3. docuit, cùm dixit: *Ego & Pater unum sumus. omnia mea tua sunt, & tua mea.* Joan. 17. vers. 10. Disce peccator quàm copiosam, quàm abundantem, quàm affluentem, quàm incomprehensibilem, quàm ex omni parte infinitam, peccati malitiæ infinitæ fabricata sit Divina bonitas redemptionem. Et ne perires in tua natura, tuam adeò arctè suæ Divinæ naturæ consociavit conglutinavitque, ut si humanam naturam personalitate Divinâ subsistentem, & quidem carentem sanctitate consideres, omnia Christi opera futura infiniti valoris ad satisfaciendum. Tanti est personalis dignitas quæ operibus singulis infinitam impertit dignitatem; sunt enim opera veri Dei. Quò enim nobilior excelsiorque est persona operantis, tantò majoris altitudinis, & pretij, & gloriæ, & nobilitatis opera à persona nobilissima pondus acquirunt. Quare minimus flos à filio dilecto, Regi Patri delatus, plus oblectamenti Patri conciliat, plus gratiæ & amoris demeretur, majori est pretio, quàm labor mancipii, vel servi, vel plebeij per multos dies desudatus. Tanti est dignitas personæ gratæ, unde sumunt opera suam Majestatem æstimationemque. Si ergo sit Regia persona, minimo operi Regiæ dignitatis nomen & decus, & momentum & honor defertur. Si ergo sit infinitæ dignitatis persona, singula opera vendicant sibi pondus, & æstimationem infiniti ponderis, considerationis, valoris, meriti, auctoritatis, & denique potentiæ infinitæ. Quot ergo infinitates, & dignitates, in sunt tot Christi Domini operibus, quandoquidem præter dignitatem personalem in Christo fuerit sanctitas incomprehensibilis, & suo modo infinita: in Christo enim habitabat plenitudo sanctitatis & gratiæ; per quam singula opera erant sufficientia, imò unum suspirium ad totius humani generis liberationem, & redemptionem ex justitia. Adde, quantis laboribus, quantâ orationum flagrantissimâ intentione, quantâ concionandi continuatione, & quantum triginta quatuor ferè annis desudatum est à Christo Domino, ut Deo Patri reconciliaremur, ut cum fiducia ad thronum gloriæ Magni Dei, purpurati Filij Dei sanguine accederemus. Apud Dominum Patrem per Filium inventa & data est plena, & copiosa redemptio. Cedit ergo infinita malitia peccati, infinitis Christi meritis & sanctissimis operibus, quorum unum cùm sufficiat exstinguendæ malitiæ peccati; sunt tamen oblata infinita, quæ mille mundis ab exitio liberandis sufficerent. Gratia ergo & misericordia data per Jesum Christum, verum Deum potentem satisfacere, & hominem potentem pati, & patiendo redimere.

Nobilitas personæ causat pleniorem satisfactionē.

Dignitas personalis in Christo.

Dignitas personæ conciliat operibus dignitatem.

§. IV.

Collatio malitiæ unius peccati cum omnibus bonis omnium creaturarum simul collatis. Deinde ut sit Dei crudelissimus tortor, & ideò æterno odio dignissimum.

Ad primum. Non minus est admirabile, quàm insuper horribile, tanto odio Deum in peccati malitiam ferri, abripi, & quasi percitum irâ furere, ut nullis puræ creaturæ meritis, precibus, lachrymis, nisi Filij sui inusitato interventu, ejusque inundanti sanguine placari potuerit. Congere & accumula simul Sanctorum, qui vixerunt in terris, hominum merita, heroica facta, labores, & supplicia tolerata, mortes obitas, & quidquid acerbi tormentique potuit tolerari, aut à carnifice inferri, Deo offeras hæc omnia in unius peccati mortalis satisfactionem; parum sanè,

Insolubile pretium meritis hominum.

sanè, quid obtuleris? major enim est iniquitas & unius peccati malitia, quàm ut tanta bona Deus, quæ tamen maximo sunt in honore pretioq; acceptet in reconciliatæ iræ remediũ: ingentius est debitum, quàm ut Sancti omnes de suo sint solvendo; sic alligatum est onus, quam ut ullâ potentiâ tanta vincula rũpi possint. Conferamus peccatorem in fidem & clientelam & patrocinium beatarum mentiũ, quæ ut numero numerum hominum excedunt; sic & amplitudine meritorum indicibili, hominũ meritis superiores superfluunt in infinitum, & tamẽ hæc innumera ferè bona peccati una malitia obscurat, contegit, & penitus ut non compareant, demergit. Quis assecutus meritorum magnitudinem sanctissimæ Deiparæ, quibus illa & homines, & Angelos tantum excedit, quantum est nobilius, esse Dei Matrem, quàm servum? Sola ergo tot meritis, gratiis, privilegiis dotata est, quot omnes Sancti & beati spiritus collectivè simul sunt irradiati. Compone nunc omnia merita, omnia bona opera, & gratias omnes coagmenta, quis capiet illam quasi infinitudinem? Nemo, & tamẽ quis credet plus displicentiæ, fastidii & doloris (si Deus capax esse potest) ex unius peccati fœditate Deum contrahere, quam voluptatis, & lætitiæ, & gloriæ ex tanta bonorum immensitate? Accipe bilancem, & justâ staterâ expende utriusque gravitatem: præponderabit quasi infinito pondere, omnium meritorũ thesauris, una solius peccati moles. Credis? an non hæres attonitus? Addo, Deo inferri majora dehonestamenta, majorem suæ Majestatis diminutionem, cum suæ gloriæ direptione ab uno peccato, quam laudis accipere ab omnibus Sanctis. Miraris? Verùm desine mirari. An non Deo tanquam summo principi infinita laus, & omnia gloriæ ornamenta debentur? an non homines cum Angelis numero mancipiorum reputantur? an non mancipij labor, industria, studium, lucrumque Domino cedit? an non gloria mancipij, tota quanta est, Domino cedit? & quidquid boni possidet, in Dominum redundat? Quis ambigat? Verùm non jure naturæ, sed introductione gentium, quâ homini homo addicitur, & nascitur servus. At homo cum vera sit, & legitima Dei possessio, cum jure creationis subdatur supremo Domino tanquam verum mancipium, & totus Dei sit, quantus est; quid intolerabilius quàm infinitum Deum à vili homine, qui omnibus nominibus se Deo debet, contemni, abjici, & vilissimæ postponi voluptati? An non omnium injuriarum summa & suprema impietas, pedibus calcari à verme infinitæ essentiæ incomprehensibilem Majestatem? Clariùs hanc injuriam exponam. Attende quæso, & quidem dolenter pie in Deum Lector. Fingamus Deum, injuriæ & vulneribus obnoxium; quod fingi nõ debet. Memineris Deum nullo telo, quàm solius peccati vulnerari posse, nullo dolore concuti, nullâ injuriâ lacerari posse, quàm impudentissimi peccati Dæmoniaci audaciâ. Quantam ergo dices unius peccati potentissimam malitiam?

Librandũ peccatum cum omnium sanctorum meritis.

§. V.

Videamus ut peccatum sit tortor Magni Dei.

SCimus Deum infinitè beatum, & frui placidissimâ sui imperij tranquillitate, nihil molestiæ sentire, nulli vicissitudini rerum obnoxium, semper circumfluere omnis felicitatis & gaudiorum bonis infinitis, attamen dicimus tortorem Dei Magni, esse peccatum. Quomodo si torquetur, beatus erit? quò tamen peccati infinita malitia detegatur, placuit Deo læsi & confossi personam induere, voces lamentabiles reddere, morientis conditionem repræsentare. Audiamus voces Genesis 6. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi à facie terræ, ab homine usque ad animantia.* Attende ad singula: pœnitet. Quasi diceret: Retracto consilium meæ bonitatis; ut quid diffudi thesauros meæ potentiæ? quid profuit fabricasse mei singularis amoris in hominem monumenta? pœnitentia me subit, & dolor vulnerat sapientiæ impensæ. Quò meo fructu me exhibui tam pium, benignum? ah quàm me pœnitet operum meorum, quæ cogor evertere! Clamat ergo Deus, *pœnitet*. & Cur? Tactus erat dolore cordis intrinsecus, dum clamat, *pœnitet*. an non cernis cor Dei quasi undique lanceis confossum, doloribus evictum contineri non posse? Speráram (more humano loquimur) cordi meo delitiosos futuros homines, & me condidisse hominem tanquam paradisum meæ voluptatis, & socium regni mei; imò & filium & hæredem meæ felicitatis. Et ecce spes mea retrò sublapsa concidit; & quem speráram filium, nunc hostem sanguinarium sentio, & refractarium rebellemque experior inimicum, qui Paternum cor telis effusis petit, ut interimat: & ideò tactus dolore cordis intrinsecus, quia ad intimos cordis recessus adactum est vulnus; cum ejulatu clamo, & quidem sic, ut tantum videar non concidere & emori. Et ecce tibi sic læsus Deus, & fluctibus dolorum & irarum agitatus, ultionis avidus, indomitis quasi vocibus stomachans, & nescio quid horribile, & funestum parturiens, exclamat: *Delebo hominem, quem creavi.* Concidat & pereat, & secum trahat omnia in ruinam & ruinis sese involvat: sufficit dolori hostis exitium. Tantáne peccati audax potẽtia, ut aggrediens Deum in ipsum ferales ejaculetur sagittas suæ crudelitatis? Tanta est.

Dei dolor ex peccati vulnere.

Induerat.

Induerat Filius Dei hominis naturam, quâ pati posset, qui suâ immortalis. Aspice, ut data est tyrannidi peccati sua potestas; aspice, ut Filium Dei, magnum illum gigantem, & Samsonem in horto in terram projecerit; & prostratum sic compresserit, ut sanguinem & aquam copiosè sudaret. Mittit manus sacrilegas in Filium summi Regis, flagellat, spinis coronat, in crucem adigit, & in crucem adactum velut mancipium mori cogit.

Audacia peccati.

Æternum ergo bellum cum ipso Deo & funestum & implacabile gerit: & è contrà Deus omnes suas vires, potentiamque congestam exerit in peccati malitiam. Subjice oculis tuis vitam, mores, verba & facta juratorum hostium. Qualis eorum occursus? qualis congressus? qualis ardens, & tumidus, & spirans irarum animus? omnia illis occursantia redduntur inimica: quidquid uni placuit, displicet alteri: quidquid uni amicum, hostile alteri: terræ, domus, penates, sol, & dies sunt in delitijs omni mortali: soli inimico, quia his fruitur hostis, sunt detestabilia. Mira rabies, tanta bona vellet perire, ne sit quo gaudeat hostis. Una voluptas dissona, & discors anima, & ijsdem pariter involvi ruinis, ut pereat hostis; epoto priùs sanguine cum utriusque excidio. Nec finis irarum sævarum. Sævitur & in cineres, & ne quid supersit, in ventos mittuntur. An hic ponit odium suam sævitiem? Nequaquam: exardescit itaque in umbram nominis. Monumentis ergo, elaboratisque saxis nomen incisum eraditur, & flammis datur. Sunt quædam dira, & implacabilia animalibus inter se bella & odia. Dissident æterno odio olores & Aquilæ: corvus & chlorion etiam noctu ova exquirentes. Rarum odium Aquilæ cum Trochilo (si credimus,) quia Rex avium appellatur. Non minus rarum inter Araneum & serpentem. In hunc sub arbores porrectum umbra Araneus se filo librat, ipsiusque caput petens, tantâ vi illud apprehendit, ut stridens, vertigine rotatus, nec filum quidem desuper pendentis frangere queat; nec finis ante mortem est. Ante omnia animalia, Ægythus & Anthus sic se odêre, & in tantum inardescunt dissidijs, ut sanguinem eorum credant non posse coire, multisque ob id veneficiis infament. Dictu mirabile: si commiscueris sanguinem, commistus protinus quasi ex condicto & ad sonitum tubæ se movet sejungitque, & suam sibi quælibet avis portionem repetit, vendicat, fugitque. Vide Plinium lib. 10. histor. cap. 74. Vehementia hæc sunt odia; at nullum ad Eteoclis & Polynicis, fratrum accedit odium. Hi rupto fœdere per alternos annos regnandi, in bellum exarsêre, in quo mutuis vulneribus confecti cecidêre. Adeò potens est ambitio regnandi, ut proximum sanguinem ignoret. Data sunt corpora flammis, flammæ aversatæ fraternas iras se divisêre; fumi per diversa ad æthera ascendebant: impatiens consortis odium etiam post cineres. Immensi sunt odiorum hi furores, at infinitis modis exsuperat ira furorque reciprocus peccati, & Dei. Conferas congressum juratorum hostium; ut suprà: conferas reliqua odia: umbram solùm Divini odij, & peccati exprimunt, imò vix delineant: Deus peccatorem in hac vita malis objicit gravibus multisque; morte miserabili mulctat, mortuum redigit in cineres, deinde mortuum vitæ novæ restituit, ut vivens æternis mortis cruciatibus, & flammis semper integer; & semper & nunquam moriens torqueri possit. Et quia æternum infinitumque est odium; nullus finis, nec meta tormentorum erit, & finis unius mali erit quasi initium alterius.

Duellum peccati cum Deo.

Odia & bella animalium.

Fratrum horribile odium.

Odium Dei in peccatū.

Hoc est duellum bellumque Dei cum peccato, quod nulla sæcula diriment, nulla spatia æterna absolvent; sed semper in se, & ex se renascens ardebit. An obliviscetur ergo misereri Deus? an continebit semper in ira misericordias suas? Obliviscetur, & continebit, nunquam satiabitur magnitudine pœnarum: nunquam mitigabitur spectaculo tormentorum.

Tantæne animis cælestibus iræ? accensus est in furore ipsius ignis, & ardebit usque ad inferni novissima. Potestnè quippiam horribilius excogitari fingique, quàm Deum vitam brevem plurimis malis respergere, dein mortem immittere, & morte abactâ, rursum vitam donare, ut sic vivâ morte, & accumulato omnium pœnarum cataclysmo, & horribili incendio æternum sine fine, nullâ spe gratiæ relictâ, & insaturabili furore castigare, cruciare, & conficere tormentis. Videte quàm altè in Dei cor adigatur telum tortoris peccati: videte quàm immedicabile vulnus, quod nullis sæculorum evolutionibus curari poterit: videte quàm implacabiles in animo nutriat iras, quas nulla infinitudo sæculorum precumque reconciliabit. Apocalyp. 15. *Ascendet ergo fumus tormentorum in sæcula sæculorum*; & clamor vindictæ in inferno, in omnes æternitates cum mille in Deum blasphemijs resonabit. Sic torquebitur à Dei vindictâ, qui non erubuit Deum suis sceleribus instar tortoris torquere.

Cantic. in Moysis.

§. VI.

Paucis, insigne & horribile tanti odij dabit testata & consignata antiquitas, monumentum.

QUemadmodum Regna Sodomorum & Gomorrhæorum cum aliis urbibus incendio destinatis vindex ignis cælestis everterit, atq; consumpserit dicam, sed antequam ipsam conflagrationem exordiar, testes historicos præmittamus, qui hanc ut formidabile, atque horribile infensi Numinis, & irati cæli exemplar describunt toti orbi notissimum. Strabo lib. 17. sic scribit: *Quod illa Regio ignita est, multa signa afferunt: nam & petras exustas ostendunt, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris stillantes, & flumina fætido odore efferventia, & habitationes passim mersas.* Itaque fidem habent iis, quæ ab indigenis prædicãtur, eo in loco tredecim Urbes olim habitatas esse, quarum Metropolim Sodomam adhuc sexaginta stadiorum ambitũ servare, & quod ex terræ motibus, & ignis afflatu, & ex aquis calidis, & bituminosis atque sulfureis lacus eruperit: & quod petræ factæ sunt igniferæ, & urbium partim absorptæ, partim ab iis quicumque fugere potuerunt, derelictæ. Suspende Lector judicium, cum legis in Strabone: ignibus ex terra prorumpentibus urbes cum terris conflagrasse. Et ne quis fidem porrigat Straboni, Scriptura sacra docet apertè, cælo missas ultrices in corruptissimam Gentem, flammas Genesis cap. 19. vers. 24. *Pluit Dominus sulphur, & ignem à Domino de cælo.* Audiamus Tacitum lib. 5. Histor. *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisq; urbibus habitatos fulminum iactu arsisse, & manere vestigia terramq; specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta spontè edita, aut manu sata; sive herba tenues aut flores ubi in solitam speciem adolevêre, atra & inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut Iudaicas quondam urbes igne cælesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoq; fœtus segetum putrescere reor, solo caloq; iuxta gravi.* Optimè Tacitus, cui manus dat Hegesippus, Ambrosio interprete lib. 4. Quinque ita Urbes incensæ, quarum umbra quædam & species in favillis videtur. Arsêre terræ; ardent aquæ, in quibus cælestis ignis reliquiæ cognoscuntur, atque adhuc manent. Spectes hîc specie poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem: si capias, fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant. His accedit Solinus c. 37. Longo, inquit, ab Hierosolymis recessu panditur sinus, quem de cælo tactum testatur, humus nigra, & in cinerem soluta. Et in Polij histor. Duo, inquit, ibi oppida, Sodomum nominatum unum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum cutis eximiæ cohibet. His addamus Josephum, qui l. 5. de bello Judaico. c. 4. sic scribit: Sodomitica terra olim quidem tam fructibus, quam divitijs civitatum fortunata; nunc autem omnis exusta, ut quæ habitatorum impietate, fulminibus conflagrasse memoratur: denique adhuc Divini reliquias ignis, & Oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium verùm manibus in fumum dissolvuntur & cinerem: tot erat florentibus rebus amœnos variosq; paradisos spectare, quot erant inclytæ urbes. Has terræ delitias admirabiles, & amœnitatem testatur Scriptura sacra cap. 13. in Genes. *Erat*, inquit, *sicut Paradisus Domini ad septuaginta duo milliaria in longum, & tredecim in latum protensa.* Nunc considera prodigiosam cælestis incendij rabiem, quæ tanta fuit, ut tota Regio ita profundè exusta, & flammeo sulphure exhausta fuerit, & magnus sinus maris enatus, ex quo tam teter odor afflatur terris ut ad viginti circiter passuum millia, omnia, campestria in solitudinem redacta, & exusta videantur. Quare & mare solitudinis nominatur, cujus aquas Plinius lib. 5. vocat pestilentes. Vertit ergo ira, & odium Dei pulcherrimum paradisum in lacum stygium & infernalem: qui & mare mortuum vocatur, quod non solùm aliquid viventis producat, verùm etiam viventia injecta suffocet, & sui veneni contactu actutùm interimat. Et ne quis dubitaret de tanta summi Numinis vindicta, c. 19. vers. 24. Genes. dicitur. *Pluit Dominus sulphur, & ignem à Domino de cælo.* Deus ergo in excidium amœnissimi paradisi imbrem sulphureum supra omnem naturæ vim, modumque repentè factum cælitus misit. At quantæ efficacitatis, quantæque ebullientis iræ censes fuisse formidabilem ardorem? Tanta fuit flammarum & ignium sulphureorum insana rabies potentiaque, ut in repentino quasi momento non terræ superficies, sed usque ad intima viscera, abditosque recessus tota Regio fuerit exusta, æternum mansura toti orbi monumentum, & loquens spectaculum scelerum castigatorum: quid enim pro paradisi lætissimâ ubertate ibi per trium annorum & amplius millia spectatur, nisi perpetua sterilitas, pestilens cælum, terræ horrenda facies, plantarum, & animalium infamis solitudo, & præludium æternorum suppliciorum. Hanc horridam faciem sic depingit Bocchardus c. 7. primæ partis: *Mare mortuum semper est fumans, & tenebrosum sicut os inferni, sicut oculus vidi ob tetrum illum vaporem inde fumantem: vallis quondam dicta illustris.* Pluit itaque Deus sulphureum imbrem, ex quo lacus iste tenebricosus fumansque terra per flammas excavata, confectus: quo sulphureo imbre tota Gens

Varius auctorum concentus de excidio Sodomæ & Gomorrhæ:

De pomis illius terræ.

Divini odii signa.

Incendium horribile.

Habes hic auctores.

Gens execrabilis cum ipsis pueris, & imbelli sexu penitus quasi in momento consumpta fuit; juxta illud Jeremiæ c. 4. in lament. *Major effecta est iniquitas filia populi mei peccato Sodomorum, quæ in momento subversa est*: adeò repentina eos clades immissis fluminibus sulphureis involvit, ut mentem & sensum eripuerit, nec fuerit datum spatium pœnitendi.

Periêre ergo omnes in sceleribus cremati sepultique. Contigit illis impiis, quod rebellibus Angelis, quos in momento ira Dei, nihil opinantes, cælo deturbatos, in abyssum æternæ calamitatis, præcipitavit. Et ne qua pravi seminis spes, vel generarionis vestigiũ aliquod superesset; etiam lactentes ad ubera, etsi innocentes, vivi cremati. Et quid meruêre? Quid infans Bersabee ex adulterio conceptus meruit? Quid infantes in communi diluvio? Justitia ultrix in prole ulciscebatur, puniebat parentum scelera. Deinde qui nefastis parentibus orti, tanquàm filij proscriptorum communem Patriæ sortiebantur fortunam. Horribile Deus exhibuit suæ justitiæ sacrificium, quale sibi exhibet, & exhibebit in omnes æternitates concremandis damnatis in inferno. Verùm sacrificium ut perfectum sit, sale condiendum. Levit. 2. 13. *Quidquid*

A *obtuleris sacrificij, sale condietur*. Et ibidem: *In omni oblatione offeres sal*. Marci 9. vers. 49. *Omnis victima sale condietur*. Pluit ergo Dominus sulphur sale admixtum ardente, ut perfectum sacrificiũ Justitiæ vindicativæ dicaretur. Hoc insinuat Moyses, Deutero. 29. *Videntes plagas terræ illius, & infirmitates quibus afflixerat eam Dominus, sulphuris & salis ardore comburens: ita ut ultrà non seratur, nec virens quippiam generet*. In exemplum Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ, & Sebin, quas subvertit Dominus in ira & furore suo. Has quatuor Civitates Filius Dei per flammas in cineres redegit. Quintæ etsi flammis destinatæ pe-
B percit Deus ad preces Loth. Felix Urbs, patrono justo, quæ trecentis ante nos annis stetit, ferax balsami, & poma palmarum generans in antiquæ ubertatis indicium. Habes Filij Dei odium in peccata, & impios ebulliens, & ideò dicitur: *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem, & sulphur à Domino de cælo*. Habes hîc mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Dominus ergo Filius pluit à Domino Patre, à quo scilicet ut substantiam habet, ita & potestatem faciendi. Joannis 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*.

QVARTA PARS XV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

In Virgine est ingens odium peccati.

Quomodo in Virgine possit esse odium.

AN non Virgo Turturi placidissimæ volucri comparatur? Cantic. 1. 12. *Vox Turturis audita est in terra nostra.* An non vox Turturis florei veris prænuncia? an non hyemis turbidæ, tetricæque grata & optata proscriptio? Hic omnium sensus. An non Virgo mansuetudinis, & amabilis clementiæ blandissima officina, & sine ullo felle columba vocatur? Hoc commune certumque omniũ judiciis. Cantic. 6. 8. *Vna est columba mea, quæ sit Princeps absoluta consummataq; lenitatis.* Et Cantic. 4. 1. *Oculi tui columbarum, quasi nati ad omnem humanitatem,* quales nostros vellet Deus. Jeremiæ 48. 28. *Estote quasi columba.* Et quia est Domina & sola omnis humanitatis suavissimæ Mater, à Deo præ omnibus creaturis invitatur Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, columba mea: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Meo judicio si compararim hanc columbã mitissimã alciõni volucri portentosę potentiæ, non indecore compararim. An non alcyone fabricante suum nidum ad furibundi maris litus proximum, spumantes suas iras mare turgidum, quasi lege clientelæ ad volucris præsentiam componit? an non turbidi venti reveriti volucris majestatem, quasi ex condicto tranquillantur? Pax pelago datur fida constansque, quamdiu placitum naturæ pullis educendis.

Virginem pax & flores decent.

Virgo itaque vera Alcyon, quæ pacem dat orbi, quæ solam clementiam, & quietem spirat, & Dei irati componit iras. Nihil bellorum Turtur, Columba, Alcyon comminantur; imbelles sunt volucres, & pacis securæ tessera. Quid ergo Virgini cum odiis, irarum stimulis? Illa prætendit non tubas, non tela, sed ramos olivæ. Virgini non sunt manus Martiales, non bellatrices iræ: horret Virgo crudelitatis omnem sensum: Virgini dicandi calathi rosarum & liliorum; incedat Virgo stellata rosis & floribus, non casside, non loricâ, non tunicâ militari. Non ergo Virginem odium decet. Quàm mallet illa mortuis vitam dare, quàm vivis auferre. In hoc solo gaudet & gloriatur, quod suo interventu Jani portæ clausæ, & orbi bellanti pax data. Cùm igitur nulla litera sanguinolenta in vita legatur, quomodo Virgini, fonti omnis lenitatis, odium, lateri ensem accõmodabimus? Grandis labor. Fatendum Virginis & Filij concordis voluntatis consensum inviolabilem, eandem judiciorum inclinationem, pari impetu amoris in homines ferri, & omnes sui Filii affectus induere. Lætatur ergo Filius; lætatur & Mater: abblanditur Filius, abblanditur & Mater: invitat Filius, invitat & Mater: Filius porrigit dextram miseris, porrigit & Mater: flet Filius, flet & Mater: tristatur Filius, tristatur & Mater: Ergo si odit Filius, odit & Mater. An non sentiret Mater injurias, quibus lacessitur Filius? Sentit; est enim utriusque una & conjunctissima causa. Habet ergo Mater eos hostes, quos habet Filius. Sic necesse est. Scio Virginem vocari, Cantic. cap. 6. 3. *Pulchram amicam, suavem & decoram sicut Hierusalem.* Additur tamen tantæ formositati terror: *Terribilis,* inquit, *ut castrorum acies ordinata.* Et quibus terribilis, nisi peccatoribus? & quantus in Virgine terror, & quam terribilis? an non *terribilis ut castrorum acies ordinata?* Quid illâ terribilius, quæ nihil nisi horrorem spirat, & furorem armorum micantium? Quare Septuaginta verterunt: *Pavor, stupor, admiratio.* Et vatican. textus: *Pavor ut acies ordinata;* pavor, id est, pavenda, & pavorem hostibus incutiens, & ideò similis equitatui Dei in curribus Pharaonis, quos equitatus Dei, id est, Angeli Dei prostraverunt in mari rubro. Deus enim ascendit super equos suos, quando Angelorum ministerio exercet imperia potentiæ suæ. Persequitur ergo & odit Virgo, quos persequitur & odit Filius sibi dissimiles: quandoquidem dissimilitudo & dissonantia sit causa odij, sicut & convenientia causa amoris, vel amantis ad amatum. Et sicut objectum amoris est bonum, sic odij malum. Deus ergo infinitè bonus non potest non infinitè odisse malum: sic & Virgo quæ tota bona, & tota pulchra. Quadruplici ergo ratione odit Deus & Virgo malum. Primâ: quia voluntas Dei non potest inclinari ad malum propter infinitam bonitatem essentiæ suæ. Secundâ: quia aliis à se, vult in eis sit bonitatis similitudo. Tertiâ: quia à primo ente omnia alia, ut loquuntur Theologi, sui essendi sumunt originem. Quartâ: quia omnia agentia suo modo

Qua ratione Virgo sit pavenda.

Quadruplici ratione odit Deus malum.

modo suos affectus amant. Pari ratione voluntas Matris Dei à primo Conceptionis instanti, cùm sit fons puritatis facta, non potuit ad malum inclinari. Deinde omnes ad se vocat, Proverb. 1. *O Viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: Accipite disciplinam meã, & non pecuniam: doctrinam meam magis, quàm aurum eligite: melior enim est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Huic accedit, quod Virgo omnes ad sui similitudinem traducit. Quilibet impurus, profugus castris Veneris transit ad fines pudicitiæ. Nemo non ope Virginis impotentes frænavit motus animi; omnes ab ejus uberibus sugunt naturam sui lactis: ut arbores degeneres mutato solo, boni soli succum & alimentum trahunt. A Filio omnia, tanquam à primo ente suum esse mutuantur: sic & à Matre hauriunt, Proverb. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et quia omnia agentia amant suos effectus, & fœtus; an Virgo non amaret homines, quorũ est Mater spiritualis, & proximè naturalis, quia nobis dedit Filium Dei in fratrem? Quod & Filius agnoscit, dum legitur: *Ite, nunciate fratribus meis.* Matthæi ultimo. De illa natus est Jesus, qui vocatur Christus: de illa nos nascimur spiritualiter in Christo, qui in nobis non nascitur nisi per illam. Audi vocem Matris: *Venite filij, audite me; Beati qui custodiunt vias meas.* Proverb. 8. Et quia amat, nos sibi similes facit. Teste enim Aristotele 3. Ethicor. *Amor aut similes invenit, aut facit.* Quare optimè Bonaventura Ser 1. to. 3. operum: *Quia,* quit, *tota ardens fuit, omnes eam amantes, eamq; tangentes incendit.* Et idem assimilat cuidam lapidi pretioso, qui se tangentes adurit. Amor enim ignis est, qui si cælo imperitans, cælum ussit; cur non homines incenderet? Ignis spoliat ferrum suæ æruginis exuviis, & implet formâ sui; cur non Virgo suos clientes impleret suis amoribus? Si lapidum conflictu attrituque ignem elicimus; cur Virgo attactu sacri sui commercij, non impertiet suis cæli vitalem calorem? Omnes causæ amant suos effectus non aliter quàm sui partem, tanquam aliquid à se profectum; cur non amaret Virgo mortales, quorum causâ se creatam agnoscit, & Matris nomen datum? odit tamen omne spurium & abortivum; odit omne Filio suo dissimile contrariumque: quis enim Dei rebelles non odisset?

§. II.

Quale est odium Virginis in peccatores.

ETsi Filij & Matris sit indivisum imperium, & cõmunibus legibus gubernetur; voluit tamen altitudine suæ bonitatis Deus Matrem suam omni choro virtutum stipatam, quamdiu superest in hominibus spiritus, semper ostentare viscera pietatis Maternæ: voluit Maternum solem semper radios, & propitios rores cælo demittere, semperque in peccatorum solatium lucere, quamvis ipse iras, & odium animo compressum reservaret. Irascitur quidem, ut solent Matres, at non obliviscitur se Matrem: nullius obliviscitur, nisi injuriarum, cui sicut summa voluptas, posse parcere; ita summus dolor, si quis invideat illi suam salutem. Mirum dictu. Nemo adeò exosus supremo Numini, qui Virginis opem implorans, ejus misericordiam non est assecutus. Odit, & amat, & vehementer amat, etiamsi potiri non liceat, & nequit tamen non odisse. Quis enim non odisset iniquitatem? diligit iniquitatis auctorem, nec propter vitia homines odit, nec vitia propter homines diligit. Odit vitia, ut profliget: diligit homines, ut servet: sic temperat odium, ut Matrem semper agnôris. Mira indoles amantis Virginis, quæ præpropero ac potente amoris æstu mitigatas iras verset in obsequia. Nullus illi perit, nisi qui obstinatâ vult perire voluntate. Solus ille qui cum Virgine bellum gerit, se perimit, nec exitio dandus, si mentis malitiam retractet. Tumidæ inflatæque cervices, Virginis beatam servitutem oppugnantes, quæ in Virginis odium emicant, dignæ perire. Et sanè quis locus pietati, ubi pietas conculcata despicitur? quis locus misericordiæ, ubi misericordia oppugnatur? Careat solatio clades voluntaria. An non est postremæ dementiæ, eum, qui Virginis gratiâ, & ope, virtutis pulchritudinem oculis animę viderit, utilitatemque ejus usu & ratione perspexerit, non ignarus quantum dedecoris, atque miseriæ adipiscatur ex participatione vitiorum, tamen addictum se velit vitijs? Quàm infausta peccatorum ingenia, qui similes fœminis Celticis, de quibus Dion Nicæas in Antonino. Hic cum Cennis Gente Celticâ gerebat bellum; potitus victoriâ, & uxores captæ, & à Romanis rogatæ, num vendi aut occidi mallent, mori se malle responderunt. Quæ cùm essent venditæ; mortem, priùs occisis filiis, sibi consciverunt, ne servire cogerentur.

Quid spectandum iis impiis, qui hanc rabiem imitantur, quibus dulcius perire visum, quàm subdere se Virginis servituti? Quàm petulanter, & insuetâ rabie in sanctam Virginem

Mirum in odio temperamentum.

Nemo perit nisi volens perire.

Invisa servitus.

Infandus Nestorius.

ginem invasit unus (cum impijs aliis) Nestorius, qui Virginis ausus sacro vertici nobilissimum diadema detrahere, vetans Virginem Θεοτόκον, id est, Dei Matrem compellari. Hic impius quamvis Imperatorem Theodosium Juniorem falsâ pietatis imagine fefellerat Deum tamen Virginis vindicem nequaquam fefellit. Movit Deus totum orbem: Ephesi Concilium indicitur Ducentorum Episcoporũ; obstinatus proscribitur, exilio mulctatur, in quo lingua maledica exercitũ vermium obsessa, corrosa, & putrida per frusta dissilijt ejecta per os impium. Nec sufficeit blasphemiæ hoc crudele supplicium. Dignus erat sentire supplicij æterni primordia. Per varias ergo itinerum molestias toto corpore computruit: & ut Nicephorus lib. 14. cap. 3. & cap. 36. addit, in extremis Thebarum oris, locum ex loco mutans, versatus est, ubi terrâ ruptâ coopertus & oppressus fuit, qui antè tot ostracismis & exilijs damnatus fuit, & qui terram sanctam, in quâ Deus quieverat, temerârat, terræ sinu excipi indignus fuit. Indignata ergo terra tale monstrum tolerare, illud devorauit, ut corpus & anima simul æternis incendijs cremarentur. Vide Socratem lib. 7. Nicephorum lib. 14. cap. 36. Paulum Diaconum lib. 18. Rerum Romanarum.

Mors Nestorij infanda.

Sceleratissimus Arrius bellum indixit Filio Dei, negans illi suam Divinitatem. Et Nestorius classicum cecinit contra Virginem Deiparam, contestans non Deum, sed hominem purum genuisse. Ille consequenter negavit generis humani Redemptionem, nisi enim foret Deus homo, nequiret satisfacere. Hic & Filio, & Matri infert blasphemiam. Dum sacrum canit Euangelium de Virginis Filio: *hic Filius Altissimi vocabitur, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Uterque horribili pœnâ percussus interijt: Arrius per stercora in latrina publica sceleratam animam evomuit: Nestorium nec terra contexit, & quare contegeret, qui, terram benedictam prophanârat? Narrat Vincentius Beluacensis propos. 2. speculi historiæ lib. 8. cap. 104. Placentiæ in taberna quadam tesseræ jactu infelicem furore barbaro in Dei Matrem exarsisse, & dira in sacrum Virginis uterum ejaculatum. Audijt cælum, & subitâ morte percussus æternitati suppliciorum traditus fuit. Vide Lipsium in suo Aspero Colle. Scribit Bonifacius lib. 5. cap. 2. Audite, inquit, exemplum quod per totum regnum fama vulgavit. Quidam Indam ad infaustum thorum vi minisque compulerat, anteà concubinam; provectâ nocte cælum misceri, tonitrua concuti, terrã tremiscere, fulgura ignesq; micare, oculos adulterorum perstringi; grandinem ventis permistam tecta pavoribus quatere. Hic mulier pavore correpta, Matrem Dei interpellare: *Fer*, inquit, *opem; tuere me obsecro.* At vir sceleratior: *Tace*, inquit, *stulta, nullum in Virgine præsidium.* Audiit vocem impiam, cælum. Et ecce subitò fulmen excussum extremam vocem abscidit, corpusque à lecto nefario ad quatuor vel quinque passus avulsum disiectumque, flammaque instar aridi nutrimẽti correptum. Mulier inclamat exanimem, quem metu exanimatum putabat: trahit digitos pedum; tracti divelluntur, conatur mortuum abstrahere loco, flamma obstat. Ultimum refugium clamor, quo omnes vicinos concitat. Cadaver protrahitur. Ecce tibi os sine dentibus, sine linguâ, hians terrificumque, & omnia membra fluxa solutaque. Mulier alieno alterius exitio facta melior, quadraginta millibus passuum decursis, ad collegium Societatis Jesu studio melioris instituendæ vitæ venit. Quid non datum lachrymis, & ejulatui fœmineo? Narrat Theoterista in Nicenâ: narrat & Cedrenus; & Baronius tom. 9. anno 767. ultionem cælo missam in Constantinum Copronymum Imperatorem mente Judæum, etsi habitu Christianum. Petulanter in Matrem Dei grassabatur, & impotens sui furoris vocabat Dominam cæli impotentem, & ab auxilijs penitus infirmam. Eò devenerat insaniæ, ut nomen Virginis sacris ædibus abstrahi juberet: deinde ut blasphemus, vacuam omni sanctitate à Filij sui partu impudenter asseverabat. Hanc impietatem ut tueri posset, hoc exemplo tuebatur: marsupium plenum auro ostentans, percunctabatur, quanti valeret: Multum inquiebant Auditores: excusso autem auro, quanti, responderunt: Nihil. Et talis (inquit fatale & diabolicum monstrum) est Deipara Maria: Christum circumferens sancta: post partum par alijs. O blasphemiam execrabilem, & Deo invisam! ut terra, ut cælum, ut ignis malorum ultor tulit hanc insaniam? ut Filius Matris suæ amantissimus tulit? sequitur à tergo Deus ultor. Narrat Glycas: Sensit in pedibus carbunculi morbum, æstuans ardẽsque clamabat: *Propter insaniam meam vivus*, inquit, *igni trador inexstincto.* Et sic finijt vitam, vitã indignus. Addit Cedrenus: Carbunculus febris ardentissimæ quas voces extorsit? an non hora extrema vitæ, de arcanis mẽtis dijudicat? *vivus*, inquit, *inexstinguibili sum traditus igni propter Mariam Deiparam*: jubensque eam exindè honorari, ac celebrari exspiravit. An non coactus moriens celebrare Virginem, Dei Matrem, quam vivens sanusque impiè traduxerat? Similis pœna Leonem Armenum, Copronymi Filium, Paterni sceleris hæredẽ secuta, qui & eodem fato trucidatus interijt. Ausus hic ex templo sanctæ Sophiæ coronam immensi pretij, gemmis distinctam, sanctissimo Virginis vertici ab Imperatore Mauritio dicatam detrahere; sibi rapere, sibi dicare. An non carbunculo in capite oborto sublatus, qui Virgineo capiti sacrilegas manus injicere non dubitavit? Vide Cedrenum. Quid sub Mauritio Imperatore contigerit, narrat Nicephorus lib. 18. cap. 33. Græci quidam seu Gentiles in cujusdam domo convivantes, & vino se proluentes, & tandem

Mors Arrij.

Horribile vindicta genus.

Mors horrenda Copronymi.

tandem pleni cœperunt convitijs Dei Matrem proscindere; hoc compotationi adhibentes studium, ut quæcumque aliquis eorum excogitare posset absurda, & indigna, per ea dispensationis nostræ mysteria illuderet. Dicterijs sanctissimam Matrem proscindunt, telis maledicis eam petunt. Non tulit Filius Matrem suam lacerari: pœnas enim petulantis linguæ cuncti dedêre. Hospiti autem Virgo Beata per noctem præbuit se videndam, graviter expostulans quod impios domi suæ tolerasset. ille in pœnitentiam versus, orat spatium errori castigando: impetrat tandem; attamen documento futurus posteris. Circumscribit ergo Virgo Beata Vimine quod manu gestare videbatur, genua velut ea exarans. Discusso somno, disrupta à reliquo corpore membra, quæ signata senserat sanguine diffluentia. Defertur in publicum, præco & testis vindictæ Divinæ, ore, miserabili habitu, & miserabili clamore se, sui sceleris comites detestans. Tota ergo Civitas tam inopinato vindictæ miraculo concussa, laudes Deo decantans, Matrem Dei celebrabat, quæ ita genus Christianorum tueretur. Nunc dabimus præclarum Maternæ iræ documentum mirâ pietate temperatum ex Moscho Evirato in prato spirituali. Heliopoli (Phœniciæ Civitas est) infelix Mimus Gaianus in Virginis injuriam theatrum dedit. Subitò ulta est Mater, Matrem non exuta, nocte concubiâ adest, percunctatur Virgo: Quid, inquit, tibi mali feci, quia coram populo detrahis meæ dignitati? Ille seipso ferocior factus, (ô indomitos malitiæ spiritus!) proximo die multò acerbiùs Virginem petit provocatque. Adest iterum Virgo, blandè castigans monensque jaculis abstineat, ni se perditum velit: Noli, inquit, noli animam tuam lædere. An hic factus melior? Sceleratior leonis instar furibundi in Virginis contumelias exarsit, & prorupit audaciùs. Quid non mortalia pectora cogit rabies insana? Altero ergo die & quarto quidquid potuit colligere amari fellis, Virginem allatrans, in Virginem evomuit. Tertiùm ergo Virgo se exhibuit impio; & inani fructu eadem verba iterabat: ô infatigatum Virginis pectus! voluit nebulonem perditum perire, ne totus periret. Clara ergo apparet dormienti, nullo verbo affata virum, verum solo digito signavit manus pedesque: tunc tandem documentum orbi fuit; tunc diversum à priore theathrum dedit: tunc ejulans, seipsum detestans, clamansque se truncum, scelere id poscente; fatebatur se justè, & misericorditer puniri. Quare Philippus sextus Valesius, Rex Fràciæ, pulcherrimâ editâ constitutione voluit omnes in Virginem blasphemos castigari. Audi tenorem: *Volumus, & ordinamus, quod ille, vel illa, qui Deo & beatæ Virgini maledicere præsumpserit, aut turpe, aut vile juramentum fecerit, pro primâ vice ponatur in pilario, inibi ab hora prima usque ad nonam per mensem, ad cuius oculos*

Horribile vindictæ genus.

Litera Regis Philippi Valesii in maledicos Virginis.

A *valeant proiici lutum, & alia immunditia. Deinde verò ad panem & aquam absque alio cibo per mensem morabitur. Sin vero secundò contigerit, quod in die solemnis mercatus, rursus in pilario constituatur, ipsiusque labrum superius cum ferro calido taliter abscindatur, quod dentes eius appareant. Pro tertia verò vice, labrum inferius. Et quartâ vice, totum bilabrum, deinde tota lingua.* Hanc constitutionem dignam tanto Rege, Carolus septimus, & Octavus, & Ludovicus Duodecimus sunt feliciter æmulati. Sic Nicolaus Boërius Burdigalensis Præses Decisio. 301. Quid agitis vos nefarij hæretici, cum Virginis sacratæ gloriam violatis? permiscetis omnia vestro furore, & faces vestri furoris jactatis, verum ijsdem vestris facibus estis

B arsuri: bellum Giganteum tentatis, vestras nequitias nequitiæ vlturæ. Solem aversati sagittis petitis, at illæ in vestrum caput relapsuræ. An lex justior ulla est, quam artificem nequitiæ arte perire suâ, suâque malitiâ? Sentietis iras Virginis Matris, qui Virginis Matris pietatem implacabili odio estis persecuti. Infelix qui in Virginem peccavit. Audi Proverb. 8. verba sapientis: *Qui in me peccaverit, lædet animam suam.* Varietas Lectionum gravitatem peccati exhibebit. Hæbraica Lectio ita se habet: *Peccans in me, injurius est animæ suæ.* Pagninus: *spoliat animam suam.* Caietanus: *torquebit animam suam.* Chaldaicè: *disperdet animam suam.* Septuaginta: *impiè agunt in animas suas.* Acrior nostra Lectio: *Qui me*

C *oderunt, diligunt mortem, morti confœderati, & vitæ expertes.* An non læditanimam suam, qui in Virginem peccat? dum ut Pagninus vertit: *spoliat animam suam.* Quasi diceret: similis reo læsæ Majestatis, qui bonorum omniũ proscriptione & spoliatione mulctatur. An non injurius animæ suæ, ut alij legunt, cum me violant? dehonestant enim animas suas, cùm more pecudum suam vitam instituunt. Paucis te Lector volo conventum. Attende, rogo, ad ea quæ sequuntur, non solùm eos iram Virginis & odium mereri, qui in illam conjurant, convitiis lacerant, calamum in illam stringunt, verum etiam illos, qui Virginis opem & auxilia negligunt, aversantur contemnuntque. Hoc me docet sanctus Bo-

D naventura: *Non solum in te peccant, ô Domina qui tibi injuriam irrogant, sed etiam qui te non rogant.* An non injuriam Soli irrogant, qui sine Sole sperant lucem, qui est fons & Pater lucis? Quis negarit Matrem non esse fontem lucis & gratiarum? Quis sine auxilio Virginis diu peccati lætalis vulnus effugit vitavitque? præliamur & luctamur cum hoste validissimo, nudi ad vulnera sumus, arma petenda ex turri David, in qua est omnis armatura fortium. Hic sedes præsidij, & tutelaris gratiæ regnum, hinc petenda robora virtutum: hic in sacramentum Virgineæ militiæ adigenda cogitationum consilia. Benè docet Bonaventura, cum ait: *Qui te non implorant, inermes suorum hostium vulneribus patent.* Lædit ergo animam

Peccans in Virginem se perdit.

Dignissimũ notatu documentum.

animam suam,& in Virginẽ peccant,qui illam negligunt. *Qui autem illam diligit,diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam,cõplectĕtur placorem illius.* Eccles.4.verf. 13. ubi alij legunt: *malaciam illius.* Et quid est malacia? nisi jugis & beata animi bene compositi tranquillitas? an non illa hauritur, trahiturque ex jugi fonte & perenni fluvio omnis felicitatis? Hanc tranquillitatem docet Bonaventura, à Virgine suis conferri,cùm ait: *Ad te Domina clamavi in angustia animæ meæ,& tu serenasti conscientiam meam.* Cave negligas Virginem, metue ipsius iram, teste enim Bonaventurâ, *Quem vis,* inquit, *salvus erit:à quo avertis faciem tuam, vadit in mortem.* Et qui coluerit, per illam justificatur;& qui illam neglexerit, morietur in peccatis suis. *Ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam, & conservabit te.* Vel, ut alij habent, *custodiet cor tuum,& dabit tibi augmenta gratiarum, & coronâ inclytâ proteget te,* Proverb. 4. verf. 9. Et è contra si neglexeris illam, negliget te, & tanquam degenerem projiciet te. Et sanè ad quem confugies? quod erit tibi azylum? quæ Civitas refugij, si offensam, si iratam senseris Matrem Dei? Contingat mihi potiùs,sanctissima Virgo,mori,quàm spuritus & degener merear tuas iras. Non effugiet Filij iras,qui Matrem tantam tanti Filij sibi reddiderit iratam.

Tranquillitas animæ à Virgine datur suisque.

§. III.

Accipe Lector exemplum odij Virginei in peccatum.

NArrat noster Pater Canisius vir de toto orbe benè meritus lib. 5. de Beatâ Virgine cap. 2. & multi alij,famosam historiam, quæ Henrico Secundo, vel, ut alij Tertio, Cæsare rerum potiente anno D.CCCCXL. Udo quondam indocilis, Sanctissimæ Virginis ope gratiâque,non solùm ad scientiæ, verùm & ad honorum altum fastigium pervenit,tam clarus doctrinâ & honoribus,quàm anteà vilis & ignobilis. Eminebat ergo omnibus, & Virgo sacram infulam, quæ claritudinem nominis conciliârat, procuravit. Creatus ergo Episcopus Magdeburgensis, quem rerum abundantia insueta, & mollior vita, in vitia præcipitem egit. Quàm arduum sibi rebus secundis moderari opes, voluptatum allectamenta enervant virtutis robur, & viam pandunt corporis indomitis illecebris. Hic ergo Episcopus vitæ licentiâ eò per abrupta prolapsus est, ut qui Virginis cultor exstiterat, esset violator, Virginum corruptor, & incestuosè vivens, immemor præceptorum

De Udonis Episcopi Eventu & interitu.

A Virgineorum, quibus perditum hominem deterritum volebat. Indies per scelera proruebat audaciùs. Viri sancti Deum orabant, aut vitâ hominem, vel vitijs spoliaret: Perstitit ille vitijs induratus & inflexibilis. Non tulit Virgo sic se suamque & dicatam urbem Parthenopolim prostitui & infamari. Ecce tibi tragœdiam parat Cælestis ultio, sceleribus & factis libidinum notissimo notatoque. Fredericus Canonicus in Ecclesia Cathedrali sancto Mauritio dicatâ,precibus operam noctu dabat: ecce tibi non sine ingenti formidine,omnia lumina afflatu irruentis venti exstingui: duos Juvenes venire,duo candelabra accensis cereis ferre: Christum Dominum cum sancta Matre,& Apostolis subsequi,à quibus B & sanctos homines, quorum corpora ibi recondita erant,evocari prospexit. Visus & adesse sanctus Mauritius, in cujus tutela templum,acri invectivâ crimina Episcopi persequi, rogareque, jus dici, exercerique: sat indultum patientiæ, & irrevocabili lasciviæ. Christi ergo imperio nudus in medium â duobus trahitur, damnaturque. Verùm ut sacræ hostiæ suus debitus honor solveretur,adactis à tergo pugnis per os impium sacra hostia pridiè sumpta calice excipitur, & in altari collocatur. Et ecce tibi in medio sacri consessus miser, tot sacris initiatus, instar sacerdotis exaugurati,& infulis exuti, securi percutitur. Peracto ergo Justitiæ ordine, totius tragœdiæ spectaculum evanuit. Fredericus ergo totus concussus, avidusque veritatis, singula lu- C strat,calix cum sacra hostia in altari probatur depositus,truncum corpus in suo sanguine natans contrectat: actutum evocat sacerdotes in auxilium, cadaver effertur, & agro donatur: pavimentum vero sanguine respersum, ferreâ crate in æternam terroris memoriam,munitur, & ut posteri Episcopi à sceleribus revocentur,sanguis quasi potens admonitor,& Pædagogus ostenditur. Vide & Fulgosium lib. 9. cap. 12. Habes Lector tam filij, quam Matris fatale adversus peccata odium,tragicis ostentis probatum. Quis non exhorreat, & impallescat confusus imagine prodigiosæ Justitiæ Divinæ? Si in regno misericordiæ, non fuerit misericordiæ locus, qualem censes fu- D turum Justitiæ rigorem, in regno Justitiæ. Non fingas tibi Deum pictum & otiosum? instar Epicuri,qui Deos Monagrammos, & nihil agẽtes commentus est; ut Cicero docet, dum ait Epicurus lib. 5. cap. 19. Deo monogrammos docet quasi delineatos. Oculi Domini contemplantur justos & malos, & gressus nostros dinumerant; quibus sunt omnia nuda & aperta. Serviamus ergo Deo in timore,& exultemus ei in tremore. Non sit servitium sine timore, nec exultatio sine tremore.

CON-

DECIMÆSEXTÆ CONSOCIATIONIS DE ZELO DEI

PARS PRIMA.

§. I.

Zelus Deum movet, & excitat ad horribilem vindictam.

IN Deo ut est summus amor in homines; sic est & vehementissimus Zelus; qui, ut Augustinus in Psalm. 18. conc. 18. *est effectus amoris*. Et quamvis nonnumquam in alienum detorqueatur sensum, ut livorem, cæcum impetum, vel furorem significet, ut 1. Corint. 3. vers. 3. *Cùm sit inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis?* attamen in sacra Pagina crebrò faces amoris ignitas, accensásque designat. Cùm itaque non sit ullus amor nec intensior, ardentiorque, quàm in Deo: sic nec ullus zelus, ad illius zelum potest accedere. Quare ex ejus magnitudine vocat se zelotem, Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes.* Et ibidem 34. *Noli adorare Deum alienum: Dominus zelotes nomen ejus.* Et quia ardens amator est, animas zelát, ne corrumpantur, & singula circumspicit, instar viri, qui castitatem conjugis suæ zelando, tuetur. Ex intentione enim amoris prosilit, & emicat zelus: & quantò aliqua virtus intensiùs operatur, tanto vehementior necessitate urgente sequitur affectus, & fortiùs repellitur contrarium, sibique repugnans. Cùm igitur amor sit virtus operatrix, & zelus partus ejus sublimissimus, necessariò pro magnitudine amoris vires collectas exercet, & quicquid motibus ejus adversatur, è medio tollit. Summè Deus amat, & zelat, & quia vehementissimè deperit creaturam rationalem, ita & in summè amatam, summo impetu procurrit; & quia sæpè quædam impediunt rei amatæ adeptionem, nascitur, & irritatur, & accenditur zelus amatorius, tum ut potiatur amato, tum ut suis amoribus infestè adversantia profliget. Amor enim, & zelus non patiuntur consortium sui contrarij. Deus itaque, ut sui zeli magnitudinem ostendat, igni, & incendio flammivomo se comparavit: *quoniam*, inquit, *in igne zeli mei locutus sum de ceteris gentibus.* Ezechiel. 36. vers. 5. & Psalm. 78. vers. 5. *Usquequò accenditur velut ignis, zelus tuus?* Et Apocal. 3. Episcopus Laodicensis graviter percellitur tonitru Dei zelantis. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias: sed quia tepidus es, neque frigidus, neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Et Paulus cap. 11. vers. 2. 1. ad Corinth. *Æmulor vos*, inquit, *Dei æmulatione*: non dicit, amo. Perexiguum videbatur hoc Seraphico viro; sed totus ignitus, alteratusque, usus fuit verbo, *Æmulor vos Dei æmulatione*, quasi zelotypiâ exæstuans, id est, quasi domicilio mentis emotus. Quare non sine causa, zelus morte, & inferno potentior prædicatur, Cantic. 8. *Fortis ut mors, dilectio, & sicut infernus, æmulatio. Durus*, inquit Ambrosius, *zelus*, in Psalm. 118. *quem vita huius nulla vincit illecebra. Durus sicut infernus, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo.* Cùm itaque Deus totus sit ignis, & totus amor, Deutero. 4. *Etenim Deus noster ignis consumens est.* Et Joannis Epist. 1. cap. 4. vers. 9. *Deus charitas*: ita & totus zelus. At non æstuans, ut dicit Augustinus, lib. 1. confess. c. 4. & 5. *Amas, nec æstuas: zelas, & securus es: pænitet, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, & non mutas consilium, &c. zelas, sed non æstuas.* Ut igitur zelus tantus, tanti Dei exprimi

Deus summè zelotes.

Zeli duplex opus & effectus.

Deus totus Deus quia totus amor.

exprimi possit, Isa. cap. 59. vers. 17. dicitur totus opertus zelo: *Opertus*, inquit, *est quasi pallio zeli*; quasi involutus, & circumfluus zelo: nullum alium amorem admittens; semper intentus amato: numquam oculos vigilantes somno submittens; semper excubans, ut Ieremias docet c. 1. vers. 11. dum rogatus à Deo, quid videret, respondit: *Virgam vigilantem ego video.* Uby Symmachus, & Aquila vertunt; *minantem, librantem, paratam percutere, si à recto declinetur.* Theodotion: *Ego video virgã Amygdalinam.* quia sicut amygdalus solicita, suo virore, floribusque celeriter, quasi antelucanus ceteras arbores antegreditur, ut aurora Solẽ; sic festinabit oculatissimi mei zeli judicium, *& vigilabo super verbo meo.* Quare non sine causa Daniel. 4 dicitur: *Vigil, & sanctus de cælo descendit, & clamavit fortiter: Succidite arborem,* Nabuchodonosor scilicet Regem superbum, & à regno ad bestias ejicite. In perenni ergo, & pervigili custodia Dei vivit anima desponsa Deo, quam irretortis oculis semper contemplatur zelus Dei, ita ut nec ad momentũ oculos ab ea removeat, ne ulla sibi contumelia possit irrogari. Quod sanè est vehementer amantis, nec non magnæ felicitatis, si juxta Ezechielem 23. c. v. 25. animæ insusurretur: *Ponam zelum meum in te,* velut regno, thronoque meo. Et è contrà inauspicatissimum, si comminatus intonuerit, dicens: *Auferetur zelus meus à te* Ezech. 16. 42. Quid hoc est aliud dicere, quam vitam meam, qua tu vivis .i. gratiã meam conferendo, auferam à te? zelus, inquit, vita Dei est, ut docet Ambros. Psal. 118. ser. 18. Non igitur admirabile, si beati spiritus zelo Dei vehementissimè flagrent; qui sine zelo nihil essent, & substãtiæ suæ amitterẽt prærogativam, nisi ea zeli potentiã sustentetur: æmulantur quippè illi, summi Dei substantiam, qui zelo extraordinario gloriatur, dum ait: *Zelatus Hierusalem & Sion zelo magno,* Zach. 1. 14. quasi totus zelo gravidus, & ardore conflagrans, & parturiens clamat: *Zelabo zelo magno.* An non ideò magnus, quia & magnus Deus? sic & Zachariæ 8. vers. 2. dicitur: *Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magnâ zelatus sum eam.* Ut igitur ardorem, flammasque fulgurantis zeli ad acrimoniam cordis nudandã clariùs explicaret, ingeminat vocem zeli, quasi diceret: zelotypus factus sum, furore ardeo, quia me spernunt: non enim lectus meus duos capere potest, nec ut ait Ausonius, socios recipit amor; nec, principatus. Quid enim est zelus, nisi rei amatæ amor ingens, & exuberans? sine temperamento continuus æstus? qui fabricat implacabiles iras adversus eos, qui vel rem amatam lædunt, vel amanti conantur eripere. Est igitur, ex sententia Theologorum, zelus, fervor animi, quo mens deposito timore, pro defensione veritatis accenditur. Vis videre quàm ingenti apparatu luctetur zelus in corde Dei, & Deum in diversa rapiat, distrahatque, ut denique hac, & illac jactetur dubius quo

Zelus Dei semper vigil.

Semper zelus Dei intentus.

Vehemens zelus Dei.

Definitio zeli.

A casurus sit? ut totus ardeat irâ? & iram retractet? ut se armet in ultionem, & iterum exarmet? ut quasi inops consilij laboret, suspenso animo quid decernendum? specta, & audi loquentem Jeremiam: *Non est anima mea ad populum istum, quia ignis succensus est meus in furore: me reliquisti, ait Dominus, retrorsum abiisti: extendi manum meam super te, & interficiam te: laboravi rogans.* Quid hoc est, *laboravi*? Quid hoc est, *laboravi rogans*? nisi miserendo, & pœnitendo, sæpè vos decrevi punire: sed ductus pœnitentiâ, & misericordiâ sperans retractionem scelerum, sententiam revocavi. Verùm nullo meo bono fatigavi me: & toties laborans, meipsum violentè ad clementiam vocavi: ut ulteriùs non valeam meipsum comprimere, aut pœ-

B nitere: quare primam revoco sententiam. Quando ergo zelum suum aufert Deus, dicitur faciem suam abscondere ab homine, hominem abjicere, obterere memoriam ejus & planè deserere. In quæ duo loca, præclarè Hieronymus: Ex hoc perspicimus grandem Dei offensam, nequaquam curæ haberi à Deo, sed permitti hominem sceleribus suis. Quando autem infert Deus zelum, desinit irasci: cùm autem desinit irasci, desinit & misereri. Hoc ipsum pulchrè docet Origenes homil. 8. super Exod. *Vide misericordiam, pietatem, & patientiam boni Dei: quando vult misereri, indignari se dicit, & irasci.* Sicut per Jeremiam cap. 6. dolore, & flagello castigaberis Hierusalem, uti ne abscedat anima abs te.

C Abscedit autem anima, cùm aufert zelum. Hæc si intelligis: miserentis Dei vox ubi irascitur, & zelatur, ubi adhibet dolores, & flagella. Vis audire terribilem vocem indignantis, & abscedentis Dei? Audi quid dicat per Oseam cap. 4. *Non visitabo super filias vestras, cum fornicantur.* Terribilis vox irati. Vindicans ergo propitius fit Deus. Magnæ sanè misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere. Nulla ergo pœna est summa, si secundùm magnitudinem iræ suæ non quæret. Quare non requirit? quia multum irascitur. Quare multum irascitur? quia irascitur implacabilis, quia & zelum abstulit suum: & dimittit ire secundùm desideria cordis eorum, & ideò parcit, ut in æternum fe-

D riat: dum verò parcendo cædit, ponit zelum in medio cordis.

Zelotes igitur Deus, cùm videt sponsam sibi dicatam fascinis illecebrarum traduci; tum totus in vindictam exardescit, iras suscitat, & bellum parturit implacabile: *Quia zelus viri, & furor non parcet in die vindictæ, nec cuiusquam precibus acquiescet, nec recipiet pro redemptione dona plurima;* Proverb. 6. Sic Deus induit personam viri, qui violati thori injurias, percitus furore, persequitur, & arma suæ omnipotẽtiæ ingenti fremitu congerit in ultionem fœderis violati. Et sanè si ductum naturæ, ejusque ingenitas leges intuemur, an non videmus, inquit Cassiodorus, feris insitum, copulam suam

Deum in diversa rapit zelus.

Deus imò misericors quando nõ zelat.

Summa Dei ira nõ irasci.

suam extremâ decertatione defendere, dum omnibus animantibus est inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros, fœminas suas connubiali concertatione defendere: arietes pro suis feminis capitaliter insanire: equos sibi adjunctas feminas calcibus, & morsibus vindicare, ita pro copulatis sibi; animas ponunt animalia, quæ nullâ verecundiâ moventur. Et homo patietur inultum adulterium? dedecus, & dolor, & ira mentem, & animum feriunt: proruit ira præceps in ultionem. An non ideò leges civiles necem illatam reæ, indulgendo dissimulant? Quid ita? furor mitigat scelus: quantò major Deus Marito? An ille Virginitatis florem, sibi præreptum dissimulabit? An non exclamat: *Factus est mihi*, (Oseæ 7. v. 11.) Ephraim *quasi columba seducta, cor non habens?* Cor non habet, quia avolavit ad adulteros, donatum hostibus meis, servit amatoribus in suum interitum, & dedecus meum. Non dissimulabit in die vindictæ, sed quasi parturiens clamabit, & instar mariti furentis stimulabit se ad iras ultrices, qui nondum exsaturatus trucidatæ perduellis exitio in omnia, quæ uxori sunt, crudeliter desævit, vestes, monilia, gestamina, flammeam flāmis exurit, & quæ flammis cremari non possunt, ne quid reliquum sui dedecoris supersit, penitus evertit. Hujusmodi generosam iram, generosamque responsionem cujusdam ex proceribus Hispanis datam Carolo Quinto Imperatori semper mirificè sum admiratus: cujus nomine cùm domus peteretur habitationi Borbonii, qui à Rege Francisco Principum maximo, velut proditor ad Carolum transierat, sic magnanimè respondit, Se Cæsari quod vellet, negare non posse, verùm sciret illam, ubi Borbonius discessisset, quasi ejus infamiâ contaminatam, & quæ deinceps viris honoratis indigna, igne vel cremandam, vel solo æquandam. Sic Guicciardinus, quem sequitur Belcarius, & hos sequitur Spondanus: non enim volebat non solùm nec vestigium, imò nec memoriam proditoris exstare: sed cum exitio domus interire. Sic Deus terram, maria, & quidquid toto orbe, pedibus adulterorum calcatum exuret, & omnes creaturas armabit in vindictam. Et quemadmodum ira victoris in perduelles urbes implacabili furore exæstuat, domos, palatia, hortos, Urbem denique totam solo adæquatam flammis tradit deflagrandam, & tandem sterili sale, velut æterno luctu perseminat: Ita grassabitur ira Dei in suos inimicos. Hoc furore percitus Fredericus Imperator, Mediolanum nobilissimam Civitatem exaratam, solo æquavit, & sale cōspersit. Idem Abimelech *Iudicum* 9. v. 45. in perpetuę detestationis notam: Sichem eversum sale conspersit, ut nullū germen oriretur. Salis ergo perfusio, sterilitatem, & æternum odium denotabat. Ideò & Theodoretus inter plagas, quas Deus peccatoribus infliget, ponit & illam: quod ardor, & sulphur terram comburet, & peccatores qui

Bestia tuetur sua coniugia.

Furor viri.

Furor Dei savientis.

Sale seminari terram quid sit.

A debuerant esse Civitates sanctæ, sancta tēpla, vastabit, proruet, & sale perseminabit in opprobrium sempiternum: erunt ergo quasi victimæ, & hostię justitiæ Divinæ sale oblitæ: ut olim victimæ, ad Dei honorem sacrandum, saliebātur, Levitici 2. v. 13. juxta illud Marci 9. v. 49. *Et omnis victima igne salietur.* Ardebunt enim corpora sicut holocausta, & victimę, sale conditę victimæ, juxta illud Isaiæ 30. *Nutrimēta eius ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eas.* Et Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*, id est, in omnes æternitates. Tantus est furor zeli Divini, ex amore nimio versus in ultionis spiritum.

§. II.

De exuberante zelo Christi Domini.

B ZElosissimum Patrem imitatus est Filius zelosissimus suo zelo, quem instar exæstuantis fornacis, flammas velut exundantes per totum orbem effudit. Quantus autē fuerit supervacaneum est dicere, cùm tota vita nihil aliud fuerit, nisi rubus ardens, & incombustus .i. Deus in natura humana ignis, & zelus, omnia, & seipsum zelo, in crucis ligno cōsumens. Videamus æstum tāti zeli. Audiamus verba Christi Lucę 22. *Desiderio desideravi mā-ducare hoc Pascha vobiscum*, .i, valde & Græcè ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. Deinde Joan. 2. dum ait: *Zelus domus tuæ comedit me.* increpans Judęos, fugans flagellis, quòd Domū orationis, fecissent speluncam latronū. Quid est, *comedit me*? nisi exedit me, consūpsit me, tabescere me C fecit zelus meus. Et Lucæ 19. Videns Civitatē præ magnitudine zeli, & doloris, interruptis, & hiantibus vocibus illachrymans, amarè flevit super eam: *Hierusalem quia si cognovisses & tu.* Deinde zelū exundantē specta, Lucæ 12. v. 50. *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor usque dum perficiatur?* Arabicè sic est. Est mihi baptismus, baptizari in eo, ex Dei decreto, & meâ voluntate totus, quantus mergendus sum oceano dolorum, & undis crudelissimis absorbendus, & nihilominus coarctor, vehementissimè angor, & crucior, & ex desiderio moriendi, tantùm non morior propter tarditatem, & dilationem mortis. Vel ut Iren. l. 1. c. 18. Valde propero ad illam. Unde præ zelo di- D citur Ps. 18. *Exultavit ut gigas ad currendā viam*, quasi ingentibus, densatisque passuum voluminibus, tamquam ad mortem, tamquam ad braviū deproperans, anhelabat. Vivebat ergo totus gravidus zelo, quasi inter lapides molares compressus, anhelabat ad partū charitatis, qui perfici non poterat, nisi silex corporis à cruce percuteretur. Ecce ut baptismū vocat mortē infamem, & tamen desideratam. Et sicut potēs mustū vasa exagitat, quibus arctè cōcluditur, & nisi respiratio detur, vinculis disruptis, vasa disrumpet: ita zelus Christi animam agitabat, disrumpēdus, nisi manus, pedes, & totius corporis membra per vulnera sacro œstro viam aperuissent. Hunc incredibilē zelum fratrue-

Ingens zelus Christi.

Zelus Christi animam Christi agitabat.

 les,

les,& Apostoli furorem judicarunt. Marcic. 3.v.21. Cùm enim Christus sui, cibique oblitus totus, indulgens populorum conversioni, nullam admitteret quietem, fratrueles adierunt tenere eum, dicebantque quia in furorem versus est. Venerunt ergo eum ligare. Græcè habetur ἐξέστη: extra sese alienatus, à se delirus, insanus est. Et Arabicè: quoniam vecors esset. Quasi verò tantus gigas ligari potuisset, frustrà Samson funibus ligatus. An non septem funes rupit, quomodo si quis rumpat filum de stuppæ sumptum putamine, cùm odorem ignis acceperit? stupendū Christi zelum ad lucrum animarum! ô quàm degeneres multi filij, indigni tanto Patre! Tu religiose faces tuas extincti zeli immerge huic fonti, fonte Dodonæo potentiori, qui, teste Plin. l.2.c.103. extinctas faces accendit. Hoc fonte mersus Paulus clamabat: *Charitas Christi urget me.* 2.Cor.v.14. Et alio loco: *Væ mihi si non Evangelizavero* 1.Cor.9.v.6. & alio loco: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, qui dilexit me: & tradidit semetipsum pro me.* Galatas 4.n.19. Nota Consociationē in verbis: nota: tradidit se qui erat Deus, in formâ Dei, & pro me, qui hostis juratus, se, qui nullius rei indigus, cui omnipotēs nomen, & pro me, qui vermiculus, qui reus ęternæ pœnæ, qui perduellis: se, nullo bono suo, qui est omne bonum: pro me qui miserrimus: pro me, quasi solus fuissem redimendus. Ita, ita est Paule: quia singulis tantū profuit, quantum omnibus. Pro singulis nominatim mortem oppetiit, quia sigillatim, & nominatim singulos novit, eosque sibi proposuit, ut scopum suæ mortis. Unde & 3. ad Titum 4. exclamat Apost. *Apparuit benignitas, & humanitas Christi D. Salvatoris.* Græcè φιλανθρωπία, id est, amor in homines. Zelo ergo salutis nostræ, ait Bern. Ser. 2. post Epiphaniam: propter istam Æthiopissam Filius Dei de longinquo venit, ut sibi desponsaret eam. Moyses duxit Æthiopissam, sed non potuit mutare colorē. Christus verò, quàm adamavit ignobilem, & adhuc fœdam, gloriosam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Quanto autem zelo sit persecutus, docet 34. & amplius annorum servitus: qui præ magnitudine amoris, breves videbātur. Quanto major zelo Jacobi Patriarchæ, qui potiundæ Rachelis zelo, septem annorum servitutem toleravit. Duplex in Christi corde ardor zeli flagrabat: sicuti duplex est charitas, erga Deū scil. & proximum, qui tum verus est, dum utriusq; bono, gloriæ, famæ studetur, & quidquid his damnosum, & noxium est, etiam vitæ periculo penitus avertit, atq; profligat, ut docet D. Th. 1.2.q.38 art.4. *Amor amicitiæ quærit bonum amici:* unde quando intensus est, facit hominē moveri cōtra illud, quod repugnat bono amici, & secundùm hoc, dicitur aliquis zelare pro amico, quando si quæ dicuntur, vel fiunt cōtra bonum amici, homo repellere studet, & per hunc modum dicitur aliquis zelare pro Deo,

Iudicium 17.

Fons faces accendit.

Insignis locus Pauli explicatur.

Duplex ardor zeli.

A quando quod ea, quæ sunt contra honorem, vel voluntatem, Deum conatur secundùm posse repellere, secundùm illud 3. Reg. 19.v. 10. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Unde qui zelum habet, omnes hostes Dei, sibi reputat inimicos. Talis zelus perpetuò arsit, instar ignis æterni ante tabernaculum fœderis in Christi corde confœderato, arctissimè cordi Patris æterni. Huic qui talis est, nihil curæ gloria, vel ignominia: tētationes autem, & flagella, & carceres sic aspernatur, quasi in alieno corpore pateretur, vel quasi adamantinum corpus possideret. Quæ autem suavia sunt in hac vita, ridet, nec sentit: sicuti nos ipsi mortui, mortua corpora.

§. III.

B *De quatuor conditionibus zelosi, & vehementer amantis.*

PRima conditio, Infirmitas quæ in amante, & zeloso nascitur ex spirituū vitalium transmissione in amatum. Amor enim occultas vires violentè depascit, languorem, defectumque naturæ jam exhaustæ inducit, ita ut totus animus amantis ægrescat. Hoc accidit Ammoni filio David, qui sacrilego amore deperibat suam sororem Thamar, ut præ vehementia amoris ægrotaret 2. Reg. 13. v. 10.

Infirmitas in amante.

Secunda, est unitas zelotypa, quæ ex duobus unitatem fabricat, quæ nullum amatorē, vel amorem admittit: quid enim magis unum, quàm amantium zelantium animus, dum corde in uno conspirāt, vivunt, movētur, & qua- C si in uno coalescunt, ut sit unus, & idem consensus voluntatis. i. unum velle, & nolle? ubi talis est amor, qualis & animus? tenerrimus amor; tenerrimus animus: circūspectus amor, circumspectus animus: singula timens amor, singula timens animus: totus sincerus amor, totus sincerus animus: summè fervidus, & fortis amor, & metuens sibi, & amato, & talis animus, & quod supremum est; ubi amor numquam sibi satisfacit, quia zelat, & minùs amare semper se dolet, cùm summè amet, & talis est animus utriusque amati scilicet, & amantis: in quibus nullus zelandi, sicut nec amandi finis, aut terminus:

Unitas.

Crescit enim occulto, ut ille canit, arbor in ævo.

D Sic *anima Ionathæ* l.1.Reg.18. *cōglutinata est animæ David, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam:* Jonatham exurebat amor, & suis exuviis vestiebat David, & David Jonatham ferebat. Sic Pylades, & Orestes: quorum ut anima una: ita & mors: Orestes accersitur ad tribunal, Pylades alterius periculum facit præ zelo suum: reus Orestes damnatur, Pylades sibi vindicat sententiam. Pylades se reum jurat. Stupet Judex, & hæret attonitus, & in scelere quærit sceleris auctorem. Quid agat? utrumq; absolvat, an damnet? unus supplicio sufficit, qui reus. Ingens amor crimen tegit: Sit ergo, inquit Judex, intra virtutem amoris, scelus, & tanto cedo amori, oroq; me tertiū tantæ amicitiæ ascribi, donari, atque inseri. Hæc vis amoris, ut aliena pericula faciat sua.

Tertia

Liberalitas.

Tertia conditio, est liberalitas Regia, & magnanima, quam parturit zelans amor: spolians amantem, & in amatum ambitiosâ largitione, quicquid dare potest, profundens. Sic Jacob nobilis sui Patris filius liberalissimè servitutem septem annorum dedicavit promissis nuptiis Rachelis. Sic & David vitam obtulit, & in certamen descendit, ut potiretur nuptiis Regiis à Saule promissis, lib. 1. Regum cap. 8.

Operatrix fessio & vehemens.

Quarta, est ardens, & zelosa operatio zeli: zelosus enim cùm totus oculatus sit, omni curâ, perennibus excubiis, indefatigato labore pervigilat, ne quid damni patiatur amatus. Sic Genesis 42. Jacob pro suo Benjamino sollicitus, à se divelli non patiebatur: *Non descendet filius meus vobiscum*; ne quid adversi, damnique pateretur. Hunc expressit, & Æneas, dum patrem per tela, per ignes, incolumem in humeros sublatum suo periculo transfert. Quo ardore zeli? pro gentis suæ salute. Eleazarus miles supereminentem ceteris Elephantem loricâ vestitum Regiâ cum adverteret, arbitratus quòd in eo esset Rex, cursu concito in medium legionis se proripit, & abjecto clypeo, utrâque manu interficiebat, donec perveniret ad bestiam, atque intravit sub eam, & subjecto gladio interemit eam. Itaque cadente bestiâ, oppressus est Eleazarus, & suo sepultus triumpho, Machabæor: 6. 43.

Quanta zeli flamma in pectore Viraginis Nataliæ regnarit, quis stilo consequetur? Illa carceres ingressa, & quidem mentito habitu, cùm aliâ arte non posset, Martyrum putrida, & tabo fluida membra detergere, linteis mundare, virum Adrianum Principem ad tormenta toleranda pro Christo indefessè, ardenterque hortari. Quis credet, tantùm roboris inesse femineæ menti, feminâ supergressæ? Spectantibus carnificibus, pedes mariti incudi parat, suis manibus, quò truncarentur, imponere, tibias in fracturam contrectare, & denique dextram dextris mariti implicare, & in abscissionem porrigere, animum firmare, ad supremum certamen invitare, & spiritum mariti inter tormenta morientis Deo spiritum remittere. Quid non audet zelus? ingentium patrator facinorum, ubi pollet, vigetque. Has omnes zeli conditiones, Dei Filius in se, velut in vivacissima imagine delineavit. Vide infirmitatem. *Iesus fatigatus ex itinere*, Joannis 4. *juxta fontem sedebat. Invenimus virtutem Iesum, & invenimus infirmum Iesum: fortem, & infirmum. Fortem: quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & sunt labore facta sunt. Infirmum vis nosse: Verbum caro factum est: fortitudo creavit, infirmitas recreavit: fortitudo Christi fecit, ut quod non erat, esset; infirmitas Christi fecit, ut quod erat, non periret*: nutrit ergo infirmus infirmos, & tamquam gallina pullos suos, cui se similem fecit: gallina quippe sic infirmatur in suis pullis, ut etiam si ipsi pulli non sequantur,

Exemplum operationis.

A filios non videas, matrem tamē agnoscas. Vide infirmum Jesum. Isaias 53. Magnum Deum vocat *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Vide magnitudinem zeli: ut se Deum infirmū reddiderit, dum tantus Deus seipsum minuit. Quid est seipsum minuere, nisi ex alto, infinito honorum fastigio se dejicere? dejecit autē se; cùm esset æqualis Deo, servi formam accepit, & cùm esset dives, factus est pro nobis egens, pauper, & impassibilis, maximè passibilis. Hujus zeli Paulus æmulator arrham vendicavit, cùm exclamat 2. Cor. 10. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Et ad Thessalonicenses 1. c. 2. v. 7. *Facti sumus*, inquit, *parvuli in medio vestrûm, tamquam si nutrix foveat filios suos.*

B Secunda conditio, fuit unitas. An ulla major potest excogitari unione humanæ naturæ cum Divina, ut Dei Filius, frater noster esse voluerit? Matth. 28. v. 10. Prima solicitudo in Christo fuit suorum Discipulorum, quos vocavit fratres à resurrectione: *renuntiate fratribus meis.* Vide quâ unitate nos sibi conjunxerit; dum sibi ea fieri testatur, quæ pauperibus exhibentur, Matth. 10. v. 42. *Qui vos recipit, me recipit.* Et Marci 9. v. 36. *Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit.* Et Matt. 25. v. 40. *Amen dico vobis, quam diu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* De unitate variis locis dictum.

Tertia, fuit liberalitas. Numquid non omnia nobis donavit? Dedit semetipsum pro me; ait Paulus Galat. 4. dedit & semetipsum pro

C unoquoque in pretium. 1. Petri v. 19. *Scientes quod non corruptibilibus, auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.* Et Apoc. 5. v. 9. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Dedit se in cibum: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: accipite, & manducate.* Dabit & seipsum in præmium. *Venite benedicti Patris mei, & possidete regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi*, Matt. 25. v. 34. Et quando donavit seipsum, an non omnia nobis donavit? De hoc in Consociatione de liberalitate.

Quarta, æterna vigilantia & perennes excubiæ zelatoris Dei: oculi enim Domini scrutantur corda, & renes, *Psalm.* 7. v. 10. Scrutatur Hierusalem in lucernis *Sophoniæ* 1. n. 12. Et sanè, est quod omnis anima san-

D cta minimos nævos contremiscat admissos. Quandoquidem Deus, purissimus spiritus sit, & omnis vitiosæ concretionis, & macularum osor implacabilis, discretor cogitationum, & intentionum cordis. Estnè illi ulla creatura invisibilis in conspectu ejus? an non omnia nuda, & aperta oculis ejus? an non oculi Domini circumspiciunt omnes vias hominum, & profundum abyssi? Ecclesi. 23. vers. 28. Quare væ etiam laudabili vitæ, si remotâ misericordiâ judicat eam Deus. Quid tutum erit in Babylone, si in Hierusalem, id est, anima sancta, in qua Deus videtur, manet scrutinium? Non te putes

securum, quia Monachus, & religiosus, & Jerosolymita es? scrutare an non sunt peccata occulta facta, nomine probitatis adumbrata. Deus ubi admoverit lampades suas, subtili discussione, & rigidâ censurâ proferet in lucem, quę circũferuntur oculis homini placita, & sibi displicentia. Ipse enim, juxta Psal. 24. cùm acceperit tempus, justitias judicabit. Time eum qui ambulat in medio candelabrorum aureorum, & vult suos electos terrenæ labis expertes. Attende quàm zelosus sit magni Dei amor: attende ut increpuerit Timotheum Pauli discipulum, qui quadraginta annos Ephesi Deo strenuè militârat, & quia humanę fragilitatis tepore charitas ardens refrixerat, & de contentione operum fermẽtum nonnihil remiserat, *Scio*, inquit, *opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non sustines malos, &c. & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti; sed habeo adversum te pauca, quod Charitatem tuam primã reliquisti. Memor ergo esto unde excideris: & age pænitentiam, & prima opera fac. sin autẽ, venio tibi, & movebo candelabrũ tuum de loco suo, nisi pænitẽtiam egeris*, Apoc. 2. v. 2. Territus S. Timotheus tanti Apostoli discipulus, tonitru tanto resumpsit animos, & novitate fervoris teporẽ robustè correxit: & in idololatriam insurgẽs, an. Christi 109. Martyrij diademate fuit coronatus. Quale fulmen, & tonitru in Angelũ, .i. Epis. Eccles. Sardicensis ejaculatus est zelus Dei: *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es. Esto vigilans, & cõfirma cetera, qua moritura erant: non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis & serva, & pœnitentiã age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te.* At quanto formidabilius tonitru libratum in Angelum .i. Episc. Laodic. Eccles. Ubi sic dicitur: *Scio opera tua: quia neq; frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cacus, & nudus.* Zelus Dei non patitur tepidos, qui totus est ignis, & flamma: simile autẽ generat sibi simile, ignis ignem, frigus frigus: tepor autem ad nihil utilis, nisi ut vomitum procreet. Et profectò horribile, & extremũ miseriarum, evomi ex ore Dei: & sanè quid est aliud, quàm projici à facie? quod vehemẽter expavebat David, clamans: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me.* Ps. 50. Tanto ergo periculo territus Episcopus, tantâq; acrimoniâ vulneratus, tandẽ resipuit, & abjecto tepore, obtulit caput omnibus malis, & in Martyrum Chorum fuso sanguine est relatus, quem putant plurimi fuisse sanctum Sagarem, qui finiit an. Christi 172. Semper vigil zelus. *Ecce non dormiet neq; dormitabit qui custodit Israel.* Psalm. 120. Vis ergo Deo, Zelatori perfectionis, placuisse, sequere consilium. D. Th. 3. p. q. 87. art. 2. ad 5. *Ut maximum vitæ spiritualis impedimentum semoveas, quod est peccatum veniale. Debet*, inquit, *ho-*

Tonitru zeli Divini.

A *me habere propositum se præparandi ad venialia peccata minuenda: alioquin esset & periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiẽdi seu tollendi impedimenta spiritualis profectus: quæ sunt peccata venialia, & maximè ea quæ deliberatè cõmittuntur, & commissa non curantur.* Per peccatum enim veniale retardatur effectus hominis, ne promptè in Deum feratur. Quare optimè Ansel. ad Monachos Cisterc. *Si de virtute in virtutem, & de profectu in profectum vultis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere.* An non ideò, quia summè zelotes, & quia magnus Deus talis est, verendum est ne minimorum neglectus sit impedimentũ maximorum? An non echineis tantillus pisciculus prægrandem onerariam solo attactu sistit, ejusque penitus cursum cohibet, & quidem plenis velis volantem?

Cum magno timore vivendum.

B Quare non patiaris in te quidquam non solùm regnare, verùm etiam morari, quod Dei oculos possit offendere: qui habet oculos, sicut flammam ignis, Apoc. 2. qui non tolerant ullam iniquitatem. Hoc sciens Magnus Inferni domitor Job, clamabat 31. c. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum; & pondus eius ferre non potui.* Et quare? quia *zelotes Dominus Deus, & sanctus ipse enim est: quasi ignis conflans, & emundans argentum: & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in Iustitia.* Malachiæ 3. v. 3. Ubi Septuaginta habent, *quasi ignis conflans.* Tigurina Lectio, *quasi ignis excoquens.* Mirus Dei Zelus, qui teste Isaia 4. v. 3. abluit in spiritu ardoris nævos: C *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in Spiritu judicii, & ardoris.* An non hoc est quod Lucæ 3. v. 16. dicitur: *Ipse vos baptizabit Spiritu S. & igne?* Et tam diu baptizabit, donec dicatur illud Ps. 16. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Necesse est ergo, ut omnis qui colit, & fovet affectus imperfectionis, coletur per ignem: ubi Chaldæus, expurgabitur, & defœcabitur. Ingens ergo tepor, qui tempore Diocletiani tyranni totam Ecclesiam invaserat, justo Dei judicio, formidabili persecutione fuit colatus, & excoctus, ita ut Deus videretur Ecclesiam suam deseruisse. Benè hoc docuit Cyprianus lib. 4. Epist. 4. Persecutio ista examinatio est, atque exploratio peccati D nostri. Excuti nos Deus voluit, & probari, sicut semper suos probavit: nec tamen in ejus probationibus, ejus aliquãdo auxiliũ defuit. *Si offeratis cæcum ad immolãdum, nónne malũ est? & si offeratis claudum, & languidum, nónne malum est? Offer illud Duci tuo si placuerit ei, si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Clamat Deus apud Malachiam cap. 1. An Deo grata opera, imperfecta? An non cæca est victima, si animus offerentis non est illustratus luce veritatis? vel si non est simplex offerentis intentio? Clauda est orationis victima, quæ duplici mente accenditur ad deprecandũ Dominũ: debilis est qui Christũ nõ habet, qui est Dei virtus, & sapientia. Hujusmodi victimæ si offerantur,

Mirus timor Iob.

Zelus impatiens minimi nævi.

Tepidum pudeat suorum operũ.

offerantur, minimè Deo placere possunt, sed A reum potiùs faciunt offerentem. An Deus suscipiet preces, dona, sacrificia respersa mille immunditiis, & distractionibus, quæ homo esset reprobaturus? An non maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino? An non *Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile?* Malachiæ 1. Memineris Theodori studitæ serm. 11. qui sic scribit: *Ambitiosus est quàm maximè Christus animi à vitiis purgati, nullaq; re tantopere delectatur, ac mente à vitiis purâ*, Meminerit & Chrysost. homil. 60. in Genes. *Quando quis mundâ fuerit conscientiâ, & ab omni macula libera; poterit Dominum universi habere inhabitantem.* Ipse zelator dinumerat singulos gressus; quæ prava sunt, corrigere satagit; si nequeat, tolerat: zelat tamen justitiã; quia animam impunè fornicari non sinit, & quos per desidiam degeneres, & obstinatos videt, ingenti concusso tonitru à se projicit, tanquam indignos zelo suorum oculorum. Nec immeritò, ait Cassianus, *collat.* 4. *c.* 19. eos Dominus, quos jam in charitatis visceribus receperat, noxiè tepefactos cum quadam cõvulsione sui pectoris emovendos esse pronũciat. Perhorresce hanc comminationem: perhorresce & illam, qua sponsa percellitur c. 1. Cant. v. 7. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos iuxta tabernacula pastorum.* Quæ verba Ber. ser. 35. sic tremens expendit: Egredere de sanctuario meo, corde tuo, ubi secretas, sacrasq; veritates, ac sapientiæ sensus dulciter haurire solebas, & magis tanquam una de sæcularibus pascendis, & oblectandis tuæ carnis sensibus intricaris. Per hœdos qui peccatum significãt, peccatores in judicio collocandi à senistris dicit vagos, & petulantes hœdos, .i. corporis sensus, per quos peccatum, tamquam mors per fenestras intrat animam. Egredere ergo, & exi à servitio, & carnis imperio: exi non in carne, sed in spiritu: exi ad regimen tuorũ hœdorum, id est, sensuum, qui nisi regantur, suum possessorem in exitium præcipitabunt. Hujus Divini zeli & vehemẽtis flagellum in luctuosum fatum in scenam dabit vir Religiosus, & Pastor, qui forma corporis spectabilis, moribus virtutem, compositus, & modestè gravis, spirabat. Hic vir, quẽ optimè cognovi, captus tandem aliquando nescio quâ fiduciâ liberioris consuetudinis, & commercij feminarum fuit: jam multis annis tenebatur captivus, & ingemiscens, catenis, quibus tenebatur ligatus, exui quàm maximè optabat: at ferreâ consuetudine detentus, excutere non poterat: virum adii, monui, obsecravi, ad indulgentissimam Dei pietatẽ provocavi: cessit victus, & jamjam confessionem generalem ex composito meditabatur, & ecce nescio quo dæmonis afflatu desperabundus, cultro fauces petijt, & incidisset, nisi servus opportunè interveniens, ferrum è manibus

Zelus Dei ambitiosus est.

Horribilis vindicta.

eripuisset. Ad quemdam ergo sacrarum Virginum locum graviter saucius defertur, confessionis monetur, frustrà sorores periculum ingeminant, ille sequentis diei inducias spondet: At nequidquam. Mediâ nocte rapitur ad tribunal Dei, ubi exspiravit; subitò fragor ingens exaudiri saltantium dæmonum supra caput defuncti, & tribus horis has voces dæmonum ingeminari: *Tu noster es, & in æternum noster eris.* Dum cadaver sarcophago aptatur, deprehensum tergum unguibus quasi uncis laceratum. Summo manè ad me sorores venerunt, & dæmonum verba, quæ erant: *Tu noster es, & in æternum noster eris*, orant explicari Explico: illæ plenæ lachrymis referunt Dominũ sic interiisse. Hæc peracta sunt, me, qui hæc B scribo, ibidem commorante jam ab annis circiter 36. Par exitus, & non minus horribilis contigit cuidam Canonico in alia urbe, (cujus nomini parcam) qui diu, multumq; formoso scorto consueverat. Hic crebrò, & oppidò sæpè rogatus, finem peccandi faceret, impunitatem diuturnam esse præsagã ingentis iræ Divinæ, & mare placidissimũ portendere tẽpestatem, ac proinde non crederet sceleris libertati: Deum numquam infestiorem venire, nisi dum iras premit. Non fefellit tempestiva monitio. Die quodam dum lusibus, conviviis, & tripudiis largiter indultum. horâ duodecimâ noctis ad quietem, & ad scelus secedit, & ecce subitò horribilis trepidatio invadit hominẽ, quasi sagittâ vibratum. Totus ergo palpitat moriturus, prosilit ex strato nefanda C concubina: vix loco se moverat, cùm mors violenta subitò horribiles voces eluctantem strangulavit. Dignus erat sepulturâ asini, qui asini vitam vixerat: at nobis visum fuit, ad tuendam cleri dignitatem, famamque, ut sacrum scelus, sacro sepulchro sepeliretur. Mirum dictu. Nemo honorificentiùs tumulatus. Sic Deus etiam nonnulla bona, aliquo præmio digna, non indonata prætermittit. Horribilis zelus Divinæ Majestatis: *qui violaverit templum Dei, disperdat illum Dominus.* 1. Cor. 3. 17. Ut igitur zeli vigilantia designetur, ubiq; zelus igni comparatur, qui semper agit movetur semper, semper inquietus, ac proinde ignis vigil vocatur & æternus.

Aliud vindictæ genus.

D

§. IV.

Quare Deus tanto Zelo, eoque implacabili persequitur violatores sui templi.

VIdeamus ut quo totus orbis zelo pro pudicitiæ, pro conjugii, pro pudoris denfensione & incolumitate sese armarit, succenderitque: denique ut ipsæ bestiæ naturâ duce, ejusque instinctu, pro defensione conjugii sese armarint. Si cervi suo timuêre conjugio, sævi prælia poscunt. Ciconia tanquam de adulterio convicta, per olfactum masculi

masculi sui, signo dato, à tota multitudine deplumata, atque dilacerata fuit. Et mirabimur si Magnus Deus totus igneus, & zelosus seipsum stimulet in vindictam rupti, & violati fœderis cum sua sponsa, & anima tantoperè amata? A

Si omnes apud gentes, adulterium maximè judicatum infame: non mirum si ab omnibus mortalibus, gravissimis pœnis zelosè semper fuit castigatum. Orbem perlustremus, & orbis censuram spectemus.

Apud Ægyptios.

Ægyptij adulterum virgis cædebant ad mille plagas. Mulier naso mutilabatur. Sic Diodorus lib.1.cap.6.

Apud Arabes.

Pœnâ capitis (Alexander ab Alexandro lib.4.c.1.) damnabatur.

Apud Cumanos.

Mulier in forum ducebatur, & ibi lapidi insistens, erat omnibus ludibrio: lapis verò nefastus, & detestabilis habebatur, & ideò asino imposita per urbem, per ludibrium ducebatur. *Plutarchus in problemat.*

Apud Germanos.

Adultera scissis crinibus, domo expellitur à Marito, & per totum pagum nudata, verberibus afficitur. *Sic Cælius Rhodiginus lib.1. cap.48.*

Memorabile dictum cujusdam Spartani.

Hospiti sciscitanti, quænam esset pœna apud Spartiatas in adulteros statuta, respondit Spartiata: Apud nos adulter non est. Illo stupente: O sanctam Urbem! dixit.

Mactinus Imperator Romanus.

Adulteros ignibus cremabat. *Alexander ab Alexandro lib.1.c.4.*

Ipse Mahomet etsi impius: de adultero sic.

Edixit, ut adulterans centum ictus ferat in multorum præsentiâ: ut sic pudore deterreatur.

In Allemanniâ, Otto Comes impudentissimus adulter.

Excommunicatus fuit à Constantiensi Episcopo, & justo Dei judicio à militibus decollatus; & cùm esset sepultus loco sacro, detumulatur, & sepultura asini deputatur: *Baronius tom. 11. anno Christi millesimo decimo quarto.*

Otto Tertius Imperator.

Per Judicem curat uxorem adulteram ignibus cremari.

Constantinus Magnus tulit legem.

Ut adulteri tanquam parricidę, insuti culeo punirentur.

Caius Iulius Cæsar capite plecti curabat: Suetonius.

Idem decus imitatus est Augustus Cæsar.

Constantinus Magnus ad Catullinum rescribens, hanc contra adulteros legem statuit: Oportuerat te publici instituti respectu confessione detectos legùm severitate punire, nec frustrà vitam differentium moratorias provocationes admittere: sed delatum adulterij crimen, & quæstionibus adhibitis approbatum, pari sceleris immanitate dānare. Quod deinceps in hujusmodi criminibus convenit observari: ut manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria provocatio minimè adhibeatur: cùm pari similiq; ratione sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos parricidas insuere eculeo vivos, vel exuere iudicantem oporteat. *l.4. quorum Appellat. c. Theod.* B

Julius Cæsar Libertum gratissimum ob adulteratam Equitis Romani uxorem (quamvis nullo querente) capitali pœnâ affecit. *Suetonius.*

Dignum Otthone primo Imperatore, facinus paucis perstringam. Tu amice Lector fusiùs apud Cranzium *l.5. Metropo. c.12.* invenies: Mulier per vim passa stuprum, Otthoni eunti in Italiam, ad pedes accidit, legum vindictam postulans. Imperator moras orat itineri festinato: Ecquis, inquit mulier, reduci memoriam revocabit? Circumspiciens Ottho Ecclesiam: Hæc, inquit, testis, & ultionis futuræ signum. Rebus ergo compositis relegens iter, Ecclesiam testem promissi videt. Jubet ergo citari mulierem, quæ matrimonio, cum adultero jam stabilito sibi satisfactum affirmabat: Nunc, inquit, reus maritus est, qui antè reus. Non sic, inquit Rex, per Otthonis barbam: vestra, inquit, collusio non imperat legibus sacris: dolabrum sentiet, jussitque virum percuti securi. C

Gaguinus Historicus, mirabilis zeli exitum mirabilem narrat, quem expeditè contraham. Joannes Carogius, Eques, Francus, peregrina lustrandi causa, domo abierat. Formositas uxoris, Jacobum Grisium sauciârat. Ille visendæ arcis Argentolij prætextu, per vim innocenti Matronæ stuprum intulit. Mulier ultionis avida, marito reverso exponit injuriā. Ille, violatori, & parricidæ, quia negabat, duellum offerre: at quia Alençonius Dux refragabatur, contrà Senatus Parisiensis concessit, & diem edixit. Uxore ergo præsenti, & osculo dato animanti, admissis equis, in femore vulneratus, in pedes desiliit, ac demum Grisium prostravit, & occidit. Grisius Carnificis unico tractus, & in crucem sublatus. Rex ipse Carolus sextus spectator, & collaudator: Carongio mille Francos donavit, & ducentorum D

rum Francorum annuo stipendio decoratus fuit. Celeberrimus ergo, & primus orbis Senatus, nec non Rex, & cælum ipsum visum fuit, conspirare in ultionem violatæ pudicitiæ, pro justa ira, & zelo stare?

Laudavi semper ingentem zelum Dionysij Senioris Tyranni, qui ubi didicit filium, cui Principatum destinabat, ingenui viri uxorem constuprasse: iratus, compellavit: Numquid simile in Patre comperisset? sciscitatur. Cui adolescens: Tu Patrem non habebas Regem. At nec tu Filium Regem es habiturus, nisi talia desinas perpetrare. subintulit Pater. Judicavit Tyrannus, filium dignum exhæreditatione. Et Christiani Principes per omne nefas prodigiosâ libidine sacros toros, tanquam Parricidæ animarum, incestant. Iniqua numquam regna perpetuò manent. Veri Principis est, minus posse, cum multum possit: Regi, minus licitum, cùm plurimum potest.

§. VI.

Ratiocinatio vehemens cur Deus depereat animas violatas, ut eas castiget.

SI leges civiles ita severè, & implacabili odio violatores alieni thori persequuntur, castigantq́; an violatores Divini connubii, leges Divinæ permittent inultos? Sicut enim Paranymphi, & pronubi inunus, ut Virginem sponso cõcilient; conciliatam satagãt desponderi, & desponsam jungant matrimonio: sic Ecclesia animas fidelium Christo D. tanquam sponsas, per suos verbi Divini præcones, & viros Apostolicos Fide, Spe, Charitate nuptiali exhibent, atq; despondent. Nobilissimum in Ecclesia, & sublimissimum nubendi genus est, si quando corpus, & anima, voti vinculis illigata, Deo immolatur, & Christo sicut uxor marito obligata devincitur. *Nupsisti*, inquit Tertull. de velandis Virg. c. 16. *Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi desposasti maturitatem tuam, incede secundùm sponsi voluntatem.* Et Aug. tract. in Joan. 9. *Quæ Virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem honoris, & dignitatis gradum in Ecclesia teneant, sine nuptiis non sunt: nam & ipsæ pertinent ad nuptias, cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus.* Quare optimè optatus Milevitanus l. 6. *Spirituale*, inquit, *nubendi genus est, in nuptias sponsi jam venerant voluntate, & professione suâ, & ut sæcularibus se renunciasse monstrarent, spirituali sponso solverant crimen, jam cælestes celebraverant nuptias.* Et ne de nuptiis dubitari posset, in signum nuptiarum dabatur Virginibus annulus, quo Christo jam disponsæ monstrabantur. *Annulo*, inquit Agnes apud Ambros. Ser. 90. *fidei suæ subarrhavit me.* Velatæ ergo Virgines, & annulo indutæ, qui erat testis alienæ voluntatis, non suæ, transierant in jus

Virginum nuptiæ cum Christo.

Annulum Virgines gestâs quare.

A Christi D. atque hæreditatẽ, tanquam sponsæ immortali junctæ viro: quare si pœnitentes tantæ felicitatis, & jam degeneres nubere voluerint, cõmuni lege adulterium perpetrant, & ancillæ mortis efficiuntur. His nuptiis excellentioribus, etsi inferiori gradu, quælibet animæ Christianæ debent annumerari; nam eæ per lavacrum regenerationis Christi sanguine emptę, per Fidem, Spem, & Charitatem Christo D. tanquam sponso uniuntur, & maritantur, ita ut quælibet anima verè Christi sponsa dicatur, nec possit sine injuria sponsi oculos alienis amoribus adjicere. Sanctũ hoc cõnubiale Sacramentum agnoscit Deus plurimis in locis, Jerem. 2. v. 2. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & Charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* Et

Virgo pœnitens fasti adultera non est.

B Oseæ 3. v. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternũ: sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.* Aspice nunc Christum D sponsum. Cant. 3. v. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius.* Et Paulus 2. Cor. 11. *Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Quasi diceret: Æstuo ingenti zelo, tanquam sponsæ ductor, & paranymphus, ut Christo D. illam tanquam sponso conjungam, ut reddam illam Deo suo, qui creavit illam, & per filiũ eam sibi redemit in sponsam. Hoc connubium toto Canticorum libro pastoritio carmine, & blãdis amoribus prosequitur, celebratq́; Spiritus

Quælibet anima Christiana est Christi sponsa.

C S. non ergo sine causa vocatur Canticũ Canticorum, quia per excellentiam est plenissimũ, incomprehensibilis amoris Christi erga spõsam, suam ac vicissim sponsæ adversus unicè dilectum sponsum flammas depingit. Et qualia hæc sunt invitamenta blandientium vocũ? *Veni* (inquit Deus sponsus factus) *de libano sponsa mea*. v. 48. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*. 9. 10. Et multis locis quid auditur nisi *dilecta & dilectus: soror mea, frater meus*? Quàm nobilis contractus sancti, & spiritualis connubij, ubi Creator sponsus, & sponsa creatura, anima, & verbum. O Deus bone? quale mysterium harum nuptiarum dicuntur! Amat Deus infinitè animam, minus tamen amatus:

Nuptiæ verbi & animæ.

D diligit ut sponsus infinitè minorem, quæ tamẽ si ex totâ se diligit, nihil deest, ubi totum est, quare si sic amat, nupsit Deo, & audire meretur: *Hortus conclusus soror mea.* Quanta dignatio infiniti Dei, quantus bonitatis excessus, quâ vilis Creatura, quasi Æthiopissa elevatur ad suæ Majestatis felicissimas nuptias, & quæ habitu projecto vilis servi, pannosaq́;, incedit in oculis Dei velut Regina, nobilis astans reperitur. *Esto*, inquit Bernar. Serm. 38. super Cantica, *Non pari ubertate fluant, amãs & amor, anima & verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quàm sitiens & fons. Quid ergo peribit propter hoc, & ex toto evacuabitur nuptura votum, desiderium suspirantis, amãtis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere,*

lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum Sole, charitate cum eo qui est charitas? Non, si enim dederit quod totum est sponso, sufficit totum dari. O felix connubium, animæ cum verbo, ubi non in una carne, sed uno spiritu, duos jungit, duos facit jam non duos, sed unum: *qui enim adhæret Domino, unus est spiritus,* 1.Cor.6. Sicut ergo Christus nihil amat qui amat, quã sponsam cùm amat, & aliud nihil novit nisi sponsæ amores: sic sponsa ut debitum sponso solvat, quos illi rependet amores? An non miraculum est, sic vilem sponsam à tanto monarcha Deo, sic amari, & vinculis connubialibus velle arctissimè illigari? Quãtum ergo scelus, anima, sponsa Dei, linguâ, si auribus, si oculo, aut alio sensu, vel cogitatione corpus suum, velut Dei templum adulteret? An non meretricata est anima cum diabolo si susceperit in cubili animæ suæ diabolum? An non spiritus impudicitiæ, superbię, & invidiæ, spiritus est diaboli? An non consentiens loquenti aditum aperiens, & delectata fuerit his, quæ secũdùm mentem suam suggerit, meretricata est cum eo? Infelix ergo anima, ut docet Origenes homil. 20. in 25. c. Nu. si Divini verbi sancta reliquerit cõnubia, & in adulterinos se complexus diaboli tradiderit; generabit sine dubio etiam inde filios, sed illos de quibus scriptum est: *Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur,* Sap.3. Omnia ergo peccata, filij sunt adulteri, & filij fornicationis. Et sanè quandoquidem per gratiã corpora nostra sunt membra Christi, ut docet Paul. 1. Cor. 6. v. 15. vita enim corporis, anima est, & vita animæ, Deus. Spiritus Dei habitat in anima & per animã in corpore, ut & corpora nostra, & membra, templum sint Spiritus S. quem habemus à Deo. Amissâ ergo gratiâ, cujus beneficio anima fit sponsa Dei, & introducto peccato, an non facimus membra Christi, mẽbra meretricia, dum per consensum in peccatum meretricamur cum diabolo, & unus spiritus efficimur cum diabolo? sicut enim anima, quæ Christo copulatã est, ut docet Basil. de verâ Virginit. est tanquam sapientiæ, verbi Dei sponsa, ac proinde sapiens fit, & prudens, & ejus, cui conjuncta est, ornatur pulchritudine, unumque cui inhæsit, effecta est, ex corruptibili, incorruptibilis, ex imperita, sapiẽtissima (Audi Lector.) & tanquam verbi costa, cui adhæsit effecta, ex homine mortali, immortalis Deus: sic ut illa, cui conjuncta, omnibus manifestetur. Animæ ergo jam sponsæ omnia cum Deo sunt communia: una hæreditas, una domus, una mensa, unus lectus, una caro: *& erunt duo in carne una.* Quomodo duo in carne unã? in unitate scilicet spiritus, & amoris, & voluntatis, ut non possit velle, nisi quod Deus vult: velle autem quod Deus vult, hoc simile Deo esse, est. Quo pacto ineffabili modo homo meretur fieri homo Dei, non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia. Pari modo anima peccatrix, sponsa diaboli facta celebrat

Per peccata fit adultera.

Dignitas connubij & fructus divini.

Peccator despondet se dæmoni.

A nuptias cum dæmone, & una, & unius spiritus efficitur cum dæmone. Et prô dolor! quod obsequijs antè impendebatur justitiæ, impenditur iniquitati, & membra exhibentur famula immunditiæ, quæ antè famula pudicitiæ. Summus ergo Deus irritatus tam immani scelere, ut videt contaminatas suas nuptias, ut sacro se thalamo dejectum, & admissum sceleratum adulterũ, & amatori tyrãno suos amores immolari, atq; adeò impudorata, ut glorietur in nequitia sua, dicatq;: Sequar amatores meos. Deus, inquam, ut videt unicè sibi dilectam sub omni ligno frondoso constuprari, & ire in desideria cordis sui, infinito zelo succensus exclamat: *Væ animæ peccatrici, væ femini nequam, væ sponsæ meæ nunc adulteræ! dereliquisti Deum factorem tuum, sanctum Deum Israel, Sponsam enutrivi, & exaltavi: ipsa autem B sprevit me.* Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicij: nunc autem homicidæ habitant in ea: corrues. Ergo hodie, & quia tu scientiam Dei sponsi tui, repulisti, repellam te, & abjiciet te anima mea. Quod felicitatis genus divinius contingere potest animæ, quàm Deo infinito desponderi? Potestnè altiùs parvula quodammodo formica, quàm ad nuptias infiniti Dei gloriosissimè attolli? Stupet curia Cælestis, se prætermissâ, ad osculum Dei mortalem hominem admitti, qui dicere audeat: *osculetur me Deus osculo oris sui, dilectus meus, descendat in hortum suum:* & vocare Deum suum fratrem, & sponsum animæ suæ. Cum quanta ergo injuria Dei, transit anima in castra dæmonis, obligat se Sacramẽto, priore violato, & arma movet jam adultera cõ- C tra Deum creatorẽ, redemptorem, & sponsũ ardentissimè amantem? Arbitrantur plerique sicut Marc. Mantua. sing. 9. 117. nu. 2. crimen adulterij (inter homines scil.) comparari Læsę Majestatis delicto, & ideò rectè Treboniano dicitur Juliæ legis, de adulterijs tractationem subjectam legi læsæ Majestatis. Gregorius verò Tholosanus vicinam arbitratur falsæ quæstioni, in quã quod verum est, alterius immixtione adulteratur. Ingens sanè scelus, quo conspurcatur alterius generis hominibus familia. Quod ne fiat, interest Reipublicæ; ut ait Philo Judæus *in Decalo.* quæ enim damna non oriuntur ex impudica uxore? An nõ est D alterius thori violatio, apud Lacedæmones in exsecratione? nihil acerbius, imprecatos ijs, quos oderant, quàm ut uxores eorum adulterio delectarẽtur. scribit Suidas verbo ὕπατος. Quid mirum si jure civili, legis Juliæ, pœna erat ultimum supplicium *l. quamvis 30. §. fui. c. ad leg. Iul. de adult. §. Item lex Iulia. de adulterijs.* Non sine causa Domitianus etsi impius, in hoc visus pius, quòd legem Juliam renovarit, cùm contemneretur, teste Zonarâ *tom. 2.* quod idem docet Martialis *l. 6. ad Domitium.*

Nec spado, nec Mœchus erit, te præside quisquam.
At priùs ô mores, & spado Mœchus erit,
Iulia lex populis, ex quo Faustine relata est,
Atque intrare domos jussa pudicitia est.

Deindè

Anima ruina.

Adulterium criminilæsæ majestatis comparatur.

Leges contra Adulterium.

Adultero occiso permissa.

Deinde succedentibus temporibus, & Jure Romano, licuit marito deprehensum adulterum in domo suâ, cum uxore in ipso actu, humilem tamen, & vilem personā occidere: *L. Marito, & L. si adulterium.* Patri autem, adulterū cum filia in potestate constituta, in adulterio deprehensum, cujuslibet fuerit conditionis, & in suâ, & in generi sui domo licuit, dummodò quoque filiam occidisset, vel per eum non stetisset. *Leg. Patri cum Trib. 11. filiis occidentibus sequentibus, & L. nihil 31. ad leg. Iul.* Quare lex Wisigothorum similis est, *lib. 4. de adult.* Licitum & Atheniensiū legibus deprehensum in aldul. cum uxore necare, *l. 3. Cod. v. visi. tit. 4.* Si adulterum cum adultera maritus, vel sponsus occiderit, pro homicida tenetur. Nota tamen veriorem esse sententiā, esse peccatum mortale; quandoquidē parata sunt juris, & accusationis remedia ad vindicandum adulterium. Quare sub Valent. ut auctor est Ammianus Marcell. *lib. 23.* Cethegus senator reus adulterij convictus, capite luit pœnas. Et Aurelianus Imperator cognitâ causâ militem suum, qui uxorē hospitis adulterârat, duabus curvatis arboribus in duas partes discerpi jussit, eò quòd fœdus matrimonij adulterio dissolvatur inter virum, & uxorem. Opilius verò Macrinus Imperator adulterij reos sēper vivos, simul junctis corporibus incendit. Jul. Capitol. *in vita Macrini.* Leo Imper. *constit.* 32. utrique reo adulterij nasum præscindi jubet. Lege verò Zeleuci, apud Locrenses uterque adulter oculo utroque privabatur. Sosostres Rex Ægypt. omnes mulieres impudicas in villam congregari jubebat, ibiq; simul comburi. Diodo. Sicul. 2. *Biblio. c. 1.* Jure autem Pontificio, mixta civilis, & criminalis omnino adulterij est accusatio *c. tua c. 5. de procurat. lib. decretal. titul.* 8. Quare & Urbanus Secundus Pontifex, Philippo Francorum Regi sacris interdixit, quod abjectâ uxore legitimâ Berthâ, cum alia viveret in adult. an. 1095. Finiamus. Quantò ergo sanctiores nuptiæ, tantò detestabilius est crimen adulterij. Quàm detestabile est ergo crimen adulterij, quo nuptię Divinę, fœdusq; sacrum violatur, quo thalamus Dei fœdatur, & sacramentum cum Deo contractum rescinditur, & creaturā Deum projiciens, contemnensq;, non vult Deum supra se regnare. *Regum 1. c. 8.* An non furor zeli accenditur in corde Dei, qui videt se profligatum suo regno? ejectū suâ domo, suoq; throno, & admissum adulterum diabolum, & coronatum, ablato sibi diademate, tanquam Deum? An unquam auditum: si mutavit gens Deos suos? & certè ipsi nō sunt Dij: *Populus autem meus mutavit gloriam suam in idolum.* Et quis est populus Dei, nisi animæ sponsæ Dei, dum alium amatorem, me despecto, ambitiosè sequuntur. *Ignis ergo succensus in furore meo, & ardebit usq; ad inferni novissima. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erūt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituū, quæ non derelinquet eis radicem, & germen.* Malachiæ 4. v. 1. *Fluvius igneus egredietur à facie eius, & ambulabitis vos desertrices sponsa mea, non mea, in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.*

§. VI.

Quare tantus Deus tantō zelo zelat hominum animas.

CAusam principem tanti zeli in Deum, qui amatoriè amat, referemus, & causam secundariam in hominem, in quem Deus declinat tantum suum affectum: ex parte enim Dei, major esse non potest: quo totus orbis hæret attonitus: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* Joan. 3. causam amoris dedit ipse amor, quo maior esse non potest, quia impotenter amat: amat autem impotenter, (ut sic liceat loqui;) quia infinitē bonus: & quia infinitè bonus, Deus continuò stimulatur, ut amet amatoriè, quod sibi simile est, & intimè se, cum plena sui effusione, communicet ei, qui refert ipsius vultum, imaginemque.

Audiamus consensum orbis; cur tanti sit æstimanda anima, ut amorem Dei demereatur. Ordiamur in primis, à Vatum sacrorum judicio:

An ideò, quia, ut ait Juvenalis, satyra 15.

Sensum à cælesti demissum traximus arce?

An quia, ut Silius, Italicus l. 15. belli Punici.

Homini scilicet. ———

Cui ratio, & magna cælestia semina mentes
Munere sunt concessa Deum: mortalibus alti
Quantum Cælicolæ, tantumdem animalibus iste
Praecellit cunctis? tribuit namq; ipsa minorem
Hunc terris natura Deum?

Et idem lib. 2. belli Punici:

At vos sidereæ quas nulla æquaverit ætas
Ite decus terrarum animæ?

An ut Manilius lib. 4. Astronomiæ:

Non dubium est, habitare Deum sub pectore nostro,
In Cælumq; redire animas, cæloq; venire?

Virgilius 6.

Igneus est ollis vigor, & Cælestis origo.

Et Horatius.

Animam vocavit particulam Divinæ auræ.

An quia, ut Ovidius,

Morte carent animæ?

An quia, ut ait Seneca Epist. 31.

Animum rectum, bonum, magnum, vocamus Deum in corpore humano hospitantem? Et cur vocet Deum, in consolatione ad Heluiam, respondet; Non est, inquit, ex terreno, & gravi concreta corpore; ex illo cælesti spiritu descendit: cælestium autem natura semper in motu est.

Et

Et Epistola 79.

Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cùm emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu, clara prospexerit: sed totum diem admiserit, & redditus cælo suo fuerit, cùm receperit, sursum, vocavit illum intra sua.

Anima Dei regnum.

Vel ut Plato lib. 1. *de legibus*, θεῖον θαῦμα. Vel ut idem lib. 5. de legibus, quòd anima est Dei regnum, & Monarchia: quòd anima secundùm Deos, omniumq; quæ penes homines sunt, sit Divinissima. Sublimem Platonem secutus sublimis Arist. qui in primis 8. Politic. sic loquitur: *Anima pretiosior est corpore, & omni possessione, & omnibus aliis bonis.* O fatuos, & deliros, qui animam vilissimâ possessione viliorem æstimant! Et l. 3. de animâ c. 8. nobilitatem ejus declarat, cùm docet, *animam quodammodò esse universa, quæ sunt*: & ea quæ sunt, aut intelligibilia sunt, aut sensibilia. Quod cùm ita sit, infra universa hodie collocatur, & corpus ei præfertur. Cùm tamen eodem Doctore l. 1. de animalibus, *Creatio corporis, & membrorum est propter animam.* Et teste Plutarcho, *corpus sit instrumentum animæ sicut anima, instrumentum Dei.* An non opifex instrumẽto nobilior, meliorq; ? quid corpus, si cum excellentiâ animæ conferatur? pulvis, cinis, umbra, sine honore, & pretio. Quod ipsum docuit Seneca Ep. 92. ut ex detonsâ barba capillos negligimus, ita Divinus animus egressurus hominem, quò suum receptaculum conferatur; an ignis illud exurat: an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se pertinere, quàm secundas ad editum infantem. An quia, ut Cyrill. *in primũ c. Abacuc*, homo est tabernaculum Dei? Vel ut Paulus: *An nescitis, quia Dei templum estis vos?* 1. Cor. 3. in quo residet. Sicut & Salomõ, animam justi, sedem sapientiæ vocat. Et sanè sedes est, & thronus Dei: *regnum Dei intra vos*, Lucæ 17. Quid pretiosius throno Regis? *& fecisti nos Deo nostro regnum*, Apoc. 5. v. 10. vel ut oraculo Pythiæ, *Dominus omnium.* vel ut Poëta Græcus, *Nihil anima æquiparãdum.* Ut & Christus intonat: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nam juxta Isaiam 13. v. 12. *pretiosior erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Ubi septuaginta addunt: *& homo magis honoratus erit, quàm lapis, qui de saphir nobilissimo exportatur.* Quare Macarius hom. 4. *Unius animæ dignitatẽ nulla gloria, vel pulchritudo cæli attingere potest.* Hãc animam vocat Paulus 2. Cor. 4. v. *thesaurum in fictilibus vasis.* Verè thesaurus infiniti pretii, cui omnia cedant, tanquam ramenta, tanquam lutum, tanquam nihil essent: verè thesaurus Magni Dei, in quo omnia ejus bona congerũtur. Filia Scipionis Cornelia, Mater Gracchorum, cùm aliæ Matronæ ostentarent suas opes, gemmas, & jocalia, & illa illẽs spectaret, tandem produxit suos filios: Hi, inquit, *meæ opes, & thesaurus.* Homo unicus Dei thesaurus, in quo gloriatur. Ezech. 28. v. 22. *Gloriabor in medio tui.* Isa. 49. v. 3. *Israel quia in te gloriabor.* O si homines scirent, quid sit emisse

Anima pars optima.

Dignitas animæ.

A animam? Et quid est emisse animam? nisi ut Clemens in Apostolicis constitutionibus l. 7. c. 35. *mundum mundo emisse*? dum ait, *hominem à Deo factum, mundi mundum, & principem universi.* Quare bene Gregorius Nazianz. orat. 38. vocat *hominẽ non parvum mũdum* μικρόκοσμον: sed μέγαν ἐν τῷ μικρῷ, *magnum in parvo mundo.* Verè magnus mundus homo, cui magno, nihil est magnum: supereminet omnibus, omnia capit, & capitur à re nulla: occupari detentus potest, saturari nullã: omnis illi creatura inops, in ipsa cupiditate fames novã acuit famem, & cupiditatem nova cupiditas: solus Deus hunc magnum mundum implere potest, cujus homo est simulachrum. Quare pulchrè Trismegistus θεοειδῆ, *Dei formam* nominavit, *quem ut filium suum diligit.* Et Deus

B tam nobilis simulachri opifex dicitur, Genes. 2. *Et inspiravit in faciem ejus, spiraculũ vitæ*, quasi aliquid suæ Divinitatis impertiens. Quare & Tertull. l. de resurrectione c. 7. vocat *hominẽ Dei umbram, spiritus auram.* Dicerem & ego sigillũ sanctissimæ Trinitatis: sicut enim imago sigilli in cera impressa, sigillatoris faciem, ejusq; lineamenta, totamq; deniq; speciem luculenter refert, sic homo vultum sui opificis. Quare & Gregorius Nyssenus c. 8. vocat *pulchrum, & præclarum Dei opus*, factumq; ad ea, quæ sunt pulcherrima, atq; optima. Quare à nullo Angelorum, vel alterius sublimissimæ naturæ formari voluit Deus, quàm à seipso. Ipsissima enim sapientia non Apellẽ huic imagini, vel Lysippum huic statuæ faciendæ præ-

Hominis excellentia.

C esse voluit, à quibus solus vel pingi, fingique voluit Alexander; quod utriusq; figuræ ipsum Alexandrum spirarent: sed se Præsidem effectorem, pictorem tam nobilis operis esse voluit: ut esset ex Deo, ut loquitur Nazianz. *orat.* 1. qui Divinæ, & supernæ nobilitatis esset particeps, in quo eluceret Divinus, & Regius sanctæ Trinitatis character, & quod omniũ maximè esset mirabile, spiraret quodammodo vultum, & imaginem SS. Trium Personarum, ut loquitur Propheta: *signatum est super nos lumen vultus tui.* Vel ut legit Tertull. *lumen personæ.* Dicitur autem facta ad imaginem Dei, ut quicumq; hominem aspiceret, imaginẽ creatoris, ejusque naturam repræsentari videret. Amat ergo, & zelat Deus animam, quia manuum suarum opus, tanquam imaginẽ, quam

D pinxit, & ornavit. *Pictus*, inquit Ambros. l. 6. Exameron. c. 8. *Es homo, & pictus à Domino Deo: bonum habes opificem, atq; pictorem: noli bonam delere picturam, non fuco ornare: sed veritate fulgentem, non cerâ expressã: sed gratiâ, quam gratiis ornatam Pandoram dixeris*; quam nascentẽ, ut Poëtæ fabulantur: Dij, deæq; donis suis ornarunt, Pallas sapientiam, Venus formam, Apollo musicam, Mercurius eloquentiam, Jupiter felicitatem contulerunt. An non ideò Pandoram dixeris, quasi thesaurum, quem Deus omnibus donis, & muneribus cælestibus ditavit? Prima ergo causa amoris, ducitur à nobilissima origine, & animæ natalibus: qui ipsũ

quasi

quasi contingunt Deum, atque ideò non aliter, quàm Filius à Patre diligitur. Vehementer miror cum Socrate, qui ajebat se mirari, quod cum statuarum artifices summo studio conniterentur, ut lapis quàm simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidibus, & viderētur, & essent. Erasmus l. 5. *Apophtheg.* Redde te homo dignū tuis natalibus: redde te origini tuæ, quæ te docet esse simulacrum Magni Dei. quod melius elucet in viris sapientibus, & bonis, quàm in statuis: cùm Deus sit incorporeus.

§. VII.

Secunda ratio: à magnitudine pretij. An est pretiosius quidquam vitâ Dei? Quod animæ fit, Deo exhibetur.

Vita Dei empta anima.

ZElat Deus, & tantoperè animam deperit: quia Filij sui vitâ, & sanguine dignam redimi judicavit, quæ nullo alio pretio, nec majori redimi poterat. Quanti verò facienda sit vita Dei, quis ignorat? Tanti est vita Dei Deo, quanti est Deus sibi ipsi. Mirabilis zelus Divinitatis: ut se, & vitam suam postponat vitæ, & saluti vilissimæ creaturæ, quàm tanti æstimavit, ut infiniti pretii valore eam ponderârit: sic amavit, ut stylo utar Tertulliano: *Amavit, ut manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ Reginam, liberalitatis suæ hæredem, Religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem, quem tota scriptura clamat, ut fratrem: ut esset primogenitus in multis fratribus.*

Anima Deo propinqua.

Huc pertinet celsitudo illa animi, & amplissima Charitas Pauli Apostoli. Digna planè res, quæ nobis adferat & admirationem, & pudorem incutiat. Ea verò, quamvis mirificè in tot vigiliis, ærumnis, periculisque aditis animarum causâ, quas Christo parere studebat, eluxit: privatim tamen, ac præter modū, vim suam exprompsit in amore, sedulaq; cura, quâ complexus est Onesimum servum, & fugitivum, & desertorem Domini, & furem, indignum deniq; omni favore: nihilominus tamen eum pari charitate, quâ totum orbem est cōplexus, constrinxitque; & sanè non aliter, quàm si vacuus à curis, cùm totius orbis ambiret imperium, feriaretur. Horrebat Apostolus illius fugitivi interitum: qui ne periret, quasi sui honoris prodigus, furem suum filium nominavit, & dignum furcâ, sua viscera, & indignum Apostolicâ curâ: alterum se nominare non dubitavit. Considerabat se (inquit Chrysostomus hom. de profectu Evangelii, in illud Apostoli: *sive per occasionem, sive in veritate Christus annunciatur.*) Hæc ei præstabat Apostolus, quia non considerabat, quòd unus esset, qui peccabat, & quòd

Quanti Paulus æstimârit animam profugi & furis.

præsidio egeret, sed quòd homo esset, homo dignissimum Dei animal, & propter quem, unigenito suo Pater pepercit. Non mihi hoc dicas, quod sit fugitivus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus, vel quòd sit pauper, abjectus, vilis, & nullius frugis, sed cogites quod *pro ipso mortuus est Christus.* ἔρως οὐκ βλέπει ἀμορφίαν, Amor deformitatem non intuetur. Cogita quantum illum esse, necessarium sit, quem tantus Christus appretiatus est: ut nec sanguini suo pepercerit. Non enim opinor, si Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quispiam ille sit, quem Rex tanti faciat. Hoc est quod Paulus exstaticâ mente ponderabat, primæ Corinth. 6. *Empti estis pretio magno.* Et primæ Petri primo: *Empti estis non corruptibilibus, auro, vel argento, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.* Ejus enim dignitatis, & pretii est unica anima, ut Milliones mundorum nihil esse reputet Deus, si cum hominis anima, comparentur. Homo est enim Deo pretiosissimum, & verè honoratissimum animal. Ait Chysostomus serm. 27. de diversis: Si pictor, & statuarius elegans, opus suum ingenti studio depereunt, an non Filius Dei hominem, quem non coloribus, sed suo sanguine depinxit? Hoc est, quod per Isaiam dicitur cap. 49. *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos.* An non pingitur, dum salutaribus undis irrigatur, dum unicâ Dei gratiâ exornatur? Hæc est ipsissima causa, cur Deus Pater sceleribus hominum provocatus, justissima irarum fulmina suspendat, ne funditus evertat imaginem suam. Lenitur enim, & emollitur ira asperata, spectaculo imaginis sanguine Filii coloratæ. Cùm deflagraret subitò incendio Magni Xeuxis officina, & ex mediis flammis, tabulæ nobilissimæ raperentur, nulla vox alia Xeuxis audita, quàm hæc ingeminata: *Servate mihi Adonidem: servate mihi Adonidem,* quam sui ingenii, & penicilli suprēmam operam judicabat, quasi diceret: Hauriat incendium vorax omnēs meos labores; salvâ Adonide, salvus persisto, quasi cetera omnia, quasi munera levidensia, & nullius pretii esse, judicasset. Orbis interitum nihil æstimat Deus, incolumi homine, suâ scilicet imagine. Urbium expugnator Rex Demetrius, ut ait Plinius lib. 7. cap. 38. Rhodo rebellanti venerat irâ turgidus; flammis eam objecturus concremandam. At cum ea parte muri, quâ ariete quassandâ Prothogenis tabulam oppositam vidit, concidit furor, lenitus visu tantæ pulchritudinis. Prothoginis ergo tabulæ venia donata, & extorsit misericordiam, quam nullæ lachrymæ potuissēt. Sic Pater æternus, ubi opus Filii sui, & vestem, pretium, & picturam contemplatur, iras premit, ultionem decretam retractat, & tactus pœnitentiâ placatur, exclamatque. *Haccine est vestis filij mei, quam fera pessima laceravit?* Hæccine pictura, & imago Filii mei, tanto pretio coempta, tot vitiorum sordibus profanata?

Amor non intuetur formam.

Anima mille & mille mundis melior.

Deus pictor animæ.

Imago Rhodum servavit.

Pater æternus castigat homines ut servet.

profanata? Castigat proinde clementer tanquam Pater: immittit sagittas, non ut lædat; sed sanent, & ut Tertull. ait, *ultiment ad salutē, amoris sunt, non mortis tela.* Videt quippè Pater Filij sui cor versum ad nos: nec ullos labores declinasse dum viveret: nullum quantumvis abjectum ullo supercilio despexisse. Quanti autem pretii sit anima, una Samaritana in procinctu docet, quæ & Photina nūcupata est. Dulcissimus Jesus lassus, & siti exęstuās, infamem quærit mulierculam, & sedet juxta fontem, exspectans occasionem rei bene gerendæ. Sitiebat, & fitis, sitim acuebat, in peccatricis salutem, & ut utramq; exstingueret, non dedignatur cum peccatrice Deus inire colloquium: non dedignatur æterna Sapientia excitare fontes, quibus perditam animam peccatricis irrigaret. Attende Lector, quàm beato exitu, sub Nerone Tyranno, hæc Samaritana in Africâ, se Christi præconem exhibuit cum filiis suis Jose, & Victore natu maximo, Præfecto Italicæ cohortis, & cum octo filiabus, Anathole, Luciâ, Photide, Parasceve, Quintâ, Cyriacâ, Dominicâ, & post multa tormenta excarnificati omnes, laureā Martyrii sunt consecuti, cujus festū celebratur Vigesimo Martii. Nec mireris ardentem Christi zelum: ipse enim solus sciebat, quanti esset anima, & quanti esset vita sua propria; sciebat utriusq; ingens, & infinitum ferè pretium: quamvis vitæ suæ, infinitis modis excederet, æstimavit tamen animā dignam pretio sui, atque ideò Prov. 6. Pater æternus filii sui auribus, has voces insonat: *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ: discurre hac, illac.* Hebraicè autem habetur: *Calca te*, id est, stimulare, calcaria tibi adhibe. Vel ut Pagninus, veritati conformiùs: *Calcandum te præbe*, in gratiam, & lucrum animæ, abjice te, & redde te despicabilem. Quod & fecit, cùm reddidit se novissimum virorum, nec quicquam vineæ suæ ultrà facere potuit, quàm fecit, juxta Paulum: *Argue, obsecra, increpa.* Fac ergo fili mi, quod dico tibi, & teipsum libera. Quid hoc est, *teipsum libera*? nisi hominem, creaturam tuam, qui per sapientiam tuam creatus est, ad imaginem tuam restaura, & repone statuam ejus, ut firmetur tua, meaq;, quam in gloriam nostram elaboravimus? Ingenti prudentiâ id fecit Julius Cæsar, qui ut suas statuas firmaret, Pompeii reposuit. Ingens prudentiæ facinus, dum bis vincit: armis, & clementiâ: hostem, & seipsum. Reparatâ itaq; imagine, & statuâ hominis restitutâ ingens Deo libatur gloria. Quod intelligens Clemens Alexandrinus, vocat hominem καλὸν ὕμνον τοῦ Θεοῦ, pulcherrimum Dei hymnum, laudationē, & gloriæ decus. Dixerim de anima, quod Quintus Maximus, cùm Publium Africanū, supremo ejus die laudaret, dixit, Necesse fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset. Dico ego, ibi esse & Christi imperium, ubi anima esset: *regnum enim Dei*, teste Lucâ 17. c.

Samaritana anima quanti æstimata.

Martyriū ejusdem & filiarum.

Pater æternus filium hortatur ad animarum salutē.

Anima salus hymnus Deo jucundissimus.

n. 21. ut dictum est, *intra nos est.* Ingens de utroque elogium, at animæ debitū. An non ideò; quia anima Dei gratiâ illustris, optimā Divinæ laudis symphoniam modulatur? An non ideò, quia ipsa animæ pulchritudo, sicut sol, est continua prædicatio sui creatoris? An non in hoc Divino instrumento, tot sunt fides ad Angelicum concentum aptatæ, quot virtutibus anima exornata splendescit? verè salus animæ, lucrum, & melodia creatoris. Unde & Filio tantum suboritur gaudium, inventâ unâ, quæ perierat, ove, quàm suprà nonaginta novem justis. Juventâ enim unâ ove, diem festum agit, convocatis amicis, & ait, *Congratulamini mihi.* Ovem perditam, vocat suum gaudium, coronam suam, triumphum suum. Solent cives servitute hostili liberati, sequi currum triumphalem, tanquam trophæa victoriæ, & canere pæana, & laudes victoris: cujus Martiali felicitate fuerant Patriæ redonati. Christi ergo trophæa, sunt animæ suis laboribus, & vigiliis, ac deniq; pretio vitæ suæ redemptæ. *Ascendens quippè in altum, captivā duxit captivitatem*, Patri ostendens vulnera suæ victoriæ monimenta. Tanti est Deo omnis anima.

Anima pulchra continua Dei laus.

Anima Christi trophæa.

Hercules orbe perpurgato, monstrorum exuvias in ornamentum, & gloriæ partæ ostētationem circumferebat. Incedebat ergo triumphali habitu, pelle leonis adhuc post mortem tumidi, frendentisq; incedebat spoliis totius orbis onustus, quæ plausum, & gaudium orbis dabant. Longè gloriosior Christi triūphus, animarum partarum salute. Audi Joan. in Apoc. 19. v. 13. 14. 15. 16. *Vidi cælum apertū, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum justitia pugnat, & judicat: Oculi autem ejus, sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse, & erat vestitus veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui erant in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.* Cur in capite diademata? An non quia Rex Regum, & omnium populorum, & suorum Sanctorum, quos emit suo sanguine, & circumfert in capite suo, tanquam trophæa suæ victoriæ? Quid enim sunt diademata, nisi fasciæ, & spiræ caput circumdantes? quales videmus in tiaris Turcarum, in quibus peplum byssinum multiplici gyro capiti obvolvitur, & quilibet ejus gyrus, sive ambitus est quasi diadema? Tot erant Christo diademata, quot animæ redemptæ. Si Sapor Rex Persarū ausus se Regem Regum inscribere, ut patet ex literis ad Constantium Imperatorem missis, teste Julio Capitolino c. 24. & participem siderum, fratrem solis, & lunæ, quid nōn debetur titulorum Christo Domino Victori omnium? Ille verus Rex Regum, & Dominus dominantium, ille gestat caput incinctum mille, & mille diadematibus, qui suo capite, & vitâ omnes suos emit.

Christus exuvias victoriæ animas scil.

Animæ sunt Christi diademata.

§. VIII.

§. VIII.

Dignitas, & claritudo viri zelosi.

Angeli sortiuntur statum, & nomen ab excellentia, & dignitate eminentioris naturæ. Undè & in tres ordines distincti; pro dignitate naturæ, nomina sortiuntur. Quare qui Seraphini, id est ardores, proximi Deo decernuntur; ab excellentia, & dignitate Charitatis. Sic & animæ zelosæ, cùm zelus sit supremus effectus charitatis, & ejus excellentissimæ proles, sublimissimis titulis honorantur. *Primus titulus.* In primis vocantur venatores; Hieremiæ 16. *Mittam eis venatores multos; & venabuntur eos de omni monte.* Hieronymus ibi intelligit *viros Apostolicos; viros Angelicos insidentes equis celerrimis*; juxta Abacuc 3. *Qui ascendit super equos tuos, & quadrigæ tuæ, saluatio.* Hos equos vocat Cyrillus *viros Apostolicos, qui omnes terras more venatorum indagãt, orbem emetiuntur, ut prædas, id est animas suo Regi reducant.* Qui juxta Hieronymum Epist. 13. aliorum venantur salutem, faciunt lucrum animæ suæ, & juxta Nazianzenum ἀναφέρουσιν, ad Deum tollunt. Venator ergò missus es: attende tibi; ne te fugiat præda. An non pernoctant venatores in nive, in montibus? uri se patiuntur, objiciunt se periculis, iras ferarum concitant; nunc insidiis, nunc astu, nunc apertâ vi congrediuntur: præmio omnem solantur laborem. An non talis venator fuit Paulus? An non tales venatores sanctissimi quique viri professione Apostolici, inter quos illustrissimos Principes hoc nostro superiori ævo effloruit Sanctus Franciscus Xaverius? quantis ille vir facibus amoris flagrabat? Totum orbem, & utrumque polum humeris gestare, & instar Pauli, quasi frater minor parturire videbatur. Benè Plato in convivio vocat amorem θηρευτὴν δεινὸν *sagacem venatorem.* omnia explorat, omnia pertentat, nihil judicat impenetrabile, periculis insultat, mortem ridet, nihil arduum circumspicit, quod suis viribus non arbitratur concessurum. Plato sagacem vocat: ego semper vigilem, instar lampadis ardentis ante Sancta Sanctorum; & æternum ignem vocarim: melius tamen dixerim venatorem Vigilem, qui instar Præfecti vigilum: ut habetur D. de Officiis lib. 4. cujus officium erat, fugitivos cõquirere, eosque reddere dominis suis. Sic Paulus Onesimum venator orbis, etsi jam carcere clausus, instar Vigilis Præfecti fugitivum reddit Deo Creatori. Et quia venatores vigiles sunt, ideò venatores Apostoli apud Ezechielem vocantur speculatores: quia in specula, & ex ea oculo vigili, & contemplatione noctè dieque degentes, singula collustrant. Quare & optimè salvatores vocari posse: sicut enim speculatoris præsidio, vigi-

Sic zelosus venator.

Sunt equi veloces.

Amor sagax venator.

Viri Apostolici servatores.

A lantiâq; urbs secura sui conquiescit, & dicitur urbs seruari: sic & Apostolici viri animarum venatores, speculatores, & earumdem servatores esse dicuntur: à quorum curiosa Vigilantia salus dependet universi. Magna dignitas viri Apostolici, servatorem Orbis nominari, juxta illud Abdiæ 21. *Et ascendent salvatores in monte Sion, secundum,* ut ait. Hieronymus explicat. Quos Christus voluit esse Salvatores. Juxta & illud Jacobi 5. *Qui converti fecit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Ecce ut Apostolus decernat viros Apostolicos, esse salvatores. Velim observet Lector triplici titulo virum Apostolicum, esse salvatorem vitæ alienæ: tum temporalis, tum æternæ, deinde propriæ. Temporalis:

B dum peccato præsenti, quod animæ mors est, exitiumque, liberat, gratiamque redonari laborat. Æternæ, & futuræ: dum eripit æternæ damnationis decreto, ne in æternum peccator pereat, suo Creatori restituit. Deindè servator est vitæ propriæ: quia dum servat alienam, fovet, custodit, purgat, & servat suam: nam charitas instar pallii, multitudinem peccatorum ejus qui convertitur, operit, tegitque: & suorum peccatorum, si justus sit, venialium culpas, magnam partem diluit, detergit, atque remittit: sin verò injustus fuerit, de congruo ardor juvandi animas elicit, provocat: & de congruo emeretur Dei misericordiam, ut gratiam efficacem ei largiatur: quâ excitatus, & ipse posteà peccata detestetur, & sanctus evadat. Sic interpretes. Qua-

C re Gregorius 19. Moralium cap. 12. *Benedictio perituri super justum venit, cùm peccatoris in interitum ruentis, impetum sustinet, & sanctis exhortationibus à culpa fovea reducit.* Et cap. 6. *Si enim magnæ mercedis est, à morte eripere carnem aliquando morituram, quanti meriti, à morte animam liberare, in cœlesti Patria sine fine victuram?* At nunc prô dolor! clamat Deus per Amos cap. 5. vers. 6. *Projecta est in terram suam,* (Virgo scilicet Israel) *non est qui suscitet eam.* Meritò ergò luget Sanctus Bernardus lib. 4. de consideratione: *Cadit asina, & est qui sublevet eam: perit anima, & non est qui repetit eam.* Quare Seneca lib. 1. de clementiâ cap. 18. & de irâ lib. 3. cap. 40. Vedium Pollionem mille mortibus dignum judicavit, eò quòd servos obiiceret murænis, quas in deliciis habe-

D bat. Sic mille præmiis dignum judico, qui hominem dignum Deo animal servabit. Videamus quas vigiles excubias obierit Magnus Paulus, ut animas servatas Deo redderet. Colossens. 2. *Volo vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis.* In Græco est ἡλίκον ἀγῶνα, *quantum scilicet agonem*, seu *certamen.* Vox hæc vehementissimam animi contentionem significat, veluti hominis, non modò pro victoriâ, & præconio laudis, verùm etiam pro salute pugnantis, & gloria non peritura, in quo omnes nervi intendendi. Et 2. Corinth. 10. vers. 28. ubi describit vigilantes suas excubias,

Trium vitarum servator est vir zelosus.

Vir zelosus & suam animam servat.

Quanti meriti servare animam.

Stupenda Pauli cura pro salute animarum.

cubias, instantiam suam quotidianam, & sollicitudinem Ecclesiarum. Majorem vim exprimit vox Græca, ubi pro solicitudine habetur μεϱίμνα, quod à verbo μεϱίζω descendit, quod significat partiri, dividere, ut exprimat curam lacerantem animam, & distrahentem, hinc & inde in diversa rapientem: mentem enim ut arcum intentum semper habebat: sciebat enim sibi tanquam orbis servatori secundario, juxta constitutionem Apostolicam lib. 2. cap. 2. & cap. 41. τιμίας ψύχας, pretiosas hominum animas. Quare Hieronymus in Epist. ad Philemonem docet excubare, esse idioma Apostolicum: *Viscera misericordiæ exhibere, ut servare animas possit.* Quo pacto homo fit hominis Deus, cujus est proprium bene mereri de omnibus; beneficia, & salutem cunctis conferre: Quare Chrysostomus lib. 3. adversus vituperatores vitæ Monasticæ, vocat feralem, *& inhumanum cogitatum, aliorum salutem non curare.* Meritò ergo Paulus hos servatores vocat συνεϱγὺς, *cooperatores, Dei adjutores*, qui instar Dei, Principis subditos efficere beatos conantur. Hanc laudem impertit Trasimundo Regi Gothorum, Fulgentius lib. 2. *quod magis desideraret animæ spatia dilatare, quàm regni.* Quid enim tam Regium, quàm miserum, fecisse felicem? Quod enim opus dignius, quàm salutem operi Dei Maximi, & incolumitatem dare? Hoc ipsum intellexit Alexander Magnus, cùm matri, quædam iniqua postulanti negavit: *Nulla*, inquit, *salus hominis beneficio pensatur.* Quanta ergò dignitas viri zelosi, qui Regum instar, imò Dei instar, homines felices reddit, efficitque?

Idioma Apostolicum quodnam sit.

Beare miserum verè regnum.

§. IX.

Secundus titulus viri zelosi: quod Angelus vocetur. Collatio utriusque per totum titulum.

Angelorum natura, quantò humanâ sit sublimior, dotes utriusque, & operationes manifestant. Mortalis hæc, tarda, obnoxia sensibus, affectibus immersa terrenis, rudis, inculta, in vitium facilis, & cerea, ac denique inconstantiæ Symbolum. Illa immortalis, libera, constans, omnis concretionis mortalis expers, sapiens, ac denique infinitæ beatitudinis particeps. Quamvis ergò homo & Angelus immensis à se invicem spatiis, & naturarum differentiâ dissiti vivant; in uno tamen gradu dignitatis, quasi concordes coalescunt; dum paribus studiis intenti, salutem quærunt animarum. Angelis dicitur: *Ite Angeli veloces.* Isaiæ 18. Dicitur & Apostolicis viris Marci 16. *Euntes in mundum universum. Angeli administratorij spiritus, missi in salutem)* Hebræor. 1.) *animarum.* Dicitur & zelosis: *Ecce ego mittam vos; sicut oves in medio luporum.*

A Matth. 10. v. 16. ut ex lupis oves creetis. De Angelis dicitur; *Qui facit Angelos suos.* (Psalm. 113.) *spiritus, & ministros, tamquam flammam ignis.* An non Elias instar faculæ ardebat, & scintillæ ab ore absistebant? An non Apostoli igniti, orbem incenderunt? In cœlo Angeli ignes sunt ardentes: è cœlo in terram missus ignis. Et quid vult Deus, nisi ut ardeat? Angelis commissæ excubiæ hominum, urbium, & regnorum. Josue 5. vers. 13. Michaël populi Israel excubitor: ubi Angelus apparens Josue, stans evaginato gladio, dixit: *Ego sum Princeps exercitus Domini.* Sic & zelosi, & Episcopi sunt veri Angeli, *& pervigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus.* Ut habetur Apocalypsis 1. 2. & 3 capite: *Sacramen-*
B *tum septem stellarum, quas vidisti in dexterâ meâ: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ.* Et cap. 2. *Angelo Ephesi Ecclesiæ hæc dicit: Qui tenet septem stellas in dextera sua*, &c. Angelorum unum, solumque officium est, servire nutibus Dei, nec quicquam, nisi ejus jussu perficere, ut ait Lactantius lib. 2. cap. 17. ex doctrinâ Job: *Lucent ei cum jucunditate, & dicunt ei: Adsumus.* Et Psal. 102. *Potentes virtute ad faciendum verbum illius.* An non & ejusmodi viri zelosi, qui clamant: *Domine quid vis nos facere?* Juxta Isaiam: *Qui sunt isti, qui volant sicut nubes?* Isaiæ 60. *An non in omnem terram exivit sonus eorum?* Psal. 18. Præcipuum, & magnificentissimum, quod in Angelis est, ut docet Chrysostomus
C Sermon. 39. de Divers. quòd omni curâ obediant Deo, & ejus mandata deferant. Huic bono nihil æquale est, etiamsi millies sint incorporei. Sic & zelosi, omni curâ abjectâ sui, ut similes Angelis ἱεϱάτια γϱάμματα, id est cœlestes literas, edicta Magni Dei, velut Divalia promulgant. Hinc & Angeli equorum effigie pinguntur, teste Dionysio, quò illorum obedientia significetur. Quid obedientius viro zeloso? si in ultimas oras, urbes, in oceanum decurrendum, præcipites ruunt. Fames, sitis, ardor, arena, dulcia virtuti, juxta illud Ezechielis 10. vers. 16. *Cùm ambularent Cherubim, ibant & pariter rotæ: cùm elevarent Cherubim suas alas, ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ; sed ipsæ juxta erant: stantibus il-*
D *lis, stabant, & cum elevatis elevabantur: spiritus enim vitæ erat in eis.* Vide Lector nobilitatem viri religiosi, ut Cherubinis assimulentur, & ad nutum Dei instar rotarum mole carneâ pressarum, vires, & robur Cherubinum induant, & illorum instar, operentur, decus illorum æmulari. Angeli, afflictorum amici assidui, & consolatores mellei, quales Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 11. amicos esse vult, *qui vim consolandi habeant*: quos & *fortissimum vallum* vocat. Chrysostomus lib. 1. de Diuinâ providentiâ in fine. Attende, inquit Lector, ad obsequia Angelorum consolantium: si non funditus tollunt ægritudinem, sedant tamen, & detrahunt quam plurimùm, nec longiùs manare, aut ad aliam traduci patiuntur.

Angeli excubitores.

Viri zelosi ferunt literas Dei.

Viri zelosi instar Angelorum consolatores.

Primum

A Primum Angelum, qui in terris visus est, & qui cum hominibus egit, vidit fugitiva Agar, Gen. 16. Hæc ejecta domo, in solitudine vaga, à se projecerat filiolum, ne morientem videret: & ecce adest excubitor Angelus, lachrymas detergit, mœstitudinem lenit solatiis, consiliis inopem dirigit, firmat vacillantem, & ad Dominam Sara pacificandam remittit. Quid dicis ad hoc, fastuose animarum cultor, qui corporis cultu, vel sanguinis splendore discriminas nobilitatem animarũ, quasi illæ adjacentibus, & externis ornamentis essent, & non seipsis metiendæ? Jmitantur in hoc negotio, Deum, beati spiritus; qui Jsaiæ 66. de se sic loquitur: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego vos consolabor.* Quare pulchrè Angeli vocantur φιλάνθρωποι, amatores B hominum. Tales sunt viri zelosi, veri Noëmi, cui nato omnes applaudebant congratulantes, Genesis 5. *Iste*, inquiunt *consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terrâ cui maledixit Dominus.* Sunt veri Job, Job 29. *mœrentium consolatores.* Et juxta Chrysostomum homil. 2. de Lazaro, *portus omnibus miseris; qualescumque fortuna obtulerit.* Et juxta Euripidem, apud Stobæum, *pharmaca medicamenta mœroris.* Tales describit Hosius in Concilio Sardicensi Can. 19. *Patientes esse debemus; & perennem in omnes habere consolationem.* Et ut Synesius de se ajebat Epist. 66. *humeris suis onus omnium portare*, quales etiam volebat Dionysius Areopagita Epist. 8. *Omnium*, inquit, *infirmitatem sustentabat.* Sic Paulus instar animosi Athletæ, suis humeris omnem portabat Ecclesiam. Et ut medici toto corpore curando, minimæ etiam parti, si condoluit, medentur; sic singularum rerum semper consolationes proprias adhibeat; omnibus omnia factus. Quare virum zelosum vocaverim pietatis promptuarium. Huc spectat aureum Imperatoris dictum, omni titulo, omnibus pyramidibus nobilius; C. de Episcop. Audient. libr. 1. *Quorum verus cultus est; adjuvare pauperes, & positos in necessitate.* Et quis verè & totus pauper? an non qui bonis fortunæ caret; & omni conflictatur indigentiâ? At multò pauperior, judicio Richardi à sancto Victore; quamvis pauperes indigentia faciat: multò autem magis inopia consilii. Altera ergo imbecillitas jucundissimam præbet materiam viris zelosis: hoc est Angelicæ functionis officium; ad salutem hominum hæc ministeria Deo persolvere. Est & Apostolicorum virorum, qui pro Christo legatione funguntur, id est, vicem Christi subeũt. Et quamvis Angeli sint cœlestes, & viri zelosi, Angeli terrestres, ad æqualem tamen supremæ dignitatis famulatum diriguntur.

Mira nomina vere zelosi.

§. X.

Tertius titulus. Vir zelosus soror, & sponsa Dei.

MAgna dignitas viri zelosi, servitutis studio, cœli principibus æquari: verùm hîc non subsistit, verùm & beatæ curiæ Palatinos supergrediens, longè post se relinquit; dum soror, & sponsa Christi vocatur, Cantic. 4. nulli enim Angelorum aliquando dictum: *Vulnerasti cor meum, soror mea. quàm pulchra sunt mamma tua, soror mea sponsa: pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Arabicè: *Quàm pulchra est species uberum tuorum.* Chaldaicè fusiùs: *Quàm pulchra sũt super me, soror mea cœtus Israel, quæ comparata es sponsæ pudicæ:* quàm bonæ sunt super me dilectiones tuæ, quàm septuaginta nationum, & nomen bonum justorum septuaginta tuorum, fragrantius & omnibus aromatibus. Singula verba indicant dignitatem viri zelosi. Qui enim vulnerant cor Christi nobilissimo charitatis telo, quàm ij qui cor Christi sustentant, refocillant, oblectant delicijs? Et quæ deliciæ, cordi Christi hilares, nisi salus animæ, quam Christo parit vir zelosus, cui & domicilium exhibet? Exclamat proinde Christus: *Quàm pulchra sunt* C *dilectiones tua super me? dissuaviaris animam tuis amoribus, & pulchrâ dilectione tuâ super me, inebriasti me.* Ubi Septuaginta habent loco horum verborum, *quàm pulchra sunt mamma tua*: ubera tua lacte sapientiæ turgentia, ut lactes, pascas, nutrias, quos peperi transfossione lateris, & cordis mei: *misericordiam enim volo, & non sacrificium.* Oseæ 6. Dum igitur lactas, & pascis verbo zeli tui, summum sacrificium misericordiæ dedicas, & offers victimam, quâ nihil gratius, nec pretiosius esse potest. Quare gratia, quam mihi præstas, est sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet. Quantum verò placeat hęc zeli profusio in animarum lucrum, ipse Deus ostendit, cùm admirans decorem animæ ex- D clamat: *Quàm pulchra sunt mamma tua!* & quodammodò victus, & immemor suæ Majestatis, non dedignatur animam zelantis, sibi in sororem vindicare, dum ait: *Quam pulchra sunt mamma tua, soror mea.* Judicat enim eam dignam suâ dilectione, quam imitatricem sui operis considerat, & escâ spirituali reficit, quos ipse in utero portavit. Et cùm esset panis Angelorum in Divinitate, lactescere voluit per assumptionem carnis, ut hominum pusillanimitatem nutriret, ac panis ejusdem cœlestis exhiberet capacem. Non sine causa dicitur diligere proximum, sicut seipsum, esse majus omnibus holocautomatibus, & sacrificiis, ut docet Dionysius de cœlesti Hierarchiâ: Divinorum omnium Divinissimum, cooperari

Vir zelosus sustentat Christum.

Vir zelosus quomodo nutriat Christum.

cooperari Deo in conversione animarum. Quare & qui homines ad Deum ducũt, Deiformes vocantur, Psal. 81. *Ego dixi: Dij estis.* cui cõformis est sanctl Gregorii famosa sententia; nullum omnipotenti Deo sacrificium gratius, quàm zelus animarum. Hoc obsequium, est artificium promerendi Deum: hoc est, potiùs aliis nasci, quàm sibi. An non hoc, forma quædam nobilis iustitiæ? Hoc obsequio non offeras Deo mensam auream, ut piscatores Apollini, nõ Polycratis gemmam, non Gygis annulum, non auream Persarum vitem non talenta Midæ, non Crœsi thesaurum; sed reddis Deo totam suam Monarchiam; suum thronum, in quo dæmon, exterminato Deo posuerat suum, reddis Deo omnia sua desiderabilia, quæ hostis abstulerat, reddis Deo quidquid illi optabile, gratum, deliciosum, amabile. Quare & virum zelosum vocat sororem, & se fratrem ut intimâ confœderatione sibi consociatum, virum zelosum demonstret.

Zelosus reddit Deo quidquid illi optabile.

A B

§. X I.

Quartus titulus.

Virum zelosum vocari Patrem.

VOcatur & vir zelosus Pater, ab imitatione Paternitatis Divinæ; juxta illud Ephes. 3. v. 25. *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* Sicut enim Deus omnium Pater vocatur, quòd omnibus largiatur; ut sint, vivant, spirent, moveantur, ratione & intellectu valeãt, & instar Patris amantissimi Paternâ providẽtiâ gubernat, dirigit, conservatque: Ita viri zelosi verè vocantur Patres animarum, quòd ad imitationem Dei Patris sint creatores; & creent in hominibus novam formam; & ideam Divinæ figuræ; quam dæmon vitiarat, nequitiæ sigillum imprimendo. Deinde Patres vocantur imitatores Dei Patris. Græcè πατέρες; quasi παῖδας τηροῦντες, natos servantes. Intuere Paulum Patrem 1. Corinth. 4. *Nam in Christo Iesu per Evangelium vos genui.* Deus tamquam Pater Universi tres claves sibi servat: clavem pluviæ; clavem resurrectionis; & clavem vitæ: nimirum sterilitatem, & fœcunditatem; quas claves pro arbitrio suo concedit. Clavem pluviæ habet Paulus; & viri zelosi, dum verbum vitæ, instar pluviæ roriferæ, & salutaris hominibus communicant, & virtutem Christi euangelizant. Segregavit Deus Psal. 67. vers. 10. hæreditati suæ virtute multâ. Clavem resurrectionis habent, dum mortuos ad vitam revocant, & suo arbitrio cælum claudunt, aut aperiunt, & peccato mortuis vitam clamore valido, ex tumulo evocatis impertiuntur: sicut Christus Lazarum mortuum citans, ad imperium vocis, vitæ reddidit. Clavem vitæ,

Deus habet tres claves tanquam Pater universi.

C

seu fœcunditatis habent, dum suis orationibus, multis impetrant à Deo vitam, in æternum perituris: qui ideò possunt vocari Samueles, à Deo petiti, & impetrati. Habent & clavem sterilitatis, dum excutiunt pulverem pedum suorum, & desertis ingratis, ad alias nationes convertuntur. Intuere cor Pauli verè pii, & misericordis, & fœcundi Patris: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* ad Galatas 4. & quanto dolore? *Est mihi,* inquit, *tristitia magna, & continuus dolor cordi meo,* Rom. 9. vers. 1. & talis tristitia, quæ enervet omnem vim vitæ meæ, ita ut optarem esse anathema à Christo pro fratribus meis. Ubi Chrysostomus homil. 39. ait, Paulum omni muliere parturienti gravius affligi solitum, animoque torqueri: dolores enim mulieris parturientis, breves esse solent; at Paulo in suo partu continuus dolor, afflictio, & pressura animæ. Unde & ubera perpetuo lacte turgida, ubera meliora vino porrigit: lac vobis dedit, lac uberum, quæ vicina cordi. Et hoc pacto, omnem sanguinem cordis, omnem affectum totius animæ vobis libavi, libatum cum summa voluptate transfudi, & potandum dedi. Vnde & instar Patris zelosi, quos genui, curo, erigo, conservoque. Deinde vehementer & excrucior, & excruciatus conficior, si quos aberrantes à vero cognosco: *Quis scandalizatur, & ego non uror. Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Corinth. 11. Vide summum amorem zelosi viri in Paulo. Patribus insitus amor, adigit illos, ut vitam pro natis exponant. Audi Paulum, & zelosi viri mentem, loquentem: *Ego,* inquit, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Deinde 1. Corinth. 15. *Quotidie morior propter gloriam vestram.* ecce statui me Sacerdotem, vos hostiæ, libamen, sanguis meus. & quasi universum genuisset, sic amplectebatur orbem. Quid ita? occursabat zeraphico viro dignitas animæ, quæ sola subigebat mentem stimulis indefessis; & illuc sic versabat æstuantem, atque in omnem partem rapiebat dies, noctesque, ut nullam daret ingens cura quietem. Tantus amor, & gloria unius animæ. Hoc est, esse Patrem orbis, de toto orbe per obsequia vitę, mortisque bene mereri, & Servatorem orbis, per grandia facinora se probare; quid aliud est, quàm esse Patrem orbis? quàm summum, & Augustissimum Christi Domini nomen circumferre & esse orbis servatorem, & Patrem futuri sæculi? Summum, & Augustissimum nomen zelosorum, est circumferre nomen Servatoris, & esse sequaces, æmulosque Domini Jesu Servatoris. Fabius cunctator, qui morâ fregit igneam Hannibalis naturam, & Minutium magistrum Equitum sibi adæquatum, ab Hannibale cum exercitu concidendum servavit: Patris magnum nomen, à servatis obtinuit, Tullius eloquentiæ Pater. Et *Pater curiæ decreto, Patriæ vocatus,* juxta illud:

Paulus verus Pater.

Verus Pater orbis Paulus.

D

Roma

Roma Patrem Patriæ, Ciceronem libera dixit. Cujus nominis decus, Augustus Cæsar affectavit, nec non reliqui Imperatores. *Constantinus Magnus*, ut refert Eusta: *humani generis restitutor, & æternæ securitatis fundator, atque conservator est celebratus.* Jactent varii Principes, magnifica suorum trophæorum nomina.

Tituli dati ob virtutem.

Marco Antonio *Pij* nomen sacratum, quòd ab Adriano morti destinatos, primo sui Principatus initio, servarit, deinde nec stillam sanguinis fuderit. Sic ex Dion. Sabell. lib. 4. Enn. 7. Ptolemæus, quòd studeret placere, & omnibus benefacere, & lædere neminem, *benefactoris* nomen εὐεργέτης, *sibi hæreditarium* fecit. Alexand. lib. 2. cap. 11. ingẽs gloria Phocioni *vicies fuisse acclamatum Imperatorem.* Sicinius Dentatus ob robur, à Romanis, *Romanus Achilles* vocatus, quòd cẽtum viginti prælijs cum hoste conflixisset, nullâ aversâ cicatrice deformatus. Gellius lib. 2. cap. 11. nullus mortalium adæquavit tituli splendore, honores Trismegisto collatos; qui dicitur *ter maximus; quòd maximus philosophus, Rex, Sacerdos exstiterit.* Nobilis apud Ægyptũ, & felix consuetudo; ut ex Philosophis, Sacerdotes; ex Sacerdotibus, Reges crearentur. Alii & hanc causam tantæ magnitudinis attexunt, quod primus in orbe gentili, Triadis sacræ caliginosum arcanum penetrarit, & ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα, clarè docuerit. Ludovico Gallorum Regi, ut totius Græciæ viro optimo Aristidi, justi nomen oblatum, potuisset & casti titulus addi; cui, cùm ab assentatoribus eleganti formâ Dearum specie Virgines adducerentur commendatissimæ; regiè respondit, nullam feminam, suâ conjuge speciosiorem. Vox digna castissimo, sicut & Alberto Austriaco Belgarum Principi incomparabili, *Pij* nomen.

Laus Ludovici XIII.

Nullâ Trajanus compellatione, tot gentium victor sic gavisus, quàm titulo *Optimi*, quamvis plurimis aliis titulis insigniretur, ex Dione. Quod nomen *Optimi*, suis moribus, & clementiæ conveniret. Quod nomen in uno Scipione Nasicâ Plinius admiratur, cui sine armis: quod Ciceroni virtutis suffragio, & eloquii concessum.

Trajani.

Ingens, & semper victura laus Theotimi Episcopi Tomitani, qui à barbaris Hunnis, qui ad Istrum habitabant, claritudine miraculorũ famosus, atque formidandus, Deus Christianorum vocatus.

Theotimus Deus Christianorum vocatus.

Augustinum nominavit Paulinus Nolanus, sal terræ, & lucernam super candelabrum.

Augustinus Sal terræ.

Cornelius Romanus quia parentem luminibus orbum pro baculo regebat, Scipio vocatus, cui ex cognomine, Scipio nomen advenit semper victurum. Macrobius lib. Saturn. cap. 6. Divo Paulo, ob ingentia facinora Apostoli nomen consecratum, non aliter quàm si solus Apostolus extitisset. Supremi fastigii dignitatem enuntiant hæc omnia nomina, magnificè personas, quibus adscribuntur, illustrant, nullum tamen gloriosius, dulciusque, quàm esse, & vocari Patrem, & orbis servatorem. Quid enim magnificen-

Patris nomen omnia excedit nomina.

A tius, quàm urbes & Rempublicam, & orbem fundasse, creasse, & fundatum, creatumque suis præsidiis conservare? Fabio, Ciceroni, Augusto Cæsari magnum, & magnificum, vocari Patres Patriæ: at longè majus, & augustius, & magnificentius viris zelosis; illi corpora, & vitæ perituræ brevem usum: hi corporum, & animarum vitam, salutemque dederunt, & datam nunquam interituram conservarunt. Marcus Antoninus, *Pius*, nominatus: Ptolemæus, benefactor: Phocion, totus acclamatus Imperator: Dentatus, Achilles Romanorum: Trismegistus, tertiùm ter maximus: Ludovicus, justus, & castus: Trajanus, optimus: Theotimus, Deus: Augustinus, Sal, & lucerna ardens: Cornelius, Scipio Parentis.

Omnibus titulis majus est esse Patrem.

B An non potius, veriusque viros zelosos, hisce nominibus cumpellarim? His omnibus nomen Patris, ut Dei Patris nomen ceteris supereminet honorum titulis. Patris enim nomen designat originem, fontem, & emanationem, & omnis boni principium, quod in alios derivatur, quibus vita vera, vera salus & sapientia, & cetera adminicula æternitatis beatæ communicantur. Priusquam finio, cogor animã Pauli, & viri zelosi, Corco agro comparare, quæ est Regio Troglodyticæ Æthiopiæ; cujus hæc prodigiosa conditio, ut eo ipso anno, quo satio, & frugum fit collectio, eodem tempore nova semina mandentur sulcis, & dum adolescit unum, floret aliud, demetitur deinde jam

Mira conditio Agri Corcora.

C maturum tertium, ut demessum devehatur ad trituram, & inde in horreum. Intuere animam Pauli ebullientem præ zeli magnitudine, in omnes affectus veri Patris: specta agrum sempergravidum novis, & maturis frugibus, semper agitãtem nova molimina. Spectabis nunc flentẽ, gementemque: abjectum, & insurgentem: intonantem & blandientem: sauciantem: & vulnera obligantem, contristantem, & detergentem mœroris aculeum. Ager est feracissimus. Os ipsum, verba efficacia, vehemẽtiam flexanimam, orationes Dædaleas, per omnes artes componit, ut omnes lucrifaciat. Audi Chrysostomum homil. 3. de Pauli laudibus: *Sicut ferrum missum in ignem, totum ignis efficitur, sic Pauli charitate succensus,*

D *totus orbis factus est charitas.* Vnde nunc per Epistolas, nunc per exhortationes, nunc per preces, nunc per minas, nunc per se, nunc per suos omni studio conabatur erigere laborantes, stantes firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes animare, hostes retundere more optimi Ducis, militis, & medici: ipse omnium officiorum personas, & munia, unus ipse obibat. Vide agri feracem ubertatem, ut succidatur, demetatur, & succisus novis frugibus adolescat, & contra spem adolescat seipso major, & seipsum supergrediatur. 2. Corinth. cap. 6. *Quasi morientes, & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, & semper gaudentes: sicut egentes, & multos locupletantes: nihil habentes, & omnia possidentes.*

Paulus ager mirabilis.

tes. Manus Patris ostentat, qui se spoliat, ut filios ditet. ut docet 1. Corinth. 4. *Nam si decem millia Pædagogorū habeatis, non multos patres: nam in Christo Iesu, per Euangelium vos genui, & ideò ut vos servarem, omnium peripsema factus*, id est, piacularis, & devota Deo hostia, ut meo interitu vivatis: veri enim patres, optant filios sibi superstites, florentes, & beatos. Quapropter majori honore, & pretio attollendi viri zelosi, Christo similes, quàm patres secūdùm carnem: hi originis perituræ; illi perpetuæ fundatores beatitudinis.

§. XII.

Magnus titulus, & decus: Virum zelosum, esse os summi Dei.

Celebratur hoc elogium viri zelosi à Jeremia cap. 15. *Si separaveris pretiosum à vili; quasi os meum eris.* Duo hîc considerãda. Primum: sensus literalis; deinde cur ori Divino comparetur vir zelosus.

Ad Primum.

Rara explicationes. Hieronymus, Lyranus, Divus Thomas, Chaldæus sic explicant: Si, ô Jeremia, Judæos ductiles, & flexiles ab obduratis separaveris, vel converteris, vel dederis operam, ut ex vilibus, & rebellibus, & impiis facias credentes, justos; sicque eos separes, vel ut Hebræum sonat, edueas à sua præterita, vel aliorum rebelliū præsenti impietate, eris mihi curæ, & charus, & cōjunctus, quasi os meū: C diligam te summè; eris quasi os meum, quod meam voluntatem annuntiat. Vel ut Chaldæus: *voluntatem verbi mei implebis.* Hieronymus: *Eris quasi lex mea, quæ animas convertit.* Theodorus: *Similis eris verbo meo.* Arabicus: *Eris ut sermo oris mei.* Quæ verba Isidorus, & Vatablus mirificè vertunt in admirabile zelosorum solatium. *Erunt (inquiunt) quasi os meum, quia omne quod dixerint, ita certò præstabo;* *Zelosum facit Deus omnipotentem.* ac si dixissem. quasi diceret: Ego compensabo hunc zelum meâ omnipotentiâ, exequar quæcumque voluerit, dixeritque, non aliter, ac si ego dixissem, qui fallere neminē possum, cum sim æterna veritas. Chrysostomus orat. 3. contra Judæos: *Os, inquit, eorum qui proximos convertunt, est quasi os Dei.* Quid est *esse os Dei*, nisi tales esse simillimos Deo, eique conjunctissimos, sicut homini os suum? Magna sanè, & *Zelosus os Dei & Deo unitus.* incredibilis dignitas, ad quā provehitur zelus. Tales sunt similes Christo, qui est os, & Dei Patris verbum: Christus enim factus homo, & crucifixus est, ut animas Deo Patri per scelus ereptas restitueret. Quid enim Deo pre- *Majus donum animæ salus quam mille mundi.* tiosius animâ, & eâ quidem unicâ? cui milliones infinitorum mundorum comparari non possunt; imò nec quidquid in Dei absoluta potentia continetur? Quare ibidem Chrysostomus docet *eum, qui convertit animam, majus, gratiúsque donum offerre, quàm si templum ei constitueret; imò quàm si universus hic mundus, quantus quantus undique patet, Deo donaretur.* Et sanè cur non foret mundo pretiosior, cujus causâ mūdus est fabricatus, ut homini domicilium? O utinam religiosi viri, & servi Magni Dei, pretium animæ mente ponderarent! an non lachrymis, & suspiriis, si aliis artibus nequirent, salutem animarum procurarent? Sic S. Monica filium suum, non gemmis, non auro; sed lachrymis, & calentibus votis emit, prout Angelus revelavit lachrymanti his verbis: *Vbi es, ibi & ille.* Mirum dictu, ut lachrymas lætitia detersit. Et cùm Augustinus Matris auguriū eluderet, secura tamen sui voti cōstanter, pertinaxque, verba geminans duplicabat: *Non*, inquit, *mihi dictū, Vbi ille, ibi & tu: sed Vbi tu, ibi & ille.* Sic August. lib. 3. Confess. c. 11. O quot *In languidos & calamistrates Concionatores.* student phaleratis, & ad ostentationem calamistratis, cerussatisque concionibus in sui rui- B nam, & nō ad auxilium animarum! ô si scires & tu, & quidem in hac die tuâ, dum tempus est operandi, quàm ignitas conciones, facibus ardentibus flagrātes elaborares? Nihil hoc sæculo, quo nullū fuit doctius, ita deplorādum, quàm languida manu, ore, voce spargi conciones, & Auditores vaniores ex tēplo, quàm venerant, discedere. Quis muto silentio, ex templo discedit? quis fixis in terrā obtutibus? quis lachrymantibus oculis genas, & pectus irrorat? domumque suam jam melior factus repetit? vitæque rationes castigans immutat?

§. XIII.

Ad Secundum.

Quare ori suo Deus comparet virum zelosum? Duo præmittenda, priusquàm respondeatur?

Tria sunt in homine, quæ Principem locum tenent: Cor, Oculi, Os. Cor vitæ principium, Sol, & officina fœcundarum operationum; quod etsi nec tāgi, nec videri possit, curiosissimè tamen diligitur: & ideò quos in oculis ferimus, & ardenter amamus, cordi assimulamus nostro, sicut usitato modo loquuntur amantes: *Cor meum es*, quod est dicere: Possides quidquid in me nobile, & pretio- *Cordis nobilitas & dignitas.* sum. Quare & Rex sāctus vocat Deum, *Deum* D *cordis sui*, *Ps. 72. v. 26.* ubi Hebraicè: *est petra cordis mei*, qua cor vagum, & inquietū firmatur: vel magnes cordis mei, quo cor sursū violentis affectibus trahitur. Dicitur autem Deus *Quare Deus vocatur Deus cordis.* cordis, quamvis sit totius hominis, quia cordi primas partes deferimus, & dignitate cetera membra cælestibus motibus antecedit. Quare cor dicitur aula Dei, Ps. 28. *Adorate Dominum in aulâ sanctâ ejus.* Ubi & Hilarius vocat & cor, *templum, in quo Deus habitat, colitur, & religiosis affectibus*, ut Rex à suis Palatinis honoratur, juxta Psal. 137. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* in quo juxta illud Levit. 26. inhabitat, & inambulat. Beata mens, quæ cum Deo inambulante graditur, in quo Deus, velut

ut in domo sua mansionem facit. Quare graviter monet nos beatus Augustinus tract. 7. in Joannem: *Ædificemus, & nos ipsi in corde nostro & faciamus domum, quò veniat Iesus, ut doceat nos, & colloquatur nobiscum.* Qualem ædificavit Catharina Senēsis Christo Domino, in suo corde, in quo velut in aula, templo, suo sacrario Christus Dominus moretur. Quare etiā Augustinus in Ps. 44. cor hominis, *Dei tabernaculum* vocat: *domos*, inquit, *eburneas* spiritualiter vis accipere? magnas domos, & magna tabernacula Dei, corda Sanctorum accipe. Et S. Maximus hom. 32. domicilium summi Dei. *Quod & ego Secretarium Dei dixerim*: ubi Deus arcana suæ Sapientiæ manifestat, & ignes suæ charitatis dispergit. Quod & Orig. hom. 10. in Num. vocat *capax arcanorum. Intra proinde*, ait August. *hic Serm.* 63. de verbis Domini, *secretarium conscientiæ, intra te, & vide si habes aliquod secretarium dulce conscientiæ tua.* Et D. Bernard. in Cant. Sanctuarium. *Terribilis, nimis*, inquit, *& formidolosa comminatio: Egredere de Sanctuario meo, corde tuo.* Cor ergo est tanquam Rex in mortalium corpore, inquit R. Abienesra. Et Hippocrates lib. de corde. *Cor*, inquit, *ποίημα χειρώνακτος ἀγαθȣ, boni, & præstantis artificis opificium.* Et sicut Deus est ipsissima Sapientia sic cor, mentis primæ, & æternæ Sapientiæ sedes; ubi jus dicitur, leges decernuntur, & partes audiuntur. Quare Deus in corde tribunal cōstituit. Leges in tabulis cordis incisæ digitis suis: Judex ratio: Conscientia actor: Testes cogitationes. Et sicut Deus est primus motor, & primum ens; sic in homine, cor primum agens, primusque motor, primumque, & ultimum vivens; quod & præterea Deus homini voluit esse Dei instar, juxta illud Antiqui Βροτοῖς ἅπαϛι συνείδησις θεός. Nobilissimū ergo hominis, cor illius; in hoc Deo simillimum, quòd perpetuo motu, & proprio semper agatur indefessum: ut meritò vocare possis ἄγαλμα ἔμψυχον τȣ͂ κυρίȣ, animatam Dei imaginem; ut vocat Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. concionatores.

Cor aula Dei.

Domicilium Dei.

Cordis operationes.

Est locus curia.

§. XIV.

Secundum locum nobilitatis vendicant sibi Oculi.

QVantæ dignitatis sint oculi, docet Pythagor. apud Laërtium, dum oculos vocat portas Solis; quid enim sunt oculi, nisi duo Soles, radios suos spargentes? & quod cœlo Sol, hoc homini oculus. Sol cœli arcana fulgēte suâ luce reserat; ita oculi, cordis fatentur arcana. Omnis amoris fons est, cor humanū; oculum verò, ait Basilius lib. de Virg. *προαγωγὸν καὶ προμνήστρια, ducem, & pronubum omnium affectuum, tam piorum, quàm improborum.* Hunc & Tertullianus de cultu Femin. cap. 2. *invitatorem libidinis.* Dixerim ego prędatorem, & animæ vastatorem. Tanta quippè potentia regnat in oculis, ut Plinius affirmârit, animū

Oculi duo soles.

Potens vis oculorum.

A in oculis habitare. Et Chrysostomus homil. in Epist. ad Coloss. membrum animi. Vel ut ipse dixit, μέλος τῆς ψυχῆς, membrum, vel animi cantum, qui quasi præcones animi secreta penitus enuntient. Unde & Plinius lib. 8. c. 16. ait omnem vim leonis constare in oculis, quod ii velut ardentes faces, furoris signa furiosiùs ejaculentur. Oculi itaque, teste Plinio lib. 11. c. 37. pars corporis pretiosissima, & qui lucis usu, vitam à morte distinguūt. Quare eos, qui sunt hominibus in honore præcipuo, quales sunt filii parentibus, vocamus ὀφθαλμȣ̀ς βίȣ vitæ oculos, ut ait Nazianzenus orat. 16. Et Eurip. in Orestem ποθεινὸν ὄμμα τῆς ὁμιλίας desiderabilis, sive amabilis oculus familiaritatis. Ipsa deinde Majestas Divina ut nudaret B sui cordis adversus Sacerdotes, ardētes amores, cōparat illos pupillis oculi sui. Zach. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Nec mirabile videri id debet, quandoquidē in illorum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei incarnatur. Et quos summâ veneratione summi orbis Principes dignantur, quos inter, Justinianus Imperator, teste Anast. Biblioth. in Constant. velut sidus eminentius Nicomediæ Pontifici occurrēs, cum regno (inquit) in capite, se prostravit, pedes osculans Pontificis. Cum itaq; Ægypti oculi Majestatem, summo pretio dignam, & honoribus judicarent, cùm Deum expressum vellent, oculum pingebāt in summo sceptro, ut ejus dominatū planè oculatum, & omni providentiâ circumseptū de- C monstrarent. Quare & viros zelosos, tanquam viros Deo charissimos, oculos Dei vocare possumus, per quos radios suæ Sapientiæ in homines effundit. Unde & de illis dicitur: *Vos estis lux mundi.* Matt. 5. Vos sancta lumina supra montem posita. Vel ut Arist. lib. 4. Polit. c. 13. vocat *Magistratus, lumina in obeliscis imposita.* Et Cyrillus in c. 45. *Oecumenica lumina*, qui quasi prælatâ face ad pietatis mysteria aliis præluceāt. Optimo igitur jure Nazianz. orat. 23. vocavit Athanasium, *orbis oculum, & secundā Christi lucernam.* Et D. Leo in natali Aposto. *geminum lumen orbis.* quasi orbis totius oculi, qui hominibus oculos indūt, & quasi oculāt. Quid autem sit oculare, docet Tertull. in Apol. c. 21. *Christum*, ait, *homines deceptos in agnitionē veritatis oculasse*, quos fraus scilicet, & dulcis Dæmo- D nis exoculauerat. Dæmonis enim proprium quod coruis, oculos exoculare, & instar aquilę venatricis, quæ siccū puluerem, cervorū oculis solet offundere, dum scilicet alas oppletas pulvere, capiti insidens in oculos excutit, ut visum tollat, & hoc pacto in exitiū per abrupta saxa præcipitet. Et contrà viri zelosi oculāt homines, & veluti soles justitiæ, lucem sedētibus in tenebris apportant. Quare & ignes ardentes vocat Augu. lib. 13. Conf. c. 19. *Vbique discurrite ignes sancti, ignes decori: vos enim lux mūdi, nec estis sub modio; exaltatus est cui adhæsistis, & exaltavit vos.* Nobilissimi itaque ab ipso corde sunt oculi, quibus tanquam fidelibus excubitoribus imperium parui mundi commissum.

Leonis vis in oculis.

Magistratus Lumina vocantur.

Petrus ex Paulus oculi orbis.

Dæmon exoculat.

§. XV.

Tertium gradum dignitatis, inter corporis membra, os hominis, ejusque osculum obtinet.

TErtium, quod etsi dignitate, duobus inferiobus cedere videtur; obsequiorū tamen stupendâ multitudine, & eorum varietate, & potentiâ primis pariari posse videtur. Quid enim est os hominis, nisi sermonis quoddam adytū, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Et cur non ita vocemus, cùm os sit augustum quoddam templū, in quo lingua, ut illustre numinis donarium consecrata est? An non ex hoc velut throno cælesti, Apocal. 4. *procedunt fulgura, & voces, & tonitrua, & lampades ignis ardentis,* vel ad terrendos impios, vel probos confirmandos? Rectè igitur Chrysostomus de Propheta; vocavit θησαυρὸν βασιλικὸν, thesaurū Regalem. Væ illis, qui inde conficiunt speluncam latronum, & sepulchrum patēs, exhalansque venenosos suffitus, cùm debeat esse, juxta Gregorium Nyssen. hom. in Cant. πηγὴ ζωῆς, fons vitæ, ex quo omnes bibāt aquam salutis. nihilominus tamen cùm usus ejus sit in nostra potestate. Philo lib. de opificio mūdi, dixit acutè: *Os intrant mortalia, & exeunt immortalia.* Sicut ergo dicitur fons vitæ, ita & mortis, iis qui sola mortalia circumferunt, & peritura. Dum itaque irrigat hominum mentes suo Divinæ Sapientiæ latice, & aquis cælestibus, vocatur à Nazianzeno orat. 8. *organum Divinum, quod à præclaro artifice, hoc est, à Spiritu sancto ad cælestem harmoniam accommodetur.* Verè Divinum; nam ipse Deus dicit, & vult se auctorem tam nobilis fabricæ: *Ego,* inquit, *dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Lucæ 21. v. 15. tunc enim impletur promissio per Prophetam Sophoniam firmata, c. 3. prædicens aureum sæculum, cùm ait: *Quia tunc reddā populis labium electum.* Ubi Symmachus vertit χεῖλος καθαρὸν, *labium candidum, atque mundum,* ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. Os igitur hominis dicamus fabricā Divinæ Sapientiæ, dicamus & Apothecam, ex qua pretiosæ merces delectæ in vulgus sparguntur. Quale fuisse putas os Pauli, nisi officinam, tonitrua, fulmina, & commotiones fabricantē? Dixeris melius cathedram, & sedem sapiētiæ, ex qua leges orbi dictabat, & edebat oracula rerum æternarum. Cor dicamus Regem, qui oculis internuntiis rerum accipit cognitionem, quas ubi suis amoribus, vel odiis dignas judicârit; oculis, & ore velut legatis cum plenâ potestate destinatis, imperat affectionum commotiones. Ore igitur, & oculis, vel amicitia, vel odiū, verbis, vel oculorum nutibus signatur. Ex eo enim, quòd cor lateat recōditum, more Regis Chinensis

Dignitas triū.

Os fons vitæ & mortis.

Os organum Divinum.

Lingua Pauli Officina.

Cor regis instar, imperat.

A per legatos exercet imperia, & mandata exequitur. Dato ergo signo ex oculis, & ore, subitò latentes progrediuntur, & prosiliunt affectiones. Et quamvis per artes Tiberianas, & Politicas dissimulari possunt; non tamen diu: omne enim fictum subitò deflorescit, nec potest esse diuturnum. Quis enim celaverit ignem, qui lumine suo proditur? An non corde læto nitent oculi? dulce fulgurant? & amati diffuauiamur oculos? & contrà aversi, averso corde, indignantes, indignante corde, scintillis pleni, scintillante corde? Hinc & oris comitas, vel tristis acerbitas: hinc dulcia amantium oscula, hinc & fremens, crudumque spirans sermo.

B

§. XVI.

Cordis itaque summus affectus est, Osculum, quod & tessera amoris. Cujus os est instrumentum. Os ergo nobilissimum quod maximarum rerum operatio. Quale volo os Concionatoris.

COrdis summus, & vehementissimus affectus, seu dulcissima proles, est amor, qui homini cor eripit, & in alium transfert. Cùm autem cor seipsum throno suo Regio non moveat, ut se jungere possit amato, & C vehementissimæ unitatis ambiat societatem, nec eâ potiri possit, nisi oculorū, & oris blandis obsequiis, os ori, & oculos oculis imprimit amati, ut eo modo, hinc & inde alternantibus affectibus, sicut os ori, & oculis oculi coalescunt, sic cor cordi amantis coalescat. Ad hoc aspirans spōsa, in sponsi dulces amores ebulliens, exclamat: 1. Cantic. *Osculetur me osculo oris sui.* ut corda sic jungi, ut os ori, per oscula possint: petit osculum oris, quod est cordis, quæ utraque symbola Dei, ut ait Epictetus lib. 9. c. 16. & Divinæ gloriæ organa pulcherrima, & spirantia immortalium simulachra. Apud quos regnat unitas cordis, beatissima, & æterna dulcium, & castissimorum oscula. Apud Græcos, & juxta Cyrillum lib. 1. *Osculum D est perspicuum eminentissimæ charitatis, & benevolētiæ symbolum.* Apud illos enim idem nomen φιλῆσαι, quod *amare,* & *osculari* significat. Cùm enim amor transferat amantem in amatum, ut sibi uniātur, quod tum perficitur, dum os ori imprimitur, & spiritus vitales permiscētur, ex intimis cordis penetralibus educti. Ab ore ejus Christi, & labiis, & ideo osculis, oritur in Hierarchis, sanctisque viris labium electum, & per osculum ab osculis transfunduntur spiritus vitales Divinitatis, ut impleatur in nobis, quod Isaias 45. vers. 14. de Christo Domino dixit: *In te est Deus, dum Verbum caro factum est, & habitat in nobis,* ut explicat Epiph. lib. 2. exponens hoc Isa. *quasi in sancta quadam Urbe, religiosóq; templo.* Osculum ergò

Per oscula corda cordibus junguntur.

Osculum Symbolum summæ charitatis.

Os Christi causat labium electum amatis.

ergo est, reconditæ mentis suavissimus præco, & quasi argentea tuba amorosi affectus, sonitum edens,& ingentibus donarivis amatum locupletans. Sic Genes.27. Isaac primogenituræ jus, & excellentiam, in filium collaturus; priùs expetit osculum: *Da mihi*, inquit, *osculum fili mi*. Et Psal.2. Regibus terræ, in felicem ominatus successum præcipitur,ut filium osculentur, juxta versionē Hebraicam, *apprehendite disciplinā.i. osculamini filiū,& erudimini,qui judicatis terram*,ut hauriant per afflatū spirituum vitalium,spiritū sapientię. Undè & in Sacerdotum consecrationibus, teste Dionysio de cęlesti Hierarchiâ,*Sacerdotum,& Pontificum intercedat osculatio, quam perficientem, & velut consecrantem salutationem vocat*. Et deinde ait ἱερὰν ἔμφασιν, sacram potentiam, & significationem. Crediderim hoc introductum, ad imitationem Christi Domini, qui initiaturus suos in Sacerdotes, insufflavit in eis Spiritum sanctum, dicendo: *Accipite Spiritum sanctum*. in cujus æternam memoriam, & sacrificans osculo accepto,à corpore Christi Diaconum osculatur, quasi acceptum à Christo Spiritum, in illum transfunderet, & ille deinde Subdiaconum, qui in ceteros Canonicos osculum transmittit. Quapropter in Apostol. Constitut.altâ voce denuntiabatur, priusquam osculum daretur: *Nemo contra aliquem,nemo cum simulatione accedat*. Quæ sancta consuetudo irruentibus viriis sublata, & loco sacri osculi, tabella supposita, juxta illud Ambrosij de fugâ sæculi cap. 1. *Os libavit, & crimen retulit*. In osculo enim totus animus offunditur, & flamma utrumque arsura concipitur. Quanti autem momenti sit osculum, disce ex legibus Theodosij lib.5.de sponso, ubi ait, *Valituram pro media parte donationem si facta fuerit sponso moriente,osculo priùs dato, alioquin irritam futuram osculo prætermisso*. Deinde si osculum nuptias præcessisset, & sponsa ad alterum concessit,adultera judicabatur. His omnibus accedit, quòd per os sanctificamus Euangelium Dei. Rom.15.v.16. *Vt fiat oblatio accepta*. Gręcè ἱερυργῶ Augustinus vertit. *consecrare*: propriè tamen significat *sacrificare*. Unde & Origenes hic, dicit *enunciare Euangelium esse opus sacrificale*. Et Chrysostomus in Psal.46. vocat *virorum zelosorum ora tubas auro, & gemmis pretiosiores*. Et Alcuinus ad Episcopum Cantuariensem Epist.8.vult, & orat: *Memor*, inquit, *esto semper*, *quòd guttur tuum, tuba Dei debet esse: & lingua tua omnibus præco salutis*. Quàm pulchrè ergo Gregorius Nazianzenus, in laudibus Athanasii, vocat illum, *magnam tubam veritatis*. Ego addiderim: Os sacrum,os Angelicum,& incorruptum,& linguam satricem veræ fidei, & φαταγωγικὴν, & illuminantem, & spiritualis tabernaculi, id est, Ecclesiæ Beseleel. Quare os zelosi viri exosculor,cujus sola,& tacita vita, claram vocem habet, eadem quæ dicit, docens; & cujus labia Cantic. 4. sunt sicut vitta coccinea,& eloquium dulce. Felix os, cujus labia

Cur osculatio in Ecclesia.

Cur osculum in sacrificio Missæ, & inter alios Canonicos.

Osculi quantū pretium.

Os zelosi tuba.

Os zelosi Euangelicum.

A non solum similia filo vittæ, vel funiculo:sed coccineo ex flore boni coloris composito, & eloquium dulce. Græcè,pulcher sermo. Quâ dote præcelluit sanctus Fulgentius, ut habetur in ejus vita: qui singulari orationis dulcedine omnium animos demulcebat, & compunctionem cordis generabat. Hujusmodi Concionatorum os volebat sanctus Hieronymus Epist. 2. ad Nepot. Docente te in Ecclesiâ non clamor populi; sed gemitus suscitentur: lachrymæ Auditorum sint tuæ laudes, addiderim ego, sint labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Quod lilium, nisi hieroglyphicum puræ veritatis, quam Gregorius Nyssenus homil. 24. in Cantic. vocat λαμπρὰν καὶ φωτοειδῆ, *splendidam, & luminosam*. Et quid myrrha, nisi Symbolum mortificationis? Inspirent ergo sanam doctrinam, B & myrrhâ ungant cadavera peccatorum, id est, morbos animi fugent, & exstinguant intolerabilem animi putredinem. Hoc donum Spiritus sancti voce ἀτίμητον, quæ habetur in constitut.Apostol.lib.6.cap.7. exprimam,id est,inexstimabile, & pretium omne superans. Perpende nunc vir zelose tuam dignitatem,quæ tanta est,ut provehi altiùs non possit. Cor Dei es, & cor Dei sacro vulnere saucias, dum lucra animæ offers creatori. Oculus Dei: qui enim te tetigerit, tangit oculi ejus pupillam. Os denique & Filii Dei,& Filio Dei simillimus,qui est os,& verbū Dei Patris. Similis es Spiritui sancto,qui est osculum C Patris, & Filii, & nexus utriusque. Si ergo separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris; dicit Dominus,ut suprà. Vilis quippè Deo (ait Gregorius 18. Moral.23.) est mundus; pretiosa verò est anima humana. Qui ergo pretiosum separat à vili, quasi os Domini vocatur; quia Deus per eum verba sua exerit,qui ab amore præsentis sæculi,loquendo quæ potest, humanam animam evellit. Verè gemma pretiosa est anima, quam qui cognoscit,vendet omnia bona sua,& comparabit eam. Perge vir zelose, nihil formida; nullus sit labor durus; omnia tristitia sint tibi dulcia; quò de stercore aurum,& gemmas colligas. Cogites te tot templa fabricare Salomonica; parùm dixi, tot mundos elargiri, D tot mundos Deo litare; infra verum loquor, dicam nihil majus infra Deum dari posse, quàm cùm animas reddis Deo Creatori. Rectè, inquit Chrysostomus orat. 3. contra Judæos,ut dictum est,mundo pretiosior anima. Tot oscula tibi Filius Dei dabit, quot tu illi animas. Felix qui audire meruit, *Osculetur me osculo oris sui*. Ut audivit sancta Gertrudis imminente morte à Christo Domino. Ecce nunc tandem per meum osculum,efficacissimâ suavitate plenum, te mihi acquiram, & per arctissimos Divini mei cordis amplexus offeram te Patri meo cœlesti. Lib.5.cap.3.revelat.

Quale debet esse os Concionatoris.

Labia Concionatoris sint lilia.

Os concionatoris summi pretii.

Os osculum & cor Dei est concionator.

Anima gemma pretiosissima.

Tot oscula dat Dei Filius, quot tu illi animas.

ALTE-

ALTERA PARS
XVI. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Zelo sanctißimæ Virginis.

Exigua tabellamůdus, tenui oratione Virginis zelus indicandus

VT Zeli Virginei sublimissimam magnitudinem, & incomprehensibilem φιλανθρωπίαν oculis subiiciamus, pictores imitabimur, qui vastissima corpora, & & gigantum moles in exiguâ tabellâ, vivacibus coloribus adumbrant. Vel ut melius Archimedem æmulabor, qui cœli vastissimi machinam exiguo conclusit orbe. In magno labor est; magnum fuerit, maximi favillas incendii, vel interlucentem radium potuisse depingere. Verùm ut ad solis evomentis fulgurantes radios, oculi valentissimi retunduntur: ita & intellectus humanus, impar, magnitudine zeli, & molis oppressus, sese submittit, & quasi noctuabundus incedit. Verumtamẽ etsi nos vinci fateamur, non abiiciẽdus est clypeus, innitendum est illi, & preces supplices Virgini litabimus, ut possimus, quod vehementer optamus, sui zeli Divinos ardores, ut par est, celebrare. Paucula itaque, quæ claritudinem zeli demonstrent, sunt studiosè præmittenda.

Primum.

Tantus quisque est, quanto Deo similior.

TAntum quisque propiùs ad Deum accedit, quantũ Deo redditur similior, ut docet Augustinus in Psal. 99. *Quantum accedis ad Dei similitudinem, tantum proficis in charitate, & tantò magis incipis sentire Deum.* non enim locorum intervallis ad Deum acceditur, vel receditur: dissimilis factus es, longè recessisti, similis factus, proximè accedis. Et quæ creatura Deo similior fingi, aut dari potest, Virgine sanctissimâ, quæ proximè ad Deum accessit, non solùm propinquitate virtutum, verùm etiam sacro contubernio, & sui sanguinis facratissimo commercio? Cùm igitur Deo fuerit simillima, vivacissimè in se Deum expressit. *Tantum enim*, ait Richardus de sancto Victore in Cantic. cap. 2. *in se Deum, quis suscipit, quantum ejus similitudinem assumpserit. nihil tam propinquum Deo, quàm ejus character, & similitudo.* Hanc autem similitudinem, ut nobilissimi spiritus cælestes in se repræsentẽt, totis viribus allaborant. Hoc docet Divus Dionysius de cœlesti Hierarchiâ cap. 3. sacratissimę hujus functionis intentio est, *Deo, quantùm fieri potest, similem evadere, unúmque cum illo* A *fieri.* Virginis igitur anima cùm perfectiore in Deum raperetur intentione, quàm omnes beati spiritus, perfectiùs, consummatiúsque Dei similitudinem referebat, & infinitis modis nobilius se illustrandum, & illuminandum subiiciebat. Simillima ergo sanctissima Virgo Deo semper incedebat.

S. Virgo Deum in se optimè expressit.

Alterum

DIgnum observatione. Omnes virtutes elaborare, atque in nobis formare pro indolis ingeneratæ potentiâ, Divinæ Maje- B stạtis similitudinem. Justitia ergò & pietas, & misericordia, fortitudo, & ceterarum virtutum chorus, formationi Divinæ similitudinis assistit. Cùm autem fuerit anima facta justa, misericors, fortis, pia, sapiens, tantum in se Divinæ similitudinis imaginem reformârit, quantum virtutum harum fuerit consecuta.

Virtutes formant imaginem Dei.

Tertium.

NVlla virtus ita hominem similem Deo efficit, ita hominem in Deum transformat, quàm charitas, quæ est animæ nostræ C rectissima affectio, quæ pro flagrantiæ suæ magnitudine, similitudinem speciosiùs, absolutiúsque efformat, adeò ut incremento charitatis coæquetur animæ pulchritudo, & illâ diffluente, diffluat & illa, quandoquidem illa sit vera animæ pulchritudo, veraque formositas, quæ Dei decreto decernitur, ex amicâ propinquitate Dei, quam charitas conciliat, atque demeretur: tunc enim omnia, instar lunæ, quæ solis ex aspectu, solis induit lucem, transmigrât in ipsius Divinæ pulchritudinis claritatem. Quanta itaque fuerit impressio amoris, tanta & erit expressio similitudinis: D quantò fortius summo Deo per amorem inhæseris, tanto similior eris. Audi Dei Filium: Quantò te mihi impresseris fortiùs, tãtò ego Christus in te formabor expressiùs, & tantò tu in me reformaberis, transformaberísque insigniùs.

Charitas perfectissimã imaginem in nobis format.

Charitas animæ pulchritudo.

Quartum.

ANimam tunc supremum perfectionis attigisse fastigium, cùm voluntas humana,

Summum perfectionis est voluntatum concordia.

na ita Divinæ inferitur, ut nullo creaturæ motu, sed solo Divinæ voluntatis ad operandum nutu commoveatur, ita ut hoc pacto voluntas una, unusque spiritus ex duobus coalescat, & Deus in omnes actiones, ut cor vitales spiritus in cetera membra transfundat, dicique possit, Deum solum in ista anima regnare, cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus, sitq; idem velle, & nolle.*

Quintum.

Nobilissimū omniū operū bene velle & bene facere.

IN hoc posita est coronis, & diadema consummatæ perfectionis, non solùm scilicet bene velle, verùm etiā benefacere. Ubi enim in terris est verus amor, & perfectus cum Divina voluntate consensus, ibi subitò ingens fames, & sitis magnorum operum suscitatur: incensa quippe voluntas per ardua hominem rapit: nihil inexpugnabile, nihil sibi laboriosum judicat: per omnia obstantia proruit, & lacessitam flammis internis, victrix omnibus dominatur. Sic Paulo: sic Francisco Xaverio unus non sufficiebat orbis. Quemadmodum Margaritæ Concharum partus, dum stimulante genitali aurâ, oscitatione quâdam se pandunt, & tunc roscido conceptu impletæ, pro qualitate roris accepti speciem ostentant, si purus influxerit, candorem eminentiorem conspici: si turbidus, minorem, & nubilum trahi: sic pro qualitate, & efficacia violentæ charitatis, & operatricis voluntatis, magnorum facinorum partus produci, edique. *Signum eim veri amoris*, teste Gregorio 1. Regi lib. 2. cap. 4. *non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis, probatio enim amoris, est operum exhibitio.* Hoc docet sanctus Spiritus Canticor. 8. ubi sponsus ab amata sponsa unum poscit: *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quasi diceret: *Sigilla cor, & brachium, memoriâ, & amore mei, imaginem mei, in mente, & actione expressam conserves. Pone me ut signaculum*, hoc est, ut ait Guilielmus in Cantica hic: *imprime mihi intus, me jugiter cogitando; imprime mihi foris, propter me strenuè operando, ut pia cordis interna cogitatio, in externam brachii operationem emanet.* Hæc ille. Sit signaculum Christi in fronte, sit & in corde. In fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus: signaculum in brachio, ut semper operemur, ut tota species sponsi in nobis exprimatur. Sit oculus noster, ut per eum Patrem videamus: ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem: ipse dextera nostra, per quam Deo Patri sacrificium offeramus: ipse sit signaculum charitatis, quâ diligamus Patrem, quâ dilectus Filius à Patre, qui signatus fuit à Patre, Joannis 6. *Quem Pater signavit.* Christus ergò vult esse & monile pectoris, & armilla brachii: *quia*, ut ait Divus Gregorius hic, *in corde sunt cogitationes, & in brachio operationes.* Super cor ergò, & super brachium, sponsæ dilectus, ut signaculum ponitur: quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate, & actione signatur. Signum quippè sancta mens, interiùs, & exteriùs Christum portat, quia dum in ejus meditatione assiduè laborat, in exteriore actione, eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse dubitari non debeat. Non sufficit ergò, spirantibus amoribus cor sustentare, nisi spirantes amores ad actus heroïcos prosiliant. Cor sit officina contẽplationis, & fornax ignium, in qua cuduntur arma, tela, fulmina, quibus cælum, & proximum petamus. Cælum, suspiriis amoris: proximum, lacertorum contentione. Vult Deus pro signaculo haberi primum in contemplationibus, deinde in actionibus: vult notam sui in omnibus impressam, tam cordis, quàm externis actibus; sicque erunt numismata Regia, non adulterina, sed notam Regiam præferentia. His præmissis, de zeli Virginei magnitudine dicendum.

Mira unionum generatio.

Vbi est amor verus, ibi & operatio.

Christus debet esse armilla brachij, & monile pectoris.

Sancta anima duo facit, quæ si absint, non est amata.

A B

§. II.

Probatur immensa magnitudo zeli indicibilis.

HÆc quinque præmissa, cùm eminentissimo modo, in Virgine sanctissima reperiantur, necesse est, Virginem summè zelatricem, & illam zelo supergredi omnium creatarum mentium zelum. Deus cùm sit summus zelator, necesse est & Virginem esse summè zelatricem, cùm sit Deo simillima, & illa in se perfectiùs Divinitatis formam exprimit, quàm omnes simul creaturæ conjunctæ. Quàm autem proximè ad Deum accesserit, sat dictum, cùm de Maternitatis titulo dictum. Primùm ergò sublimissimè in Virgine reperitur, sicut & secundum. Sicut enim Deus Oceanus est infinitus omnium virtutum: sic est Virgo circumflua fontibus irriguis omnium virtutum. Infinitè sapiens Deus, infinitè misericors, infinitè clemens, ut uno verbo absolvam, infinitè infinitus in omnibus bonis, sic & infinitè zelosus operum demonstratione. Quis negabit Matri hujus zeli quandam infinitudinem, cùm fateamur omnes eam versari in infinitis quodammodo Sanctorum, & omnium virtutum choris: non enim illi dimidiam regni partem, ut Assuerus amatæ Estheri, Deus obtulit, sed totum suum regnum, tanquam suæ amentissimæ Matri debitum, in die coronationis suæ consecravit.

Summa zelatrix Virgo quia Deo simillima.

Quia & possidet omnes virtutes.

Ad Tertium. Si ulla virtus in Virgine excelsa, & magnifica, est ipsa charitas, virtutum omnium Regina: flagravit enim in Virgine Charitas sine modo, sine mensura,

Quia plena & ardens charitate.

C D

mensura, sine limitatione, in infinitum proiiciens, & dilatans regnum suæ potentiæ, ut non solum Deiformis debeat, sed amor quodammodò Dei, & ex amore composita. Diximus quatuor gradus amoris sũmi, & quartus cùm sit summus, ex Richardo de Sancto Victore, ut æstuantis animæ desiderio jam omninò nihil satisfacere possit, humanæ possibilitatis metas excedit, crescendi (ut alii amoris gradus) terminũ nescit, quia sẽper invenit, quod adhuc cõcupiscere possit. Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat. Sitit, bibendo sitit. Esuries non sedatur, sed irritatur, dum voto suo, pro votis fruitur. Deinde ultimum spiritum trahit, & quidquid circà agatur, vel quidquid sibi fiat, non attendit, nec advertit: solùm illi vivere Christus, & mori lucrum. Sic vivebat illa in Christo, & Christus in illa: moriebatur Christus pro quolibet homine; moriebatur & illa, ut omnes filio lucrifaceret. Vivebat ergò mortalis, quodammodò immortalis. Verùm quomodo mortalis, cui adimi vita non poterat, aut mori? aut quomodo posset mori, cùm ab eo, qui vita erat, separari non poterat? si enim Christi amator Paulus, Roman. 8. clamat: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu*. Quid dictura Mater, si servus tantum ausus? erat immortalis in corpore mortali; sicut impossibilis in corpore possibili. An non impossibilis, quæ doloribus ebria, & quamvis mortem Filii, & quidem tanti, intimè perfossa telis persenserit; gaudens tamen senserit, & gloriata fuerit in Filii sui contumeliis, tormentisque. Tantum potuit amor animarum. Habitabat illa in Filio, tanquàm corde suo, qui animas, vivens, & moriens sitiebat. Et illa & vivens, & moriens clamabat: Sitio animas. Moritur Filius; moriar & morior & ego in illo; ut utriusque morte redimatur Orbis; ipsius ut causa primaria; mea, ut minus principali, & adjutrice. Mors Filio præ magnitudine zeli pro voto fuit & vita; sic & mihi Matri: illi ut Orbis Patri; mihi ut Matri. Filius præ temulentiâ potentis amoris, in summis tormentis erat paratus semper se vivere, & mori; sic & Mater, & clamabat: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Inseparabilis, & insuparabilis amor utriusque; & uterque sibi mutuum domicilium, Deus Filius in illam, & illa translata in Filium. Orat quippè, sancto Bernardo Doctore Sermo. 29. in Cantic. amor Christi, qui Mariæ animam non modò confixit; sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam relinqueret; sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratia plena, quæ tota, à dilectione erat vulnerata. Finio cum hoc. An non amoris principium à visione generatur? Planè. An non à visione contemplationis ignis incenditur? Planè. An non pro mensura visionis,

Zelus matris cum Filij comparatio.

A ita & mensura amoris? Planè. Nemo enim intensè videns Deum, non vehementer amârit, nec potest non amare. An non tunc desideria desideriis cumulata readescunt magis? Planè. Nullus ponitur terminus sacro œstro, ubi non datur satietas voluptati. Corporum amor potitus victoriâ, pudendam trahit secum & tributariam satietatem, & lugendum fastidium: at amor Divinus semper in novas, & infinitè jucundas rapit amantem voluptates, quas recentibus semper cumulat, & acuit lætitiis, nec ibi potest timeri satietas, ubi semper præsto adest insatiabilis voluptas. Quantus ergò fuerit in Virgine zelus, quæ summo zelatori præbebat domicilium, & rubi instar ardentis, in B quo Deus latens loquebatur, quæ etiamnum mortalis, crebrâ infiniti boni visione pascebatur, quâ plena flammato corde, & quasi cœlesti furore percita in hominum salutem rapiebatur, quam summè à Deo dilecto & viso sciebat exoptari. Huic itaque scientiæ coextendebatur zelus, qui necessariò ad quandam infinitatem quàm maximè transibat, cujus prævia dispositio, & fabricatrix scientia, infinitati esset propinqua. Deperibat ergo mortales infinito quodam amore. Quid mirum ergò, si Patres dicant, pro salute unius animæ si Pater annuisset, promptissimè cruci Filium suum unicum dediturum? Parum hoc est, etsi magnum. Erat cruentatura majus & pectus Maternum C purpuratura cruore, illachrymabili vultu, si unius animæ necessitas exegisset. Tanti apud illam pretii ex Filii dilectione, una anima, quem Filius vitæ suæ pretio dignatus fuit. In tantum autem efferbuit ebrietas zeli, ut nec ebrietas novam sitim ex se natam exstingueret, sed accenderet. Virginis pectus erat simile sacro altari, Levitic. 6. vers. 12. vel potius ipsissimum, in quo semper ignis ardebat æternus, quẽ summus Sacerdos, id est Christus Dominus continuis nutriebat alimentis. Magni & admirabilis zeli erant voces Pauli, quibus seipsum pro salute suorum devovebat: *Cupio*, inquit, *anathema esse pro fratribus meis*. Stupendi & admirabilis zeli Moysis pro suis servandis. D *Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ quem scripsisti*. Totus orbis canorâ voce deprædicat horum virorum igneum zelum. Hos exsuperat Virgo, & audet leges irato Deo dare. Non solum orat ut cœlum, quos terrores habet, in se detonet, aut quidquid carnalis carnifex, aut cruentus tyrannus fingere potest, in se ruat; non solum mortem orat pro homine: Occidam, inquit, ego, modo ille regnet vivatque. verùm accedit thronum Divinæ Majestatis, & iratum Deum accedit, cùm fiducia loquitur, tonitrua ultricis iræ deprecatur: Absit, inquit, ut hanc rem facias, imitata proavum Abrahamum, Genes. 18. *Vt occidas cum impio justum, fiatque justus sicut impius*.

Visio Dei causa zeli.

Virgo pro salute unius animæ Filium crucifixisset.

Virginis zelus placat Deum.

Cerne

Cerne Lector in quam animosam fiduciam erigit charitas hominem zelo flagrantem. Ecce ut efferat hominem ultra hominem. Zelus suscitavit nobis Filium Advocatum apud Patrem; idem zelus apud Filium Matrem patrocinantem: totus ignis, & zelus Filius; tota ignea, & zelatrix Mater. Scribat Epiphanius in vita Eliæ, Eliam flammâ nutritum; qui zelosissimus pro Deo futurus bellator. Ardebat eloquium, & verbum illius, quasi facula ignis ardebat, Eccles. 48. non quidem quòd flamma nutriretur, cùm in igne nihil vivere possit; sed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os subintrare, & illud colorare quasi pascere videretur. Sic & Dorotheus in Synopsi: Cùm nasciturus esset Elias, pater vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tamquam fasciis involui, nec non nisi flammâ ignis, velut cibis educari. Qualia non perpetravit perfecitque unus zelosus Elias? Verbo Dei continuit cælum; & dejecit de cælo ignem ter. An non idem in turbine ignis, & curru equorum igneorum in cælum receptus? Beati sunt qui te viderunt Eliam, & amicitiâ tuâ decorati sunt. Si servus præ zeli exuberantiâ dicitur in igne natus, fasciis igneis involutus, igne denique nutritus; qualem judicaris in corde Virginis fuisse, quæ ipsum Deum, qui se ignem nominat, in utero portavit, natum educavit, & igne quasi in medio triginta quatuor annis, & cum igne continuo commercio vixit? Non fuerit ergo mirabile, si omnes ad se venientes ignitis telis, quasi facibus accenderet. An non similis Filio, qui in terras venerat ignem mittere?

Virginis zelus ardentior zelo Eliæ.

§. III.

Ad quartum, & quintum, notabile superius.

IN Virgine semper penitissima, & consummatissima fuit, ut major esse non posset voluntatis suæ, cum divinæ concordia, & transmigratio totius sui affectus in ipsum summum bonum. De quâ perfectione Richardus *part. 1. de gradib.* violentæ charitatis, sic loquitur: *Oblitus sic omnium animus, nescit seipsum, totusq; transit in ipsum Deum. Seipsum penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini conformatus, totus in aliam gloriam transit.* Vide quid intersit inter ferrum, & ferrum; frigidum scilicet & candens; ut candens ignis pulchritudinem, frigidum obscuræ noctis formam referat, ut incalescens transmutetur, & à seipso deficiat: sic anima divini amoris rogo succensa, & æternorum desideriorum globis undique circumsepta, primùm incalescit, seipsam paulatim exuit, sensimque incandescit, & tandem à seipsa deficiens colliquatur, & à priori statu penitus deficiens, in Dei transit voluntatem,

Anima zelo æstuantis status.

A & impletur illud Cantic. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Liquescit itaque tota. An non liquidis elementis forma imaginis impressæ statim evanescit, diffluitque mollitie? an non quælibet minimo motu coaptatur? omnis enim recipitur figura in mollissimo corpore. Sic anima liquefacta, & tota Deo cohærens, sigillo divinæ voluntatis signatur, ut forma Dei, non hominis propria, quæ jam diffluxit, conspiciatur. Talis fuit anima sanctissimæ Virginis à primo Conceptionis puncto, quo instar liquidi metalli omnem formam divinæ voluntatis, tanquam imaginem suscepit; quæ Deum, suis affectibus exclusis, velut in speculo repræsentabat. Hoc docuit Angelus S. Brigittam: *In eodem* B *puncto quo Diva Virgo Dei cognitionem habuit; ejus Virginis benedicta voluntas Dei servitio se subjecit; nam omnia quæ Deo placere cognovit, delectabiliter perficere statuit: intellexit enim sanctissima Virgo non suis meritis Deum creasse sibi corpus, & animam, & suæ voluntati libertatem contulisse, Dominicis præceptis humiliter faventi; aut etiam ipsis, si placeret, resistendi: & ideò decrevit humillima Virginis voluntas, quamdiu vita vigeret, cum omni charitate Deo famulari, quamvis nihil aliud sibi ab illo donaretur.* Sic Angelus. Verè cor rectum cum Deo, quando propter Deum, Deum quærit; verè recta voluntas, in qua Deus posuit suum thronum: & ideò sanctissima Virgo hujuscemodi voluntatis sibi conscia, & exultans exclamat Luc. 2. *Ecce* C *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Huc spectant verba Laurentij Justiniani *in serm. Purificat.* Beata mens Virginis per inhabitantem Spiritum sanctum, ac Magistrum Verbi Dei, semper in omnibus parebat imperio; non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio; sed quod intus annuebat ad fidem, foris corporis ministerio peragebat. Tota ergo Virginis voluntas, ut stilla aquæ in Oceanum vini demersa, in oceani transit naturam, penitus absorpta fuit, & instar liquidi metalli quod facillimè alteri commiscetur. In quo visa est repræsentasse admirabile sanctissimæ Triados consortium: in quâ etsi sint tres Personæ realiter distinctæ, voluntatem suam cuilibet Personæ consignemus realiter D distinctam: attamen impossibile est, Deum Patrem aliud velle, quàm velit Filius, & Spiritus sanctus; sitque in omnibus tribus eadem voluntas, sicut est eadem essentia. Quod nisi foret, dividi regnum trium Personarum, & imperium solvi posset, si coaluerat Virginis voluntas divino inserta beneplacito. Quare & illud 2. Zachariæ oraculum in sanctissima Virgine, ubi dicitur: *In gloria ero in medio ejus.* Sicut gloria Patris est in medio Filij, & gloria Filij in medio Dei Patris, & gloria Spiritus sancti in medio utriusque: sic gloria, & voluntas in medio cordis divini, & Deus in medio voluntatis Virgineæ; juxta illud Sophon. 3. *vers.* 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis: gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione*

Anima Virginis similis liquido metallo.

Quæ sit recta voluntas.

Virgo S. Triadis imago.

Voluntas Virginis, Dei voluntas fuit.

mensura, sine limitatione, in infinitum projiciens, & dilatans regnum suæ potentiæ, ut non solum Deiformis debeat, sed amor quodammodò Dei, & ex amore composita. Diximus quatuor gradus amoris sũmi, & quartus cùm sit summus, ex Richardo de Sancto Victore, ut æstuantis animæ desiderio jam omninò nihil satisfacere possit, humanæ possibilitatis metas excedit, crescendi (ut alii amoris gradus) terminũ nescit, quia sẽper invenit, quod adhuc cõcupiscere possit. Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat. Sitit, bibendo sitit. Esuries non sedatur, sed irritatur, dum voto suo, pro votis fruitur. Deinde ultimum spiritum trahit, & quidquid circà agatur, vel quidquid sibi fiat, non attendit, nec advertit: solùm illi vivere Christus, & mori lucrum. Sic vivebat illa in Christo, & Christus in illa: moriebatur Christus pro quolibet homine; moriebatur & illa, ut omnes filio lucrifaceret. Vivebat ergò mortalis, quodammodò immortalis. Verùm quomodo mortalis, cui adimi vita non poterat, aut mori? aut quomodo posset mori, cùm ab eo, qui vita erat, separari non poterat? si enim Christi amator Paulus, Roman. 8. clamat: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus,* &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Quid dictura Mater, si servus tantum ausus? erat immortalis in corpore mortali; sicut impossibilis in corpore possibili. An non impossibilis, quæ doloribus ebria, & quamvis mortem Filii, & quidem tanti, intimè perfossa telis persenserit; gaudens tamen senserit, & gloriata fuerit in Filii sui contumeliis, tormentisque. Tantum potuit amor animarum. Habitabat illa in Filio, tanquàm corde suo, qui animas, vivens, & moriens sitiebat. Et illa & vivens, & moriens clamabat: Sitio animas. Moritur Filius; moriar & morior & ego in illo; ut utriusque morte redimatur Orbis; ipsius ut causa primaria; mea, ut minus principali, & adjutrice. Mors Filiò præ magnitudine zeli pro voto fuit & vita; sic & mihi Matri: illi ut Orbis Patri; mihi ut Matri. Filius præ temulentiâ potentis amoris, in summis tormentis erat paratus semper se vivere, & mori; sic & Mater, & clamabat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Inseparabilis, & insuparabilis amor utriusque; & uterque sibi mutuum domicilium, Deus Filius in illam, & illa translata in Filium. Orat quippè, sancto Bernardo Doctore Sermo. 29. in Cantic. amor Christi, qui Mariæ animam non modò confixit; sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam relinqueret; sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratia plena, quæ tota, à dilectione erat vulnerata. Finio cum hoc. An non amoris principium à visione generatur? Planè. An non à visione contemplationis ignis incenditur? Planè. An non pro mensura visionis, ita & mensura amoris? Planè. Nemo enim intensè videns Deum, non vehementer amârit, nec potest non amare. An non tunc desideria desideriis cumulata reardescunt magis? Planè. Nullus ponitur terminus sacro œstro, ubi non datur satietas voluptati. Corporum amor potitus victoriâ, pudendam trahit secum & tributariam satietatem, & lugendum fastidium: at amor Divinus semper in novas, & infinitè jucundas rapit amantem voluptates, quas recentibus semper cumulat, & acuit lætitiis, nec ibi potest timeri satietas, ubi semper præsto adest insatiabilis voluptas. Quantus ergò fuerit in Virgine zelus, quæ summo zelatori præbebat domicilium, & rubi instar ardentis, in quo Deus latens loquebatur, quæ etiamnum mortalis, crebrâ infiniti boni visione pascebatur, quâ plena flammato corde, & quasi cœlesti furore percita in hominum salutem rapiebatur, quam summè à Deo dilecto & viso sciebat exoptari. Huic itaque scientiæ coextendebatur zelus, qui necessariò ad quandam infinitatem quàm maximè transibat, cujus prævia dispositio, & fabricatrix scientia, infinitati esset propinqua. Deperibat ergo mortales infinito quodam amore. Quid mirum ergò, si Patres dicant, pro salute unius animæ si Pater annuisset, promptissimè cruci Filium suum unicum dediturum? Parum hoc est, etsi magnum. Erat cruentatura majus & pectus Maternum purpuratura cruore, illachrymabili vultu, si unius animæ necessitas exegisset. Tanti apud illam pretii ex Filii dilectione, una anima, quem Filius vitæ suæ pretio dignatus fuit. In tantum autem efferbuit ebrietas zeli, ut nec ebrietas novam sitim ex se natam exstingueret, sed accenderet. Virginis pectus erat simile sacro altari, Levitic. 6. vers. 12. vel potius ipsissimum, in quo semper ignis ardebat æternus, quẽ summus Sacerdos, id est Christus Dominus continuis nutriebat alimentis. Magni & admirabilis zeli erant voces Pauli, quibus seipsum pro salute suorum devovebat: *Cupio*, inquit, *anathema esse pro fratribus meis.* Stupendi & admirabilis zeli Moysis pro suis servandis. *Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ quem scripsisti.* Totus orbis canorâ voce deprædicat horum virorum igneum zelum. Hos exsuperat Virgo, & audet leges irato Deo dare. Non solum orat ut cœlum, quos terrores habet, in se detonet, aut quidquid carnalis carnifex, aut cruentus tyrannus fingere potest, in se ruat; non solum mortem orat pro homine: Occidam, inquit, ego, modo ille regnet vivatque. verùm accedit thronum Divinæ Majestatis, & iratum Deum accedit, cùm fiducia loquitur, tonitrua vltricis iræ deprecatur: Absit, inquit, ut hanc rem facias, imitata proavum Abrahamum, Genes. 18. *Vt occidas cum impio justum, fiátque justus sicut impius.*

Zelus matris cum Filij comparatio.

Visio Dei causa zeli.

Virgo pro salute unius animæ Filium crucifixisset.

Virginis zelus placat Deum.

Cerne

Cerne Lector in quam animosam fiduciam erigit charitas hominem zelo flagrantem. Ecce ut efferat hominem ultra hominem. Zelus suscitavit nobis Filium Advocatum apud Patrem; idem zelus apud Filium Matrem patrocinantem: totus ignis, & zelus Filius; tota ignea, & zelatrix Mater. Scribat Epiphanius in vita Eliæ, Eliam flammâ nutritum; qui zelosissimus pro Deo futurus bellator. Ardebat eloquium, & verbum illius, quasi facula ignis ardebat, Eccles. 48. non quidem quòd flamma nutriretur, cùm in igne nihil vivere possit; sed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os subintrare, & illud colorare quasi pascere videretur. Sic & Dorotheus in Synopsi: Cùm nasciturus esset Elias, pater vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tamquam fasciis involui, nec non nisi flammâ ignis, velut cibis educari. Qualia non perpetravit perfecitque unus zelosus Elias? Verbo Dei continuit cælum; & dejecit de cælo ignem ter. An non idem in turbine ignis, & curru equorum igneorum in cælum receptus? Beati sunt qui te viderunt Eliam, & amicitiâ tuâ decorati sunt. Si servus præ zeli exuberantiâ dicitur in igne natus, fasciis igneis involutus, igne denique nutritus; qualem judicaris in corde Virginis fuisse, quæ ipsum Deum, qui se ignem nominat, in utero portavit, natum educavit, & igne quasi in medio triginta quatuor annis, & cum igne continuo commercio vixit? Non fuerit ergo mirabile, si omnes ad se venientes ignitis telis, quasi facibus accenderet. An non similis Filio, qui in terras venerat ignem mittere?

Virginis zelus ardentior zelo Eliæ.

§. III.

Ad quartum, & quintum, notabile superius.

IN Virgine semper penitissima, & consummatissima fuit, ut major esse non posset voluntatis suæ, cum divinæ concordia, & transmigratio totius sui affectus in ipsum summum bonum. De quâ perfectione Richardus *part. 1. de gradib.* violentæ charitatis, sic loquitur: *Oblitus sic omnium animus, nescit seipsum, totusq; transit in ipsum Deum. Seipsum penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini conformatus, totus in aliam gloriam transit.* Vide quid intersit inter ferrum, & ferrum; frigidum scilicet & candens; ut candens ignis pulchritudinem, frigidum obscuræ noctis formam referat, ut incalescens transmutetur, & à seipso deficiat: sic anima divini amoris rogo succensa, & æternorum desideriorum globis undique circumsepta, primùm incalescit, seipsam paulatim exuit, sensimque incandescit, & tandem à seipsa deficiens colliquatur, & à priori statu penitus deficiens, in Dei transit voluntatem,

Anima zelo æstuantis status.

A & impletur illud Cantic. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Liquescit itaque tota. An non liquidis elementis forma imaginis impressæ statim evanescit, diffluitque mollitie? an non quælibet minimo motu coaptatur? omnis enim recipitur figura in mollissimo corpore. Sic anima liquefacta, & tota Deo cohærens, sigillo divinæ voluntatis signatur, ut forma Dei, non hominis propria, quæ jam diffluxit, conspiciatur. Talis fuit anima sanctissimæ Virginis à primo Conceptionis puncto, quo instar liquidi metalli omnem formam divinæ voluntatis, tanquam imaginem suscepit; quæ Deum, suis affectibus exclusis, velut in speculo repræsentabat. Hoc docuit Angelus S. Brigittam: *In eodem* B *puncto quo Diva Virgo Dei cognitionem habuit; ejus Virginis benedicta voluntas Dei servitio se subjecit; nam omnia quæ Deo placere cognovit, delectabiliter perficere statuit: intellexit enim sanctissima Virgo non suis meritis Deum creasse sibi corpus, & animam, & suæ voluntati libertatem contulisse, Dominicu præceptu humiliter favendi; aut etiam ipsis, si placeret, resistendi: & ideò decrevit humillima Virginis voluntas, quamdiu vita vigeret, cum omni charitate Deo famulari, quamvis nihil aliud sibi ab illo donaretur.* Sic Angelus. Verè cor rectum cum Deo, quando propter Deum, Deum quærit; verè recta voluntas, in qua Deus posuit suum thronum; & ideò sanctissima Virgo hujuscemodi voluntatis sibi conscia, & exultans exclamat Luc. 2. *Ecce* C *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Huc spectant verba Laurentij Justiniani *in serm. Purificat.* Beata mens Virginis per inhabitantem Spiritum sanctum, ac Magistrum Verbi Dei, semper in omnibus parebat imperio; non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio; sed quod intus annuebat ad fidem, foris corporis ministerio peragebat. Tota ergo Virginis voluntas, ut stilla aquæ in Oceanum vini demersa, in oceani transit naturam, penitus absorpta fuit, & instar liquidi metalli quod facillimè alteri commiscetur. In quo visa est repræsentasse admirabile sanctissimæ Triados consortium: in quâ etsi sint tres Personæ realiter distinctæ, voluntatem suam cuilibet Personæ consignemus realiter D distinctam: attamen impossibile est, Deum Patrem aliud velle, quàm velit Filius, & Spiritus sanctus; sitque in omnibus tribus eadem voluntas, sicut est eadem essentia. Quod nisi foret, dividi regnum trium Personarum, & imperium solvi posset, si coaluerat Virginis voluntas divino inserta beneplacito. Quare & illud 2. Zachariæ oraculum in sanctissima Virgine, ubi dicitur: *In gloria ero in medio ejus.* Sicut gloria Patris est in medio Filij, & gloria Filij in medio Dei Patris, & gloria Spiritus sancti in medio utriusque: sic gloria, & voluntas in medio cordis divini, & Deus in medio voluntatis Virgineæ; juxta illud Sophon. 3. *vers.* 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis: gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione*

Anima Virginis similis liquido metallo.

Quæ sit recta voluntas.

Virgo S. Triadis imago.

Voluntas Virginis, Dei voluntas fuit.

mensura, sine limitatione, in infinitum projiciens, & dilatans regnum suæ potentiæ, ut non solum Deiformis debeat, sed amor quodammodò Dei, & ex amore composita. Diximus quatuor gradus amoris sūmi, & quartus cùm sit summus, ex Richardo de Sancto Victore, ut æstuantis animæ desiderio jam omninò nihil satisfacere possit, humanæ possibilitatis metas excedit, crescendi (ut alii amoris gradus) terminū nescit, quia sēper invenit, quod adhuc cōcupiscere possit. Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat. Sitit, bibendo sitit. Esuries non sedatur, sed irritatur, dum voto suo, pro votis fruitur. Deinde ultimum spiritum trahit, & quidquid circà agatur, vel quidquid sibi fiat, non attendit, nec advertit: B solùm illi vivere Christus, & mori lucrum. Sic vivebat illa in Christo, & Christus in illa: moriebatur Christus pro quolibet homine; moriebatur & illa, ut omnes filio lucrifaceret. Vivebat ergò mortalis, quodammodò immortalis. Verùm quomodo mortalis, cui adimi vita non poterat, aut mori? aut quomodo posset mori, cùm ab eo, qui vita erat, separari non poterat? si enim Christi amator Paulus, Roman. 8. clamat: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Quid dictura Mater, si servus tantum ausus? erat immortalis in corpore mortali; sicut impossibilis in corpore possibili. An non impossibilis, quæ doloribus ebria, & quamvis mortem Filii, & quidem tanti, intimè perfossa telis persenserit; gaudens tamen senserit, & gloriata fuerit in Filii sui contumeliis, tormentisque. Tantum potuit amor animarum. Habitabat illa in Filio, tanquàm corde suo, qui animas, vivens, & moriens sitiebat. Et illa & vivens, & moriens clamabat: Sitio animas. Moritur Filius; moriar & morior & ego in illo; ut utriusque morte redimatur Orbis; ipsius ut causa primaria; mea, ut minus principali, & adjutrice. Mors Filiò præ magnitudine zeli pro voto fuit & vita; sic & mihi Matri: illi ut Orbis Patri; mihi ut Matri. Filius præ temulentiâ potentis amoris, in summis tormentis erat paratus semper se vivere, & mori; sic & Mater, & clamabat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Inseparabilis, & insuparabilis amor utriusque; & uterque sibi mutuum domicilium, Deus Filius in illam, & illa translata in Filium. Orat quippè, sancto Bernardo Doctore Sermo. 29. in Cantic. amor Christi, qui Mariæ animam non modò confixit; sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam relinqueret; sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratia plena, quæ tota, à dilectione erat vulnerata. Finio cum hoc. An non amoris principium à visione generatur? Planè. An non à visione contemplationis ignis incenditur? Planè. An non pro mensura visionis,

Zelus matris cum Filij comparatio.

A ita & mensura amoris? Planè. Nemo enim intensè videns Deum, non vehementer amârit, nec potest non amare. An non tunc desideria desideriis cumulata reardescunt magis? Planè. Nullus ponitur terminus sacro œstro, ubi non datur satietas voluptati. Corporum amor potitus victoriâ, pudendam trahit secum & tributariam satietatem, & lugendum fastidium: at amor Divinus semper in novas, & infinitè jucundas rapit amantem voluptates, quas recentibus semper cumulat, & acuit lætitiis, nec ibi potest timeri satietas, ubi semper præsto adest insatiabilis voluptas. Quantus ergò fuerit in Virgine zelus, quæ summo zelatori præbebat domicilium, & rubi instar ardentis, in quo Deus latens loquebatur, quæ etiamnum mortalis, crebrâ infiniti boni visione pascebatur, quâ plena flammato corde, & quasi cœlesti furore percita in hominum salutem rapiebatur, quam summè à Deo dilecto & viso sciebat exoptari. Huic itaque scientiæ coextendebatur zelus, qui necessariò ad quandam infinitatem quàm maximè transibat, cujus prævia dispositio, & fabricatrix scientia, infinitati esset propinqua. Deperibat ergo mortales infinito quodam amore. Quid mirum ergò, si Patres dicant, pro salute unius animæ si Pater annuisset, promptissimè cruci Filium suum unicum dediturum? Parum hoc est, etsi magnum. Erat cruentatura majus & pectus Maternum C purpuratura cruore, illachrymabili vultu, si unius animæ necessitas exegisset. Tanti apud illam pretii ex Filii dilectione, una anima, quem Filius vitæ suæ pretio dignatus fuit. In tantum autem efferbuit ebrietas zeli, ut nec ebrietas novam sitim ex se natam exstingueret, sed accenderet. Virginis pectus erat simile sacro altari, Levitic. 6. vers. 12. vel potius ipsissimum, in quo semper ignis ardebat æternus, quē summus Sacerdos, id est Christus Dominus continuis nutriebat alimentis. Magni & admirabilis zeli erant voces Pauli, quibus seipsum pro salute suorum devovebat: *Cupio*, inquit, *anathema esse pro fratribus meis.* Stupendi & admirabilis zeli Moysis pro suis servandis. D *Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ quem scripsisti.* Totus orbis canorâ voce deprædicat horum virorum igneum zelum. Hos exsuperat Virgo, & audet leges irato Deo dare. Non solum orat ut cœlum, quos terrores habet, in se detonet, aut quidquid carnalis carnifex, aut cruentus tyrannus fingere potest, in se ruat; non solum mortem orat pro homine: Occidam, inquit, ego, modo ille regnet vivatque. Verùm accedit thronum Divinæ Majestatis, & iratum Deum accedit, cùm fiducia loquitur, tonitrua vltricis iræ deprecatur: Absit, inquit, ut hanc rem facias, imitata proavum Abrahamum, Genes. 18. *Vt occidas cum impio justum, fiatque justus sicut impius.*

Visio Dei causa zeli.

Virgo pro salute unius animæ Filium crucifixisset.

Virginis zelus placat Deum.

Cerne

Cerne Lector in quam animosam fiduciam erigit charitas hominem zelo flagrantem. Ecce ut efferat hominem ultra hominem. Zelus suscitavit nobis Filium Advocatum apud Patrem; idem zelus apud Filium Matrem patrocinantem: totus ignis, & zelus Filius; tota ignea, & zelatrix Mater. Scribat Epiphanius in vita Eliæ, Eliam flammâ nutritum; qui zelosissimus pro Deo futurus bellator. Ardebat eloquium, & verbum illius, quasi facula ignis ardebat, Ecclef. 48. non quidem quòd flamma nutriretur, cùm in igne nihil vivere possit; sed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os subintrare, & illud colorare quasi pascere videretur. Sic & Dorotheus in Synopsi: Cùm nasciturus esset Elias, pater vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tamquam fasciis involui, nec non nisi flammâ ignis, velut cibis educari. Qualia non perpetravit perfecitque unus zelosus Elias? Verbo Dei continuit cælum; & dejecit de cælo ignem ter. An non idem in turbine ignis, & curru equorum igneorum in cælum receptus? Beati sunt qui te viderunt Eliam, & amicitiâ tuâ decorati sunt. Si servus præ zeli exuberantiâ dicitur in igne natus, fasciis igneis involutus, igne denique nutritus; qualem judicaris in corde Virginis fuisse, quæ ipsum Deum, qui se ignem nominat, in utero portavit, natum educavit, & igne quasi in medio triginta quatuor annis, & cum igne continuo commercio vixit? Non fuerit ergo mirabile, si omnes ad se venientes ignitis telis, quasi facibus accenderet. An non similis Filio, qui in terras venerat ignem mittere?

Virginis zelus ardentior zelo Eliæ.

§. III.

Ad quartum, & quintum, notabile superius.

IN Virgine semper penitissima, & consummatissima fuit, ut major esse non posset voluntatis suæ, cum divinæ concordia, & transmigratio totius sui affectus in ipsum summum bonum. De quâ perfectione Richardus *part.1. de gradib.* violentæ charitatis, sic loquitur: *Oblitus sic omnium animus, nescit seipsum, totusq; transit in ipsum Deum. Seipsum penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini conformatus, totus in aliam gloriam transit.* Vide quid intersit inter ferrum, & ferrum; frigidum scilicet & candens; ut candens ignis pulchritudinem, frigidum obscuræ noctis formam referat, ut incalescens transmutetur, & à seipso deficiat: sic anima divini amoris rogo succensa, & æternorum desideriorum globis undique circumsepta, primùm incalescit, seipsam paulatim exuit, sensimque incandescit, & tandem à seipsa deficiens colliquatur, & à priori statu penitus deficiens, in Dei transit voluntatem,

Anima zelo æstuantis status.

A & impletur illud Cantic. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Liquescit itaque tota. An non liquidis elementis forma imaginis impressæ statim evanescit, diffluitque mollitie? an non quælibet minimo motu coaptatur? omnis enim recipitur figura in mollissimo corpore. Sic anima liquefacta, & tota Deo cohærens, sigillo divinæ voluntatis signatur, ut forma Dei, non hominis propria, quæ jam diffluxit, conspiciatur. Talis fuit anima sanctissimæ Virginis à primo Conceptionis puncto, quo instar liquidi metalli omnem formam divinæ voluntatis, tanquam imaginem suscepit; quæ Deum, suis affectibus exclusis, velut in speculo repræsentabat. Hoc docuit Angelus S. Brigittam: *In eodem*

Anima Virginis similis liquido metallo.

B *puncto quo Diva Virgo Dei cognitionem habuit; ejus Virginis benedicta voluntas Dei servitio se subjecit; nam omnia quæ Deo placere cognovit, delectabiliter perficere statuit: intellexit enim sanctissima Virgo non suis meritis Deum creasse sibi corpus, & animam, & suæ voluntati libertatem contulisse, Dominicis præceptis humiliter favendi; aut etiam ipsis, si placeret, resistendi: & ideò decrevit humillima Virginis voluntas, quamdiu vita vigeret, cum omni charitate Deo famulari, quamvis nihil aliud sibi ab illo donaretur.* Sic Angelus. Verè cor rectum cum Deo, quando propter Deum, Deum quærit; verè recta voluntas, in qua Deus posuit suum thronum: & ideò sanctissima Virgo hujuscemodi voluntatis sibi conscia, & exultans exclamat Luc. 2. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Quæ sit recta voluntas.

C Huc spectant verba Laurentij Justiniani *in serm. Purific at.* Beata mens Virginis per inhabitantem Spiritum sanctum, ac Magistrum Verbi Dei, semper in omnibus parebat imperio; non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio; sed quod intus annuebat ad fidem, foris corporis ministerio peragebat. Tota ergo Virginis voluntas, ut stilla aquæ in Oceanum vini demersa, in oceani transit naturam, penitus absorpta fuit, & instar liquidi metalli quod facillimè alteri commiscetur. In quo visa est repræsentasse admirabile sanctissimæ Triados consortium: in quâ etsi sint tres Personæ realiter distinctæ, voluntatem suam cuilibet Personæ consignemus realiter

Virgo S. Triadis imago.

D distinctam: attamen impossibile est, Deum Patrem aliud velle, quàm velit Filius, & Spiritus sanctus; sitque in omnibus tribus eadem voluntas, sicut est eadem essentia. Quod nisi foret, dividi regnum trium Personarum, & imperium solvi posset, si coaluerat Virginis voluntas divino inserta beneplacito. Quare & illud 2. Zachariæ oraculum in sanctissima Virgine, ubi dicitur: *In gloria ero in medio ejus.* Sicut gloria Patris est in medio Filij, & gloria Filij in medio Dei Patris, & gloria Spiritus sancti in medio utriusque: sic gloria, & voluntas in medio cordis divini, & Deus in medio voluntatis Virgineæ; juxta illud Sophon. 3. *vers.* 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis: gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione*

Voluntas Virginis, Dei voluntas fuit.

mensura, sine limitatione, in infinitum proiiciens, & dilatans regnum suæ potentiæ, ut non solum Deiformis debeat, sed amor quodammodò Dei, & ex amore composita. Diximus quatuor gradus amoris sũmi, & quartus cùm sit summus, ex Richardo de Sancto Victore, ut æstuantis animæ desiderio jam omninò nihil satisfacere possit, humanæ possibilitatis metas excedit, crescendi (ut alii amoris gradus) terminũ nescit, quia sẽper invenit, quod adhuc cõcupiscere possit. Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat. Sitit, bibendo sitit. Esuries non sedatur, sed irritatur, dum voto suo, pro votis fruitur. Deinde ultimum spiritum trahit, & quidquid circà agatur, vel quidquid sibi fiat, non attendit, nec advertit: solùm illi vivere Christus, & mori lucrum. Sic vivebat illa in Christo, & Christus in illa: moriebatur Christus pro quolibet homine; moriebatur & illa, ut omnes filio lucrifaceret. Vivebat ergò mortalis, quodammodò immortalis. Verùm quomodo mortalis, cui adimi vita non poterat, aut mori? aut quomodo posset mori, cùm ab eo, qui vita erat, separari non poterat? si enim Christi amator Paulus, Roman. 8. clamat: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Quid dictura Mater, si servus tantum ausus? erat immortalis in corpore mortali; sicut impossibilis in corpore possibili. An non impossibilis, quæ doloribus ebria, & quamvis mortem Filii, & quidem tanti, intimè perfossa telis persenserit; gaudens tamen senserit, & gloriata fuerit in Filii sui contumeliis, tormentisque. Tantum potuit amor animarum. Habitabat illa in Filio, tanquàm corde suo, qui animas, vivens, & moriens sitiebat. Et illa & vivens, & moriens clamabat: Sitio animas. Moritur Filius; moriar & morior & ego in illo; ut utriusque morte redimatur Orbis; ipsius ut causa primaria; mea, ut minus principali, & adjutrice. Mors Filiò præ magnitudine zeli pro voto fuit & vita; sic & mihi Matri: illi ut Orbis Patri; mihi ut Matri. Filius præ temulentiâ potentis amoris, in summis tormentis erat paratus semper se vivere, & mori; sic & Mater, & clamabat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Inseparabilis, & insuparabilis amor utriusque; & uterque sibi mutuum domicilium, Deus Filius in illam, & illa translata in Filium. Orat quippè, sancto Bernardo Doctore Sermo. 29. in Cantic. amor Christi, qui Mariæ animam non modò confixit; sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam relinqueret; sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratia plena, quæ tota, à dilectione erat vulnerata. Finio cum hoc. An non amoris principium à visione generatur? Planè. An non à visione contemplationis ignis incenditur? Planè. An non pro mensura visionis,

Zelus matris cum Filij comparatio.

A ita & mensura amoris? Planè. Nemo enim intensè videns Deum, non vehementer amârit, nec potest non amare. An non tunc desideria desideriis cumulata reardescunt magis? Planè. Nullus ponitur terminus sacro œstro, ubi non datur satietas voluptati. Corporum amor potitus victoriâ, pudendam trahit secum & tributariam satietatem, & lugendum fastidium: at amor Divinus semper in novas, & infinitè jucundas rapit amantem voluptates, quas recentibus semper cumulat, & acuit lætitiis, nec ibi potest timeri satietas, ubi semper præsto adest insatiabilis voluptas. Quantus ergò fuerit in Virgine zelus, quæ summo zelatori præbebat domicilium, & rubi instar ardentis, in

Visio Dei causa zeli.

B quo Deus latens loquebatur, quæ etiamnum mortalis, crebrâ infiniti boni visione pascebatur, quâ plena flammato corde, & quasi cœlesti furore percita in hominum salutem rapiebatur, quam summè à Deo dilecto & viso sciebat exoptari. Huic itaque scientiæ coextendebatur zelus, qui necessariò ad quandam infinitatem quàm maximè transibat, cujus prævia dispositio, & fabricatrix scientia, infinitati esset propinqua. Deperibat ergo mortales infinito quodam amore. Quid mirum ergò, si Patres dicant, pro salute unius animæ si Pater annuisset, promptissimè cruci Filium suum unicum dediturum? Parum hoc est, etsi magnum. Erat cruentatura majus & pectus Maternum

C purpuratura cruore, illachrymabili vultu, si unius animæ necessitas exegisset. Tanti apud illam pretii ex Filii dilectione, una anima, quem Filius vitæ suæ pretio dignatus fuit. In tantum autem efferbuit ebrietas zeli, ut nec ebrietas novam sitim ex se natam exstingueret, sed accenderet. Virginis pectus erat simile sacro altari, Levitic. 6. vers. 12. vel potius ipsissimum, in quo semper ignis ardebat æternus, quẽ summus Sacerdos, id est Christus Dominus continuis nutriebat alimentis. Magni & admirabilis zeli erant voces Pauli, quibus seipsum pro salute suorum devovebat: *Cupio*, inquit, *anathema esse pro fratribus meis.* Stupendi & admirabilis zeli Moysis pro suis servandis.

Virgo pro salute unius animæ Filium crucifixisset.

D *Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ quem scripsisti.* Totus orbis canorâ voce deprædicat horum virorum igneum zelum. Hos exsuperat Virgo, & audet leges irato Deo dare. Non solum orat ut cœlum, quos terrores habet, in se detonet, aut quidquid carnalis carnifex, aut cruentus tyrannus fingere potest, in se ruat; non solum mortem orat pro homine: Occidam, inquit, ego, modo ille regnet vivatque. verùm accedit thronum Divinæ Majestatis, & iratum Deum accedit, cùm fiducia loquitur, tonitrua vltricis iræ deprecatur: Absit, inquit, ut hanc rem facias, imitata proavum Abrahamum, Genes. 18. *Vt occidas cum impio justum, fiátque justus sicut impius.*

Virginis zelus placat Deum.

Cerne

Cerne Lector in quam animosam fiduciam erigit charitas hominem zelo flagrantem. Ecce ut efferat hominem ultra hominem. Zelus suscitavit nobis Filium Advocatum apud Patrem; idem zelus apud Filium Matrem patrocinantem: totus ignis, & zelus Filius; tota ignea, & zelatrix Mater. Scribat Epiphanius in vita Eliæ, Eliam flammâ nutritum; qui zelosissimus pro Deo futurus bellator. Ardebat eloquium, & verbum illius, quasi facula ignis ardebat, Eccles. 48. non quidem quòd flamma nutriretur, cùm in igne nihil vivere possit; sed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os subintrare, & illud colorare quasi pascere videretur. Sic & Dorotheus in Synopsi: Cùm nasciturus esset Elias, pater vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tamquam fasciis involui, nec non nisi flammâ ignis, velut cibis educari. Qualia non perpetravit perfecitque unus zelosus Elias? Verbo Dei continuit cælum; & dejecit de cælo ignem ter. An non idem in turbine ignis, & curru equorum igneorum in cælum receptus? Beati sunt qui te viderunt Eliam, & amicitiâ tuâ decorati sunt. Si servus præ zeli exuberantiâ dicitur in igne natus, fasciis igneis involutus, igne denique nutritus; qualem judicaris in corde Virginis fuisse, quæ ipsum Deum, qui se ignem nominat, in utero portavit, natum educavit, & igne quasi in medio triginta quatuor annis, & cum igne continuo commercio vixit? Non fuerit ergo mirabile, si omnes ad se venientes ignitis telis, quasi facibus accenderet. An non similis Filio, qui in terras venerat ignem mittere?

Virginis zelus ardentior zelo Eliæ.

§. III.

Ad quartum, & quintum, notabile superius.

IN Virgine semper penitissima, & consummatissima fuit, ut major esse non posset voluntatis suæ, cum divinæ concordia, & transmigratio totius sui affectus in ipsum summum bonum. De quâ perfectione Richardus *part. 1. de gradib.* violentæ charitatis, sic loquitur: *Oblitus sic omnium animus, nescit seipsum, totusq; transit in ipsum Deum. Seipsum penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini conformatus, totus in aliam gloriam transit.* Vide quid intersit inter ferrum, & ferrum; frigidum scilicet & candens; ut candens ignis pulchritudinem, frigidum obscuræ noctis formam referat, ut incalescens transmutetur, & à seipso deficiat: sic anima divini amoris rogo succensa, & æternorum desideriorum globis undique circumsepta, primùm incalescit, seipsam paulatim exuit, sensimque incandescit, & tandem à seipsa deficiens colliquatur, & à priori statu penitus deficiens, in Dei transit voluntatem, & impletur illud Cantic. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Liquescit itaque tota. An non liquidis elementis forma imaginis impressæ statim evanescit, diffluitque mollitie? an non quælibet minimo motu coaptatur? omnis enim recipitur figura in mollissimo corpore. Sic anima liquefacta, & tota Deo cohærens, sigillo divinæ voluntatis signatur, ut forma Dei, non hominis propria, quæ jam diffluxit, conspiciatur. Talis fuit anima sanctissimæ Virginis à primo Conceptionis puncto, quo instar liquidi metalli omnem formam divinæ voluntatis, tanquam imaginem suscepit; quæ Deum, suis affectibus exclusis, velut in speculo repræsentabat. Hoc docuit Angelus S. Brigittam: *In eodem puncto quo Diva Virgo Dei cognitionem habuit; ejus Virginis benedicta voluntas Dei servitio se subjecit; nam omnia quæ Deo placere cognovit, delectabiliter perficere statuit: intellexit enim sanctissima Virgo non suis meritis Deum creasse sibi corpus, & animam, & suæ voluntati libertatem contulisse, Domini sui præceptis humiliter favendi; aut etiam ipsis, si placeret, resistendi: & ideò decrevit humillima Virginis voluntas, quamdiu vita vigeret, cum omni charitate Deo famulari, quamvis nihil aliud sibi ab illo donaretur.* Sic Angelus. Verè cor rectum cum Deo, quando propter Deum, Deum quærit; verè recta voluntas, in qua Deus posuit suum thronum: & ideò sanctissima Virgo hujuscemodi voluntatis sibi conscia, & exultans exclamat Luc. 2. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Huc spectant verba Laurentij Justiniani *in serm. Purificat.* Beata mens Virginis per inhabitantem Spiritum sanctum, ac Magistrum Verbi Dei, semper in omnibus parebat imperio; non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio; sed quod intus annuebat ad fidem, foris corporis ministerio peragebat. Tota ergo Virginis voluntas, ut stilla aquæ in Oceanum vini demersa, in oceani transit naturam, penitus absorpta fuit, & instar liquidi metalli quod facillimè alteri commiscetur. In quo visa est repræsentasse admirabile sanctissimæ Triados consortium: in quâ etsi sint tres Personæ realiter distinctæ, voluntatem suam cuilibet Personæ consignemus realiter distinctam: attamen impossibile est, Deum Patrem aliud velle, quàm velit Filius, & Spiritus sanctus; sitque in omnibus tribus eadem voluntas, sicut est eadem essentia. Quod nisi foret, dividi regnum trium Personarum, & imperium solvi posset, si coaluerat Virginis voluntas divino inserta beneplacito. Quare & illud 2. Zachariæ oraculum in sanctissima Virgine, ubi dicitur: *In gloria ero in medio ejus.* Sicut gloria Patris est in medio Filij, & gloria Filij in medio Dei Patris, & gloria Spiritus sancti in medio utriusque: sic gloria, & voluntas in medio cordis divini, & Deus in medio voluntatis Virgineæ; juxta illud Sophon. 3. *vers.* 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis: gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione*

Anima zelo æstuantis status.

Anima Virginis similis liquido metallo.

Quæ sit recta voluntas.

Virgo S. Triadis imago.

Voluntas Virginis, Dei voluntas fuit.

ALTERA PARS
XVI. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Zelo sanctißimæ Virginis.

Exigua tabella mundus, tenui oratione Virginis zelus indicandus

VT Zeli Virginei sublimissimam magnitudinem, & incomprehensibilem φιλανθρωπίαν oculis subiiciamus, pictores imitabimur, qui vastissima corpora, & & gigantum moles in exiguâ tabellâ. vivacibus coloribus adumbrant. Vel ut melius Archimedem æmulabor, qui cœli vastissimi machinam exiguo conclusit orbe. In magno labor est; magnum fuerit, maximi favillas incendii, vel interlucentem radium potuisse depingere. Verùm ut ad solis evomentis fulgurantes radios, oculi valentissimi retunduntur: ita & intellectus humanus, impar, magnitudine zeli, & molis oppressus, sese submittit, & quasi noctuabundus incedit. Verumtamē etsi nos vinci fateamur, non abiiciēdus est clypeus, innitendum est illi, & preces supplices Virgini litabimus, ut possimus, quod vehementer optamus, sui zeli Divinos ardores, ut par est, celebrare. Paucula itaque, quæ claritudinem zeli demonstrent, sunt studiosè præmittenda.

Primum.

Tantus quisque est, quanto Deo similior.

TAntum quisque propiùs ad Deum accedit, quantū Deo redditur similior, ut docet Augustinus in Psal. 99. *Quantum accedis ad Dei similitudinem, tantum proficis in charitate, & tantò magis incipis sentire Deum.* non enim locorum intervallis ad Deum acceditur, vel receditur: dissimilis factus es, longè recessisti, similis factus, proximè accedis. Et quæ creatura Deo similior fingi, aut dari potest, Virgine sanctissimâ, quæ proximè ad Deum accessit, non solùm propinquitate virtutum, verùm etiam sacro contubernio, & sui sanguinis sacratissimo commercio? Cùm igitur Deo fuerit simillima, vivacissimè in se Deum expressit. *Tantum enim*, ait Richardus de sancto Victore in Cantic. cap. 2. *in se Deum, quis suscipit, quantum ejus similitudinem assumpserit. nihil tam propinquum Deo, quàm ejus character, & similitudo.* Hanc autem similitudinem, ut nobilissimi spiritus cælestes in se repræsentēt, totis viribus allaborant. Hoc docet Divus Dionysius de cœlesti Hierarchiâ cap. 3. sacratissimęq; hujus functionis intentio est, *Deo, quantùm fieri potest, similem evadere, unúmque cum illo* A *fieri.* Virginis igitur anima cùm perfectiore in Deum raperetur intentione, quàm omnes beati spiritus, perfectiùs, consummatiúsque Dei similitudinem referebat, & infinitis modis nobilius se illustrandum, & illuminandum subiiciebat. Simillima ergo sanctissima Virgo Deo semper incedebat.

S. Virgo Deum in se optimè expressit.

Alterum

DIgnum observatione. Omnes virtutes elaborare, atque in nobis formare pro indolis ingeneratæ potentiâ, Divinæ Majestatis similitudinem. Justitia ergò & pietas, &
B misericordia, fortitudo, & ceterarum virtutum chorus, formationi Divinæ similitudinis assistit. Cùm autem fuerit anima facta justa, misericors, fortis, pia, sapiens, tantum in se Divinæ similitudinis imaginem reformârit, quantum virtutum harum fuerit consecuta.

Virtutes formant imaginem Dei.

Tertium.

Charitas perfectissimè imaginem in nobis format.

NVlla virtus ita hominem similem Deo efficit, ita hominem in Deum transformat, quàm charitas, quæ est animæ nostræ
C rectissima affectio, quæ pro flagrantiæ suæ magnitudine, similitudinem speciosiùs, absolutiúsque efformat, adeò ut incremento charitatis coæquetur animæ pulchritudo, & illâ diffluente, diffluat & illa, quandoquidem illa sit vera animæ pulchritudo, veraque formositas, quæ Dei decreto decernitur, ex amicâ propinquitate Dei, quam charitas conciliat, atque demeretur: tunc enim omnia, instar lunæ, quæ solis ex aspectu, solis induit lucem, transmigrāt in ipsius Divinæ pulchritudinis claritatem. Quanta itaque fuerit impressio amoris, tanta & erit expressio similitudinis:
D quantò fortius summo Deo per amorem inhæseris, tanto similior eris. Audi Dei Filium: Quantò te mihi impresseris fortiùs, tātò ego Christus in te formabor expressiùs, & tantò tu in me reformaberis, transformaberisque insigniùs.

Charitas animæ pulchritudo.

Quartum.

ANimam tunc supremum perfectionis attigisse fastigium, cùm voluntas humana,

Summum perfectionis est voluntatum concordia.

na ita Divinæ inseritur, ut nullo creaturæ motu, sed solo Divinæ voluntatis ad operandum nutu commoveatur, ita ut hoc pacto voluntas una, unusque spiritus ex duobus coalescat, & Deus in omnes actiones, ut cor vitales spiritus in cetera membra transfundat, dicique possit, Deum solum in ista anima regnare, cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus, sitq; idem velle, & nolle.*

Quintum.

Nobilissimũ omniũ operũ bene velle & bene facere.

IN hoc posita est coronis, & diadema consummatæ perfectionis, non solùm scilicet bene velle, verùm etiã benefacere, Ubi enim in terris est verus amor, & perfectus cum Divina voluntate consensus, ibi subitò ingens fames, & sitis magnorum operum suscitatur: incensa quippe voluntas per ardua hominem rapit: nihil inexpugnabile, nihil sibi laboriosum judicat: per omnia obstantia proruit, & lacessitam flammis internis, victrix omnibus dominatur. Sic Paulo: sic Francisco Xaverio unus non sufficiebat orbis. Quemadmodum Margaritæ Concharum partus, dum stimulante genitali aurâ, oscitatione quâdam se pandunt, & tunc roscido conceptu impletæ, pro qualitate roris accepti speciem ostentant, si purus influxerit, candorem eminentiorem conspici: si turbidus, minorem, & nubilum trahi: sic pro qualitate, & efficacia violentæ charitatis, & operatricis voluntatis, magnorum facinorum partus produci, edique.

Mira unionum generatio.

Signum eim veri amoris, teste Gregorio I. Regi lib. 2. cap. 4. *non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis, probatio enim amoris, est operum exhibitio.* Hoc docet sanctus Spiritus Canticor. 8. ubi sponsus ab amata sponsa unum poscit: *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quasi diceret: *Sigilla cor, & brachium, memoriâ, & amore mei, imaginem mei, in mente, & actione expressam conserves. Pone me ut signaculum*, hoc est, ut ait Guilielmus in Cantica hic: *imprime mihi intus, me jugiter cogitando; imprime mihi foris, propter me strenuè operando, ut pia cordis interna cogitatio, in externam brachii operationem emanet.* Hæc ille. Sit signaculum Christi in fronte, sit & in corde. In fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus: signaculum in brachio, ut semper operemur, ut tota species sponsi in nobis exprimatur. Sit oculus noster, ut per eum Patrem videamus: ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem: ipse dextera nostra, per quam Deo Patri sacrificium offeramus: ipse sit signaculum charitatis, quâ diligamus Patrem, quâ dilectus Filius à Patre, qui signatus fuit à Patre, Joannis 6. *Quem Pater signavit.* Christus ergò vult esse & monile pectoris, & armilla brachii: *quia*, ut ait Divus Gregorius hic, *in corde sunt cogitationes, & in brachio operationes.*

Vbi est amor verus, ibi & operatio.

Christus debet esse armilla brachij, & monile pectoris.

Super cor ergò, & super brachium, sponsæ dilectus, ut signaculum ponitur: quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate, & actione signatur. Signum quippè sancta mens, interiùs, & exteriùs Christum portat, quia dum in ejus meditatione assiduè laborat, in exteriore actione, eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse dubitari non debeat. Non sufficit ergò, spirantibus amoribus cor sustentare, nisi spirantes amores ad actus heroïcos prosiliant. Cor sit officina contẽplationis, & fornax ignium, in qua cuduntur arma, tela, fulmina, quibus cælum, & proximum petamus. Cælum, suspiriis amoris: proximum, lacertorum contentione. Vult Deus pro signaculo haberi primum in contemplationibus, deinde in actionibus: vult notam sui in omnibus impressam, tam cordis, quàm externis actibus; sicque erunt numismata Regia, non adulterina, sed notam Regiam præferentia. His præmissis, de zeli Virginei magnitudine dicendum.

Sancta anima duo facit, quæ si absint, non est amata.

§. II.

Probatur immensa magnitudo zeli indicibilis.

HÆc quinque præmissa, cùm eminentissimo modo, in Virgine sanctissima reperiantur, necesse est, Virginem summè zelatricem, & illam zelo supergredi omnium creatarum mentium zelum. Deus cùm sit summus zelator, necesse est & Virginem esse summè zelatricem, cùm sit Deo simillima, & illa in se perfectiùs Divinitatis formam exprimit, quàm omnes simul creaturæ conjunctæ. Quàm autem proximè ad Deum accesserit, sat dictum, cùm de Maternitatis titulo dictum. Primùm ergò sublimissimè in Virgine reperitur, sicut & secundum. Sicut enim Deus Oceanus est infinitus omnium virtutum: sic est Virgo circumflua fontibus irriguis omnium virtutum. Infinitè sapiens Deus, infinitè misericors, infinitè clemens, ut uno verbo absolvam, infinitè infinitus in omnibus bonis, sic & infinitè zelosus operum demonstratione. Quis negabit Matri hujus zeli quandam infinitudinem, cùm fateamur omnes eam versari in infinitis quodammodo Sanctorum, & omnium virtutum choris: non enim illi dimidiam regni partem, ut Assuerus amatæ Estheri, Deus obtulit, sed totum suum regnum, tanquam suæ amentissimæ Matri debitum, in die coronationis suæ consecravit.

Summa zelatrix Virgo quia Deo simillima.

Quia & possidet omnes virtutes.

Ad Tertium. Si ulla virtus in Virgine excelsa, & magnifica, est ipsa charitas, virtutum omnium Regina: flagravit enim in Virgine Charitas sine modo, sine mensura,

Quia plena & ardens charitate.

Cerne Lector in quam animosam fiduciam erigit charitas hominem zelo flagrantem. Ecce ut efferat hominem ultra hominem. Zelus suscitavit nobis Filium Advocatum apud Patrem; idem zelus apud Filium Matrem patrocinantem: totus ignis, & zelus Filius; tota ignea, & zelatrix Mater. Scribat Epiphanius in vita Eliæ, Eliam flammâ nutritum; qui zelosissimus pro Deo futurus bellator. Ardebat eloquium, & verbum illius, quasi facula ignis ardebat, Eccles. 48. non quidem quòd flamma nutriretur, cùm in igne nihil vivere possit; sed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os subintrare, & illud colorare quasi pascere videretur. Sic & Dorotheus in Synopsi: Cùm nasciturus esset Elias, pater vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tamquam fasciis involui, nec non nisi flammâ ignis, velut cibis educari. Qualia non perpetravit perfecitque unus zelosus Elias? Verbo Dei continuit cælum; & dejecit de cælo ignem ter. An non idem in turbine ignis, & curru equorum igneorum in cælum receptus? Beati sunt qui te viderunt Eliam, & amicitiâ tuâ decorati sunt. Si servus præ zeli exuberantiâ dicitur in igne natus, fasciis igneis involutus, igne denique nutritus; qualem judicaris in corde Virginis fuisse, quæ ipsum Deum, qui se ignem nominat, in utero portavit, natum educavit, & igne quasi in medio triginta quatuor annis, & cum igne continuo commercio vixit? Non fuerit ergo mirabile, si omnes ad se venientes ignitis telis, quasi facibus accenderet. An non similis Filio, qui in terras venerat ignem mittere?

Virginis zelus ardentior zelo Eliæ.

§. III.

Ad quartum, & quintum, notabile superius.

IN Virgine semper penitissima, & consummatissima fuit, ut major esse non posset voluntatis suæ, cum divinæ concordia, & transmigratio totius sui affectus in ipsum summum bonum. De quâ perfectione Richardus *part. I. de gradib.* violentæ charitatis, sic loquitur: *Oblitus sic omnium animus, nescit seipsum, totusq; transit in ipsum Deum. Seipsum penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini conformatus, totus in aliam gloriam transit.* Vide quid intersit inter ferrum, & ferrum; frigidum scilicet & candens; ut candens ignis pulchritudinem, frigidum obscuræ noctis formam referat, ut incalescens transmutetur, & à seipso deficiat: sic anima divini amoris rogo succensa, & æternorum desideriorum globis undique circumsepta, primùm incalescit, seipsam paulatim exuit, sensimque incandescit, & tandem à seipsa deficiens colliquatur, & à priori statu penitus deficiens, in Dei transit voluntatem,

Anima zelo æstuantis status.

& impletur illud Cantic. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Liquescit itaque tota. An non liquidis elementis forma imaginis impressæ statim evanescit, diffluitque mollitie? an non quælibet minimo motu coaptatur? omnis enim recipitur figura in mollissimo corpore. Sic anima liquefacta, & tota Deo cohærens, sigillo divinæ voluntatis signatur, ut forma Dei, non hominis propria, quæ jam diffluxit, conspiciatur. Talis fuit anima sanctissimæ Virginis à primo Conceptionis puncto, quo instar liquidi metalli omnem formam divinæ voluntatis, tanquam imaginem suscepit; quæ Deum, suis affectibus exclusis, velut in speculo repræsentabat. Hoc docuit Angelus S. Brigittam: *In eodem puncto quo Diva Virgo Dei cognitionem habuit; ejus Virginis benedicta voluntas Dei servitio se subjecit; nam omnia quæ Deo placere cognovit, delectabiliter perficere statuit: intellexit enim sanctissima Virgo non suis meritis Deum creasse sibi corpus, & animam, & suæ voluntati libertatem contulisse, Dominicis præceptis humiliter favendi; aut etiam ipsis, si placeret, resistendi: & ideò decrevit humillima Virginis voluntas, quamdiu vita vigeret, cum omni charitate Deo famulari, quamvis nihil aliud sibi ab illo donaretur.* Sic Angelus. Verè cor rectum cum Deo, quando propter Deum, Deum quærit; verè recta voluntas, in qua Deus posuit suum thronum: & ideò sanctissima Virgo hujuscemodi voluntatis sibi conscia, & exultans exclamat Luc. 2. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Huc spectant verba Laurentij Justiniani *in serm. Purificat.* Beata mens Virginis per inhabitantem Spiritum sanctum, ac Magistrum Verbi Dei, semper in omnibus parebat imperio; non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio; sed quod intus annuebat ad fidem, foris corporis ministerio peragebat. Tota ergo Virginis voluntas, ut stilla aquæ in Oceanum vini demersa, in oceani transit naturam, penitus absorpta fuit, & instar liquidi metalli quod facillimè alteri commiscetur. In quo visa est repræsentasse admirabile sanctissimæ Triados consortium: in quâ etsi sint tres Personæ realiter distinctæ, voluntatem suam cuilibet Personæ consignemus realiter distinctam: attamen impossibile est, Deum Patrem aliud velle, quàm velit Filius, & Spiritus sanctus; sitque in omnibus tribus eadem voluntas, sicut est eadem essentia. Quod nisi foret, dividi regnum trium Personarum, & imperium solvi posset, si coaluerat Virginis voluntas divino inserta beneplacito. Quare & illud 2. Zachariæ oraculum in sanctissima Virgine, ubi dicitur: *In gloria ero in medio ejus.* Sicut gloria Patris est in medio Filij, & gloria Filij in medio Dei Patris, & gloria Spiritus sancti in medio utriusque: sic gloria, & voluntas in medio cordis divini, & Deus in medio voluntatis Virgineæ; juxta illud Sophon. 3. *vers.* 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis; gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione*

Anima Virginis similis liquido metallo.

Quæ sit recta voluntas.

Virgo S. Triadis imago.

Voluntas Virginis, Dei voluntas fuit.

lectione sua, exultabit super te in laude. Siluit A Deus in dilectione Virginis, quia nullus ibi strepitus, nullus motus propriæ voluntatis, nullum signum contradictionis: movebatur Dei voluntas, movebatur & Virginis: operabatur Dei voluntas, operabatur & Virginis: ardebat voluntas Dei salutem animarum, ardebat & Virginis: videbat Filium mille mortes ambire pro unius animæ salute, ambibat & illa: Filius parturiit nos in cruce, parturiit & illa sub cruce. Unus erat in utroque spiritus, una anima, unus impetus voluntatis. Quare optimè destino Isaiam Prophetam *cap.49. Et vocabo eam sagittam electam.* An non ideò, quod nunquam aberrârit à scopo voluntatis divinæ? In Virgine ergo illud Isaiæ 62. completum: *Vocaberis voluntas mea.* Quemadmodum enim Deus Pater B præ nimio charitatis ardore Incarnationem Filij sui flagrabat consummari; sic enim dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; sic & Virgo Dei Patris beneplacitum contemplans, toto impetu votorum ferebatur in eandem. Hoc docet Bernardinus *serm.51.art.1. cap.3.* Ex charitatis ardore salvationis humanæ toto affectu desiderabat Incarnationem Filij Dei: nam & primus sanctificationis actus mentem hujus sanctissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum: ipsa enim fuit felix clausula totius expectationis, & desiderij, & postulationis adventus Filij Dei, in quo sicut in cono omnia præcedentia C electorum desideria fuerunt consummata. Indicibile, & super omnes ardores exæstuans fuit desiderium adventus Filij Dei.

Virgo sagitta electa.

Incarnationis sacra avida Virgo.

Verè sanctissima Virgo, voluntas Dei vocari debuit, & debet. Filius Dei volebat, juxta Paulum, omnes salvos fieri; pro omnibus enim mortuus est, & neminem vult perire. Eadem & voluntas Virginis, de qua Richardus de S. Victore *cap.26. in Cantic.* Tanta fuit Virginis charitas, ut non solum ad suam Gentem; sed ad ignotas Gentes, & ad omnes denique Gentes extenderetur. Pro omnibus solicita, pro his indesinenter orabat, & orando exaudita fuit, dicente Angelo: *Invenisti gratiam apud Deum*; gratiam scilicet quam quærebas. Omnium salutem desidera- D vit, quæsivit, & obtinuit; imò salus omnium per ipsam facta est: unde & mundi salus dicta est. Verùm unde illi tanta charitas? an non ideò, quia sciebat Deum ardere salutem animarum, & animas esse trophæa suæ misericordiæ? Anima ergo Virginis instar metalli liquefacti, quocumque via panditur, prono impetu ad inferiora devolvitur, & obvia quæque incendit, & in se transmutat; in Dei voluntatem transmutata, cui tota assimilata fuit.

Virginis zelus omnes attinebat.

§. IV.

Quantæ magnificentiæ, & quanti operis fuerit, Filium à Matre Virgine Deo litari, velut à Sacerdote?

POnderemus hujus actus nobilem magnitudinem, quem zeli magnitudo parturiit. Quare fides docet, cruentum in cruce peractum sacrificium, sortiri valorem, & dignitatem meriti infiniti? An non quia persona offerens, infinitæ est dignitatis, & actiones ejus infiniti pretij, & supremæ decentiæ, quibus mille, & mille mundi & emendi, & redimendi forent? Planè: quid enim majus Filio Dei? Ex certa ergo proportione, quo offerens victimam, est excellentioris, & divinioris conditionis, substantiæ, ac denique excellentiæ, tantò actus, & opus offerentis vehementiùs irradiat. Si ergo personam Virginis spectâris, Matris obtinet dignitatem, quâ nihil majus donari potest ab ipso, nisi Deum majorem posse fieri æstimâris? Quæ dignitas cùm sit infinitæ excellentiæ, quis negârit, non tantum deberi gratiæ, quantum dignitas Materna suo jure sibi deposcit? decet enim eâ nitere puritate, quâ sub Deo major nequit intelligi. Deus ergo eo Virginem amore est persecutus, quo major nequit excogitari. Deinde cùm amor, gratiarum fons est, quos gratiarum fontes in Virginis immensam animam credere cogimur inundasse? Mulier ergo amicta Sole adeò proximè ad Solem æternum, & justitiæ fuit accersita, ut quantum sine personali unione, patitur creaturæ conditio, luci inaccessibili videatur immersa. Dignitas ergo offerentis cùm sit proxima infinito, quis negârit & actum nobilissimæ Heroïnæ proximum infinitæ dignitati, & sub unione hypostaticâ maximum; ita ut nihil præter illam desiderari, aut deesse possit? Dixero aliquid amplius, & verè dixero substantiæ Virgineæ nec unionem hypostaticam deesse; per incarnationem enim unione hypostaticâ peractâ, divinæ Filij substantiæ, Virginis Matris substantia fuit unita, & incorporata; & ita incorporata, ut verè dicendum sit, Virginis offerentis substantiam esse Deificatam, & carnem Matris, carnem Dei effectam, & divinâ subsistentiâ subsistere. Nobilissima itaque offerens, nobilissima pariter oblati substantia: offerens, quia Filium suum obtulit, & dedicavit: & qui oblatus, unigenitus Dei Patris Filius, qui & idem est offerentis. Cùm itaque vitam Filij sui, qui & Dei est Patris, in bonum universi consecravit, an non obtulit pretium infinitæ dignitatis tam ex parte sua, quàm ipsius Dei? quid enim Filio Dei litari, libarique majus potuit? Nobilissima itaque offerens in se, verùm oblata rei substantia tanto nobilior, quantò ipsa Divinitas excedit omnium

Sacrificiũ Crucis quare infiniti valoris.

Dignitas operis multum pendet à dignitate personæ.

Actus hic Virginis immensæ dignitatis.

Quomodo Virginis substantia fuit Deificata.

omnium creaturarum dignitatem. Hujus igitur dedicatione victimæ, consummavit Virgo infinitæ virtutis opus, à quo tota generis humani salus dependet. Quare & illa, etsi Christus Dominus, nostræ redemptionis fuerit causa principalis; ipse verè, & absolutè redemerit; ipse satisfecerit debito per scelus Adami infinito; non tamen immeritò Virgo vocatur salus nostra, mediatrix nostra, & nostræ redemptionis cooperatrix: longè enim alio, & subliminori modo (ut ita altiori non posset) ad generis humani liberationem concurrit, quàm alia creatura divinâ etiam virtute potuit concurrere. Non est quod mireris: dedit illa quippe de suo, de sua substantia, de suo sanguine, quem Filius Dei, ut suum nobis, effundendo, est impertitus. An non Christi Domini sanguine vivifico balneati sumus? Sumus. An non ille Virginis sanguis, & substantia fuit? Fuit. Sanguine Christi quidem redempti sumus, verùm sanguine, qui Virginis fuit, ita ut verè dici possit: Interventu sanguinis Virginei redempti sumus, quem Filius à Matre Virgine sumpsit in Corporis sui fabricam. Concludamus: Pater æternus dedit nobis Filium in primarium, & perfectum redemptionis communis pretium: dedit & Mater eundem & suum. Cùm itaque communis utriusque Filius datus sit; an non certâ quâdam proportione tantum debemus Matri, quantum Deo Patri? Filius enim Dei tam clarè fatetur se Filium hominis, quàm Dei Patris: quâ & de causâ Filius obediens Patri usque ad mortem, & Matri fuisset obediens, Matre imperante, si forsan Pater mortem non imperasset: tantum enim Filius suo modo debet Matri in generatione humanæ naturæ, quantum Patri in generatione divinâ.

Quomodo Virgo vocatur salus orbis.

Quomodo Virginis sanguine redempti simus.

§. V.

Ardua difficultas. Vt Virgo hilari vultu Filium tot tormentis potuerit dedicare. In quo apparet summus zelus.

Summum tormentum Patri Filij occisio ante suos oculos.

Certum est, Virginem, nullâ cunctatione refugæ mentis, Filium suum cruentæ carnificinæ dedidisse, cùm tamen nullum tormentum majus à tyrannis inventum, quàm filios ante ora, & oculos parentum trucidare; & quantum tormentum, filios tradi suppliciis, ab ipsis summè amantibus parentibus, à quibus vitam acceperunt, & eorundem oculis spectari in conflictibus dolorum. Nabuchodonosor ut Regem Sedechiam summâ malorum ebrietate obrutum undique perfunderet ante oculos patris spectantis, jussit filios trucidari, 4. Reg. 25. nihil æstimans reliqui, quod summo dolori superaddi posset. Jussit deinde & patri suos oculos erui, perfodique,

A quasi supremi doloris spectaculo, & obsequio perfunctos. Pyrrhus ferali crudelitate ante oculos Priami Magni Regis Asiæ, filios trucidavit, tanquam ultimam tormentorum scenam. Narrat Epiphanius *lib. 5. contra hæreses cap. 2.* Genealogiam filiorum Nachor, scribitque patrem fuisse Thare, qui primus artem dolandi statuas invenit, & hoc pacto viam idololatriæ insanus aperuit. Non tulit ignotum scelus orbi iratus Deus, sed ultimo suppliciorum vindicavit. Et quali? In filios sæviens, superstitem suorum filiorum funeribus patrem reliquit. Supplicium ad id temporis inauditum; nullus enim filiorum morte suâ, patris mortem prævenerat. Hoc ergo supplicio infamis pater, perpetuo cruciatu lentè moriens vitam trahebat suam sine vita.

Priamus hoc tormentum passus.

Thare passus hoc tormentum.

B An non Agar sitis ardore deficiens, à se projecit filium, ne maternis oculis filiolum colluctantem cum morte spectaret? Genes. 21. Quomodo igitur tenerrima Virgo & Mater, cum cordolio, & canticordio suorum viscerum Filium summè amatum, & summè amans, stans sub cruce per tot horas, lugentem, suspirantem, clamantem, magnâ, & terrificâ voce exspirantem potuit spectare? quomodo eundem sic totum concisum, evisceratum ferè, & contusum potuit hilari vultu dedere supremo supplicio? Ingens quia hujus inquisitionis labor, ad divinæ potentiæ miraculum confugiendum. Asserimus ergo eam summo gaudio, summâque tristitiâ fuisse perfusam, & utroque affectu quasi ebriam. Verùm quo-

Qualis Virginis mens in crucifixi spectaculo.

C modo gaudium circa unum objectum, perfectissimam, eamque intensissimam admittet tristitiam, cùm circa aliud objectum id evenire non possit? Visio enim, & beata fruitio constituit animam in ultimo perfectionis statu, & suâ naturâ omnem excludit tristitiam. Divinâ itaque dispensatione factum, ut anima Christi Domini, gaudio, & tristitiâ, circa idem objectum tangeretur: gaudebat de divinâ bonitate, & suâ beatitudine: tristabatur verò de peccatis hominum, & sua morte. Quando igitur tristitia, & gaudium non versantur circa idem objectum, sub iisdem rationibus, non sunt propriè contraria, quia sub diversis rationibus movent, & pulsant intel-

In uno corde contrarij affectus.

D lectum, qui ex boni placito, vel mali displicentiâ movet, & afficit voluntatem. Gaudebat ergo Christus de morte, & de eadem tristabatur: tristabatur ut erat malum naturæ, & ejus interitus, de quo, ut hujusmodi non gaudebat: verùm gaudebat de fructu, quem mors tam indigna erat allatura: qualis erat orbis redemptio, restitutio paterni imperij, gloria, & dilatatio nominis sui, &c. Gaudebat ergo de morte, ut erat medium, paramentum, & inventio, & denique via ad hujusmodi fines perveniendi: & hoc pacto hi actus non erant sibi contrarij, quia non erant de eodem, secundùm idem. Instar oloris cantabat ad mortem procedens, tanquam victor, & triumphator: in horto jacebat prostratus ad mor-

mortem usque, secum depugnans in stadio sudoris. Agnoscimus & in Virginis anima, tum mirabili dispensatione divinâ, tum grandium virtutum præsidio, affectus humanos, utrimque in summo intensionis gradu convenisse: summum scilicet gaudium, cum summa tristitia: indicibilem remorantis, & tergiversantis naturæ motum: & indicibilem ejusdem naturæ, atque animæ concitatam agilitatem: tenacissimam Filij sui conservationem, & prodigam ejusdem Filij profusionem: summum & indicibile gaudium de Filij dilecti morte nefandâ, & indicibilem mœrorem: desiderabilia, & optata vulnera, & eadem detestabilia. Mors erat Matri, Filium mori; & eadem mors, illi vita erat; & non mori, mori. Quæ omnia tam contrariis motibus in uno corde Virginis duella peragebantur, ut mirum fuerit, non alterutro victam concidisse: vel summo inexpectato gaudio, quali obruta concidit mater, ubi filium reducem ex clade Cannensi vidit, & complexu vitam finiit: vel tristitiâ, quali alia mater ad nuntium mortui filij in eadem clade subitò collapsa expiravit.

In corde Virginis quale duellum.

§. VI.

Qualis fuerit donatio Virginis Matris ex summo zelo facta.

MAxima pars beneficij fuit, citra moram fuisse collatum: tantum enim gratiæ adimitur, quantum moræ adjicitur. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus hæsit. At illud jucundissimum, diuque in animo victurum, quod obviàm venit, quod ultrò offertur: imò bis gratum, qui & lætè facit, & induit sibi animi sui vultum. Talis

A fuit Virginis donatio, cùm Filium suum unigenitum dedit. Dedit sine dubitatione totum, citò, libenter, nec ad punctum deliberans, non est se passa rogari animosissima Regina; verùm ubi minimum divinæ voluntatis nutum præscivit, & quod amplius est, ubi cognovit; necessitatem rogandi prævenit, obviàm ivit, ultrò obtulit. An dubitas quod libenter, quæ tam paratè fecit? cessit amor Maternus nostræ necessitati, instar sagittæ electæ; ultrò proruit ad scopum divini nutus eminus ostensum. O Regium sacræ Virginis pectus! Nulla mora potuit tardare magnanimos amores sui zeli; omnis cura versa in studium Deo placendi, ut se, & Filium in victimam daret. Junxisse mortem, non pœna, sed vita fuisset. Hæc igitur omnibus numeris fuit consummatissima donatio; fuit enim in re ipsa, & substantia talis, ut major fieri non posset: fuit & in modo, & circumstantiis absolutissima, ut pura creatura, perfectioribus eam assequi non sit possibile: sicut enim Filij donatio, quâ se donavit Deo Patri in victimam, fuit liberrima, & ideò nobilissima: expeditissima, atque ideò gratissima; nullis implicata, vel restricta conditionibus, qua ex causa, liberalissima; quâ se totum cum omnibus, tam corporis, quàm animæ bonis donavit. Talis fuit & Virginis liberrima, expeditissima, liberalissima, quâ se totam cum toto suo Filio donavit. Hujus Virginis animo an unquam parem gratiam referet mortalibus, cujus donatio humano generi, causa salutis facta est? Sic Irenæus *lib.3. contra hæres. cap.* 38. Delectas orbem, ô Virgo prodiga Filij tui, & tuiipsius, cogitantem à quo acceperit beneficium; delectas magis, quod tale, cum quo omnia simul contulisti, & pro nimio zelo nostræ felicitatis, oblita tuæ, totum Filium, & totam teipsam donasti.

Donatio Virginis omnibus numeris consummata.

B

C

DECL.

DECIMÆ SEPTIMÆ CONSOCIATIONIS DE PVLCHRITVDINE DEI.

PARS PRIMA.

§. I.

PRIUSQUAM A de Dei pulchritudine, tanquam cœcutiẽtes noctuæ, lucis æternæ radios non ferentes, aliquid proferamus, paucula judicavi præmittenda: Longè aliter dici pulchrum & pulchritudinem in creaturis, quàm in Deo. In creaturis pulchrum & pulchritudo distinguitur in participantia & participata. Alij verò sic legunt distingui in creaturis in participationem & participantia: Pulchrum enim dicitur à Dionysio *de divin. Nominibus cap.* 4. quod pulchritudinis est particeps: B Pulchritudo verò participatio causæ omnia pulchra efficientis; sive idipsum quod participatur. Sicut dilectum est id quod particeps est dilectionis: dilectio verò idipsum quod communicatur. In Deo autem non sic: pulchritudo enim ejus vocatur ipsum pulchrum superessentiale, quia tribuit omnibus pulchritudinem pro cujusque modulo, in quantum est causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radij distributiones, lucis in morem afflat; omniaque ad se trahit & tota in totis quasi colligit; pulchrum verò tanquam semper existens, utpote numquam decrescens nec augescens, ut Dionys. *lib. 4. de divin. Nominib. An non Deus pulchrum secundùm se uniforme, quoddam pulchrum est immutabile, ipsum pulchrum sine principio, sine dissolutione atque defectione eodem modo semper existens? An non ideò dicitur anticipare omnem pulchritudinem, tamquàm qui ante creaturas fons sit & principium, causaq; pulchri; unde quoque excellentior continet in se omnem pulchritudinem. Etsi enim multa sunt pulchra, tamen ex ipso pulchra sunt, neque sicut ipse pulchra. Quî sic? quoniam ipse pulchrum est sine causa; ista pulchra sunt per causam & participationem. Nam Deus est quid pulchrum uniforme, quoniam ex ipso, quæ post ipsum pulchra sunt & quasi in qualitate obtinent pulchritudinem, quæ primo pulchro comparata quasi nihil sunt, etsi in se valde bona & pulchra sint.* Sit ergo hæc Regula: Pulchrum & pulchritudo non sunt in Deo distinguenda, in causa, quæ universa in uno complexa est. In creaturis pulchrum dicatur, quod pulchritudinis particeps est. Pulchritudinem verò vocamus participationem causæ omnia pulchra efficientis. Deus autem pulchrum vocatur, quod ex omni parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum, & tanquam existat secundùm eadem & ordinem: cujus causâ cuncta fiunt, & ab omnibus appetitur tanquam causa finalis & exemplaris, quia secundùm illud omnia definiuntur.

Vt pulchrũ & pulchritudo se habeant in Deo & creaturis.

Deus est ipsum pulchrum, atque ipsa pulchritudo.

Deus causa omnis pulchri.

Quid pulchrum in creaturis.

Cur Deus pulchrum vocatur.

Quis oceanum infinitæ pulchritudinis divinæ assequetur, qui creatæ sapientiæ pulchritudinem oculis non capimus, quæ suo fonti & oceano infinito comparata, vix gutta pulchritudinis dici potest? *Et tamen illa est speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum invenitur prior.* Sapient. 7. Diximus punctum additum lineæ, & finitum additum infinito, nullam superaddere magnitudinem. Quid enim infinito addi potest? Omnis universi

Pulchritudo creaturæ, divinæ comparata est quasi nihil.

niversi pulchritudo ad bonum pulchrumque pertinent; at bonum pulchrumque infinitæ pulchritudini comparata, nec bonum, nec pulchrum sunt. Sunt quidem adumbrationes nonnullæ ipsius pulchri boniquè, quod est causa principiumque omnis pulchritudinis. Multa pulchra sunt; Sol, Luna, nocturnique siderum ignes; pulchrum aurum, ebur; pulchra sunt corporum venustorum lineamenta, oculi radiantes, floridæ facies; pulchri veris fragrantis honores, florumque insatiabilis varietas: pulchra sunt terræ singula paramenta cum suo divite ornatu; at singula, pulchritudinis specula, à quorum pulchritudine Creatoris pulchritudinem contemplari possimus; non aliter, quàm si in Absalonis speciosissimi, vel Samsonis fortissimi statuam fortuitò incideris; mox ad illius pulchritudinem, hujus verò fortitudinem animum revocâris atque deflexeris. Formositatem ergo cæli & Solis, Lunæ, siderumque lucentes globos cum ingenti totius terræ florum apparatu ubi fueris contemplatus, exclames necesse: Quantò omnibus his speciosior totius creaturæ pulcherrimus opifex atq; Creator! Ipse enim fecit nos & hæc omnia; clamant creaturæ, & uti ipsi nos. Nos cæli, Sol, Luna, stellæ cum formosissima specie terrarum enarramus pulchritudinem summi Creatoris. In Deo enim est supremum omnium pulchrorum pulchrum, quod neque oritur, neque occidit: neque augetur, neque diminuitur; quod ubique est infinitè pulchrum, nusquam fœdum, in seipso existens absoluta pulchritudo, quæ omnia movet, trahit pulchritudinis suæ & lucis amore, cujus gratiâ omnia fiunt. Quid in theatro totius orbis ordine ad symmetriam & εὐταξίαν accuratissimam composito pulchrius? An non rerum universitas, insatiabilis venustas, quando illa cælestia corpora ita composito, ita distincto itinere progredi & rapi videmus, non aliter, quàm si manibus artificiosis regerentur? An ideò non κόσμος, id est, ornatus eximiæ pulchritudinis? An non ordo universi Deum tanti ordinis Patrem & concinnitatis opificem eloquitur? quem & Dionysius *de divin. Nominib.* τάξιν ordinem nominavit. Aspice cæli militiam, ut instar aciei benè ordinata incedat, & suis motibus ad numerum & suavissimum concentum agatur. Quid exercitus ordine carens, nisi, ut optimè Aristoteles *lib. 4. Politic. cap. 13.* ἄχρηστον τὸ ὁπλιτικόν, acies inutilis? Hunc ordinem Philo *de mundi æternitate admiratus*, aiebat, *omnes mundi partes divinitùs consecutas fuisse optimum situm & elegantem, ac veluti musicam ordinis concinnitatem.* Verè & benè. An non tota rerum natura & machina cæli pulcherrimo constat & regitur primæ causæ imperio? Cùm igitur singula tam curioso ordine cum sua pulchritudine digesta conspicimus, nónne statim ad pulchritudinis conditorem, ejusque notitiam provocamur? Hoc est, quod eleganter Augustinus *lib. 11. de Civitate Dei cap. 4.* præclareque disseruit. Mundus ipse in ordinatissima sua nobilitate atque mobilitate & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodò tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter & invisibiliter pulchro fieri potuisse proclamat.

Specula divina pulchritudinis sunt creatura.

Creatura enarrant Dei pulchritudinem.

Quale pulchrum sit Deus.

Quid mũdus nisi concentus.

Ordo universi musica.

Mundus clamat se à Deo factũ.

Quomodo ergo Dei pulchritudinem proponemus, nondum ingressi in potentias Domini? Pulchritudinem corporis depingimus, quia oculis eam spectamus, & eam describimus cum suis partibus, quia sub sensum cadit. Quomodo Dei pulchritudinem describemus, quam nemo vidit umquam? *Quid est aliud*, inquit Augustinus *Epist. 222.* ad Consentium, *justitia & virtus in nobis, quàm interioris hominis pulchritudo? Sicut Socrates in Philebo, & in convivio de amore orat. 2. pulchritudinem corporis depingit esse bonam illam concinnitatem in compositione membrorum, quæ floris instar superinductam sibi gratiam trahit, vel quod sit proportio & harmonia dissimilium in nobis partium.* Unde etiam aptè & congruenter per concentum in sonis demonstratur: nam & in musicis instrumentis alius quidem sonus est, qui per infimam cordam editur, alius qui per huic proximam, alius qui per summam, alius qui per huic vicinam: is autem qui ex omnibus promanat, concors numerus est: sic à dissimilium corporis partium proportione pulchritudo. Quod Basilius uno verbo dixit in Psal. 44. *Pulchrum est membrorum dispositione & harmonia gratiâ vigens.* Ut corpus ergo à colorum temperamento ex justa partium compositione suam pulchritudinem trahit; ita & pulchritudinem suam trahit anima à virtutis decore. Quam pulchritudinem facilè esset describere si oculis videri posset. An non infinita essentia, infinita ejus pulchritudo? Sapientia Dei, Dei sua pulchritudo? An non oceanus bonitatis, oceanus pulchritudinis, & incomprehensibilis justitiæ ordo, ejus pulchritudinis ordo & compositio? An non simplicissima ejus natura, simplicissima ejus pulchritudo, & cetera omnia attributa, quæ nostro modo concipiendi distinguuntur, omnia singula pulchritudinis sunt attributa? Et quamvis in Deo singula sint, attamen simplicissima & maximè una sunt; singula tamen singularem & tamen simplicissimam pulchritudinem, eamque infinitam demonstrant. Quanta erit ista pulchritudo sapientiæ? quanta infinitæ essentiæ, qualis quantusque oceanus pulchritudinis ab infinita bonitate & ceteris attributis infinitudine & immensitate incomprehensibili dimanabit? Plato felicissimum illum judicavit, qui ideam pulchri spectare posset. Quid ais Ethnice? felicitate eum donas, cui contigerit pulchri spectaculum? Planè, inquit. O si oculi veræ luce sapientiæ forent collustrati! quid tum dicturus, qui tenui rationis luce victus, verum fateris? Quàm felix, inquit, spectaculum fore putamus, si cui conti-

Quid pulchritudo corporis.

Musica comparatum pulchritudo.

Pulchritudo Dei ex suis attributis.

Singula attributa habent suam pulchritudinem, & tamen simplicissimã.

Beatus cui datum ipsum pulchrum videre.

contigerit ipsum pulchrum, sincerum, integrum, purum, simplex intueri! Non vitam istius parvi facias hominis, videlicet qui illud suspicit, qui tam præclarum spectaculum contuetur. Tanti æstimat Plato spectaculum veri pulchri, quanti æstimaret ipsam beatitudinem, quæ felicissimo partu & choro virtutum constat, sine quibus nihil boni pulchrique esse potest. Dicit ergo beatos, qui ad pulchri spectaculum admittuntur. Aristoteles verò ait, *tantam esse virtutis pulchritudinem, ut ejus conspectus mortis discrimine dignus sit cuni; cùm ait in hymno de laudib. virtutis: O virtus ardua laboriosaq. generi humano! pulcherrima vita inventio: tuam, ô Virgo, ob venustatem etiam in Græcia mori, in Græcia mors optabilis habetur, atque labores vehementes ac indefessos perpeti jucundum.*

Virtutis conspectus dignus morte peti.

B Quis mortem detrectabit, ut ipsissimam pulchritudinem infinitam videat, quæ in se continet omne pulchrum bonumque? An non Moyses accensus cupidusque videndi undique caligine obsessus exclamabat Exod. 33. v. 13. *Ostende mihi faciem tuam?* Et Philippus Joan. 14. v. 9. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Benè est: *Non enim* (inquit Deus Moysi) *videbit me homo, & vivet.* Verùm contingat mori, sufficit ut videam; moriar ut videam: pluris est vidisse, quàm vivere. Et quid mirum, si ipsi Angeli contemplatione tantæ pulchritudinis in sui fastidium maximumque contemptum descendunt? ut præclarè dicit August. *lib. de Civit. Præ cujus non solum incorporali, sed etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, omnia quæ infra sunt, & quod ille est, non sunt, seq; ipsos inter omnia despiciunt: ut ex toto quo boni sunt, bono perfruantur.*

Supremi spiritus pulchritudine Dei ebrij se spernunt.

C Et sanè beatissimos spiritus attentâ hujus pulchritudinis consideratione pulchriores effici, & ad illius pulchritudinem conformari, quis audeat dubitare? An rerum creatarum pulchritudine hoc perfici potest, quæ tamẽ ipso usu vilescit? an nõ in Deo hoc ubi eveniet semper accedit & crescit novus ascensus à pulchritudine ad majorem pulchritudinem, & gradus unius ad gradum ulteriorem, ut sic loquar, fit nova provectio in infinitam abyssum pulchri? Semiramis formæ pulchritudine adeò Regem Assyriorum dementavit, ut illam deperiens, munus, totam regiam Asiæque imperium ad quinque dies ac omnium potestatem petenti detulerit.

Semiramis sua forma dementavit maritum.

D An non fatali malo? Illa quippe rerum potens amantem & dolis formæ circumventum truncari jussit, & sic imperio potita est. Sic Ælianus *lib. 7. variar. histor.* An non Helenæ forma sapientissimorum Troianorum mentes adeò perstrinxit, subegitque, ut bello decennali cum ruina Imperij dignam judicarent? Mulier pretium tanti certaminis. Quanta vis fluxæ & caducæ formæ. Si una Bersabea vatem sanctissimum, quem nullus hostis fregerat, unico jactu oculi de mentis arce deturbavit; si Cleopatra tot duces Romanos, & invictum ferro Julium formâ vicit; si una Rachel per vigilias, æstus, frigora continuosque labores Jacobo ita præmium optabile fuit, ut septem anni præ vehementia amoris, formâ tantas flammas conciliante, breves viderentur; si Xerxes, qui habuit in suo exercitu bis & quinquagies centum octoginta tria millia hominum, teste Herodoto, tantæ pulchritudinis fuit, ut nemo in tanto numero formam adæquaret, omnes suâ specie percelleret, omnes traheret; si tyrannicâ dulcedine Herculem domitorem monstrorum Omphale Regina Lydorum domuerit; si tanta potentia formæ brevis & caducæ, formæ mentitæ & fallacis, formæ tantum coloratæ; quanta erit potentia formæ divinæ? quæ non exercebit regna & imperia in homines infinita pulchritudo, si daretur oculis spectari? quantò pulchrior corporeâ pulchritudine, quæ carnem cadaver futurum perituro flore pulchritudinis adeò exornat, ut ejus illecebris ebrios homines in furorem vertat; ut ad adspectum formæ, oris, oculorum, sceptra, diademata Reges, regnaq; submittant. Res plena fascinis, decus faciei prosternere, quos nulla acies ferrata stravit. Quantò pulchrior omnibus, qui omnia, quæ sunt, hac pulchritudine, & tamen inani & umbratili vestit? Et tamen hæc umbratilis cùm sit, sic rapit, sic sauciat, ut hominem homine exuat. An non rapiet & sauciabit omniũ formosissimus pulcherrimusque opifex? Ad adventum Helenæ prudentiores Troianorum, quasi signum darent instantis periculi, acclamabant: *Fugiamus, fugiamus; Helena venit.* ne scilicet fatali face corriperentur. Quomodo fugeremus vanas & inopes corporum formas, tanquam fatales faces, si Dei forma in conspectum veniret? exclamaremus cum nostro Ignatio: *Quàm mihi sordet terra, cùm cælum adspicio! Quid mihi est in cælo, & quid à te volui super terram?* Pulchritudo quippe Dei supergreditur omne imaginarium desideriũ, omne votum, omnes fines & terminos pulchri, & à sua pulchritudine sumit infinitam pulchri rationem, cùm singula attributa habeant suam infinitam pulchritudinem more nostro concipiendi. Deus comparationem nullam admittit, quia est supra omnium rerum genera, sine mutatione, quia æterna & immutabilis; pulchritudo verò creaturarum inane spolium temporis. Pulchritudo Dei summi boni splendor, & radius infinitæ essentiæ fulgens, qui non his oculis, at solâ mente capitur. Quare nonnulli pulchritudinem Dei, circulum vocant, divinæ lucis à bono manante, in bono residente: Deus enim quatenus ut bonum consideratur, procreat, regit, sese diffundit: ut pulchrum illuminat, gratiam infundit, mulcet, & magnos sui excitat amores, & in seipsum revertitur. Quare quo quis magis est particeps venustissimæ illius pulchritudinis, eò majori pulchritudine fulget. Et quia Angelicæ mentes ad pulchram omnium pulchrorum caussam amplitudine naturæ & intelligendi, amandique facultate propiùs accedant, pulchritudine cetera creata ante-

Helena forma regna stravit.

David victus fascino formæ.

Julius ferro victus à Cleopatra.

Xerxes forma omnes mulcebat.

Hercules domitus.

Ad Helenæ adventum signum fugæ dabatur.

Qualis sit Dei pulchritudo.

Pulchritudo Dei circulus vocatur.

Quò quis Deo vicinior, eò pulchrior.

antecedunt: cetera verò omnia alia pro naturæ capacitate inditam sibi à naturæ conditore pulchritudinem ferunt atque repræsentant. *Deus verò, juxta Dionysium, ipsa pulchritudo dicitur propter omnem, quam communicat à se conditis pulchritudinem, in omnibus fulgens, & omnia ad se vocans. Unde Græcè pulchritudo Καλὸς à vocando dicitur, tota in totis ad unum atque idem colligens omnia. Sicuti Sol lux dicitur, quia in cetera omnia corpora suum diffundit fulgorem, lucem illis affigens ad sui naturam qualitatemq́, quo ad fieri potest, trahens & convertens omnia: ita planè Deus in omnia pro captu cujusque suam diffundit & impertit pulchritudinem, ad illius venustatem & pulchritudinem trahens omnia.*

Quare Græcis pulchritudo καλὸς vocatur.

§. II.

Uberior illustratio.

Ab uno ente omnia.

SIcut ab uno simpliciter uno omnis numerus, & omnia entia ab uno simplicissimo procedunt, quod per summam simplicitatem necessitate absolutâ est sufficientissimum atque potentissimum, ceteris tribuens potentiam ad agendum, quæ quò potentiora sunt, eò plura efficiunt; unde patet, primum ens, primamque omnium caussam omnia peragere, habere imperium omnium, & quidem omnibus entibus semper præsentissimum. Unde patet ab ipso ente influxum in omnia entia manare. Deinde sicut ab ipso bono summo, ea omnia, quæ sunt, boni aliquid participant ut bona dici possint, quare infinita bonitas suo influxu, radios suæ bonitatis creatis rebus communicat atque impertit, ut rursum ad principium & originem bonitates acceptæ reducantur: ita & à summo pulchro flos omnis pulchri longè lateque diffunditur, ut pulchri possint esse capacia, & pulchra fiant, & ad fontem pulchri reducantur. Qui igitur unum & bonum & pulchrum vehementer appetit, necesse est per amorem uni summo bono summoque pulchro conjungi, & Deo similem fieri. Unde sic naturâ comparatum est, ut qui nondum videt, ipsum non appetat tanquam bonum: qui verò jam videt, oblectetur tanquam pulchro, admirationeque cum voluptate impleatur, aliosque affectus & amores irrideat, & quæ priùs habebantur pulchra, contemnat. Quidnam acturum putes eũ, qui ipsum auctorem totius pulchri spectârit; ipsum, inquam, in seipso purũ, neque carnibus, neque corpore gravatũ, neque terrâ nec cælo comprehensum. Adventitia sunt hæc omnia quæ videntur & ab ipso procedunt primo pulchro, quod qui consequitur, felicissimus evadet. Non est miser, qui pulchros colores, qui pulchrum corporum florem non consequitur, neque qui potentiâ excidit aut summis imperiis; sed qui æterni pulchri possessione spoliatur. An non dimittenda tota terra cum suis regnis, & cæli cum suo principatu projiciendi, amore summi boni pulchrique

Ab ipso summo bono omnia bona.

Ab uno pulchro omnia pulchra.

Aspectus veri pulchri inducit omnium verum odium.

Nemo miser nisi amissione summi pulchri.

A potiundi? Ut igitur tanto pulchro potiaris, opus est oculo intellectus perpurgato: non enim oculus videt Solem, nisi factus solaris; neque animus, nisi factus sit pulcher, ipsam pulchritudinem intuebitur. Efficietur autem divinus, si Deum & ipsius pulchritudinem sit aspecturus.

Ut videas pulchrum, purga oculum.

Quomodo ea, quæ sensibus objiciuntur, pulchra exprimeremus, nisi aliquando vidissemus, & tãquam pulchra percepissemus? Quâ ratione delineabimus quàm pulcher sit Justitiæ & Temperantiæ vultus? quâ ratione nec Hesperus, neque Lucifer adeò speciosus, nisi fulgorem intellectu præoccupaverimus? Et quomodo quis definiet æternam & infinitam pulchritudinem, qui nunquam in eam oculos B defixerit? quandoquidem illa sit pulchritudinum pulchritudo, quæ infinitis intervallis creatæ pulchritudini supereminet? Primum rerum principium idem est quod ipsum bonum; nihil enim melius ipso bono, nihil similiter primo rerum principio melius; absque mirifica itaque boni gratia nullæ res amant, vel amantur. Principium ergo amoris in mente humana generatur à fulgore boni, quod circumfusum pulchritudinis supereminente proportione concitat & latente harmoniâ provocat ad se sui spectatorem. Deus ergo cùm sit principium omnis boni, ex quo prima pulchritudo emanat, & quavis parte sui sit tota pulchritudo infinita, & quodlibet attributum divinum more nostro concipiendi omni C parte sui fulgeat infinitâ pulchritudine; v. g. Justitia suâ pulchritudine, & misericordia & amor & scientia & cetera attributa speciali & simplicissimâ pulchritudine. Quis ergo comprehendet infinitam pulchritudinem Dei, cùm unius attributi pulchritudinem, v.g. misericordiæ vel justitiæ, penetrare nemo possit? Pulchritudo ergo Dei, tamquam boni splendor, animam illius admirabundam per amorem clam vocat ad ipsum bonum; quando scilicet sic argumentatur, corpoream pulchritudinem tamquam deformitatem in continua nobilitate positam, esse summè imperfectam; ideoque ad incorpoream proficiscendum. Animus ergo saucius pulchritudinis divinæ voluptate, suum corpus non sentit ulteriùs, D aversaturque corporis sui commercium; & cetera circumjacentia, à vero bono animum detrahentia animadvertit. Quid precor detinet nos captivos, nisi formæ rerum corporearum, quibus tamquam tenebris præoccupatus intellectus, cœno carnalium voluptatum mergitur, ut lucem veri pulchri videre non possit? Quum pulchritudo igitur quælibet à quocumque ametur, semper appetatur sub ratione boni, necessarium est, ipsum bonum esse pulchritudinis principium amoris. Omnia enim pulchra sub ratione boni vehementer desiderantur.

Nemo novit pulchrum, nisi qui vidit.

Deus principium omnis boni ex quo pulchrum manat trahit.

Pulchritudo boni splendor.

Ascensus à corporis pulchritudine, ad animæ pulchritudinem ducit.

§. III.

§. III.

De pulchrorum genere.

Videamus varia pulchrorum genera. Pulchra inprimis & vehementer appetibilis corporum venustorum delineatio. An non species & pulchritudo unius faciei homini insidiosa, & acriter ferit intellectum? pulchritudo enim animæ est exemplar pulchritudinis, quæ apparet in corpore. Ferit & abripit, nisi meliori bono, pulchroque potentiore in contemptum fugacis boni teneatur obsessus. Formositas ergo corporum etsi fallax vanaque de pulchritudine vera stillam minimam participat. Deinde quis non numeret inter pulchra, ipsas artes ingenij & intellectus, quibus ea, quæ non sunt, datur ut sint, & formas accipiant quasi à natura fabricata. Quis nostræ ætatis pictores orbis totius facilè Principes non admiretur, qui naturam ipsam producendi homines peritam suo penicillo per stupendam colorum delineationem homines novos formando superant, vincuntque? An non noster Daniel Zeghers toto orbe notus, & aulis Principum ambitiosè quæsitus, omnia florum paramenta & terræ apparatus vivacibus coloribus donat æternitati? An non natura potens gaudet vinci potentiori genio? Ingens ergo pulchritudo artis pictoriæ. An non statuarij rudes moles & horrida saxa partim abscindunt, partim dirigunt, partim polituri abradunt, partim lævigant & abstergunt, donec in faciem exprimant speciosam? An non statuæ vivis corporibus speciosiores? Finge aliam incultam, finge & incompositam & artificiosi muneris expertem. An non illam alicujus gratiæ, vel magni Principis aspectu, quem ars ex omnibus pulchris congregârit, dignam judicamus? hanc verò indignam obtutu humano? Lapis ergo ab arte in pulchritudinem speciei dispositus, pulcher protinus apparebit. An non artis beneficio, quæ in artificis latebat pulchrior & formosior intellectu?

Animæ pulchritudo exemplar corporis.

Pulcher intellectus & ejus opera pulchra.

Ars naturæ victrix in picturis.

Pulchra ars statuarij.

Præter ergo pulchritudinem artis, quâ deformia pulchra fiunt, pulcher & pulchrior arte est intellectus, qui pulchritudinem artis possidet excellentiori modo, quàm exteriùs per artem expressum prodiit: omne enim efficiens secundùm ipsum oportet esse præstantius facto. Pulchram quidem artem necesse est esse, utpotè quæ quasi pulchra te rapit, quando visum est ingressa, & ibi spiritualis effecta; & tunc maximè, quando vehementiùs cogitatur, incendit amorem, ut oscula & amplexus polito lapidi non negentur. At quantò Luna formosior stellis, tantò his, quæ in homine dominatum tenet, est pulchrior ratio, à qua profluit pulchritudo naturæ. Hæc enim inserit hominem terrenum A cælestibus spiritibus, & in angusto corpore clausa spatiatur per omnia quæ videri, aut videri non possunt. An non pulcherrima rationis virtus, quâ Dei invisibilis naturam quantum datur potentiâ sui roboris indagat & in apertum profert arcana infinitæ sapientiæ consilia, & in abyssum rerum tam naturalium, quàm supernaturalium se librat, & audaci volatu cursus astrorum metitur, Solis & Lunæ labores, eorumque pernicitatem assequitur, & Planetarum ex mutuo concursu vim salutarem, aut noxiam novit augurari & prædicere. At quando ratio, quæ est mundi gemma, quæ & Judex, auriga, & oculus mentis est seipsa pulchrior? an non tum si sit in anima proba, & pulcherrimè composita; B nempe eam exornans, lumenque præbens à majore lumine, quod prima etiam est pulchritudo? pulchritudo verò animæ, pulchritudine virtutum ornatæ quanta sit, vix credi potest. quæ Deo, virtutibus clarescens, persimilis reddatur: animæ enim purgatæ species tota divina efficitur, unde illi fons effluit omnis pulchritudinis. Quàm formosa anima ex ratione vivens Temperantiæ virtute, dum bellum indicit corporeis voluptatibus, & tamquam impuras detestatur! Quàm formosa Fortitudinis virtute, dum libera metu mortis ad omnia fortuita stat inconcussa! Quàm formosa Magnanimitate, dum per contemptum rerum caducarum mortaliumque secura incedit! Quàm formosa Pru- C dentiæ lumine, & dote cæli, dum intelligens pretia rerum, inferiora declinat; & solum erigit se ad æterna! Quàm formosa anima Charitatis divinæ radiis, quæ proprium est animæ decus, illustrata!

Pulcher intellectus hominis.

Pulchra ratio hominis.

Potentia rationis.

Ratio seipsa pulchrior quando.

Pulchritudo animæ.

Formositas animæ virtus.

Rectè ergo dicitur bonum pulchrumque animæ in eo consistere; quippe cùm tunc solùm sit anima capax summi pulchri. At corporibus pulcherrimis & artibus, & ratione, & animæ pulchritudine (animam Christi & Virginis semper excipio) infinitis ferè modis sunt pulchriores supremæ illæ & incorporeæ mentes, quæ si specie differant, quantæ erit pulchritudinis supremus Angelorum Princeps, in quo uno & solo omnium inferiorum simul collecta pulchritudo coacerva- D tur? Attende Lector ad pulchritudinem summi pulchri. Infinitus tamen erit ascensus à pulchritudine summi Angeli ad ipsius pulchritudinis fontem & auctorem, & ab ultima specie ad speciei creatorem; infinitum denique chaos & intervallum, ita ut quasi instar stillæ sint futuræ omnes creaturæ ab oceano infinito distantes. An non stas attonitus Lector? Benè ergo Sapient. 13. vers. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* ubi Vaticana habent, *A magnitudine speciei vel pulchritudinis.* Complutensia, *Ex magnitudine enim & pulchritudine & creaturis.* Quid hoc est, *cognoscibiliter?* ἀναλόγως, id est, per comparationem, proportionem & collationem. Ex mole

Omnium pulchrorum pulcherrimus supremus Angelus.

Omnis pulchritudo, Dei comparata pulchritudini, est quasi nihil.

Ex creaturis Deus noscitur.

mole & magnitudinis & pulchritudinis disce A conditoris potentiam & pulchritudinem: ex operibus enim cognoscitur artifex, & ex effectibus causa. Quare pulchrè Trismegistus: *Quid est sæculum? Speculum divinorum, in quo resplendet divina Majestas. Quid est mundus, nisi lyra vel cithara, cujus citharœdus vel lyricen est Deus?* Ita Athanasius *orat. contra Gentes. Quid est orbis? Pictura variegata*, ait Augustinus 10. *Confession. cap.* 4. *cujus verus Apelles & pictor Deus.* Hinc Augustinus *serm.* 143. *de tempore*: *Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cæli, interroga ordinem siderum, interroga Solem fulgore suo diem clarificantem, interroga Lunam fulgore suo sequentis noctis tenebras* B *temperantem, interroga animalia, quæ moventur in aquis, in terris, quæ volant in aëre, latentes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, invisibiles regentes; interroga ista. Respondent tibi omnia: Ecce, vide, pulchra sumus. pulchritudo eorum confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis, pulcher in seipso?* Et sanè ita est. Mundus enim est liber divinitatis, in quo legitur potentia, sapientia, bonitas, & pulchritudo infiniti Dei. *Plena est terra gloria ejus.* Isa. 6. 3. & *cæli enarrant gloriam ejus.* Psal. 18. Vide Augustinum *lib.* 10. *Confess. cap.* 27. *Omnes ergo creaturæ clamant voce grandi: Ipse fecit nos, quem quæris in nobis est, ipse fecit nos; super nos quære eum, qui regit nos, qui fecit nos. Interroga omnes creaturas, respondebunt* C *tibi: Quanto pulchrior, qui nos pulchras fecit. Interrogatio creaturarum, profunda est consideratio earum: responsio earum, attestatio ipsarum de Deo, quoniam omnes clamant: Deus nos fecit. Omnes dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut inexcusabiles sint.* Quantus autem sit speciei generator, docet magnitudo universi, quæ collata suo conditori, nihil addit magnitudini sui conditoris: infinito enim quid addi potest? de quo suo loco. Quid umbra Solis, potest addere Soli? quid numerus unitati? illa est principium numeri sine numero: perfectum & absolutum quiddam est, nec numero augetur, nec diminuitur. Quid Dei potentiam & magnitudinem augebit? tantus est Deus, & tam pulcher sine mundo, quàm D cum illo. Lubet ergo cum Augustino exclamare, *lib.* 10. *Confess. cap.* 27. *Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova; serò te amavi: ecce intus eras & ego foris: & alibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam.* Quàm speciosa anima Dei pulchritudine! quàm deformis à Dei digressione! Quàm Deiformis & similis Deo virtute divinâ! quàm deformis vitiis deformata! Monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum.

Mundus speculum, lyra, cithara.

Omnes creaturæ loquuntur Dei pulchritudinem & Majestatem.

Habes clamorem creaturarum.

Dei pulchritudo augeri non potest.

Unitas seipsa excellit numerum.

§. IV.

Ad mores.

Inter maximum pulchrorum numerum est anima rationalis, quæ per corporis speculum nonnunquam tantos sui radios diffundit, ut unius vultus splendor concutiat universum. Sic coruscans vultus Principis Moysis, ex consortio sermonis Domini. Exodi 34. perterruit populum, ut ibidem dicitur *v.* 30. *Videntes autem Aaron & filij Israel cornutã Moysi faciem, timuerunt accedere.* Et quæ de causa? juxta Paulum 2. Corinth. 3. *v.* 13. *Ponebat Moyses velamen super faciem suam sicut Sol.* Matthæi 17. *An non & Christi facies resplenduit?* Quantus ergo splendor animæ, cujus pulchritudo est justitia, quam Paulus vocat (Rom. 12.) *novitatem mentis*, quâ homo ad imaginem Dei proximè reformatur, & fit divinæ pulchritudinis capax. Cùm igitur animæ pulchritudo non sit moles corporea, sed ordo justitiæ invisibilis, eò magis in justorum mentibus credendus est incomparabiliter pulchrior, quò est incomparabiliter justior. Ad videndam igitur pulchritudinem divinam non est opus oculis corporeis, sed oculis mentis; sola enim mens eam prospicit; quò purior illa, eò clariùs ipsa pulchritudo videtur. Quemadmodum Sol, fons lucis exsuperantiâ claritudinis, oculis; ita illa mentis oculo, qui est intellectus, (in cujus altissima operatione ipsius beatitudo sita est) contemplandam sese offert. Et sicut ad visionem duo necessaria concurrunt; organum videndi suis numeris aptè concinnatum; deinde objectum accommodatum & certâ proportione propositum. Quare si in organo sit vitium, v. g. si oculus sit lippus, si malè sanus, si membranulis obductus, minus clarè videbit: & si objectum fuerit inconveniens, disparatum, remotius, absens, vel ob viciniam nimium feriens, organum sensus destituetur operatione suâ. Cùm itaque Deus sit suum esse incircumscriptusque atque immensus infinitusque; ita ut nullis figuris, nullâ similitudine obumbrari possit, indiget intellectus luce & lumine gloriæ. Sicuti oculus sanus ut flores rerumque colores intueatur, necesse est candore lucis ut adjuvetur; sic intellectus illustrari debet lumine gloriæ ut infinitam pulchritudinem Dei contemplari possit; prout dicitur à Propheta Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, non per essentiam alienam, aut figuras vel umbras, sicut Moyses vidit in caligine, qui in hac vita aliter videri non potest, sed facie ad faciem. Vis ergo in hac vita videre illam pulchritudinem, quantum fieri potest, removeatur ignorantia, removeatur cujuscumque creaturæ cognitio. Duæ quippe viæ non cognoscendi: Una via negationis, vel ablationis; puta, Deus non est mortalis, egenus, miser. Altera emi-

Iustitia est animæ pulchritudo.

Oculus mentis quò purior eò videt Deũ clarius.

Duo necessaria ad visionem.

Lumine gloriæ eget intellectus sicut oculus luce.

Ad videndum Deum duo necessaria.

Duæ viæ cognoscendi.

eminentiæ, quia scilicet creaturarum omnium perfectionem continet: quarum una sine altera non sufficit. Unde D. Dionysius 2. *de mystica Theologia*: *Imaginem*, inquit, *facientes ex ligno vel lapide, auferunt ea quæ superjecta sunt, atque ita occultam manifestant formam: sic faciendum est ei, qui vult videre Dei pulchritudinem; auferre scilicet omnia idola, imagines rerum, creaturarumq; cognitionem, quæ cognitio tenebræ sunt & caligo, quia dum mens humana ineffabiliter Deum cognoscet, ab eo amovet omnium creaturarum umbram, & ex illa caligine ascendit in aliam divinæ Majestatis cognitionem, quæ posuit tenebras latibulum suum, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Job itaque attonitus diffidit se posse videre, dum ait: *Quia altior cælo, profundior inferno, latior mari, longior terrâ.* O quàm grandis & profunda caligo! Hinc Dionysius *scientiam inaccessam* vocat. At intellectus illuminatus videbit eum sicuti est & tunc similes ei erimus. Cui igitur plus luminis concessum, clariùs videbit, ille autem habebit plus luminis, qui plus habuerit charitatis; ubi major charitas, ibi majus desiderium, quod desiderium infinitæ pulchritudinis satiabitur adspectu, quia incomprehensibilis est pulchritudo ejus cogitatu, nec est metuendum, ne satieris, & sic mutata voluntas aliò feratur. *Non erunt*, inquit Augustinus, *ultim. de Trinit. volubiles nostræ voluntates, aut cogitationes, ab aliis in alia euntes, atque redeuntes.* sed omnem scientiam (addo ego) omnem pulchritudinem simul uno conspectu videbimus: non quod totam; quia major, quàm finito oculo capi possit, & fruemur ibi æternâ voluptate, quam etsi mortales, qualis sit futura, fingere non possumus; non putemus tamen in solo sensibili atque materiali voluptatem consistere; imò fortiùs atque jucundiùs circa immaterialia voluptas sincera versatur. Bonitas enim & perfectio & pulchritudo rei immaterialis major est atque perfectior; & conjunctio intimior & apprehensio nobilior & voluptas excellentior. nam res

Per negationem & eminentiam Deus noscitur.

Remotio creaturarũ necessaria.

Pro luminis gradu, gradus visionis.

Nullum ibi fastidium oriri poterit.

Voluptas mentis pura.

Cur voluptas major quæ incorporea.

A intellecta intellectu possidetur, & tota comprehenditur, & perfectiùs & nobiliùs possidentem exhilarat.

Non putet ergo prudens Lector, quòd hæc delectatio sit delectatio asini, & quòd intelligentiæ, quæ jam sunt Domino sæculorum unitæ, omni delectatione careant, & quòd propria pulchritudo Domini sæculorum, quæ est ei in regno suo, & sua virtus, quæ est infinita, non sit illi in ultimo gradu nobilitatis, excellentiæ & suavitatis. Inest illi summa delectatio, cujus nostra simulachrum, & umbram tantum gerit, & à longè infinitis gressibus distans salutat, quantum infinitum finito, & spiritus corpore nobilior. Confugiamus ad illud pulchrum, cujus hæc pulchra, quæ sensibus subjacent, B imagines sunt, vana vestigia, futiles & inanes umbræ, & vix summi pulchri impressa vestigia. Umbræ sunt, quia citò transeunt.

Ponamus ergo exuvias sordidi corporis, quibus delectamur, ut similes Dei efficiamur: in hoc enim pulchrum, bonumque consistit. An non omnia bonum, pulchrumque expetunt? Cur ergo Deum, qui omne bonum & pulchrum est, non expetis? cur non sitit anima tua ad Deum, fontem vivum? cur non cupis dissolvi & esse cum Christo? cur non æstuas infinito desiderio infinitæ pulchritudinis videndæ? cur non exclamas cum Augustino: *Serò te amavi, pul-* C *chritudo mea tam nova & antiqua!* Quid est, quæso, pulchritudine divinâ admirabilius, quæ inexplicabiles è fulguratissimo suo fonte delicias effundit? Quid rapacius infinito pulchro, quod suo decore eblanditur omne mentibus nostris corporis bonum? Quid potentius, cujus voluptas in animo ebulliens omnes effervescentes corporis trucidat voluptates? Unge collyrio oculos tuos, sint oculi tui columbarum & genæ turturis, ut videas omne pulchrum, quod est & omne bonum.

Non est ibi delectatio qualis asini est.

Infinito intervallo voluptas pulchritudinis divinæ distat à carnis voluptate.

Omnis pulchritudo humana non meretur nomen pulchri.

Pulchritudo divina trucidat omnem florem carnis.

ALTE-

ALTERA PARS
XVII. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Pulchritudine Virginis.

INFINITI Dei infinitam pulchritudinem, ut incomprehensibilem, ita & ineffabilem credimus & fatemur: ac proinde omnē creatam, quamvis omnibus numeris absolutam, si cum illa conferatur, minorem quàm terra sit respectu cæli, quæ instar puncti est, planè cognoscemus, de qua nullus est sermo, quia vix ejus ulla notitia. Verùm cùm omnes creaturæ, & quidquid cælo, terrâque magnum & excelsum, cum inæstimabili Virginis dignitate & pulchritudine in comparationem venire non possit, ac proinde omnis decor & ornatus, tam interior, quàm exterior, virtus cedat; mirum videri non debet, si dixerimus nonnulla quadam proportione, ad Dei, facti hominis imitationem consurgere; & ideò nostris conceptibus incomprehensibilem & ineffabilem. *Ad rationem pulchri, seu decori,* ut ait Dionysius *4. de divin. Nom. concurrunt claritas, & debita proportio.* Unde & D. Thomas *quæst. 143. art. 2.* ait, *quod corporis pulchritudo in hoc consistit, quòd conversatio hominis sive actio ejus, sit benè proportionata secundùm spiritualem rationis claritatem.* Et Augustinus *lib. 83. quæst. 30. to. 4. Honestum,* inquit, *voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos propriè dicimus.* Unde etiam honestum secundùm quod habet spiritualem decorem, appetibile dicitur, & permovet homines in sui amorem. Duabus ergo partibus constat pulchritudo; in quadam scilicet claritate, & debitâ proportione, ut dictum est. Utrumque horum D. Thomas *q. 180. art. 2. ad 3.* dicit *radicaliter in ratione inveniri, ad quam pertinet & lumen manifestans, & proportionem debitam ordinans.* Ideò in vita contemplativa, quæ consistit in actu rationis, per se & essentialiter invenitur pulchritudo. Unde Sapientiæ 8. dicitur: *Amator factus sum formæ illius.* In virtutibus autem moralibus invenitur pulchritudo, in quantum scilicet participat ordinem rationis. Quas virtutes morales, cùm celsiùs ire non possent, Ethnici vehementer admirati, vehementiùs deprædicârunt. Unde & Tullius, *lib. 1. Offic. Formam,* inquit, *ipsam, & tamquam faciem honesti vides, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores,* ut ait Plato, *excitaret Sapientia.* Inde est, quòd virtus Castitatis maximè hominem reddidit idoneum ad contemplationis dignitatem, in quantum delectationes venereæ maximè deprimunt sensum ad sensibilia. Duplex ergo proximè ineffabilis fuit in Virgine sanctissima pulchritudo: Animæ imprimis, quæ constat consurgitque ex infinitarum gratiarum, & virtutum infinito ferè numero; deinde corporis, quam decuit Deum ad supremum gradum perfectionis in ea provehere, quam volebat esse Matrem Filij sui.

Pulchritudo Virginis vincit omnia pulchra.

Ad rationem pulchri duo necessaria.

Claritas, & debita proportio, partes pulchri.

Mira pulchritudo virtutum moralium.

Duplex in Virgine pulchritudo.

§. II.

De pulchritudine, & formositate Virginei corporis.

SCio corporis pulchritudinem, minimum esse donum: donum tamen est; nam & ipsa virtus in formoso corpore pulchrior: & Sol pulchrior cùm innube cælum. Formositatem itaque Virginis ex doctissimis Doctoribus in theatrum, & productam, & spectandam proponamus. Scio breve donum exigui temporis: scio & spolium, ut bene Seneca in Hyppolito:

Non sic vere novo prata decentia
Æstatis calida dispoliat vapor,
Sævit solstitio cùm medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis
Languescunt folio lilia pallido
Et grata capiti deficiunt rosæ,
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaq; non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est, forma fugax.

Scio anceps, fallaxque mortalibus bonum. An non bene Juvenalis Satyra 10.

———————— *Filius autem*
Corporis egregij miseros, trepidosq; parentes
Semper habet, rarò est adeò concordia formæ
Atque pudicitiæ sanctos licet horrida mores
Tradiderit, domus ac veteres imitata Sabinos.

Xenophon ignem vocabat formam: *Ignis,* inquit, *tangentes solum urit.* Pulchri verò procul distantes inflammat. Plutarchus *lib. de amore.* & Sleusippe apud Maximum *sermon. de pulchro:* Acutius omni telo vulnerat, imò est arundo cordi infixa. Socrates vocabat modici temporis tyrannidem. Carnea-

Corporis formositas donum naturæ.

Breve donum.

Donum anceps.

Philosophorum judicia de forma corporis.

Carneades rogatus, quidnã esset forma hominis: *Regnum*, inquit, *sine satellitio; impetrat enim omnia, nullâ vi adhibitâ.* Vide Stobæum. Theophrastus vocat *tacitam, aut silentẽ fraudem.* Theocritus eburneum detrimentum. Deinde (ubi diu, multumque secum deliberasset) pronunciavit, quod grata sit aspectui & multorum malorũ causa. Scio tamen naturę donum, & ideò Plato apud Stobæum ser. 63. vocat naturæ prærogativam, quod paucis contingat. Aristoteles solitus vocare *donũ naturæ*, quia gratia formæ à natura contingit, & quàvis epistolâ ad commendationẽ fit efficacior. Heliodorus l. 1. *Nobilitatis, & pulchritudinis species eâ vi pollet, ut prædonũ corda emolliat, moresq; efferos domet, atque in obsequium ducat.* Deinde l. 2. *Neque si sub terrã occultata latuerit: etiam illinc in lucem prodiret.* Et sanè à vero esse videtur: sæpe enim facies non verba perora, & sapientiæ corcula dementat.

Formositas naturæ prærogativa.

Potentia pulchri.

Nihilominus tamen forma corporis, dignitas oris, frontis gravitas, vultus Majestas, fulgor, vigor, acumen oculorum spectantes movet, detinet, sibique conciliat, & virtutis latentis pulchritudinem foris ostentat. Formosos etiam barbaricæ manus verentur. Si de principe judicium statuendum, ex virtute, & moribus faciendum: attamen forma in principe splendore virtutum sociata, est gẽma in annuli palâ, est novus decor, & Majestas. An non Scipio Africanus formæ dignitate barbaris venerationi? ut meritò sicut Demetrius Phalaræus, χαριτοβλέφαρος χαισολεφαρος, ut est apud Laertium l. 5. vocari debuerit. An non fortissimi Principes, & pulcherrimi? Curtius in Alexandro lib. 6. siquidem hominibus barbaris in corporum Majestate veneratio est, magnorũque operũ non alios capaces putant, quàm quos eximiâ specie fortuna dignata est. Traianum Agarenos obsidentem etiam posito cultu Regio, generosa canities, & oris Majestas, ut Principem prodidit, periculoque sagittarum objecit. Dignitas, & virtus ex facie statim elucet. An non Ulyssem naufragio ejectum in litore nudum vestibus, virtutibus tamen ornatum, Phæacum multitudo conspiciens ceteris fortunatis Phæacensibus venerabiliorem admirata est? Quid Augustum Cæsarem à præcipitio servavit, nisi forma eximia, & omnis lenocinii negligens? Vide Suetonium. Erat, inquit, vultu, vel in sermone, vel tacitus adeò tranquillo, serenoque: oculos habuit tam claros, ac nitidos, quibus existimari volebat aliquid Divini vigoris inesse: ita ut plures vultum submitterent quasi ad fulgorem solis. Hunc virum in præcipitiũ erat acturus per simulationem colloquii ex primoribus Galliæ in Alpium transitu: at impium formæ Regiæ dignitas cohibuit. Non prætermittenda ergo Majestas, & pulchritudo corporis Virginei: si enim forma Reges decet, & decuit; cur Virginem cæli, & terræ Principem non decebit? An non

Pulchritudo decet principem.

Est gemma in annuli pala.

Barbari mirantur principis speciem.

Pulchritudo ab exitio vendicat.

Pulchritudo Augusti Cæsaris.

Virginem decet pulchritudo.

A summa mentis, & corporis cognatio? An nõ plerumque iis insunt præstantissimæ animi dotes, qui formâ corporis excelluerunt? An non species corporis, mentis est simulacrũ? figura probitatis? An nõ, teste Lucretio l. 15. in constituendis Regibus facie multum valuisse? An non Maximilianus Primus Imperator staturæ quadratæ Majestate resplenduit? nemo non hunc Imperatorem esse, etiam externus inter triginta Principes anteà nõ visum agnovisset: tantâ erat oris probitate, tantus in vultu Cæsar. An non lex Moysis, deformes arcebat à sacris? An non Augustinus lib. 15 de Civit. Dei c. 23. ait *speciosos bonos vocari, quod Græci tritum dum καλὸν ἀγαθὸν vocant παρὰ τὸ καλεῖν quasi omnes ad se vocet, & permulceat.* Et ut Dionysius ca. 4.

Decus ingens, species honora.

Pulchri, boni dicti.

B de Divinis nominibus ἐφ᾽ ὁ πάντες θέομεν ad quod omnes currimus. Sit igitur Virgo omnium creaturarum nobilissima pulcherrimaque ex corpore, & animâ à summo opifice composita, & infinitę sapientiæ adminiculis in summum spectaculum elaborata. Demus corpori summã formositatem. Laus unius sine alterius quomodo nobis sufficiet? An corpus, nisi animâ vegetante subsisteret? an anima, nisi corporis adminiculo regnaret? sociata sunt, & se inuicem sustentant officiis, reciprocis amoribus, & commercio refluo quasi in parva Republica sibi obsequuntur, & Rex animus corpori suam vitã, & vigorem impertit: corpus animæ se substernit in omne imperium. Cùm igitur utra-

Omnes trahit vocatq; pulchrum.

Corpus & anima sibi subserviũt.

Partes animæ.

C que pars cognatis virtutibus ornetur, anima quidem justitiâ, sapientiâ Dei, fide, spe, charitate in Deum, & ceteris virtutum cælestibus dotibus: corpus autem viribus, sanitate, colorum gratiâ, vultus amœnitate, tranquillis facibus oculorum micantium, capitis crispâ cæsarie, quadrata statura splendidè exornatur. Quid ergò magis rationi consentaneum, quàm pulcherrimum Virgini tutelare Palatium, in quo beatissima anima hospitaretur, consignare? Omnium ergò opinione corpus pulcherrimum à summo Architecto Fabricatũ. Astrologi multi, qui arcana naturæ subtiliùs sunt perscrutati, docent nobiles causas cælestibus arcanis inferri, & augustissima quæque, spem suam de cælo trahere;

Partes corporis.

Dotes utriusque.

Corporis formosi delineatio.

D sive Divinus ille spiritus animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium: sive cùm venerit, pro habitu suo figere habitaculum; sive alterum ex altero crescere. Hæc illi. Sic speciosissimum corpus Salomoni datũ Et cur non Virgini, si servo?

Stupenda astrologorum judicia de contubernio utriusque.

§. III.

Ad mores, de pulchritudine. Tragicum opus, formosi Corpus. Veri formosi quis sit ornatus?

Epictetus l. 3. c. 1. sic ratiocinatur: *Quid pulchrum facit canem? virtus canis si adsit. Quid equũ? virtus equi si adsit. Quid ergo hominẽ? virtus* opinor

Vnde petenda pulchritudo.

opiner hominis si adsit. Si pulcher esse vis, in isto laborato, ut virtute humanâ sis præditus. Quæ autem illa est? vide quosnā ipse laudas, cùm sine affectu aliquos laudas. Justósne an injustos? utrū modestos, & intemperantes? continentes, an incontinentes? Ergo si talē te præbueris, scias te pulchrū fore. Hæc autē si neglexeris, turpē esse necesse est, etiamsi ad exornandam formā nihil prætermiseris. Illa enim vera, & sola pulchritudo est, quæ est animi. Quid tibi cum fugitivo corporis flore? An non inanis rerum officina, pulchritudo? inanis. At quanti constat illa brevis insania? quanti non constat? Quod facinus virtutis edidit? vix ullū, nisi ejus stragē calamitosam. Audiamus Lucianū in Dialogo mortuorū: etsi pessimū hominē, non pessimè disserentē. Menippus introducitur cum Mercurio loquens. Ubinā sunt illi formosi, ac formosæ, ô Mercuri? ducito me, docetoque utpotè recēs huc profectū hospitē. *Mercurius:* Nō mihi licet per otium Menippe: verū illuc dextrorsum tēspice, illic & Hyacinthus est, & Narcissus, & Mereus, & Achilles, Helena, & Leda: deniq; quisquis est veterū formarum. *Menippus:* Ossa tantū video, & renudatis carnibus calvarias, pleraq; omnia similia. *Mercurius:* Atqui hæc sunt quę Poëtæ cūcti mirantur, ossa, scil. quę videris cōtemnere. *Menippus:* Helenā mihi cōmōstra. *Mercurius:* Hæc Calvaria Helenę est. *Menippus:* Et hujus gratiā mille naves ex universā Græciā impletæ sunt, totque Græci, & barbari ceciderunt, totq; Urbes eversæ sunt? *Mercurius:* An nō vidisti vivā hāc mulierē? nā tu quoq; dixisses vitio vertendū nō esse, pro tali muliere tot tolerare labores; siquidē quis arefactos flores abjecto decore coloris, contēpletur, deformes nimirū ipsi vidētur: at iidē donec florent, & colorē obtinēt, speciosissimi. *Menippus:* Proindè illud miror, Mercuri: si Græci nō intellexerint sese pro re usque adeò momentaneā, quæq; tā facile evanesceret, laborare. *Mercurius:* Nō mihi vacat tecū Philosophari: pulchrè hæc: & verè quā indignū iis pulchris operā dare, quæ sunt umbræ pulchri; atq; utinā umbrę: veri autē pulchri nullā cogitationē suscipere; vultus imaginē coloribus depingere, & mentis seponere. Sapientię & intelligentię castitatis imago depingatur, ubi anima figat domiciliū. Solet natura ipsa magnis mentibus domicilia corporū digna metari, ut ex vultu hominis, ac decore membrorū colligi posset, quātus cęlestis spiritus intrārit habitator. Miraculū verę pulchritudinis est animus, Deo & seipso cōtentus, qui in summā evectus sorte, nec fastū inducit; nec supra sortis humanę modū effertur: sese in plano cōtinet, memor se in lubrico stare: populariter secū iis gerit, cū quibus antè cōmerciū comiter habuit; & cōtrà, si quis in volucrē, & sublimē currū evectus, præcipiti devolvitur impetu, & qui super capita hominū visus est incedere, pede calcetur, æquabilem tamen tenet vultum, & pari vultu utramque fortunam tuetur. An non hic verè pulcher, & seipso pulchrior? quid in ista imagine non laudaveris? Laudamus in Dædalo subtilis ingenij pulchritudinem; cur non hujus viri verè sapientis, qui Dædali in morem alis utitur, neque nimium effertur; gnarus sibi cereas esse alas, & animum non fortunæ accommodat; sed fortunam arbitrio modestiæ regit, cui sufficit alas non tingi, at paulò altiores undis attolli, ut innoxius supervolitet? Deindè ne liquandas Soli objiciat, Soli non assurgit, nisi temperatā cæli, & mentis regione. Quid in hac imagine viri non laudâris? an non omni formosiore corpore, formosior animus? sic affluit, ut non diffluit. An non pulchrior omni pulchro, qui his virtutum præsidiis est munitus? Quàm pulcher animus Constantini Magni, quem Nazarius in oratione in Cōstantinum Augustum depingit ab Eumenio laudatum, & Agamemnoni Magno, & Thessalo Achilli comparatum, cap. 34. Jam vix audeo in tanto Principe commemorare, quod nullam Matronarum, cui forma commendatior fuerit, boni sui piguit, cùm sub abstinentissimo Imperatore species luculenta non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris ornatrix. Quæ sine dubio magna, seu potiùs Divina laudatio sæpè etiam in ipsis Philosophis non tam re exhibita, quàm disputatione jactata. Felix sanè Constantinus, qui non solùm fortitudine, atque sapientiā æquavit Romani fastigii Majestatem: verùm etiam decoro corporis habitu, & dignitate. at tota ferè laudis pars, non tam à corpore, quàm virtutis gratiâ, & decore. Quid enim corporis pulchritudo, nisi cæca dementia, quam facilè exuerimus, nisi hebetudo oculorum transversum ageret? Illa illa est quæ corporum pulchritudinem vanam, fallacibus fascinis, & fœditatem dulcibus colorum venenis obumbrat, ut turpitudinem latentem introspicere non liceat. Producas in theatrum totum chorum formosarum, qui toto orbe regnavit, vel quos calamus, vel penicillus adornavit. Quales non finxit Apuleius? quales non Aristonetus, & Heliodorus? quisquis pro se amatoriam pulchritudinem elaboravit. Affingamus uni formoso corpori omnes pulchritudinis formas. Quid Veneris capite à Praxitele elaborato formosius? Accipe qualem capillum describit Apuleius lib. 2. Matamorphosis: si gratus capilli color, & nitidus splendor illuceat, & contra Solis aciem vegetus fulguret, vel placidus renideat, aut in contrarium gratum variat aspectum, & nunc aurum coruscans in mellis levem deprimatur umbram, nunc corvinā nigredine cæruleos columbarum colli flosculos imitatur, vel cum guttis Arabum obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminetur. pone versum

Virtus pulchros facit.

Corporis pulchritudo Larva est.

Ubi tot exercitus formosorum.

Formositas Calvaria est.

Helena Calvaria.

Insania Græcorum pro larva sic pugnasse.

Miraculū pulchritudinis est animus magnus.

Pulchritudo animi, summa tranquillitas utraque fortuna.

Dædalum imitatur.

Pulcher animus magni principis quis.

Pulchritudo animæ vera pulchritudo.

Corporis formosi elaborata species.

versum coactus, oculis occurrens instar speculi gratiorem reddit imaginem. Sint crines leniter emissi, & cervice dependuli: sint per colla dispositi, sensimq; sinuato patagio residentes, & paulisper ad finem conglobatus in sumũ verticẽ nodus adstringat: sic hæc intẽperans Chimæra Apuleji vera. Esto ita sit, adde hîc fictis majora, & recũ reputa esse vera: adde oculos ex Aristoneti epist. 1. Sint oculi magni flagrantes, & puro lumine suffecti, in quibus nigrã pupillæ lactei circuli vicino cãdore circumfusam ex ipsa colorũ pugna tẽperiẽ pulchritudinis faciat: sint oculi clariores stellis extra lunã fulgẽtibus: sint labia florida, & suavitate plena, & genuinam purpurã vincant: sint dẽtes inter se justã magnitudine coaptati instar monilis pulcherrimi pulcherrimis margaritis cõpositi: sint ebore Indico nitidi; sint etiã ipsã nive candidiores, & iis insideant ipsæ Sirenulæ, & tenui interstitio distincti: sint genæ ita ludenti purpurã roseæ, ut nihil gratiarũ addi possit: sint nigra exquisitè quæ nigra, & alba quæ hujusmodi esse oportet, atq; omnis color in omnẽ pulchritudinẽ, & venustatẽ efflorescat. Advocẽtur pictores Principes; Polygnotus, & Euphranor ille, & Apelles, & Aëtion, qui diviso opere pingant. Euphranor colorẽ capilli illinat: Polygnotus superciliorũ decus, & genarũ ruborẽ inducat: corpus reliquũ Apelles elaboret. Adde quidquid gratiarũ, & cupidinũ conferri potest: & sit corpus ita compositũ, ut formarum omniũ sit decus, & breve cõpendiũ universæ pulchritudinis. Instar Aquilæ te tolle in altũ, & hebetudinẽ oculorũ inductã flammivomis radiis objice Solis, & eã exure. Introspice hoc corpus, & totã illecebrosã pulchri speciẽ unã sapiẽtis voce discusseris. Quale hoc monstrũ, quod nisi massa fœtoris niveo velo cõtecta? unã cuticulam tolle, & introspice fatalẽ machinã: introspice insidiosã oculis faciẽ. An nõ exhorresces? induc insuper mortem, horrorẽ, palloremq;: perpende exhausti floris tragicam speciem. An quidquam morte horribili horribilius? Ubi oculi stellati, & ridentes? ubi labia rosocea? ubi floridæ genæ? ubi gratiæ naturã, & arte datæ, quæsitæque? Quis hęres tantorum bonorum? sanies atra, & liquatus vermis, serpens, & quidquid sub terra fœdè vivit. Ubi odor Syrius, & ab ultimis terris per tot pericula, mortesque quæsitus? quid profuit, gemmis corpus exornasse, vermium, & fœtoris spolium? Pone tibi ob oculos unam Charicleam, de quã Heliodorus l. 2. Æthiopicorum: Incedebat illa ut Regina omnibus Veneris illecebris, atque lasciviã instructa, neque fieri poterat, ut non quivis, qui in illam incidisset, caperetur: adeò inevitabilem quemdam, & invictum fascinum ex illius oculis attrahebant spectantes. Pudet (inquit ipse Heliodorus) dicere, & me vicit sępiùs visa, vincebat & continentiam, quam in vitã summo studio conservaram, ac diu quidem

Concursus pictorum summorũ.

Corporis forma soluta sceletum & fimetũ.

De formosarum formosissima.

Fascinus formositas.

A oculis corporis, oculus animæ resistebat; ad extremum tamen victus, & affectu amatorio, tanquam aliquo onere pressus sum. Tanta denique erat potentia formæ, ut omnes in illam oculos conjicerent, & tanquam recens facta statua Dei cujuspiam omnium mentes, & vultus in se trahebat. Statue hanc formosam ob oculos jam mortuam, tabidã, fluidã, vermiũ exercitu exuberantẽ, fœtoris immẽsitate cũcta replentem: cogita jam cõpagem dissolutam nervis, & ossibus; quid inveneris, nisi calvariam, & dispersa hac, & illac ossa, inanes & cadaveris horribiles cineres. Franciscus Borgias à Carolo V. datus Magnæ Imperatricis cadaveri custos; ubi loculo detecto formosissimam suæ ætatis principem, mortis potentiã adeò deformatã vidit, B totus attonitus, turpificati corporis specie, multa secũ sibi redditus, agitare animo, versare animo consilia Divina, supra hominem ire, terras deserere, cælestia captare, terrena despectare, & sic secum: Quò abiit, & defluxit ille superbus corporis honor? quantũ seipso diversus! O quã stulta hęc species totũ orbẽ fatigat, & in insaniã inducit: hæc species omnes sauciat, & æterna figit vulnera. Tu quęre cũ Diogene inter sepulchra hospitãte, capita formosarũ? Tecũ loquor ô hospes, ut ille Alexandro percunctanti; quid curiosiùs ossa arida evolueret, & iterũ, atque iterũ versaret. Quæro, inquit, caput patris tui Philip- C pi. Quære hîc corpus formosæ, ô pudor! ô cæcitas! ô amentia! cogita mortuũ, quod amas, & desines amare. quid enim aliud quã cinis, & umbra sunt: cinis qui nocuit, proderit; qui causa mortis, erit vitæ; qui vulneris, & sanitatis. Hastam Peliæ tibi dedero. ex serpente confice theriacam. Scorpio qui pupugit, suo cinere, vel oleo sui medicabitur. θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη. Pindarus. Proinde hâc sacrã Philosophiã, & altiore cogitatione firmatus, pulchritudinẽ, & dotes animi toto pectore adamabis, quas quamvis cernere non possis, attamẽ infinitis partibus pulchritudini corporis præstat. An non vestis corpori postponenda? An non ridiculũ, pur- D purã, & nõ corpus admirari: vilę mãcipiũ sapientissimo Principi præponere? An non totus ferè orbis corporis formis adhæret, illas admiratur, illas contemptã pulchritudine mentis adorat? Pulchrè, apteque, Lucianus titulo imaginum, hujusmodi homines tẽplis Ægyptiorum similes facit: ibi enim templum quidẽ pulcherrimũ, & maximũ sumptuosis lapidibus exstructũ, auro & picturis distinctum: intus verò si quæras, vel est simia, vel ciconia, vel hircus, vel felis; cujusmodi multos formosos, & formosas videre est: proindè corporis forma non sufficit, nisi justis exornetur ornamentis. Non autẽ dico purpurã, & monilibus; sed virtute, tẽperantiã, æquitate, humanitate, atque aliis veris ornamẽtis. Quẽadmodũ enim harmoniæ rationes, nequid peccet hymnus, servandæ, & mensuræ

Speculum tale, quod pulchri.

Theatrum deformitatis.

Fructus visi cadaveris.

Sapientia ab ossibus haurienda.

Formositas extium, & exitii curatio.

An res ipsa umbra sui melior.

Formosi improbi similes templis Ægyptiorum.

Qualis ornatus veri formosi.

Harmonia similis sit pulchritudo. modulorum, ablatione, & positione, & positione tempestivâ, & ut cithara consonet, & eodem tempore lingua exerceatur, & plectrum; ita ut pulcherrima animæ imago, & forma consurgat, opus est accuratâ virtutum harmoniâ, & aptissimo singulorum concursu: *Sonus vocis quando gratus.* quemadmodum tonus vocis, ut gratus sit, mollitiem nimiam, quia effeminatus: & asperitatem, quâ rudis, & obtundens, & nimiam intensionem quia ferit, aversatur; sed tunc gratus, & jucundus vocis sonus is est, *Sonus gratus vestigium sui imprimit.* qui se leniter insinuat in aurem, ut eâ desinente, verba adhuc insonent, & aliquæ immorentur reliquiç, quæ aures circumsonent, mellitaque verborum vestigia, ac persuasionis plena in animis relinquit: talis concentus inest viro sapienti; *Viri sapientis & formosi imago.* viro casto, viro justo, viro magnanimo, qui nec tumidas voces in magnitudine fortunæ; nec asperas eâ tumultuante, nec effeminatas blandiente corpore, nec projectas, desertus ab omnibus emittit: *Vir sapiens & verè formosus similis Colosso.* sed semper sibi similis, etiam similis Colosso, qui sive in alto monte, sive in puteo sit locatus, retinens suæ magnitudinis, semper se eumdem spectantibus præbet. Vir ejusmodi post se etiam omnibus *Odorem sui spargit immorantem.* spoliatus relinquit odorem virtutum, ut feræ suis vestigiis; & imprimit immorantem descendentibus imaginem, & insaturabile sui desiderium, ut absens oculos mentis, quasi perenni spectaculo sui delectet. Imitare ergò Lector Christi, & Virginis pulchritudinem: *Christi Domini formositas* Christi, qualem pulchritudinem depingit Augustinus Psal. 44. *Christus Dominus ubique pulcher.* Pulcher Deus verbum apud Deum: pulcher in utero Virginis, ubi non amisit Divinitatem, & sumpsit humanitatem: pulcher natus Infans verbum; quia & cùm esset infans, cùm sugeret, cùm manibus portaretur, cæli locuti sint, Angeli dixerunt laudes, Magos Stella direxit, adoratus est in præsepi cibarium mansuetorum. Pulcher ergò in cælo, pulcher in terrâ; pulcher in utero, pulcher in amoribus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam; pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cælo, pulcher in intellectu. Oculos tuos à splendore pulchritudinis non avertat carnis infirmitas. *Justitia pulchritudo animæ.* Summa, & vera pulchritudo, est justitia; ibi illam non videbis pulchritudinem, videbis injustitiam; sis ubique justus, ubique eris decorus. Si consideres misericordiam, quâ factus est homo, & ibi pulcher est. Quare non habuit speciem, neque decorē? quia crucifixus; Judæis quidē scādalū, gentilibus stultitia; habuit tamen in cruce decorē: 1. Cor. 1. 25. *quia quod stultū est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Nobis ergò jam credentibus ubique sponsus pulcher occurrat: tu quoque in omnibus esto pulcher. Virginem quoque imitare, quæ filio per omnia similis, A semper ubique pulchra. Percurre singula vitæ, in omnibus sibi pulchra; nec solum pulchra, at & admirabilior, & pulchrior in luctu, in lachrymis, in morte filii quàm unquam fuit. Tu Virginem æmulare, decus pulchritudinis tuæ sit conscientia; hanc videt Christus, hanc amat Christus, ibi alloquitur te Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus. Virgo sua pulchritudine te reddit admirabilem.

§ IV.

De formosi corporis Virgineis membris sigillatim non inamœna disputatio.

B

Decuit Matrem Dei pulcherrimo corpore formari: opinione enim sapientum gentilium, qui arcana naturæ subtiliùs scrutati sunt, cælestibus arcanis nobiles causas intulerunt. Creditur Augustissima quæq; species plurimum de cælo trahere originem. Si Filio Dei longè pulcherrimum corpus aptavit Deus Pater, cur non & Dei Filius, suæ Matri divinissimum corpus fabricasset, cùm posset, & se, & Matrem deceret, quam volebat sibi in miraculum pulchritudinis simillimam? *Corpus Virginis, templum Dei.* An non Salomon ædificavit Deo habitatori templum miraculorum superbissimum? C An non Mater Dei, templum divinitatis fuit, in quo ipsa divinitas habitavit corporaliter? Non sine causa Dionysius de divinis nominibus cap. 3. Divinum corpus nominavit: *Cùm & nos,* inquit, *ut nosti, plurimiq; fratrum nostrorum ad contuendum corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deumq; susceperat, venissemus.* Quare pulcherrimè Doctissimus P. Zuares tom. 2. in tertiam partem disput. 2. sect. 2. docet dicendum corpus Beatissimæ Virginis fuisse in suâ specie, & sexu maximè perfectum. Ita, inquit, docent omnes Patres, nec potest sine temeritate negari. *Corpus Virginis speciosissimum.* *Primò*, quia ex illo corpore Christi corpus D erat formandum. Ad divinam ergò providentiam pertinuit, accomodare medium fini, & materiam effectui aptam præparare; *Rationes cur speciosissimum.* præsertim cùm divina virtus, quç in hoc opere singulari modo operabatur, facillimè posset perficere. Deindè pergit Doctissimus auctor: decuit Christum, & Virginem inter se esse simillimos, non solùm moribus, sed etiā corporis perfectione, & affectibus. Hæc enim pulchritudo ad conciliandum amorem, & ad majorem perfectionem pertinet. Undè & Zophronius in Epistolâ Synodicâ, quæ habetur in sexta Synodo Act. 11. dicit corpus *Ex Concilio probatur.* Virginis ab omni cōtagione fuisse liberum, & ejus carnem vocat immaculatam, & purissimam, quæ sancta, & immaculata dicitur in eadem Synodo sexta Act. 18. *Ex vi exempli.* si enim vultus Moysis ex Dei consortio ita fulgoribus fulguraret, ut filii Israël nō possent intendere in faciem

Ex Dei consortio Constituis speciosa.

faciem ejus; an familiaritas Virginis infinitis A quasi partibus non extitit major, imò verò tantò major, quò major est dignitas Matris Dei, præ conditione servi. Illa est quæ Deum utero, & solem eternum splẽdoribus æternis in utero portavit; deindè lactavit, educavit, vestivit, & tot annos cum Filio Dei Felicissimè transegit, & quibus fulgoribus non replẽduit Beatissima creatura ex aspectu æterni Solis? Scribit D. Hieronymus de Christo in Matthæum: *Fulgor*, inquit, *Divinitatis occulta quæ etiam in humanâ facie relucebat, ex primo aspectu ad se venientes poterat attrahere.*

Efficacia vultus Christi Domini.

Quid ergò mirum, si Virginis pulchritudo eandem potentiam ex Filio hauserit: ut Ambrosius l. de institut. Virginis cap. 7. & Bonaventura, tantam fuisse Virginis pulchritudinem, ut vel solo intuitu omnes ad castitatem, purissimumque amorem, suo concitaret aspectu, & radiis gratiæ perlucentibus igniculos, motusque concupiscentiæ extingueret.

Virginis vultus castimoniæ magnes.

Cõcupiscẽtiæ mors.

Quam virtutem singulari gratiæ effectrici Diuus Thomas attribuit. Victorinus cap. 2. in 3. Canticorum dicit fuisse vultu Angelico tam corpore, quàm mente accommodans illud: *Tota pulchra es amica mea.* Undè & Gregorius Nazianzenus in Christo patiente sic Virginem compellat: *Virgo quæ forma nitore ceteras præis.* Et Andreas Hierosolymitanus serm. de Assumptione, hoc pacto Virginem alloquitur: *Eximia pulchritudo à Deo sculpta statua rectè descripta. Et sanè non potuit non esse non pulcherrima: pulchritudo quippè ex optimâ complexione, & membrorum proportione nascitur.*

Corpus pulchri fabrica ex optimo temperamento.

Corpus autem Virginis fuit optimè temperatum; omnia etiam ejus membra perfectam proportionem habuêre. Quid ergo pulchritudinis defuisse putamus? Fuit in Virgine summa venustas, at non dolosa: fuit facies amabilis, at non oculis insidiosa: fuerunt oculi Angelici, & fulgurantes, at non lascivi. Erat quippè in illâ Deus, qui forma splendentis fulgure venenum curiosæ libidinis extingueret: similis fontium quorumdam naturæ, quorum saluberrimæ profluentes undæ, quidquid venenati injicitur, suffocant.

Corporis speciosi & sancti descriptio.

Benè ergò Ambrosius lib. de institut. Virginis cap. 7. *Tanta erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatem servaret: sed etiam iis, si quos inviseret, integritatis insigne conferret.*

Virgo afflabat omnibus sanctitatem.

Jaculabatur anima plena Deo ex oculis, ex ore, sermone, flammas Divinitatis, ut quemlibet obvium iis flammis accenderet: similis Mater Filio esse debuit. Cùm ergò Filius Dei perfectissimum, & optimè dispositum corpus assumpserit, juxta conditionem, & statum ex natura rei debitum tali corpori; ut verè dictum fuerit Psalm. 44. *Speciosus formâ per filiis hominum.* Quis nisi insipiens Virgini negaret corpus perfectissimum? Chrysostomus homil. 28. in Matthæum de pulchritudine Christi loquens, ait: Sicut in signis perficiendis mirabilis fuit; ita visu gratiosissimus fuisse dicitur. Verùm undè has perfectiones assumpsit? An non exsumpsit ex Virginei corporis sublimissima pulchritudine? Unde Hieronymus tom. 3. Epist. 140. ad Principiam ait: *Absque passionibus corporis universis pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est. An non Spiritus sancti operâ corpus Christi fabricatum? An non opera, quæ Deus facit per seipsum immediatione suppositi, sunt pulcherrima, atque perfecta? An non ideò Adam, & Eva pulcherrimi, & optimè dispositi? An non Christus Dominus illis nobilior, & excellentior? An non corpus Christi futurũ objectũ beatitudinis corporis nostri? An non exemplar pulchritudinis omniũ corporũ beatorum? Quis inficiabitur illud non esse pulcherrimum?*

Corpus Christi ex matre pulcherrima pulcherrimum.

Quæ Deus facit immediatè sũt pulcherrima.

Christi corpus objectum beatorum corporum.

Talis ergò Filius qui pulcherrimus nasci debuit Matre pulcherrimâ. Non generant degeneres aquilas, columbæ. Fortes creantur fortibus: B omne simile simile sibi producit, nisi interveniat impedimentum. Pulcherrimus ergò filius: pulcherrima & sanctissima Mater.

Mater filio similis.

Quam pulchritudinem pulchris verbis Gerson de Conceptione Virginis explicat: *Quod ad corpus attinet, conferamus ei omnem delectationem, omnem sanitatem, harmoniam, & temperamentum complexionis, ut ex quorumdam opinione potuerit conferri cum sanitate operis gloriosi, quamvis ab agentibus externis lædi potuisset.*

Corpus Virginis instar corporis gloriosi.

Quid enim est sanitas, nisi (ut Elias ait, in Orat. Nazianzeni) elementorum ex quibus constamus, apta temperies. Gersoni multis antè sæculis prælusit Gregorius Nicomediensis de oblatione Virginis; ubi vocat Virginem ipsam pulchritudinem: *O Dei Genitrix! ô pulcherrima* C *pulchritudo omnium pulchritudinum! ô Dei Genitrix pulchrorum omnium ornamentum!* Addam ego pusillus aliud: O vivam, spirantemque per omnia pulchritudinis imaginem!

Virgo imago pulchri.

Sancta Brigitta lib. 6. cap. 1. sic scribit: *Mater Dei loquitur: Filius meus diligit te toto corde: consulo tibi, ut nihil diligas nisi ipsum: ipse enim est ita desiderabilis; quod si habueris eum, nihil poteris desiderare: sic pulcher, quòd pulchritudo elementorum, vel lucis ad ejus comparationem, est quasi umbra. Vnde cùm ego nutrirem filium meum, tantâ pulchritudine præditus erat, ut quicumque eum inspicerent, consolabantur à dolore cordis, quem habebant. Vndè & multi Iudæi dicebant ad invicem: Eamus ad videndum Filium Mariæ, ut consolari possimus.*

Pulchritudo Christi sui intuitu omnes exhilarabat.

Quod de Filii pulchritudine, hæc D Sancta, eadem & similia scribit lib. 1. cap. 51. de Virginis pulchritudine. Ubi Virgo dicitur similis flori, qui habet quatuor folia. *Primum*, est honestatis, quâ supereminet omnibus Angelis: *Secundum*, est misericordiæ, quæ tanta est, ut omnium Angelorum misericordiam excedat, & intimè omnibus peccatoribus compatiatur: *Tertium*, est pulchritudo. Angeli considerant alter alterius pulchritudinem & animarum, & corporum, quam admirantur: sed animæ tuæ pulchritudinem vident esse super omnia quæ creata sunt, & corporis honestatem excellere omnes homines qui creati sunt: *Quartum* folium, erat dilectio tua Divina: qua nihil delectabat te, nisi Deus. Hæc Sancta Brigitta.

Per omnia pulchra Virgo omnes solabatur aspectu.

Virgo similis flori habẽti quatuor folia pulcherrima.

§. V.

Imago summæ pulchritudinis proposita, ad Virgineæ pulchritudinis ostentationem, ex comparatione excellentissimarum formarum.

Cōparatio necessaria ad pretia rerum æstimanda.

NUnquam formæ decus, & nitor clarior, & eminentior apparet, nisi quando cū pulcherrima, rarissimaque formarum gloria in certamen venit. Rosarum formositas si quando stipata mille aliis floribus, tunc formositate incōparabili supergreditur omnes. Sic Adamas Rex, & Sol gemmarum radiantiū, tunc clarius fulgurat, premitq; quidquid est in aliis lucis, si medius ponatur. Pulchritudo corporis Virginei tunc absoluta censebitur, ubi speciosissima naturæ miracula protuleris. Homerus Helenam qualem & Apelles pinxit: an non prodigium raræ pulchritudinis orbis judicavit, quam & judicavit dignam labore totius orbis, & regnorum exitio peti? Aliam formosam dedit Græcia, Aspasiam Hermotini Phocensis filiam, quæ omnes suæ ætatis Virgines formæ elegantiâ superavit. An non Cyrus Junior ejus pulchritudine captus, omnibus præposuit, eamq; sibi in Reginam coronavit? Sic Ælianus l. 12. An non Assuerus Persarū Rex pulchritudine suæ Reginæ Vasthi superbiebat, jussitque ad se introduci, ut ostenderet cunctis populis, & Principibus pulchritudinem illius? erat enim pulchra valde, Esther 2. Quam speciosa fuerit Esther, narrant sacræ Paginæ Esther c. 2. *Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omniū oculis gratiosa, & amabilis videbatur.* Quid dixero de Rachele, quę decora facie, & venusto aspectu? Vile visum fuit Iacob servitium septem annorū, præ præmii amari pretio. Inter cetera pulchritudinis miracula numerarim ceteris prętermissis Joannā Lusitaniæ Principem, filiam Alphōsi eo nomine quinti, & Elizabethæ, quæ nata 1452. eodem die quo tincta lavacro sacri fontis, & renata, Pṛinceps regni ab omnibus solēni ritu inaugurata, dictaque fuit: ubi ergò jam primis annis florida ætas adolevisset, totum orbem non minus corporis, quàm animi excellentis perculit pulchritudinis magnitudine, quæ exemplar corporeæ pulchritudinis signabatur. Miraculi ergò instar erat, & animus in corpore quasi in speculo relucebat. Quemadmodum *universa terra desiderabat videre vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ipsius,* 3. Regum 10. 24. Sic totus orbis attonitus inusitatâ formâ, vultuque Joannæ, vultum, & speciem majorem humanâ videre flagrabat. Verùm tanti spectaculi copia cùm dari non posset; tamen,

Helena vincitur decor.

Aspasia cedit.

Vasthi regina inferior, & Estheris.

Rachel visū dignā pretium ingēti labore.

Ioanna Lusitania Princeps omnes formâ vicit mulieres.

A quò in picturâ saltem umbratili tantæ pulchritudinis bono Reges frui possent, pro se quisque Principū nobilissimos pictores certatim in Lusitaniam destinabant, ut attento penicillo, tantum, si quâ arte possent, decus raperent. Verùm labor omnis cum arte victus cessit, & sacramento adhibito negarunt pictores posse ullâ artis industriâ tantam venustatem elaborari, majoremque esse naturæ dignitatem innatam, quàm ars ulla, vel color posset exprimere. Ibat ergò per innumeros Regum penates tabella, & imago Joannæ, eratque ingens fama minor vero. Plus erat, ipsam in se, quàm in tabellâ spectasse; quamvis ars addita naturæ, solet in immensum, immensas gratias, veneresque superaddere, atque conferre. Major itaque erat pulchri- B tudo famâ per orbem dispersâ, ac proinde ut sic dixerim ferè malignam. Ludovicus Undecimus Galliæ Rex ubi in tabella Heroïnam spectavit, in genua provolutus gratias summo Numini persolvit, quòd tam famosam in terris divinæ pulchritudinis imaginem sibi concessum fuisset intueri. Saucius ergò animus sagittifero tantæ pulchritudinis visu, hanc Virginem suo Delphino, cui omnia summa optabat, tanquam summam rerū per Legatos ambitiosè sollicitavit. Quis credat in Virgine tam generosam indolem! passus tantus Rex repulsam sui voti. Verùm eo rebus humanis educto, Carolus Octavus Regni jam hæres, & armorum, arma nisi Joanna sibi dederetur, per Legatos comminatus. C Rex ergò territus sororem adit, cedat tandem Regi, & concedat hoc Patriæ, ut in nuptias regni causâ consentiat. Non, inquit, mortale est quod opto; non si orbis Monarcha sponderetur, in Monarchæ veniam arbitrium, aut potestatem. Major est is cui me devovi. Cumulat minas minis frater Rex: Cur, inquit, soror objicis me, meumque regnum ferro alieno? an non tu regni Princeps ut regno consulas? Non nascitur Princeps sibi, sed suis. Sat actum, siste animos, satis placitæ pugnatum Virginitati, placet illa quidem superis, verùm non minus salus cōmunis. Quid agat Virgo? in sacros aditus secedit, & Virgo Virginum Reginæ se, suaque per supplices committit: & ecce subitò, D quasi enthea, & plena Deo addicit nuptias si Carolus eâ horâ quâ hæc gerebantur, viveret. Visus fuit Cælo missus nuntius qui Virgini, Caroli supremum diem, & vitâ functum nunciasset. Richardus verò Angliæ Rex ejus nominis Tertius, non armis, sed amoribus, & perpetuis pacis legibus, fraternâ amicitiâ, pulcherrimis conditionibus sponsam quærendam judicabat. Frater ergò Joannæ, sororem in tanta regni bona minis adigendam censebat. Et sanè ni submiserit animos, extrema tentaturū Poterat inclinari robustus animus tot machinis oppugnatus, ni cælestibus meditationibus firmaretur. Fessæ ergo lachrymis, & longo mœrore, a-stitit

Totus orbis anhelabat ad aspectū Ioanna.

Pulchritudo omnem artem vincebat.

Ludovicus Vndecimus victus formâ.

Filio petit dari.

Repulsam passus.

Generosus Virginis Spiritus.

Omnibus regnis major.

Devovet Virginem servet, tollit è medio procos.

Anglia Rex solicitat & è medio tollitur.

stitit per quietem pulcherrimus juvenis, qui blandè salutatam, ubi animum erexisset, hæc effatus verba: *E vivis*, inquit, *excessit*. Nec plura addidit. Res deindè per Legatos cognita Virginem confirmavit. Quanti est pulchritudo insolens, rara, & inusitata! Penetravit & illa animum Frederici Imperatoris, qui eam filio suo Maximiliano oppigneratam orabat: verum frustrà tentabatur animus Virginis Divinis amoribus obsessus. Docuit illa posse stare cùm summa pulchritudine Virginitatem incolumem, quam severitate vitæ, & deliciarum contemptu semper in se desæviens rutata fuit. Digna pulchritudo non mori, nisi mors majorem pulchritudinem conciliasset. Fuit illa procero corpore, validoque, ad miraculum venusta, fronte liberali, oculis viridi colore lætis, & amplis, naso modico, labio inferiore aliquantulum promissiore, colore albo, & rubicundo, aspectus majestate vera Princeps. Cessit rebus humanis anno M. CCCCXC. pridie Idus Maij, nata annos XXXVIII. Placuit Deo communi non solùm hominum, verùm etiam arborum, herbarum, florumque luctu, quasi justitio indicto tantam Principem prosequi. Jusserat illa conseri variarum arborum genera, & hortum amœnitate herbarum per paramenta, thorosque dimetiri. Stabant ergo Coroneæ mali, Citrinæ, medicæ: & ecce aspectum sacri funeris, honorem frondium, florum, & viridis ornatus posuêre, & ita exaruêre, ut nulla unquam ex iis repullulârit, quasi seipsas morte mulctassent, & morte suâ suæ Dominę parentarent. His cùm veniâ Lectoris sic præmissis, conferamus statum, & conditionem famularum cum statu & dignitate ejus, quam sibi Deus elegit in Matrem, cui omnis pulchritudo, tanquam fini omnium creaturarum cum suo Filio debebatur. An non ideò omnes asserunt Filium Dei specie corporis fuisse pulcherrimum? cur non & formosissimam decernemus tanti Filii Matrem? Deinde quid æquius quàm Matrem creari pulcherrimam à Filio; præsertim cùm is posset? cui enim plura debet Filius, quàm dilectæ Matri, cujus beneficio est Filius hominis? Statuamus ergo Virginem in Choro omnium formosarum: an non cum sacra Pagina vocabimus illam pulcherrimā mulierum, Canticorum 1. vers. 7. ubi dicitur: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres.* Nec solùm inter mulieres dicimus pulcherrimam, verùm & omnium creaturarū, in cujus utero, velut in templo; imò quasi in cælo stellato Christus cubavit. Sicut fides, & humilitas, & summa charitas, & omnium virtutum apparatus indicibilis, contulerunt animę Virginis omnem pulchritudinem, quâ nec esse, nec dici potest esse creata major; ita & pulchritudo animæ contulit corpori Virgineo omne decus, omnem speciem, omnem pulchritudinis formam, quâ nec major dici posset esse creata. Dicamus ergò

Imperator Fridericus solicitat.

Animus virginis major omnibus.

Forma Virginis.

Mortua omnes arbores suâ morte parentarunt.

Virginis & filii pulchritudo finis creaturarū.

Virgo in choro formosarum formosissima.

Pulchritudo animæ Corpori dedit suam.

A Virginem adeò eminenti pulchritudinis gloriâ inter mortales floruisse, quâ Sol in cælo inter stellas regnat lucis claritate. Non sine causa ergò Spiritus sanctus totius corporis fabricam, quasi cælestis templi figuram adeò curiosè describit, ut nihil prætermittatur, quod non summopere, & eminenter excellat. Ideò in Cantico Canticorum, quod est carmen nuptiale, dramatico opere prætextum, Virginis pulchritudo depingitur: nunquā enim cultior, opulentior, omnique flore ornatior in ostentationem formositatis procedit Sponsa, quàm die nuptiali: quare & Cant. Canticorum, Christo Domino, & Virgini Matri tanquam Sponsæ illud dedicatur: dedicatur autem Pastoritio, seu Bucolico stylo ad declarationem innocentiæ Virgineæ, quia Pastorum olim vita, quæ & Regū Magnorum fuit innocentissima, simplicissimaque omnis doli, expers vafrimenti, & fictorum amorum.

Spiritus ejus pulchritudinē depingit.

B

§. VI.

De perfectissimâ Virginei Corporis fabricâ.

C MAgnus Propheta David Ter Maximo, & Infinito Deo, templum tanto Deo quantum mortalis infirmitas poterat, dignum, ingentes auri, argentique, & quidquid gemmarum, & lapidum pretiosorum, & innumerabilia ferri, ærisque pondera congregavit. *Domus*, inquit Vates Paralip. 1. cap. 22. *quam ædificari volo, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria.* Et, eodem lib. cap. 29. *Opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio; sed Deo.* Si itaque ingenti & consilio, & labore domus Deo ex lapidibus constructa miraculi formam obtinuit; qualem famam miraculi sibi posceret domus sacra, templum corporis D admirabilis, mausolæum omnem artem, & pulchritudinem vincens, in quo ipse Deus præsens corporaliter erat habitaturus? O corpus sacrum, omnem sanctitatem, & pulchritudinem exsuperans, cujus sanguine, & membris erat vestiendus Deus, ex homine fabricandus homo Deus! templum non solum in cunctis regionibus, sed universo mundo, & cælis omnibus in omnem æternitatem, prodigiosum omnis pulchritudinis, & semper recens laude sui spectaculum futurum. Optimè ergò Damascenus oratione 7. ait de compositione Virginis: *Illa est totius naturæ venustas, quæ nec solùm naturæ tribuenda est, sed potius miraculo: quid enim effari parentes conferre potuerunt! Deus fabricam corporis sibi vendicavit. ipse voluit aspectus astrorum sum benignos, voluit militiam cæli, cum suo Principe sole, Domina suæ subservire.*

Fabrica corporis templi instar.

Deus corporalis habitator.

Miraculū pulchritudinis.

Benignus astrorum aspectus.

§. VII.

Primum quod occurrit, est laus Imperatoriæ staturæ.

Proceritas docet magnos viros.

QUo in honore dignitas staturæ ponenda, quantique æstimanda sit corporis magnificentia, docet Plinius in suo Panegyrico ad Traianum: *Proceritas*, inquit, *corporis Principem ostentat.* Docet & Aristoteles 4. Ethic. cap. 3. *Pulchritudo in magno corpore consistit.* Unde & Ovidius lib. 14. Metamorphos. Galateam à procero corpore laudat. *Longa*, inquit, *procerior Alno, & Platano conspectior altâ.* Et Ecclesiasticus 24. de Mariâ: *Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas.* Hinc illud placitum Doctorum; Naturam magnis mentibus domicilia magna metari; & ex membrorum decore, ac hominis vultu posse colligi, quantus spiritus intraverit habitator. Trahuntur homines in obsequium pulchritudinis, & dum eam amore tenent, Deo se obsequi putant. Quis ergò dubitârit non excelsum animæ Virgineæ excelsæ, corpus donatum?

Magnis animis natura destinat magnum domicilium.

Audiamus ergò scriptores. Sidonius lib. Epist. 11. si forma quæritur corpore exacto, longissimis brevior; procerior, eminentiorque mediocribus. Quare optimè Cantic. 7. *Statura assimilata est palmæ.* Hebræi sic habent: *Hæc statura tua.* Septuaginta: *Hæc est magnitudo tua.* Complutenses: *Dilectio in deliciis tuis, magnitudo tua.* Quasi diceret: Dilectio tua deliciosa, est magnitudo tua. Ingens dos, & laus, quam ambiunt fœminæ. Epiphanius, & Nicephorus scribunt fuisse staturâ mediocri: quamvis sint qui longitudinem mediocrem excessisse dicant, quos sic intellige, ut parum recedat à magna. Cùm igitur ut suprà dictum est, pulchritudo in magno corpore consistat, quis neget pulcherrimę mulierum, altum corpus? Sic & Andromache, & Penelope lib. 18. odyss. & Diana non semel longa, & formosa depingitur. Deinde symmetria corporis cum suis partibus hoc exigit; ut iis sit longius corpus, quibus manus, & digiti longiores. Fuerunt hi in Virgine sacrâ teretes, longiores, & manus tornatiles sublimiorem debito requirũt staturam. Statuamus ergò Virginem pro ea quâ vixit ætate altiorem fuisse: pro sæculis ante diluvium parvâ, aut mediocri. An non ætas sequens, quia plenior vitiis, minuitur & viribus? & quid non terit sequens, & aufert dies datura progeniem vitiosiorem? Indusium Virginis Urbi Imperatoriæ Aquisgranensi dedit Carolus Magnus anno Christi 810. longum ulnas duas cum quadrantibus duobus, & semis, teste Philippo Bergamo lib. 10. Supplementi Chronicor. efficaciter probat altam Virginis staturam. An credas indusiũ

Virginis statura palmæ comparata.

Delitiosè procera.

Quam excelsa fuerit corpore.

Indusium Virginis quantum.

A humum attigisse? An non Mater, & puella quindecim annorum crescente ætate, crevit & corpore? quantum autem accesserit, quilibet secum potest disquirere.

§. VIII.

De dignitate oculorum.

Virtus oculorum efficax.

STaturæ dignitatem sequitur Majestas oculorum, qui tanquam speculatores altissimum locum obtinent, & quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significamus. Lux oculorum lætificat animam. Sic
B Proverb. 15. 30. *Sic Deus dicitur respicere terram, & respiciendo facit eam tremere, & dissolvere gentes.* Et juxta Tertullianum lib. 2. contra Marcionem: *Deus suis oculis, suique aspectus serenitate, rebus creatis impertit suos favores, & honorat bonitatem operum, dignatione aspectus.* De dignitate oculorum ampliter dictum in attributo de Zelo.

Oculi divini efficacia.

§. IX.

Cujus coloris fuerint oculi sanctissimæ Virginis.

C

PAstoritio carmine celebrantur oculi Virginis in libro sacri amoris, quando vocantur Cantic. 4. oculi columbarum: *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Et Septuaginta: *Oculi tui sicut Piscina in Hesebon.* Epiphanius, & Nicephorus volunt fuisse Virginem acribus oculis, subflavas, & tanquam olivæ colore pupillas in eis habentem: Cedrenus fulvis, ac mediocribus; cui minimè assentior. Quis Virgini vinosos oculos affinxerit? Anselmus in fine operum, *fuscos* dicit habuisse, *rectos aspectu.* Albertus voluit *nigros*, vel *glaucos.* Nos dicemus colorem oculorum fuisse cæsium, & viridantem,
D instar Olivarum tendentem ad nigredinem. Sic Horatius 2. serm. Satyr. 2. nigras oleas vocat; nam viridis color, isque concretus in oleâ sæpè eo nomine vocatur. Glaucus ergò color, oleaginum refert, seu viridem. An non misericordiæ Matri, oliva sacra pacis, & misericordiæ arbor, quæ nunquam foliis spoliatur, dicatur? Quod autem oculi Virginis comparentur oculis columbarum; bene est: at quarum? quæ sunt super rivos aquarum. Et quales sunt oculi columbarum super rivos aquarum? an non tum virorem induunt? an non lux fluvii, viridis est? an non stagna virentia, & aquæ virides ex herbarum repercussione viridium, arborumque consitarum? Deindè oculi Virginis ita erant oleagini, & virides, ut non essent variis pun-
ctulis

Cui assimilantur oculi Virginis.

Color oculorũ cæsius, & viridis.

Qualis color olivæ.

Qualis color oculis columbinis.

ctulis variegati, nec circulis versicoloribus A distincti. Sic Patres docuêre. Sic statuæ, & picturæ sancti Lucæ confirmant. Fateamur tamen, ut omnes concilientur Auctores, universos oculorũ circulos non fuisse æquales in virore. Nicephorus sic *Sanctissimæ Virginis oculos* vult *acres, quasi perpetuum lumen illis inesset, qui excelsam animam, & maximorũ operum effectricem declarant.* An non Matri Dei ejusmodi oculi debebantur, ex quâ filius suos sibi sustulisset? *ex cujus oculis,* ut ait Jeronymus in 21. Matth. *sidereum & igneum radiabat.* Placuit, quod Callistratus descriptæ occasioni defert, oculi gratissimâ quâdam face ruboris accensi. Aristænetus sic formositatem oculorum in Epist. primâ depingit: *Oculi,* inquit, *magni, flagrantes, & puro lumine suffecti.* Et Lucianus dum spem domantem ornat; *Oculi erant vehementer acres, ac versatiles, & divinum quid relucentes.* Agnoverunt illi acrimoniam oculorum; ut in Augusto Octaviano Principe: in Consule Mario, cujus oculi scintillantes, hostem fugabant. Cur Virgini hujusmodi oculos, divinum quiddã spirantes negabimus? Dicamus ergò sacræ Virginis fuisse claros fulgure cælesti, graves, compositos, & magnos, ut Lucæ S. Imago felicissimè refert. Magni enim oculi, si adsit temperies concinna, spectabiles sunt, ut ait Galenus de arte medici. *Si magnitudini,* inquit, *oculorum concinnitas adsit, & operationum virtus, multitudinem bene temperatæ substantiæ ostendit.* Verùm si eos oculos malis mediocres, non abnuo; nam & Aristoteles in Physiognomicis ait, *Medium oculorũ statum probatur, qui mediocritatem quandam magnitudinis habeat castigatam.* Quibus verbis magnitudinem castigatam, mediocritatem nominavit; atque ideò Cervorum oculos mediocres appellabat, quos nos maximos dicimus: habet enim cervus magnos, simul & sublimes, fulgentesque oculos. Viridis, & oleaginis est Virginis aspectus. Viridis, & color Smaragdi Scythici, de quo Plinius lib. 37. cap. 5. *Nullius coloris aspectus jucundior.* Nam & herbas Virides avidè spectamus: Smaragdos verò tanto libentius, quanto nihil omnino viriditatis comparatum illis viret. Et sanè cujus conspe- D ctus jucundior, & proclivior ad clementiam, quàm Virginis? Soli gemmarũ implent oculos, nec satiant, quin & ab intensione alia obscurata aspectu Smaragdi recreatur acies. Non sine causa oleaginos oculos tibi adscribimus, sanctissima Virgo. Habet oliva quòd fiat lucis materia, quòd Oliva recreet lassitudinem, (ut alibi dictum est, relaxet laborẽ, caput exhilaret, & ad certamina opem ferat. Has omnes virtutes affundit omnibus tuus benignissimâ aspectus suavitate, dum oculorum tuorum dignatione clientes intueris.

Oculi Virginis semper luminosi siderei.

Oculi pulchritudo.

Efficax vis oculi.

Accipe Virginis oculos cælestes.

Quos pulchros oculos Aristoteles statuit.

Cervorum oculi pulchri.

Smaragdi color gratissimus, & medicus oculis.

Cur oculi oleagini statuuntur Virgini.

Virtus olivæ.

§. X.

De Naso oculis subjecto.

NAsus homini sic datus, locatusque, ut quasi murus sit oculis interjectus, & quasi turris in medio castelli. Sic & Pastoritio carmine celebratur Cantic. 7. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascũ.* Nasi absolutam descriptionem misit Aristoteles ad Alexandrum. *Nasus ille est magis æqualis, qui mediocriter longus, ejus latitudo & mediocris; ad extremitatem ejus foramina non multum aperta. Sit ergò nec parvus, nec depressus circa* B *frontem; nec obliquus, nec protensus ad os, nec aduncus, nec incurvus à fronte; nec rotundus, nec latus in medio, nec crassus à summo, nec acutus, nec gracilis nimis in extremitate: sed mediocriter longus, latus, & apertus.* Hanc nasi Symmetriam tribuit. Virgini Cedrenus: Epiphanius paulò longiorem. Nasi pulchritudo, & majestas, sapientiæ præseferti maginem.

Absoluti Nasi descriptio.

Nasus Virginis.

§. XI.

De Genis sanctissimæ Virginis.

PAstoritio carmine celebrat genas Sponsus suæ Sponsæ Cantic. 5. vers. 13. ubi C comparat eas areolis aromatum, consitis à pigmentariis. Mirum, genas vocari areolas? an quia ordine pulchro dispositæ, sicut areolæ? an quia areolæ sunt tumidæ, & terræ eminentiores? sic & genæ tumidæ, quasi undulatæ, & carnosæ, & mento, & oculis emineant. Quare & Tigurina Lectio habet: *Maxillæ ejus similes sunt turribus,* vel *pyxidibus turritis,* vel *turribus pigmentariis.* Quasi genæ sint officinæ unguentorum omnem suavitatem exhalantium: vel denique quia areolæ floribus candidis, & purpureis vermiculantur. Comparat & Sponsus genas suæ Sponsæ, fragmini mali punici, 4. Cantic. *Sicut fragmen mali punici: ita & gena tua.* Deinde & Cantic. 1. *Pulchra sunt gena tua, sicut turturis. Vidisti aliquando,* ait Philo de temulentiâ columbæ, *cervicem solis radiis expositam, quàm multis modis colores variet, puniceum, cæruleum, igneũ, & carbunculi speciem referentem: pallidum item & rubicundum, & alios omnigenos, quorum ne quidem vocabula memorare sit facile.* Mariæ genis illud Aristæneti Epist. 1. assignârim, mixtæ candidiore, ac tenui rubore genæ nativum rosarum splendorem referunt: dixisses rubentes flagrasse genas. Perstitit hoc genus genarum in Virgine usque ad extremum vitæ. Vivax ergò facies, læta, hilaris, omni mœstitudine carens, instar mali punici beneolentis, ut tumor qui erat in cortice mali punici: sic in genis. Tota pulchra, tota pulchrigena.

Cur genæ areolis comparata.

Cur fragmini mali punici.

Colli columbini descriptio.

Genæ sanctæ Virginis.

§. XII.

De labiis sanctissimæ Virginis.

Labia sicut vitta.

PAstoritio carmine laudat Sponsus suæ dilectæ Sponsæ labia cùm Cantic. 4. *Labia*, inquit, *tua quasi vitta coccinea*. An quia nitent colore roseo, ita æqualia ut sicut una vitta coccinea censeantur, quasi roseis labellis, omnes gratiæ insideant? Lubens fateor, ut verba Aristæneti applicarim ex lib. 11. Epist. 2. labra subtilia, tenuique interstitio distincta, gemmarum purpuram vincentia, quæ dentium eburneorum nitidis, & mirè candidulis ordinibus ornantur. Unum admiror, Sponsum Sponsæ labia liliis candidissimis conferre, Cantic. 5. *Labia ejus lilia stillantia myrrham primam*. An forsan ob decorem? quare & argentea vocantur à Propertio:

Labiorum pulchritudo.

Sæpè tulit blandis argentea labia Nymphis:

Vel quia labia leviter repanda, sicut lilia: vel quia colorem referunt.

In Syria lilia purpurea.

Siste Lector, & discas in Syria, teste Plinio lib. 21. cap. 5. & Dioscoride lib. 3. cap. 99. lilia purpurea, quæ ceteris antecellunt. Probo singula, si addiderim lilia odorata: sic & labia fragrantia dulci halitu, lilia tenuia, & mollia æqualia: sic & labia, qualia Sidonius tribuit Theodorico, subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata, quæ venustissima habentur,& eloquentiæ sunt præsaga. Quare & de eloquente dicitur; Rosas, & lilia loqui, cujus labiis insident blandæ sirenulæ. Quare Epiphanius, & Nicephorus labia castissimæ Virginis describunt florida, & suavitate plena.

Labia Virginis.

§. XIII.

De facie sanctissimæ Virginis admirabili.

SPonsus excitatus pulchræ faciei, & vultus speciosâ venustate, clamat: *Ostende mibi faciem tuam* (Cantic. 2. vers. 14.) *facies enim tua decora*, quæ vocis dulcis per blandissima labia blando concentu formato venustatur: rarum homini decus. *Vestigium enim cordis boni, & faciem bonâ difficilè invenies, & cum labore*, Ecclesiastici 13. v. 32. Erat facies Virginis rari decoris, insignis, & perpulchra, quæ magnanimam, liberalem, clementem,& Regiam indolé signabat. Placet Theophrasti formæ Regiæ descriptioné Virgini adscribere. Quæ frontis exporrectæ serenitas! quæ suavitas oculorum! quæ venustas oris! quæ renidentis ad singula vultus amœnitas! quæ in facie veneres! quot volitant cupidines; addo ego amorum cælestium! Nicephorus,

Cujusmodi facies Virginis.

Facies formosa ex Theophrasto.

A & Epiphanius faciem Virginis non rotundam, non acutam, sed aliquanto longiorem volût, atque cum Aristotele ad Alexandrum, sufficientis carnositatis roseo sanguine, & rubore suffusam: Erat, inquit Epiphanius, & Nicephorus lib. 2. cap. 33. in omnibus rebus honesta, & gravis, & perquàm affabilis, honorem suum, & venerationem omnibus exhibens sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maximè. Erat facies index animæ Angelicæ, nuncius purissimæ conscientiæ, silens Orator, affectionum, belli, & pacis, otii, & amoris, florentis animæ florens imago. Præclarè Georgius Nicomed. *O puram illam, & clarissimam animam, quæ in florenti corpore ostendit dotes, quæ naturam superant. Si splendida*

Facies Virginis ex auctoribus.

Facies Virginis nuncius animæ.

B *eras facies Moysis ex consortio Dei; quanto splendidior Virginis ex intimo contubernio Filii sui! quanto non melior, & Deo proximior, conjunctiórque Deo Mater, quàm servus!*

§. XIV.

De Dentibus Virgineis.

SPonsus laudat dentes, Cantic. 4. factâ rusticâ comparatione cum dentibus tonsarum: *Dentes tui*, inquit, *sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro*. Quid nitidius ovibus lotis? nihil putidi, nihil

Cur dentes Virginis tonsis ovibus comparati.

C scabiosi, nihil non lucidi; si turmatim constipatæ præsertim gradiuntur. Deus qui vultum Virgini dedit formosissimum, dedit & dentes, velut præclara monilia; dentes Indico ebore, vel nive candidiores. Quàm jucundum niveumque colorem dentium ordinata series profundebat, si beatissima labia deducerentur. Felix epistola, cujus vincula dente niveo rumpebantur: stabant suo ordine velut in acie ordinata, ubi suis muneribus destinati sunt milites, ut in prima acie levioris armaturæ, secundâ gravioris, & in ultima triarii milites.

Dentes oris monilia.

Instar aciei dispositi.

D

§. XV.

De Capillis sanctissimæ Virginis.

SIcut mons Carmelus apud Judæos nunquam satis laudatus fuit; ita caput Virginis quod monti Carmelo omnium formosissimo comparatur, haud satis laudari potest. Audiamus Sponsum in Sponsæ laudes profusum: *Quàm pulchra es, & quàm decora, charissima, in deliciis! caput tuum ut Carmelus, & coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*. Nicephorus lib. 2. cap. 23. Epiphanius de laudibus Virginis, Daniël Maltonius cap. 11. Capil-

Capillus Virginis omni ambitu major.

11. Capillum Virginis affirmant flavuum, A qui ab omnibus mulieribus ambitiosè conquiritur, à quibus cælitus radius fulgere videbatur. Nazianzenus Oratione 11. Non illam aurum arte ad eximiam pulchritudinem elaboratum ornavit; non flavæ tum apparentes, tum sublucentes; non crinium nodi, & impostura. Indignum tanto fastigio adscititium decus. Quærere per figmenta pulchritudinem, non est veræ pulchritudinis labor, quæ solo seipsa contenta est. Crediderim ergo Virginis capillamentum fuisse flavi coloris, quem orbis semper honore, pretio dignum judicavit. Quare & Gentiles suam Palladem sapientiæ Deam flavis capillis fulgidam voluerunt. Sic Ovidius libro 2. Fastor. B

Nihil affectum in coma Virginis.

Virginis capillus flavus, instar auri crispus

Forma placet, niveusq; color, flavique capilli.

Et Virgilius Didoni affinxit flavos capillos tanquam Majestate plenos:

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Certùm aureum crispum, & rutilum colorem esse suavissimum, & oculis gratissimum. Quidquid, sit non dubitandum, quin sacrum illud caput pulcherrimo ornatu contectum effulserit.

§. XVI.

De Fronte sanctissimæ Virginis serenissimæ.

Vide Nicephorum lib. 14. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. Bellarminum lib. 2. de imaginibus cap. 10. Laudo frontem, si recta, læta, generosa, explanata; speciosa, serena, & ejus magnitudinis, seu dimēsionis tam quoad altitudinem, quàm quoad latitudinem, quæ non maximè recedat à magnâ; quæ ita spectabilis sit, ut nec minimum possit Momus mordere. Ejusmodi magnificam frontem ex Lucæ imaginibus, & statuis tribuimus Virgini: nihil ex ea turbidum, nihil torvum, nihil asperum indè manabat. Frons Virginis ea erat, quæ omnibus gratiis emicabat, & esset læti ominis figura, conciliatrix gratiæ, animi janua. Hanc symmetriam servavit Spiritus sanctus in fabrica frontis Virgineæ, ut non esset nimium magna, quę est index socordię, & timoris; nec parva, quæ vagi, & nobilis, teste Aristotele, est ingenii augur: nec angusta, quæ est imperitiæ argumentum: nec circularis, aut orbicularis, quæ iracundiæ signum: nec gibbosa, nec alta, quæ stuporem, & imprudentiam portendit: nec denique rugosa, nec minax, aut fossas habens, quæ nescio quid mali ominis sunt argumenta.

Decus frontis magnifica.

Frons sanctissima Virginis.

Frontis auguria fausta in faustáque.

§. XVII.

De Virgineis superciliis.

Cedrenus in compendio historiæ, Epiphanius, Anselmus tribuunt Virgini supercilia arcuata, & inflexa versùs frontem: demissa enim sunt? fœda & notæ invidiæ. Sidonius in Theodorico laudavit arcuata, & inflexa versùs frontem. Et quamvis capillus in sanctissima Virgine fuerit nitore splendidus, lucens, & aurei in speciem coloris, quasi contra Solis aciem fulguraret; in Virgine tamen ad excellentiorem ornatum nigra fuēre supercilia. Et hujusmodi laudat Aristænetus Epist. 1. Supercilia fusca, parissima nigredine, disparataque inter se æquabili meditullio. Spectabat hic ornatus nigredinis ad vultus pulchritudinem, & gravitatis decore eximiam modestiam, ut colores dispares juxta se positi magis magis emineant in vultu singulari.

Superciliorū magnanima signa.

Supercilia Virginis qualia.

Tota ergò pulchra cùm esset, & pulcherrima inter mulieres, & Deus in illa Virgine omnem pulchritudinem plantasset, ut nullâ arte humanâ posset augeri pulchritudo. Ipsius pulchritudo erat nō illecebra libidinis, C sed castitatis; aspicientes ad pudicitiam secretis viribus vocabat, & luxoriosas exstinguebat cogitationes. Illam dotem Deus Omnipotens Virgini potenter inseruerat, ut mortalium nemo illam concupisceret. Et teste Ambrosio lib. de institut. Virginis: *Si quos inviseret, integritatis insigne conferabat. Et sanè ratio poscebat, ut reparatrix sæculi foret omnibus vita, nec noceret ulli, quæ ideò creata erat, ut omnes per illam salvarentur. Et quemadmodum prima femina Eva omnibus inspirárat corruptionis venenum: sic secunda Eva inspiraret tanquam fons puritatis, puritatem mentis.* Benè Abbas Gurrricus serm. 3. de Ramis. *Mox ut Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia piissimi vultus, suscepit imbrem serotinum, lachrymas post peccatum: sic ut Virgo, mortales suis oculis Virgineis intuetur, affundit imbres castitatis, & sacra puritatis calestes amores, & eos sibi reddit devotos, similesque.* Docet hoc Plato in Lyside; *Simile sibi semper amicum esse.* Et lib. 6. de legibus: *Singuli semper ad sibi simillimum feruntur.* Et Aristoteles 8. Ethic. cap. 1. *Quidam similitudinem, quandam amicitiam posuerunt.* Idem docuit Plinius lib. 4. Epist. *Difficilè quis amovetur ab amore sui: ideò enim facilius in sibi similem fertur; quòd seipsum talem arbitretur.* Sic enim pulli pullis amici; cervique cervis, & sturni sturnis: puro autem pretiosus est purus. Virgineus ergò aspectus, cùm nos puros facit, facit & sibi amicos. Ostende ergò faciem tuam, & salvi erimus, pulcherrima, & speciosissima Virgo.

D

Virginis formositas omnibus virtutē afflabat.

Causa hujus efficacia.

Oculus Christi lachrymas, oculus Virginis castitatem inspirabat.

Virgo suo aspectu hōnes sibi similes facit.

§. XVIII.

§. XVIII.

De potentia Vocis SS. Deiparæ, & medica.

QVid in rebus humanis videtur inanius, infirmius, & imperfectius voce humanâ? vix prolata, vanescit in auras; nihil sui relinquit; & finis respondet origini; per partes nascitur, & ultimâ parte sui emoritur. Quid Echo apud Gentiles, nisi dea sine corpore; fractas docta, & ultimas referre voces. Quid vox? nisi quiddam omnium vilissimum, & vix dignum commemoratu; & minima inter prædicamenta portio, & ipso situ inferior? Quare & Joannes Baptista; cùm esset plenus Deo, & plenus sui cognitione, æstimans se Deo collatum nihil esse, rogatus; quis, & qualis esset; ut suam inanitionem exprimeret, cùm nihil vilius occurreret; vocavit se vocem; Juxta illud Lucæ 3. & Isaiæ 40. *Vox clamantis in deserto.* Et quid enim est homo, Deo comparatus? nisi vox inanis, sine viribus, vel potius nihil; vix punctum in linea. Ut igitur homines se nihil esse fateantur; sunt tot voces, quot homines, agnoscimus illas prius, quàm cernamus; sonitus, scilicet, est, qui simul repercussus, interit in aëre: qualis est vita principum, quorum memoria transit cum sonitu. Alia est vox creatoris; vox admirabilis; vox virtutis & potentiæ; cujus vox, est operatio suæ voluntatis; cujus dicere, est facere. *Ipse dixit, & facta sunt*: ipse dixit, fiat cælum; & factum est: fiat terra; & facta est, quæ non erat. Psalm. 28. *Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentiâ. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani; & comminuet eas, tanquam Vitulum Libani; & dilectus quemadmodum filius Vnicornium. Vox Domini præparantis cervos*, & difficillimi partus faciles facit. Vox Dei admirabilis; & cur non admirabilis, cujus nomen admirabile? quod si quæris, filius Dei nominatur? Verbum Dei patris. Vox ergo infinitæ potentiæ, quia formatur ab infinito Deo & sanè quæ de vocis inanitate, & subito interitu dicta, & verissima videntur; Attamen si dixerimus nihil videri vocis humanæ potentiâ fortius, violentius & operatione suâ horribilius, putarim verissima dici. Quanta potentia vocis regiæ? An non videmus ad sonitum vocis, exercitus maximos concurrere? in ferrum gladiosque promicantes, & ipsam mortem præsentissimam irruere, nec nisi ad sonitum tubæ, furiosam lanienam irasque frænare? Alexander Severus juvenis imperator legiones Romanas voce terrebat. Sicut & Marius septies Romæ consul, voce, ad se trucidandum ab accessu missos milites fugavit. Vox in magnis viris semper magnas vi-

A res exercuit. Quanta potentia in voce Josue, qui imperavit Soli stationem immobilem? quanta in Eliæ, qui cælum tres & amplius annos clausit? Quid hîc dicam de stupenda operatione 8. vocum à sanctissima Virgine prolatarũ? Quid prodigiosius, quàm unius Virginis? vocibus pacem terræ cæloque dari; quæ si non darentur exitium orbis permitti? Dum ergo trepidante totâ rerum naturâ SS. Virgo Deo assentitur hisce verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ruiturum Orbem & suis ruinis sepeliendum sustentant quò staret ejus incolumitas cũ amnistia, & oblivione omniũ malorum; atque omnis felicitas totius orbis publicatur: & sanè quò quis Deo plenior; eò

B vox plenior, & potentior: trahit enim omnem suam vim, & potentiam ab Inquilino Deo, qui loquitur: *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10. vers. 20. *qui & locutus est per os Sanctorum.* Luc. 1. vers. 55. sicut Filius Dei non loquebatur à semetipso: *si quis*, inquit, *voluerit voluntatem ejus facere; cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit: an ego à meipso loquar.* Joannis 7. vers. 17. *Verba quæ ego loquor; sicut dixit mihi Pater, loquor.* Joannis 12. vers. 50. & de Spiritu sancto scribitur, Joannis 16. vers. 13. *Non à semetipso loquetur; quæcumque audiet.* & Paulus 2. Corinth. 2. 17. *In Christo loquimur*: & *loquebatur enim Christus in illo.* 2. Corinth. cap. 3. vers. 3. &

C Actor. 18. fervens spiritu loquebatur. Quo quis Deo plenior; plenius, & magnificentius & efficacius, & salutarius voce loquitur, & intonat. Filius Dei, infinito Deo Patre plenus, infinitam virtutem suæ voci communicat, quam Pater dedit, & Spiritus sanctus à Patre, Filioque procedens; & totus in utroque enunciat, infinitam Patris & Filii potentiam suæ, quam ab utroque accepit, Patri, & Filio par, & coæternus. Virgo autem Deo plenissima, quem in utero portavit plenissima in animæ nobilibus partibus; voluntate scilicet, intellectu, & memoriâ; tota dein divina facta, quam potentiam, quale regnum, & imperium non exercuit voce suâ Maternâ, voce suâ Regiâ, voce suâ leoni-

D nâ, quæ leonem peperit? Pater ergo æternus, sicut in Filio loquitur, cui dedit omnem suam potestatem, & jus in omnia creata: sic Pater tanquam suæ filiæ; & filius suæ Matri ad similitudinem impertitur vocis suæ potentiam: ut Pater, & Filius omnem suam potentiam, jure naturæ sibi debitam consignent. Filius totus quantus Medicus, & salutaris mortalibus fuit: tota pariter & Mater medica, & salutaris: Filius solo vocis imperio; Mater solo vocis imperio, mortuos animâ & corpore jubet cælo, vitâque donari. Ut paucis absolvam omnia: vult Filius Augustam Matrem omni jure suo, quantùm potest, omni & privilegio, & gratiâ gaudere, & omnia bona esse communia; vult omnia

nia bona esse communia; vult omnia labefactata per illam fulciri, & læsa sanari, & ruitura, suis humeris innixa cohærere, & malè nata renasci, arida revirescere, & mortua reviviscere.

Age Lector: videamus quo ritu, quibus sacris initiatus fuerit Joannes Baptista matris arcano recubans cubili. Virgo Sanctissima Deo gravida urgebatur à Filio, his vocibus: *Surge, propera amica mea, ostende faciem tuam* servo meo futuro: *sonet vox tua in auribus* ejus; vitam, & misericordiam tribuas ei: visitatio tua custodiat spiritum ejus. Deproperat Virgo, instar sacræ Amazonis, collectâ in nodum veste, stipata mille Choris Angelicis: incedit Virgo nubis levis instar, quam, juxta illud Isa. 19. vers. 1. *Ascenderat Dominus super* nubem *levem*, quæ juxta Ezechielem 32. vers. 7. *solem tegebat*, solem Justitiæ, solem æterni Patris. & ecce, intrat domum Zachariæ, & expandit misericordiam Dei in tempore tribulationis: quasi nubem pluviæ, tempore siccitatis, expandit nubem in protectionem Prophetidis futuræ: nam ut nobilissimâ voce salutavit Elizabetham, vel Syrus habet *precata est pacem*, & vox de nube egressa est, ad sonitum vocis *exultavit infans in utero matris*. Syrus *præ gaudio*. vel ut alia Lectio ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει: exiliit in exultatione futurus Vates summi Dei, teste Matre, Lucæ 1. *Vt facta est vox salutationis in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Vox salutis, & exultationis in tabernaculo Justorum, vox confessionis, vox epulantis: vox sancta, vox Dominæ in virtute, vox Dominæ in magnificentia, vox leænæ, quæ suscitavit mortuum Joannem, vox medica, per quam domui Zachariæ salus facta est; vox, cujus virtute confracta potentia peccati originalis & anima paruuli, rore gratiæ, & libero usu rationis donata. *Posuerat Dæmon signa sua hîc, signa sicut in exitu super summum*, id est, juxta Theodoretum, *tropbæa, quæ signa, & indicia victoriæ, super portam animæ Joannis locârat.* Venit Virgo, gloria Jerusalem, Virgo triumphabunda, & tubâ canit victoriam, dat vocem lætitiæ; & plena Deo, inspirat Joanni Deum, & erigit signa victoriæ filio suo, disjectis, stratisque dæmonis monumentis. Sensit puerulus vocem Dominæ; sensit & præsentem Deum, & exclamat nondum natus: Non expecto tempus nascendi; tempus novem mensium non est mihi necessarium. In me est, qui æternus est: temporis me Dominus vocat, qui sine tempore est: sum signum, sum tuba; significabo Christi Adventum, proferam Filii Dei in carne dispensationem: tubâ canam, ad vocem, & imperium Virginis: tubâ canam; Ecce Deus, Deus ipse in utero Virginis, me vivificat, & uterum maternum, in quo detineor adhuc invitus. Exibo; præcurram, & prædicabo omnibus: *Ecce Agnus Dei; ecce, qui tollit peccata mundi.* Vide

A mirabile mysterium, mirabilem & potentiam vocis Mariæ. Nondùm nascitur, & saltibus loquitur; nondùm apparet, & minas intentat; nondùm permittitur clamare, & per facta loquitur, & auditur; nondùm ducit vitam, & Deum prædicat. Exultat puerulus, instar Davidis saltantis totis viribus ante arcam Domini. *Et Arcam accincti Ephod lineo.* lib. 2. Reg. 6. Exultat, & triumphat candidatus Justitiæ; quia universi videt effectorem. Fervens nuntius, qui antè gestivit nuntiare; quàm vivere: impatiens Dux, qui antequàm veniret ad corpus, pervenit ad Regem; antè rapuit arma, quàm membra; antè petiit aciem, quàm lucem; & ut vinceret mundum, vicit antè naturam.

B Ipse sine visceribus, viscera matris exsuscitat; & quia tardabat corpus, solo spiritu implet Evangelizantis officium, & cùm verbis non daretur Regem affari, obverso vultu Deum adorat. An non hæc signa, prodigia maximi Gigantis futuri? Crœsi Filius semestris, locutus in crepundiis, prodigium exstitit casuri regni, quod & concidit capto Crœso: cui tamen pepercit Cyrus, flammis destinato. Tripudium, & exultatio Joannis, prænuntia eversionis regni Infernalis. Sigebertus infans, & Filius Dagoberti Regis, die quadragesimo à die Nativitatis, à Sancto Amando dum baptizaretur, respondit altâ voce: *Amen.* Sic Sigebertus anno 633.

C Noster Joannes Bapt. quasi novo tinctus rore Justitiæ, ut gratiam sensit, & saltibus nuntiat, clamatque libertatem datam. Et quid mirum? utar proverbio ἐν θύρᾳ γάλλος, in ostio formosus; Formosissimi, & Formosissimæ sentiebat præsentiam, sentiebat virtutem, undè & vitam, & formositatem suam trahebat. Undè Joanni tanta felicitas? qui antè meritus est intonare, quàm hominis fletu vagire: qui antè meritus, cælum scire, quàm terram: qui antequàm videret præsentia, futura meruit nuntiare: priùs ad cælum perveniret, quàm terram tangeret: antè cœpit vivere Deo, quàm sibi? Expers lucis, ex utero videt in utero sanctæ

D Arcæ Manna cæleste, id est, suum Redemptorem. Undè hæc mirabilia? & quis operatus tanta prodigia; nisi una vox sanctissimæ Virginis? Dotatur infans nondùm natus vitâ gratiæ; dotatur dono Prophetiæ, dotatur plenitudine Spiritûs sancti, dotatur usu rationis: dotatur & mater dono Prophetiæ, & Spiritu sancto repletur; omnia bona pariter venêre cum Virgine. Si ad primum affatum puerulus in tantum virum evasit; quantus ergò evasit, cumulatus commercio, & societate trium mensium? An non fuit totus quantus fuit, delibutus omnibus odoribus & unguentis cælestium gratiarum? Si Sanctorum non tantùm verba, sed & ipsi aspectus gratiâ pleni sunt, ut ait Chrysostomus homil. 3. ad populum; quanta ple-

ta plenitudo gratiæ, in verbis, & aspectu A Virginis sanctissimæ, quæ est Sanctum sanctorum? Sonet quæso, obsecro sanctissima Virgo, vox tua in auribus meis; trahe me post te: vox enim tua dulcis. Ostendisti mihi faciem tuam; facies enim tua decora, & curremus post te in odorem unguentorum tuorum; & salvi erimus.

Quid non restat dicendum in laudem generosissimi cordis? Si Salomoni instar arenæ quæ jacet in litore maris, collata sit latitudo cordis, & quanta Virgini Deiparæ, quæ Deum habet 3. Regum 4. cap. vers. 29. habitatorem & debitorem? An non *generositatem illius glorificat contubernium Dei?* Sapient. 8. Si totius corporis pulchritudo excedit omnem pulchritudinem, ut nihil æquari possit; quanta nobilitas cordis debebatur inæstimabili texturæ sacri corporis, B cujus velut templi inhabitator fuit Deus? Porrigebat se latitudo cordis ad omnes mortales, cui unus nō sufficiebat orbis. Sic omnes ut singulos, complexu suæ generositatis fovebat quasi unus foret instar omnium, & omnes instar unius. Dispergebat cum sole, suos favores nunquam lassata; donando, & nutriebat amorem donandi! O magnanimitas inexhausta regii cordis, quæ semper recens es laudes diffusi boni! supersedeo, nec plura conferam dictis in Consociatione humilitatis Virgineæ. Finio cum sancta Birgitta, quæ orat. 4. descripsit totius corporis magnificas opes: *Quotiescumque*, inquit, C *oculos levabas, eorum aspectus stellarum excedebat nitorem. Nasus tuus suavissimus. Lingua tua super omnes arbores fructifera. Lingua tua prudentissima ad audiendum, quam aliquis dulcissimus fructus ad gustandum: os tuum cum labiis tuis, super rosarum, & florum amanitatem: collum tuum cum humeris tuis, super omnium liliorum venustatem: ubera tua sacratissima, super omnes dulcissimos fontes aquarum: frons, & facies tua super Lunæ albedinem collaudantur: supercilia cum palpebris, claritatis nitore, solis radiis excedunt.* Quæ cùm ita sint, quis non fatebitur in pulchritudinis miraculo, adeò in- D vilitatæ, latuisse, & regnasse continuum aliud miraculum? An non miraculum, flammas non urere, in pulchritudinem non solicitari oculos? Vera vox est: *Lis est cum forma magna pudicitiæ.* Pertinax utrimque duellum. Hoc duellum sustulit pulchritudo Virginis: oculi quippe Virginis tam alios non inspicientes, quàm Virginem intuentes, castitatis dote ditabant. Ambros. hoc de instit. Virg. docet; *Si quos*, inquit, *inviseret, castitatis insigne conferebat.* Cassianus lib. 2. in Euang. c. 22. *Nec propter pulchritudinis excellentiam immundè poterat conspici.* Docet & Gerson de nativ. ex D. Bonavent. *Libidinem divinus ille aspectus exstinguebat quasi quidam frigidus ex oculis ros Virgineus expiraret.* Docet & Joannes major in Luc. cap. 1. *Ea visa infranis libido ut firmiter tonco extinguebatur.* Quid pulchrius & beato corpore? Nihil. Cui Deus contulit pulchritudinem, quæ necaret affectus carnis, felix caro in exitium carnis, & damna concupiscentiæ creata? In pulchritudine ergo inerat remedium pulchritudinis damnosæ. O ter beata mulier, cujus oculi spirabant sagittas nitoris cælestis, & impura vulnera casto vulnere curabat.

§. XVIII.

De Pulchritudine animæ sanctissimæ Virginis.

Virgineæ pulchritudo animæ immensa.

QUis pulchritudinem animæ Virgineæ assequetur? quis altitudinem, & immensitatem virtutum enarrabit? oceanum ingredimur, in quo quidquid aliis gratiarum per partes dividitur, in illo sine fundo, sine termino, omnes gratiæ collectæ concluduntur. An non Dei infinitam pulchritudinem singulorum suorum attributorum infinitudine, infinitâ, scilicet essentiâ, sapientiâ, bonitate, potentiâ infinitâ, denique simplicitate, nostro modo concipiendi, fabricatam esse fatemur. An non pariter animæ pulchritudo, quæ à Deo pulcherrimo pendet, ex justitiæ, sapientiæ, bonitatis, & ceterarum virtutum splendoribus consurgit? An non eò magis mentibus justorum Deus illucet incomparabiliter pulchrior, quo incomparabiliter mens est justior? An non Virginis pulchritudo tantò incomparabiliter excedit omnium Sanctorum pulchritudinem, quantò est omnibus Sanctis justior, & sanctior? Deus pulcherrimus est, quia omninò simplicissimus, & purissimus: pulcherrimus, quia omnino sanctissimus, & optimus: pulcherrimus, quia omnem perfectionem in se habet: pulcherrimus, quia non solùm illi inest pulchritudo, sed quia ipse est ipsamet pulchritudo, pulchra faciens, super omnia se ferens, pulcherrimus ipse. An non igitur Virgo pulcherrima, quæ secundùm Deum, & proxima Deo, purissima est omni puritate, ut ita loquar, conceptibili, vel imaginatiâ purior? An non sanctissima, omni sanctitate, qualis sub Deo cogitari potest, sanctior? An non perfectissima, quę omnem perfectionem, quæ creaturæ dari potuit, est consecuta? Et cur non inesset incomparabilis Virgini incomparabili pulchritudo, sicut in auro omnis aliorū dignitas, & bonitas inest metallorum; pulchra, & bona omnia faciens, & super omnes creatos Angelos, & homines sese efferens pulcherrima? Pulchrè Bonaventura in speculo cap. 8. *Quia Dominus opulentissimus est tecum, ideò tu es opulentissima, sive ditissima secum* juxta Proverb. 31. *Multæ filiæ cōgregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Omnes animæ justę congregaverunt divitias virtutum; sed Maria universas divitias supergressa

Tãtò anima pulchrior, quò justior.

Anima Virginis pulcherrima quia purissima.

Oceanus gratiarum est Virgo.

pergressa est. Et quando supergressa est? A Explicat idem sanctus cap. 10. Supergressa est, inquit, cunctas filias in natura, in gratia: supergressa est in gloria universas animas, & universas intelligentias: Matri quippè Dei, juxta Cyprianum de Divinitate Christi, plenitudo gratiæ debebatur. An non ideò Augustinus de naturâ, & gratiâ: Indè novimus illi tantam gratiam esse collatam, quia Deum meruit concipere. Quocircà Damascenus orat. 2. de dormitione Virginis: *Virgo* inquit, *vita thesaurus, gratia abyssus immensa.* Sanctitas ergò Mariæ, quia major sub Filii sanctitate intelligi nequit, nec in hac vita ejus sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi potest; *Incomprehensibilis* enim *Deus*, ut ait Ambrosius, B *incomprehensibiliter operabatur in Matre, nec quidquam præstantius conferri potest, quàm ut Dei Mater existat: ac ideò gratia respectu nostri quodammodo infinita est: ita nec major pulchritudo, qua ex gratiarum abundantia, & ejus proportione consurgit, nec excellentior, nec sublimior excogitari potest: qua eò magnitudinis processit, ut respectu nostri infinita esse videatur.* Quid solis pulchritudine sublimius, & admirabilius? Planè nihil. *Nihil habet Spiritus sanctus* (ut ait Petrus Damianus in sermo. de Assumpt.) *in invisibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet: multò enim altiùs se habet claritas solis, quàm lunæ; quia & si illa minores stellas obscuret, non* C *tamen penitus occultat: hic verò lucidiùs incandescens, ita sibi siderum, & lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virga Iesse veri luminis prævia, in illa inaccessibili luce perlucens, sic utriusque naturæ habet dignitatem, ut in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere.* Si ergo utramque naturam Virgo singularis, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum infinitis partibus exsuperet necesse est & pulchritudine prævaleat, quæ gratiis, & dotibus virtutum correspondet. An non decebat Virginem eâ puritate nitere, quâ sub Deo nequit major intelligi? Planè decebat. An D non decuit Virginem futuram Matrem Dei, à Deo sine mensura suprà omnem modum adamari? Decuit omninò. Ostendit ergò erga Matrem amorem (Doctore Anselmo de amore Dei erga Virginem) quo nullum putamus esse majorem. An non amori adæquatur gratia? Planè adæquatur. An non & pulchritudo animæ adæquatur, & par est gratiæ magnitudini? Par est. Cùm igitur infinitis proximè gratiarum dotibus fulgeat, infinitâ pariter pulchritudine fulgere necesse est.

Omnis gratia Virgini debita.

Quia Dei mater, gratia quasi infinita data.

Pulchritudo soli æquatur.

Sol obscurat omnia lumina, ita Virginea animæ pulchritudo reliquarum animarum pulchritudinem.

Pulchritudo animæ respondet mensura gratiarum.

Amor Dei conciliatur pulchritudinis.

Infinita ergo pulchritudo, quia gratia respectu nostri infinita.

§. XIX.

Quantis dotibus pulchritudo fulsit, ex victoria multiplici, triumphalibus Deum vicit, homines conciliat, inferos subegit.

AT quantis dotibus? Gratiam unionis hypostaticæ summam, quæ dari potest, credimus, & fatemur, ita est: hæc Virgini donata non fuit, quia aliter decretum. Quid nonmolita est Sapientia Divina? Architectata est creaturam, in quâ splendescerent omnes radii suorum attributorum, & gratiarum, quantum creatura capere potest sub gratia unionis hypostaticæ maximum. *Iure ergò* ait Bernardus *Mariam sole amictam, quia profundissimam Dei sapientiam ultrà quàm credi potest, penetravit: ut quantum sine personali unione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* An non gloria, & gratia simul comites pulchritudinis causæ sunt generatrices? Electa ergo, & perelecta ut sol, quia sol solus orbem illuminat: sic hęc sola solidiori lumine & Angelos, & homines illustrat: ut sit in Maria gratia super omnem gratiam omnium beatorum. Cùm igitur interna pulchritudo, ut sæpiùs dictum est, in virtutum Majestate, ut corporis in colorum temperie & membrorum compositione consistat quomodo assequemur nobis ignotam? Qualis tamen, & quàm incomprehensibilis fuerit; audiamus Gersonem in Alphabeto cap. 32. A. Littera. *Forma*, inquit, *Maria tam grata, tam incredibili formositate refulgens inventa est, ut concupisceret Rex speciem ejus, & ob illius formam, acciperet formam servi. Quanta, qualisque ejus putanda est pulchritudo totius, quandoquidem in uno oculorum suorum dicit sponsus se vulneratum.* Quemadmodum in operibus nostræ miracula naturę reperimus, cur non vocemus illam, miraculum gratiæ in genere sanctitatis, soli Filio cessura, qui & miraculum naturę, & gloriæ simul fuit. An non ideò Psalm. 70. de illo canitur: *Prodigium factus sum multis.* Ubi Caietanus vertit: *Miraculum factus sum multis; imò miraculorum omnium summum, & indicibile miraculum, qui ex Virginis utero prodiit, quem Sancti vocarunt officinam miraculorum.* Filius in quantum homo, miraculum omnium virtutum, & pulchritudinis: ita & Mater, inferiori tamen gradu; miraculum, & vexillum pulchritudinis. An non miraculum ingens, ipsum Deum apparatu pulchritudinis Marianæ vulnerari (humano more loquendi)

Gratia unionis hypostatica summa.

Deus magnus Virginis amore captus.

Virgo miraculum sicut Christus.

Deus sancius.

quendi) & vulneratum exclamare, Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*, & ad vulneris sensum, easdem voces amoris ingeminare: Vulnerasti cor meum. An non stupetis Chori Angelorum Magnum Deum minimâ parte pulchritudinis Marianæ in uno oculorum tuorum, ut loquitur, in uno crine colli tui sauciari? & quò vulneris, & amoris amplitudo cognoscatur, Septuaginta habent ἐξεκάρδιωσας ἡμᾶς, id est, excordiasti me, & stupefecisti me. Quid mirabilius quàm Deum vulnerari, unoque oculorum vinci, unum aspectum sufficere, nec opus alio telo? Quanta victoria unius oculi, cui Deus Omnipotens succumbit? Quantus triumphus victoris oculi, quo Deus ipse captivus vincitur? An non captivus, dum Cælo detrahitur, illectus Virginis pulchritudine in Virginis uterum? Ubi potentia infinita invicti Samsonis, qui non funibus, sed uno crine Virginis ligatus tenetur? Pulchrè Septuaginta Deum captivũ, & ligatum depinxerunt, dum illud Cantic. 7. cap. *Coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus*. ita transtulerunt, Cæsaries capitis tui, sicut purpura Rex ligatus in canalibus. Habes hîc Regem ligatum, sed quid Regi potentissimo cum canalibus? crines sponsæ canalibus cur comparantur? *Coma capitis tui sicut purpura Regis juncta canalibus*. An quia aquæ, dum se invicem citatâ pernicitate trudunt, evoluuntque, & præcipiti de monte volutæ crispantur undulis sibi mutuò occurrentibus: sic & capilli sponsæ crispuli, quasi undulatim fluitant, quorum tanta est formositas, ut uno solo crine colli infinita potentia teneatur ligata? Si tanta pulchritudo unius oculi: si unius crinis tanta formositas, quantum instar in totâ specie? Verùm quid unus crinis? quid unius oculi intuitus, nisi unius humilitatis Marianæ inexplicabilis pulchritudo? quæ dum se minimam reputat; & se summam in infimum proiicit gradum; dum Princeps, Dominaque se ancillam denominat, Deum ad se inclinat & cælos, & caligo sub pedibus ejus, dum inaccessibilis lux caligine nostræ naturæ sese vestiuit. Potuit Virgo, ut Romani, & aliæ nationes, signa circumferre, vexilla erigere; ut Romani, aquilas: Germani, has bifrontes: Galli, lilia: Angli purpureas rosas: Poloni, aquilam albam: Turcæ cornua lunæ: Persę, solem: sic Virgo vexillum suæ pulchritudinis, & victoriæ. Quemadmodum vexilla præferuntur Regibus, tanquam Majestatis Regię tessera, & symbolum; ita Virgo stat ante Dei conspectum, præferens Divinæ pulchritudinis tesseram, & symbolum, & ideam, & formam, in qua, & ex qua Divinæ pulchritudinis datur speciem contemplari. Georgius Venetus in harmonia mundi tom. 5. cap. 7. ait Judæos inter sua abditissima arcana describere creaturam, quæ ceteris omnibus pulchritudine antecellit, & quasi Dominam, & Principem ceterarum, quam *Mitraton*, id est, Principem facierum appellant, quę summo Deo, & Imperatori astar, & quos placuerit, ad Regis aspectum admittet, & iis quos sua cura fovet, Deum conciliet. Hanc verò creaturam, Virginem esse, & numerum litterarum, quibus nomen *Mitraton* conflatur, demonstrare: qui conficit numerum 999. quæ litteræ reddunt nomen Virginis Mariæ. Hebraica enim lingua quatuor litteras gestat: est enim Hebraicum nomen *Miriam* dissilabum cum accentu in ultima pronunciato, tanquam consonante. Quis non miretur Principem facierum vocari, cùm in illius animæ facie, omnium creaturarum species, forma, venustas, pulchritudo concludatur? Præfert itaque in primis vexillum amoris Divini, cui inscribitur: *Flammis amoris vinco vivoq;*. An non instar carbonis omnes accendit? Accendit. *Lampades enim ejus, lampades ignis, atque flammarum*. Cantic. 8. Ubi alia versio habet: *Alæ ejus, alæ alatæ, quibus orbem pervolitat, atque accendit*. Undè præclarè Idiota attexit illa verba: *non est qui se abscondat à calore ejus*. Longè positis illuminat; radiis misericordiæ suæ sibi propinquos per specialem devotionem accendit; & sic non est qui se abscondat à calore ejus. An non ideò per Saram Abrahæ conjugem adumbratur, quæ Dominam, & carbonem sonat teste Bonaventurâ c. 8. in speculo: est Domina, & carbo ignitus, quia in omnes dominatur potestatis imperio, & jaculis carbonis, & charitatis ignitę. Præfert vexillum felicitatis suæ: nam omnia bona pariter ex pulchritudine animæ illi obvenerunt. Quemadmodum Estheri, cujus pulchritudinis intuitu Rex Assuerus victus, dimidiam partẽ regni sui permisit, liberamq; omnium rerum postulationem. *Pete*, inquit, *quod vis*. Et cur famulantur illi duæ pedissequæ, quarũ uni innititur deliciosè recumbẽs: altera vestem fluentẽ colligit, levatq;? An nõ Virgini omnia cesserunt cæli obsequia? An non utraque natura in famulatum cessit, & servitutem? An non Angelicæ naturę, quasi Domina triumphans innititur? & humana, inferior conditione à longè adorat, & volumina vestis veneratur? Præfert vexillum victoriæ. Et cur nõ præferret, cùm pulchritudo ipsius, tota quanta est, tota victoria est? An non in unâ Virgine tot victoriæ, quot virtutes? An non tot operum, & miraculorum trophæa, quæ noctes, & dies, Angelos, & homines excitant (& si liceat maxima parvis conferre, ut Miltiadis tropheā Themistoclem,) quot opera, & facta grandia virtutum? An non ideò Canticorum 7. statura Virginis est assimilata palmę, quasi nihil aliud, nisi palmam, & victoriam loquatur ipsius pulchritudo virtutum? virtus enim loquax est, quâcumque parte circumspicitur. Quid videmus in Sunamite nisi choros castrorum? Quid choris cum castris? quid

Deus excordiatus. *Deus captivus.* *Crines cur canalibus comparati.* *Quis crinis ita Deo gratus.* *Signa sua gentes circumferunt Virgo & suum vexillum.* *Vera creatura omniā potens & Deum concilians.* *Cur Virgo vocatur Princeps facierum.* *Vexillum amoris præfert.* *Virgo est altera Sara.* *Altera Esther.* *Angeli hominesque famulantur.* *Vexillum victoriæ.* *Cur choris Castrorum comparatur Virgo.*

Cur choris Castrorum comparetur Virgo.

quid palmæ cum fraxino; & lanceis? A quid musicæ cum clamoribus bellicis? Attamen in Virgine nihil vides, nisi Choros castorum? victorias virtutibus bellatricibus partas. Non mirum ergo si Deo mulier principatur, ut ait Bernardus, dum in utero portat, dum infasciat, dum ad ubera premit, dum circumfert, dum alit, educat, format, & puellaribus, ut mater, ancillatur obsequiis. O nobile vexillum victoriæ, dum cælum, & Cæli Monarcham inclinat, & infernas acies pedibus conculcat, & per Filium suum Chirographum decreti delet, Coloss. 2. *Et cruci affigit, expolians Principatus, & potestates, traduxitque palàm confidenter de illis triumphans.* Pro eo quod nos habemus, *traduxit*, Græcè habetur ἐδειγμάτισεν, quod ad verbum sonat, *exemplavit*, seu posuit in exemplum Christus: & Virgo per Christum, dæmones subactos demonstravit, sumpto scilicet de illis exemplari supplicio. An non ad hoc allusit Salomon exclamans, dum solicitè quærit Proverbior. ultimo: *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum.* Hæc est illa mulier fortis, quæ suâ pulchritudine, & virtutum specie sine armis, sine telis, sine fortibus lacertis Dæmonum robur contrivit, atque subegit, & quotidie spoliat regnum Dæmonis, dum Christianis arma, favores, & cælestes gratias submittit.

Vexillū victoria cōtra Dæmones.

Sine armis Virgo victrix.

Præfers ergò Virgo vexillum amoris Divini; præfers & victoriæ; præfers & pulchritudinis, quam à nulla creatura mutuâris. Pulchrè Philo libro 1. de Monarchia: *Sicuti lux à nullo illustratur, sed seipsâ seipsam ostendit: sic Virginis pulchritudo à nullius creaturæ pulchritudine illustrari potest.* Pergit Philo: *Sicut Deus nullis hominum operibus illustrari potest, sed Divinâ suâ essentiâ solus seipsum illustrat: sic Virgo, quæ sola Deo inferior, nullis externis virtutibus illustrari potest, quæ ut Sol suis radiis, suâ pulchritudine splendet, ex cujus splendore, tanta undique fluxerat pulchritudinis Majestas, ut cælestes creaturæ, ut oculi nostri, ad solis hujus fulgorem attoniti hebescant, atque obruantur.* Faciamus finem illius pulchritudinis, cujus certè finis nullus dari potest.

Sua se luce signat.

§. XX.

Amplior dilucidatio ex contextu sacræ Scripturæ.

ADaptemus tamen priusquam finem demus, quæ ultimatè ex Sapientiæ libro, capite 7. versus 25. Pulchritudini, Sapientiæ attribuuntur. *Et quid est Sapientia, nisi candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius?* Ubi Syrus sic habet: *Splendor est lucis, & incorruptibile speculum gloriæ omnibus servis Dei, & forma gratiæ illius.* Et Arabicus: *Quia ipsa est splendor lucis perpetuæ, & speculum operis Dei, in quo non est macula.* An non & Virgini post Christum, tanquam Christi Matri accommodari hæc possunt? An non ipsa est vapor virtutis, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera? An non ipsa est candor lucis æternæ? An non ipsa est speculum sine macula Dei Majestatis? An non est imago bonitatis illius, in qua Deus se contemplatur? Quid quæso Virgo tota, nisi vapor charitatis, id est, tota charitas? sicut enim vapor est ejusdem naturæ cum re, è qua evaporatur, ut docet Aristoteles sectione 13. Problemat. & alibi: & sicut vapor quidquid in rebus odoratis, vel distillatis est præstans, possidet, & totum earum succum haurit, penitusque imbibit: imò, ut quidam doctiùs affirmant, intimam essentiæ virtutem, & robur eductum sublimiori, & puriori modo continet. Hinc & Sapientia Divina vocatur vapor potentiæ Dei, quasi sapientia totam omnipotentiæ Divinæ vim, ex qua quasi exhalat, haurit, atque imbibit. Sapientia ergò, vapor est virtutis Dei, id est, quiddam subtile, & odoratum, quod à Deo afflatur, hominemque Divino vapore, & odore recreat. Est præterea sapientia, vapor, quatenus à Deo, Deique potentia, & potenti operatione emanat in creaturas. Quam pulchrè ergò & nos vocabimus Matrem Dei, vaporem charitatis, & virtutis Divinæ suavissimam pulchritudinem. An non à Deo, qui Charitas est, oritur ipsâ puritate purior, ipsâ charitatis igne ardentior? contrahit quippè ipsa in se omnes, quas longè, latèque flammas charitas diffundit. Plato Prometheum virum sagacem ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est, à providentiâ vocatum, fingit ignem cælo furatum, ut omnes luteos mortales incenderet. Virginem Matrem Prometheam vocemus, quę sacros ignes suæ pulchritudinis sacra ex arce jaculatur, ut sacris ardoribus, & cælestibus flammis uramur. Vapor ergò est charitatis, imò charitas Maria, & candor puritatis. *Imitemur ergò* (clamat Divus fortè Idelfonsus orat. 1. de Assumptione) *signaculum fidei nostræ*

Virgo est candor lucis.

Virgo speculum.

Vapor charitatis.

Vapor charitatis Virgo.

Prometheus ignis calestis fur.

Virgo Prometheo similis.

Mariam, quam velut ignitum ferrum Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, atque ignivit: ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantùm videatur, nec quidquam sentiatur, nisi tantùm amoris Dei ignis. An non *speculum sine maculâ* ut ait Anselmus de excellentiâ Virginis c. 3. *Nulli*, inquit, *dubium, castissimum corpus, & sanctissimã animam ab omni macula peccati funditus liberam fuisse, jugi custodiâ Angelorum protectam, utpotè aulam, quam suus, & omnium Creator Deus corporaliter erat inhabitaturus, & ex qua hominem in persona sua unitate, ineffabili furrat operatione suscepturus.* Verùm speculum tersissimum, lævissimum, lævigatum clarè repræsentans Dei Majestatem, & pulchritudinem. Verè quantus Deus sit, ignorat qui Virginis, & ejus speculi pulchritudinem non stupet, non admiratur. An non Virgo, imago bonitatis illius? An non à Deo omnia bona? An non inventâ Mariâ, invenitur omne bonum? An non fons bonitatis, repræsentans Dei bonitatem, qui est supremus fons omnium bonorum, à quo Virginis bonitas dimanat? Sicut ergò imago vultum exprimit ejus, cujus est imago: sic Virgo pulcherrima, quantum fieri potest, tanquam in imagine Dei bonitatem repræsentat. Concludamus ergò pulchritudinem Virginis, esse abyssum pulchritudinis; quemadmodum ipsa est mare, & gratiæ abyssus. Sicut mensura gratiarum, & Charitatis, est mensura pulchritudinis: necesse est ergò omnium Patrum judicio, esse quasi infinitam. Et sicut dos Maternitatis est quasi infinita: ita possidet infinitam quamdam gratiam. *In Matre enim Dei*, teste Divo Thomâ 3. propos. quæst. 7. art. 10. *gratia proportionata est dignitati, & gratia pulchritudinem sibi proportionatam vindicat. Virgo ergò vitæ thesaurus*, ut ait Damascenus orat. 2. de dormitione, *& gratiæ abyssus immensa: necesse est, & illam esse thesaurum, & abyssum immensam immensæ pulchritudinis.* Ne tamen conjuratis hostibus Virginis arma ministremus; dicimus infinitam pulchritudinem Virginis; non quod infinita sit: quis enim ignorat maternitatem esse dotem, & dignitatem entitativè absolutè finitam? quis ignorat Virginem esse purè creaturam, ac proindè crescere donis, & gratiis posse? dicimus tamen Virginem sic esse immensæ, & infinitæ dignitatis, quia titulo Maternitatis nihil addi potest: sicut nec visioni beatificę, quâ nihil melius excogitari potest, nisi Deum meliorem velimus. Dicimus ergò infinitam, quia proximè Deum attingit, & Deum ut objectum infinitum respicit. Nihilominus cùm dicimus infinitam; ex vero dicimus, quia omnem intellectum creatum tantâ exsuperat claritudine gloriæ, tantâ gratiarum abundantiâ, tanto pulchritudinis splendore, ut nullus quantumque elevatus intellectus concipere, vel definire possit, nisi parem Virgini gratiam consequatur. Et quia humano A more illa nuncupamus infinita, quæ nobis incomprehensibilia videntur: eâdem ratione dicimus Virginem infinitæ dignitatis, & pulchritudinis, quam solus capit ille, qui auctor tantæ pulchritudinis fuit. Respectu ergò Angelorum, & hominum dicamus infinitam, cui gratia proportionata debetur ratione Maternitatis, qui titulus est infinitæ bonitatis.

Speculũ sine macula.

Maria fons boni post filium.

Est imago Dei Virgo.

Quomodo intelligendũ Virginem infinitè pulchram.

Nullus intellectus capax pulchritudinis Virgineæ.

§. XXI.

Columna Virginis pulchritudini erigenda cum inscriptione, Non plus ultrà.

B PUlchritudini ergò infinitæ columnam Regiam erigamus; non contenti Herculeâ columnâ; contenti tamen ejus inscriptione: *Non plus ultrà.* Nam ubi inscripsero Virginem Matrem, Dei æterni consilii opus; nihil plus ultrà dici potest; hîc subsistendo, nullâ spe ulterioris progressionis, nisi ad infinitum oceanum Divinitatis progrediamur. Ipse Deus qui creavit illam Matrem in Spiritu sancto, novit illam solus. Quam columnam misera mortalitas tantæ Majestati Virgineæ poterit fundare, cujus Deus ipse auctor exstitit, & est summus admirator, quam mens humana assequi nullâ ratione potest. Et quia carnalis homo, & sensibus obnoxius, non potest nisi verbis amatoriis C pulchritudinem depingere; ideò & ipse Deus tanti sui operis pulchritudine captus, admirabundus, & quasi jactabundus exclamat, Canticorum 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*: juxta Septuaginta, & nostram versionem. Juxta Hebraicam verò: *roboraverunt me, superaverunt me, extulerunt me*; & ideò inscriptio melior dari non potest, quàm *Non plus ultrà.* An non est hoc opus, miraculum rarissimæ omnipotentiæ Divinæ? Ubi Zeuxis Adonidem pinxit, an non penicilli sui, & artis potentiam roboravit? An non judicio hominum, & suo seipsum superavit, ut possit dici, *Non plus ultrà?* An non Oratorum Princeps seipso D major factus, dum supremum Oratoris opus explevit? Et Demosthenes suam eloquentiam, eloquentiâ postremi operis superavit? ut uterque in suis Philippicis palmam eloquentiæ statuerint, quasi terminos eloquentiæ attigisset. *Non plus ultrà.* Hîc sistendum: hîc meta eloquentiæ. Sic & præstantissimi Duces, & Imperatores in summa rerum desperatione omnes artes, & consilia suprema bellandi convocant, ut actibus Imperatoriis nihil addi possit, & dici, *Non plus ultrà.* Sic Hannbal Romanorum terror seipsum in instruenda acie contra Scipionem Africanum sub oculos Carthaginis trepudantis, & omnes artes Imperatorias admirabili industriâ longè clarior se vicit, ut dici possit,

Deus captus operis sui pulchritudine.

Zeuxis captus penicilli sui industria victusque.

Cicero & Demosthenes seipsos vicerunt.

Annibalis summum opus.

possit, *Non plus ultrà*. An non Julius Cæsar, qui quadragesies novies signa contulit, & quasi Martis pullus semper pro laude pugnavit; in bello Hispaniensi contra Pompeii liberos præliaturus, in ultimo discrimine solers, suique magister fuit: dum veteranus miles, qui nunquam quatuordecim annorum spatio pedem retrò tulerat, stetit, ancepsque animi quasi ex condicto, in medio ardore certaminis silentium fecit, & post tot victorias retrò gradum tulit? An non, inquam, tum Julius quasi amens animi, rejecto equo, remotâque galeâ in primam aciem procurrit, prensat fugientes, confirmat, oratque ne se pueris proditum irent, manus, clamorem per totum agmen contulit? An non arrepto gladio in primâ acie pugnans, majoris Cæsaris speciem dedit? An non illo die supremum operum exegit; dum quasi à fortunâ desertus, desertæ fortunæ victor evasit, factus seipso gloriosior, ut inscribi tantæ Victoriæ possit, *Non plus ultrà*? An non Magnus Deus mirificè suæ potentię magnitudinem ostentavit, extulitque, cùm creaturam ad Divinitatis suæ quasi consessum provexit: in cujus utero, velut throno Salomonis, cui opus simile non fuit in omnibus regnis, decreverat sua Majestas conquiescere, ut ibi ineffabili modo esset Divinitate præsens, qui Divinitatem suam sacræ humanitati ex Virgine assumptæ ineffabili unione conjunxerat: ita ut caro Virginis supra omnem cæli militiam, & ultra omnem altitudinem potestatum in trophæum, & potentiæ, & sapientiæ, & pulchritudinis Divinæ, ita sublimiter attolleretur, ut ipse cultus auctor sui operis excellentiâ captus, quasi seipso major, seipsum vicisse videretur, ut inscribi meritò posset, *Non plus ultrà*? An non Rabbi Salomon, dum locum suprà citatum explicat, Cantic. 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*. ideò sic verti voluit, *quia ipsi me superbire fecerunt*? An non utriusque lectionis pulcher, & amœnus concentus? An non superborum magnus animus in altum levatur? An non altum sapiunt, imaque despiciunt? An non aves volatu in altum se librant? An non audaci pennâ, excelsa petunt? An non ipse Deus more humano operis sui magnificentiâ conspectâ, de sua potentia, sapientiaque videtur gloriari, & superbire, quod tale, tantumque opus elaborasset; cui meritò inscribi debeat. *Non plus ultra*? An non Assuerus superbiebat pulchritudine Reginæ Vasthi, quam (Esther cap. 1.) posito super capite ejus diademate, jussit introduci, ut ostenderet cunctis populis, & Principibus pulchritudinem ejus: erat enim pulchra valdè; insinuans, Non plus ultrà dari posse. Ælianus li. 12. de Aspasiâ Hermotimi Phocensis filia scribit Cyro nupsisse, quæ omnes suâ ætate Virgines, formæ elegantiâ superaret, & Cyrum sibi captivum fecit. Nec mirum;

Iulii Cæsaris supremũ decus quo Cæsar se vicit.

Maria supremum operum Dei.

Deus visus superbire operis sui magnificentia.

Cyrus rex grandior factus nuptiis.

A superbior enim formâ, nec pulchrior dari poterat.

Qualem ergò columnam, & statuam Virgineæ Majestati dedicabimus? Si Romani suis, qui se domi, forisque præclarè gesserant, statuas vel marmoreas, vel æreas, vel columnas statuis impositis in famę perpetuitatem erigebant; cur non sacræ Virgini, communi totius orbis Parenti pro meritis, & dignitate tātæ Majestatis statuemus? Scio quidem nullam esse speciosiorem statuā, quàm sit honorifica bene actæ vitæ memoria, & nobile monumentum, facinora nobilia: attamen cùm virtus magna, & Divinitati proxima, omne pretium non solum exęquet, verùm etiam excedat: nihil justius videtur,

B quàm omnibus honoribus, & trophæis, & odis virtutem prosequi, attollere, & in theatris, foroque decantare, & tot statuas erigere, quot ingentia facinora promeruêre. Et sanè cur magnorum virorum, & feminarum imagines non habeamus incitamenta animi, & natales celebremus, & ritu Divino, ut sic loquar, colamus? ut docet Lucretius. Populus Atheniensis Demostheni mortuo in Calvaria Insula statuam, ob eloquentiæ gloriam erexit, cum hâc inscriptione:

Menti Demosthenis par si tu robur haberes,
Non foret Æmathiâ Græcia victa manu.

Ptolomæus Philopater Homero templum exstruxit, & ipsum sedentem collocauit; circumcircà juxta simulachrum Civitates, quæ Homerum suum civem sibi vindicabant.

C Sic Ælianus lib. 13. Variarum historiarum. Caio Mario, ob domitos Cimbros, & Patriam summâ trepidatione liberatam, in omnibus Vicis Tribus Romanę statuas posuêre. Sic Plutarchus. Sic & ob tyrannos sublatos, teste Aristotele, & Plinio lib. 32. cap. 4. Harmodio, & Aristogitoni, statuæ Athenis in foro collocatæ. Marco Aurelio Antonino, ob orbem pacatum, statua pacificationis Equestris data. Capitolinus. Leoni Decimo, & Sixtis Pontificibus marmoreæ statuæ dicatæ ob prolixam liberalitatem à populo Romano, cum hac inscriptione: S. P. Q. R. Leoni Decimo. Sic Jovius lib. 3. in Leone. nónne decebit hos homines numero Divum dignarier esse?

D Georgio autem Leontio suæ ætatis literarum studiis præstantissimo, universa Græcia in templo Apollini Delphico, statuam ex solido auro posuit. Valerius Maximus libr. 8. cap. 6. Tota antiquitas mirata fuit mulierem Hemorrhoissam, quæ ausa Cæsareæ Philippi, cujus Oppidi erat mulier, duas statuas æneas fusili opere in apertum proferre: unam Christi, manum porrigentis supplici; alteram sui corporis in genua provoluti, & supplicantis more, manus extendentem. Hanc testatur Eusebius lib. 7. cap. 18. suo tempore exstitisse, de quâ aliàs.

Præter morem Romanum; & simul reclamante Catone, Corneliæ Magni Africani

Romani suis heroibus statuas & columnas erigebant.

Virtuti statuæ ... magna.

Demostheni statua dicata.

Homero & multis aliis statuæ dicatæ.

Mulier Hemorrhoissa Christo Domino æneam statuam.

filiæ & statua decreta. Desino ergò mirari: si & Sibyllæ Romę juxta rostra. Plinius lib. 34. cap. 1. Mirum dictu, quod nulli mortalium contigerit, 360 scilicet statuas per annos decem dicari, quàm uni Demetrio Phalareo Athenis, quibus per annos dominatus fuit; quæ & vix annum suæ stationis expleverunt. O inconstantiam popularis auræ! Sic Plinius lib. 3. cap. 6. Plutarchus in politicis. Prætermitto Zesostrem Regem, qui statuis immortalem famam suarum victoriarum dabat, & dilatabat, & regna subacta luculentis titulis, & statuis signabat. Si hic ob Imperii dilatationem; & Demetrius Phalareus ob sua facinora, statuas meriti, si Sibyllis, & Corneliæ, & Christo Domino sanitatis datæ causâ statuæ erectæ; si Georgio Leontio aurea, & duobus Pontificibus marmorea, nec non Tyrannicidis egregia, & elaborata, & Homero templum, propter operis dignitatem statua decreta: si omnia sæcula, victoriis eloquentiæ, magnis virtutibus, & facinoribus; qualia sint, pacasse orbem, quod decus Herculis? quot statuæ non debebantur uni soli Virgini, in quâ invenies tot decora magnarum virtutum, & Divinorum facinorum quot in omnibus mortalibus? An non illa debellavit, misitque sub jugum superbissimos exercitus infernales? An non vi suæ eloquentiæ placat iras Divinas, & conciliat nobis Deum? An non illa pacavit orbem? An non illa est Mater sapientiæ? An non illa per Filium omnes victorias cælo, terrâque peperit? An non dilatavit fines imperii Divini? An non illa est salus infirmorum? An non est Regina Vatum, & Regina Virginum? Prætermitto quamplurimos titulos, qui suas, singuli, statuas demerentur. Quot ergò consecrabimus columnas, & statuas Virgini? non mille, & mille sufficerent: nec mille, & mille templa, nec ulla trophæa tituli, & statuæ marmoreæ, argenteæ, aureæque: si justa decora dignitati Virgineæ persolvenda. Non sufficit ergo erigendæ statuæ pro dignitate Virginis, & Matris Dei, universa mortalitas. Tres Pyramides, quæ inter tria orbis miracula numerantur, extollit Ægyptus. Velim istarum trium maximam, Virgini consecrari. Fateor à Plinio, & Herodoto, opus ad stuporē celebrari. Diodorus lib 2 à CCCLX. hominum millibus vingiti annis constructam scribit. Continebat illa octo soli jugera, quatuor angulorum paribus intervallis per DCCCXX. IIX. pedes: laterum autem altitudo, pedes XXV. quam sibi fecit Chemis Rex, ut in eâ sepeliretur (credebatur enim aliquando mortem immortalitas secutura, & ideò honorificè corpora recondi volebant, tanquam animæ sacra domicilia.) Ingentis pretii est Pyramis ab Augusto Cæsare Romam ex Ægypto deducta: prodigiosum sanè opus, quod ex unius lapidis contextu in altum ——— consurgit, &

Si tam variis cur non Virgini, statua dicabitur.

A etiam nunc Romæ spectatur, in qua triumphale Domini nostri crucifixi trophæum radiis coruscans stat infixum. Verùm etsi hæc magnifica, rara, & inusitata sint monumenta, inferioris tamen sunt pretii, ut tantam Majestatem honorent, quæ infatigabili pretio, & seriè pietatis dignissimâ coli. Quare quàm maximè velim aureas, & adamantinas columnas, statuasque erigi.

§. XXII.

Qualem Columnam Virgini erexerit Ferdinandus Tertius Imperator.

B

PErplacuit Orbi singularis pietas Ferdinandi Tertii Imperatoris, qui Avitæ, Paternæque virtutis, & religionis ad se transmissæ constans, & inconcussus hæres, custosque; cùm undique Imperium longo, difficilique bello laceratum, & se desertum in tam ancipiti, inclinatâque propè fortunâ spectaret; non fortunæ, quam Romani ut Deam colebant: non opibus hæreticorum, quibus nonnulli Catholici se tuentur, litavit: sed Matri Dei per supplicationes indictas, votivasque victimas, ut fessis, & cadentibus Regnis dextram auxiliatricem porrigeret, supponeretque, supplicavit. Allatrantibus undique hæreticis, & infestis signis decus, & salutem familiæ, & fidei Catholicæ spiritum petentibus, erexit Virgini statuam in Urbe Regiâ Viennensi, plenus fide, & zelo, pius Imperator; statuam, inquam, aut non tam ebore, aut auro, gemmisque (quamvis pretium ad 3365. Florenos Germanicos ascenderet) locupletem, rigidamque, quam fiduciâ in Virginis Patrocinio collucentem. Quo igitur Orbi constaret universo, se suprema omnia pro defensione immaculatæ fidei pericula subiturum; Immaculatæ Virgini eam hâc sequenti formulâ votivâ dedicavit, quâ se, sua omnia Virgini tanquam Imperiorum asylo commendavit:

C *Erectio statuæ.*

D

Omnipotens sempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura Regnorum; Ego Ferdinandus coram Divinâ tuâ Majestate humiliter prostratus, meo meorumque successorum, & inclytæ hujus Provinciæ Austriæ nomine; Immaculatam Filii tui Matrem semper Virginem Mariam, hodie in peculiarem Dominam, Dedicatio.

&

& Patronam hujus Archiducatus invoco, & assumo. Insuper voveo, ac promitto ejusdem Immaculatæ Conceptionis festum, quod cadit in diem octavum Decembris, solemniter etiam quoad forum in hâc Provinciâ, quotannis, prævio more Ecclesiæ consueto jejunio in ejusdem festi pervigilio celebrandum. Te deprecor supremi Cæli, terræque Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas. Votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno favore prosequere, atque ad protegendum me, domum meam, populosque mihi subjectos, dexteram tuæ Majestatis extende. Amen.

Supplicationis ordo. Quò igitur omnia solemnia, justaque religiosæ dedicationis, summâ cum ceremoniâ absolverentur; publica, & omnium Ordinum concursu, instituta est, hâc ratione, supplicatio:

Audi ex literis, Processionis formam, datis:

Instituta est Processio à templo Augustinianorum, ad templum Domus Professæ nostræ, quam longo, & copioso ordine præcesserunt omnium Ordinum, & Religionum Viennæ degentium Religiosi. Hos secutæ sunt Civium, & Nobilitatis turmæ mixtim maximo numero: ut Viennę fieri solet. Tertium locum obtinuerunt Cęsarei Musici, & Clerus copioso numero. Antistes noster cum Canonicis, ipse cum Levitis, isti habitu suo Canonicali. His successit Rex Boëmiæ, Imperator, Imperatrix Eleonora, Neos-Regina Hispaniarum: demum devotus femineus sexus sine numero omnis generis. Via autem à templo Augustinianorum, usque ad templum nostrum, ponte strata fuit. Pro Concione aptè dixit P. Gans. Divina operatus est Illustrissimus Episcopus noster. Cæsar publicè votum hîc adjunctum ad Aram Majorem in templo nostro emisit, & publicè sacrâ Eucharistiâ est refectus. Peractis Divinis Officiis, processum est ad forum publicum ante templū nostrum, ubi statua Divæ Virginis Mariæ ad Monachiensis similitudinem erecta est, cujus pretium ad 3365. Florenos Germanicos ascendit. Hanc Divæ Virginis Immaculatæ Conceptioni dedicavit per Episcopum nostrum Viennensem. Decantatæ sunt Litaniæ Beatæ Virginis Musicâ solemnissimâ. Duravit totum hoc Officium cum Processione ab hora Octava, usque ad Duodecimam. Vesperi horâ mediâ nonâ Imperatrix Eleonora forum nostrum 600. & amplius luminibus illustravit, decantari à Cæsarea Musica Litanias Beatæ Virginis jussit, cui ipsa, & Imperator cum Rege filio interfuêre. Duravit hæc solemnitas ultima, ultra mediam decimam noctis. Populus utrobique frequentissimus. Est hæc Statua in magna populi veneratione: flectunt genua gemitusque, preces, nonnulli, sæpius ante illam fundunt devotissimè. Gloriabantur olim Gētiles, ut scribit Joānes Antiochenus, missum è cælo Palladium, & ex horæ notatione, ut prodidit Philosophus Asius, quam horoscopum vocant Mathematici: nunquam eam Civitatem periturā, ubi hoc servaretur intactū Α'γαλμα. Quare & Priamium Troianiū bello insuperabilem semper Græcia judicavit, quam diu Palladium (quod vafer Ulysses & Tiydes per fraudem abstulerunt) Troiæ perstitisset. Gloriabimur non imaginariè nos Christiani Virginis auxilio, & præsentiâ sospitatoris stare regna, & imperia. Quoties Constantipolis ad extrema redacta, sacro hoc Palladio, id est, sacrâ Virginis statuâ ad muros delatâ: Saracenis partim fulmine, & tonitru debellatis; partim tempestatibus demersis, fuit liberata.

§. XXIII.

Ferdinandus æmulus primorum Imperatorum.

Æmulatus est Imperator noster, Primos, Maximosque Orbis Imperatores, Constantinum Magnum, & Justinianum. *Iustinianus statuam dedicat.* Ille Urbem Bysantium, quam Constantinopolim vocamus, anno salutis 330. Dei Genitrici, præmisso incruento sacrificio, votis ac precibus multis dedicavit, atque Urbem Virginis nominari voluit: & quod mirum dictu, placuit, ut novæ, & antiquę Romæ ipsa dedicationis dies anniversariâ die celebraretur. Vide lib. 2. de Feriis Codicem Theodosianum. Quare & Theodoretus lib. 5. cap. 33. Urbem Mariæ appellat. *Urbs Constantinopolitana urbs Mariæ dicta.* omnesque scribunt summis miraculis Urbem totius Orbis Metropolim per Virginem, quàm diu meruit, fuisse defensam. Vide annum Christi 717. in quo arctissimâ obsidione trium annorum sub Masalma Saracenorum Principe pressa. *Liberata à Saracenis.* Circumductâ à Civibus Deiparæ venerandâ effigie, Civitas fuit liberata, & Saraceni variis cladibus, terrâ, marique, tam Cælitus, quàm ab hominibus fuere afflictati. Vide Baronium. Justinianus verò Magnus Imperator, qui annis ipsis ex mente Cedreni, XXVII. solus rexit Imperium, restaurato collapso templo mensam intulit, opus nullâ imitatione æquandum: hoc constabat auro, argento, omnis generis lapidibus, lignis,

gnis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, & mare, & totus mundus. Quod opus, cùm tam varium esset, convenientibus stuporẽ injiciebat, tali inscriptione decoratum: *Tua de tuis tibi offerimus servi tui Christe, Iustinianus, & Theodora: ea tu propitius accipe fili Dei Verbum, qui nostri causâ carnem assumpsisti, & cruci affixus fuisti: ac nos in rectâ tui fide conserva: & quam nobis dedisti Rempublicam, eam ad tuam gloriam auge, ac tuere, intercedente Sanctâ Deiparâ Virgine Mariâ.* Audiit Deus, & sanctissima Virgo vota pii Imperatoris, & quæ, & quanta beneficæ Virginis opitulatione non est consecutus, quamdiu probus, rectæque fidei inconcussus vindex stetit: de quo suo loco dictum. Fide ergò Magne Imperator Ferdinande, Magnę Matris auxilio: nemo illi confisus, confusus fuit: dabitur, quod optas; venient tua sub vestigia, qui superbo, & insolenti mucrone terrificant orbem. Nullum majus specimen felicitatis esse puto, quàm omnes scire; qualis, & quantæ potentiæ sit Virgo, summi Dei Mater. Hæc est verum, & sacrum Palladium Cælo missum, quod piâ veneratione cultum, imperiorum est secretum pignus, asylum, & incolumitatis publicæ custos. Hæc vera, & felix, & aurea fortuna, quam Imperatores Romani in suo arcano Larario tanquam Deam, & Imperii custodem servabant, & futuro hæredi transmittebant. Vide Dionem in Antonino. Verè fortunatus qui Virginei amoris favonio vehitur, patrocinio servatur, & continuis providentiæ subsidiis confirmatur.

Dedicatio Doni.

Virgo verum palladium.

Malim ego lubens, volensque molem non marmoream, non porphyriticam, non argenteam, auream que; sed Adamantinam statuam cum inscriptione, quam antiquitas in ostentationem Herculi affinxit, in veritatis gloriam dedicari: *Mater Dei æterni consilii opus.* Non plus ultrà. Finio; non enim est quod addi possit.

§. XXIV.

Inscriptionis brevis explicatio.

Non est quod infremat hæreticus, quòd sacram Virginem, opus Æterni Consilii compellarim. Infremat in primum Orbis Oraculum Augustinum, in illum insurgat si audeat: verùm quid non audet hæreticus, qui omnem antiquitatem undique firmatam, convellit, lacerat, & pro sua libidine repudiat? Nos ergò canam, & fundatam continuâ traditione, & præscriptione nunquam interruptâ veneramur, sequimur, & propugnamus. Augustinus ergò sermone de Annunciatione, vocat Virginem, Æterni Consilii opus; non quòd in Deo sint consilia quædam tempore priora, aut posteriora: in Deo enim non est ulla rerum successio, mutatio, aut vicissitudinis obumbratio: sed quòd Virgo, Dei Mater, tale, ac tantum sit opus; adeò rarum, & superans omnem intellectum; ut si Deus Virginis Majestati, & pulchritudini creandæ, præviâ consultatione indiguisset, ad eam formandam, educendamque, æterno consiliorum libramento opus fuisse. Quis sanè ignorat, Deum minutissima scire, & intelligere? quis ignorat Deum sine labore omnia perpetrare? tam facile esse formicam, quàm Cælum, & solem condere: nec difficilius mare, & abyssos, quã guttam aquæ creare: nihilominus tamen, res nostro modo concipiendi, dicimus quasdã facillimas, quasdam difficiliores factu. Undè & Psalm. 8. concinitur: *Opera digitorum.* Et è contrà quando supremum operum Dei conamur explicare; stylum, & modum verborum innovamus, & cum admiratione exclamamus; cùm dicitur: *Fecit potentiam in brachio suo. Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Sic cùm Virgineæ admirabilis pulchritudinis immensitatem, & opus hoc admirabile, tanquam admirabilium prodigium summum proponimus, ut magnitudinem operis assequamur, vocamus opus æterni consilii: uti & de Christi Redemptoris nostri æternâ prædestinatione ratiocinamur, quasi tam sublime sit opus utrumque, ut opus fuerit infinitę potentiæ viribus. Quare non sine causa hanc felicitatem suam denunciat Virgo, dum ait se ab æterno ordinatam. *Et ex antiquis, antequam terra fieret;* ut magnitudinem, & pulchritudinem suam omnibus intimaret; cetera verò omnia respectu sui, posterioris fuerint providentiæ, ad quorum creationem non indiguerit tanto consiliorum apparatu. Modo ergò nostro intelligendi, in hoc summo opere mirificè commendavit, ostentavitque omnium attributorum thesauros effusos; imò & justitiæ: dùm feminæ lapsum, feminæ sanctitate vult reparari; ostentavit quasi impensas omnes suas, nobis ignotas, & occultas, quæ in umbris tantæ picturæ latent, soli Deo notæ, nullo intellectu penetrabiles; & sicut ex umbris metimur altitudinem fastigiorum, & ex passu, corporum magnitudinem colligimus: ita ex umbris picturæ circumfluis multa speciosa latere suspicamur. Ita in Virgine immensæ pulchritudinis dotes fulgent, quas noster intellectus hebescens, radiis tantæ lucis percussus, nequit penetrare: & quemadmodum pictores extrema corporum sic faciunt, ut extremitas seipsam ambiat, & sic definat, ut promittat alia post se, ostendatque etiam quæ occultat. Rarum in successu artis decus. Sic si Virginem consideres, omnia summa reperieris: attamen ex ultima linea, ex umbris, & in umbris innumeras gratias occultari videbis, tanquam ex ambiente se extremitate, & multa plura promittere, ut in lucem pro-

Qua ratione mater Dei æterni Consilii vocetur opus.

Omnia ardua & minima æquè Deo facilia.

Varia Dei opera.

Deus non eget tempore, nisi nostro more concipiendi.

In quo consistit summum picturæ artificium.

produceretur. Qanto ergò consilio infinita Sapientia hoc opus molita est? & nullo pretio æstimabile: quomodo ad tantę fabricæ dignitatem tantus Architectus singula digessit? quomodo singula attributa (more humano loquar) contulerunt opes suas omnes, ut illa creatura quam Deus voluit creare in unicum ornamentum sui amoris, summæque gloriæ, omnibus creaturis in tantum superemineret, ut illi comparatæ, etsi bonæ, pulchræ sint; nec bonæ, nec pulchræ viderentur. Iterum infremis hæretice? An non sol, vas admirabile sic obscurat lucidos ignes cæli, formosaque sidera, suæ claritatis luce coruscante, quamvis pulchra sint, & lucida; ut nec pulchra, nec lucida esse videantur? Quantus sit Deus, ignoras hæretice, si Virginem non admiraris. Magnus Deus in Virgine tanquam in parvo mundo totus apparet, & videtur: quamvis, ut Theologi loquuntur, non totaliter. Quanti autem pretii sit una Virgo, hinc disce; quòd Deus unicam suam Matrem, omnibus posthabitis suæ Regiæ Principibus, prætulerit, eamque, ut omnis æquitas postulat, in oculis tanquam lumen oculorum suorum ferat. Ceteri Principes etsi quàm maximi, quales sunt Hierarchiarum sacrarum, & Apostolorum, & Prophetarum, Martyrumque Principes; sunt tamen, ut sic loquar, quasi Dii minorum gentium, & minoris æstimationis: Matrem verò ut nullo pretio æstimabilem; sic humano artificio inimitabilem omnibus officiis complectitur, tueturque; illi soli adjicit oculos sui pretii elaborato operi, dignissimoque. Quare ne putes hæretice nos præsumere sententiam Judicis, dum columnę Regiæ inscribo: Æterni consilii opus. Augustinum epigraphes auctorem proposui, & addidi, *Non plus ultrà.* Nullum enim formosius Deus cogitatione, cōsilioq; suę mentis opus edidit, creavitque. Ceteros omnes præfloravit, pupugitq; peccati spinā: illa sola est sicut lilium inter spinas; quam nō solùm à teneris annis, verùm etiam à primis vitæ initiis, ut formosissimā & corporis intaminati, & animę semper Virgineę perpetuā, Angelicāque pulchritudine miramur. Salve ergò Virgo ô pulchrorū omniū pulcherrima, & Dei pulcherrimi speculum sine macula pulcherrimum: & Mater pulchræ dilectionis; effice me pulchrum quantum potes: potes enim omnia. Tunc enim beatum felicitatis culmen attigero, si animæ meæ veram pulchritudinem tuis oculis affuderis, inspirâris, & dignam amore tuo reddideris.

In Dei matrem formandā omnia attributa concurrūt.

Omnes sancti quasi dii minores respectu Dei matris.

Omnes pupugit peccatum præter Dei matrem.

Quis beatus qui Virgini charus.

DECI.

DECIMÆOCTAVÆ CONSOCIATIONIS DE CLEMENTIA ET MANSVETVDINE.

PARS PRIMA.

§. I.

IUSTITIÆ fruendę causâ, Principatū lux naturæ, & ratio magistra rerum invenit, atque fundavit. Sine illa discordes & dissoni populi, in perniciem suam & alienam exultantes, in unum corpus coalescere nequeunt: quin etiam si coaluissent, nec diu stare concordiæ fomentis uniti possunt, nisi Justitiæ legibus vinciantur, firmenturque. Homo enim cùm sit animal sociale, & bono communi genitus, nec ei societas, nec communis boni securitas stabilis erit; nisi quod cuique debetur, ex æquo solvatur. Quare ut justitia, ejusque integritas inviolata semper administretur, optimus quisque & integerrimus communi suffragio deligitur, ut illum velut solem omnes contueantur, & lucem virtutis accipiant. Hujusmodi enim Principis oculi, vultus irretortus, & continentia metuenda, nequitiam irruentem, & vitiorum insolentiam, ut lux tenebras, fugat, dissipatque. Felix Respub. justo Principe: infelix ter & amplius, proruente Justitiâ. Quare verè & sapienter dixit Hesiodus:

Cur principatus inventus.

Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
Dicere jus populis, injustaq; tollere facta.

Rex enim moratus est vita totius Reipub. & contrà, pernicies. Hoc ipsum Andronicus Bysantinus Imp. sensit, scripsitque ad Præsides Provinciarum his verbis: *Aut injurias relinquite; aut vitam. Nam vos injustè agere, & vivere nec Deo gratum, nec mihi ejus ministro ferendum.*

A

Justitia ergo, sicut creat; ita & fundat Imperia. *Difficilius etiam est, Provincias obtinere, quàm facere: viribus parantur; jure retinentur.* Sic Florus lib. 4. cap. 1. Quid enim sunt Imperia sine Justitia, nisi efferata latrocinia? Verùm quia timor ex rigore justitiæ natus, nec satis fidus securitatis comes; teste enim Tacito in vita Agricolæ, *Metus & terror infirma vincula civitatum, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.* Deus ideo naturæ & regnorum auctor & inventor, Justitiæ clementiam sociavit, tanquam firmam pacis & otii beati conciliatricem. Quam etsi in omnium animos vult descendere, nullum tamen Clementia ex omnibus magis, quàm Principem, Regemque decet. Clementia quippe animos populorum Principi quasi auratâ compede devincit, quos metus, terrorque dividit, & in consilia distrahit diversa. Inermis est metus, ut populi contineantur, quamvis domiti videri possint. Silent arma in metu, per metum eruptura. Et quemadmodum quædam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu, soli impatientiâ, in suas aquas resiliunt, & aliquanto latiùs, quàm priùs liberiore impetu vagantur: sic quos cohibuit diuturnus metus, frænis tandem abruptis in extrema præcipitat diu meditata consilia. Hoc præclarè

B

Metus, pravus minister & infirmus disciplinæ, similis animalibus biviis.

C

Nobile documentum firmitatis regiæ.

clarè docuit Dion Rex Siciliæ juniorem Dionysium, quo se probaret non tyrannum; sed Regem. Audi Plutarchum: *Non*, inquit, *adamantinas compedes, non, ut tuus dixit parens, metum, vim, ingentem classem esse firmitatem regni; sed benevolentiam, sed studium & favorem populorum, & ea, quæ justitiam & virtutem imprimant; quæ licet molliora sint illis duris, esse tamen firmiora ad Imperii securitatem.* Ad hæc turpe & fœdum, si Princeps corpore eximiè cultus, domesticoque splendore atque instrumento magnificus, consuetudine tamen & sermone, homini plebeio non præstet, neque animi studeat habere egregiè & insigniter regiam ornatam. Sapientissimè ergo Salomon Proverbiorum 20. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementiâ thronus.* Impia & sanguinaria vox; *Oderint dum metuant*: *saluberrima & secura: Ament; non metuant.*

§. II.

Definitio divinæ Clementiæ, quam sibi unicè vendicet DEUS, *nulla dari potest.*

Clementiæ divinæ non datur definitio.

INfinita natura primi Entis sicut circumscribi non potest, ita nec definiri; id enim definitionem admittit, quod certis spatiis, terminis, & nostri ingenii finibus concluditur. DEUS autem, cùm sit incomprehensus, & omnem cogitationem totus effugiat, quomodo poterit circumscribi? opus est infinito ut infinitum concipiatur, teneaturque. Laudabimus ergo clementiā intentis laudibus, & victi magnitudine fatebimur omnes vires humanas succumbere; quod est summi præconii, Fateri se vinci. Et quamvis omnia attributa supremi DEI pari majestatis infinitudine, æqualique splendoris gradu sibi invicem coëxtendantur; Misericordia tamen in summa omnipotentia; & Clementia in exacta Justitia in Imperii sui administratione magnificentiùs eminent, sentiuntur atque illustrantur. Clementia enim & mansuetudo ex infinita bonitate prognatæ, mirifico temperamento afficiunt inflexibilem Justitiam, & injuriis acerbissimis lacessitam componunt, & justi doloris ultione quodammodo exarmant. Quid hoc gloriosius? quàm DEUM novo genere pugnandi cum suis inimicis concurrere? An non insolens, & inusitatum, pro ira placationem: pro vindicta condonationem: pro contemptu sublimitatem: pro vulneribus oscula, floresque pacis: pro secessione, & indurata pervicacia, intimam familiaritatem reponere? Hesperus & sol non est tam pulcher in rebus pulcherrimis, ut Clementia in DEI attributis, ut canit Ecclesia: DEUS,

A *qui omnipotentiam tuam parcendo maximè manifestas.* Hoc artificio armorum gloriosiùs pugnavit Julius Cæsar, quàm ferro. Hæc ratio pugnandi; ut quis armatus misericordiâ clementiâque hostes armis invincibiles, beneficiis faciat suos. Hâc arte sublimissimâ usus Julius Cæsar, quæ Marium non semel ad voces adegerit. *Cæsar*, inquit, *qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, bonitatem & clementiam.* Adscribe hoc divinæ Majestati; tanta quippe est magnitudo clementiæ, ut quidquid de illa dixeris, semper illam ignoraris. DEO ergo soli cùm sit sui notitia; ita & soli suæ clementiæ notitia. Sicut ergo in DEUM cùm non cadat definitio, sic nec in Clementiæ divinæ magnitudinem. Ut tamen DEUS

Clementia ferrum victoria.

B suæ clementiæ notitiam mundo gloriosiùs inferret, magnum virum, cujus magnitudinem & virtutes regias ortus, cunæ, & educatio præsaga portendebat, sibi delegit in Principem, qui caro, & sacro sibi populo præsideret. Moysen dico, qui sacra & ceremonias cultumque omnem docuit, qui altare DEO, & ignem æternum, tanquam vigilem custodem Imperii instituit, & populum indomitum ferocemque Religione & Justitiâ mitigavit. Hunc virum ineffabilis DEUS, in arctissimam familiaritatem admissum arcana sui docuit Imperii; docuit etiam quâ parte sui potissimùm, & quo titulo vellet

C tum laudari, tum ab omnibus commendari. Ut autem doceret, dignata est Majestas cum homine, ut amicus cum amico solet, quasi homo foret alter DEUS, loqui. Cùm itaque descenderet DEUS per nubem, stetit Moyses cum eo invocans nomen DEI; quo trāseunte ait: *Dominator* DEUS, *misericors, & clemens, & patiens, & multæ miserationis, & verax.* Exodi 33. & 34. Has voces voluit Moyses à DEO edoctus, populi acclamationibus DEO, summo enti litari; quasi nihil DEO gratius foret, quàm gloria, titulus, & nomen Clementiæ. Deinde oraverat Moyses sibi vultum DEI monstrari. *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam.* Ubi Septuaginta habent, *Ostende*

Moyses quasi alter Deus clementiæ virtute.

D *teipsum manifestè & cognoscibiliter.* Verùm Dominus declinans ardentia vota, & mortali inconcessa, respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum*, hoc est *gloriam meam*; hanc enim vocat bonum DEI; prout Chaldæus vertit, *Ego transiens faciam omne bonum ante faciem tuam*; vel, ut Hebraicè; *transire faciam omne bonum ante faciem tuam*, id est, excellentissimum & perfectissimum quoddam, quantum mortalis oculus sustinere poterit; ut doctissimus noster Molina explicat; non autem essentiam divinam. Sicut ergo ex vultûs manifestatione persona dignosci solet; sic DEUM ex manifestatione suæ clementiæ dicimus ostendere faciem suam, cujus visionem tam vehementer Moyses appetebat. Faciem autem suam manifestat, cùm ait: *Miserebor cui voluero*, vel ut Apostolus Roman. 9. *Miserebor*

Facies Dei est ejus clementia.

serebor cui miserebor, id est, cui placuerit. Sic A Albulensis, Vatablus, Lippomannus. Quasi diceret: *Ostendam tibi omne bonum*, non ob merita tua; sed ex liberali clementia mea & misericordia. Ego itaque DEUS transiens ante te, ô Moyses; vocabo & inclamabo nomen Domini, dicendo; Dominator Domine. Deinde omissis aliis addit; *Miserebor cui voluero*. id est, ego clemens & misericors sum; sed liberrimè: miserebor enim cùm voluero. quod epithetum clementię pluribus aliis vocibus exprimitur in hoc DEI transitu. Vult itaque DEUS clementiæ DEUS à nobis invocari, ut illo veluti fundamento nostræ felicitatis nitamur: misericors quippe est, & clemens, quia infinitè bonus. Et sanè nihil sic decet infinitam B majestatem, quàm suprema, quandoquidem à nullo dependeat, clementia. Quibus ergo titulis Moyses DEUM infinitum laudavit, & nos laudemus quantum possumus: supererit enim semper quod laudari possit; cùm ejus clementiæ non sit finis, nec ea definiri possit. nos divinam clementiæ infinitudinem exiguis tabellis & effectibus, quantum fieri poterit, eminus spectantes, ne opprimamur à gloria, proponemus. Quid enim formidolosius, quàm coruscantibus æternæ lucis splendoribus mortalem interesse? non enim vivet homo & me videbit, nisi lumine gloriæ roboratus, & ipse DEUS ponat C manum suam supra hominem in sui tutelam.

Deus clemens Deus vult vocari.

§. III.

De Efficacia virtutum moralium.

PAucula, quæ lucis aliquid dabunt, præmittenda. Aliam esse & valdè disparem, diversamque virtutum Theologicarum, & D moralium naturam: illis, quasi pernicibus alis, ad DEUM, & in DEUM rapimur: illis humana mens supra terram attollitur; & ideò Theologicæ virtutes donativa DEI, cælo missa, vocari possunt: illæ DEUM fixis oculis intuentur, & circa ipsum, ut proprium objectum, materiamque versantur; illis nullus datur terminus; verùm increscunt, adolescunt, & in immensum augeri possunt. Virtutes verò morales inter excessum, & defectum limitantur, & certis finibus coërcentur. Hæ sunt instar fræni, quo corporis appetitus & impetus circumagitur, & tumidæ inflatæque cervices franguntur atq; cōpelluntur rationis serviant imperio. Duplex enim est animorum vis atque natura: una pars posita in appetitu, quæ Græcis ὁρμὴ, Latinis impetus dicitur, qui hominem huc & illuc quasi motibus beluarum rapit: altera in ratione, quę docet & explanat, quid faciendum, quid fugiendum sit. Ita fit, ut si ratio præsit, & appetitus virtute morali gubernetur, claudi bellorum causas, & motuum civilium semina aboleri, & æternam pacem obserato Jano introduci videmus. Virtutis enim moralis proprium, componere ad numeros animum mentemque & suavissimum concentum, & harmoniam temperatis affectibus conciliare. An non ita docet usus? Planè. Et contrà, specta hominem motibus insolentis appetus abreptum, an non instar effrænis equi in diversa furibundus abripitur? an non animus, cujus est aurigare, & regere imperio, quasi indomitis aufertur equis, nec audit currus habenas, & præcipitio volvitur suo interiturus? Nihil est tam inimicum menti nostræ, quâ nihil est præstabilius homini datum, quàm voluptas, dulce venenum: quàm ira, brevis furor: quàm appetitio vindictæ, triste solatium, & cetera monstra passionum. Excelsitas & altitudo animi, teste Cicerone in Officiis, magis est secundùm naturam, quàm voluptas, & ceteri distorti affectus, qui naturæ bonitatem evertunt. Nulla virtus potest in regno voluptatis consistere. Occupatus passionum contentionibus quid honesti consequi potest? Exsectis ergo nervis passionum, & pulsis conjuratis hostibus, virtus collucens cum suo comitatu introducatur.

Discrimen virtutum moralium & Theologicarum.

Virtutum moralium munera.

Hîc opus, hic labor, pauci, quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

§. IV.

De definitione mansuetudinis, quæ soror clementiæ.

ARistoteles magn. moral. l. c. 23. *Mansuetudo est inter iracundiam, & iracundiæ cessationem. neque enim ira deficiens, neque item excedens in ipsa laudabilis est; sed qui mediocriter in his habet, is mansuetus est: harumq; passionum medietas est mansuetudo.* Et lib. 4. Ethicorum cap. 5. *Is verò, qui pro quibus, & quibus oportet, & ut oportet, & cùm oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur, estque hic mansuetus: mansuetus enim ac mitis omni perturbatione vacans, & non ab affectu duci; sed pro his, & pro quanto tempore irasci solet, perinde atque ratio jubet.* Qui autem non irascuntur pro quibus oportet, & ut oportet, & cùm oportet, & quibus oportet, fatui sunt; nam nec sentire,

Natura mansueta, signa.

sentire, nec dolere videntur. & in libello de virtutibus: Est virtus animosa, quâ qui præditi sunt, difficulter irâ cōcitantur; unde māsuetudinis est, calumnias, criminationes & contemptus moderatè ferre, & ad vindictā celeriter non tendere, minimè præcipitem ad iram esse, & cum insuavibus nec irritabilibus moribus sis, placidem & stabilem animum retinere. Quare irasci, & mansuetum esse contraria sunt: māsuetudo enim est iræ depressio, ut ignis & incendii ab aqua.

§. V.

De Definitione Clementiæ.

Clementię definitiones varias accepimus, ut regiam decet virtutem. decet enim illam magnificis & opulentis verbis quasi peristromate varjo circumscribi, & exornari. Seneca lib. 2. de Clement. cap. 3. ne fortè nos decipiat speciosum nomē Clemētiæ, & in contrariū abducat: videamus quid sit Clementia. *Est igitur temperātia animi in potestate ulciscēdi:* vel *lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis.* vel dici potest *inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda.* Vel si dixerimus clementiam esse moderationem aliquid ex merita vel debita pœna remittentē. Hîc reclamabit quidam Areopagita, vel severior Cato. Si debitā est pœna, quomodo remitti potest, cùm nulla virtus quidpiam minus debito possit facere? Esto remittat de debito clementia; virtus esse non desinet; potest enim aliquid rigoris prætermittere, quem exercere absque injustitia in nocentem posset. Temperantiam ergo adhibet, quia Prudentia dictat aliquid remitti posse de pœna, quā sine ullius injuria, vel ad normam legum exigere posset. Quisquis ergo sic agit, clemens dicitur, eaque remissio clementia dicitur. Clementiam quippe exercere est conforme cum natura rationali, verùm etiam honestissimum, præsertim si nec bonum publicum, nec conditio rei damnū aliquod sit passura. & quidem tum vendicat sibi prudentia locum indulgentię majoris, si cœco impetu, non deliberatè, non studio peccandi scelus sit admissum. Hæc enim spectat clementia, juxta illud Senecæ lib. 1. de Ira. c. ult. Dimittit sæpè eum, cujus peccatum reprehendit, si pœnitentiā facti spem bonam pollicetur: si intellexit non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod aiunt animo inhęrere, dabit impunitatem nec accipientibus nocituram. Nonnunquam magna scelera leniùs, quàm minora cōpescet, si illa ipsa non crudelitate commissa, his sæpè inest latens, & inveterata calliditas. Idem delictū in duobus non eodem modo afficiet; si alter per negligentiam; alter curavit ut esset nocens. Et pulchrè l. 2. de clementiæ fine. *Sapiens multa remittet; multos parum sani, sed sanabilis ingenii servabit. Quid pulchrius & admirabilius, quàm eum, cujus ira nihil obstat, sibi manus injicere, & placidius uti suā potestate, quàm ipse nocens exspectet, & sententia lata assentiri, cùm esset pereundum.* D. August. l. 83. qq. quæst. 31. ex Cicerone l. 2. de inventione, describit *clementiam esse, per quam animi temerè in odium alicujus invectionis concitati comitate retinentur.*

Pulchrum animi decus.

Quæ descriptio & mansuetudini aptari potest; nam per utramq; retinetur animus: per clementiam in punitione externa; per mansuetudinem in interno motu iræ: sunt tamen diversæ virtutes; nam alia est difficultas, atque etiam laus in refrænanda ira, & alia in moderanda punitione externa. Moderatio siquidem punitionis externæ ex certa pendet intelligentia ejus, quod decet: Moderatio autem iræ per se difficilis, propter impetum appetitus irascibilis. Clementia autem versatur circa moderationem supplicii: mansuetudo autem circa iræ temperamentum. Itaque in uno facto sæpè se prodit clementia, & mansuetudo. Urgebatur Constantinus Magnus ab aulicis ad ultionem confractæ suæ statuæ: at is victor & iræ, & clementiæ avidus, placidissimè respondit: *Caput,* inquit, *mihi perstat integrum & innoxium. nullum vulnus in fronte gesto; sed & universa facies sana.* O sanum Principem in corpore nitido nitorem animi majorem circumferentem! Ecce ut utrique virtuti suum persolverit debitum. Mansuetudine iram pressit: & clementiā abolevit remisitque punitionis debitę pœnam. Quæ cùm ita sint, auctores tamen has virtutes tanquam sorores, & quasi ejusdem sanguinis permiscent, confunduntque; imò clementiam adjungunt misericordię, uti & Tullius loco clementiæ misericordiam posuit, ob insignem harum virtutum consensionem & affinitatem, ut optimè notavit Augustinus contra Adamantium cap. 11. quod scilicet misericordia subveniendo præstat, hoc clementia exsequitur, non exigendo quod summo jure posset exigere. Quare in hoc nostro tenui opere communibus suffragiis & encomiis iisdem utramq; virtutem quasi germanas celebrabimus, quæ iisdem ferè actionibus semper intersunt. Clementia enim est virtus modum adhibens rectæ rationi convenientem in ipsa externa punitione, & sic competit superioribus erga subditos: at quem modum adhibebit, nisi animus, qui jam effervescens in iram ebulliret, mansuetudine temperetur, & placidè regnet? quare mansuetudo ad eum effectum operis magnifici concurrit, an non ira cohibita, vinctaque?

Mirabilis vox Clementis Constantini.

§. VI.

Ad divinæ clementiæ & mansuetudinis majestatem publicandam humana clementia priùs præludet.

Lubens & assurgit & rapitur animus in laudes divinæ clementiæ, quâ totus orbis, quasi pannis purpureis & fasciis involvitur: ipsa suggerat & vires, & animos regios, ut præcipuum divinitatis regiæ regiũ stemma & opera possim exornare. Primùm tamē ingentia clementiæ humanæ opera recenseamus, & illis tãquam præconibus utamur in divinæ manifestationem. Animo non ægrescere; serenam mentē gerere; etsi nubes occursent, nihil in eã incidere turbidi, quod obducat: sic animum formare, ut nec metus, nec mœror allatrante fortunâ confundat: ex alto omnia despicere; omnem fortunæ iram reverberare: placidâ & inconcussâ facie adversis obviàm ire; lacrymis hostilibus succurrere; manum inimico naufrago dare, egenti & perituro stipem ut homo homini ex communi polliceri & offerre, donare lacrymis hosticis vitam; & talis gloriabitur hostem servasse, non ut hostem sed ut suum. Hæc opera mansuetudinis & clementiæ. Deinde hæ virtutes neminem abjiciunt, neminem fastidiunt, quamvis audaciâ & importunitate permolestos; ita ut nec improbitas, perversitasque iram extorqueat. O stupendum & admirabile decus! ô quàm rarum! ô utinam & rarum! Properemus ad alia decora. Clementia mansueta solvi catenas jubet, si absque Justitiæ vulnere cadaver noxium sepelit: sui contemptione, neglectuque non fremet, imò nec indignabitur: improbitatem aliorum, aut ingratitudinem, grave tamen telum beneficæ menti, non coarguet. Nec hisce finibus sese coarctat hæc virtus. Quæris quid his amplius? Ad universi stuporem, ad sui desertores, calamitosósq; qui iram merebantur, suam bonitatem transmittit. Deinde cum omnis virtus hostes suos, & inimica semina patiatur, (omne enim pulchrum & magnificum invidiæ obnoxium) habet & clementia, habet & mansuetudo tres suæ gloriæ dolosos hostes; qui generosè debellandi. *Primus hostis* ad omnem simulationem compositus, & in animo delitescens, qui tegit amarorem animi ulcerati, coquitque tacitas iras; premit tamen, ne erumpant. Hunc hostem insidiosum sub jugum mittit clementia mansueta & compositâ mente detergit turbidi quidquid influxerat; & telum rejectat, quod

Opera clementiæ.

Hostes veræ clementiæ digni nosci.

A hostis intulerat; & vulneri inflicto non vult superesse cicatricem.

Alter hostis non solum mentem; sed & vultum sauciat. Petit ergo hic vultus harmoniam, & serenitatem feroci occursu, & mœstitudine permutat. Oculis ergo & vultu, & fronte, & ore, necnon sermonis tardiore ariditate haud dissimulanter læsionem animi saucii prodit. At clemens mansuetudo vultum non dejicit, sicut nec animum. Serenat oculos blandis obtutibus, amicos vultus impartitur, calamitosum hostem erigit, & quod ultimum est summi officii genus, salutari oris sidere, & blandiloquentiâ præveniet injustè lædentem.

B *Tertius hostis* harum virtutum longè acerbissimus, qui non solum amaram animi defectionem clausam nutrit, vultu alienationem, & acerbitatem circumfert, verùm etiam pectus exarmat misericordiâ, clauditque portas affectui humano, non aliter, quàm si exutus hominem, hominem se ignoraret, & miseriam humanam vellet nescire. At clementia omnibus injuriis altior, omnem acerbitatem à se projicit, & crudelissimè irritata more divino vincens eluctansque seipsam prodest omnibus, & injurias rependit beneficiis, & gratias ingratis, & faces novæ amicitiæ partâ victoriâ lætus extollit, & quod summum gloriæ, quasi oblivioso massico potus ebriusq; omnes sepelit causas irarum. Sic Julius Cæsar parto

C scrinio litterarum hostilium, quibus petebatur, nec immisit oculos, verùm sui victor ad perpetuitatem suæ clementiæ magnanimo igne faces odiorum cremavit. De his tribus hostibus ad magni Pompeii imitationem de tribus orbis partibus triumphat clementia & mansuetudo. Verùm omnibus triumphat, majori illi lacertis, & nodoso virorum robore; illi ensibus & armatis dextris parantur, non proprio ducis decore, quamvis felicitati Ducis cedant: hîc sui victoria, quâ homo seipso major, de seipso triumphat. An non grandius se, quàm hostem vicisse? Hos tres hostes trahit in triumphum cum hac inscriptione: *Vici*, ho-

D stem beneficiis servavi, & meum feci victoriâ mei. Jactantior fuit Julii Cæsaris, at non verior vox, & inscriptio sui triumphi; *Veni, vidi, vici.* at suis auspiciis, non suâ dextrâ. Alieno labore fruitur triumpho, alieno sanguine triumphat. Vix assequitur ingenium humanum fructus regios tantæ magnanimitatis. Quid gloriosius in vita, quàm *vivere hostem in sui gloriam?* An non plus nomini confert incolumis, quàm si ex oculis sublatus? an non est continuum spectaculum alienæ virtutis? an non est hoc esse Deo persimilem? qui contentus, nihil ex victo sumere per beneficia, nisi gloriam clementiæ mansuetæ? Aude ô Lector hanc gloriam appetere: aude hos nobiles, non ambitus reus triumphos ambire.

Magnitudo Clementiæ Iulij Cæsaris.

Homo Clemens, seipso major.

Omnium gloriosissimus triumphorum triumphus.

Illatis

Illatis injuriis accenderis? opprime flammam orientem in ortu: instar pulli generosæ aquilæ abde iram; clementia sit in procinctu; illa præponderet in partem humaniorem quidquid plus æquo futurum est. Subtrahe oculis & menti illusoriam læsionis illatæ imaginem: impera leges amicitiæ oculis, sermoni, & totius corporis habitudini: ejaculentur oculi blandimenta, qui tot ictibus poterant configere, quot obtutibus hostem intueri. Vultus tuus absolvat reum, doceatque ad innocentiam reverti. Pudeat Christianum, nullum modum iræ statuere, nisi quem lassatus affectus extorquet. Eja projice tela manu sanguis Christiane. Esto; habeas causam puniendi; crudelis es, si in exigendis pœnis non statuas modum. An non hoc est instar animalis noxii è cubili prosilientis? An non muliebre, furere irâ? Christiane imitare generosas feras: illæ nec præmordent, aut urgent projectos: & tu hominem? Inclinet ergo te clementia ad lenitatem, utere potestate in melius, non excandescas cùm possis; sed tibi manus injice. Facilis & exorabilis esto ut serves, quod proprium est magnanimæ mentis. Hæc disciplina omnes decet, & imprimis illum, infra quem nihil est. Quæ si uspiam spectabilis est, quamvis in toto vitæ cursu nobis comes peregrinari debeat, in tribunali, in Principe, in Rectore, in altis denique fastigiis speciosiùs eminet, & se videndam exponit. Quare si necessitas, vel leges, vel boni publici custodia animadversionem extorserit, actutum clementia sese ingerat; ostendat quàm invita aspero remedio manus admoveat, in cujus animo nihil hostile, nihil efferum, nihil intemperatum; quàm alienum sit à se, ut alienâ animâ velit abuti. Clamet sibi parci, cùm alteri parcitur. Ingeniosa & admirabilis est clementiæ virtus, quæ ut vindictam à se removeat; pœnas ultionis justæ inexpectato mitigat temperamento. Maxima pars vindictæ fit, potuisse vindicasse: maxima pars clementiæ, posse ignoscere, & dixisse: Potui; at nolui ulcisci.

Vt clemētia munus sit intervenire castigationibus.

§. VII.

De Clementia & Mansuetudine summi Monarchæ Dei.

HAs Clementiæ & Mansuetudinis dotes, quas magnus Deus hominum mentibus instillavit, tanquam scintillas, & sidera minora suæ majestatis in se abditas tanquam primas Imperii sui principesque partes infinitâ continet perfectione. Clementia & mansuetudo excubant in conspectu suæ majestatis: stant in omnium conspectu expeditæ, & conservandæ salutis humanæ paratissimæ, scelerum immanissimorum condonatione. Videamus quanta festinatione & celeritate deproperent ad exhibitionem suæ pietatis. Miraberis, si dixerim præripere nobis lacrymas, & gemitus in remissionem peccatorum Deo destinatos. Quis crederet, adeò avidas esse nostræ amicitiæ? Summus Deus omnium scelerum immanitate petitus, violatus, efferatâ barbaraque crudelitate laceratus, ad lacrymulam juratī hostis fusam; plus æquo dixi; ad clausum pectore gemitum, ad suspirium supplicis, ad prostrati aspectum accensas ponit iras, ponit fulmina, ponit memoriam conjurationis. Nimium parum dixi, omnem memoriam scelerum, literasque exscindit, & obruit novis beneficiorum decretis: obvius pœnitenti incedit, deproperatque; prodigus sui ostentat amores, & quasi paranymphus, quasi præsultor, quasi choream ducens, nostras quasi lachrymulâ vel suspirio, gemituque emptus nuptias, & nostros, quasi nostri indigens ambit amores. O cor! ô Oceanum clementiæ bonitatis infinitæ! nulla lineamenta irati quondam vultûs, nullæ vulnerum cicatrices, nullus in oculis, nullus in vultu, nisi blandientis color: totum quidquid apparet, sonat summè amantem. Et quia summè amantium est, dona spargere; nullâ re ulciscitur infinitas injurias, nisi regiâ beneficiorum magnitudine. Vindicta suscitat fontem bonorum, & ultio debita despondet gratiam, & destinat gloriam. Quid agis magne Deus! adeóne sic tui oblitus, tui contemptum permutas honoribus, & te violasse, calcasse, imò & trucidasse cedat in gloriam? O φιλανθρωπία stupenda! pessimum quemque ad gemitum, ad intimam consuetudinem, summasque delitias provehere! Petrus victus femineâ voce Christum Deum ejuravit, negavitque. Ingemuit, flevit. Gemitum sensit Deus & fletum; gemitu & fletu diluit immensum scelus. Mansit altâ mente repostum infame scelus? Abiit: at nec vestigium, nullum signum

In Deo sunt supradicta, cum infinita perfectione.

Deus sui prodigus in condonādis injuriis.

Nullā Deo lineamenta iræ justæ adeo eradit omnia rudimenta offensionis.

Deus repë dit beneficia maleficiis, & ira justa.

signum doloris dedit Christus. Ut vindicat A injuriam Christus lacessitus? summum sui Imperii creat, publicatque hæredem, Principemque. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nec solum illum; verùm & successores decernit hæredes, & orbis Dominos. Hoc usus vindictæ genere, David homicidii & adulterii detestabili infamiâ contaminatus, ad unam vocem *Peccavi Domino*, fulminantis manus Dei cohibuit. An non sententia furoris Dei rescissa? An non qui videbatur implacabilis Deus, ad sonitum vocis, expiato scelere, subitò fuit exoratus, reconciliatusque? Quis scelerum multitudine adæquavit impium Manassen? Ex composito Deum irritavit. Idolum luci, quem fecerat, in templo posuit, optimi parentis pessimus hæres. Hic ita magni Dei furorem accendit, ut accensus urbis decreverit exitum. *Delebo*, inquit, 4. Reg. 21. vers. 16. *Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ, & delens vertam & ducam crebriùs stylum super faciem ejus.* Tantæ insuper crudelitatis impius Rex & tyrannus fuit, ut sacra Scriptura dicat; *Fudit*, inquit, *sanguinem innoxium multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os.* Quid hoc est, *usque ad os?* An non instar fluvii inundantis terram? *Seduxit itaque Iudam, & habitatores Ierusalem, ut facerent amalum super omnes gentes.* Capitur ergo, & vincitur à Rege Assyriorum, & vinctus catenis atque compedibus trahitur in Babylonem. Attende Lector. Paralip. 36. 13. *Coangustatus*, inquit Scriptura, *oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum.* Exauditur oratio, liberatur carcere, restituitur regno, & sceptro redonatur feliciter, regnatque: aufert Deos alienos, & simulacrum de domo Domini; & religionem collapsam restituit. Quis non attonitus admiretur Dei clementiam? quis penetrabit consilia Clementiæ divinæ? Ezechiel capite 36. vers. 22. *Peperci nomini meo, quod polluerat domus Israël in gentibus. Non propter vos ego faciam domus Israël; sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, & sanctificabo nomen meum magnum.* D Et sanè nullâ re exhibet se Deus admirabiliorem, quàm in clementiæ ostentatione, & invitamentis suæ benignitatis. Quorsum hoc? Ut ostendat suam clementiam omni malitiâ esse superiorem, nullo scelere expugnabilem, & conjuratâ totius orbis perversitate stare, & florere invulnerabilem: deinde ut cognoscatur inexhausta divinæ bonitatis affluentia, quæ nunquam potest arescere. Nemo Deo tam vilis, ut illum perire non sentiat divina clementia. Qualiscumque sit, pars imperii est. Nullam non hominum partem, tanquam sui fovet, regit, conservatque. Ipsa Dei providentia publicat divinam clementiam. Quando unquam ad supplicia poscenda

Dei Clementia expugnat sceleratissimum Manassem.

Supremum decus Dei Clementia inexpugnabilis.

Nemo Deo vilis.

poscenda descendit, nisi cùm omnia remedia consumpsit? Continet vim iræ suæ, nec impendit, nisi in obstinatè rebellem. Plinius in Panegyr. ad Trajanum, ubi vehementer illum extollit, quòd beneficiis potiùs, quàm remediis ingenia experiretur. Hoc ipsum proprium est divinæ Majestati. Verùm in ultima desperatione singulis momentis agitat, percellit, monet, lancinat, ferit, sauciatque hominum mentes, in suos rebelles ex cælo detonat, juxta Prophetam: *Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam.* Nec solum detonat in peccatores magnos terrores; sed è cælo mittit tela, morbos scilicet & egestatem, & adversæ fortunæ luctuosa vulnera, B juxta illud Deboræ Judic. 5. *Nova bella elegit Dominus. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Et in Cantico Moysis: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas in eis complebo.* Quando ergo Clementia his utitur armis? An non quando omnia remedia consumpsit? Quorsum? ut infinitas opes clementiæ dispenset. Summæ enim clementiæ, peccatores in præcipitium ruentes sustinere, & armis in exitium proprium destinatis, & expeditis spoliare. Summæ clementiæ est, interimere, & vitam dare; juxta illud Cantici Moysis: *Ego occidam, & vivere faciam: percutiam & ego sanabo.* C Tu, Lector, Deum magnum æmulare, & beneficiis omnium demerere ingenia. Non enim decet aliquem alienâ improbitate fieri deteriorem. Ostentatio clementiæ te reddet admirabilem, & in vita, morte, & post mortem. Imitare tu Regem Gentilem Dionem, Regem Siciliæ. Hic Heraclidem & Theodotem, & conjuratos habens in sua potestate, cùm ultrò se dedidissent, orabant, ut se benigniorem in illos exhiberet, quàm in se ipsi fuissent. Decere Dionem, omni aliâ virtute præditum incomparabili, iræ quoque imperare adversus ingratos: qui de qua antè cum eo contendebant, nunc vinci se virtute fateantur. Quid ageret Dion? circumstant amici; urgent, tollat hostes è medio, permitteret militibus, exstirparet ambitionem popularem, morbum tyrannide non minus vesanum. O magnum Regem! se in academia didicisse ait artes vincendi iram & æmulationem & invidiam; aliis regibus permittere armorum usum & meditationem. Philosophiæ documentum esse, non in bonos & amicos moderationem solùm adhibendam; verùm si injuriam inferentibus placabilis sis & lenis. Heraclidem velle se non tam opibus, & prudentiâ, quàm clementiâ & justitiâ superare videri: quippe in his esse veram præcellentiam: victoriam bellicam etsi neminem mortalium, fortunam certè, quæ partem earum vendicet, habere. Quòd si infidus sit Heraclides, & ex livore improbus sit; idcóne

Nova bella invenit clementia, occidit ut vitam det.

Nemo debet fieri deterior alienâ improbitate.

Stupenda regis Dionis clementia in conjuratos jam deprehensos.

ideóne Dionem oportere irâ virtutem labefactare? His usus rationibus, Heraclidem & Theodotem missos fecit. Hæc Plutarchus in ejus vita. Christiani ô religiosi, qui invicem mordetis ut ab invicem consumamini, ubi estis? veniet, & stabit in die Judicii Regina Austri cum gentilitia turba, & damnabit nos, qui profitemur Dei, & Christi imitationem verbis, & factis negamus.

§. VIII.

Quàm nobile & magnificum signum clementiæ suæ dedit Deus, in Iridis structura.

PRæmonstraturus Deus magnitudinem suæ clementiæ, prodigioso portento voluit eam denuntiare. Sic monarchiæ Romanæ potentiam capitis humani ostentatione. Quid enim aliud caput portendebat, nisi Romanos aliquando futuros rerum Dominos, & Romam mundi caput, mundi miraculum, & mundi compendium? prout Martialis canit:

Terrarum Dea, gentiúmque Roma
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Caput inventum portendit orbis dominatum.

Pulchrè id Florus libro 1. capite 7. describit. *Sed illud*, inquit, *horrendum, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum inventum est caput: nec dubitavêre cuncti monstrum pulcherrimum Imperii sedem, capútque terrarum promittere.* An non firma, æternaque pollicitatio? An non in geminos axes tetendit & dispersit cum Sole manus? ut ait Claudianus. An non caput orbis Roma fortitudine, & sublimitate, & gloriâ famâque? quid enim Roma, Græcis nisi fortitudo? quid Hebræis, nisi sublimitas? quid Germanis *Roem*, nisi gloria? Quantæ autem majestatis fuerit Capitolium, disce ex Plutarcho, in deaurationem exhausta plus XII. millia talentum. Non inferiore monstro Carthaginis urbis potentiam prælusit, prædixitque effossum caput bellatoris equi, cùm enim, ut Justinus libro 18. narrat, urbi locum designatum invento capite bubuli, quasi minus ominatum, quamvis signum fructuosæ terræ, at labori osæ Principes deseruissent, alius locus bene auspicatus equi capite effosso delectus. Quid enim equus portendit, nisi bellicosum potentemque populum? Quare & Cælius libro 18. capite 38. olim Carthaginem di-

Quid nomen Roma significet.

Magnificentia sumptuosa Capitolii.

Caput equinum portendit bellatorem populum.

Inde Carthago dicta.

A ctam Caccabem, Græcè κακκάβην, quod linguâ Punicâ significat caput equinum. Quare & nummus editus, teste Eustatio in Dionys. Afrum, insignitus capite equino, palmâque. Equinum ergo caput cum palma portendebant illustrem fore victoriis urbem. Quare & Silius lib. 2.

Ostentant caput effossâ tellure repertum
Bellatoris equi, atque omen clamore salutant.

Verè bellatrix, quæ cùm Roma bellatrice de mundi Imperio usque ad internecionem decertavit. Magnitudinem tribus Judæ vaticinatus est Jacob, Genes. 49. dum Regi animalium leoni composuit. *Catulus leonis Iuda. Ad prædam, fili mi, ascendisti: re-*
B *quiescens accubuisti ut Leo, & quasi leæna. Quis suscitabit illum?* Quare & tribus potentissima, non solùm in ornamentum, verùm etiam ad magnificam jactationem suæ magnitudinis leonem regio fastu horridum suis in labaris circumferebant. Multo majori majestate, & auspicatiore omine perplacuit DEO suam infinitam clementiam in imagine cælesti, velut missâ in compendium suâ infinitudine publicare. Quid pulchrius, quid magnificentius arcu cælesti, quem Iridem vocamus? Audiamus Ecclesiasticum cap. 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo, gyravit cælum, in circuitu gloria sua: manus Excelsi aperuerunt illum.* Quid est Iris, cæli decus? Chrysostomus vocat *chirographum reconciliati*
C DEI. Hieronymus, *supernæ clementiæ simulacrum.* Damascenus *cælestium judiciorum pignus.* Augustinus, *divinæ amicitiæ tesseram.* Nazianzenus, *benevolentissimi numinis testimoniū.* Basilius, *pacis sequestram.* Anaxagoras, *Serenitatis præludium.* Philo, *multifarium lucis decus, tranquillitatis præco, calorum Imperatrix, diei spectaculum, DEI miraculum, lætitiæ præambulatrix, felicitatis index.* Quid ergo Iris, nisi tuba & præco clementiæ divinæ, qui absque colorum apparatu, omnem colorum florem deprædicat, & pulchritudinis specie mortales advocat ad sui spectaculum, ut in auctorem tam formosi operis assurgant? Quod ipsum Tigurina lectio docet. *Contemplare*, inquit, *arcum, fulgore suo perelegantem, & au-*
D *ctori ejus gratulare; & dicas: Quantò speciosior ille, qui creavit illum!* Iridem ergo posuit DEUS in cælo in prodigiosæ suæ, & admirabilis clementiæ illustramentum, & ostentationem, juxta illud Genes. 9. *Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis inter me & terram. Cumq; obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum.* Iris ergo & arcus erat signū pacti & fœderis initi inter DEUM & hominem, quo magnus DEUS, velut monitu clementiæ ad condonationem scelerum provocabatur. Dicitur autem *ponam arcum meum*: meum, quia pulchritudinem DEI repræsentat, cælum gyrando. Et quid est cælum

Cur Deus magnus voluit Iride suam clementiam portendi.

Laus Iridis ex patribus.

Quod in Cælo posita iris ita Clementia Dei.

lum gyrare? nisi gloriosæ suæ pulchritudinis decore, gratiâque totum hemisphærium ambire, vel ab ortu in occasum, vel à meridie in Septentrionem coextendi? *Ab ortu enim & occasu magnum est nomen meum Malachiæ 1.* inquit, *Dominus. Secundùm nomen tuum, sic & laus plena in fines terræ.* Arcus ergo nobilis videtur cæli totius gloriosus balteus, & cingulum majestatis. Non igitur sine causa *manus Excelsi aperuerunt illum.* manus scilicet æternæ sapientiæ, adeò exacto & glorioso circulo curvaturam illam tot coloribus distinctam, ut mille diversi colores nitere videantur. Porrigitur ergo hoc opus ab uno cæli extremo ad aliud. Opus hoc admirabile, & ita perfectè quasi ducto circino à puncto ad punctum, absolvitur traductum, ut nullâ manu, vel potentiâ humanâ, vel Angelicâ confici possit. O nobile pignus, nobilis arrha, nobile emblema divinæ clementiæ! An non clementia divina per omne sui Imperii corpus, & per omnes oras sese diffundit? an non omnes vult in sui similitudinem formari? An non clamat: Parce ferro, parce; indue meæ clementiæ habitū: hoc titulo esto gloriosus; indulgentia injuriarum inclaresce. Parco ego cunctis, nec stillam cruoris humani effusam volo: omnibus hostibus vitam dono, si qui sint, quos esse nolo. Esto sit ultio mihi in facili. in hoc glorior retrahere sententiam mortis, decreta mortis supplicia rescindere, & ad vitam ab ipsa morte revocare, & toto orbe dispergere cum Sole manus auxiliatrices, & radios meæ clementiæ. Desine mirari magni DEI clementissimam mentem: obsidet enim DEUM ipsum, & quocumque incedit, ingenti sequitur apparatu, ut Iridem pulchritudo. Minus illi latere licet, quàm Iridi per suos colores licet. multa lux, & ineffabilis circa illam est, quâ cunctorum oculos delectat, sicut Iris spectantium. Accipe, lector, ut Iris exprimat suis coloribus & specie divinam clementiam. Iris matutina portendit pluvias; mane enim fit, in nube roscida & in aquam solvi parata, juxta Ovidium 1. Metamorph. *Concipit Iris aquas.* Et Seneca natural. quæst. cap. 6. *Arcus à meridie magnam vim aquæ vehit.* Clementia quatit corda, & cordibus excutit pluvias & lacrymas. Sic Petro, sic Magdalenæ fontes excivit. Iris matutina, peccatorum conversio, cujus initia fundantur in lacrymis: Vespertina serenitatem. Sic Julius Scaliger, Exercit. 80. An non clementia optatum peccatoribus, & auspicatum vesperum, & ultimum diem beatum portendit, si matutinæ Iridis imbribus irrorati, & pœnitentiæ lacrymis criminum sordes expiârint? Pulchrè hoc Ambrosius de Arca docuit. Iris, inquit, est clementia DEI, quæ quasi arcus contentus; sed sagittâ carens, imò sagittis & hamatis opulentus; at amoris, quas per adversa immittit, ut nos terreat, non ut feriat: imò

Nobilissimum opus Iris.

In hoc summus Dei triumphus velle & posse parcere.

Ut colores exprimant Dei clementiam.

Discrimen matutinæ Iridis & vespertinæ.

A & maximè ferit, ut illa sagittis saucia clamabat: *Vulnerasti cor meum.* Et ille; *Sagittaveras cor meum charitate tuâ.* Quare & Joannes Apocalyps. 4. vers. 3. *vidit thronum* DEI *circumdatum Iride.* an non misericordiâ & clementiâ? quæ dos DEO regnanti, nobilissima, quæ & homines divinos facit, & Deos, juxta illud Nazianzeni: Clemens calamitosis DEUS est. Iris deinde, teste Aristotele, lib. 5. histo. cap. 22. *multum confert ad generationem mannæ, seu mellis aërii.* & Plinius lib. 12 cap. 24. & lib. 17. *docet miram suavitatem & odorem aspalatho, aliisq. herbis & plantis adspirare.* Et quas virtutes non adspiravit Magdalenæ? quas non latroni, antè furcifero? Vultus Magdalenam, vox Clementię latronem mu-B tavit. Quo manna plenus David, cùm exclamat: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Noli, noli oblivisci omnes miserantiones ejus. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.* Quas voces cygneas Bernardi non audimus, dum ille clamat: *Fasciculus myrrhæ inter ubera mea commorabitur. Dilectus meus mihi, & ego illi.* Unde Ignatio ingenis perenni aspergine lacrymæ? unde oculi fontes? Iridis cælestis hæc est potentia; Iridis influxu manna generatur; manna, cibus scilicet Angelicus omni dulcedine & suavitate conditus. Non sine causa Plato in Thereto Irim Thaumantis filiam dixit, omni stupore & admiratione superiorem, e-C minentioremque. Et nos Clementiam Iridem dicimus magni DEI supremam quodammodo filiam, cujus pulchritudo omnem supereminet formositatem. Quæ digna mētis laus erit arduæ? Quæ digna formæ laus erit igneæ? Quare non sine causa Iris est in circuitu throni Domini, qui quasi satellitio clementiæ obsessus & circumdatus, ut sit instar terræ nuptiali floridoque redimitæ vere? Tota itaque aula DEI nihil aliud spiret nisi cinnama & sacros odores pacis; nihil aliud sonet, quàm clementiæ voces, & concordiæ vota: nulla hîc nocendi tela, nullus metus. Mirum dictu; ipse metus amat: amor custos & arbiter metus. Pariter diligitur DEUS, pariter timetur, qui vehementissi-D mè amatur. Severitas abest abdita; clementia in procinctu semper coram adest: severitas ex alieno; clementia ex proprio: illa advocatur necessitate compulsa; hæc instar roriferæ nubis madidantes nectare concutit pennas. Quæri posset, cur niteant mille colores, ut pulchrè Virgilius; mirum dictu, mirum cogitatu, cùm lineas modò virides, modò purpuræ similes aut luteas, aut igneas, aut cælestes, aut insigni colorum varietate flores videamus. Quare Joannes Apocalyp. 4. describat Iridem in circuitu throni similem visioni Smaragdinæ? cur Smaragdinæ? non quòd Iris esset viridis, ut Aliakar, & alii, quasi aliorum colorum vacuus esset, sed quia color ille præ ceteris præcelleret, & suo eximio

Magna virtus influxus ex Iride.

Satellitium clementiæ.

Quales voces in aula clementiæ audiuntur.

mio virore, quasi alios colores obscuraret. A Smaragdus enim, ut ait Solinus c. 17. virore omnes antegreditur, exsuperatque herbas, & proxima virore inficit, & colorat, atque adeò pertinax, ut nec sole, nec umbrâ mutetur. Addit Plinius l. 37 c. 15. ejus esse felicitatis amœnę, ut virore suo impleat oculos, satiet tamen nunquam, & pulcherrimi speculi vicem obeat. An non ideò Smaragdina est, ut enuntiaret inexplicabilem æterni numinis constantem perennemque clementiam? an non æternus viror regnat in illa, qui nunquā senescit? an non ideò, quia præ ceteris attributis divinis eminentiùs elucet? Planè: clementiæ enim suæ insatiabili illecebrâ exui Deus majestatis gloriâ videtur, cùm omnia quasi sensu carens tolerat dedecora, nec B insulta solùm, verùm beneficiis vindicata Quis numen tam propitium non adoret? quis nō mille victimas litet divinæ clementiæ? Illa enim exhilarat, reficitq; omnes mortales, pectora adamantina demulcet; illa animum sine satietate satiat: qui enim Jesu clementis sensit delicias, sitit magis, accenditur, & in ipsa siti sine molestia haurit majorem sitim. *Qui bibunt, adhuc sitiunt: desiderare nesciunt, nisi* Jesum *quem diligunt. Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum.* Iris ergo symbolum pacis, clementiæ præco, amicitiæ tessera, diadema gloriæ divinæ. Symbolum pacis esse cognoscimus. Docuit Iris solem coronans cùm Octavius Cæsar urbem intraret, tum pacis futuræ, tum novæ potentiæ certum, C cæleste prodigiosumque esse augurium. Ipse enim certaminum bellicorum domitor, victorque pacem orbi dedit; Janum septingentesimo ab urbe conditâ tertius à Numa Rege, & victâ primùm Carthagine clausit. Voluit Deus gentilem Principem pacis cōmunis auctorem designari. An non Iris Augusti prælusit Iridi Christi Domini, vero Augusto & Principi pacis æternæ, qui concordiæ auctor inter Deum & homines fœdus reconciliationis intulit orbi districto circa sua scelera, & æterna bella cum Deo gerenti? Iris ergo adventantis Dei, instar auroræ præcurrens, annuntiavit Imperium, cujus majestatem statim Rege nato, sensit orbis universus, ut dictum est. An non habitantes in felici Arabia, sole perusti, cum gem- D mis, cum elephantis, auro, argentoque, opulentaque munera trahentes Reges, Regis sui cunabula sunt prono corpore suppliciq. venerati? An non cælum legatos suos, Angelos scilicet, misit, qui magnitudinem novi Augusti prædicarent, & patrem patriæ consalutarent? Iris ergo tanti Principis nuntius, & legatus fuit; nuntius Clementię, & pacis legatus æternæ.

Clementia facit Deū quasi insensibilem.

Iris symbolum pacis.

Iris adventantis Dei præco & prælusor.

§. IX.

De structura arcûs cælestis, & mira arte naturæ, magnoq; apparatu ut subitò concidat.

Magnificum videri potuit, divinam clementiam ornatissimo arcui & tot opibus gravido comparari: verùm ubi vanam & inanem partium commissuram, & coagmentatam structuram perspexeris, maxima divinæ clementiæ & incredibilis fiet accessio. Primum paucis de materia; alterum quid repræsentent singulæ partes. Plutarchus l. 5. de placitis Philoloph. docet vaporem humidum mutari in nubem, quæ sensim, & deinde in parvas guttas resolvatur. *Sol igitur cùm occasum accedit, necesse est Iris adverso sole appareat; cùm videlicet visus noster in guttas incidit, reflectitur ut Iris fiat. Sunt autem stillæ, non figura forma, sed coloris.* Hæc ille. Aristoteles lib. 3. Meteoror. c. 4. ait, *tunc arcum formari, cùm aër nubibus comprehensus in guttas coactus est, neque dum effusi imbres.* Plutarchus agnoscit tres in Iride colores; puniceū; violaceum seu purpureum; ceruleum seu viridem. Aristoteles puniceum, viridem, violaceum; & addit tribus tantum constare coloribus, his & non aliis debere infici; verùm ex vicinitate colorum plures apparere. *Inde,* inquit, *est, ut flammeus appareat, eò quòd editus sit inter puniceum, & viridem.* Ammianus l. 20. quinque tribuit. *Cujus,* inquit, *species, quantum mortalis oculus contuetur, prima lutea visitur; secunda flavescens, vel fulva: tertia punicea; quarta purpurea: postrema cerulo concreta & viridi.* Quare & optimè Statius vocat picturatum arcum.

Et picturato pluviam, ligat aëre gyro.

Et Virgilius.

Mille trahens varios adverso sole colores.

Sol ergo à superiore vel inferiore parte totam nubem percutit, atque etiam tingit cùm radios transmittit, & omnem densitatem perrumpit. Quidam, ut ait Seneca lib. 1. natural. quæst. cap. 3. existimant sic fieri. dicunt in ea parte qua pluit, singula stillicidia pluviæ cadentis singula specula esse; à singulis ergo reddi imaginem Solis. Deinde multas imagines imò innumerabiles & devexas & in præceps transeuntes cōfunditaq; & arcum esse multarum imaginū Solis confusionem. Sic hoc collige. An non minutissima speculi fragmenta sereno cælo Soli opposita, singula Solem admissum reddunt? an non in singulis foliis dispositæ guttæ, singulæ Solis imaginem? & contrà piscina ingentis magnitudinis non nisi unam? an non ideò, quia omnis circumscripta lævitas circumdata est suis finibus, speculum est? Divide piscinam, an non tot habebit imagines, quot divisa partibus? Relinque diffusam,

Structura Iridis ex auctoribus.

Quot sit coloribus picta Iris.

Cur in magno vago una solis imago videtur in speculo vero multiplex.

diffusam, unam diffusamque offeret sui faciem. Stillicidia ergo infinita, quæ cadens imbet defert, totidem specula sunt, totidem solis facies habent: verùm quia parva sunt, solis colorem sine figura exprimunt. Verùm imbecillitas aciei nostræ, quâ nihil est fallacius, ut patet in rebus, quę ad manum sunt; v. g. remus integer in tenui aqua reddit speciem fracti,| poma per vitrum aspicientibus multò majora sunt. Non ergo miremur, si oculi nostri non separabant stillicidia, ingēti spatio intuentibus minutarum imaginum discrimen. Deinde cùm nihil in rebus humanis sit formosius arcu, qui propter speciem admirabilis dicitur, & Iris vocatur, filiâ Thaumante nata, mirum tantam formositatē subitò interire. Sol, nubes, duæ causæ sunt arcus; est ex his, quorū unum sine altero esse non potest. An non Sol formositatem arcus causat? Planè. Cur intra momentum subtexitur, & æquè celeriter aboletur! Quid citiùs à speculo redditur, quàm imago? tam citò speculum solis in Iride cum suo ornatu colorum; igneus à sole, ceruleus à nube; ceteri utriusque mixturæ. An nō mirabile, pulchros colores ibi non esse, sicut nec facies objecta speculo, speculo nihil relinquit sui? repentina enim facies, repentinus & interitus spectatur. Non igitur color est; sed videtur: non est propria in ista nube substantia, nec corpus; sed mendacium, & rei similitudo. An nō si obtexeris solem, desinet arcus? Quorsum hæc omnia? non caret ingenti consideratione. Attentum te volo. Diximus innumerabilia esse specula solis in stillicidiis; mille formas & innumerabiles videri, tot figuris colorum apparentium in fluido vago, & nihil amplius, quàm per brevem speciem recipiēti distinctas: pari modo in divinæ clementiæ infinitis thesauris, innumerabiles benignitatis formas, infinitas favorum divitias, immensas & varias humanitatis species est invenire. Facilius est numerare stillicidia, & colores Iridis ex intenso & remisso compositis; facilius & pluviæ guttas, & arenarum incomprehensibilem numerare, in acta referre, quàm mente concipere clementiæ divinæ modos, numeros, artes, & vehementissimos amores, quibus effervescit in cōdonationem scelerum. Pulcherrimum opus naturæ est Iris, & decus cæli: sic pulcherrimum operum magnificentia & clementia. Iris se omnibus spectabilem offert: sic & clementia. Iris implet suo complexu totum ambitum sui cæli: & clementia totum cælum terramque. Iris omnes evocat ad sui spectaculum: sic & clementia. Omnia Iridis hilares sentiunt fructus, viresque: sic & clementiæ. Omnibus interest, omnibus obviā procedit, ut omnes complectatur. Non tam opulentū mare Orientis pretiosis gemmis, lapillisque micantibus, quā clementia suis. Quidquid est in Iride, roscida est nubes: quidquid est in Imperio Dei, est rorifera clementia. Quidquid est in Iride speculū solis & reverberata solis opposita lux & claritas: quidquid magnificū est in Deo magno, est speculū, lux, & claritas fulgētis bonitatis. Totus Deus in Oceano clementiæ mersus, speculū bonitatis, & imago clemētię. Ex hac disce Deū, quantus sit. Superest aliud, cur Deus suā gloriosā clementiā, & infinitam pulchritudinē Iridis pulchritudini voluit cōferri? & quę qualisq; species Iridis, nisi apparens, fallax, fugitiva, sine corpore, sine vero colore, solùm luce picta, & per claritatē adumbrata pulchritudo? Quorsū pulchritudo vera cū fallaci venit in certamē? Venit in certamē quidē, quia nihil pulchrius tota natura produxit quo duci posset homo in clemētiæ cognitionem; & tamē tanta, cū tota specie, & luculenta forma, tota vanescit, nec digna pulchra vocari. An non ideò, ut dicamus, & acclamemus magno Dei: Omnia creata & sūt, & bona sūt, & pulchra sunt; at tibi cōparata nec sūt, nec bona sūt, nec pulchra sunt! Interit & diffluit repētino interitu quidquid Deus nō est: omnia enim cōparata Deo, sūt quasi nō sint. Inanis est, & vacua omnis pulchritudo, quāvis eminētissima, instar Iridis, quæ pollicetur ostentatq; innumeros colores, in certamē usq; luxuriātes; at fallaces, & coloris immunes. Solis enim repercussis radiis elaborati, nubis lævitate, densitateq; unde tā fallax sensus, ut falli velit. Tā fallax hic est apparatus regius, quàm subitus interitus sicut & ortus. Disce ex Iride omnia pulchra, vana. Vide ut jactantior explicet colores in breve gaudium. Disce hinc omnē magnitudinē clemētię humanæ, quàm superiore sectione descripsimus, quanta quāta est, quamvis habitu instar Iridis speciosissima fulgeat, si divinæ cōparetur, subitò Iridis in modum evanescere, & quasi nullum esse. Non potest homo sequi factorem suum. Altior est quàm comprehendi possit.

Iris miraculum imaginum.

Infinitis divina Clementia formæ modoq; atque thesauri.

Iris imago Clementiæ.

Quare Iridi tam formosæ, & tā inani voluit Deus comparari suam Clementiam.

Iris Emblema vanitatis penitus inanis.

§. X.

Mansuetudo Dei & Clementia ex Prophetis.

Tota Scriptura cū sit gravida, clementię divinis operibus, nonnulla loca luculētiora dabimus. Isaias describit māsuetudinis clementis opus c. 42. *Ecce servus meus, suscipiā eū: non clamabit, neq; accipiet personā, nec audietur vox ejus foris. Calamū quassatū non conteret, & linū fumigans non exstinguet: in veritate educet judiciū. Non erit tristis neq; turbulentus.* Ecce tibi imago vivax veri clementis Principis & māsueti. Pōderemus singula verba, & dabūt ingentia documēta in Principis formationē. *Non clamabit*: Princeps pacis est: pacis leges mansuetissimè publicabit, & sparget sapientiæ suæ disciplinam. Hoc ipsum trinā repetitione apud Matthæum cap. 12. & 19. roboratur. *Non contendet, neque clamabit,* neque audiet aliquis in plateis vocem ejus, & instar rotis silenti allapsu in vellus, in corda scilicet hominum, ea fœcundans, descen-

Longa descriptio mansueti & Clementis.

descendet: mel erit in ore, mel in aure, jubilus in corde. Nullius personam accipiet: divitē enim & pauperē fecit Dominus; quemlibet æstimat partē sui regni, omnes æquali jure adeunt hęreditatē sui favoris. Non per adulationē; sed ex meritis victoria datur. Non purpurā, non diademate quispiā discriminabitur, omnes pari conditione fovet & amore. *Ipse descendere faciet ad vos imbrē matutinū & serotinū*, Joëlis 3. v. 23. Erit omnibus in patrē patriç. Hinc cōversus ad pacē, pronū in omnia scelera genus humanū, & in luxuriam fluens, gravibus & suavissimis legibus coërcebit, & eò rediget, ut feroces & indomitos mortales, & voluptatibus marcidos ad omnē humanitatis cultum, summā castitatis sanctimoniā, & vitæ puritatē sit traducturus. Specta mansuetudinē. *Calamū quassatū non conteret, & linū fumigans non exstinguet.* Per *calamū* Matth. intelligit *arundinē*. Per *linū* noster Delrio, Adagio 72. accipit *Mixum*, sive ellychniū, ex lino caligans, nundū dominante flammâ, vel jam evanescēte. Alii verò sic vertunt; *lucernam fumigantem* scilicet nō exstinguet, quæ jam foret exstinguēda. Calamū ergo quassatum quasi inutilē, quis non dedignatur? quis non projicit manu? quis non igni tradit? quis ellichniū fumigans non exstinguit? quis odorem & halitum morientis lampadis noxium oculis, naribus, quin imò, teste Plinio, nonnunquā fœtui in utero matris lethale, fugiens non declinabit? At Christus & Deus in Christo fœdum exhalantes cloacas, & vitiis immersas animas, quasi horrida & diffluentia tabe monstra non asperè, non duriter, non novercali manu, non indignante & superbificâ voce compellans tractabit, versabit, aut exasperabit fremens calcansq; verùm blandiētis instar matris peritura sua pignora obstetricante manu fovebit, ore basiando, & lambendo salutari salivâ, suppurationū fluētium tabum oblinet, bibetque. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Hic ille calix ebibendus, plenus felle & absynthio. Hoc Christi facinus imitatus noster Xaverius, horrorem reluctantis naturæ expugnās, plagæ, tabo & sanie diffluenti, os fortiter admovet, imprimitque, se tanquā nectare saturans victoriæ extulit signū. I nunc, quære, sectare vestes mulierū fumosas odoribus Indicis, refertas unguentis comas; pasce te his delitijs; fac intersis juvencularum quotidianis colloquiis, ibi regnet eloquentia, & ambitu quæsita gratia. Jaceat in platea despectus Lazarus, non sit qui manū porrigat, emoriatur licet in sordibus, & exspiret animam, nullum ibi lucrum tibi, ubi nulla blandimenta sensuum. Veniet dies decretorius, quo pigebit; parum dixi; quo tui pertæsus non solū retractabis cum gemitu acta tua, verùm teipsum exosus detestaberis ejulans teipsū. Tunc dices: Quorsum vixi, & quibus fascinis illusus vitā transegi? quorsū ambitiosiùs mortiferis amoribus indulsi? quorsum meipsum his Sirenum illecebris circumveni? perdidi quod dixi. Felix si calamū quassatū sustentasse, & linū fumigans consovisse. Vidi Christi mansuetudinem: toto vitæ decursu reddit pro malo bonum: nulla ultio, nisi beneficiis: dat locum iræ, insultantes Pharisæos demulcet, declinatque suo damno, ne volentes perire majore ruinâ involvat. Proditorem sanguinarium osculo prævenit, oculos dissuaviatur, & jaculo amoris blādissimo etiam ferinum pectus leonis tractabile configit. Non Regē sese exhibuit; sed agnum, Isaiæ 53. *Tanquam agnus ad occisionem ductus, & quasi agnus coram tondente se obmutuit.* & ideò *non clamabit, nec audietur vox ejus foris.* Hanc victoriam mansuetudinis in Psalm. 13. egregiè paucis delineat S. Augustinus. *Rex noster mansuetudinis vicit diabolum. Saeviebat ille: iste sufferebat. Victus est, qui saevebat: vicit, qui sufferebat.* In ista mansuetudine vincit, & vicit Ecclesia suos inimicos. Hæc est nobilissima victoris vindicta, *patiendo vincere, & vincendo condonare, & condonādo ad summa bona perducere*; trucidare impietatē, & suscitare Justitiā. Hoc est, quod dicit Isaias: *Dabit impios pro sepultura, & divitē pro morte sua* quasi diceret: DEUS pater dabit hoc præmium, hanc mercedē, ut hostile peccati regnum subigat, & subactū evertat, & eversū secū sepeliat, eò quòd injustè sit ab impiis occisus & sepultus. Dabit ergo impios pro sepultura, eos perdendo, vel ut rei luant pœnas debitas sanguinis innocētis. Vel dabit impios, ut scilicet Christo credentes, tumidas cervices novç legi, veterē exosi, subjiciant. Hebræi autē sic habent: *Dabit impios sepulchrum ejus.* Quasi diceret: Faciet DEUS Pater ut impius, & impietas cū Christo sepeliatur, & omnes mortui peccatis, vivant, & cōsepulti cū Christo per baptismū in mortē, Roman. 6. & divitē pro morte sua. Ubi Arabicus textus sic habet: *& particeps factus est dives in sepelitione ejus*; vel in *linteamine sepulturæ ejus.* Linteo enim solent involvi sepeliendi; quo Joseph ab Arimathia designatur, qui in suo sepulchro Christum sepelivit. simpliciter hic possunt accipi quivis impii, inopes æquè ac divites, tam ex gentibus, quā Judæis, quos Pater dedit illi. An non ideò, quia caput devotū DEO Patri obtulit? & consecrationem corporis sui misso sanguine in victoriæ pretium redegit? Planè. Victima enim sui corporis unâ velut ruinâ Principes tenebrarū involvit, & æternos nostræ salutis auspicatus est triumphos. quo pacto summa rerum ad DEUM Patrem Christi clementiâ & fortitudine patiendi rediit, & genus humanū undique laceratum, distractumq; coïvit, consensitq; sub uno Præside & Principe, & supremo capite Christo JESU, cujus nos omnes membra sacrosancta facti sumus; cui laus & honor in sęcula & in æternum, & ultrà.

Sagax clementia hominis.

Quæ sit nobilissima vindicta.

Locus difficilis Isaiæ explicatus.

Summa ingenita clementia est nullum deserere.

§. XI.

§. XI.

Admirandum & incredibile artificium Clementiæ divinæ, ut elaborârit omni suâ potentiâ in Elia zelosissimo clementiæ virtutem.

IUcundum hunc contextum & admirabilem ex Patribus, & præsertim ex magno Chrysostomo, ejusque operibus, redactâ in compendium materiâ conficiam. Verùm paulò altiùs, & usque à capite unde omnia cetera manant, arcessendum. Elias, qui verè Græcè Ἠλίας dictus, Israëlis auriga, bellator fortissimus, etsi inermis, pro Deo adversus omnes deprælaiator vehementissimus, qui nunquam gradum retrò dedit, virgineus totus. (Et cur nō esset, qui totus igne flagrabat?) cælo quodammodò major, cùm in terris cælis imperaret. Janum cæli claudebat, vel aperiebat in fidem belli aut pacis. Hic ubi populum suum quasi furore phanatico rapi, deserto vero Deo, in falsorum Deorum cultum & superstitionem vidit nec precibus, nec miraculis ab insania posse dimoveri (mirum tantum roboris inesse falso) secum inaudita totus effervescens meditatur consilia. Conceptum est facinus, tentabit, audebitque. Verùm non ignarus divinæ clementiæ; noverat Deum magnum exiguis lacrymis sua damna, & acerbitates illatas condonare: noverat impios ipsissimos à clemente Deo provocari, sinum expandi, ultrò iras ponere, & primus oscula petere, & prætendere ramos olivæ. Quid aget? quid molietur? an opponet se mortalis tanto Deo? an contra ibit, & infringet ordinem divinum, & Patris exscindet affectum, ut Pater arma contra suos filios expediat, rebellesque tot sceleribus castiget opprimatque? Secum ergo in varias partes hinc & illinc distractus, tandem adamantino nodo, & indissolubili decernit juramento edito, ligandam clemētiam, & Deum fœdere & jurejurando in partes suas obstrictum vinciendum. *Vivit*, inquit, *Dominus Deus Israël, in cujus conspectu ego sto, si erit annis his ros & pluvia nisi juxta oris mei verba.* lib. 3. Reg. cap. 17. Nunc militet mihi cælum, & ad classicum meum se moveat: nunc ulciscatur insanos amores populi; quos patitur Deus, non passurus ego. Et ecce anhelat terra, arescit cum cælo solum, sitiunt amnes; fontes siccantur, fames ingruit, & mortis horror: omnia cōplentur luctu, & sævientis imagine mortis: omnia in unum conglobata, vergentiaque mala vindictam Dei testantur. Tantâ mole malorum, & funerum oppressus populus, ingemit; tendūt manus in cælum, it clamor cælo, permiscētur omnia luctu & desperatione, mors in delitiis, jucundius finire vitam, quàm non finire continuas mortes. Unū solatium est, subitò posse mori. Quid ages, Elia? dicit Dominus, nulla te tangit pietas vel miseratio? quid ages, si miserabiles offerant lacrymas? si excussos cū ge-

Elias græcè Ἠλίας dictus.

Singula hujus tituli quia legēda, notas marginales omitto.

A mitibus clamores? si litent mihi victimam? si scelerum pœniteat? quid aliud agitas, quàm mutationem consilii? Ecce in procinctu est mea clementia, effundā roriferos imbres, & pietatis viscera, ne penitus intereant. Minimè, inquit, vivit Dominus, nisi per os meū, Cælū castiget immaturos & impios idolorū furores: utantur suis malis, damnisque. Ego per Deitatem tuam juro; ostende mihi quod hoc juramentū cōtra te valeat, & te auctore subsistat: tunc enim exinanitio & infirmitas patebit idolorū; non erit tribus annis ros vel pluvia, nisi per sermones oris mei. Finē malorū non statuet tua clementia: tuum est misericorditer agere. Verùm non ita magne Deus. tenetur sua Majestas meo juramēto: sed tūc
B permisceat cælum pluvias, ubi preces pro illis in victimâ litâro; ubi te recognôrint, & summā rerū, & seipsos tibi reddiderint. Vide quo loco Sancti sint apud Deū, quo in honore? Magnus Deus, magnū illud & horribile numen, magna illa & infinita Majestas vocem Prophetæ reverita, sententiam suspendit, & porrecta clementiæ ubera obtexit. Quāti fuit juramentū Prophetæ apud Deū! An non visus ligatus Deus, & manus omnipotentis cōstrictæ? an nō visa est Dei misericordia cum clemētię fonte exaruisse? Quid faciat magnus Deus? cogitur educto gladio sævire. Passim ubiq; sternuntur corpora, densantur funera, clamor morientium ingeminatur. Videtur Deus juramento obnoxius exuisse omnē hu-
C manitatis sensum, & in sui populi conjurasse perniciem. Ita est. Quis tamen Solē obtexerit nubibus, ut lux nō emicet, atrasq; nubes perrumpat? Quid aget divina clementia sic vincta? an poterit oblivisci se esse Patrē? an obliviscetur misereri Deus, & cōtinebit in ira misericordias suas? Minimè. Novum illi bellādi genus in procinctu est. Magnū illi quidē negotiū cum juramento; verùm Princeps in sua lege potest dispensare: at majus cū zeloso & obfirmato viro. Hic mihi priùs expugnādus, & inexspectato ariete quatiendus. Sentiat ergo pœnas populi, subigatur iisdē miseriis, miserabitur sortem suā in aliena, ubi senserit flagellatus aliter sentiet; discet succurrere mise-
D ris nō ignarus malorū. Venter plenus, famis ignorat malū, & inundans deliciis egestatem. Plectā ergo illū, quâ plectitur populus pœnâ. auctor mali libet acerbitatē mali. Invulnerabilis huc usq; fuit, sentiat sagittas: patiendo discat clementiā. O mirabilē Deum! in medio positus, quid aget? studet placere populo, & timet quodammodo displicere Prophetę. Utriq; fiet satis. Fame ergo urgetur Propheta, qui advexit patitur famē, nec movetur. Mittitur ad torrentē Carith, qui est cōtra Jordanem. Ibi, inquit Deus, de torrente bibes, corvisq; præcepi, ut pascant te. Satellites tui corvi erunt, voraces & fœdę volucres: illæ tibi panem deferent, & carnes, mane & vesperi. Verebens volucrum fœdarum horridum contactum, tua temet flectet charitas.

Nota

Nota mirabile divinæ sapientiæ inventum, quo conatur inflexibilem animum Prophetæ concutere: alitur à volucre, cui sui proprii fœtus invisi: hæc novercales animos gerit, natos deserit tanquam degeneres; sustentat tamen Deus, & genus corvorũ in posteris durat. An non dicuntur clamare ad Deum & Deus spumanti præ clamore rostro submittit animalcula, quibus ad tempus nutriuntur?
Psal. 146.
Attende, Lector, ut Deus intercedat apud Eliam, qui Judæis, ut malis filiis succensebat. Quasi silenter diceret: Ne tanto tuorum filiorum flagres odio, quanto corvi erga suos. Illi immisericordes, & suorum quasi hostes te alienum pascunt, tibi serviunt & misericordiæ meæ ut te servent, patrocinantur; cur tu non patrocinaris miseriæ tui populi morientis? erubesce vel corvorum exemplo: esto illis clementior. Ego ut tui miserear, & immisericors tu perduras? tueor tuam sententiam, & honorem defero; defer mihi honorem, ut quos affligo, possim miserari. Crudelior corvis perstitit. Corvus patrocinatur misericordiæ divinæ Eliam sustentando, & ille non misericordię divinæ volenti subvenire exitio communi. Hoc primum duellum Dei cum Elia, at nullo fructu. Irritâ legatione obitâ corvus amandatur: opus est novo prælio, novo artificio tentãdus indomitus zelus. Fame domandus animus. Verùm ille, Epulas, inquit, dabit fames. Obfirmatum est pectus velle mori, & mortis solatium erit vindicta scelerum. Moriar? placet: at non inultus, si fuerim ultus Deum, cadam victus fame? Esto; sufficit hostes Dei cecidisse; mihi erit commune cum Dei mei hostibus sepulchrũ. In causa Dei mori, est æternum vivere. Vellet Deus misereri; at obstat juramentum, obstat implacabilis zelus avidior mortis, quàm vitæ. Jubetur ergo profugus & desertor suæ gentis supplex fieri feminæ viduæ Gentili. Quid tibi nunc animi Elia? transmigras à populo Dei ad Sidonios, hostes Dei, tuosq́;. Quid tibi Judæo cum Gentili sanguine commercii? quid luci cum tenebris? à Gentili femina, si vitam vis, poscenda vita; tu Princeps populi tui, terrorque orbis, supplices viduæ tendis manus? Si pietate non flecteris, flectêris indignitate mandati: si non vis parcere patriæ, parce tibi, parce famæ: gloriosiùs de te triumphabis, quàm Gentiles de te. An non dehonestabitur fama tuæ gloriæ usu & convictu familiari Gentilis feminæ? Sat iræ & vindictæ datum. O admirabilem, & inexorabilem viri zelum! in summa desperatione nullam spem meliorum facit. Aggreditur ergo Deus adamãtinam mẽtem, & ad extrema compellit: *Vade in Sareptha Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim mulieri viduæ, ut pascat te.* Surrexit, & abiit in Sarepptha. (Urbs hæc sita est inter Sidonẽ & Tyrum, in via publica, non longè à litore maris, distans à Sidone duobus miliaribus.) hîc subsiste & desine mitari terram Sidoniorum mole malorum & eâdem ruinâ involvi, quâ Judæi; ultio sequebatur Jezabelem hostem & Dei, & Prophetarum, omnis mali causam, Regis Sidoniorum filiam. Justo ergo judicio terra sentit malum, quæ dedit auctricem & causam mali. Surrexit ergo, & abiit. cumque intrasset civitatem, apparuit illi mulier vidua, colligens ligna, & vocavit illam, dixitque illi: *Da mihi*, inquit, *paululum aquæ, ut bibam. Cumq; illa pergeret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi*, inquit, *bucellam panis in manu tua. Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus: quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. en colligo duo ligna ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* Attende, Lector, quot machinis, quot arietibus oppugnat mentem Prophetæ. An non conglobatâ miseriarum manu confligere cum Propheta videtur? Mittitur ad mulierem, deinde viduam, insuper religioni sanctitate diversam, cui Deus statum, figuram, & extremam viri necessitatem aperuerat; quare & Propheta totus exhaustus confectusque simul ac venit, potum cibumque poscit. Primùm fuit concussus disperatâ mulieris asperitate, cùm Eliæ respondit: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus farinæ in hydria, & parum olei capere potest &c.* Deinde alio & majore telo fuit trajectus, horridæ scilicet & extremæ indigentiæ summâ necessitate, quam ultima desperatio comitabatur; *ut faciam scilicet mihi & pueris meis.* Septuaginta enim loco filii, pronunt *filiis meis.* Ecce tibi totius familiæ prostratæ eversio. *ut comedamus, & moriamur.* nihil enim reliqui residebit. Hâc machinatione cœpit nonnihil vacillare, deinde incurvari rigor ille nulli oneri succumbens. Quid agis? quid cogitas Elia? illa moritura fame non nisi mortem cogitat; an non majori perurgetur malo, quàm tu? tu solùm esuris; illa esurit mortis bonum, ut evadat grandius malum. Domitus nõnihil animus, famis, & miserabili vocũ lamento, vacillans inclinabatur in misericordiã, & jã ibat, & ægrescens zelo animus cursũ abrũpebat: volebat nolens, & volẽs nolebat. Perdurabat itâ æstuans ignitis caloribus cælum; & dum secum luctatur, victor zelus virũ in suas partes traxit. Quid egit Deus? expeditur ultima machina, cui succũbet Elias incurvatus. videbatur navẽ securus in portũ subduxisse: vivebat domus immunis omnis egestatis. Farina & oleũ suis damnis crescebãt. vivit Elias salvo honore sacramenti; tota denique domus animatur veri Dei sancto cultu, & dum tota gens interit, suis opibus deliciatur. Siccine Elia, immemor cõmunis exitii vivis oblitus tuorũ? Dulci fortunâ ebriũ suscitabit Deus. Et ecce intonat de cælo Deus; fulmine languoris percutitur hospitæ filius: flos vitæ succiditur: tollitur matri natus, natus solamen matris.

matris: intonat & mater lacrymabili dolorũ plãctu; & flebilibus intonat domus vocibus: tota in luctu domus est: ingeminat planctus mater, & victa doloribus, femineoque ejulatu clamat: *Quid mihi & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* num venisti ad me Elia tanquam minister Elohim; Dei summi vindicis, ut ad tuum ingressum puniar morte. filii? major est tua sanctitas, quã occultem meam: tua perfectio detexit meã iniquitatẽ. Felix tuus adventus; at infelix meis peccatis. Sumitur de filio nõ morituro vindicta, tu ni fores admissus. Sic pugnabat humilitas viduæ cũ affectu materno. Quo loco nunc te vertes Elia? undique obsideris, domi forisque. An non frangunt hæ voces animum tuum? adhuc navis tua tot inter se commissis & deprælìantibus ventis incolumis navigat? an non horror & fluctus, procellæ armamenta confligunt? priusquam naufragio mergatur, cede Deo; porrige Deo victoriã, & tuis clementiam. Stabat attonitus tot tantisque malis, & sese quodammodo coarguebat. An non dicar ego maleficium beneficio, & pro acceptæ vitæ gratia mortem, & pro salute exitium & ruinam domus rependisse? an non ruina domus secum trahit ruinam famæ per orbem disseminatæ? quid populi? quid gentes hujus calamitatis testes sentient? Hiccine est ille Propheta magnus, cujus imperio cælum occlusum, nubes aridæ, & terra hiatibus & rimis fatiscit? hic est ille, qui totũ orbem tumultibus, & undis lacrymarũ implet, & domũ suæ hospitæ funestat? Quas non ingerit voces mater lacrymis ebriata? an nõ justis querelis insectatur? Recordare Elia, ait illa, quòd tuam salutem prætulerim meæ; & studio officii exuerim omnem vim materni affectus, ut te superstitem nobis relinquerem, me & meos prodiga perdidi. Poculum petisti; actutum dedi. Buccellam panis orasti; meipsam defraudans, te pavi. Quod Regibus negari poterat, non negatum tibi. Occidi in me cuncta naturæ officia, ut viveres; & tu domum hospitalem fecisti meorum viscerum crudele sepulchrum. O magnificũ, regiumque mulieris animum! ô generosam, & supra feminas masculam indolem? Hæc fodiebant jacula, quasi sævis mucronibus, animum Eliæ. cogitabat secum jura hospitii violata, hæredem suã causâ sublatum, & se damnabat auctorem reumque mortis. Hæc secum lacero corde volutans, tactusque spiculis summi doloris, ad cælũ tendẽs oculos, exclamat: Sentio nunc, ô magne Deus, artificium, & sacras sapientiæ tuæ machinas: sentio me mole tẽpestatum undiq; obrui, & zelũ rigoremq; induratæ mentis ad clementiæ tuæ scopulos allidi: do manus fractus mirabili Sapientiæ tẽperamento. Saxeũ pectus emollitum solvitur in lacrymas, & cũ rugitu exclamo: Domine Deus, etiámne viduam, apud quam utcumque sustentor, afflixisti; ut

A interficeres filium ejus. Penetro, penetro lynceis oculis arcana sapientiæ tuæ consilia. Vertis in me tela tuæ justitiæ, & saturas omnis acerbitatis fonte, ut ebrius meminerim populi mei. Familiæ luctus in meũ caput redundat, ut communi luctui subveniam. mors filii non est opus naturæ; sed industriæ tuæ solertia. Compellis me violentâ necessitate ad misericordiam populi mei. Si enim dixero tibi: Salva filium viduæ mortuum: tu ex adverso objicies; Et tu filios Israẽl. Petis à me favores dexteræ meæ, & à te petitur favor oris tui. Retracta famis sententiam, & ego mortis. Solvit ergo mortis, & Elias ultionis. Ad preces Eliæ restituit Deus filio vitam; & Elias populo morienti pluviã. Hæc cùm legis, Lector, non vehementer miraris, ut magnus Deus apud servum suum legatione sit

B functus; quàm admirabili sit usus intercessionis artificio; quibus armis invictum subegerit animum; ut inflexerit salvâ sui Sancti famâ, & dignitate nominis. Proficiscitur Elias factus misericordior. Primò ait Deus: nũc misericordiæ sermones eloquere. parturio misericordiam, revereor lacrymas populi mei, ego reconciliari illi volo; sed abs te non reconciliabor: ego clam pro illis intercedo, tu autem manifestè sis auctor amicitiæ. O Propheta, peccatores habent chyrographũ clementiæ meæ. *Nolo mortẽ peccatorũ, sed magis ut convertatur & vivat.* Habent lacrymas tesseram meæ benignitatis, quibus mitigatus, sãcio fœdera pacis. Proficiscere ergo ad impium Achab. Vade & ostende Achab. Si-

C stuntur populi, ara struitur, fit victima Deo magno; Sacrificio victimæ succedit victima precationum, quas morabatur Deus: & ecce involvitur cælum nubibus, ingentes pluviarum undæ præcipiti vento ruunt, terra exusta plenis se proluit imbribus saturata. Disce nunc maiorem Dei clementiam: noverat Deus ardentissimum Eliæ zelum, noverat flammas æstuanti pectore conceptas erupturas semper in vindictam: noverat impunitatis effrænatæ æternum hostẽ. Ne totum igitur genus humanum continuis cladibus exhaustum intereat in tanto numero peccatorum, decrevit Deus igneo in curru virum

D igneum cælum subvehi. Ascende, inquit Deus, in cælum, & ibi vitam innocentem, & ut ita dicam, impeccabilem cum innocentibus, & impeccabilibus vives. (Nota ô Lector.) Et ego cum peccatoribus peregrinabor, & tanquam Pastor ovem perditam feram humeris; ego omnibus perblandiar, omnes nominatim compellabo. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* vos perditi clementiæ meæ, si resipiscitis, eritis æterna trophæa. Quò verò beneficium viduæ, largiori beneficio beneficium servo collatũ suo rependeret Deus, filium ejus delegit sibi in Prophetam, quem Jonam existimat Hieronymus ex Hebræis, & Amathi vocatum, quod linguâ Hebraicâ sonat veritatem; ex

eo,

eo, quòd verum locutus est Elias, & ille, qui suscitatus est, filius dicitur esse veritatis.

§. XII.

Magnitudo clementiæ divinæ transversum egit Prophetam Ionam.

Clementiæ divinę magnitudo cùm excedat omnem vim humanam & Angelorum, nō est mirum, homines obrui & percelli tantæ magnitudinis excessu. Jonā ergo vertit ad consilia fugæ capessendæ, tanquam profugū, excusso munere legationis imperatæ. Vade, inquit Deus, *in Niniven civitatē magnā, & prædica: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Et ille rebellis fugit à facie Domini. Et quò fugies miser à facie Domini? quò ibis à spiritu Dei? quid trepidas nimiâ pavoris amentiâ confusus? Fugit tamen, instantis ignarus mali. Cur denuntiabo terrores, exitium & urbis eversionem non eventuram? minatur Deus; at minę vanæ sunt: mortem intentat, & vitam offert: eversionē denuntiat, & tum publicationē salutis. Novi indolem divinæ clementiæ. Trium dierū porrigit inducias & trium dierum dolore se patietur exorari. Tonitrua fulminea tempestatibus omnia permiscet, & tot e unius lacrymæ tantos irarum ardentium ponet apparatus. Fugio ergo à conspectu Dei; cur præco veritatis cùm mittar, me mendacem proclamabo? concidet enim divini furoris ira, gemitus ejulantium sagittas paratas extorquebit cum famæ & vaticinii naufragio. Fugio ergo salvâ famâ. Fugis? an salvâ vitâ? Navim ingreditur. Siccine sperasti te posse evadere Dei omnipotentis manus extensas? in mediis fluctibus apprehendet te dextera ejus. Sequitur ultor à tergo Deus suum mancipium fugitivum, insurgit tempestas, furit mare, vēti deprælianturs, fluctus intumescūt, unam navim quasi agmine facto insanientibus undis petunt; petunt hominē, quem nec venti, nec mare, nec fluctus ferre possunt (Quid enim peccato gravius? & ideo Zachar. 5. plumbi gravitati confertur.) Nautę ad sævitiem Oceani spumantis per transtra discurrunt, vela rescindunt, funes abrumpūt, jactantur in altum, ut altiùs demergantur, fatiscit navis, accipit inimicum imbrem, it clamor cælo, horror ubique pavorq; mortis plena desperatio: victa jacet omnis ars cum remis, tabulisque laceris: omnis in precibus salus. Jacebat fugitivus somno gravi depressus. Et quid tu, inquit Gubernator navis, sopore deprimeris? Surge, invoca Deum, si fortè recogitet de nobis Deus, ne pereamus. Pręcipitantur in mare vasa; at majus onus præcipitandum, vir unus, qui tanti mali est auctor, malo suo mergit navem. Clamore suscitatur, fugit Jonas tumultu rerum attonitus. Quis nunc tibi animus Jona? tenēris

Nota viri fluctuantis animū, & tandem evictum.

Indoles divina clementia.

Tempestatis in Iona irruentis descriptio.

A fugitive, totus in vultu pallor, & mors ipsâ morte ferocior. timor & tremor texerunt palpitantem. Sciebat fugitivus elementa in se suscitata furere, grassarique; sciebat suum caput peti; sciebat suo sanguine placandos ventos, mareque. Desperatis rebus, sorte quæritur reus. Me me, inquit, projicite in mare; ego adsum, qui feci, auctor mali, tantum malum. tollite me & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim, quod propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Mittitur in mare, & stetit mare à fervore suo. Missus in mare suscipitur ad triduum hospitio in ventre piscis grandis. Ejicitur tertio die: pergit (jam doctior) jussu Dei in Ninivem: denuntiat B instantis exitii mala. Fit rerum mutatio: jejunia, cilicia, sacci, cinerum inspersiones in caput; lacrymæ, gemitus, clamores omnium tam hominum, quàm bestiarum indicuntur. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; & misertus est Dominus super malitia sua, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* Jonæ 3. Et ecce intonat Jonas impatientiâ victus, afflictione magnâ affligitur, irascitur valde, & mortem orat. Videt elusum vaticinium, videt servatam civitatem, excandescit, & ad mortem iratus, mortem orat, iterum atque iterum hisce verbis seipsum dilacerans: *Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum meum cùm adhuc essem* C *in terra mea: Propter hoc praeoccupavi ut fugerem: scio enim, quia tu Deus clemens & misericors es, & patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Jonę 4. Inflexus, ad gemitus, lacrymasque pœnitentium Deus at non inflexus turbulentus obstinatusque animus Prophetæ. Clementissimus Deus in homines dolentes; inclemens homo & hic Propheta in homines, ut vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala misertus est super malitiam quam locutus fuerat. Jonas verò egressus Civitate sedit contra orientem Civitatis, & fecit sibi umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbra donec vi- D deret quid accideret civitati; an scilicet exitium sequeretur minas intentatas, quas revocabiles metuebat inclemens, metuens suæ famæ, ô pectus hominis, in perituros crudele! Quid agat clementissimus Deus? opus est ferreo ariete, ut expugnetur pertinax viri obstinatio. Novas Deus tentat artes ut clemens Deus, immitis & efferi exoret clementiam. Præparat Dominus hederam & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum, & lætatus est Jonas lætitia magnâ. Et ecce percutitur à verme hedera. & exarescit. Præcipitur vento urenti ut æstus provocet: percutitur & caput Jonæ solis ardore, ut exæstuat. Hic victus dolore, mortem orat, tumescit ira, eaque excandescens ad mortem irascitur. Vicisti, vicisti ô clementia magni Dei, virum saxeum. Ubi est animus

Sapientię tuæ Propheta? tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit: & ego non parcam Nivine Civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram manum? Tu Jona doles de hedera, arefacta non tua, & ego Deus omniũ pater non dolebo de supremo exitio meorum, quos utero meo portavi genui, & uberibus meæ providentię sustentavi? Quanta potentia clementię in corde veri patris, & quanto sublimior in corde Dei Patris, qui neminem vult perire!

§. XIII.

Deus indolem & naturam suæ clementiæ Eliæ, & toti denique mundo spectandam exhibet.

ELias per victimam igne cælesti consumptam, precesque, impetratâ pluviâ, jugulatis 800. Pseudoprophetis, de debellata impietate triumphabat. Vivebat Regibus terræ cæloque armatus lacertis formidosus: & ecce Jezabel furens jurat in mortem tanti ducis; non priùs se quieturam, quàm odia sua victoris sui cæde & sanguine satiaret. Elias ad mulieris efferatam vocem (prô pudor!) concutitur (quantus est homo plenus Deo! quàm inermis sibi permissus!) veterani Principis Eliæ tot annis probata virtus, retro gradum dedit, & desertis signis suæ magnanimitatis, palabundus, huc illucque incertus animi, sine corde totus trepidus vagabatur. Per diversa ergo locorum fugiens, tandem post errores 40. dierum venit ad montem Dei Oreb. Jubetur egredi ex spelunca, in qua latuerat. Victor latet, ô dolor! qui solus tua explicuerat coram toto populo signa victricia. *Sta*, inquit, dicitur illi, *in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit. & spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus: & post commotionem ignis: non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis.* Quod cum audivisset Elias, operuit vultum suum pallio, in hoc imitatus Moysem, qui loquente Deo abscondit faciem suam, nec audebat contra intueri. Hac visione divinæ Majestatis natura, & clementiæ indoles manifestata est, quod nec ventus, nec terra, nec ignis, nec aliud corpus sit; sed subtilissimus & mitissimus spiritus. *Hæc visio*, inquit Tertullianus, *est quasi divinitatis scintillatio, quæ omnibus reverentiam extorquet.* Deducitur Elias in gymnasium altissimæ disciplinæ capessendæ, ut ad imita-

Lib. 3. Reg. cap. 19.

A tionem magnificentiæ divinæ mentem cõponat magnitudine zeli exæstuantem. *Docetur*, inquit Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 37. *Propheta concitatior ad vindictam mitius agere.* & Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 15. *Sedet in throno Spiritus ejus* (id est, *Dei.*) *mansuetissimi & mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet; sed est teneræ Serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Elias.* nam ubi Deus, ibi & alumna ejus, patientia scilicet. & Macarius homil. 6. *Ecce*, inquit, *vox auræ tenuis, & in ea Dominus.* Liquet ergo, quòd quies Domini sita *sit in pace & tranquillitate.* & Theodor. quæst. 57. *Per hoc*, inquit, *ostendens, quod lenitas, benignitas, & clementia sola est Deo grata.* Ad hanc clementiam Elias eruditur: offertur illi ventus validissimus montes subversurus, & petras contriturus; ingens deinde terræmotus, & ignis flagrans. At non in illis Dominus; at in spiritu leni clementiæ, & benignitatis afflata. Hoc spiritu Deus vult plenum Eliam; hoc vult zelum suum temperamento condiri. vult sequatur, & induat suam indolem, quâ cunctos blandè complectatur. Esto tonet ut terribilis, fulminet ut metuendus, pavidum concutiat orbem, vertat denique ima summis, irati patris sunt voces & tubæ. invitus arma sumit bellaturus, cogitur in rebelles & violatores fœderis insurgere: non ponit domicilium in tempestate, in terræ concussione; sed in aura tenui lenique, quâ sublevet, recreet, demulceatque laborantes

C afflictosque. Hac homines efferi domantur, conciliantur, & ad virtutis studia ducuntur. *Rape*, ait Augustinus lib. 4. Confess. cap. 12. *rape ad eum animas, quas potes, & dic eis: Hunc amemus, ipse fecit nos, & non est longè, in spiritu lenitatis, ne & tu tentèris: omnia enim* elementa cùm serviunt Deo, Ignis, grando, nix, glacies, turbo, venti, ignis, & omnia maria & creaturæ omnes sunt paratæ vindicandis Deo illatis injuriis: verùm illis omnibus non utitur Deus, nisi rarissimè tanquam sanguinario satellitio. Exemplo nonnunquam Iustitiæ posteris cavetur, sufficit incussisse timorem; reliqua sit pax incruenta. Sic pensat Deus clementiâ suum bellum, qua de causa Spiritûs sancti crediderim Chaldæum textum efficaciori modo

D vertisse hunc locum, cùm ait: *Ecce gloria Dei revelatur, & ante eum erat exercitus Angelorum, venti disrumpentium montes, & confringentium petras ante Dominum*; non erat in exercitu Angelorum Majestas Domini: & post exercitum Angelorum venti, erat exercitus commotionis (id est, excitantium terræ motũ) non erat in exercitu Angelórum commotionis Majestas Domini: & post exercitum cõmotionis, Angelorum ignis; non erat in exercitu Angelorũ ignis Majestas Domini: & post exercitum Angelorum ignis vox canentium in silentio. Et quid est vox canentium, nisi sibilus auræ lenis clementiæ? Divinæ itaque

Nobilissimus textus Chaldaicus explicans clementiæ divinæ indolem.

Divina Clementia vocibus canentium assimilatur.

itaque voces, dulcia sunt murmura dulcis symphonia, popularis & gratiosa musica, quâ oblectamur & trahimur, & imus & ruimus in amplexus summi Dei, summi & infiniti boni. Pulchrè dicitur, vox canentiū scilicet in silentio, dum secretis arcanisque veritatis illecebris imbuimur, & imbuti terrena despectamus, & despectantes, divinę bonitatis dulcedine inebriamur, & inebriati toti in Deum violentis flammis accendimur.

Currus jugalis Imperatorum.

Currum triumphalem Iulii Cæsaris trahebant 50. elephanti: Marci Antonii leones, fremitu indignantes: Aureliani cervi albi, rarum naturæ decus: sed currum Dei trahunt, agunt, rapiuntque venti, turbo, commotio, grando, spiritus procellarum;

Qualis Currus Dei.

Juxta illud Ieremiæ 4. vers. 14. *Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus: velociores aquilis equi ejus.* Ecce quibus jugalibus triumphator Dominus Dominantium utitur, indomitis & intractatis. Hæc elementa currum agunt. An non in speciem horridus & terribilis comitatus? Quã tremit terra immani pompa! verùm ipse triumphator tenui in aura, velut placidissimo curru vectus blãdè procedit.

Quare jugales Currus Dei adeo pernices & terribiles.

Age cur equos habet pernicissimos? non potest, non potest ira Dei diu subsistere; non inhæret diu affixus suppliciis: quidquid irrogat pœnarum, irrogat coactus. Pompa quidem formidanda præcedit, ad ostentationem justitię; ad vindictam procincta, ad sonitum tubæ: at Rex mansuetus sequitur, lacrymæ potentiam non sustinens.

Curr triumphator curru vectus blandusque apparet.

Meminit statim se patrē, occursat filiis, ut pater suo prodigo, misericordiâ motus: turbines tamen, terræ motus, ignis, & cetera pavoris præcesserunt, vel, prout Chaldæus suprà vertit, exercitus Angelorum, qui iis nominibus vocantur, vox scilicet canentium in silentio, fracta, & ad omnem voluptatem cõpositâ voce, & symphoniæ plenâ, qualis solet Principibus dari sublato convivii apparatu.

Deus in sibilo aura tenuis.

Et quamvis in nostra versione non habeatur, *Deus erat in sibilo auræ tenuis*; Septuaginta tamen addidēre, & ibi Deus, ut innotesceret omnibus Deum figere non solum domicilium; sed & thronum in regno clementiæ, & mansuetudinis, & ibi velut in suo paradiso residere. Pulchrè autem additur, *vox canentium*: musica enim motus animi temperat, inducit lenitatem, ferociam exuit, amœnitatem suscitat.

Musica quanta vis.

Magna vis in omnem partem excellentis & numerosæ musicæ. Quis credat litui & tubæ sonitu pugnacium virorum incendi potentiam viresque? Hodiernus dies cum tota antiquitate faciunt fidem. Cyrus jussit Castori & Polluci hymnos cani, ne milites ad barbarorum inconditos clamores percellerentur. Lacedæmonii ante pugnam cantum adhibebant hoc versu: *Pergit ad lethale ferrum lepidè cithara canere.* Accipe paucis longam historiam Saxonis lib. 12. de rebus Danię.

Musica homines Metamorphisat.

Iactārat Citharœdus apud Ericum II. cognomine bonum, Regem Da- A niæ, se posse suo cantu homines transformare in omnes affectus. Semoventur omnia arma, ministra cladis: adhibentur armati in tutelam: orditur canticum severitate plenum: & ecce omnes solvi in luctum, & lachrymas. Inducit cantum dulci & inexspectatâ symphoniâ: & ecce omnes solvi luctu, solvi in risum, perfundi omni voluptate, eamque motibus & gestibus testari. Succedit deinde acrior concitatioque: hîc omnes vociferari, tumultuari, corpus jactare, assurgere in iras, & denique furere: custodes accurrere, Regem furentem nisi priùs quatuor confossis vix continere & ad mentem B tandem redire.

Musica conciliat omnes motus, iram, amorem, furorem.

Hic Rex religiosâ ad Christi tumulum pietate scelus expiavit, & in Cypro cum uxore sepultus jacet. Non aliter quidam Timotheus canens Orthium modulū, regem Alexandrum ilicò statuit in pedes, coëgitque in arma prosilire, & remisso cantu remittere affectus concitatos; in hoc certè non magnus. Plutarchus, Sabellicus lib. 10. cap. 8. sic & 1. Reg. 16. *Quoties Spiritus Domini malus agitabat Saulem, David tollebat citharam, & percutiebat manu, & refocillabatur Saul, & lenius habebat.* Harmonia enim dulcis sicut somnum, ita & animi conciliat tranquillitatem, redditque: omnes enim C spiritus nostri, teste Augustino lib. 10. Confess. cap. 33. habent in musica modos suos, quibus occultâ quadam vi commoventur, & familiaritate arrident.

Alexander magnus ad musica motus, motus.

Sic Elisæus vaticinaturus, fidicinam canere jussit. 4. Reg. 3. An non ideò fingitur Amphion saxa movisse; neque enim par est hoc ita gestum videri; sed quod à se Thebis conditis homines rupium & cavernarum incolas, moribus barbaros rudesque affatu & sermonis suavitate ad obsequia vitæ mutua & disciplinas ediscendas pellexerit. Hæc Solinus. Quanta vis vocis! quanta potentia Musicæ! Ingreditur barbarum Oceanum, & ibi exercet regnum suum viresque.

Delphinus mimicè fundo evocatus subsiliebat.

Pindarus auctor est cantilenæ modos Delphinum marinum cum gestu mimico saltasse. Audi illum:

Quem scilicet in maris tranquilli
D *Concinens suave carmen profundo*
Evocavit.

Arioni musico statua dicata.

Nemo æstimet Arionem fabulosè à Delphino per maria spatiosa vectum, & incolumem in Tenarum Licaoniæ invectum. Vetustas & statua Arionis Delphino insidentis suffragatur. Sabell. lib. 10. c. 8. Tanti est concentus. Movit Amphion lapides canendo, cur non marina monstra?

Delphinus ad pueri dulcem clamorem puero se substernebat vago per mare.

Lege Plinium de Delphino, qui ad pueri clamorem, se puero substernebat, & dorso exceptum per maria amatum pignus vehebat, reducebatque, & puero mortuo suâ morte parentavit. Magno in honore Musica apud omnes mortales. Plato vocat elegantiæ & concinnitatis opificem. Narrat Theopompus complures barbaras gentes legationes cùm instituunt de pace, citharis & tibiis hostiū animos emol-

lire l. hist. 46. Idem & Athenæus l. 14. c. 11. A quod Pythagoræ consilio mulier furentem juvenem suis amoribus, & extrema parantem spondæa tibiâ coërcuit. An non Livius l. 9. docet apud Romanos tibicines solere præcinere sacrificiis? Theodoricus Rex Gothorũ lib. 2. Epist. scribit ad Boëtium. Mittat citharœdum, qui dulci sono mulceat fera corda barbarorum.

Cur autem Deus adeò liberaliter spectandum se exhibuerit Eliæ, causa proximior mihi videtur, & literæ accommodatior, non solum voluisse Deum temperamento moderari zelum Eliæ, verùm etiam sibi placitum & in delitiis habitum: at gratiorem & naturæ suæ magis consentientem, si blandâ clementiâ ad omnes usus & necessitates procinctus fuisset. B Unũ occurrit dignũ auribus: cur auribus tãti Principis, bellatoris acris, omnẽ mollitiem exosi, mollis symphonia data? Debebatur cælestis honor viro cælesti, debebatur honor virginitatis gloriæ, quâ ille instar Angeli circumfulgebat. Quid mirum si rotus virgineus, qui totus igneus? ignis divinus exurit quidquid est in homine concreti. Debebatur, inquam, cantus Angelicus, qui virginibus in altera vita concessus. Apocalyps. 14 v. 1. 2. 3. *Ecce Agnus stabat super montem, & cum eo centum, & quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et cantabant quasi canticum novum: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia; Virgines enim sunt, hi sequuntur agnum quocumque ierit.* C Hunc cantum dedicabat exercitus Angelorũ Eliæ, cujus gloriosos triumphos virginitatis & laudes vocibus ingeminatis de prostrata superstitione celebrabant. Non ignorabant musicam virginitatis vigilem esse custodem. Quare prudenter & Agamemnon Clytemnestræ conjugi dedit Demodorum Poëtam & musicum, tamquam perennem custodem pudicitiæ, quæ non priùs expugnari potuit ab Ægysto, quã custos aulâ proscriptus. Hos affectus omnes, quos exemplis delineatos legisti, Lector, in Elia si vitæ mores attenderis, expressos videbis; vehementiâ zeli dominãte in ipsam. Arion maris dominator vectus Oceani Rege Delphino; an non Elias cum Elisæo suavissimè colloquiis igneis, velut D cantu cælesti se pascens, non monstro marino; sed igneis equis igneo curru abreptus in cælum? Fortè illud Pindari minus numerosè cadit & quadrat, at meo judicio nec Archimedes meliùs in pulvere signârit. Pindarus Delphinum ab Oceani fundo, ad imperium musices evocatum tanquam miraculum celebrat. An non Elias suis flebilibus modis animam filii defuncti ab inferis accitam matri, suæ hospitæ, restituit?

Quare data symphonia auribus viri austeri.

Musica custos pudicitia.

§. XIV.

De forma Clementiæ, quâ tractat homines magnus & infinitus Deus.

Quamvis Dominus, pro Majestatis suæ gloria, ab omni creaturarum substãtia independẽs, quã ex nihilo cõtulit, posset omnibus creaturis, tanquam veris & vilissimis mancipiis despoticè & regio more fortiter imperare, & perfectũ jugũ servitutis imponere; quis enim nisi impius objiciet se tantæ potentiæ? nihilominus tamẽ infinitudo bonitatis divinæ injecit infinitæ Majestati manus, & eousque deductam inclinavit, non aliter quã si decreta, debitaque suæ Majestati jura rescidisset, ut, quasi sui oblitus, hominem singulari, affabili, & domesticâ cõsuetudine dignaretur, vellet q; amote & reverentiâ tractare. Quis credet homini à Deo tanto reverentiã exhiberi? Hanc dubitationẽ sustulit prima Veritas *Sap.* 12. Ubi fides adstruitur: *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverẽtia disponis nos.* Hæc severâ trutinâ expendamus. Tu cùm sis omnipotens, ex nihilo creans, & ad nihilum reducens, universæ pontentiæ dominans, cũ admirabili symphonia & delectabili concentu moderaris potentiam tuam, δεσπόζων τῆς ἰσχύος, ita ut summâ clementiâ suavissimo tẽperamento, instar Præsidis potentiæ viribus utatur, & habenas laxet, cohibeatq; pro rerũ decentia, ornatu, atq; necessitate. An non ideò pulchrè appositum, *cum tranquillitate?* Ubi Arabicè habetur, *cum simplicitate*, Græcè ἐν τῇ ἐπιεικείᾳ, cũ respectu & discretione rara & admirabili, cũ omni mãsuetudine & æquitate, non indulgens irritatæ potentiæ, quâ fulmina & tonitrua posset supernè conjectare; sed citra condignũ tanquam μείλιχος, id est, mellitus pater, impios castigas. Et sanè si pro meritis velles, subest tibi, cùm volueris, posse, cùm potentia sit adæquata voluntati. Attende, Lector, ad lætissimum fructum clementiæ, cùm dicitur, *Cum reverentia disponis nos*; Græcè efficacius; μετὰ πολλῆς φειδοῦς, *cum multa parcitate, parcendi studio, indulgentiâ maternâ*, de suo jure remittens; castigans nos instar patris, vel matris, qui evicti malitiâ, inviti tamen & trepidantes, & suspiriis ingemiscentes, in cælum suspiciẽtes, flagellum arripiũt, filiumque castigant, non odio; sed ex amore, qui verbera in cor parentum retorquet, vel ut Pædagogus filium Regis potentissimi, qui patris jussu regni hæredem, ut Arsenius Arcadium, non nisi tremens & illacrymãs, languidâ manu, debiliq; castigat. ô stupendam, incomprehensibilẽ, & circumspectam omnibus suis numeris clementiã! qui mancipia filiorum pretio & dignitate tractat, ne damni quippiã sentiãt, & ea,

Quia Deus infinitè bonus, placuit regimen amicum & non despoticum.

Regimen Dei adversus homines summè amicum.

Stupendus modus divina castigationis ut coactè procedat cum reverentia admirabili.

ea, quæ judicat detergenda, solerti & prudenti manu detergit. Sic Deus suam creaturam omni arte & cautelâ solerti versat, atque omni celeritate præsentis auxilii volvit, revolvit, probatque. Syrus verò sic: *Cum omni pietate & benignitate gubernat nos.* Arabicè; *Multâ pietate moderaris nos.* Pudeat eos, quos una delectat asperitas, quibus innata barbara & inexorabilis & novercalis durities quibus una satietas, satiare se luctu & querelis suorum. An non est hoc insolenter abuti potestate datâ? an non datâ in bonum gregis subditi? quid hoc est, nisi extorquere desperationis audacis malum? & pœnitenda consilia? Procul, procul este prophani.

§. XV.

Fortunam reverēter habe quicumque repentè, Dives ab exili progrediare loco.

ALtior exsistis ceteris potestate regēdi? sint arma intra pudorē. Pudor, modestia, clementia præsideant potestati. illa per se armata, non eget armis. Cogita te filius, cogita te Reipub. cujus tu es caput, imperare. Audi Christum Dominum apud Augustinū in Psal. 102. *Non placent mihi peccata; sed longanimitate quæro rectè facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessionē.* Hæc carptim ex Doctissimo Patre. Cornelio de Ecclesia optimè merito; ut suo oraculo S. D.N. Urbanus VIII. publicè fuit contestatus Cornelio ad pedes S D.N. prostrato. Hujusmodi ergo reverentiâ tractat nos Deus, non ut homunciones viles, nō ut umbratiles larvas, sed velut Principes, aulæ suæ Palatinos ac inquilinos. Hoc ipsum Jeremias 31. cap. v. 19. canit: *In fletu venient, & in misericordia recipiam eos, quia factus Israël pater: & Ephraim primogenitus meus est.* Deinde 20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus?* Per interrogationem hæc verba pronuntianda. Hinc Septuaginta vertunt: *Filius dilectus Ephraim mihi parvulus delicatus.* At in Hebræo major vehementia & major excessus reverentiæ designatur. ubi habetur *Filius appretiandus, & puer deliciarum*; qualis fuit Salomon. 2. Reg. 12. matri suæ, quę vocavit filium Salomon, id est, pacificū. quē & Dominus dilexit. & Nathan Propheta vocavit *amabilem Domini*: & tu, qui personam Dei geris, sive Cōfessarius, sive Præses, sive quisquis sis, audes asperè tractare Salomonem amabilē Domini. Docet nos Deus hisce verbis factisque, ut non insultatoriè te geras; sed ut justum decet, quem vult humanum clementemque. Quàm amoris plena sunt verba, & cujus cor etiam saxeum non emollient? hostem vocari filium honorabilem, filium deliciarum, quasi omnes injurias ęstimet delicias, & vulnera, oscula, juxta illud, *His plagatus sum in domo illorum, qui diligebant me.* Zachar. 13. v. 6. id est, à quibus diligi debebam. & tamen quamvis caput meum sit plenum rore noctium, sub dio excubans,

Tu præsidē rebus, armis non eges qui a per se armata potestas.

A pulsansque ostium, clamansque: Aperi soror mea, aperi; & frigus acerbum patiar instar veri amantis, omnis longa mora mihi nō est mora; nec frigus, frigus; nec tædium, tædiū: verū præ amoris magnitudine, omnes dies noctésq; breves, & omnia dura dulcia mihi amāti; sufficit me oppigneratū tibi, te potiar, te fruar tanquā delitiarū filio. *Delitiæ meæ esse cū filiis hominū.* An nō videtur honorabilis Ephraim, qui dignatione Domini, præterito Manasses primogenito, cui jus primogenituræ debebatur, verso naturæ ordine primogeniti honores est consecutus? an nō jus primogenituræ & hæreditatis Angelis proximis Deo principibus debitū? an non illustrissima Dei, & sūmæ perfectionis ostentat? Planè.

B An nō divina Justitia actutū arreptis vindicibus armis per horribilia tonitrua fulminaq; horribilē exercēs stragē; uno solo scelere violatā, cælo & æternâ felicitate in perpetua tormēta deturbavit? an nō sūmæ clemētiæ, fragilē, lutcā, umbratilē naturā humanā, tot sceleribus contaminatā, felicissimis spiritibus prætulisse? *Non Angelos; sed semen Abrahæ apprehendit.* Hæbr. 2. 16. Sanguis Abrahę est illi dilectus filius, filius delitiarū, ex quo natus filius Dei, in quo illi beneplacuit, filius uteri sui, filius votorū suorū, quē vult à nobis audiri. Vocatur autem filius delitiarum, quia verba, inquit Deus, mea non in ore ejus, non in labiis; sed in imo cordis affectu,

C propter quā causā cōturbata sūt viscera mea super eo. Et addit: Nō faciā igitur furorē iræ meæ: miserās miserebor ejus. Expēde, Lector, singula verba & imitare. sit tibi in ore, regnet in mente nobilissimū Juris civilis axioma & sapientissima regula: *Neminem posse aspernari, idem sibi jus dici, quod ipse aliis dixit; vel dici effecit.* Neminē aspernatur divina clemētia; omnes enim eodē utero portavit, & parturiens parturivit. Et ideò 800. ante Christū annos clamabat Isaiæ 16. *Emitte agnū Domine dominatorē terræ de petra deserti ad montē filiæ Sion; & ideò quasi ovis ad occisionē ductus.* & Jerem. *Ego quasi agnus mansuetus.* Pręsenti, morte dependit, pœnas omnes nobis ęternitate pœnarum solvendas. Quod idē videtur nomen IHΣΟΥΣ adumbrasse, quod per Anagrāmatismū cōtinet

D σὺ ἡ ὄϊς. tu ovis victima facta, coronata quidē spinis; sed magis mansuetudine, tāquā sūmo diademate. Hāc quē sic describit Zacharias, & Matth. 21. dū vocāt māsuetā. *Dicite filiæ Siō: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Mansuetus & pulcher in opprobris, māsuetus & pulcher in flagellis, māsuetus & pulcher in spinis, māsuetus & pulcher in cruce; māsuetus, & mansuetudine ipsâ mansuetior in ara Crucis, cū pro persecutoribus oravit, & pro reverētia sua exauditus est. Optimè ergo Ignatius Martyr in Epistola ad Philadelphos vocat Christum Dominum ποίμενα πρᾳότατον *pastorem mansuetissimum.* Hæc de prima forma & regula clementiæ, qua præfertur regium summæ clementię vexillum.

§. XVI.

De forma regendi altera.

Diximus fundamentum & stabilitatem regnorum esse clementiam: amari enim & coli majus & nobilius omni regno; attamen ne laxamento clementia integritas formosæ disciplinæ nonnihil damni patiatur; clementiæ hilarem castigatæ frontis severitatem, majestati humanitatem, gravitati simplicitatem consociamus. Quò autem clementia vigeat, augescat, & constanter perduret, hanc temperationem formamus, ut severitas non videatur associata, quasi clementiæ consanguinea; sed extrinsecus & foris advocata, & animo reluctanti fortiter extorta, ne periculum pulchritudini clementiæ facessat. Volumus ergo severitatem & rigorem extraneum clementiæ. Hac formâ regendi clementissimus Monarcha Deus utitur in suo imperio. Læsus in sua potestate habet severitatem. Pœnam, si ullo modo potest, donat: sin minus, temperat, & exorabilem se præbet. Sin vindicanda injuria, in summa potentia illas patitur, & ad illas vindicandas non statim prosilit; sed tardo & lento passu procedit; avidior præventionis à reo, quàm suæ. Clementiam, si noxiam videt tandem mollissimo genere pœnæ contentus punit, & quidem invitus. Ultimum denique, quod inclementia, & severitatis moderatione, ubi omnia consumpta remedia videt, terroribus prænuntiis, formidolosus ad pœnam descendit. Hoc pacto Deus temperat suam clementiam, ut semper dici possit, regnum Dei esse regnum clementiæ. in tutelam tamen clementiæ advocamus severitatis externa subsidia, ne forsan excessus clementię, qui, teste Aristotele solet esset rarissimus, generet & trahat secum scelerum impunitatem, & libertas peccandi invehat contumaciam. Castiget ergo severitas justis legibus fluentia in luxuriam sæcula, quæ pudor coërcere non potuit. An non hac de causa Sanctus Propheta Christum Dominum gladio, & quasi Pastorem armat baculo? non ut armis perniciosis noceat iratus; sed prosit placatus. Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Propter veritatem & mansuetudinem tuam, adducet te mirabiliter dextera tua.* Ecce gladium in vindictam: strictum quidem; at non ferientem: non fulminantem; sed tantùm minantem, & minaciter mansuetum. Armatus est baculo tanquam Pastor: *Ego*, inquit, *sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ipse ducit & reducit ipse regit eas, & nihil deerit illis in loco pascuæ ubi illas collocavit. verumtamẽ baculũ habet Pastor, ut rex sceptro insignitus. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Psal. 22. Altissimo itaque Deo innatum est, supplicibus indulgere; nonnunquam tamen superbos, invidiâ tabidos, luxuriâ marcidos, vitiisq; infames suppliciis immissis opprimere, & peccatores fragore tonituũ tremefactos concutere. An nõ sic magnus Deus in utroque magnificus, & excelsus, & fortissimus, hìc gladio vindice; ibi regiâ mansuetudine triũphos agit? Id Propheta Michæas graphicè depingit c. 7. v. 6. cùm Messias venturus, similes sibi Apostolos orbi terrarũ dabit, cùm ait: *Erunt reliquiæ Iacob* (Apostoli videlicet, virtute præstantes) *quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum.* Assimilavimus superiùs Deum rori in vellus sine murmure, sine strepitu cadenti, terrasque fœcundanti. Vult ergo Deus suos Apostolos roriferos & leoninos; vicerunt orbem dulcedine roris, & subegerunt fortitudine leonis. *Vicit leo de tribu Iuda.* Hujusmodi vult Deus esse Præsides & populorum rectores, roti scilicet & catulo leonis similes, vult roriferos, vult leoninos. Quod ipsum Sapientiæ 8. docetur: *fortiter & suaviter omnia disponens*, ut à forti egrediatur dulcedo & apes rorilegæ suos favos in ore occisi leonis ædificent. Dico occisi regis animaliũ, qui domitis passionibus plus terreat rictu minaci, suisq; jubarum horridis exuviis, quàm factis. An nõ cõtingit hoc ipsũ mãsueto Principi, à quo tanquã etiã justo & forti egreditur dulcedo, cũ increpatio paternã charitatẽ, & laudatio roriferã gravemque modestiã exspirat, affunditq;. Ros ergo sustineat ardẽtes, pungẽtesq; Solis ardores, id est, aculeos monitionum, nesciat æstuare, nec irasci; nesciat excandescere. Adhibeatur correctio, ut salva sit dilectio. Postula tu à Deo sapientiã, ut discas, quando baculo, quãdo fistulâ utẽdũ: quãdo gladio, quãdo blanditiis. Ingenuis intẽpestiva acerbitas nõ sanat vulnus; sed facit. An amabit ingenuus pastorẽ, à quo se barbaro more tractari sentit? an nõ ingenuo continua servitus durus severusque Cẽsor? *Ingens pœna est, etiã à miti viro corripi.* Indignatio ferox, & acerbus sermo vix unquã profuit; obfuit autẽ sẽper. An nõ exulcerat animos, & unguis continuus in ulcere animũ depascens? an nõ amorẽ penitus profligat? an nõ odium æternum subintrat? Tot generat inimicos, quot habet subditos prompti animi & magnanimæ virtutis. Vult Deus suos Præsides roriferos; leoninos aliquando: benignos ore, labiis, & sincero affectu, ut suos complectantur tanquam Reipubl. oppignerata membra, cujus est caput: leoninos, ut terreant, & more leonum transeant, quæ impulerunt. Habet arma sua potentissima mansuetudo: habet & severitas. Arma clementiæ; amor, affabilitas, reverentia ex virtute nata, occursus hilaris, nulla morum degener fictio; sed prudens simplicitas, & concors integritas. His

Mirabile, nec nisi divinum tẽperamentũ Clementia cælestis.

Per gradus divina clementia incedit.

Rarissimus est clementia excessus.

Rex mansuetus gladio & baculo eur armatur?

Deus vult suos Rectores suis subditis rori, & Leoni mortuo militen.

Vult omnia vinci benignitate.

Asperitas semper & acerbus sermo semper ferè obfuit profuit raro.

Arma clementia quæ.

His armis potiùs hostes domueris, quàm ferro. Emollies pervicax, ferreum & intractabile genus humanũ hâc violentiâ. Amor ignis est, & domitor ferri, quod omnia domat. Omnia vincit amor, quidquid insuperabile, amore frangi potest, & in obsequia inflecti. Arma severitatis, pœnæ, at exorabiles; metus malorum impendentium, minæ, castigationis præludia: spes regressus acceptâ satisfactione. Utraque arma sunt munimenta pacis & securitatis communis; fortissima tamen, & securissima regni machina est clementia, quã non meliùs comparârim quàm machinę bellicę, arieti scilicet maximo, de quo scribit Josephus, l. 6. de bello Judaic. c. 8. fuisse in castris Romanorũ arietem maximũ nuncupatum Nicon, qui victor nuncupatus, quòd nihil ita validum, quod non expugnaret, sterneret, & æquaret. Hoc ariete utitur magnus Deus pessimo & nefando cuilibet expugnando. Tu Deum imitare: utere clementiâ & mansuetudine, si vis omnia tibi cedere. Te subige primùm, facilè alios rexeris, si te ratio.

Arma severitatis quæ sint.

Quis aries victor.

Tu gubernator te primùm expugna, tunc subditum.

§. XVII.

Tertia divinæ clementiæ regula, pœnæ cunctatio.

NOn pauci gentilium Philosophorum à tarditate suppliciorum, & nimiâ (ut dicunt) lentitudine castigationis divinã Providentiam audacter insectantur. Nonnulli verò, quia scelera inulta, impunitaque dimissa, eam cum Epicuro repudiantes, orbis imperio excluserunt, & dixerunt: *Si est scientia in excelso?* Hæc licentia scelerum, quia felix & fortunata videtur, non solùm impios roboravit, verùm & sanctos viros vacillante propè justitiâ concussit. *Mei autem penè moti sunt pedes, pacem iniquorum videns: non est ruina materia, nec clamor in plateis eorum.* Ps. 72. v. 2.

Cunctatio pœnæ causa negandi divinam providentiam.

Patroclus apud Plutarchum in libello de tarda numinis vindicta, sic ait: *Tarditas & cunctatio Dei in exigendo ab improbis supplicio mihi in primis absurda videtur, & parum prudens.* Nec secundis auribus audivi illud Euripidis: Cunctatur, ingenioque talis est Deus. Non decet socordem esse Deum adversus pravos homines, qui non sunt ad mala illi conferenda segnes, vel lenti, sed torrentis impetu, & fervore ad lædendum feruntur. An non cunctatio & tarditas aperit viam campósque libertati, & atrocitati flagitiorum? impunitas enim blandos favonios adspirat, ut concitato deinde impetu sceleribus velificent, rapianturque. Deinde an non tarditas ultionis, violatum læsumque trahit in desperationem? an non auctorem flagitii inflat securâ ferociâ? Quid profuit divina providentia lætis vulneratisque per violentiam, si omne nefas

Condemnatur Deus à tarditate pœnæ infligendæ, at improbè.

A cedat in bonum machinatoris? an non interea temporis saucius vulnere gravi innocẽs per longa fastidia, longasque mortes, florentibus inimici fortunis, extinguitur? Esto, procrastinata, longâ dilatione pœna tandem ex alto præcipitet, & præcipitatos in exitium impellat. Quis fructus innocenti jam exstincto? improbus se pavit, satiavitque oculos infelici calamitate viri boni, & hic inultus exspirat. An non celeriter judicandum de sceleratis? an non opprimendum subitò incendium, ne sustentando & prolatando crescat in immensum, quod cœpit à scintilla? an non semina in suis primis fibris, dum tenuiter sulcis eminent, opprimenda? cur contagione mali Reipublicæ sanum corpus corrumpere? Occurrat ergo divina Providentia B perpetrato facinori, prius quàm vires acquirat. Improvisa, & ultrix expiatio sistit injurias, & animi lacessiti leniuntur.

Argumenta ex querelis Philosophorum contra tarditatem supplicioruũ.

Felicitas Constantii Imperatoris divinam providentiam apud multos abrogavit. Hic perfidus, & amens, crudelisque Catholicorum hostis, totius Imperii factus hæres, felicitate suâ ebrius clamabat: *Nisi forem Deo gratus, cumularet me tantis bonis?* Vixit feliciter, regnavitque 25. annis, inundanti sanguine innocẽtiũ tinctus. Arrianus exstinctus nullo ultionis sensu. Apud gentiles, crudelior quis Syllâ? quis illo felicior in vita, morte, funere? nunquam stillam sui sanguinis vidit, nunquã quidquam adversi sensit. An non prodigium C felicitatis Jul. Cæsar, quæ etiam adversis radiabat, cui fortuna omnem prosperitatem dedit, & industria virtutem comparavit? An non æquali felicitate perpetuaq; fortuna secundo sine ulla offensione cursu? Planè. Fuit ergo felix, si ulla potest esse in scelere felicitas; illius tamen in ultimo ætatis flexu hæsit ad metas. An non tribus & viginti vulneribus ad terram datus? an non lavit suo sanguine? & qui civili terrarum orbem impleverat, curiam implevit? Unus in populo Israëlitico Jeroboam producetur, raræ felicitatis exemplum, & castigationis; at quàm sera illa fuit! Deus creat illum Regem decẽ tribuum, pollicetur omnem prosperitatem, D regnum corroborat; & ille firmato Imperio impius, nefandus, execrabilis, scopulus cõmunis naufragii, exitium publicæ religionis, qui non defuit vitiis, ne periret. Hic ergo duos & viginti ferè annos cum Deo bellum gerit, & instructum acrius indies accendit: populum Dei ad vitulorũ cultum per fraudes, minasque abducit, virtutem exscindit, vitulos in Deos dedicat, sacrilegos sacerdote initiat; & cùm nomen Dei abolesset, ausus bellare contra Regem Asam, justum Principem injustus. Tandem ultio divina octodecim annos suspensa, soccis laneis veniens, perduellem, primùm cæsis quingentis millibus fortissimorum virorum, fugavit, stravitque; at tantâ clade monitus, qui melior esse debue-

Impii felices causam dant scandali.

Constantius felix.

Sylla filius fortuna.

Iulius Cæsar felix ubique.

Ierobaam cum Deo belligerat.

Ieroboam tandem à Deo percussus seipso semper deterior.

debuerat, deterior factus 2. Prov. 18. v. 3. A *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.* Usque ad secundum & vigesimũ annum traxit imperium. Quo anno tandem percussit eum Dominus, & juxta Ahiæ Prophetæ vaticiniũ à volucribus ferisque discerptus, sepulturâ caruit; noxa & pestis orbis Judaïci. Hunc Filius, mali corvi malum ovum, secutus, & scelerũ imitator pœnas dedit in obsidione occisus, projectus, insepultusque, volucribus & bestiis in prædam datus. Effudit tandè omnes fluctus & undas irarum in totã familiam Deus, percussitq; Baasa occupato regno totã familiam Jeroboam, nec reliquit canem mingentem ad parietem. Quid ais, Lector? an cunctatio vindictæ idololatriæ semina non firmavit, ut posteà convelli non potuerint? B venit tamen tot evolutis annis, at priùs collapso religionis per lacrymabilem ruinam statu: venit pigro & lento pede, ut Euripides ait: Silet, lento & pede gradiens sibi malos oblatos puniet. Dicet impius; Quo fructu? an nõ in profligatos homines immissa pœna tardior, non pœna; sed casus fortuitus videtur? an non dilata insolentiam ad majora scelera causat, subigitq;? Non creditur Deus rebus humanis assistere, nec formidatur Justitia, quæ sentitur abesse: verùm si subita intonaret pœna, si fragor vindictæ passus glomeraret, si præsens plaga culpam castigans frænaret, an non mortales sopiti resipiscerẽt, C & nequitiæ suæ cursum inhiberent? ad murmur flagelli, ad sonitũ auræ motæ Dei providas, vigilesque curas agnoscerent. An non primi parentes *Gen.* 3. *v.* 8. cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso post auram meridianam, absconderunt se à facie Domini? Subitum scelus pœnæ metu terrebatur, festinata judicii forma perculerat conscientiam peccati ream. At nunc nec cæli contestationes, nec minas suppliciorum, nec metus tormentorum pendunt. An non ideò, quia Deus non repetit exactionem scelerum, nec pœnarum tributa impietate peractâ flagitii? Verùm etsi hæc eveniant, & quotidie spectentur, & tarda Dei vindicta videatur D illecebra peccandi, altissimo tamen consilio æternum numen pœnas suspendit, nec subitò in pistrinum miseriarum vult dedi prava mãcipia; sed suos hostes servat in suæ omnipotentiæ, & imprimis summæ clementiæ pulcherrimum theatrum, & triumphi materiã, quæ parcẽdo maximè manifestatur. Altiores itaque causæ, quę ab humana mente concipi non possunt, sunt reconditę in illustramentum, & gloriam piissimæ divinitatis. Hinc illæ voces tubæ Ecclesiasticæ: *O altitudo divitiarũ, quàm incomprehensibilia sunt judicia Dei; Iudicia enim Dei abyssus multa. Quis consiliarius ejus fuit? Plato* vult *vindicta cunctationem ideò statutam, eò quòd Deus seipsum statuerit cunctis mortalibus in exemplum, ut seipsum illis largiatur, qui se sequi velint.* Nemo autem ex ipso Deo fructum capere potest, nisi Deum imitando,

Filius Patris æmulus bestiis in prædam datus.

Deo dissimulante fiunt quidem homines deteriores at tamen alto consilio prorogat pœnas.

Admirabilis Platonis doctrina.

& divinitatis ornamenta in sese exprimendo virtutem induat, quâ solâ divinitas delectatur. Cùm itaque divinitas mirificè, atque unicè clementiâ capiatur, atque eam in deliciis habeat, pœnas ab impiis non statim deposcit; non quia aliquid noxæ vel pœnitudinis adhæresceret, verùm ut mortales doceantur, ne læsi in vindictam prosiliant; ne more ferarum accensi in se invicem suumq; genus desæviant, & in solatium injuriæ seipsos ulciscantur. An non injuria vehemens, actisque optimum quemque sibi pignerari solet? Studeant ergo cuncti ad imitationem Dei clementiæ & placabilitati, quâ nihil est homini honorabilius.

Nihil sic exprimit ipsam divinitatem.

§. XVIII.

Ingens clementiæ divinæ documentum in tarda scelerum vindicta.

Si ullus spectavit hanc tardam divini numinis vindictam, spectavit Noëmus, qui bifrons & biceps vocari posset, vel Janus, qui clausit & aperuit novum mundũ, utriusque orbis spectator. Obversetur hujus clementiæ imago. Anno mundi 1537. Noëmi 481. ante Christum 2516. immanibus sceleribus luxuriantis orbis irritatus Deus, cladem supremam denunciavit orbi terrarum: *tactus enim Deus dolore cordis intrinsecus*, quasi undique confossus clamabat; *Pœnitet me hominem fecisse.* Genes. 6. Vide quale frænum injiciat zelo furenti, & concitato dolori clementia 120. annorum inducias pœnæ venturæ decrevit, quò scelerati resipiscant. Arca immane opus struitur; Noë clamoribus, lacrymis, & continuis luctibus se suosque fatigabat;

Noë Ianus, bifrons biceps vocatus.

Noëmus spectavit theatrum clementia divina.

—— At illi vulgò ridere monentem,
Dicereq; insanum, dementatumq; furore.

Sic Sibylla. Irritus labor Noëmi, irritus labor cæli, irritæ minæ Dei, irrita & clementia. Tu quoque iratus tempus in consilium adhibe, locum da menti exulceratæ, fræno rationis te compesce, leges tibi dic, quas aliis dicturus. Quis enim inclementiæ fructus, nisi luctus æterni doloris, sera pœnitentia facti irrevocabilis, irreparabile aut vitæ, aut amicitiæ naufragium? Audi Socratem apud Plutarchum: *Si aquam turbulentam magna ex intemperantia haurias, periculum levius adieris, quàm si turbulento consilio, & furore tumente, priusquam ira deferbuerit, expleas te supplicio necessarii, vel conjuncti.*

Decet ergo Deum contemplari, & ad imitationẽ, quantum necesse est, suspendere cunctando vindictam, ac mortalibus ostendere, unicam mansuetudinem esse singularem portionem sublissimæ divinitatis. Pone tibi ob oculos immanissimam feminam, omni immanitate crudeliorem feram, cui sanguinem innocentium profundere unicus

Mansuetudo est singularis divinitatis portio.

unicus ludus, & animũ saturare horribilibus tormentis epulæ exquisitæ. Hoc monstrum edidit Anglia; Elizabetham dico monstrum sanguinariæ mentis, & insaturatæ libidinis. Quid illa felicius? non Crœsus, cui felicitas exitio fuit; non Augustus Cæsar, cujus familiam fœdavit propudium & portentũ stirpis pudicitiæ filia; non Philippus II. regũ Catholicorũ astrum incomparabile, cujus felicitatẽ vulnus domesticũ, de quo luctuosum carmẽ.

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt. In annos. Et ingens classis totius Hispaniæ viribus cõstructa partim naufragio hausta, partim disjecta victaq; interpellavit. Huic mõstro prosperitatis quid defuit? omnes orbis opes eò confluere, pacis constantis bonis oblectari, in Hispaniam, Flandriam, Galliã, variasq; oras bella deflectere, ipsa metus omnis vacua in arrepto per scelus imperio confidere, se caput Ecclesiæ per omne nefas, & Dictatricem supremã dicere. Verùm regum ambitu in conjugiũ petita omnes eludere & 35. annis regnare & felicitatẽ suam 4. Aprilis 1603. occasu & interitu delitiarum claudere, an non modò in æternam omnium tormentorum carnificinam detrusa? Toleravit illam Deus, & tot amatoriis donis illam provocavit, at illa dona in odiũ donatoris cõcebère. Absorbuerat illã æstus dominationis, & umbra præsentis, & momentaneæ gloriæ. Ultimis Deus tentavit obstinatam mentem remediis, colicis doloribus, animi ingentibus fastidiis, tristitiã exuberanti, & ita stomachosa, ut nullius ferret præsentiam, omnia remedia abhorrere, seipsam detestari, lugere, & sic animam exhalare. Hic finis Comœdiæ. Ecce ut Deus toleret suos iratus hostes, & noxas dissimulet, tantã clade suorum, suique cultûs abolitione. Dissimulat autem, quo tardiùs puniendo spatium collapsis resurgendi, & errantibus locũ det pœnitentiæ. Non gaudet sanguine Deus. Ferinum est, & inhumanum, etiam cùm possis, plectere. Utere fortunâ cùm potes; corrige cunctando. Apud Deũ non est locus illi mimi: *Veterem ferendo injuriam, invitas ad novam.* Sit ita: fiat impunitate deterior, & crescat contumaciâ. Solis claritas non minuitur oppositâ mole. Ingens intervallum interjectum inferiorũ & superiorum. Inexpugnabilis est divinitatis clementia. Non potest lædi ejus infinita divinitas, verùm hominũ malitiâ inclarescit magis. Validius esse debet quod lædit, quàm quod læditur. Omnis nequitia succumbit virtutis potentiæ. Conjice in illam quidquid est validum, non reverberabit. Non præcipitat supplicium in eos, qui ignoratione recti, vel libidinum illecebris capti, vitiis adhærescunt, nisi rebus deploratis, quibus vitã præscidit, ne contagione pestilentiæ cæteros corrumpant, si semper impuniti dominentur. Horrendum judicium & malorum incendium, cùm crebrò illis supervenit. Infructuosa Dei monitio Cain facta. *Quare iratus es, & concidit facies tua? Visibili formâ* (ait Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 7.) *Deum Caino locutum. Sed quid profuit ista monitio? nónne cõceptum scelus in necando fratre, etiam post verbum divinæ admonitionis implevit?* ait Augustinus. At in obdurato effectum est nihil, in electis verò futuris spiritus operatur intrinsecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Specta inundationem iræ divinæ. Audi Chrysostomum homil. 20. in Genes. *Et verò locus, in quo habitavit Cain, perpetua memoria fuit non illi soli, sed & sæculis posterioribus, ob tremorem & motionem.* Nomen enim Naid Hebraïca dictio est, & vertitur *motio.* Itaque ut crimen illius notum esset, etiam in loco tanquam columnâ ænea scriptum, illic eum collocavit. Doceat te fumigans etiamnum hodie terra Sodomorum, & aliorum regnorum.

Elizabetha regina Angliæ ingens felicitatis humanæ exemplum & lapis offensionis.

Finis vitæ, at qualis.

Deus apparuit Caino visibili forma ut monitus resipisceret.

Locus ubi habitavit Cain dictus motio.

§. XIX.

In summa clementia maxima Carnificina.

QUæ cùm ita sint; habet tamen tarda vindicta subitum à scelere commisso tortorem. Adnascitur noxæ quasi consanguineus vermis, qui continuâ solicitudine, & memoriâ sceleris mentem exedit, atque corrodit. Quid prodest esse septum munitumque magnis opibus atque potentiâ, si te stimulet conscientia malorum? si quocumque aspexisti, ut furiæ, sic tibi occurrant injuriæ, quæ te respirare non sinunt? Quid est angore conscientiæ, & cruciatu fraudis intolerabilius? noctes diesque aguntur anxiâ solicitudine mentis. Sceleris pœna est tristis, & præter eos eventus, qui sequuntur, per se maxima. Magna vis conscientiæ, erubescere, expallescere, titubare, inconstanter loqui, nusquam quiescere, instar Orestis vagari. Intuere Cain profugum à facie Domini: fugit insanæ similis procellæ. *Fugit impius nemine persequente.* Prov. 28. Quò ruis fugitive? à quo tibi times? cùm nullus sit hostis, nisi tu tibi ipsi, quem nunquam effugies? Teipsum fugis & comes sequeris. Benè Horatius:

— *Rarò antecedentem scelestum*
Deseruit pede pœna claudo.

Quàm benè Spiritus sanctus Genes. cap. 4. *Si malè egeris, statim in foribus peccatum aderit.* Quid est hoc, *in foribus aderit?* Peccati pœna præsto erit. Hieronymus *ante fores sedebit peccatum tuum; & ad te societas ejus.* Theodotion: *Illicò peccatum tuum ante vestibulum sedebit, & tali janitore comitaberis.* Rupertus libro 4. in Genes. capite 3. *Hic aderit peccatum tuum, ut quocumque te verteris, quidquid agere volueris, tecum sit, comes-*

que

Ingẽs pœna conscientia sceleris, sceleris comes.

Cain profugus nullo sequente.

que in itinere, Princeps in opere. Tunc quidem super te erit, & dominabitur tui; quia qui facit peccatum, servus est peccati. Nunc autem ante peccatũ dominari potes; quemadmodum qui nondum est rex creatus subter populum est, & populus illius dominatur, ita ut eum recipiat si velit. Hæc ille. Verè ante vestibulũ sedebit instar Cerberi perpetuò latrãtis, qui omnibus umbrã locis aderit, & terroribus spectrisque continuò exagitabit. Quid hoc est aliud, quàm quòd impietas peccatoré retorqueat, & ut David pœnitens fassus est: *Peccatum meum contra me est semper.* 50. Ps. 8. An non gestat testẽ continuò in suo pectore? an non audit continuos clamores, & flagella novi tortoris? Culpã semper sequitur pœna, grave tormentũ. Et quale? Explicat Paulus ad Rom. 2. *Ira, & indignatio, & tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Et David: *Confusio faciei meæ cooperuit me.* Ps. 43. Hujus cõscientiæ turbulentam torturam pertulit insignis latro Dionanti memorabili confessione veritatis jam à 70 annis, & amplius. Hic opulentam domum cujusdam Canonici sibi designârat in spoliationẽ: tempus sceleri deligit Canonico matutinis horis occupato: pulsat ostiũ: intromissus malleo ancillam mactatam disjicit: intrat interiorem partem domus: occurrit parvulus aviculâ colludens. Latro stricto ferro puerum percellere; puer territus vitam orare, lacrymari, aviculã in præmiũ offerre; hic sævitia hærere, & intepescere: evicit tamẽ auri sacra fames. Pueri ergo jugulum petit, verba hæc iterum atq; iterum ingeminantis. Satiatus sanguine, satiatur spoliis. Erupit fama. Innocẽs ex suspicione nomine *Courreur*, capitur, damnatur, vivus comburitur, factũ constanter negando. Non longo pòst intervallo deditur auctor sceleris: ultrò fatetur ordinem, & mortem orat in redemptionẽ allatrantis noctes diesque conscientiæ: mori sibi jucundius esse, quàm sic vivere: intolerabiles esse sibi voces puerulí morituri ingeminatas: *Vitam,* inquiebat, *oro, dabo aviculam; vitã oro, dabo aviculam.* Magna, inquit Cicero, in utramque partem vis conscientiæ, ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & pœnam semper ob oculos versari putent, qui peccârunt. An non timor, continuus pavor, continua & perennis trepidatio, & turbidæ scelerum furiæ, quasi facibus ardentibus hominis animum exurunt consumuntque? Stimulis agit voluptarios, & immedicabili plagâ vulnerat sæva scelerum contagio. Pœna culpæ vix natæ coæva, & in eodem fundo pullulant. Pulchrè Hesiodus:

Historia facinorosi conscientia territrice excarnificati.

> *Consilium pravum est auctori maxima noxa.*
> *Dira parat, quicumque alii; sibi & hic parat ipsi.*

An non tormẽtum sibi parturit, qui flagitium, & in ipso flagitio pœnam fraudis? Est fabricator suæ fortunæ, qui improbitatis: ex ipsa molitur sibi carnificinam, quâ nunquam

A caret, etsi Persico gaudeat apparatu. *Incrustata est improborum felicitas,* & falsa inter gaudia sentiunt suum tortorem. Quid ais? æstimas felicem auro, purpurâ, & erutis oceano gemmis undique fulgentem? Esto judex lector; ne accusandus sis, vide. Audi partem alteram, æquus ut judex sies. Aperi pectus, aperientis facinora quæ clam & tacita latent. Tot carnifices secum circumfert pœnarum, quot crimina. Audi Poëtam metro 2. l. 4.

> *Quos vides sedere celso*
> *Solio culmine reges*
> *Purpurâ claros nitente,*
> *Septos tristibus armis,*
> *Ore torvo comminantes,*
> *Rabie cordis anhelos,*
> B *Detrahat si quis superbis*
> *Vani tegmina cultus;*
> *Iam videbit intus artas*
> *Dominos ferre catenas.*
> *Hinc enim libido versat*
> *Avidis corda venenis;*
> *Hinc flagellat ira mentem*
> *Fluctus turbida tollens;*
> *Mœror aut captos fatigat,*
> *Aut spes lubrica torquet.*
> *Ergo tum caput tot unum*
> *Cernas ferre tyrannos.*
> *Non facit, quod optat ipse*
> *Dominis pressus iniquis.*

Quis unquam malus felix? quis malus non C patitur jugum intolerabilis servitutis? An non tineæ vermisque occultis morsibus carpitur, roditur, & lento vulnere consumitur? An non prima ultio, quòd se judice nemo absolvitur? Vermis eorum non morietur in æternũ. Crede mihi, omnes, quos vides, in aula calamistratos, & marcidos voluptatibus, lectis eburneis lascivientes, scelerum servos; esto, videas exultantes:

> — *Surdo*, ut ait Juvenal. *verbere cadit*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Nocte, dieque suum gestant in pectore testem. An tolerabilis pavor conscientiæ? & animus culpâ plenus? cor, animus, & quidquid circumfert mens secum, maceratur, nulla quies; semper metuit fluctus, quos non D videt. Finio: nunquam apud se est, quicumque justè timet. Semper placuit mihi hoc Plutarchi in libello de sera Numinis vindicta, dum ait: Ceterùm inter nos, & pueros nihil interest, qui cùm maleficos in theatris cõtemplantur, & sæpenumerò auratis in tunicis, & chlamydibus purpureis, coronatos, & saltantes, ut beatos admirantur & stupent, quoad stimulis agitari, flagris cædi, & flammam ex picta & sumptuosa veste cernuntur effundere; quandoquidem perversos plerosque amplis succinctos tectis, imperiisque & opibus plecti non priùs cernimus, quàm cùm conspexerimus jugulatos, aut in præceps datos. Videntur præsentem ictum declinasse, non longiore pòst tempore, at longiore in tempore; longinquiores, nõ tardiores pœnas pendunt,

pendant, nec postquam consenuerunt, sunt A puniti; sed consenuerunt in pœnis. Dico autem quantum ad nos longum tempus, quando Dis sanè totum vitæ humanæ spatiũ nihil, & præsens momentum sit. An non ante annos 30. perinde est ac vesperi, non diluculo? Omnis impius fert secum suos cruciatus, qui materiam cruciatibus dedit. Esto, videatur liber ab eculeo, vinculis, & ceteris pœnis, tenetur tamen captivus, & quotidie mortis pavido metu torquetur. An non in vincula conjectus pœnas sui criminis luit, etiamsi securi non sit percussus? esto, ludat aleâ, & talis comessetur, negotia tractet, fruatur oblectamentis, ludisque, si captivus teneatur, & restim quicumque super caput impium pendentem videat; quid elaborabit sinceram vo- B luptatem? An non is, qui cicutam bibit, non tunc torqueri solum dicitur, cùm sua crura gravedo invadit, aut sensibus destitutus congelascit & exstinguitur? non enim extremum supplicii punctum supplicium dicimus. Piscis ubi hamum deglutiit, jam captus dicitur, non verò quando à coquo conciditur & assatur. Incubat subitò cuique malefactori vindicta, ut mel delicti velut escam devoravit; ferit voluptas, icta corda morsu, & appetitor habet vellicantem conscientiam & luit pœnas, ut cito impetu exagitat salum. Quippè ferocia illa & audacia perversitatis usque ad maleficia est nervosa, & prompta, mox ægritudine, venti instar languescente, exsanguis adjectis pavoribus succumbit. Vide apud C Plutarchum plura libello de tarda numinis vindicta. Hujus exemplum dat idem auctor. Quidam Bessus, inquit, patrem interemerat; quod cùm diu clam fuisset, pòst cœnas apud extraneos milites, hirundinum nidum lanceâ fodit; quo dejecto pullos occidit. Cùm autem qui aderant dicerent: *Quæ, malum, res te movit, ut facinus tam dirum ederes? Nónne jam pridem*, inquit, *hæ me falso suo quasi parentem interfecerim infamem faciunt?* Stupefacti cuncti, Regi denuntiant, ac facinore deprehenso pependit Bessus impius pœnas. Datur impio laxamentum supremi supplicii, at nunquam vivit sine supplicio. Sibimet pœna est noxa. nascendo instar viperæ occidit. Quid canthari- D de perniciosius? exitialis est; attamen etsi exitialis sit, fert sui veneni suum remedium. Mirum naturæ sagacis inventum ex quadam repugnantia temperatum. Hasta Peliæ sauciat, sanatque.

§. XX.

Tarda Dei vindicta, Divinæ omnipotentiæ Diadema pulcherrimum ex sacra Scriptura.

Seneca *l. 1. de clementia* docet *magni animi propr i um, placidum esse tranquillumq; injurias* & offensiones supernè despicere. Addit paulò infrà: *vitam dare periclitantibus meritis amittere, facit, quod nulli rerum potienti licet.* Pergit idem: *Servare proprium est excellentis fortunæ, B quæ nunquam magis suspici debet, quàm cùm illi contingit, quod Dijs, quorum beneficio in lucem edimur tam boni, quàm mali. Deorum sibi asserens animum Princeps, alios ex civibus suis, quia utiles boniq; sunt, lubens videt, alios in numerum relinquit: quosdam esse gaudet, quosdam patitur.* Hæc ille. Et cui hæc maximè propria & innata, quàm summo Principi & Monarchæ vero Deo, qui ingenitâ magnificentiæ suæ naturâ, & generosâ magnanimitatis indole, omnibus altior, quàm ut ullâ injuriâ tangi, lædique possit, omnes injurias sibi illatas despicit: vitam dat ingratis, hostibus confert dignitatem, & omnia dona fortunæ largissimè: quando verò pro sua Sapientia articulum temporis novit, inclinatis in omnem turpitudinem C animis, subveniendi, remedia adhibet severitatis & justitiæ. An ut perdat? nequaquam: sed ut ægritudinem nostram, & corruptos & tortuosos artus instar benigni medici curet, fomenta tanquam mater applicet; vel ut patris affectu filium rebellantem minis, supplicii metu, vel ipsis suppliciis frænet, domet atque coërceat. Et quænam est animæ vitiis depravatæ medicina, nisi jus & justitia, & virtutum splendor revocatus? Hanc medicinam novit & Pindarus, qui summum hujus artificem nuncupat Imperatorem, & Dominum universitatis Deum, ut qui juris & justitiæ sit opifex, cujus sunt partes, quando, quomodo, & quatenùs quisque sit suis subsidiis juvandus, protegendusque, statuere. Quæ cùm fa- D cit, quid aliud facit, quàm statuas suæ clementiæ fabricare & erigere, dum statuas suæ imaginis vel figuræ, violatas, prostitutas, & hostili feritate cõfractas restituit? quid aliud facit, quàm texere diademata & coronas civicas ex servatis suis creaturis? quid aliud facit, quàm triumphos suæ clementiæ parare, dum inductâ amnistiâ, & injuriarum oblivione, parcit suis inimicis? quoniã *Dominus mortem non fecit, neque delectatur in perditione vivorum.* ubi textus Arabicus sic habet, *neque percutit percußione vivos*; creavit enim omnia ut essent: ipse enim mortem non fecit. Sapiẽt. 1. Misereris omnium, quia omnia potes, dissimulãs peccata hominum propter potentiam: misereris enim omnium, non quia misericors

Ingenitis animis propriũ extremum ferre, & ad bonam frugem revocare.

Propriissimum Dei ferre suos inimicos ad extremum sua potentia, cujus est proprium ignoscere.

Admirabile hoc Ethnicũ Poëtam penetrasse.

Amnistia injuriarum parat Deo suo diadema & triumphos.

es, sed quia omnia potes, & omnipotens es; & quia omnipotēs es, & summus Imperator, & excellentissimæ naturæ: omne enim quod est, quasi nihil omnia æstimas, & indigna tuâ irâ. ô decus omnipotentiæ, cujus diadema, tarda vindicta. Hoc est, quòd superiùs dixit Seneca: Celsissimi est animi iram cohibere, & imperare omni impotentiæ, injurias supernè despicere, magni animi proprium, juxta illud:

——Dignum te Cæsaris ira
Nullus honos faciet.

Optimè ergo Fulgentius ad Venantiū Epist. 7. cap. 4. *Deus multus est ad ignoscendum. in hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors.* Tanta autem est benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil quod nolit, aut non possit relaxare converso. Tanta quippè est bonitas in Deo summo bono, ut à nulla malitia vinci possit. Quare & omnes vult servare, quod est excellentis naturæ.

Summa Dei bonitas tanta est, ut nulla malitiâ superari possit.

Miramur Romanos, quòd parvam festucam eorum corporibus injiciant, quos in libertatem vendicant. res ludicra in re, tanta. Quid majus libertate? quid vilius festuca? res inanis symbolum tantæ dignitatis, ex mancipio fieri liberum. Miremur potiùs Dei bonitatem, qui cùm infinitæ sit dignitatis, & infinitâ prope laceratus injuriâ, uno gemitu peccatoris redemptam servitutem vendicat in libertatem: & nos indignos vitâ, quasi gemmas inserit capitis sui coronæ, & hostes in sui consortium transfert amoris: non irritatur sceleribus, silet, dissimulat, non accenditur, non molitur vindictam. Audi Isaiam 30. cap. vers. 18. *Exspectat Dominus ut misereatur: exspectat ut resipiscas.* Audi, ut diadema clementiæ ex cunctatione sibi componat. *Ideò*, inquit Propheta, *exaltabitur parcens vobis.* Quid est, *exaltabitur* nisi in altum tolletur, elongans se, suamq; manum? ubi Vatablus; *suspendet ictum, & exaltabitur per suam clementiam.* Quid est, *suspendet ictum?* nisi nullius etiā vilissimi sanguinem fundet, neminem lædet, verùm omnes servasse erit illi gloriosum. Exaltatur ergo Deus clementiæ suæ astro felicissimo, cùm omnibus calamitosis aperit azylum, & more Imperatorio statuam erigit in tutelā, & confugium reorum. Hac arce approbat omnibus mortalibus sua imperia: nullam gloriam ex animadversione crudeli sectatur, quamvis gloriosum etiam Regi clemētissimo, per supplicia providere tranquillitati alienæ. Non igitur bonitas divina nocet castigando, quia quis peccavit, sed ne peccet, nec ad pristina relabatur: non itaque irascitur, sed cavet. Deo non est dulce, dolorem reddere. In beneficiis est, merita meritis rependere, non ita injurias injuriis: illinc vinci turpe est: hîc vincere. Si ad remedium veniendum est, clementiæ divinæ est, sine ira venire: non quia est dulce vindicari, sed quia utile. Vide ut Genesis 6. vers. 6. invitus descendat ad iras, cum quanta & lugubri deliberatione, *ut tactus dolore cordis intrinsecus exclamet: Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ. Pœnitet*, inquit, *me hominem fecisse.* Videtur pœnitentia duci, quamvis in Deum non cadat pœnitentia, cùm sit immutabilis. Accommodat ergo se moribus hominum, qui retractant iræ suæ justos dolores, minasque, & beneficia demeritis irritata, & usque ad pœnitentiam clementes ad ultionem sese accingunt. Armat justitiæ vindices manus, quia necessitas compellit; at quanta anxietudine? quàm totus mœrens! quàm prono ruit in luctum impetu cor doloribus obsessum; non aliter, quàm torrens de prono monte volutus per medium transit iter populi; & tandem instar hominis exhalantis animam, omnes habenas irarum effundit. *Tactus ergo dolore intrinsecus*, cui minima ut pereat sufficit plaga. *Delebo*, inquit, *hominem* tam prodigiosè amatum, hæredem meum, & quasi alterum me. & ni fecero, pereo ego, nec aliter salvus esse possum. Aggrediar ergo improbos, *& delebo eos à facie terræ.* Audisti quantâ mole curarum, & luctamine tanta Majestas secum volutat diu meditata consilia. An non spectas fluctus decumanos instar montium orbem eversuros? Ingens naturæ miraculum, (at quia usu viluit, non novum) Oceani despumantes furias, fluctuumque insanientem rabiem, objectione levis arenæ, velut inexpugnabili muro contundi, frangi, atque domari. Job 38. *Hic franges tumentes tuos fluctus: usque huc venies, & non procedes amplius.* Majus, & incredibilius miraculum Dei omnipotentis accensam justitiam à decreta sententia revocari; & oppositione aliquot lacrymarum si forent instar arenæ levis objectæ, quæ solum expectabantur, totum furorem amicissimè componi. Hinc Isaiæ 1. *Parco quia laboravi sustinens.* Esto sit *denigrata super carbones facies eorum.* Thren. 4. ubi Septuaginta habent, *obtenebrata super fuliginem species eorum.* Esto sit, juxta Prophetam Nahum 2. *facies eorum sicut nigredo ollæ. deinde sint facti abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Oseæ 9. abominabiles in iniquitatibus suis. Abominabiles vocat Augustinus hîc in Psalmum 52. vers. 10. & Cassiodorus *exhæredatos, & ad omne bonum opus reprobi*, Græcè ἀδόκιμοι similitudine ductâ à nummis, qui, cùm falsi & reprobi, adulterini vocantur. Sicut Hieremias impios cap. 6. vers. 30. *argentum reprobum* vocat, quia Dominus projecit eos.

Festuca utebantur Romani libertatis danda causa. & Deus gemitu dat libertatem suis hostibus.

Deus non est dulce irasci & injurijs sua supplicia respondere.

Quanta Consilij tarditate procedit Deus ad ultionem, quàm lentâ tarditate volutat secum litatque aggressionem.

Ingens miraculum intumentes maris furias inundantesque frangi, & domari object. levis arenæ.

Quanta potentia gemitus.

Abominabilis peccator.

Esto sit civitas fidelis meretrix facta, habitent in ea homicidæ, fuerint peccata ut coccinum: si fuerint rubra, quasi vermiculus, ad unum gemitum peccatoris, ad unicam tunsionem pectoris contriti, rubra fient alba lana, instar coccini velut nix dealbabuntur, & homicidæ, & meretrices, & adulteri filii, & falsi nummi, fient aurum electum, domabuntur abolito dedecore legitimâ hæreditate,

reditate, & splendor pulchritudinis emicabit ex vultibus eorum, & peccatorum non recordabor amplius. Et sicut in sepulchro corporis vivo funus animæ peccatricis sepultum est, ut ait Chrysologus Serm. 19 sic reviviscet viror sepultæ animæ gratiâ divinâ, & pulchritudo lacrymis veræ pœnitentiæ, & instar gemmæ, quæ rore clementiæ nascitur, sit futura in diademate magni Dei omni claritate circumfulgens, & erit quasi annulus in manu Dei, & quasi thronus gloriæ divinæ, in quo ipse Deus residebit; juxta Sophoniam 3. vers. 17. *Silebit in dilectione sua, & exultabit super te in laude.* Quid hoc est, *silebit?* nisi constanti firmaque amicitia in te residebit, & conquiescet; & erit quasi sabbathum Domino, & requiescet Deus à laboribus suis, quos densatos exantlavit in animæ durissima conquisitione? Quid est, *exultabit super te?* nisi laudi ducet & honori, sibi applaudet, non de novo parto regno hujus orbis; sed animæ perditæ nobilissima restitutione? *Venite*, inquit, *& congratulamini mihi, quia ovem perditam inveni*, & filius, qui erat mortuus, meâ clementiâ revixit. clementer sum ultus cuncta flagitia undis lacrymarum immissis: jus meum recuperavi, trophæum victoriæ statui cum hac inscriptione: *Clementia victoria.* ingens verò parta victoria de regno recuperato; quælibet enim anima etiam perditissima Deo Opt. Max. regnum est juxta illud: *Regnum Dei intra vos.* Hinc illæ lamentabiles magni Dei voces libr. 1. Reg. c. 8. v. 8. ad Samuelem: *Audi vocem populi: non enim abjecerunt te, sed me, ne regnem super eos.* Poscunt sibi Regem, sentient tyrannum. Sentient alia jura hominis, & mea in suum vulnus. Omnibus triumphis major est una anima rediviva. Religiose, vis Deo transmittere in cœlum triumphum supremæ gloriæ? unam animam sub corona peccatorum jure belli dæmoni venditam restitue. una anima res digna lauro, digna curru, id est, anima ut sit major Deo, cunctis triumphis, triumphus. Hoc docet illis verbis Isaias, *Exultabit super te.* Quod præclarè Tigurina lectio explicat, dũ ait: *Gestiet de te jubilo.* At ubi lætiores jubili & gaudii voces, quàm in triumphis, ubi acclamationibus faustis facta ducis canuntur? an non audimus Angelos pæana canentes? Subegit Christus verus Cæsar dæmonem, io triumphe: redit in patriam, Deique aulam anima præda quondam tartari, io triumphe. Pensatum est clementiâ victoris Christi bellum, io triumphe. attollite Principes, portas æterni Capitolii, & introeat rex gloriæ, qui non aliis armis, quàm scelere alieno condonato usus est in suam victoriam. Hoc ipse Isaias cap. 62. præcinit: *Et eris corona gloriæ in manu Dei*, qua redimitam æternus Deus caput suum adornat. Hoc stupens Iob cap. 7. admiratur. *Quid*, inquit, *est homo, quia magnificas eum?* at quid est, hominem magnificare? nisi (ut ait Gregorius) *infusione gratiæ ditare?* Hoc in titulo ratiocinii positum; tardam Dei vindictam esse diadema divinæ clementiæ. O infinitæ clementiæ inexhaustum pelagus! Deus enim peccatores cum suis miseriis, quasi insularum loco habet, illorum lacrymas circumfert tanquam opima spolia victricis gratiæ telis extorta. Hæ sunt victoriæ divinitatis: hæc sunt regna divinæ clementiæ. His gloriatur, quas jactat, & explicat opes Deus. Lucrum animarum divinitati unicum præmium; ruina unum damnum, æternumque vulnus. Euge amator animarum! parias Deo animam, ut Sara Abrahamo filium Isaac. Quid Isaac, nisi risus? Quicumque audierit, corridebit tibi, quod usum feceris Deo. O te felicem, qui peperisti Deo hæredem sui regni! quo Deus lætatur, & exultat velut novæ sobolis felicissimo partu. Pompeius gestabat in annulo tres orbis partes, de quibus jactabat se triumphasse. Iactabat præterea, fines Romanæ potentiæ centrum fecisse. Vis Deo porrigere annulum debellati orbis? debella animam servitute vitiorum pressam. Hoc annulo se jactabit Deus, illum digito induet, & in immensum imperii sui fines tibi referet amplificatos. Narrat Philostratus Sesostrem Ægypti Regem, gloriæ facibus ardentem, multis victoriis varia regna subegisse: ut itaque famæ suorum laborum consuleret, quam volebat æternitati parem (tantus amor superstitis laudis!) saxo immani suam effigiem jubebat incidi, cum hac inscriptione: *Hanc regionem humeris meis obtinui.* Hoc proprium, & uni Christo debitum decus: *ipse humeros ruituro orbi subjecit; ipse suis humeris molem totius orbis tulit crucem ferendo, in qua posuerat Deus iniquitates omnium nostrûm.* Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: ipse suis humeris orbe peragrato ovem perditam imposuit, & in triumphum duxit: humeris suis victorias omnes conquisivit. Quid humeri, nisi hieroglyphicum laborum? an non totum imperium super humerum ejus? Sceptrum reges manibus, ipse humeris tulit. Sesostris rex armis, Christus clementiâ, non ferro; sed ligno mansuetudinis domuit orbem. Gestet ergo Christus annulum, non de tribus orbis partibus subactis, verùm de toto. Inscribamus, non jactantiæ; sed veræ laudis & encomii verba, συγγνώμη τιμωρίας ἀμείνον. *Venia ultione melior.* Quid peperit orbi triumphatorem orbis Paulum? an non clementia Dei magnanima statuit illum in trophæum suæ clementiæ? an non Deus in homine contumaci obduratoque expertus est suas vires? an non contra se præliantem clementia disjecit, subegitque? an non clementiis omnium sæculorum æternas laudes sibi conciliavit? an non posteris sui spem fecit? Audiamus Paulum intonantem divinæ clementiæ pietatem. 1. ad Timoth. 1. vers. 16. *Ideo misericordiam consecutus: ut in me ostenderet*

Lacrymæ sunt gemmæ in Dei diademate.

Summâ disolætitia anima ad Deũ reversa.

Qui animã Deo dat, dat omnes triũphos, & omnia regna.

Qualis triumphus Christi Domini, quales acclamationes.

Spolia triũphi sunt anima capta ex manibus hostium.

Amator sis Dei, parias Deo Isaac, id est, risum, & lætitiam.

Quis Dei suavissimus risus nisi anima.

Annulo ornabis digitum Dei.

Sesostris Rex victorias Saxis magnis incidi volebat, cum inscriptionem.

Humeris meis victorias peperi. Hoc propriũ Christi decus.

Christus clementia non ferro subegit orbem.

Nobile epiphonema.

Paulus theatrum clementiæ divinæ.

A Jesus Christus *omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* An non venia ultione melior? Paule, perieras; at humeris clementiæ sublatus, ad Deum deductus es. Factus es omnibus naufragis cynosura spei, & aurora misericordiæ desperatis. Non tot sideribus cœlum fulget, nec Oriens lapillis gemmeis, quot pyropis clementiæ Dei diadema.

Diadema Christi fulget densatis clementiæ gemmis.

Quot Sancti & Sanctæ sunt capiti Christi in ornamenta, qui jam æternis flammis sepulti cremarentur, nisi blandimentis clementiæ pellecti, in castra Dei transiissent? Phyltrum & poculum amatorium, poculum delitiarum est Dei clementia, quâ prægustatâ tantum dulci ebrietate eblanditur hominum amores. B Agnovit hanc vim clementiæ divinæ Plutarchus contra Epicurum pugnans. *Ingenitum, inquit, est Deo, ut promereatur & succurrat: ut indulgeat ira & affligat, abhorret ab ejus natura. Imò magnus ille Iupiter è cœlo ad imas sedes primus pergit ad componendum & procurandum omnia.* Hæc ille.

Flectit Deus aspera, vitiosa, ingeniosa; ad magnitudinem tamen nata, clementiæ suæ manu, & truculentos, feros, & luxuriosos, laudatos, castosque format: nihil enim magna ingenia afferunt mediocre, *neque feriantur,* ut ait Plutarchus, *magni Spiritus; verùm jactantur fluctuantq́, quousque stabilitatem solidam assequantur. Anger spinarum vepriumq́ feracior felicis soli promittit ubertatem.* Maturitatem exspectat sapiens Deus, & clementer procrastinat supplicia, donec prava & insolentia in præstantibus ingeniis depascantur, atque deflorescant. exsciderìs tumultuoso fragore & impetu perverteris omnia. Indoles præstantium ingeniorum, ubi despumaverint districtos vitiis affectus, in magnam virtutum amplitudinem adolescunt.

Magna ingenia prava, maxima promittunt instar agri feracissimi spinarum.

Augustinum divina clementia præstolata, tandem sibi obtinuit.

Hac arte Augustinum, ingenii miraculum, rexit, toleravit, & maturitatem temporis præstolatus, ad se pertraxit. Legibus statutum, ut prægnans mortis rea in partus incolumitatem servetur: sic gravidæ corruptelis mentes ne pereant, clementiâ donantur. An non crebrò profligatissimi, scelerum pertæsi, in acie primi decertant pro Christo? an non immemores sui, & prodigi sanguinis & vitæ, in pericula certa decurrunt? An non famosissimæ vanitatis insignia Christi, insignia; & qui mundi stemmata, cœli stemmata præcipua tandem exstitêre? Acres industriæ & mirabiles in rebus agendis molitiones divinæ clementiæ. Evenit ipsius victoriæ quod victoriæ magni Gelonis regis contra Carthaginenses, qui filios suos immani scelere Saturno in victimam litabant. Conserit arma cum Carthaginensibus. Quanta fuerit cædes, ira, rabies, furorque victorum, palàm ostendit. victis ingenti prælio, non aliâ conditione pax data, quàm ut inolitam tot annis barbaram immanitatem penitus exscinderent.

Carthaginenses suos filios immolant Saturno soliti.

Gelonis Regis nobilis victoria & plena pietatis.

Quid crudelius, quàm sua pignora corporis in flammas dare? Ingens victoriæ laus, præmium armorum servatâ defensâque innocentiâ.

Idem molitur decus clementia: expugnat impios mirâ concertatione, ut desinant Dæmoni hostias sui litare, & faustis ominibus novam vitam auspicari.

EPILOGVS.

Tu itaque peccator, attende tibi; cave *divitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis contemnas. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* An judicium Dei effugies, si contemnis? Græcè ubi nos habemus *Ad pœnitentiam te adducit,* Εἰς μετάνοιαν σε ἄγει, *ad pœnitentiam te agit, & adducit, & conatur adducere quantum potest. Si quis ergo,* ait Origenes hîc, *hanc bonitatem Dei, & sustentationem & patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam invitatur.* Sed non dissolvat nos hoc, & tardos ad *conversionem* faciat: *quia rursus patientiæ ipsius, & sustentationis certa mensura est.* Sin autem obduratis surdisque auribus vocem clementiæ acceperis, thesaurizas *tibi iram, thesaurizas tibi thesauros iræ,* inquit Bernardus de triplici sermone, prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis & evacuas in te.

Ad Rom. 2. cap. 4.

Obduratus thesaurizat sibi thesauros vindictæ.

C Nunc datur tempus fugæ, dum intenditur arcus, dum prælium paratur, opportunitas colloquii. Laneo pede venit Deus: at ferreas manus habet, & tarditatem supplicii gravitate compensat. Claudo cum Augustino Serm. 67. *qui Christum Dominum loquentem inducit: Cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua pependeram, affixisti? gravior apud me criminum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus mortem occisurus ascendi.* Et quia post omnia mala, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab ardenti malo non mereberis liberari: despexisti enim in Judice veniam.

Acerbior est Christo D. tua in malis voluntas quàm acerba in Cruce tolerantia.

Hæc sunt futuræ exprobrationes neglectæ clementiæ, cujus proprium est servasse, & D velle omnes servatos.

§. XXI.

§. XXI.

Dignitas Principis, & Rectoris clementia.

DEus Principes, eosque qui rebus humanis præsident, quasi Deos, spectabiles tamen esse voluit. Sicut enim Dei spiritu vivimus, movemur, & sumus, ita subditi unius sui Principis animus orbis est Deus, animus Reipub. Princeps. Illa est corpus Principis, cujus nutu velut capite gubernatur: corpus animo deservit, tanto speciosius, quo ille nobilior: huic manus, pedes, oculi negotium gerunt. An non animi imperio in omnia pericula prosilimus, & extrema terrarum scrutamur? Sic & Principis imperio subditi,. Dei spiritu tota hæc orbis machina subsistit, subitò ruitura: ita & Respubl. boni Principis incolumitate. An non providâ ratione, ut navis clavo, regitur, flectiturque? An nõ illius Principis vigili conlio, ut cœlum humeris athleticis sustinetur? Pro Dei Majestate tuenda vitam interponunt omnes: pro Principis incolumitate armat se Respublica. Deus est vinculum orbis, & amor Dei vinculum: ita & Princeps vinculum Reipubl. & Principis vinculum amor, quo ita Reipubl. connexus adhæret, ut unum sine altero esse non possit, ut pulchrè Lucanus de Cæsare:

Reges, Rectores sunt veluti Dij spectabiles.

> *Cùm tot in hac anima populorum vita, salusq;*
> *Pendeat.*

Benè & Tacitus, *unum esse Reipubl. corpus, & unius animo regendum.* Quod sanè ita egregiè præstitit Cæsar, vel Augustus, qui ita se induit Republ. teste Seneca lib. de Clement. *ut diduci alterum non posit, sine alterius pernicie.* nam ut illi viribus opus est, sic huic capiti. Quicumque ergo clavum Imperii tenes, & Reipubl. gubernacula tractas, Dei magni afferas animum. An non Deus ad orbis gubernationem, suique Imperii procurationem summæ clementiæ utitur lõgissimis artificiis? tu Rex imitare. Cur subditi non alio animo suum Rectorem intuentur, quàm si Deus videndi sui copiam faciat? Quid autem? an non proximum illi locum tenet, qui se ex natura Dei gerit? cui contingit, quod Deo, cujus beneficio nascimur, & beneficentiâ, largitione, & amore, & potentiâ continemur. Spiritus vitalis Deus, quem totus trahit orbis: Spiritus vitalis Princeps Reipubl. quem tot subditi trahũt. Deus pro salute singulorum excubat, ita & Princeps. Deo summa potentia decori, quia potentia salutaris: sic & Principi. Pestifera enim est omnis potentia, quæ valet ad nocendum. Pulchrè Ammianus lib. 29. Nibil-

Intolerabilis fastus in Principe si sit acerbus.

A *tam iniquum, quàm ad ardua Imperij supercilia, acerbitatem naturæ adjungere.* Miserum instrumentum severitatis, recordatio crudelitatis. Sicut enim solis benefici luce Dei Majestas quaquà versus mortalibus patet; ita Principis Majestas luce clementiæ. *Et quemadmodum,* ait Zonaras tom. 3. in Leon. Imp. *Sol ijs quibus affulserit, calorem suum impertiri consuevit: ita ab Imperatore clementiam & miserationem tribuendam quos aspexerit in Majestatis suæ ostentationem.* Et Symmachus lib. 9 Epist. 1. *ut in hac vita positis, ac locatis communis est cœli spiritus, lux diei: ita Principis clementiam sentiant vota & facta cunctorum.* Quare & regibus & Principibus non minus contingit, quàm soli. *Multa,* ut ait Seneca, *contra illos* B *lux est, omnium in istam conversi sunt oculi, ut in solem, quasi semper orientem, innubem, suâ luce rutilantem, & seipso clarum, & ijs salutarem, qui ejus radios senserint.* An non clementia in quamcumque domum intraverit, felicem, tranquillamque præstabit? at in regia, quo rarior, eò admirabilior. Cùm igitur Princeps sit Dei simulachrum, quid æquius, quàm ut formet seipsum ad effigiem Dei, & per virtutem componat? Qualem enim Solem Deus & lunam (ut ait Plutarchus ad Principem indoctum) locavit sui effigiem; ejusmodi in urbibus simulacrum & lumen est Princeps, qui religiosè justitiam colat, id est, Dei sermonem obtineat & mentem. An non Imperatores, & quidem Christiani, Divi vo- C cantur, ut constat ex nummis magni Constantini? Hoc ipsũm Chinenses populi appositè sunt assecuti, dum linguâ suâ *Regem suum non solum Obu vocant,* id est, *Dominum;* sed & *magnificentiori titulo, dum regem suum Thienzu,* id est, *filium cœli compellant.* non quòd credant esse cœli filium, verùm quia credunt Imperium esse munus cœlo missum, tamquam cœli honorarium. Hinc incredibilem & supra homines quodammodo altiorem deferunt tanquam debitum suis regibus honorem, & coram Rege præsentes ità venerabundi se gerunt, ut non in palatio; sed in sacro delubro coram Divis stare videantur. Sic P. Alvares Semedes Soc. Jesu, qui duobus & viginti annis totam Chinam perlustra- D vit. An non Regibus Statuæ tamquam Divis, & templa dedicata, ut Augusto, Tiberio, & ceteræ turbæ? an non statuæ tamquam aræ sacræ, & incolumitatis portus & asylum, à quibus ingens nefas erat transfugas abstrahere? Audiant Christiani eumdem Plutarchum, *qui verò justitiam sectantur ipsius,* Dei scilicet, *qui ad probitatem & humanitatem se componunt, hos libenter amplificat, participatq; eis æquitatem suam, veritatem, lenitatem, quibus divinius nihil est, neque lux, neque ignis, neque Solis cursus, neque siderum exortus, neque abitus, neque æternitas, neque immortalitas. Neque enim spatio vitæ Deus est beatus; verùm eò quòd virtutis Princeps sit: si quidem hoc divinum est. Est etiam*

Rex, & Rector Soles Orbis, orbisque semper lux fulgens.

Princeps Dei simulachrũ.

Chinenses suum regem filium Cœli vocant.

Regibus tanquam Divis Statua dicata.

iam virtutis decus id (Princeps ſcilicet) *quod paret tanto Numini. Paret autem cùm Deum ſtudijs æmulatur.* Hucuſque ille.

Te igitur compello Princeps, & qui cùm cœlo dilectus praẽs cutis humanis, æmulare Dei hanc virtutem, cùm Dei imaginem geras & oſtentes. Societate itaque clementiæ divinitatis affectas honores. An non ideò, quia Reges ceteris præſtant mortalibus, ab Homero Reges διοτρεφεῖς tanquam à Deo nutriti compellantur, & Dis geniti?

De regibus nunquam malè loquendum.

An non etiam improbos Principes Deus veneratione, & ſingulâri cultu dignatur? Eccleſiaſtici 10. verſu 20. *In cogitatione tua Regi ne detrahas.* Hebraicè, *in ſcientia tua.* Græcè, *in mente tua.* Quid hoc eſt? ne vilipendas, ne verbis eleves, extenues, deprimas, ne leviter loquaris. Quare hoc Xenophon libr. 8. Pœdiæ. *Multa ſunt aures Principis, multi oculi. unde & metus ea dicere, quæ Principi non expediant, quaſi ipſe audiret, & metuunt facere non conducentia, quaſi ipſe adeſſet.*

Oculi regum ubique quia multi, & quia multæ aures omnia audiunt.

Regi ergo vel Principi, ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico ne detrahas. Audi ut Deus honoret etiam Gentilem Iſaiæ 45. *Hoc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus dexteram apprehendi: Aſſimilavi te, & non cognoviſti me. Tantum in te eſt Deus, & extra te non eſt Deus. Verè tu es Deus abſconditus vel abſcondens te.*

Quanta Curæ ſint Reges Deo magno.

Expende ſingula. Vocat Chriſtum ſuum, id eſt, unctum à Domino, loco ſuo regnantem, quaſi diceret, copiam ſui, ſimulacrum, ſuum proregem, alium Deum in terra, ſacrum quaſi Dei Sacramentum in Deo abſconditum. Verè ergo Deus abſconditus. Vel alio modo, *verè tu es Deus, abſcondens te,* ſcilicet à malis. An non ideo *David percuſſit cor ſuum*, 1. Regum 24. *eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul, dixitq́ ad viros ſuos: Propitius mihi ſit Dominus ne faciam hanc rem Domino meo chriſto?* Domino, quia chriſtus Domini eſt. Cave ne tangas, quem unxit Deus, à quo poteſtas omnis deſcendit.

Non tangendi quia uncti à Deo.

Pulchrè hoc ipſum Vegetius libr. 2. cap. 5. *Imperatori cùm Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali Deo, fidelis eſt præſtanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. Deo enim priuatus vel militans ſervit, cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore.* Sanctus Cyprianus Epiſt. 3. ad Cornelium ſublimiùs hoc tractat. *Si Paulus,* inquit, *ita reveritus eſt Pontificem, qui tantum inane nomen & umbram Pontificis gerebat, quomodo reverendi ſunt Pontifices Catholici & Romani, quibus Sacerdotalis auctoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur?* An non qui movet adverſus Sacerdotem Chriſti Vicarium, non ſe jam Judicem Epiſcopi; ſed Dei facit? An non hos ſequitur à tergo pœna, Threnor. 4. verſ. 16. *Quia in Sacerdotibus faciem Domini non ſunt reveriti, diviſit eos ipſa facies Domini.* Hanc faciem Domini in impiiſſima facie Achab, perditiſſimi Principis reveritus magnus E-

Principes ſunt maximè colendi & præcipuè Catholici Eccleſiaſtici.

A lias; cujus vocem cœlum extimuit, at cum reverentia paruit.

An non hortatur Achab, ut currum aſcendat? *Iunge*, inquit, *currum tuum, & deſcende ne te occupet pluvia.*

Sic Elias etiam ſceleratum Achab honorat.

An non pueri inſtar, vel mancipii vel ſatellitis accinctis lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jeſrael; *manus enim facta eſt ſuper Eliam.* lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 46. Nota ut ipſe Deus conſpiret cum Elia in reverentiam ſceleratiſſimi Principis. Deus robur impertit Eliæ, ut poſſit decurrere fervidum iter præcepſque; & Elias animum & affectum Regi debitum ſolvit.

Tu ergo quicumque regis, cùm tibi Deus ſuum imperium demandarit, ſuas animas ſeipſo emptas oppignerârit, melius dixerim B famam & decus ſuum, ſuam gloriam, & ſpem, & partem ſuæ felicitatis commiſerit; contende omnibus nervis atque opibus animi; excuba noctes atque dies, atque hoc unicum cura, ut Deum imiteris. Pudeat te ferinam induere naturam, & agreſtes, barbaroſque circumferre ritus moreſque, qui Dei clementiſſimi perſonam circumfers.

Sentiant omnes rorem benigni vultus; tu ſentias voces populi congratulantis: Vivat Auguſtus multos annos; vivat, & de noſtris Deus multos augeat annos: gaudeant omnes, lætos ſe à vultu Principis diſceſſiſſe: nemo triſtis.

Principis eſt imitari mores Dei qui Deum in terris repræſentat.

Aſſideat triſtis cuſtos & præſes clementia, quæ, ſi quando neceſſitas compulerit, bono habitu incedens, præcidat quod lubricum C eſt; & extollat quod virtutis pretio dignum eſt laude.

Memineris te Deum in terris: Dei mores inſtrue, non tyranni, non imperioſi Domini, ſed qualem ſe Deus.

Epilogus hujus ratiocinii erit Ageſilaus apud Xenophontem. Ille plurima loca, quæ videbantur inexpugnabilia, ſuâ clementiâ expugnavit, & humanitatis ſinceræ blanditiis.

Clementia omnia expugnat ſic Ageſilaus.

Diſce qui regis corda ferrea, quæ nullo metu vinci poterant, igne clementiæ expugnari.

Fidus miniſter amicitiæ eſt amor: infidus ſatelles metus.

Facile is jugum ſubit, qui amat; facile eſt D amari, qui regnum clementiæ tenet. Non opus eſt philtro, ut ameris, amabilis eſto.

Et quid amabilius clemente? Para ergo proſperam tui famam, & memoriam clementiæ.

An non famæ cõtemptu virtutes contemnuntur? *Hæc ſit ſors beata Principum, ut præcipua rerum ad famam dirigant.*

Pulchro & brevi pronuntiato, ut Græci dicunt Κυρία δόξα circumſcribunt Chinenſes Regem & ſubditum. *Regem volunt vigilantem clementémque adverſus ſubditos: ſubditos verò Regi volunt præſtare tributariam reverentiam,*

tiam, & obedientiam, & invictam fidelitatem. A Ex hac conjugali virtutum societate nascitur in regni curatione jucundum miraculum, ut Mandarini, qui regni Præsides, regiâ libertate denuntiandis singulis etiam minimis utantur, & se auribus regiis (ut Cicero loquitur) inculcent; rex verò clementer audire, æquo animo accipere & ferre, etiamsi ad voluntatem non sint, quæ dicuntur, & verba omnibus modis animi & corporis devorare; bonam denique gratiam habere. Unde & Reipublicæ salus, dum liberè veritas & dicitur, & accipitur.

Mores gubernandi Chinensem populum.

Mandarinos enim justitiæ & felix gubernatio veritatis; regem verò, qui Rempubl. salvam cupit, sincera fides, & charitas suorum stimulat provocatque.

Admirabilis historia circa regem, & summum aúla Principem. Ambiguum, in quo plus laudis.

Hujus rarum exemplum dabitur lectori. Regis animum inusitata & rara Virginis species, à populis celebrata solicitabat: internuntiæ laudes cœlestis formæ, & tenor nitidi corporis decor vulneràrant pectus. Capitur ergo pervigil indomito igne.

Rex paret dicēti audit Princeps ac Dei verum dicere.

Victus ergo jubet ex longinquis terris adduci tanquam miraculum pulchri. Antecessoris par fortuna gravia mala in regnum invexerat. quid enim non mali parturit cœcus amor, & forma anceps mortalibus bonum? an non femina fax malorum? Unus ergo fidus Regi minister, cui supremum munus, & Colas vocatur, hoc negotium suscipit, & potestatem dicendi apud Regem obtinet. ubi tantâ vi rationum & verborum efficaciâ Regem perculit, ut actutum Rex Virginis dimissionem, ubi advenisset, polliceretur. At contra Mandarinus: Absit, ut admittatur in conspectum. admissa enim ad colloquium, mentem, & consilium eripiet.

Femina quippe videndo urit, & incantamentis, non veneficiis grassatur, inficit, subigitque.

Quare & ego Palatio non digrediar, nisi illa domo regiâ cesserit.

Fidelitas ministri adversus Regem secundâ, & plaudente aulâ causam obtinuit. Ex prima Parte Histor. Chinensis. David rex finiet hanc scenam, qui Reges Diis intersérit Psalm. 46. *Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sanctam Sedem suam. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terra vehementer elevati sunt.* Psalm. 46. Ubi Hieronymus vertit, *quoniam Dij scuta terra vehementer elevati sunt.* Et rectè congregati sunt cum Deo Abraham, quia sunt vice scutorum subditis, sicque illos secum adducent ad Deum, & ita Deus vehementer elevabitur.

David Rex Diis reges interserit.

Nota singula.

Pulchrè Chaldæus, *quia Domini sunt clypei terra.* Sicut Moyses Deuteronomii cap. 33. Deum appellat Scutum auxilii; sic Principes scuta Reipublicæ.

Quare & milites scutis ferebant suos Imperatores, & elevabant, tamquam nobilissimam summam Reipublicæ portionem.

B Optimè etiam vertit Aquila ὑπερασπισμοὺς propugnacula, quare & Septuaginta nominant κραταιοὺς potentes & inexpugnabiles. Perpetua vox Agesilai Sparthanorum Principis; Principem non mollitiâ, non deliciis Regem ceteris præstare; sed virtute. *Sit illi lex suprema clementia & fastidium voluptatis*, illo fastidio suam felicitatem metiatur.

Lex suprema sit Principi clementia.

Iterum atque iterum te Rectorem & Præsidem, qui Dei in terris vice fungeris, in cujus manu sors cujusque posita est, compello; sit tibi semper in procinctu clementia; cujusque animam, ut tuam, foveas: pro salute cujusque, & Reipublicæ non solum omnes C molestias, sed & ferrum excipias.

Magni Dei tibi ob oculos versetur exemplum, ut te talem exhibeas subditis, qualem te tibi Deum velles. *Placabilis Deus: & tu sis. exorabilis Deus: & tu sis.* Mite exercet imperium Deus, nec statim fulmine se vindicat: tu pariter mite, & in partem tui exerce imperium, cùm Respublica ex civibus, tanquam singulis membris constet, cujus tu es caput quicumque regis.

Quot periêre animæ allatrante ferociâ, non perituræ clementiâ! Sæpè illud Statii 11. Thebaid. animo revolve.

———— Evenit
Vt lætus fratri frater sub corde relinquat D
Ensem, ac ultrices animam conservet in iras.

§. XXII.

Efficax potentia Principis in suos.

INtuere efficacem Principis in subditos potestatem. Totus quantus est, transmittit Princeps se in subditos, qui Principum mores suis moribus exhibent. Manasses impiissimus in Judam suam transfudit impietatem, 2. Reg. 21. Neronis grassantis per urbem, & ad lupanaria servili veste discurrentis scelus ceteri Principes imitati. Invaluerat & luxus. Sic Tacitus & Suetonius; at præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus antiquo ipso cultu victuque luxuriam coërcuit, quæ etiam sub illo exolevit. Alexander Magnus pravâ consuetudine, & Alphonsus Rex à natura cervicem incurvabant: hos aulici exprimere tentârunt. Benè Paterculus *de Augusto Cæsare: Facere rectè Princeps optimus cives suos faciendo docet, cumq́; sit in Imperio maximus, exemplo est major.* Vitæ Principis interest populus, secreta perspicit. Qualis aulæ species sub Alberto, & Isabella magnis Principibus? an non dixisses Scholam Sapientiæ? lararium sanctitatis? penetrale ipsius castitatis? An non Belgæ, ut herbæ & nonnulli flores solem, ducem sequuntur? Sic Sanctissimorum Principum mores sunt æmulati. Verè aureum Theodorici Gothorum Regis apud Cassiodorum: *Facilius esse errare naturam, quàm dissimilem sui facere rempublicam. quod enim cor est in animali, hoc Princeps in regno. efficax per exempla institutio; plus enim creduntur oculis, quàm auribus; deinde quisque est proclivior ad cognoscendum bonum particulare, quàm universale.* Tardantem exercitum nivium montes ingredi perculit Alexander suo exemplo. Æstuabat exercitus Catonis per torrida & anhelantia Lybies arva ductus: ibat per steriles campos, & exusta mundi, quà raræ fontium undæ, & cuncta squalens serpentibus? An non desperationem cunctis ademit magni exemplum Ducis? an non incendit labantes virtute animos? Vide Ducem, & Catonem seipso majorem, quem non sequi, degeneris animi summum opprobrium. Primas arenas ingredi, primus gradus in pulvere, pericula cunctorum suo prætentare, nullo discrimine militem & ducem agere. Torreri ergo omnes igneâ Solis flammâ, calore solvi, incensis diebus aduri. Porrigit miles duci haustam galea ex vena maligna aquam. an ille libavit arente ore? Audi magnanimum virum.

Subditi sunt simiæ suorum regum.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Aula Alberti & Isabellæ Principum, sacrum penetrale.

Aureum acroama Principis Gothi.

Nobile dictum. Alexander & Cato totum exercitum impulerunt suo exemplo.

> ——————*Méne, inquit, deneger unum*
> *Miles in hac turba vacuum virtute putasti?*
> *Usque adeò mollis, primisque caloribus impar*
> *Sum visus? quanto tu pœnâ dignior istâ,*
> *Qui populo sitiente bibas? sic concitus, irâ*
> *Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.*

An non miraris, Lector, excussam undam omnibus suffecisse? & per contemptum sitis sitim exstinctam atque omnium arida ora diluta? Animosè ergo adversus omnia se extulit, dum cecinit:

> ——————*Sitis, ardor, arena,*
> *Dulcia virtuti. gaudet patientia duris*
> *Lætius est quoties magno sibi constat honestum.*

Quem non pudeat deliciari sub Principe astricti moris? quem scortari Imperatore Godefrido Bullonio, qui classico dato quotidie sub noctem arcebat aulâ omnes impudicos? Nullus locus Veneri sub Principe casto. Tanti est in una anima virtus Imperatoria, & Ducis exemplum. Alexander Severus fit instar omnium, qui solius rationis & humanarũ disciplinarum luce tantus evasit, ut omnibus retro Imperatoribus, & futuris facem virtutum prætulisse videri possit. Ex multis accipe pauca. Dignum se exhibuit, quem Senatus servaret, quem milites cuperent, quem omnium bonorum sententia Principem diceret; quem universus orbis, in virtutis æmulationem admirabundum sequeretur. A pueritia viris magnis, iisque doctissimis imbuendus traditus fuit. Nullum diem transire passus fuit quo se non & ad literas & militiam exerceret. Omnem fastum exosus se Dominum vocari vetuit. Cultus corporis vulgaris: aberat omne aurum, omnisq́; gemma; nec aliâ pompâ, venustas & statura militaris corporis egebat. Osor omnis adulationis solo Imperatorio nomine contentus, clariorque alienis nominibus repulsis, quàm si admisisset. Magnus Imperator à virtute animi nomen accipit.

Rara & admirabilis forma & exemplum vivax Principum.

Accipe formam instituti Imperii, & regulas suæ felicis gubernationis.

1. Omnes corruptos vitiatosque judices, & à muneribus suspectos amouit, & ordines omnes purgavit.

2. Palatium suum omnemque comitatum, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscænis, & infamibus castigavit.

3. Tineas Reipub. profligavit, & jurejurando astrinxit, ne quem adscriptum, id est, vacatium haberet, quos vocant Hispani *Entretenidos*, ne annonis Rempublicam gravaret; dicens malum Pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus Provincialium homines non necessarios, nec Reipub. utiles pasceret.

4. Fures nusquam passus consistere: unde si furem judicem habuisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum effoderet, & ita vultu inardesceret ut nihil loqui posset.

5. Negotia & causas priùs à sarciniorum Principibus, & doctissimis Jurisperitis, quorum primus fuit Ulpianus, tractari jussit, deinde ad se referri.

6. Omnibus se blandum & affabilem præbebat, & mirificè gaudebat sibi ab omnibus omnia

omnia liberè dici quæ sentirent, & quùm di- A ctum esset, audiret: & cùm audisset, ita ut res poscebat, emendaret atque corrigeret, idque sine fastu, sine animi amaritudine.

Totus orbis & Roma caput orbis unum Alexandrum amabat suspirabatque. Provinciales ut Deum, militis juvenem Imperatorem, ut fratrem, ut filium, ut parentem colebant. Quicumque ergo videbant Alexandri exercitum, Romanam Rempubl. videbant. Quanti est, Principis curare Remp. ut unicam suam animam! quanti est, Reges rerum publicarum satagere, & oculis censoriis judicis partes præsumere; sæpè causæ summæ cognitionem sibi adsciscere! Nunc exclamare cogor: Quàm multi bonis exuuntur tumultuariâ causæ cognitione! & patrimo- B nia subhastantur, dum Principes nil minus agunt, quàm Principem! Felix Respubl. ubi Princeps non gynecæo clausus, non voluptatibus marcescens, non venationum retibus implicitus, vitam inglorius consumit. Rex ergo Chinensium dum recognoscit statum Imperii, turbis reos comitantibus occurrit, substititque rhedâ inhibitâ.

Forma Regis Chinensium suum vastissimum Imperium recognoscendi.

Ubi ergo Reum criminum invidiâ laborare & penitus oppressum intellexit, illacrymans ingemuit. Regiis lacrymis detergendis Palatinus accurrit. Hoc, inquit, in solatio sit, in regno exercendas leges jurisdictione commendabili; vitia suppliciis castiganda, & exempla in criminosos edenda, C nec aliter expiari scelera posse.

Scio, inquit Rex, Rempubl. timore & amore fundari: bonos amore & spe præmiorum trahi, regique; improbos metu suppliciorum coërceri.

Nobilissima tanti Regis Oratio.

Scio panem, quo vescimur ad vitæ usum non usque adeò necessarium, qui tamen est, quàm pœnarum & mortis terror. Causam lacrymarum felicitas prioris ætatis extorsit, quando vita & mores Principum præscribebant populis leges vivendi sine legibus, & verba, & oratio in leges transmittebantur. *Felix ævum, quo Rex volens honestâ, & eadem populus volebat. Magnificum & ingens, quod nulla rapiet dies, est vita justi Principis. Vita Princi-* D *pis, orbis auriga, frænum, & lex firma stabilisq;.* Priscorum ergo temporum desiderio flagrans mea deploro, quibus ea felicitas non obvenit. Stupeant Christiani Reges, fidei quidem cœlestis dono feliciores, at virtutis moralis disciplina utinam non inferiores! Ex historia P. Samedes, qui plurimos *annos in regno Chinensi* spectator, & inquilinus vixit, clementiæ favonio revocata sanctitas, & quia strictâ erat moris omnis proscripta. at quia tardiùs vulnera curantur quàm inferantur & tardè magna proveniunt, arduum fuit juveni Imperatori, collapsam Principum inertiâ disciplinam revocare.

Sententia admirabilis.

Aut sub hoc Principe prodiga luxuria.

§. XXIII.

Deus vult suos Reges & Rectores veros Patres esse, & nominari.

DIximus Reges Deos ad imitationem magni Dei, volumus & Patres esse ad imitationem Dei, qui est communis omnium Pater. Hoc nomen Patris omnis antiquitas, sicut & patrium nomen & patriam curam Principibus indidit *luce naturæ*. Teste enim Plutarcho τιμωτέραν προσηγορίαν appellationem honoratiorem non invenit, quâ regiam dignitatem condecoraret.

Rex, & omnis Rector, ut sit qualem natura poscit necesse est Patrem induat.

Sicut enim patris summa est in liberos tanquam in partem sui præcipua, & intimè proxima cura; Pater enim & Filius pro una persona computantur. Patris ergo unus amor & cura in Filio versatur; Patris justimus motus est Filius, quem cùm humeris fert, timet oneri, minus sibi.

Pater Filio quiescenti laborat. Pater amore stimulante crebrò filii sui nudum dissuaviatur osculis pectus. An non Pater originis sui filii dormientis præcordia osculatur fusis ad Deum præ gaudio lacrymis, quot tale tantumque pignus cœlo misisset.

Omnis in origine cari stat cura parentis. Filius Patri in corde, filius in ore, filius amantis deliciæ Patris.

Has Patris proprietates volo regnare in corde Principis: volo Rempubl. unam Principis curam, unum metum, unicos amores, deliciasque. Volo ut illam humeris ferat; huic intentus, non sibi laboret, pro illa excubet, & vigilias sibi decernat, quo tuta & inconcussa stare possit.

Justus ergo & generosus metus Principis sit, timere subdito, ne lædatur se ignaro. Sicut canes in stabulo excubant, & laborant cùm feram trucem audierunt, non pro se, sed pro ovibus, quas custodiunt, ut ait Plutarchus ad Principem indoctum.

Vt canes ovibus vigilant, sic Reges veri, suis subditis.

Eo animo Justinianus, Magnus ille Princeps, suscepit Imperium, vera & viva forma veri Principis, quamdiu se finibus Principis clausit, attenuavit se vigiliis, jejuniis, & laboribus succūbente corporis robore: exhausit se, ut exhaustas Imperii vires accisasque repararet. Patrem se gessit, Rempublicam humeris inclinatam ferens. Et quantâ felicitate? Persas insolentes pressit, Africam, Wandalicis armis ablatam, sibi vendicavit, & Italiam, Dominamque Romam suo junxit Imperio.

Iustinianus veri Principis imago.

Patrem egit, & Rempublicam ut unicum suum patrimonium curavit.

Sicut

Sicut ergo proprium patri est, servare filium, quem & sibi superstitem optat, vovetque; sic & proprium veri Principis, Rectorisque, servare suos, & redimere illorum salutem suâ. Non sine causa justissima, Roma libera, & ab imminenti suis cervicibus servitute à Cicerone vindicata, Ciceronem *Patrem Patriæ libera dixit.* An non & Octavium, teste Floro libri 4. ultimo cap. ob ingentia facta Pater Patriæ dictus? Hujusmodi Principes & alio titulo Sanctiori, reverentioreque auctos vellem; Augusti scilicet nomine, ut dum colunt terras, ipso titulo & nomine consecrentur, non quòd eo nomine potestatem augerent; sed quòd dignitatis splendorem illustrarent. Sicut loca sacra illustramus dum vocamus Augusta, sic Principes veros, sacros, & Augustos Patres vocamus. Placet ergo vocari Rectores Reipubl. & Principes Augustos Patres, tamquam jam consecratos, & auspiciis divinis Reipublicæ designatos. Cetera nomina blandiuntur auribus, & plurimum trahunt secùm adulationis. Sic nomen Dictaturæ idem Augustus tamquam superbum dejectâ ab humeris togâ, genu nixus, nudo pectore deprecatus est, quamvis populus magna vi offerret ardenter. Sic Suetonius, Paterculus, & alii. Jactentur alii famosi tituli, felices, immortales, divi, invicti, triumphatores, & quidquid ambitiosa potest adulatio fabricare, congeratur in laudes: nullius nominis honos nec gloriosior, nec dulcior, nec durabilior, quam augustum nomen Patris. Patrem vocari Patriæ, & esse tantum, ut possit triumphos contemnere. An non omnibus triumphis major Alexandri Severi Imper. triumphus, qui non curru triumphali, sed humeris Romanorum ad Capitolium deportatus cum titulo Patris Patriæ? Quàm jucunda, quàm divina successio? Quid est esse Patrem Patriæ, quàm induisse affectum & amores Patris in Rempubl. quasi in filium? Hunc affectum Patris depingit Seneca in Hippolyto:

Cicero Pater Patriæ dictus.

Cur Reges Augusti dicantur.

Patris Augusti nomen est gloriosissimum.

> ——— *O nimiùm potens,*
> *Quanto parentes sanguinis vinclo tenes*
> *Natura! quàm te colimus inviti quoque!*
> *Occidere volui noxium, amissum fleo.*

Et Virgilius 2. Æneid.

> *Ergo age chare Pater, cervici imponere nostra,*
> *Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit*
> *Quo rescumque cadet, unum & commune periclum*
> *Vna salus ambobus erit.*

Ardentissimus sanè est amor Patris in suam ex se natam factionem. Ejusmodi volo amorem Principis in Rempub. Dixi parum: flagrantiorem volo. ô rarum Phœnicem! quis inveniet Principem parem? ubi hujusmodi Rectores, qui non se, sed suos

A subditos, ut ita dicam, depereant.? Rara avis. Talis fuit orbis Pater & sator Deus, qui se neglecto, vitam dedit suam. Non capit hos magnos motus humilis tecti plebeia domus, circa magnos animos Deoque charos hic amor tonans regnat. In Bruto hic amor Patriæ intonuit, stratusque cessit amor filiorum.

Rara avis ut Rectores non se, sed suos diligât.

An non pro pulchra libertate spectante Patre juvenes & Patriæ decora alligantur palo? & Pater alligatos percuti securi jubet? an non amori Patriæ clade domus suæ & parricidio velificatus est? an non publicus parens, ne Patria à filiis proderetur tyranno Tarquinio, in locum liberorum populum Romanum adoptavit? Vicit amor Patriæ & B Patrem. Sic & Agamemnon victus succubuit amori Patriæ.

Amor Patriæ vincit amorem parentum.

An non exundantes fortiter compressit affectus, & spem sui sanguinis filiam Iphigeniam in victimam dedit?

> *Sanguine* (inquit Virgilius) *placastis ventos,*
> *& Virgine cæsa.*

Et Jephte Princeps victoriâ clarus, fatali filiæ occursu attonitus, ut voto se solveret, filiam in totius populi salutem dedicavit. Virtus parricidium nobilitavit, & facinus intra gloriam fuit.

O quale duellum, & conflictus amorum Patris & Patriæ! anceps & pulchra contentio, hinc & inde certantibus argumentis.

An non exitu mirabilis, clarusque triumC phus Patriæ cessit? Stupendum theatrum, in quo Pater Sacerdos; & filia deditione voluntaria hostia! *Iudith.cap.11.*

Hoc est esse Principem, & urbium rectorem, privatis anteponere publica, & communem quietem suæ. De omnibus, ut filiis, benè mereri: *Sciant omnes te tam supra se esse, quàm pro se: supra se tanquam imago & exemplar Dei: per se tanquam pater, tanquam nutritius, tanquam amator generis humani, non solum ut præsit; sed magis ut prosit.* Arctum vinculum contexuit natura inter patrem & filium, ut præclarè Aristotel. lib. 8. Ethicor. cap. 14. *communes liberi* σύνδεσμος *vinculi*, inquit, *cujusdam instar obtinent inter eos, qui genuerunt: at arctiùs poscit ratio, & ipsa natura* D *regni inter Principem & Rempubl. arctiora sunt quippe vincula, & strictior societas membrorum in uno corpore, quàm in diversis.*

Sententia digna rege & Rectore.

Arctissimũ vinculum inter Principem & Rempub.

Cùm itaque Respublica unum corpus constituat, in quo regia Majestas caput, venter immunis operum Senatus, at consiliis potens; ceteri artus reliqui quique cives muneribus obeundis designati: arctior, strictiorque societas & conjunctior consurgit inter Rempubl. & Principem, quàm sit patris cum filio.

Quemadmodum ergo pater ut filios variæ indolis formet, varius est industriâ & ingenio, nunc ardentior ut vitia exscindat; nunc religiosior, ut metu Dei ferocia adolescen-

adolescentiæ mitigetur; nunc artifex disciplinæ, ut ratione virtutem acuat; nunc Imperator, ut ornamenta, & insignia præmia benè militantibus proponens ad ardua lacessat.

Generatim atque universè dixero, omnem personam induit ut sibi superstites creet suæ virtutis hæredes.

Absolutiorem volo regentem ut Rempub. formet, illustret atque feliciter. Sicut anima copulata corpori præest, illud animat, vegetat, & pulchritudinem confert; at illâ absente quid illud? nisi informe cadaver & horridus truncus? Sic Principis est, se Reipublicæ infundere. *Præclara vox Adriani Imp. se itaque Rempubl. gesturum, ut sciret rem populi esse, non suam.* Benè quidem. at quo pacto hanc sponsionem probabit? Si populus certatim ad Principem advolet, tanquam ad beneficum sidus, & beneficum Patrem. Deinde cùm fortuna Principis amicitiis indigeat, præcipuus labor & opus sit amicos parare; tot sibi pepererit filios, quot amicos. An non amici firmissima Imperii munimenta? an non amicitiâ vacillante titubat Imperium? An non Solem ex mundo, si amicitiam sustuleris? *Securior Rex vallatus amicis, quàm armatis legionibus.* Quid jucundius Regi, quàm inexpugnabilem rebus inclinatis sentire fidem suorum? & ut Silius Italic. lib. 11. belli Punici,

Nobilis vox Adriani Imperatoris.

Quod munimentum Regum stabilius.

> *Dum trepidæ res sunt, medicinam & vulnera poscunt,*
> *Is locus officio, cùm cessant prospera, cumq;*
> *Dura ad opem fortuna vocat.*

Sic amari longè jucundissimum, nec minus amare. Pulchrè expensi & accepti ratio inter Principem & Rectorem, & Pastorem populorum conveniet, si hæc sonant, *Tu me amas, ego te amo*; meritò id uterque existimat. Hæc qui habent, gaudent; gaudeant perpetuò suo semper bono. Diligi ergo & diligere cùm Filio & Patri sit honestissimum, & naturale; tota tamen gloria Patris & Principis est, quo Superior factus deludet in officia amoris: magis tamen elucet hæc gloria in Principe & Rectore, qui non solum amici partes; sed & officiosissimi amici explet fidissimos amores. O felix Respublica tali Principe, in cujus plausus tota theatra sonant! vide ut partes agat utriusque. Verus amicus nunquam est occupatus amico operam dare. Talem se exhibuit. Trajanus, *ut omnibus Principibus, veri Principatus leges, & Paternæ charitatis modum expresserit. Domi sanctitas vigebat: in armis fortitudo; utrobique prudentia: boni publici, & juris summus Custos. Eo virtutes temperamento miscuit, ut ambiguum esset utrum Pater, an Imperator vocandus foret. Quare & Pater Patriæ dictus.*

Trajanus Verus Pater & Imperator Reipub. Ergo unica imago veri Principis.

Augustus Cæsar tantus cùm esset ut triumphos contemneret, ita se Reipubl. induerat, ut diduci alterum non posset sine utriusque pernicie. Ipse erat animus, illa corpus. Tutorem agebat status, ut animus corporis. Agit partes amici; nam, ut verus Proverbium est, *Communia esse amicorum inter se omnia.* Sic Constantius, pater Magni Constantini, cùm Diocletianus coargueret inopiæ, cùm tamen Cæsar esset; respondit, sui Imperii opes & populorum suas esse divitias. Quod ipsum re comprobavit, exiguo enim pòst intervallo totius Galliæ divitias & opulentiam curribus & vehiculis onustis ostentavit, & privatas publicas esse duxit. Stupuit attonitus Diocletianus tot opes exiguo spatio congestas. Tantæ potentiæ est amari à subditis. Amor facit omnia communia. Gaudebat populus occasionem dari, & amorem, muneribus benefacta Constantii cumulandi. Non fastidierunt Principis preces. Puduisset non fecisse, quem non piguit instar Patris populis sibi amicissimis bene fecisse. O pulchram, & gloriosam querimoniæ confutationem! Magnificentiæ regia dona ut magnificè collata, ita & majori virtutis admiratione restituta. *Mea*, inquit, *opes, sunt opes Galliæ: meus census & Patrimonium arrepto Imperio, meum est, quod fortunatus amor meum fecit. Uno tamen felicior*, inquit, *sum, quod lever ærarij fastidiosâ custodiâ.* Partes Patris agit cùm nobilissimo Patris officio defungitur. Pater in liberos probos, piosque omnes habenas laxat amoris: vult diligi, non timeri. Pater Filium flectit obsequiis, lenibus increpationibus; si inflexibilis, minacibus verbis: si obstinatior; ad ultimum verberibus, si impatiens & contumax jugum excutiat, rebus desperatis, tandem familiâ erasum exhæredat. Vide ut ad primam offensam filium non exhæredet, filium paterno corde non proscribat, non familiâ ejiciat, non notam inurat, non inhabilem ad officia reddat, clam coarguat, palàm laudet, panchresta & optima medicamenta adhibeat. Pretium industriæ est curatio. *Magna*, inquit Cicero pro Roscio Comœdo, *vitia & peccata oportet esse, quibus Pater incensus potuerit filium ex animo inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem penitus ejiceret ex animo, ut denique patrem se esse obliviscatur.* Tardè sibi membra abscindit, & abscindendo gemit, & priusquam attentet, cunctatur diu, & omnia extrema experitur, & ut ille impiissimus, qui primis quinque annis optimus exclamavit: *Utinam litteras nescirem!* cum instaret Burrus Præfectus ut scriberet in quos Nero animadverti vellet, & invitus invito traderet: sic & exclamat Pater, *Utinam litteras nescirem!* Hoc est dare locum puro & sincero amori: hoc pacto vitia permista regno paternè & prudenter exstirpanda. An non vitia capessent libertatem, nisi frænentur? Planè. Si Justitia proinde exercenda, si statuenda supplicia, publicet suam fortunam & clementiam, quod invitus ad supplicia accedat, placidè suam potentiam exerceat, nihil

Nobile factũ Constantii Cæsaris & Patris Constantini Magni.

Paucorum supplicio sit rex contentus.

nihil efferum præ se ferat, verùm ad meliora inclinatus agat Judicem. Deinde paucorum sit suppliciis contentus. Frequens vindicta & regia crudelitas transmittitur in posteros, & in singulorum locum succedunt amici, & velut à Lernæ capite reciso tamquam seminario hæredes sanguinis infensi renascuntur, & fœcundiores repullulant. Meminerit omnis, qui regit, antiqui acroamatis: *Nullus parvus hostis*. Paternum animum Tiberij Cæsaris in turbam militarem mirabetis, quam Paterculus expressit. *Per omne belli Pannonici tempus nemo è militibus cujuscumque gradus imbecillus fuit, cujus salus & valetudo non ita sustêtaretur Cæsaris curâ, tamquam huic uni vacaret; districtissimus tantâ operum mole erat desiderantibus paratum vehiculum, lectica ejus publicata, &c. nullius non succurrit valetudini.* Audi Dionem de Trajano, de quo & Suidas. *Princeps in prælio multos vulneratos curabat. Cùm autem fascia & velamina deficerent, nec sua pepercit vesti, sed eam totam in ligamenta & fomenta discidit.* O mirabile factum! nec altius ire potest. Idem facinus ediderat in exemplum femina, magni Germanici magna conjux, Agrippina scilicet, teste Tacito. *Femina*, inquit, *ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusq; ut quis inops, aut saucius vestem & formata dilargita est.* Hujusmodi volo Principes in suos. Vulnera suorum curent. Quod si absque vulnere curari non possint, mollissimo genere pœnæ sint contenti, & quocumque venerint, omnia faciant mansuetiora. Meminerint nullum animal homine morosius, nec majori arte tractandum. Si bestias perpetuis aculeis irritâris, an non in contumaciam prosiliunt? an non animus hominis ad libertatẽ natus, continuâ trepedatione contenditur, & tandem frænum excutit, si durius imperâris? An non jumenta continuis verberibus lacessita coguntur jugum detrectare, nec ferre sessorem suum? An homines ferent? Quid animi viro, cui multum terroris, nihil spei relictum? an non alienâ manu utetur? an non omnia suadet desperatio experiri atque tentare? Volenti mori, quid arduum? quare non solum liberis, sed etiam mancipijs ex ratione imperandum. Memineris ingenuos tibi datos in tutelam, non in servitutem. Cur tibi est credita salus tuorum? an ut morbum exasperes? cur non molli uteris curatione? Multa supplicia haud gloriosa Principi, sed multorum salus cùm servare potuerunt. Placido Præsidi fida sunt sua auxilia, quibus ad suorum salutem utitur. Quàm decorum sit sidus clementia, natura ipsa sagax edocuit. An non Regem apum sine telo inauguratam est? Medius ille suarum legionum, & illustribus notis fulgentior incedit, ut sol medius Planetarum, solâ Majestate verendus. Mirum dictu; in pugnacissima gente, irarúque fervida inermem regem, ad cujus nutum signa moventur & castra. Tu, qui regnas, imitare naturę documentum, detrahe tibi tela furoris, moderare animo ira-

Admirabilis cura Tiberij Imperatoris in quemlibet militem.

Admirabilior Trajani.

His par Agrippine Germanici Conjux.

Rex Apum sine telo.

A que; sufficiat pepercisse cùm possis, aut saltem mitiori pœnâ castigasse. Memineris regulæ: *Vis amari ama & amabilis esto.* Securitas securitate mutuâ paciscenda. Nihil securum, ubi nihil à Rege securum, vel Regente. Facilius parerur Patri: facilius parerur remissiùs imperanti: contumax enim hominis animus, & in contrariũ nititur exteriùs pressus. Tactu blando ducitur, & sequitur more generosorum equorum, qui plausibus potius, quàm calcaribus se duci patiuntur. Nobile acroama Plutarchi: *Regum est metuere suis: tyranni, suos*, quorum potentia ut crescit, crescit & metus. Imitabitur Rex naturam summi Dei, qui se vult patrem vocari, & homines à se creatos filios, qui magno supplicio jubet se amari, non serviliter timeri. Clamat Deus, *Dilige*. clamat
B Pater, *Diligar*. Clamet Rex & Præses, *Mihi sufficit amari*. Uno ergo & eodem circulo claudamus hanc triadem, cujus fundamentum & coronis sit Amor.

Regula Sapientia amabilis: vis amari, ama.

Animus hominis est contumax, duci, non impelli vult.

Nobile acroama.

§. XXIV.

Quibus artibus Princeps clemens errores & vitia castigabit, atque prudenter exscindet?

PRiusquam ad propositam thesim accedamus, paucula judicavi præponẽda. Quem-
C admodum *animus est dux atque Imperator vitæ mortalium & rector generis humani*, ut ait Salustius in Iugurtha, cujus imperio, quasi ad sonitum tubæ, omnia peraguntur; à quo virtutes & vitia profluunt, & in obvios contagione quadam dimanant: sic à Principe, qui est anima Reipublicæ, cùm sit in summo fastigio collocatus, & ceteris omnibus pręmineat, longè lateq; spargitur in subditos aut lux virtutũ, si sit pręclarè virtutibus ornatus, aut vitiorũ fœda caligo, si fuerit illis enutritus. Magnũ ergo aurigã dixerim animũ Principis, qui totã Remp. Solis instar, qui suis equis cœlũ obit, atque perlustrat, si rationem & prudentiam magistram & dictatricem audierit. An non
D Phaëtontis instar totam Rempubl. flammis vitiorum incendet, ut ille cœlum & se incendiis, & ruinis involvit, si cupiditatum & libidinũ indomitis equis se patiatur auferri? Pulchram imaginem Philo Judæus proponit. *In anima*, inquit, *nostra equi sunt, auriga, & assessor: equi duo, irascens & concupiscens: ille velut mas, hic femina: ille gestiens solutus & liber esse vult: hic servilis, humilis, vafritie gaudens domi desidet, & pascitur & pascit, devoratq;: auriga autem animus, si rationem audierit: si non audierit, ascensor est sive ἀναβάτης.* Aptè sanè. Rector itaque, qui nobilis aurigæ dignus nominer, obustâ, & artis plenâ dextrâ suos equos indomitos coërcebit,

Animus Principis magnus auriga.

Pulchra doctrina Philonis circa animi apparatum.

coercebit, & salutaris fræno prudentiæ Rempubl. regens beatam, felicemq; efficiet: sin minus, per præceps abreptus, se suosq; perdet, & evertet: non enim ascensoris imperium patitur equus indomitus, fertur enim volatque, nec audit currus habenas. Conscensurus ergo currum sui Imperij, necesse est ut habeat, quantum fieri potest, irrationales, animales, & beluinas animæ partes in sua potestate: quarum una bellatrix, ambitiosa, impotens, posita in affectionibus: altera humilis, languida, marcida, & voluptuaria, quarum impetus tanto perniciosior, quanto in summa potestate liberior, & suo contactu nocentior. Cùm itaque in vitam Principis, vel cujusvis Regentis sint omnium oculi conjecti, nec virtutes, nec vitia latere diu possunt. Quis enim celârit ignem, qui lumine suo proditur? Ingens ignis flamma libidinis, ingens est incendium ira præfervida. An non utraque pestis pulcherrima regna, multo sanguine, & avorum ingentibus curis parta, subitò depopulatur? Maxima servitus Imperantium, ut omnium subeant censuram, *ut cùm omnia possint, minimum tamen illis liceat*. Paucis hoc absolvit Salustius. *In maxima fortuna, minima licentia*. Curiosum hominum genus in vitam Principum, incuriosum in suam. Quis negarit, ex sententia Solonis, *non esse bellam arcem Principatum, sed descensum non habere? arcem scil. virtutum, nec descensum ad vitia*. Verè & benè dixit esse arcem, vel alteram Pharum; quæ omnium pateat oculis. Rumor dicta & facta excipit, loqui non possunt, quin omnes ad vocem intendant. Prodeunt? incessus, motus, & habitus corporis observantur. Morem iræ gerit? terrentur omnes, & more ferarum diffugiunt ad tumultus tonitru. Vulgi est procurrere in iras; sævire vocibus ignobilis populi; at Rectori nec vociferatio quidem est ex majestate, quem & intemperantia verbi dedecorat. Omnes Principis animum, tanquam rem magnam & sacram, & cælo demissam, quasi divinitatis capacem venerantur, qua in ceteros dominari possit. Aberrare itaque à fortuna sua non potest à qua obsidetur, & Principem sequitur magno apparatu. Magna proinde incubat necessitas imperantibus suam fortunam tuendi, quam sortiti sunt. Hoc sub nomine Theodosij Magni, ad filium Honorium pulchrè docet Claudianus:

Duplicis ordinis passiones indomita.

Maxima & pulchra regna convellit passio ingens.

Regi parùm licet, etsi omnia possit.

In Regis vita omnia librantur.

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palàm, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis: nam lux altißima fati
Occultum nihil esse sinit.

Benè & Juvenalis:

——— *Secretum divitis ullum*
Esse putas? taceant homines, jumenta loquentur.

Quare iterum atq; iterum moneo, salutem, & naufragium orbis, & urbium, & locorum sacrorum à vita regentis pendere. Transcribuntur in leges virtutes & vitia Principum. *Minus edicta valent, quàm vita regentis. Plus nominis horror. Quàm tuus illius ensis aget*, ait Claudianus. Princeps foris simulacrum Dei: domi virtutis. Pulchrè ad Trajanum Plinius: *Pulchrum, quod te ab omni contagione reprimis, ac revocas, sed magnificentius, quod tuos*. Quot mala non vidit nostra ætas! penetralia virtutum, meretricum latibula. Meminerit Princeps se domi forisque patere. Nævum populi in Principe, & formoso corpore despiciũt, quos ipsos fœda scabies depascit. *Magnum tonitru vita sancta, & inculpata Principis.*

Vita Principis omnibus armis, & edictis potentior.

Vita regit non verba.

Quanti momenti sit, Regi consociari conjugem sapientem, & sanctè educatam, docent historiæ, quæ eventibus varijs claræ, & naufragijs magnorum Principum formidabiles, & posteritati sunt metuendæ. Quid enim est Imperatrix, vel Regina, nisi regni, consiliorum, & fortunæ socia, in cujus animo, fronte, vultu, & vita, totus maritus, quantus est, legitur, & seipsum eloquitur? Utriusque enim est eadem sors, quamcumque dederit fortuna. Mithridatis Regis fortunam vacillantem conjux comes sui mariti solata est. *Tu*, inquit, *exilium, calamitatem, & res desolatas temperas amore maritali, nihil; mihi durum te sociâ*. In exitium sui Magnus Justinianus sociam habuit, cui etiam occultè venenum per illecebras inspiravit. Augustus Cæsar consilijs suæ Liviæ præclara perfecit. Theodosius Junior, unâ & eâdem conjuge felix, & infelix: hos vehementer se amantes, malum amantium symbolum, in odia vertit. Tanti est anima conjugis sapientis. Non sine causa, claro apparatu apud Christianos solet inaugurari Regina. Metropolitanus, assistentibus alijs Prælatis hoc acroama dignum auditu prælegit: *Omnibus*, inquit, *te adeuntibus, benignam, mansuetam, atque affabilem pro regnali tua dignitate te præbebis, & ita te geres, ut non ad tuam, sed ad totius populi utilitatem Regina videaris. Viduas*, pupillos, *pauperes, ac debiles ab omni oppreßione defendes*. His sic prolatis respondet Regina: *Ego N. annuente Deo, Regina profiteor, & promitto coram Deo & Angelis, populo mihi subiecto posse, & nosse, benefacere & servire*. Sicut ergo Regis pulcherrimum diadema est affabilis clementia: sic & Reginæ, cujus sexus ad omnem modestiam, & blandam benignitatis indolem solet esse inclinatior. Hac clementiâ Placilla, prima Theodosij senioris uxor, pietatis columna, virtutes sui mariti velut solaribus radijs irradiavit. Quantum lucis spargitur ab altis fastigijs in populum! quam avidè bibit vulgus Regis Reginæque suæ mores, quos in leges sibi transcribit! vita illorum est illis forma vivendi, dum exhibent se simulachra veræ virtutis.

§. XXVII.

Domus cum apparatu.

DEinde ejusmodi sit apparatus domesticus, ut cedat in gloriam, & decus. Pudeat Christianos Principes dare locum in hortis & penetralibus picturis, statuisque infamibus; pudeat alienos, & suos pascere, & violare oculos impuris spectaculis.

Procul hinc, procul este prophani.

Decet Principem magis pudorem gerere, quàm purpuram. Sit dos prima regiæ domus, Pudicitia & pudor.

Nil dictu fœdum, visuq; hæc limina tangat.

Quis aulam castissimam Sapientissimi Principis Alberti Austriaci, Belgarum Principis, sat dignis laudibus, & titulis coronabit? Tantus Princeps æquabat animos Henricis, Ludovicis, & alijs S. poteratq; cum illis certare: nihil lascivi penetravit hoc musæum pudoris. Clausa lascivis oculis libertas, & volenti spectari repagulis sublata potestas. Tanta cura pudoris. Capitale erat literas amatorias submittere. Perijt, & collapsa gloria Belgarũ cum tanto Duce. An Princeps impudicus potest sperare Deum propitium sibi? errat: tonabit Deus in hujusmodi regna. Quid miser toto accersis orbe, quo gens quæq; perit? cur pudor aulâ cessit, & mores prisci? vis diu regnare regna castè. Viva, eaq, potentissima lex, & regula universi est vita Principis. Minus est opus imperio, quàm exemplo. Quod terror non poterit efficere, reverentia faciet. Perrũpit amor quod nõ aurum, ferrumq;. Quid ita? Vita Principis est surda & continua lima, perpetua censura: ad hanc volẽtes ducimur, dirigimurq;, & nolentes vi tacitâ trahimur. Quis feret in suo formoso vultu fœdam scabiẽ vel nævũ? nemo consulto speculo non deterget, curabitq;. Quotidiano exẽplo Principis velut in speculo videtur, & corriguntur vitia subditorũ. Universus orbis solis luce, sic & Principis moribus omnes vivunt mortales vel intereunt. Quid castius aulâ Ernesti fratris nostri Principis Alberti, in quâ nulla femina intravit? & quales tũ virtute, & modestiâ Palatini? Ducis Godefridi Bullonij quàm castũ palatiũ! sonitu buccinæ vetabatur impudico nocturnum domicilium. Unus Henrici VIII. libido florentissimam evertit Angliam, religionem stravit, sanctam tot Regibus terram violavit, & quidquid est malorũ, invexit. Et quid mali non vidit nostra ætas in Anglia? pietas, fides, pudicitia prostituta jacet. Hanc artem exscindendi vitia felicissimè usurpavit. Theodosius magnus, ut Acasta ad Theodos. *Vitiis corrigendis animum adjecisti, idq; moderatè, ut suadere potiùs honesta, quã cogere videreris.* Imperata correctio homines exasperat: exemplo blandissimè jubetur. Videbis & feras blando attactu ponere ferociam, & iras submitterere. Vides & ipsam barbariem obsequiis flecti, nisi omnem hominem exuerit. Opus est mirabili temperamẽto, ut virtus profligata regnãtibus inducatur vitijs: tam crudele est omni-

Laus Alberti Austriaci Principis Belgarum.

Vita Principis est maximum opus.

Aula Ernesti Principis itẽ Bullonij, castissima.

Imperata correctio asperat.

A bus ignoscere, quàm nulli: magnæ artis, sanabilia à desperatis secernere: multis regressus dari debet aut potest ad innocentiam: paucis incidendum iter nequitiæ currentibus. Tu Princeps sap. es, exorabilem te præbe ijs, quibus innata bona indoles, & ingenuus pudor. An non morbis medemur, & non irascimur? non citò projecit spem peritus Medicus, malus verò citò desperat. Quare quidam blanditiis, alij præmijs, nonnulli dissimulatione sceleris, & silentio curantur, quos exprobratio in contumaciã propelleret, quę forma potissima generosos curandi. Sunt & alij modi, & formæ curationum. Quosdam molli curatione deceperis, multos pollicitationibus ad sanitatem reduxeris. Roma sub Trajano seipsam

B mirata est, nec credebat se esse qualem se mirabatur. Tanti est anima boni Principis, cui omnium salus credita. Nobile genus expugnationis est, immeritum beneficijs obruere, & qui se proximum periculo fecerat, reddere securitati. Summum decus clementiæ, sic curare vulnera, ut nec sit locus cicatrici; sin verò latiùs pateat, quàm obduci possit, sit cicatricis honestæ summa cura. Talis Princeps orbis amor incomprehensibilis.

Tyrannus Vrbis & domus sua curam gessit.

§. XXVIII.

Curatio inveteratorum malorum.

C ARduum opus, & ingentis consilij, inveterata vitia tollere. Meo judicio hic ordo servandus. Duplex est ordo malorum inveteratorum. Primus eorum, quæ altum radicata, periculosa, laboranti Reipub. infesta, nec casura, nisi magnam ruinam secum traxerint. Alter verò, quorũ radix alta, & affectata, quæ sine gravi quidem vulnere tolli, sed non absq; difficultate possunt. Ingẽs Principi lucta cum vitijs adultis, & ævo validis. Quercus annis & mole suâ stat terrę per spatiosas radices cohærens, non tonitru, nõ fulmine quamvis lædatur, eradicari potest. Morborum nonnulla sunt genera quæ nec manũ Medicam, nec artem Machaonis admittunt, nec rescindi, nisi periculosè membra possunt. Sunt & equi in-

D domabiles, qui sessorem non patiuntur, in generosam indolem tamen nati. Longâ arte, & consilio, & patientiâ, prudentiq; dissimulatione evincendũ, quod in naturam inolevit, evaluitq;. Expugnare quod in consuetudinis vim transijt, divini propè est operis. Summi ducis est, aciem inclinatam, & milites abjectis armis fugæ proximos restituere, prensare fugientes, confirmare, per totum agmen manibus, oculis, clamore volitare, & hâc arte victoriam hostibus ovantibus extorquere: summi gubernatoris, fluctibus decumanis, & intonantibus undis navem vacillantem invehere, & mari furenti leges dare: maximum omnium operum, inveterata mala, eaque licenter grassantia solerti consilio lentè tollere; altæ mentis artibus, & regio animo est opus. Partim ergo dissi-

Duplex ordo malorũ.

Difficillimum graves morbos curare.

Maximi operis navẽ invehere furentibus undique ventis.

Summi Imperatoris aciem inclinatam fugientibus militibus restituere.

mulare, partim lenire, partim nolle contrectare, partim eblandiri, & ipso tempore consiliario vires paulatim, & sine sensu circumcidere. An non agricolæ silvestribus arboribus, & frugifero solo noxijs, cùm radices tollere non datur, ramos quò tardiùs repullulēt cædunt? Ante omnia molli curatione morbi graves curandi. Occurrendum est illis dissimulanter, nullo dato signo. Multa elanguescūt ipso spatio, quæ spatio convaluêre, & sæpè extenuātur morâ, fervido consilio roboranda. Dandum spatium furori, & novis rebus in exitiū ruentibus, quibus obviàm ire, est vires addere. Benè Ovidius lib. 1. de remed. amor.

Summæ prudentiæ opus mala inveterata sanare in Repub. dissoluta.

Temporibus Medicina valet, data tempore prosunt;
Et data non apto tempore, sæpè nocent.

Sæpè monstret aversari vel negligere remedia, quæ maximè optat adhibere. Non est turpe magno duci, gradum retrò dare, ut hostem sternat. Non aliâ arte Parthus victoriam parat, fugâ victor. Artis ingentis, hosti securo spolia adimere sine sanguine. Fateor iniquū, violare justitiam, fidem delibare, hæresis cultum simulare: non tamen iniquum, quum aliter non possis, nisi & ea, quæ sana sunt, corrupta velis. Verùm dissimulare, hostium nundinari gratiam, usum legum suarum permittere violentiâ extortum, tum prudentis est, imitari medicos ne pars sincera trahatur in perniciem, differre valida medicamenta.

Artes principi ad revocandam disciplinā necessaria.

Quare optimè Salustius ad Cæsarem: *Qui, inquit, benignitate & clementiâ imperium temperavêre, his omnia cādida & læta evenisse.* Metus enim & terror infirma vincula, & inania ludibria. Vana est sine viribus ira regia. Et quid aliud est, quàm signum regiæ majestatis ponere ad ludibrium alienæ impudentiæ? obsequio regio flectendi rebelles, non armis dubiis, ne subditus bellando artes vincendi discat, & libato sanguine prędeq; dulcedine magis accendatur, & accensus tot illatis cladibus de concordia sincera desperet: victus enim cum desperatione fœderibus, & coitionibus, subsidijsq; exteris sua properat stabilire, partibus stabilitis formidolosus evadere: quantò satius retro gradum dare, cedere suo jure, nō obniti furori unito, qui spatio solutus vanescet; submittere animosum pectus, velle pacē, nolle vindictam, offerre amnistiam, libertatē offerre, cùm aliter non potes, sed fidam, sinceram & integram: iniquas etiam conditiones acceptare: non indignum Rege, suis filijs supplicare ne pereant. Sufficit ut filij ponant arma, nec manus suas cruentēt patris sui, sui scil. Regis sanguine. Quò ruitis? cur ferrum conditis in patriæ & mutua viscera.

Flectitur obsequiis deprensus ab arbore ramus,
Frangas, si vires experiare tuas.

Quicumque inveterata mala tentas tollere, audi Cassiodorum 11. Variar. *Veri & benigni Principis est, ad clementiæ commodum transilire aliquando terminos æquitatis, quando est sola misericordia, cui omnes virtutes cedere favorabiliter* A *non recusant.* Auspicatò, & ingenti bonorum successu sic regnum suum Serenissimus Sigismundus Rex Poloniæ & Sueciæ gubernavit. Quantū dilatavit fines Catholicæ fidei! quantum summis Principibus inspiravit animosæ virtutis? viderint illi, num consulant Imperio, qui ferro & igni & summis supplicijs, quæ validâ libertate introducta, exterminare satagunt. Publicus terror caput seditioni dabit, & instar ignis serpet, obvia quæque depopulantis. Ille ignis tandem in varias terras transiliet, varias Provincias respiciet, & tandem incumbet oceano, qui tanto incendio non sufficiet. Pertinaciùs odium subditorum in Principem tumultuantium, quàm exterorum: hi fœdere inito componuntur: at partium ciuiliū odia nunquam bello finiuntur, nec quiescent, B nisi se mutuâ cæde satiata utrimque confregerint. Prudenter Claudiamus in Panegyri Manlij:

Sigismundus Rex Poloniæ, & Sueciæ felici dexteritate collapsa restituit.

——— *Peragit tranquilla potestas*
Quod violenta nequit, mandataq; fortius urget
Imperiosa quies. ———

Magna vis quietis intenta in omnem occasionem.

Longè sanè est violentior amor ad obtinendum, quæ velis, quàm timor imbellis, nec satis potens. Acerbitas enim, & justus metus æternum bellum & anceps gerit; nec facilè hiantia vulnera diuturnis malis, & cladibus renovata coire possunt. Ægro corpori magnis, & diuturnis morbis vitiato, quies, quàm valida potio salubrior. Multâ quiete elanguescit C furor, & ardens odium vento crescens, spatio vanescit sublatâ materiâ. Magna pars victoriæ, armorū cessatio. Armis unctis sanguine supersedendum, & quies danda. An non ipsa quiete ardens bellandi furor subsidet, & extinguetur? Expiatis armis dulcedo pacis vividum bellandi robur emolliet, & odia rigida lentescent, cōmerciis, & connubiorum societate fraternâ inter eosdē populos charitas rediviva renascetur. Certabit Princeps obsequiis, & auratis telis firmabit amicitias, & clementiæ adamāte ligabit: permittet rebus cursum, nullas novas res molietur, nullam materiam præstabit odijs; Duces partium meritis vinciet, & officijs superabit. Nunquid Nilus omnibus fluminibus uberior utiliorq;? & quis mitior, clementiorque? non ille frementibus D vorticibus devolvit secum præcipites silvas, non saxa rapit, verùm stagnanti, & placido murmure omnia fœcundat. Nolo Principem hoc rerum statu vires experiri; metus enim vires collectas firmat, quas pacis mollities solvit, ut igne glacies constricta.

Quies in morbis validapotione salubrior.

Princeps obsequiis plura perficit, quàm metus dissipat. metus dat robur partibus, quas clementia dissolvit.

Quare regnum induratis spatio malis lacerum, non asperitate, sed mollibus tractandum obsequijs. Quàm felix Roboam, si populum in iras incitatum, verbis amatorijs demulsisset? an non sævitiâ verborum regnum discidit, deserto senum consilio, qui blandis obsequijs populum mulcendum volebant? Placeant ergo clementia, & facilitas, quibus nihil est hominibus utilius.

Nilum imitetur princeps.

Clementiâ

Clementiâ & facilitate veneratio acquiritur, A & vires Princeps sumit, dum quisque sibi timere desinit: singulos præsando singulos exarmat, & suos facit. Fiduciâ tollitur sævitiæ malum. Paulatim ergo diu contexta mala dissuenda, & more gigantum dum corpus librant ultra palustria loca, ut vires colligant retrocedunt.

Nobile documentum.

Dissuenda mala remota violentia.

Videant nunc quo consilio quidam miserationem, blandiloquentiam, levitatem doceant noxia Imperio quòd fluctuanti manu tenetur. An non præceps in naufragium ruit navis, si quando nautæ, remiges & reliqua cohors cum magistro inter se digladiantur, & quisque causas seditioni suæ prætendit? Asperitas, odium, & ingentia mala movet, quæ clementia sedat, illa ruituri ruina, hæc B salutis causa. Sin verò eò pervicacia creverit, & inveterata mala adeò obduruerint, ut nullâ arte rescindi possint, imitandi sunt medici, qui proxima cordi membra cùm rescindi non possunt, ne pars sincera trahatur tempori permittunt, *neque enim* (ut ait Cicero pro sylla) *quisquam nostrûm subitò fingi, neque cujusquam vita repentè mutari, aut natura converti potest.* Non enim caudam equo benè crinitam uno impetu totam, verùm ut ita dixero, filatim detraxeris, nec obsitum silvestribus arbustis solum uno momento purgâris. Si autem absque communi periculo, & strage justitiæ locus fit, & pœna condonari non possit, temperamento nobili opus erit, in flamma communis inardescat. De- C inde ne societate crimines gregales trahantur, conspirentque non in caput causæ; verùm alienæ à statu negotij prætexendæ rationes, & populo imponendæ, quarum fama neminem attinebit. O quantâ opus circumspectione & prudentiâ in locis, ubi hæresis per multos annos dominata viget! magnitudo mali non nisi lenitate, amore, præmiisque & sancto ambitu curatur. Caveat Princeps, ne suprema moliatur, ne diu sustentatæ ruinæ se comitem dedat. Sin verò mala fuerint coitione Principum roborata, & quasi tacito fœdere sibi mutuo illigata, distrahendi Principes functionum muneribus, & spe magnarum rerum implicandi, Provin- D ciarum distantium, quæ fidæ Principi, gubernatione distinendi, ut Princeps jam liberior vires ad se trahat, & aditum aperiat malis removendis: ferocioribus enim consilijs amotis, facile erit multitudinem delinire annonæ copiâ, familiarum eminentium favores emere promissis, & gratiosis omnes demulcere colloquijs, & quod plurimum interest, submittere fidos quosque, qui disseminent in vulgus ex Republica esse, hæc vitia tolli, mores alios induci, & ad priscam religionem redeundum, se mirari à Rege tam provido curationem tantis malis non adhiberi. Quo pacto fiet, ut omnium gratantibus animis vel lex & medicina proferri possit nullâ violentiâ adhibitâ.

Quid agendum in obduratis malis.

§. XXIX.

Quomodo curanda vulnera, quæ Principum negligentiâ, & usu corroborata.

ALterius generis mala sunt, quæ virtutibus quidem infesta, magno boni communis detrimento grassantur. Ejusmodi sunt, vagæ libidines, duellorum usus, usuræ rapacitas, corruptela juventutis, matronarum insana vagaque cupiditas, luxus ingens, procerum in plebeios homines servilis immanitas, judiciorum, & litium contestatarum prolatio, & multa similia, quæ in corpus Reipublicæ non sunt infusa, facilè tollet Princeps, si in primis osorem, & hostem se ostentarit; si contrarijs virtutibus censuram agat, si insectetur adjectis, si vitiosos à Republ. removeat; si decretis suis minas admoverit, si reluctantibus exempla severitatis exhibeat, clementiæ tamen memor se patrem spectabilem exhibeat. Hoc enim pacto maximam partem pudor, alios necessitas, non paucos Principis reverentia, & metus offensionis, quosdam turpitudo causæ ad sana consilia revocabit. Horum dein facilior cura, si his omnibus accesserint præmia, ad honores translatio, amicitiæ suæ liberale commercium, laudes innocentium promulgatæ. Facilè hoc pacto novam Reipublicæ faciem inducet, & collapsa virtutum subsidia resarciet.

Artes curandi vitia infusa principum sororia.

§. XXX.

Nihil efficacius præstantiusque ad morum renovationem, & fidei collapsæ restitutionem vitâ Sanctioris Principis.

QUod est nautis Cynosura, & artificibus regula, ad cujus aspectum illi, & ad normam diriguntur, hoc populis est vita Principis, qui morum arbiter & judex. Egregiè Claudianus de 4. Honorij Consulat.

——— Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflect. re sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis;
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Et idem:

——— Tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris, rex esse tui.

Et Seneca in Thyeste:

Rex volet honesta, nemo non eadem volet.

Omnis virtus ex aula, vel nequitia. Si impia, esto nemo fraudes & sceleris viam doceat; aula docebit: si pia, regnabit pudor, sacri cura juris, sanctitas, pietas, fides.

Principis vita est vita oculus, anima Reipub. & suprema censura morũ.

scopi, & conversatio, in speculo posita, magistra est publica disciplina: quidquid feceris, id omnes sibi faciendum putant. Quod Rex in regno; Episcopus in Ecclesia, gubernator in urbe, hoc ipsum est quilibet in sua familia, cujus est caput.

Vita Episc. est in speculo posita.

Longius jam provecti anchoras jaciemus, & materiam totam in compendium datam, paucis monitis absolvemus.

Qualis est herus domus sua, talis & familia.

§. XXXI.

Primum monitum.

CRebris vocibus se Princeps stimulet, se esse patrem, subditos filios, Rempub. suam esse hæreditatem, & patrimonium suis liberis, suis commodis; imò & salutem ejus suæ vitæ præponendam. Oportere proinde Principem, & omnem rectorem mansuetudine & clementiâ florere. Homerus vocat *Iovem patrem mansuetum.* Mansuetos volo reges in proprios greges, ut in ipsos Reges Imperium Dei mansuetum. Præstant ceteris mortalibus Imperio, præstent & clementiâ. Violenta imperia nemo continuit diu. Regnare non vult, qui invisus regit. Dulcissimum patris nomen, par, imò & dulcius Regis clementis. Non vult timeri pater, at diligi. Vera dilectio mater justi erit timoris. Sint ergo mites patres quicumque regunt, juxta Homerum, & Biantem. *Hi subditos volunt non timere Regem; sed amare.* Velint ipsi Regem incolumem, ut incolumes floreant. Apum tam longa concordia & concors imperium, quamdiu Regis longa vita. Tam longa felicitas Reipub. quàm clementia durat Principis. An non illâ sublatâ Tyrannide permiscentur omnia? disrupto clavo navis, quæ spes salutis? Trahit populus vitalem spiritum à Principe rebus communibus intento, sciunt illum excubare pro communi salute, & paternâ curâ suas res & vitam tractari, an non periisse se judicant sublato regiminis clavo? *Rex insipiens, perdet populum.* Ecclesiast. 10. & Plato lib. 3. de Legib. *Ignorantia vel improbitas politiæ est pestis & pernicies summa.* Quare & idem: *Infinita potestas Regis, nisi legibus coerceatur, est certissima regni ruina, ac proximè ruinæ prognosticum. Quare ab ipsis ordinibus regni etiam cogi debet, vel ut invitus regni leges servet.* Et quanto amplius Dei? Aristoteles lib. 5. Politic. cap. 8. quatuor enumerat, quæ rempublicam servant incolumem 1. *Legum scilicet bonarum inviolabilis auctoritas.* 2. *Magistratuum in obeundo munere prudentia, diligentia, & alacritas.* 3. *Populi erga Magistratum obsequium.* 4. *Civium inter se concordia; quintò claudit felicitatem Reipub. Sit,* inquit, *Magistratus erga populum paternus affectus. Nolite ad iracundiam provocare filios vestros,* clamat Paulus, *qui te ut patrem venerantur. Rectorem te posuerunt,* inquit Ecclesiastic. *noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic conside, & omni curâ tuâ explicatâ recumbes, ut læteris propter illos.* Ptolemæus Philadelphus proposuit Septuaginta interpretibus varias quæstiones, quas vide apud Aristæam Tract. de Septuag. interpp.

Rex amari non timeri debet.

Rex cogendus ut legibus obtemperet & maximè Dei.

Quatuor Rempub. servant incolumem.

Primò ergo proposuit, quâ arte regnum semper servetur. Respondit primus: *Hoc pacto regnum optimè dispones, si Dei mansuetudinem in omnibus imitatus, patientiâ ac longanimitate ut aris, extollesq; dignos, elatos autem affabilitate ex malo in pœnitudinem traduces.* Quinquagesimo tertio proposuit: *Quid sit regi maximè necessarium? Respondit ille subditorum amor, partus scilicet, clementiæ.* Quinquagesimo nono: *quid regnum conservet? & ille: Cura & meditatio.*

Septuaginta interpretum sententia de conservatione regni.

§. XXXII.

Damnatio Machiavelli.

EXulet ergo toto orbe damnatus Machiavellus omnibus Gentilibus sceleratior: exurantur damnati libri flammis. O execrandum dogma atque nefandum! Principem plus sibi debere, quàm Reipublicæ. Rempubl. Principis gratiâ à naturâ institutam, non Principem in gratiam Reipub. Impie quid agis? an non populus vel Principes, vel Reges publicis comitijs creat? an non subjiciuntur legibus? Par enim est, ut ait Paulus lib. 4. sentent. titul. 6. eum, qui leges facit, pari majestate legibus obtemperare. sanctus Ambrosius Epistol. 23. ad Valentinian. Imperat. *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator. fert quas primum ipse custodiat.* Et Tacitus lib. 2. annal. cap. 20. & 30. *Dux aliis minora mandat, sibi summis validissimum.* Sic Julius Cæsar, & Trajanus formarunt suo exemplo milites, primi inire viam, ante aciem stare, flumina trajicere, & pericula militum prætentare suo. Quid agis contra Platonem, cui totus consentit orbis? lib. 4. de legib. *Felicitatem Reipub. in eo consistere, quod lex sit Domina Principum.* Quam Impia & scelesta vox hæc Machiavelli, *Quod Reipub. perniciosum sit, id Principi utile esse.* An bene potest esse corpori, capite ægro? an non exitiosum capiti, corpore vulneribus undique confixo? Aliter sensit Trajanus, qui electo Præfecto cohortium prætorianarum cùm oporteret eum accingere gladio, nudum porrexit: *Accipe,* inquit, *pro me, si bene & ratione imperavero distringas, sin minus, ad meum interitum utere.* Spoliare populum suis opibus, opulentos è medio tollere, aliorum bona in ærarium regium transferre, rapinis alienis ditari perniciosum Reipub.

Machiavelli doctrina damnata.

Leges etiã regum domina.

Impia vox Machiavelli.

Imperatoria vox Traiani, traiano digna. Vitam tuere, si bene sin male regnare, desine.

pub.

pub. & Principi utile, Principi decorum. Piratam agere, stupris omnia replere, & tyrannum agere, hæc sunt placita Machiavello.

Quid Trajanus? nullâ irâ utebatur, abstinebat ab aliena pecunia non minus, quàm ab iniquis cædibus. *Vitalis ergò aura, & Principi & populo communis est.* Verùm impius format impios Nerones. Addit enim Machiavellus; aut optimum, aut scelestissimum debere esse Principem. Te ipsum trucidas impie. Si optimus cum optima, & benè morata Republica, quomodo id quod optimæ Reipub. est optimum, potest esse perniciosum? Ait præterea, Tyrannum crudelitate se posse conservare. Clamat contra te omnium sapientum chorus. Sistatur ante oculos Nero, Caligula, Domitianus; an non illa immanitas & luxuria à cervicibus publicis depulit, ferroque sustulit? *Centuplex murus*, ait Comicus, *illis servandis parum est.* Audi Cæsarem. *Qui potentia impudenter, & passim abutitur, neque benevolentiam, neque firmam securitatem inveniet.* Verùm potentia mediocriter exercita, omnia quæsita conservat. Pugnat contra te Cicero, Philipp. 2. *Malus diuturnitatis magister metus. Et quando in scelere securitas?* Dic mihi & quæ potest esse tanta vis imperij, quæ præ metu potest esse diuturna? an non omnes tyrannum oderunt, execrantur; & tandem opprimunt? an non multæ populo manus, & tyranno una cervix præbenda gladio? Pauci sine cæde tyranni ad Cereris generum descenderunt, aut siccâ morte sepulti. Ipsas manus, quibus te commisisti, securus aspicies? Audi Senecam in Troade:

Violentia nemo imperia continuit diu.

Et in Medea:

Iniqua nunquam regna perpetuò manent:

Esto, fruatur. An securus sui, suique regni? an non ad omnem strepitum pavet? *Regna cum scelere omnibus exiliis graviora.* Audis Impie ut contra te insurgat, trucidet omnis gentilitas? at Atheus es, non utor in te Scripturis sacris, quas nullas agnoscis. Lege libros sapientiæ, ipsi te docebunt *Iustitiâ firmari solium, & transferri regna propter iniustitias*; non conservari. Volo te obrutum telis gentilium, si Deum esse non credis, quàm metu ut credas.

Audi Plinium in Panegyr. ad Trajanum: *Age cum Deo, ut te sospitem, & incolumem præstet, si tu ceteros; si rempublicam utilitate omnium reges. Sin contrà ille quoque à custodia corporis oculos dimoveat, te relinquat.* Audi ut non scelera, sed Deus Principes servet. Deus debet esse à latere Principis ne dolis capiatur. Διῒ χαρίεντι μέλη, αὐτῷ Βασιλεύς. *Iovi cura venerandi Principis*, antiquus ait Ethnicus. Ex hac voce scelesta eructat vocem atheus scelestiorem: *Si Princeps sanctus esse cœperit, salvus esse non potest.* Quid sceleratius ipse dæmon effutiet? non dignus est responso iste impius. An non hac voce infamis Caligula delectatus: *Oderint, dum metuant?* Princeps qui tyrannos facit, tyrannicè tyranni vocem usurpat. Tyranni est dicere: Sufficit timeri. Veri patris est dicere: Ament, non oderint. Aristoteles 5. Polit. cap. Ob duas causas insurgitur in tyrannum, ob odium scilicet, & contemptum. Tyranno adnascitur odium. Et quàm multos præcipites odium dedit? quàm multos adduxit in contemptum luxus sagina, & vaga libido? An non similes hi Principes animalibus ignavis, quibus si suggeras cibos, jacent, torpentque, & præterita, & instantia, & futura pari oblivione dimittunt? an non invisi, & solutè viventes insidiantibus sunt opportuni? Audi Aristotelem 5. Polyt. cap. 10. *Rex constituitur ex idoneis aptisq. ob eminentiam virtutum, & actionum quæ cum virtute.* Quis virtutem oderit, nisi nefarius? quis metuet actiones in virtute fundatas, nisi dæmone obsessus? nemo virtutem metuit, nemo justitiam, nemo pudicitiam. Omnes oderunt, quem metuunt. Quem quisque odit, volet perijsse. Et quanta rabies oritur ubi, supra modum creverint odia? Non qui dominatur, sed qui amatur tutè rex est. Tyranni vox est: *Oderint, dum metuant.* Veri Principes, ut ait Plinius in Panegyr. *Cum civibus, quasi parens cum liberis vivere.* Quàm impius in Deum, & Moysem, & Davidem insurrexerit Machiavellus, attende tu qui gloriaris Dæmoniacâ Machiavelli lectione. Ausus Deum suggillare, dum ait: *Moysem, & Davidē cædibus, & sangunie fundasse sua imperia.* Deus ergo delegit sibi in summos amicos (quorum unus cum Deo loquebatur, ut amicus amico solet: alter verò dictus homo secundùm cor Dei, uterque stupendâ clementiâ, & mansuetudine clarissimus) viros crudeles, sanguinarios, humano sanguine respersos? Hos viros Deus laudat & extollit, & hic impius damnat. Missum faciamus impiū, qui jam dat pœnas suorum scelerum. Remigemus ex alta in portum longiùs provecti, & finiamus cum Bern. tom. Ser. 3. *Rectorem te posuerunt, non raptorem: rectorem, non destructorē: quasi ministrum, non tyrannum, quasi dispensatorem, non dissipatorem: ut tutorem, non devoratorem.* Claudo cum voce Salom, Sap. 6. v. 4 *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo concedetur misericordia: potentes autem potenter torquebuntur.* Tractent ergo Reges, & rectores suos subditos, ut Patres filios: cogitent & sibi dicant, quod habet Tertull. *in Apologet. Inde est Imperator, unde & homo antequā Imperator: inde & potestas, unde est paritas.* Magni Dei simulacrū es, Magni Patris omnium personam sustines, age & personam factis, omnia verba, & opera patrem sonent.

Epiphonema.

Omnis violentus non est diuturnus.

Scelestissima vox Machiavelli.

Princeps sibi subditos ut pater liberos suos fovet.

Horribile judicium Dei in pravos principes.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Ad primum monitum accessoria particula ad illud, Oderint, dum metuant.

AUdi Machiavelle, & tu, quisquis funestissimi monstri cultor, quem vecors animus extollit supra cogitationes humanas, altum quidem:& sublime spirare se credit. ceterum nihil solidi subest; in ruinam prona sunt,quæ sine fundamentis crevêre. Tumor inest illi pestilens, non vera magnitudo prudentiæ. Unus Seneca confutat hanc vocem, *Oderint, dum metuant*, Sullano sæculo scriptam; dixerim ego à Sulla cruenta fera usurpatam. *Nescio*, inquit Seneca, *utrum sibi peius optaverit,ut odio esset,an ut timori! Oderint inquit ille. Quid agas, non sentis. Occurrat tibi futurum ut execrentur, insidientur, opprimant. Quid adjicit! Dij illi malefaciant, adeò reperit dignum odio remedium. Oderint. Quid? dum pareant? dum non probent? non. Quid ergo? dum timeant. Sic nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum spiritu putas? falleris. nec enim magnitudo ista est, sed immanitas.* Dira ergo & abominanda vox, & tyrannica primùm ab Athreo tyranno, qui fratri suo Thiesti epulandum filium dedit, pronuntiata, teste Cicerone 1. de offic. ut si Æacus, & Minos dicerent; *Oderint dum metuant*, indecorum videretur, quod eos justos fuisse accepimus: at Athreo dicenti plausus excitantur. Quid ita? *quia vox digna tyranno, applaudit*. Angusta, misera, depressa est vita tyranni. Solum id magnum & excelsum, quod simul & placidum *Oderint dum metuant*. In odio quid placidi? quid in metu virtutis? tot telis petitur, quot oculis. At quanto melius imperium beneficijs geritur, & custoditur, quàm armis & metu? In Principem blandè & sapienter moderantem populi dirigunt oculos, quos fulgor clementiæ ita perstringit, ut nihil aliud possint aspicere,& in se hærentes pertinacissimè detinent, illum populi diebus ac noctibus intuentur & cogitant. An non cogitatus ejusmodi Principis solatio est? an non votis publicis volunt imperio commodari? an non quamdiu mortalis est, nihil ex domo volunt nasci mortale? an non cælo asseri vovent vitâ functum? orant sibi fidus semper lucere,& fortunam ab hoc manus suas abstinere; nisi eâ, quâ prodest, parte. Vide, Machiavelle, quàm dispari vitâ tuus tyrannus, & placidus Princeps vivat. Hic sibi, & suis solatium: ille sibi ipsi perennis,& alijs tortor. Hic numē terris, ille sanguinem minitans Cometa. An non sub illo per singulas horas gladium exspectant,& ad omnem conspectum pavent? Paveat multos necesse est, quem multi pavent.

Vox Athrei vox tyranni oderint dum metuant.

Vota populi amantis suum principem.

Quam dispar tyrannus à placido principe.

A Xenophon.lib.8.pædag cap. de Cyro sic scribit: Ajebat. non censebat alicui convenire imperium, qui non esset melior, quibus imperaret. Quomodo tu melior potes odisse bonos? & quomodo bonus metuere meliorem se ut tyrannum? Audi Machiavelle,si cælum credis, non tuis artibus cælum dari crede. Audi Senecam:

Mirabile Cyri regis epiphonema trucidās Machiavellum.

Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo:
Hæc summa virtus,petitur hac cælum viâ.

Quid hoc est, *Oderint,dum metuant*: si oderint, an non tibi minax ex filo serico super impia cervice dependet ensis? Quæ possunt dapes, quæ Persici apparatus delitiæ irritare
B famem? Audi Claudianum ad Honorium de 4.Consul.

Tu civem, patremq; geras, tu consule cunctis,
Nec tibi,nec tua te moveant, sed publica vota.

Princeps moratus circumfert suorum in suo sinu corda; tyrannus & impius pallida mortis tela, & rupti fœderis metuenda mala. Sciat Princeps se esse in corpore reipub.quod cor in corpore humano. Audi Machiavelle Claudiani regiam sapientiæ vocem, ubi sic Honorium Imp.affatur:

Hoc te prætereà crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas,cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis. Nam lux altissima fati
C *Occultum nihil esse finit, latebrasq; per omnes*
Intrat,& obscuros explorat fama recessus.

Decet regem magis gerere pudorem, quàm purpuram,& justitiâ Dei fulgere,quàm auro. Ruet justo Dei fulmine,damnante Deo, qui Deum projecit suo.

§. XXXIV.

Secundum monitum.

SCiat Princeps majore arte indefessâque curâ regendum populum, quàm navem concertantibus undique ventis jactatam. Fateor hominem esse animal sacrum, Deo cha-
D rum, intelligentiâ stupendum: attamen varium,inconstans,inquietum, liberum, indomitum, resiliens ab imposito jugo,fræni diuturni impatiens, rerum novarum appetens, natum ad magna,spiritus generosi Cum hoc animali tam variis artificiis tractandum,quàm ipsum & naturæ impetu, & terrarum nativâ indole varium: expugnanda vitia, rescindenda corrupta, virtutes inserendæ, nunc paternâ, sæpiùs maternâ, aliquando Medici acrioris medicinâ, nunc Chirurgi ferro, sed rarò: rariùs calcaribus, frequentiùs plausibus,nonnunquam dissimulatione, oppido sæpè patientiâ, & commiseratione gubernandum, curandumque.Non omnis fert omnia tellus, sed

Multiplex terrarum indoles vitæ & hominū regendorū.

sed pro cæli varietate, cuique terræ suus honos, & felicitas, & infelicitas. Habet quælibet terra, quo solari novercalem & indigam sortem potest. Nulla regio non indiga alterius vel ad necessitatem vel voluptatem. Sagax natura, quæ hoc vinculo commerciorum humanum genus divortijs Oceani, & insularum abruptum, conjunxit. Non omnes homines sunt ejusdem conditionis. Pro diversitate cæli, locorumque, diversitas ingeniorum & discrepantia non minor ferè vultuum, & corporum, quàm discolor vultus, & facies nationum. Color ferè index, subquo sole vivant, veniantque. Tam discolor, & multiplex morum introductio. Maximam partem Europæ color albus præcipuè decorus, cùm in ceteris, tum maximè Septentrioni vicinioribus. His color amœnus, nec flos deest, nec opus pigmentis in luxuriam illatis. Aliæ partes orbis tinguntur vel atro, vel flavo, vel adusto, vel permistione variâ. Summa ergo, in eadem natura disparilis, & tota à se diversa colorum varietas. Diceres orbem diversorũ colorum officinam, tot opus est formis regendi, quot homines ferè nascuntur. Stultissimum, noxium, & dementiæ plenissimum, velle omnes sui ingenij mensurâ, ut dicitur, pede, metiri. Distinctarum gentium indoles varia. Quædam turgidę cervicis, imperijs reguntur: nonnullę viles, servitute: aliæ temperati ingenij, moderatis imperijs: aliæ gravi majestate; contrà nonnullæ alacri, gratiosâ, & blandâ consuetudine. Sunt quæ nec totam servitutem, nec totam libertatem pati possũt, sunt, quos judicio rexeris tanquam fræno. Gens rara & magnanima. Sunt magnanimi, qui honoribus, alij utilitate solâ ducuntur, sunt, quod dictu mirum, ita flexiles imperio, ita ductiles gratiâ, & humani, ut nutu regantur. An non hujusmodi Belgium nostrũ tot annos bello civili discors parit? adeò mitia ingenia semel accensa, ut docet Hollandia, efferociunt, & maxima quæque suis periculis pericula prætentãt. Rex ergo & quilibet regẽtium exploret gentis mores, indolem terrarum, locorum introductas consuetudines: scrutetur naturæ proclives affectus, quibus quisque feratur, gaudeat, & duci vel velit, vel patiatur. Nonnullis arboribus insitio prodest, obest alijs: quibusdam oculatio lætior utiliorque, pluribus satio securior, & provẽtu uberior. Quis credat repastinatione melius nonnullas provenire, & surculos cum fœnore dare. Quàm dispar cultus gigantis à pueri, tam dispar cultus ingeniorum: aliter animalia generosa, aliter ignava & torpentia regenda. non perinde asinus & equus Hispanicus regendus. Alio modo homines igneæ & erectæ indolis, quàm abjectæ vilisque. Dissimilis est conditio hilaris, & sanguineæ animæ à melancholica. Quàm diversus est tristis, severus, durus homo, à blando, gratioso, & humano? Sunt quos vix verberibus commoveris, ubi alios nutu, signo, vel verbo in

Variarum gentium varij mores, & impetus.

A jura redegeris. Infelix navis, quæ caret perito magistro. Infelix gubernatio, quæ unius sensu, & impetu, & obstinato regitur imperio. Quis tum non gemitus, & inclusus dolor? Quæ tum voces non audiuntur? quæ populorum querelæ, quæ turbæ, qui tumultus in perniciem erupturi? Hanc artem noverat Carolus V. flos Austriacæ domus. Non minor Magnus Henricus IV. tum à natura regiâ, tum & arte, & ingenio admirabili, sic factus, & quasi cælo missus populos gentesque regebat. Hoc artificio conciliavit Alexander Magnus domitos ferro Persas, dum habitu, consuetudine, conjugio sibi Persas illigavit, devinxitque. An non fuit opus sui consilij, duas pugnaces gentes in unam transferre? B consanguineas dextras dare? tot gentium mores in unum corpus compaginare? Sic æmula Imperia Regis prudentia in unum coaluerunt. Aliter rusticus, callosusque, alio ingenio nobilis tractandus. Quod uni salutare, hoc alteri letiferum. Idem pratum dabit viperas, & herbas medicas. Si Galenus Medicorum facilè princeps curandis corporibus, pro varietate corporum dissimilibus utebatur medicamentis; cur non rector populorum, consiliorum varietate, & temperamento omnium virtutum, prout temporis conditio postulabit? Lege Galenum lib. 10. de medicament. simplic. Callosa & obdurata corpora rusticorum, quis credet caprino stercore, cujus insignis vis digestiva, & detersiva, curabat. Porrexisset nobili, & C delicato corpori, & ijs, quos μαλακόζωους dicimus, an non sustulisset? Dissitis rationibus versipelles, astuti, politici, callidi, flecti faciles, ingenui, Deum timentes, obdurati, desperatione victi, dura meditantes consilia; ut absolvam uno verbo, varijs artibus singuli tractandi. Sunt quos lenitas perdit, servatque: acerbitas omnes ferè turbat, rarissimè profuit, verùm exulcerat, & ictus immedicabiles reddit. Attende qui regis. Quid voluptatis, imperare læsis sævitiâ? an non tributum dependunt servilis ingenij? an non fugiunt aspectũ ejus, quem non ut patrẽ agnoscunt? an non sæpè spes improbas complectuntur? an non crebra ebullit confessio suæ infelicitatis? Tanta vis doloris. Quam- D vis apud ingenuos hæc confessio tardior: nam apud bonos, sanosque honor, sicut salutarior usus medicinæ adversus ægros. Quare tu, qui regis, imitare Medicos, ut si quando mittendus sanguis, sustine, ne ultra, quàm necesse sit, incidas: Nulla terra, nulla gens adeò effera, & frigoribus assueta, indurataque, quæ calore non gaudeat, lætetur, recreeturque: nulla barbaries, quæ non sentiat calorem humanitatis. An non Ovidius exul inter Sarmatas, glacie duriores venerationi fuit? ipsam barbariem demulsit, & in suum amorem pellexit. Semper mortalibus omnibus placuit benignitas civilis ingenij. Regendis imperijs minus clementiâ peccatur,

Rara prudentia est, gentes sibi devincere.

Galenus corporibus prius introspectis aptabat.

Rustica & valida corpora validis tentabat curabatque potionibus.

Nulla gens adeò effera quin obsequiis capiatur.

tur, quàm sævitiâ. Principis sit, semper in mitiora conniti, & inclinari. Audi Augustinum Serm 12. de verb. Dom. *Distulit securim, dedit securitatem, ne interiret arbor damnata suâ noxâ.* Et Tertull. in Apolog. cap. 4. *Malis suffundere hominis sanguinem quàm effundere.* Sic apud Homerum legimus Sapientiam adstitisse Achilli, horrida secum agitanti in Agamemnonem consilia. An non ille mitigatus, destitit ab incepto? Memineris Taciti in Agricolam, comitate & alloquio officia provocari. Memineris & Livij, qui lib. 22. paucis docet, vim paterni in regendo temperamenti. Nullus terror cùm omnia bello arderent. Fide socios (attende Lector) dimovit, quia moderato regebantur Imperio. Imitare æternam, & Pauli sapientiam, qui omnibus omnia factus, Græcis, Latinis, Barbaris, & ut omnes lucrifaceret, sibi ipsi omnes induit. Hujus decus æmulatus alter Doctor Gentium Xaverius, qui omnibus placere studuit, & offendere neminem. Has rationes inierunt, quotquot claritudine ingenij ceteris præstitêre. Nemo adcò ferus, ut non mitescere possit culturæ obsequijs.

§. XXXI.

Tertium monitum.

Cùm severitas adhibenda, quis modus servandus cum prudentia.

SI castigatio adhibenda, sit mitis: si supplicia, si reprehensio, si nota inurenda, si amarior potio propinanda; sint omnia sævitiâ, acerbitate, improperio, suffusione pudoris, & exprobratione vacua. Si supplicijs, & amaritudini castigationis acerbitatem adjunxeris, quid est aliud, quàm duplicare supplicia? quod æqui judicis non est. Non ergo mireris à Sidonio Apollinari hujusmodi *inclementiam vocari cruentatam castigationem.* Bernardus in Cantic. Serm. 33. Prælatos ingenti citat animo. *Audiant*, inquit, *Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati rarò. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: suspendite verbera, producite ubera: pectora lacte turgescant, non typho.* Et Petrus Blesensis, Epistolâ 24. *Non est accepta in oculis Altissimi admonitio, quæ non est charitati intima. Non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non imperiosè* (ait Augustinus) *magis docendo, quàm jubendo; magis monendo, quàm minando.* Servilia ingenia serviliter tractanda. Phryges plagis fiunt meliores. Non ignoro quosdam esse, quibus anima, ut corporis manus, calosa, non moveri, non flecti, nisi duris, & amaris remedijs. Duris utere præceptis, bibat succos etiam invitus amaros: negetur mensa, negetur potus: intenta plagas, & minis plagæ succedant si speres meliores, *tunc pretium animæ malis corpore.* At memineris te homines tractare. Non esto lupus homo homini. Non homo, quum qualis sis non nosti. Perplacuit mihi semper hoc Plauti in Menæ: *Homines captivos, qui catenis vinciunt, & qui fugitivis servis induunt compedes, nimis stultè faciunt meâ quidem sententiâ: nam homini misero malum si accedat ad malum, maior libido est fugere, & facere nequiter. Nam se ex catenis eximunt ali quo modo, tunc compeditis januam lima proterunt, aut lapide excutiunt clavum.* Et quid? *Fugâ consulunt sibi, & malas in Dominum meditantur artes.* Tragœdiam dabit mancipium Indicum in Lusitaniam avectum. Durè & asperè habebatur miserum mancipium. Quid agat? dura sors docet pati. Durum, invisum, grave est, servitia ferre, extremum malorum mancipari; cui si advenerit cruentatis flagris herus, continuorum suppliciorum est mors perennis. Flagris ergo excarnificatus, recondit immanes iras, & immensum scelus. Vacuam hero, & alijs famulis invadit heram, violat, ferro trucidat. It clamor ancillarum: oritur tumultus: furit mancipium, & binos secum liberos in supremam domus partem abripit. Illos ostentat patri infrà ejulanti, & manus supplices tendenti. Animus ultionis avidus ex alto unum præcipitat. Supererat extremum funus parenti. ille humi stratus veniam orat, non impetraturus. Et alium ex alto dejicit, & semetipsum deinde supra funera dedit.

Tu Christiane servos, ut fratres tractes, ut Paulus Onesimum vult tractari. Omittamus servos. Te Prælate convenio, peccavit quispiam? in spiritu lenitatis corripe, ne fortè & tu tenteris. Si infundendum vinum, infunde & oleum. Audi Bernardum in Epist. 2. *Charitas cùm arguit, mitis est; cùm blanditur, simplex est: piè solet sævire, sine dolo demulcere, patienter solet irasci, humiliter indignari, virga districtionis sit & dulcedinis.*

Hic interest utrum quis fervidi sit ingenij, an frigidi, atque humilis. Generoso, ait Seneca lib. 3. de clementia cap. 8. *repulsa iram exprimit, languido, inertiq; tristitiam: ergo actiones regentis nec pravæ sint, nec audaces, nec improbæ. In vicinum spes exeat. Prope posita, & alludentia spei nostræ sequamur.* An non conandum, ut cum placidissimo & facillimo, & minimè anxio, & minimè moroso vivamus? Disce tuorum mores ex usu, & propensiones voluntatum ex affectibus, votis, & continua actionum serie penetrare.

Discimus mores à conversantibus. Superbos, & magnanimos offendet contemptus, divitem contumelia, petulantem injuria, lividum malignitas, pugnacem contemptio.

Moderatrix pœnarum sit clementia.

Nota in spe melioris frugis.

Luctuosa tragœdia, mancipij tyrannicè habiti.

Prælatos docet moderatio.

Optimus

Mira industria S. Ignatij in naturæ & gratiæ combinatione.

Optimus magister noster regendi Sanctus Ignatius, qui etsi omnes per varia artificia ad æquilibrium, & ut vocant indifferentiam traducere conabatur, tanquam ad supremum raræ perfectionis verticem; nihilominus tamen, naturam gratiæ alludentem, & propitiam accommodabat, ita ut gratiæ natura blandè subserviret, & ancillaretur. Violentia enim naturæ contraria, impetum tardat rerum agendarum. Vix est diuturnum, ubi perennis lucta, ut dici solet, *invitâ nihil aut facies dicésve Minervâ.* Iracundi removendi ab ijs, quæ iracundiam evocant, qui desidiæ paratioris, acrioribus nonnihil negotijs addicendi, quò torporem exuant; uno verbo dixero omnia: natura quidem divinâ gratiâ mausuescit, & ejus retunditur inconcinnitas, & asperitas inter placida dediscitur. Multo feliciori vitâ exituque omnia proveniunt, si natura gratiæ coalescat, & gratia naturæ correspondeat, & societur. Sic Deus Paulum incitatissimæ naturæ virum sibi ad ardua capessenda delegit: sic & Augustinum acerrimi ingenij ad retundendas vires hæreseon. Quare superior, & omnis regens suum subditum, & ea quæ parat, quibusque paravit, metiatur. Faciet alioqui pœnitentia operis infecti regentem imprudentem. Turpe est non facilia aggredi, quæ vult esse facilia, quæ aggressus est. Quo pacto concidit irrita utriusque voluntas, & spes magnorum operum præcepta concidet, & illudet cum dedecoris notâ regenti tanti refert, quem rebus præfeceris. Quare optimè Horatius de arte Poëtica:

Rectoris est metiri humeros suorū quid ferre valeant.

Ætatis cuiusq; notandi sunt tibi mores.
Mobilibus decor, & naturis dandus, & annis
Reddere qui voces scit puer & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere & iram
Colligit, & ponit temere, & mutatur in horas.

Fusiùs, & pari doctrinâ Cornelius Gallus docet, altâ mente introspiciendas animas, & animarum impetus, quibus quisque feratur, naturæ elementa ponderanda; plerumque enim homines obsequuntur, quibus compositi sunt mixturis, & partibus more fluminum, quorum nonnulla pigra, qualis Ligeris; alia rapida, qualia Danubius, Rhodanus, Tybris, quæ regressum vix patiuntur; alia molli, & medio agmine undulas volvunt, evolvûntque. Sic Rhenus, Mosella, & ipse Mosa varijs in locis lectum æqualibus, & placatis tegunt aquis. Alia sagittarum instar furioso alveo rapiuntur, nec moram norunt, & saxa, stabulaque, & altas ab alto vertice quercus trahunt, & intonant per abrupta. An non Nilus ex suis cataractis præcipiti, & circumsonante volvitur impetu, & suos ac incolas ad insanos clamores surdos efficit, ut homines mortis assiduitate ad mortis sonum mors reddit. Audiamus Cornelium:

Hominum natura fluminum motibus similis.

A *Diversos diversa juvant, non omnibus annis*
Omnia conveniunt; res priùs apta, nocet.
Exultat levitate puer, gravitate senectus,
Inter utrumq; manens stat juvenile decus.
Hunc tacitum, tristemq; decet, fit clarior ille
Lætitiâ, & lingua garrulitate sua.
Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.
Sic Juvenalis Satyr. 4.
Finio cum Martiali:
Principis est virtus maxima, nosse suos.

Paucos regendis Imperijs natura dedit. Maxima pars hominum parendo est melior. Unus rex apibus numerosissimis, corpore, & notis regijs prælucens, clariorq; inauguratus, reliqua turba servitutis voluntariæ jugum subit. Hoc Imperatorum Imperator Diocletianus, solâ tyrannide in Christianos B infamis, cetera eminentissimi ingenij docuit, cùm dixit: *Nihil est difficilius, quàm bene regnare.* Aurelianum Imperatorem fato Imperij adepti funestum, rebus gerendis per nobilissima facinora judicavit Reipublicæ feliciorem dum subest, quàm cùm præesset Imperio; tunc enim impotens iræ nequaquam hilari vultu, nec patienter ferebat injurias. Habent hoc pessimum animi, magnâ fortunâ insolentes, quos læserunt, & oderunt, & dulce illis dolorem reddere: at contrà se lætum, oblitum quid actum sit contra se, præstare ingentis animi est, & regij. Quare & curæ est ingentis, virorum ingenia, & egregias dotes, vitiaque solerter introspicere, & ponderare quantum cujusque humeri ferre vaC leant. An non impares succumbunt, & onus Reipub. sustentandum trahunt secum in ruinam? Fluitat in naufragium navis spoliata magistro. An non valida exercitus potentis robora impari ductore solvuntur? an non infirmo animo corpus infirmum? A capite salus in totum corpus derivatur. Tanti interest dare caput rebus. Sint ergo Principes non ignavi, non socordes, non tumultuariè dent Præsides, & Consiliarios; non uni permittant clavum regiminis, non penes unum sit cura totius regni, qui regno superbo insolescit. Videant, quo quisque sanguine natus, an dubio, an periculoso, an suspecto. Non imbelles generant aquilas columbæ. Vitiosa parenD tum indoles, vitiosam sobolem dabit, aut si non dabit suspectam, dabit metuendam, dabit semper per occultas fraudes, signa sui.

Difficillimus est delectus virorum magnis muneribus aptorum.

An non Catholici Reges Hispaniæ æternis tenebris damnârunt progeniem Maurorum cognatione. Judaica sauciam, & omnibus publicis muneribus proscripserunt, multorum judicio; salubrius; si Deum imitati, tempora tam acerbæ damnationis limitassent. Æterna enim pœna desperationem evocat, & suprema meditatur regnis exitia. An non undecies centenis millibus hominum viduata, & ingenti vulnere desolata luget Hispania? Altiori consilio Pompeius cum suis piratis, & Octavius Augustus cum Asturibus debellatis

Augustæ memoriæ Philippus III. Mauros Hispania expulit, tanquam exitiosos.

Summum operum Pompei magni, & Augusti Octaviani ut maris feras, & silvestres domuerint alto consilio.

debellatis fortunam Imperij tractârunt. Hic rupium inaccessarum indomabiles cultores, quæ in plano erant habitare, & incolere jussit, & cicuravit. Ille maritimum genus hominum, qui maria bello, quasi tempestate prælus erant, sublatis commercijs, rupto fœdere generis humani, à conspectu longè removit maris, & agris obligavit. Nec fidelior ulla reperta gens. Magnâ utrimque felicitate furiosi latrones maris, & rebelles montium feræ esse desierunt.

Laudo tamen summum Religionis, contemptâ ad tempus felicitate regni, ardorem. Meminerint ergo reges, ut summâ curâ, quasi indagine factâ delectus virorum, quos continua, & prospera majorum integrorum fama nobilitat, & commendat habeatur. Meminerint præterea non uni soli molem Imperij tradendam. Intutum, & plenum hoc opus periculis.

Quid ille, ubi arcanorum omnium conscius, potentiâ validus, consilijs vafer, si Satyri instar omnia proditoriè simulet obsequia? si vires paulatim ad se trahat? si Principi jam metuendus? si secretas externorum Principum tentet amicitias? An non hic gradus ad exitium? An non Tiberium, omnium Principum facilè vaferrimum, Seianus aulæ potens, potensque Tiberij, cui pares cum Tiberio statuæ, imagines, publicæ victimæ, proximè dejecisset Imperio, ni Tiberius per dolosas suasque artes ancipiti, & sinuoso consilio, nihil simile exspectantem stravisset. Quis Severo acerrimi ingenij Imperatore felicitior? hic tamen cùm tantâ esset prudentiâ à Plautiano, in quem Severus Imperium totum inclinârat, unà cum filijs proximum discrimen naufragij infeliciter adijt.

Ingentis periculi, uni soli à rege committi totius regni fortunam.

Tiberius vaferrimus, Severus imperator proximi periculo sui exitij.

Quid est Principem unius amore dementari? ab uno teneri? unius consilijs quaquaversum jactari? Tantâ fiduciâ fortunæ suæ Plautianus dominabatur, ut cælum potius ruiturum dixisses, quàm Plautianum à Severo aliquid damni pati posse. Quare & in Circo erumpebant illæ populi voces: *Quid tremis? quid palles? tu certè plus quidem, quàm tres, possides.* Severo scilicet, & duobus filijs. Adeóne Principum in sui exitium ebrij, & præposteri amores? Accipe tragœdiam. An non Seianus cum Plautiano ex alto cecidit? quàm fœda strages, & quidem vacillanti jam Imperatorum vitâ ni fortuna prohibiti. Quis evertit Imperium Romanum, nisi unus Stilico, proditor Imperij? Hic aulæ & regni armis, & connubio potens, ut unum Eucherium filium purpurâ indueret, imperium & se, detectus proditor cum Imperij ruina prostravit. Gothico hic, & Arriano sanguine natus, fidei simulator, suæ gentis secretus fautor, & patronus.

Plautiani exitus.

Quid antiqua commemoro? Orbis duo regna pulcherrima Gallia, & Hispania, orbis oculi, solesque, quid non passi hujus mali inauspicato consilio? Mundo non sufficit vir unus. Salus reipub. ubi consilia multa. Achitophel Davidi, Aman Assuero, Julianus in Hispanijs Roderico Regi, Ruffinus Arcadio, Cardinalis Volseus, Henrico VIII. quàm metuendus! unica Principum bonitas extulit nimium, ut altiùs ruerent. Nostri sæculi turbines, & faces malorum prætermitto. Occasio tantarum calamitatum, ut & ceterarum, nimia prosperorum continuatio, & supra censuram potens regendi, & se confirmandi libertas, & Principum nimius amor. Stabiliunt suam fortunam Principis periculo, & dum plenâ dominantur aulâ, trahunt secum aulam connubijs, Provinciarum sortitione, & amicitiarum vinculis confœderatas rapiunt secum familias. An non Princeps ferè nudus, & ille unus stiparus, cui nocuisse, est confœderatorum in se iras concitasse? Rex sapiens, & catus decipitur Imperator, dum plures ejusdem factionis homines, diversis vijs, & temporibus Principem conveniunt, & unius consilia, quasi sua per diversas artes probant, signant, & necessarias judicant, ut solebat dicere Diocletianus.

Stiliconis par exitus proditori.

Nimius amor principum, & cæcus quosdam suo periculo evehit.

§. XXXVI.

Monitum quartum.

SI vulnus inflictum sit curabile, omni ope medicâ, & studio curandum. Præses instar Epandrij afferat omnes herbas sacras, variet artes pro vulneris varietate, omnes intendat curas: sunt mille mali species, sunt & mille curationum formæ. Nullus morbus tantus ægrescentis animi, qui non aliquâ arte sanari possit. Poscit plagam commissus error, habet amor suas plagas. plaga novâ plagâ curanda. Optimus modus, inquit Chrysostomus Serm. 58. de diversis, *medicina est, ut non modò ulcera secentur, verùm etiam obligentur.* Volo Rectorem uti *hastâ Peliæ*, quæ sicut vulnus, ita & vulneri medicinam offerebat; sauciabat simul, & curabat.

Attende quæso Lector. Qui visus est nocuisse pronior, & incitatior videatur profuisse. Sapientissimi erit Præsidis, imitari expertissimos Chirurgos, qui non solùm vulnera curant, eaque obligant; verùm ad artis jactationem honestæ curam habent cicatricis, & pro summa laude nullum cicatricis vestigium relinquunt. *Hac unica te cura coquat, hanc artem: & consilia versa noctu, diuque, ut non læsisse castigando videaris; sed amicum novum acquisivisse, & dulcior fiet religiosa castigatio, quam blanda remissio.* Sin verò morbus immedicabilis, nec ullas admittat manus; si animus intractabilis, & impatiens contactus, longa danda mora. Attenuandi

Pulchra artis opus.

tenuandi sunt ferini affectus spatio, spatio paulatim vanescit omnis impetus. Lentescit sagitta etiam arcu rigidissimo missa, flamma non retardescit nisi subtracto nutrimētū, ipsa sibi exitio. O quantâ est opus prudentiâ curandis affectibus! ô quàm temerarium ausu inconsiderato sauciare, quod nunquam curâris! *Tu, qui regis, voca ad trutinam tua verba, vultum ad judicium speculi, momēnta verborum, & rerum libra si Sapientiæ gloriam appetis, & animarum lucrum.* Quàm multi periēre intolerabili fastu, acrimoniâ, asperitate. Non est tam facilè curare vulnera, quàm facere.

Regis Rectoris, verba sua pensanda & vultus.

§. XXXVII.

Monitum quintum.

CLementis Principis non omnia resecare, quamvis non alienum omnia velle scire, omnium venari conscientiam. Peccata parva dissimulatione, vel veniâ datâ curabit: majoribus severitatem commodat. Sæpè pœnitentiâ facti esto contentus. Rariùs pœnam exige. Sic Tacitus in Agric. Pulchrè Claudianus:

Circa errata subditi ut se gerat clemens princeps.

——— *Ignoscere pulchrum*
Iam misero, pœnaq; genus vidisse precantem.

Pulchrius, & sæpè utilius visu, vultu, silentio correxisse. Ingens viro ingenuo, & magnæ mentis pœna vultus sui Præsidis contractior, frons tristior, languidior consuetudo, occursus nonnihil ferocior. Multi præposuerint plagas acerbioribus verbis, & asperis corporis motibus.

§. XXXVIII.

Monitum sextum.

CUm ad remedium veniendum, sine ira veniamus: non quasi dulce sit vindicari, sed quia utile, quia necessarium. Deum imitetur quicumque regit, qui peccatores cum suis miserijs insularum loco habet. nunquam Deo dulce, reddere dolorem. Punit ergo, & infligit ne peccetur amplius. Viperas quidem si mansuescerent, non affligeremus, aut efficeremus, ne ullis periculo essent. Multo minus homini nocebimus, quia peccavit, sed ne peccet. Nec ad præteritum, sed ad futurum refertur, non enim irascimur, sed cavemus. Semper autem judex, & rector vel cavet delinquenti, vel reo, vel posteris. Dabitur ergo Justitiæ locus, cùm clementiæ dari non potest: non enim clementia sic spectat privatum alicujus bonum, ut publico noceat, cui privatum cedere necesse est. Modum tantum justitiæ præscribimus, ne quid in clementius agat, vergatque in umbram crudelitatis. Quàm turpe est regentem Archagato Peloponnensi Medico similem dici, de quo Plinius lib. 19. cap. 1. qui curandis morbis famosus, & artis medicæ gratiâ donatus civitate Romanâ omnium animos sibi devinctos trahebat. Verùm ubi ad sectionem, ustionemque quasi carnificinam à miti curatione deflexit, vulnerarius dictus, & in odium traductus. Adeò odiosa sævitia, & sævitiæ nomen.

In necessitate castigandi qualis Clemens Princeps erit.

Castigatio spectat bonum commune, & futurum.

Rex quantum potest ad leniora flectat pœnam.

§. XXXIX.

Monitum septimum.

SI necessitas sceleris extorqueat supplicia, mitissimi juxtà ac sapientissimi regentis erit, ostendere se invitum ad ea cogi, alienum esse à majestate regia, extrema experiri, & sanguinem fundere. Sic mentem rei componat, ut nec illum pigeat mori, vel detrectare judicis sententiam: judici assentiatur, fateaturque omnia in mitiorem partem magno clementiæ temperamento, esse librata. Quàm magnifica vox Theodosij junioris! *Vtinam & mortuis possem vitam reddere!* O divinam vocem toto orbe Christiano! quam audiant omnes gentes! ô vocem in concionem mittendam! in cujus verba Principes, & Reges jurent. Diffundatur per totum corpus orbis, & cuncta in tanti Principis similitudinem transfundantur.

Artes mitigandi pœnas in animorei.

Stupenda vox Theodosij junioris.

§. XL.

Vltimum Monitum.

SCiant Principes, & Rectores se in miraculum orbi datos, quod omnes velut speciem cælestem, divinamque suspiciunt, & venerantur. Vopiscus in Aurelianum vocat primam dotem Imperij: quam dotem Plinius diu ante in Trajano descripserat, agnovit *Comitate*, inquit, *par omnibus, hoc tanto ceteris maior.* At quo? & in quo? *clementiâ.* Seneca ad Martiam cap. 4. *Nihil pulchrius in fastigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere. Quod divinum est.* Alij vocant hominem clementem *delitias Dei, Deiq; voluptatem.* Quasi solâ clementiâ delectetur. Optimè ergo Gregorius Nyssenus homil. 15. in Cantica, vocat *Characterem, & notam divinitatis.* Quare ut Christus Dominus Deus publicaretur, & notam divinitatis gestare cuncti sentirent, *Columba*, quæ clementiæ symbolum, *descendit super baptizatum.* Et quid columbâ clementius? illa immemor injuriarum, ponit injurias, irasque, spoliata pullis ponit dolorem, nescit irasci, & impetum

Summa laus clementiæ.

Christus Dominus Pater clementia domitor orbis clementia.

tum exortum osculo transigit. Christus ergo Rex regum, verum miraculum, quia clementiæ pater, qui orbem non armis, sed clementiâ domuit. Apostoli denique continua miracula, qui tumidas gentium cervices novo servitutis jugo subegerunt. Quâ arte? Clementiæ fræno.

Quod miraculum miraculorũ vir clemẽs.

D. Augustinus lib. de dogmat. c. 84. *Hominem clementem* dicit esse, *continuum miraculum, sanctum, & perfectum*. Majus dixerim miraculum, quàm non ustulari igne Babylonio. Dixerim potiùs miraculum miraculorum.

Summum vindictæ genus, & admirabile.

Minori gratiâ inter incendia crepitantia incolumitas servatur, quàm inter tonitrua, & fulmina procacium linguarum diu inconcussu, tranquillumque vivere, insanis vocibus non lacerari, exprobratione beneficiorum collatorum nefandâ lapidari, depressâ famâ per ora hominum traduci.

Quid est hominem esse Deum.

Saturatum injurijs beneficiorum non pœnitere: se novis meritis vindicare, errores inimicos novis obsequijs castigare, nullâ injuriâ posse violari. Hunc hominem verè hominem dixerim, orbis miraculum, & admirabiliorem eo, quàm si mortuos suscitaret. Hoc est esse hominem Deum, & Deo proximum. Hoc Lucretius intellexit:

Dicendum, Deus ille fuit, decus inclyte Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia, quiq́; per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantisq́; tenebris
In tam tranquillo claraq́; in luce locavit.

Talem se exhibuit Paulus, qui longè lateque suæ clementiæ radios dispersit, qui suam magnitudinem ad parvulorum infantiam incurvavit, ad Thessalon. 2. cap. 7. *Facti sumus* ἤπιοι, id est, leves, placidi in medio vestrûm tanquam si nutrix foveat filios suos. Dignum notatu, ut interpres ἤπιοι vertit νήπιοι, id est, sicut parvuli sine malitia. Talem Principem miraculum orbis vocat Jeremias Christum Dominum cap. 11. vers. 19. *Agnum mansuetum, qui os suum non aperuit.* Ubi Septuaginta habent ἄκακος, id est, *innocentem*. Chaldæus, *electum scilicet Principem*, mansuetudinis scilicet regem.

Summum miraculum summum imperium clementiæ bonum.

Hanc dotem laudavit Cyrillus Alexandrinus in Theodosio: *Decet*, inquit, *supremas excellentias ut sereno, & placido sint vultu animoq́;*. Hanc dotem laudat Ignatius Martyr scribens ad Trallianos, in illorum Episcopo, *cuius eruditio, & mansuetudo magnum imperium.* Non sine causa dixi magnum esse miraculum, quia raræ, & difficillimæ victoriæ, & summum operum, dominari sibi, teste Cassiodoro lib. 10. Epistolar. Ep. 3. *Difficillimum potestatis genus est esse rectorem.* Magnificentius aliquid scripsit Cassianus lib. 15. Collat. 8. *Magnificentius*, inquit, *miraculum est, virtute patientiæ truculentos iracundiæ motus cohibere, quàm Principibus aeris imperare.* Statuam Nabuchodonosor miramur, cùm legimus in ea orbis imperia fuisse comprehensa, & varijs metallis fabricata. Verùm miremur cur statuæ tantæ caput aureum datum. An non ut discere-mus regna, & imperia aureo capite esse, non ferro, non alijs metallis gubernanda? cetera metalla cedunt ignis Terociæ; ipsum etiam ferrum etsi durissimum, & omnia domans flammis domatur, & flammis liquescens patitur sui damna, & interitum: aurum verò nec flammis violatur, nec incendia, nec ulla sui damna sentit, nisi in sui gloriam. Solum aurum æternitati par, vetustatis impatiens, suo vigore animatum stat impenetrabile. Dicamus ergo aurum ingens naturæ miraculum, cui regem virtute clementiæ clarum comparamus, adversus omnia inconcussum.

Cur statua clementiæ pro foribus templorum.

Quare Gentiles Clementiæ statuam quasi Deam locantes pro foribus templorum in regnorum tutelarem esse decreverunt. Audi Claudianum ad Stilicon. lib. 2.

Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur, posuitq́; suas hoc pectore sedes.

Non prætermittam illud Aristotelis lib. 4. Metheor. *Ubi docet Salem iniectum permistúmque oleo puro non liquescere, verùm velut munimento clausum integrè secureq́; persistere.*

Cur sal, & oleum emblema clementiæ.

Quid oleum nisi clementiam designat? mite scilicet elementum, deliniens, & mitigans aspera. Quid sal? emblema sapientiæ justitiæque. Hæc severis legibus vitia mordendo profligat, ut sal corruptionem, illa per fluctus, & tempestates Reipub. navem curis indefessis omni modo temperamenti adhibito, dirigit. Vis Sapientiam, & Justitiam florere? recondas utramque virtutem velut in sacrario suo, oleo purissimo, id est, summo bono clementiæ. Persistent decora utriusque vegeta, gloriosa, & summo feracique felicitatis proventu. Quid dices, ubi audieris salis igneam naturam, & castigatricem dissolvi, ubi aquâ infusâ olei puritatem, & castimoniam corruperis? Planè ex vero est, firmitatem salis solvi, & liquefieri. An non flos sapientiæ, justitiæque splendor sentit ingentia damna, & utraque virtus fit seipsâ minor, si clementiam crudelitate, factisque immanioribus corruperis? Laus sapientiæ, sacræque justitiæ perstabit in clementiæ bono; quasi illæ, ut radij à sole, à clementia dependerent.

Cur principes optimi titulum affectarint.

Benè ergo judicarunt de seipsis maximi quique Imperatores, qui magnificos sui dominatus titulos affectarunt, ut ceteris heroicis nominibus sepositis, primum locum darent titulo optimi Principis. Optimi ergo nomen trahebat agmen instar Primarij Ducis reliquorum titulorum. Optimus quis? qui clementissimus, qui custos, qui alumnus, qui tutor, qui denique pater Reipub. Optimus ergo sit Princeps, deinde maximus. Magnitudo enim vera bonitatis, & clementiæ bono inædificari, & superstrui debet.

Epilogus.

OPtimo, clementiſſimo, maximo æternoque Monarchæ, qui perpetuâ, ut ait Boëtius Metro 9. lib. 3.

——— *Ratione gubernas,*
Terrarum, cœliq; ſator, qui tempus ab ævo
Ire iubes, ſtabiliſq; manens das cuncta moveri.
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiam fluitantis opus:
Forma boni.

Tibi, inquam, optimo & clementiſſimo Domino dominantium, qui es unus omnium amore Pater, unus omnia miniſtras, foveſque; qui nunquam remittis fræna tuæ clemẽtiæ, hunc tenuem, humilis ingenij partum dedicamus, tanquam ſupremi ſenij alterum Benjaminum, filium clementiſſimæ tuæ bonitatis, quem tunc felicem, beatumque judicâro, ſi ſuæ Majeſtatis oculis gratus, & acceptus acceptâ benedictione fuerit illuſtratus. Dedicamus inſuper tibi, optimæ, & clementiſſimæ Virgini, & generis humani dulciſſimæ Matri, quâ nihil melius, majuſque orbis habet, quæ ab ipſo pulcherrimo, & clementiſſimo Filio Dei ducis exemplum ſummæ clementiæ, quæ mundi curam mente, & amore geris, ſemperque circumfers, cujus immenſa potentia nullũ habet finem, quæ uno mentis ictu omnium vota perſpicis, & contemplaris, præterita, inſtantia, & futura, quæ juſtitiæ & recti datrix flectis habenas, & fræna imperiorum, & materno affectu clementer omnia dona diſpenſas. Dedicamus ingenti ſpiritu hunc ſerotinum devexæ ætatis fructum, etſi oculis tuæ majeſtatis haudquaquam dignum imparemque; dedicamus tamen, auſi, quia fiduciâ tuæ clementiæ pleni, cui proprium eſt ſuorum vota audire, opes, vires, & ſpiritum amoris dare, cùm poſſis omnia. Si itaque benigno vultu donum noſtræ paupertatis, ſua Majeſtas acceptârit, fructum tuæ quam laudavimus clementiam ſentiemus. Illuceat ergo mihi hoc propitium ſignum tui favoris: aſpiciat me leniſſimum aſtrum tuum. Parum dixi; Sol omnium bonorum fœcundiſſimus. Tu enim veriſſimus Sol, quæ alterum à te Solem mundo peperiſti. Da mihi, quod jubes, & jube, quod vis. Apta proprijs officijs tempora vitæ meæ. Tu ſcis, quid conveniat mihi, quid rebus meis neceſſarium, & utile. Et cùm ſimus tuæ Majeſtati chariores, quàm nobis ipſis, diſpenſa eas dotes cæleſtes, ut illis rectè, & feliciter provecti, portum felicitatis aliquando teneamus: nos enim animorum impulſu, & cæcâ cupidine ducti, ruimus in ſpes inanes falſaſque. Unum oro, da te amari à me; felicem enim amore tuo, & beatum me ſentiam· quo qui caret, beatus eſſe non poteſt. Vobis prætereà, ô Reges, & qui animas regi-

A tis, quidquid eſt noſtrum, pronus offero, rogoque per Deum, ut uni clementiæ veſter labor, & induſtria deſudet, à qua tota, & veſtra, & Reipub. & animarum ſalus dependet. Scribunt Romani Hiſtorici antiqui cùm Hiſpaniarum, nec non Galliarum robur, & potentiam extollunt; has Provincias eſſe Romani Imperij duo potentiſſima brachia, quibus totum orbẽ frænatum coërcebant. Vos cogitetis Clementiã, & Juſtitiam eſſe duos lacertos validiſſimos gubernationis: Clementiam dextrum, Juſtitiam ſiniſtrũ, quibus totum regimen continetur, conſervaturque. Verſetur ob oculos Chriſti Dei, & Sanctiſſimæ Virginis clementia, non pigeat utriuſque clementiam imitari, Chriſti Domini paternam, Virginis ſanctæ maternam. Una alteri B ſit auxilio, ſit indiviſus amor, & copulæ nexus æternus. Memineris illud Caſſiani Collat. 11. cap. 11. Evidens indicium eſt, animæ necdum vitiorum fæcibus eliquatæ, qui in criminibus alienis, non affectu miſericordiæ, condolere, ſed rigidam judicantis tenere cenſuram. Juſtus miſeretur animas pecorum ſuorum; viſcera autem impiorum ſine miſericordia. Ideoque iiſdem vitijs Monachum ſubjacere certiſſimum eſt, quæ in alio inclementer, atque inhumanâ charitate condemnat. Optimè Salomon Proverb. 22. verſ. 9. *Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. &* 11. *Clementia præparat vitam.* Et Proverb. 22. Septuaginta ſic habent; *Rex rigidus incurret* C *mala, & qui obturat aures ſuas ne audiat, & ipſe invocabit, & non erit qui exaudiat eum. Rex proinde & judex inſipiens perdet populum ſuum, & Principatus ſenſati ſtabilis erit.* Eccleſ. 10. *Qualis eſt rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Supplico ut Rectorem, & Principes meminerint præcepti Mecœnatis ad Auguſtum Cæſarẽ. Vide Dion. lib. 52. *Vives velut in quodam orbis terrarum theatro, nec fieri poterit, ut minimium tuum peccatum lateat: omnes enim acta Principum ſcrutantur. Unde non tam minas tuas metuent, quàm facta imitabuntur.* Deindè ſplendorem tibi tuis præclaris facinoribus para. Statuas tibi aureas, *nec argenteas fieri unquam ſine; benefaciendo autem alias tibi ſtatuas in animis hominum, nulli interitui obnoxias effice. Templum tibi nullum patere ædificari. Virtus enim multos Diis adæquat, ſed nemo tamen ſuffragiis hominum* D *Deus effectus eſt. Itaque ſi bonus tibi ſis, & rectè imperes, univerſa terra templum erit; pro delubro omnes urbes, omnes homines pro ſtatuis, in quorum animis ſemper cum gloria inſidebis. Qui verò imperium malè fortè gerunt, eos iſta ornamenta, quamquam in omnibus urbibus impoſita, tantum abeſt ut decorent, ut etiam reprehenſionibus exponant, cùm ſint trophæa quædam malitia, ac iniuſtitia munimenta. Sic rege, & qua velles alium in te imperium habentem agere, age. Vitam exinde beatiſſimam, & tutiſſimam duces.* Audite omnes, qui regitis. *Quin etiam, inquit, te patriæ ac ſervatoris loco omnes ſuſcipient, & diligent, cùm viderint te modeſtum, vita integra, bello ac*

o ac pace præstantem. Offero vobis unum Lemma, cum quo finio: *Impera, ut pater: ama, ut mater, fortiter & suaviter.* Suavitas facilitatem, fortitudo efficaciam gubernationi præstet. Nullum violentum imperium est diuturnum. Amor cùm fortior sit timore, ama ut ameris. Blandissimum Imperium, est imperiosissimum. Væ Principibus, qui ducunt vitam Epicureorum, & Veneris infame regnum inducunt, & laxant fræna libidini. An non hoc est evertere Christi regnum, & regnum dæmonis creare, & totum orbem suis sceleribus trahere in ruinam? Clamabat sanguis Abel de terra apud Deum; an non clamabunt tot millia damnatarum animarum, quas libertas Principum in libertatem traxit? Vigilate tanquam rationem reddituri. Rex Βασιλεὺς est. Quid est Βασιλεὺς, nisi basis populorum, à cujus anima tot animæ pendent, perituræ, vel salvandæ? Samson columnas concussit, quibus totum palatium innitebatur, & plures moriens occidit, quàm vivens. Prostrata vita Principis quid est? nisi ruina basis & totius Reipublicæ ruina?

Accipe lemma.

ALTERA PARS
XVIII. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De clementia Sanctißima Virginis, primaria tanta Principis dote.

MAGNITUDO clementię Divinæ ex inundatione infinitæ tum bonitatis, tum ardētissimi amoris inexplicabili potentiâ in nos derivatur: magnitudo, & Virgineæ clementiæ ex iisdem fontibus dimanat. Tantò ergo quis clementior, quò bonitate & amore major, ardentiorque, & divinæ Majestati vicinior, charior, familiariorque. Necesse est ergo Virginem clementiæ gloriâ Deo proximam, quam bonitate, & amore præ cunctis proximam esse fatemur. Exprimit ergo Sanctissima Virgo perfectissimam clementiæ divinæ, quantum fieri potest, similitudinem, cùm sit tanquam Mater simillima Filio, cui familiarissima. *Oportet enim*, ut ait Dionysius Areopag. *ad Demophylum*, Epist. 8. *eum, qui Deo familiariter jungitur, quàm maximè conari, & pro viribus Deo simillimum fieri.* Cùm igitur Sanctissima Virgo sit ad summum, & eminentissimum perfectionis culmen evecta, & omnium congestarum virtutum fastigium teneat, quæ ulli contingere possunt: teste enim D. Thomâ in 4. Distinct. 30. quæst. 2. art. 1. quæst. 1. *In beata Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis fuit, & quia talis est, tantaq; excellentia.* Et Epiphanius, Serm. de laudibus in medio. *Stupendum est in cælis miraculum. Mulier amicta Sole. stupendum miraculum, in cælis alter thronus Cherubicus, stupendus in cælis mulieris Filius, qui ipsius est, & seculorum pater.* Optimè ergo Idiota de contempl. cap. 4. *Inter omnia opera æterni opificis, præter operationem illam, quâ nostra natura unitus est filius, speciale opus fuisti, ô Sanctissima Virgo, qui ad hoc te fecit, ut quod prima opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Benè est. Inferendum ergo est: Sicut sacrosancto, & admirabili Incarnationis mysterio nihil est augustius, omnem vincens admirabilitatem, & stuporem, novum novorum omnium, & supremum, & extremum opus divinæ potentiæ: Sic & tu es, ô Virgo, sacrosanctissimum Mysterium, opus, quo nihil augustius, omnem vincens admirabilitatem, novorum omnium novum, supremum, extremumque divinæ potentiæ prodigium Deo consecratum.

Quare clementia S. Virginis proxima clementiæ sui Filij.

Argumento convincitur clementiam SS. Virginis excedere omnem admirabilitatē clementiæ, quia scil. proximâ Deo esse, necesse est.

Nunc precor, Lector, redi ad caput. Cùm igitur, ut dixi, sanctissima Virgo sit omni virtute, & omni prærogativâ gratiarum in infinitum quodammodo dotata, necesse est, eam tanquam Principem, & infinitè amantem, omni laude clementiæ florere, omnibus supereminere, nec ullâ malitiâ posse obscurari. Meritò ergo vocarim illam Clementiæ Divinæ *thronum Cherubicum*, in quo clementissimus filius resideat, per omnia, & in totum Filio simillima, quantum Mater Filio Deo potest adæquari. Vis metiri magnitudinem clementiæ? priùs metiaris amoris, & charitatis. Charitas consistit in summâ arce virtutum, cur non & clementia? efferbuit charitas in genus humanum; effloruit & clementia. Bernardus tom. 2. Serm. 51. articulo 1. capite 3. *Ex ardore salutis humanæ toto affectu desiderabat filij sui Incarnationem, ex quo tenerrimus, & maternus nascebatur, & accendebatur affectus, & quemlibet, etiam vilissimum, ut Mater Filium diligebat, & arctissima conciliabatur amicitia, qualis inter parentes solet exoriri.*

Vocatur illa clementiæ Thronus Cerubinus.

Summa Virginis charitas, summa & clementia.

Sicut enim parentes diligunt filios suos, quasi factionem suam, eisque bene volunt, quorum sunt auctores, quod videtur omnium maximum vinculum, teste Philosopho in varijs locis. Sic & matres profusiore charitate, quàm patres suos fœtus complectuntur, quia magis suum opus, liberos arbitrantur. Et quia opus difficultate definitur, magis utique generando, matres, affliguntur, ut docet Aristoteles lib. 7. Moral. ad Eudemum cap. 10. qui & 8. Ethicor. capite 11. docet summam intercedere inter parentes, & liberos conjunctionem.

Parentes filios ut suum opus & factionem diligunt.

Matres præ patribus vehementius amãt.

ctionem. *Parentes,* inquit, *amant liberos, quasi ex se quiddam sunt, qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi.* Sanctissima ergo Virgo summâ in homines charitate flagrans, arctiore amicitiâ, & firmiore consensioue voluntatis nobis, tanquam filijs copulatur, quos summis doloribus, non carnaliter, sed per acutissimos dolores spiritualiter in morte Filij luctuosissima parturijt.

Virginis sanctissima amor in nos excedit parentum amores.

Non igitur mirum, nos tanquam factionem suam, tanquam opus suum, tanquam alteram se ferventissimè diligi. Diligunt matres, diligit & Virgo tanquam mater, sed longè aliter, quàm matres, quarum dilectio, & incursio intemperantium affectuum retunditur, minuitur, vel absorbetur.

Sanctissima Virgo leges amicitiæ fidelissimè servat, in prosperis, & adversis: at in adversis curiosiùs. Amicitia ejus omnem continet felicitatem: quoquò te verteris, præsto est, nullo loco excluditur. Non ita aquâ, non igni, non aliâ re, ut aiunt, pluribus locis utimur, quàm clementiâ. Felix ille, qui navigat ipsius vento: felix, si quis amat, verè feliciter ardet: confide planè, illam tibi æternam fore amicissimam. Non deserit, nec ætate, nec adversis, si semper morem gesseris. Memineris illud Plauti in Cassina: *Nam ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo. Neque salsum prorsus, neque suave esse potest quidquam, ubi amor non admiscetur.* Fel, quod est amarum, id mel faciet: hominem ex tristi lepidum, & lenem. Hanc ergo Virginis clementiam domi, forisque, in templis, & calentibus aris, semper præ amoris magnitudine excubantem colamus. Illa quippe est custos magni mundi: illa se inserat nostris actibus, & leges ponat rebus agendis: illa mentem, & vultum componat; vetat illa sævire, jubet omnibus prodesse, & injurias benefactis ulcisci.

Leges amicitiæ servat integerrimè SS. Virgo.

Hanc clementiam parit ingens amor, qui est condimentum omnis amari. Virginis ergo clementia indicibilis, & incomprehensa, quia & ejus summa virtus, & charitas indicibilis, & incomprehensa, quia Dei Mater, & omnium nostrûm summè amans, omnium Princeps.

§. II.

De Virginis clementia, quâ maior esse nequit.

DEUM diximus clementissimum, dicimus & Virginem clementissimam. Et sanè nequit aliter esse, cùm sit ejusdem speciei, & naturæ (quod ad carnem attinet.) quomodo enim esset mater ejusmodi Filij, non ferens in se integram, & absolutam Filij imaginem? Ergo Filij sui simillima: si simillima, non tam simulacro corporis; sed verâ potissimaque hominis parte. Corporis enim circumjacentia hominis dignitati sunt extrinseca, sunt adventitia, etiam impijs concessa: si inquam, simillima, totus in anima Virginis Filius est, & Virginis in Filij, quantum fieri potest. Non sic speculum objectum speciem reddit, quàm Virgo, dotes sui Filij. Non hominem homini, ut ait Plautus in Monachinis, *Similiorem vidi alterum, non aqua aqua, nec lac lacti crede usquam similius, quàm hic tui est, tuq; huius.* Talis erat concordia morum, ut dicta ex dictis, facta facta nosceres Virginem & Filium, nihilo ipsa minus, quantum dici potest, quàm filius, summè amans, & amata: summè clemens filius, summè clemens Mater: Rex ille clementiæ; illa clementiæ Regina. Dos principalis regnantium in utroque summa: uterque servat fœdera innatæ bonitatis. Habitat Deus in Christo; habitat in Virgine Deus: plenus in Christo Deus, plenus in Virgine Deus: forma Dei Christus; forma Dei & Virgo, quantum esse potest. Nulla effigies commissa metallo exprimere Christum, nulla Virginem reddere potest. Solus Deus Virginis, supremus opifex, solus & Christi Domini. Felix, qui non simulachrum utriusque; sed ipsos videre potest.

SS. Virgo quantum fieri potuit simillima filio.

Deus Filium matrem, & mater Filium exprimit.

Nunc autem cùm videri non detur, spectantur in orbis theatro clementiæ suæ factis, & exhibitione suæ bonitatis. Optimè ergo Richardus de sancto Victore in Cantic. cap. 39. *Ipsa singularis species Christi, præ omnibus speciosa, Christoq; simillima, & signaculum similitudinis, quia expressam formam circumferens imaginis impressa.* Cùm igitur nihil amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum, in quibus eadem studia sunt, eædem voluntates, hinc fit, ut æquè quisque in altero delectetur ac seipsi efficitur id, quod Pythagoras vult *in amicitia, unus fiat ex pluribus,* teste Tullio l. 2. offic. Una dos principalis in Christo Deo est clementia, ergo & in Matre. Quæ cùm ita sint, velim tamen ne frontem obduxeris, si dixerim

rim in Virgine diffusiorem clementiam, quam in Deo universorum patre; non reipsa: nam in Deo est infinita, sed teneritudine, impetu naturæ femineæ & maternæ. Deus enim quia pater est, magis satagere videtur, & magnitudine beneficiorum, & Principatu præstare, & tueri patrium rigorem, ne familiæ gubernatio dissidijs laboret.

Amicitiæ vis est, plures unum efficere

An matrum, & imprimis Sancta Virginis, quam communem omnium matrem veneramur, majori teneritudine, quâ matres solent, videtur res nostras curare, & patri supplices irato manus ostendere, rebusque desperatis sese objicere, & semper intervenire? Deus enim, quamvis sit Pater, est tamen & Judex, & ultor. Matres autem etiamsi impotenter læsæ, semper meminerunt se matres, & vindictam paratam charitatis involvunt materno paludamento; nesciunt odisse, quod ex suo peperêre. Si enim natura tantum amoris bestijs infudit, ut non solùm diligant suos fœtus, verùm etiam se morti offerant, & venatorum turmis obsessæ, suis visceribus eos tegant. Esto, ingruat nubes telorum, densentur jacula, muro sui corporis circumfuso protegunt tamen, & excutiunt toros cervicis iratæ, & per pulchram ruunt mortem immemores vitæ. Tantæ molis, servasse delicias viscerum suorum.

Quomodo Virginis clementia videtur superare Dei clementiã.

Matrum tenerrima natura, dispar patrum.

Quis credat & oceani undas has amoris flammas sentire? & in barbaro elemento esse hospitales curas? Ecce tibi, Phoca, maris domina, & Balena, undarum Princeps, auctore Philostrato, lib. 2. cap. 7. vitæ Thyanei. *Vidi*, inquit, *in Ægidis*, vel ut alij, *Æglé insula, Phocam à piscatoribus captam, mortuum filium, quem in carcere, ut sic dicam, pepererat, ita deplorare, ut triduo cibum sibi interdixerit, quamvis omnium belluarum voracissima.* Balena verò faucibus ex se genitos abscondit, si quando majorem se belluam fugere cogatur. Benè & pulchrè Euripides: *Omnibus profectò hominibus filij sunt anima, quod ipsum animalia pecudesq; sibi vendicant.* Hic tamen amor potentius dominatur in matre, quàm in patre.

Bestiarum in suos fœtus amor.

Nunc, Lector benigne, mecum assurge altiùs. An non operationes animæ nobiliores, validioresque quàm simplicis naturæ? Planè Nobiliores ergo & efficaciores erunt animæ effectus, quos ipsa producit. Non igitur Paulum miror, si Onesimum, in vinculis genitum, vocet, Epist. ad Philemon. viscera sua: *Tu*, inquit, *illum ut viscera mea suscipe.* An non Virgo totum genus humanum, Filij sui sanguine emptum, & seipsa, ex se natum ardentiore complectetur amoris incendio, quàm Paulus Onesimum? legis caperatâ fronte, dum legis, & seipsâ redemptum. Paulus Cast. Consil. 264. incip. In præsenti causa. colum. 3. lib. 2. carnem Filij ait esse velut carnem Patris auctam;

Phoca bellua marinæ amor in suos genitos.

Quomodo dici debet Virgo SS concurrisse ad opus nostræ redemptionis.

A ita licet efficiatur novus homo propter animam novam, non tamen dicitur primus homo exstinctus post mortem ipsius. Quod longè aliter evenit Matri Dei, quæ quidquid est Filij, sibi & soli vendicat, & Filius totam fabricam sui corporis debet Matri. Hac de causa dixi genus humanum Filio suo, & seipsâ redemptum, quæ dedit Filio seipsam, sanguinem scilicet suum, suamque carnem, & ex suo ærario omnes thesauros suos, quibus redimi posset. An non hæc justissima causa materni amoris? qui summam clementiam erga suos filios parturit? Clementiæ itaque Virgineæ indoles ex misericordiæ fundo, velut uberibus nectare turgidis omnem suarum gratiarum vigorem trahit, sugitque.

Ex ærario suo dedit thesaurum satisfactionis præstandæ.

B Viden' vigorem admirabilem? neminem quantumvis vilem despicit, neminem non lactat, omnes, tanquam sui partem, complectitur, cunctis porrigit auxiliatricem dextram calamitosis, & mortalium perniciem æstimat suam. An non illa virtute miseros, naturæ communis socios, suos, & fratres sine discrimine constituit decernitque? Sustentatur prætereà beneficâ liberalitate, quâ injurias beneficijs redimit, immeritos & ultione dignos provocat donationum regiarum, & pulchro benignitatis duello, cum perduellibus certat, & vulneratos, disiectosque ut filios, amplexibus fovet. Divinum ergo, posse, & velle benefacere.

Dies nostras curas ut suas.

C

§. III.

Clementia Virginis viti comparatur.

Vinea terrarum pars optima, ocellus, & gaudium universæ terræ: sic virtutum in regno Virginis clementia principatum tenet. An non instar vitis odorem dispergit optatissimum? Fructus vitis exhilarat, vinum fomes ingenij, quod vino vehitur, ut aves pennis, teste Pausaniâ in Lacon. pellit mœrores, & curas edaces, mœ-
D roris unicum levamen, lætitiæ dator, novi sanguinis, & boni genitor, motor animorum generosus: unde φρεντισκον dictum, mentem auferens, & sui potores prodigos facit. Illustrior fructus clementiæ, qui corpori & animo conciliat beatam tranquillitatem, & sanguinem & animosam indolem creat, bellatrices iras proscribit inductâ pace. Quid pace lætius? assimilatur vino propriè, quia præter voluptatis sensum delitiasque medetur & vulneribus, aspergine vigoris acris infusa, tum doloris, tum putredinis amotione: unde & Bacchus ex oraculi præcepto ὑγιάτης dictus. i. sanator, Sic & Atheneus. l. 3.
Sic

Vini mirabiles effectus clementiæ accommodantur.

Sic & clementia quamvis sit lætitiæ conciliatrix,& circumfusa undique benignitate pellat metus, mœroresque depellat; infigit tamen bonitatis suæ excessu, suis beneficiarijs modesti pudoris lenes sensus, quasi amoris aculeos, ut etiam invitus erubescat,palleat,& indoleat ad memoriam injuriæ fabricatę. An non hujusmodi, sine strepitu ex oculis per genus diffluentes Petri lacrymæ fuêre, quas verecundus evocabat pudor, & amor offensi amantis? Vinum lacrymas ciet, sedat, & ignem suscitat in flammas,

Vt solet effuso surgere flamma mero.

Eadem vis,& potentia clementiæ. Quis non solvetur in lacrymas cum Davide, quicumque expendit Dei clementiam, quâ pœnis æternis exemptus, Deo & cælis est redonatus. Clamet ille: ***Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea.*** An non sedat cùm dicitur: ***Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum? Noli flere,*** tangetur loculus, resurget anima mortua, tuus scilicet Filius? flammas suscitat: ***Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum. Nunciate dilecto meo,quia amore langueo?*** Quare etsi vinum præstans effectibus, hujus tamen præstantia cedit uni Virgineæ clementiæ, cujus ubera sunt meliora vino. Virgo præbet omnibus ubera duo,clementiæ scil.& misericordiæ. His uberibus lactat,nutrit, pascit totum orbem,& ad ea sugenda blandis vocibus invitat. Cantic. 7. *Manè surgamus ad vineas: videamus si floruit vinea. si flores fructus parturiunt,* ibi dabo tibi ubera mea, ut inde, velut ex cælestibus botris nectar, vinum sapientiæ, & misericordiæ nectar exprimas. Unde & alio c.dicit: *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Quodnam vinum conditum,nisi vinum, quod clementer porrigo in phiala aurea cunctis, tam hostibus, tam fœdifragis, quàm mei studiosis, vinum scil. sapientiæ, & clementis misericordi, ut in vijs sapientiæ gradiantur, & misericordiæ meæ benignissimis alis obumbrati protegantur. Quid hoc est ergo? *Dabo clementer tibi ubera mea?* nisi sugas amores meos, quibus æternitati feliciter ablactatus,& enutritus adolescas? Quid hoc est: *Dabo tibi ubera mea?* nisi ut tu miser, & miserabilis, nudus & inops, tanquam dilectus inter ubera mea commoreris? ô Clementia Virginis admirabilis! inter ubera mea te collocabo, & æquabo te Filio meo,qui solus hoc virginei pudoris secretum vendicavit; tunc tibi ostendam magnitudinem amoris mei, & secreta bonorum æternorum; tunc ebrius, quasi musto, instar Apostolorum, oblivisceris rerum caducarum, curas inanes, & plenus spiritu meo cantabis magnalia Dei; tunc eximentur onera peccatorum,& diluentur omnes accessu melioris boni corporeæ voluptates; tunc dolor abibit, & dissolventur fascini nugarum, & instar pauperis, qui vino potus tollit cornua, & tollit vacuum,ut ille ode 13.l.1. plus nimio gloriâ verticem, tolleris in altum sapientiæ A gradum,in quo collocatus, per contemptum rerum omnium supervolitabis omnia pulcherrimis pennis. O felix ebrietas,quâ Boëtius factus sapiens dicebat,metor 1. l.4. *Sunt & enim pennæ volucres mihi, Quæ celsa conscendant poli, Quas sibi cum velox mens induit, Terras perosa despicit.* O felix ille qui suxit hæc ubera vino fragranti turgida! ille minor non Angegelo, dives, liber,honoratus,pulcher, rex denique regum. Verùm, ô amice Lector, ut admittaris ad hunc uberum Virgineorum beatissimum attactum, parendum Sanctissimæ Virginis imperio, vocantis ad secessum, & solitudinem matrem sapientiæ. *Veni,* inquit, *dilecte mi,& egrediamur in agrum; manè surgamus, videamus si floruerit vinea, ibi dabo tibi ubera mea.* Melior est una gutta cælestis oblectamenti, quàm oceanus omnis carnalis voluptatis. Hoc mysterium felicitatis nobile locum poscit, solitudinem Deo amicam; juxta divinum oraculum Oseæ 2. *Ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem,& ibi loquar ad cor eius.* Et quidem manè surgendum, juxta Psal. 5. *Manè exaudies vocem meam: manè astabo tibi.* Sap. 16. *Oportet solem prævenire ad benedictionẽ.* Sic & aves auroræ promicantis crepusculo lacessitæ ante pastum Deum suum canoris,& modulatis cõcentibus laudant. An non Philomela novem instrumentorum symphoniam exsuperat, mille potens varios referre modos. Manè Hebræis cælo mittitur annona cælestis. Non & Christiani, nam Plinius ad Trajanum scribit, summo manè Christianos carminibus suum Christum laudare solitos. At turbas,& fumantes urbium tumultus odit Mater Dei, sicut & Filius. Moyses admittitur ad Dei colloquium,& visionem grandem in montis secessu. Hunc imitatus magnus Nazianzenus in Apologia ad suos cives, ubi ait se omnia reliquisse,ut tranquillè Philosopharetur,secumq; ipse,& cum spiritu colloqueretur. *Helia,* inquit, *Carmelũ animo agitabam, Joannisq; desertum,& calestem eorum vitam, qui hoc Philosophia genus profiterentur.* Et in orat. de amore pauperum. *Præclara res solitudo, & vita ab hominum cœtu commercioq; remota.* Ut igitur dentur ubera Virginis, id est, admittaris in scholam sapientiæ, & percipias misericordiæ gratiam,egredere domo tuâ, fastidiosum fuge populum,quære silentium nam in eo spes & fortitudo tua. Vini virtus acerrima evanescit ventis,aëre,vasis laxamento,sui diffusione, quæ vinculis stricta,vegetior exsurgit; sic mẽs sui custos fugiensque tumultus semper seipsâ robustior adolescit. Vino comparata clemẽtia ut prodiga sui, ut perlucidior vitro sese ostentat,ut omnibus vini tẽperati effectibus potentior. Effectus vini dedimus, ut lætos, ut immunes curarum,ut miseros,beatos,ut prodigos sui facit. Umbram dedimus clementiæ, dum vinum dedimus pronubum. Meliora sunt, Virgo, ubera tua vino. O Sanctissima Virgo, inebria nos tuo sacro lacte; bibamus vinum honorarium tuæ clementiæ, quamdiu peregri-

Manè ante auroram laudandus Deus.

B

Plinio Iuniore teste Christiani soliti Deum laudare manè.

C

D

Vis & virtus animæ in solitudine qua marcescit in turba.

peregrinamur à Domino, quoad cælo donati inebriemur ab ubertate domus Dei.

§. IV.

Clementia Virginis balsamo comparata.

NOn tam pulchrè, quàm verè natura balsami naturam clementiæ, & perennis bonitatis immotam firmitatem repræsentat. Summa succo auctoritas, si balsamum nō mixtum, sed purum, merumque. Inter cetera, mirum dictu illud Dioscoridis lib. 1. cap. 8. *Si effusum in vestem, nullam maculam facit, neque si eluatur, notam relinquit.* Clementia Victrix effrænis naturæ omnes noxas hostiles memori mente profligat, excluditque, nullum premit alto dolorem corde. Diluta memoria nullam cicatricem non solùm relinquit, imò & habitâ ejus priùs curâ, summæ curæ est, nullum vestigium reliquisse. An non miraberis Imp. Cæsarem de Catonis exitio & fortuna conquerentem? Audi vocem. Sciebat Catonem libertatis vindicem, & hostem suum, qui quod ultimum fuit in libertate vidit, quâ diu frustrà sustentatâ, secum illam in ruinam labascentem traxit, ferro in pectus condito. Ut audijt Julius, quid ille? *Invidisti mihi Cato tuam vitam.* Summum clementiæ facinus est, non solùm ignoscere; verùm hoc illi innatum, *ut summæ vindictæ genus sit ignoscere.* Diximus balsami puri, non permisti, eam esse naturam, & eandem clementiæ Virgineæ tribuimus, illa semper vultu, & moribus, & verbis par, nullam sævitiam aut asperitatem factis, verbis, ore, vultuque præ se fert. Quod animo sentit, id vultu promptum habet, & linguâ. Eam speciem, quæ fronti inscripta, motibus sinceræ mentis confitetur. Deinde balsamum non mistum validi odoris, sincerus, non ad acorem vergens, modicè tamen gustu mordicās, vel vulnerum attactu. Masculum enim est, nihil molle, nihil effeminatum in se continet. Cadavera servat æternitati, & mortuo dat suam incolumitatem. An non natura clementiæ Virgineæ per totum orbem suavissimis exhalantibus odoribus, longè lateque defertur? Quæ caret ora nomine, & Virginis famâ? Quæ solem sentit, & non afflatur aurâ suavis odoris? quid acoris, quid mordacitatis secum vehet, cordi cujus inest ipsa teneritudo & lenitas? lenitudine tamen suâ dulciter vellicat, mordetque sine morsu, dum vulnera contrectat manu medicâ; dum vacillantia membra restituit, morsibus peccatorum medetur, & mortuos curat: clementiæ enim veræ hoc proprium, non solùm parcere hostibus vivis, sed mortuis parcere, benè precari, regiè parentare, memoriam colere, & si quid virtutis occursârit in hoste, publicè collaudare, cineri pacem & quietem dare. Masculа enim virtus est supergradiens popularem, vulgaremque hominum conditionem. Victrix illa animi, animo imperat. Hæc ars Ferdinandi II. famam Imperatoriam per orbem pennis triumphalibus detulit: hæc virtus æternitati inseruit. An non mirabile? hosti suo Walstenio, cui summam rerum, belli pacisque jus, & leges commiserat, quamdiu bonus meruit: proditoris verò ubi fortunam induit, ingemuit, & ad allatam mortis famam lacrymis, & multis millibus Sacrorum indigno parentavit. Celsior Julio Cæsare, qui spectato sui Pompeij insepulti capite, trunco illacrymavit. Lubet exclamare:

Balsami conditio.

Balsami & clementia collatio.

Clementia nullum reliquit ultionis vestigium.

Quod sit summum vindictæ genus.

Balsami altera proprietas.

A

Ingens Ferdinandi Secundi victoria sui in hostem.

Hic ludus orbis. Ille tot Regum parens
B *Caret sepulchro Priamus, & flammâ indiget*
Ardente Troia.

Seneca in Troade.

Longa dies igitur, quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferroq; cadentem.

Juvenalis Satyr. 10.

Quot vulneratos, quot in peccatis computrescentes non curat, sanatque clementia Virginis? quot mortuos non revocat ad vitam? suo loco fastos recludam. Quot desperationi, & æternæ damnationi proximos suo patrocinio subtraxit? ultrò se C ingerit negotijs illorum, & omnibus actibus intendit miserè periturorum. An non ideò matris nomen obtinuit, ut mater peccatorum, & pereuntium, ne pereant, vocaretur? Hoc ipsum mirificè extollit Sanctus Bernardus Serm. 4. super Missus: *Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam generis tui. Sine ea nihil refectum est, sicut sine Deo nihil factum. Per Mariam manus transiit, quod Deus nos habere voluit.* Tu quoque rape omnes tecum ad conditoris summi notitiam, & audi Ecclesiasticum cap. 41. *Operamini tempus vestrum ante tempus, priusquam mortis tempus, & mercedis advenit.* Syrus aliter vertit: *Operamini opus vestrum non in tempore suo, & dabitur merces vestra tempore suo.* D Tam latè patet balsami vis, & inditus odor, quàm ipsa balsami indita natura. Unum ab altero separari nequit. Tam latè & patet Virginis clementia, quanta ejus bonitas naturæ. Per contactum trahitur odor balsami, & circumfertur. Amicâ & reverenti consuetudine SS. Virgo dulcescit, & magis atque magis illicijs divinis rapit animam. Ultima, & nobilis balsami proprietas, roborare sensus; caput arcem corporis, mirificè firmare. Hanc virtutem sensit Stephanus, dum inter saxa crepitantia tunderetur. Spectabat oculis Sanctissima Virgo sanguinariam carnificinam, cernebat cruentum spectaculum, cernebat insanos carnifices

Per SS. Virginem omnia donantur.

Altera Balsami proprietas.

nifices saxa volutantes in caput innocentis, cernebat rivulos cruoris diffluentes. Exarsit Virgo, & clementiâ usa, pro peccatoribus exoravit. Sic furor clementiâ pensatus. Stephano verò, qui in ipso juventutis flore decorem ætatis purpurabat, robur balsami, id est, suarum precum afflavit vires, ut vincere posset, qui pro victoria certabat. Unde illi tanta virtus contra tam validas insanientium manus? Toto conflictus duello Virgo spectatrix erat. Locus etiamnum hodie in valle Josaphat, inter montem Oliveti, & Hierusalem, & saxum, in quo Virgo cum Joanne preces fundebat, ostenditur. Debet Stephanus victor suam Virgini victoriam, sicut Stephano Paulus suam conversionem. Sic plures, inter quos & doctissimus juxtà ac religiosissimus Pater Cornel. à Lapide in Acta Apostol. ubi & addit cap. 6. vers. 57. folio 160. in valle Josaphat ostendi lapidem in quo B. Virgo cum S. Joanne pro Stephano, toto lapidationis tempore preces fuderit. Debet ergo Stephanus suam Martyrij coronam B. Virgini, æquè ac S. Paulus suam conversionẽ, quàm moriens pariter impetravit S. Stephanus. Fecit Virgo victorem, Stephanum, quem recepit Filius Virginis, in triumphum.

Orationes SS. Virginis Stephano victoriam pepererunt.

§. V.

De summo clementiæ Virgineæ opere ad Filij sui æmulationem, & similitudinem.

SUmma Dei perfectio posita est in amplissima omnium tam proborum, quàm malorum stupendaque dilectione. Ut igitur Filius Dei manifestissimis factis probaret se Filium Dei, moriturus infectissimis hostibus suprema dilectionis (quod est omniũ operũ maximè arduum) signa, & favorum argumẽta, quæ vivus ostendit, exhibuit & impẽdit. Fecit ergo quod docuit: *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos*, ut sitis adoptivi Filij Patris mei, cujus ego naturalis, & hæreditarius. Quare moriturus consigno toti hoc testamentum mundo, & has voces obsides, & fidejussores meæ voluntatis, & amoris tanquam ultimum monimentum mei relinquo. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Divinum quoddam est, & infinitæ bonitatis signum, cùm Deus infinitæ magnitudinis injuriam hostibus, iisque vilissimis non solùm condonat; verùm suis favoribus eos præoccupat, prodestque. Est opus sanè magnanimæ mentis, & objectum nobilissimæ charitatis, à se desciscere, se præterire, suæ famæ damna subire, & in castra hostilia sua signa transferre. An non difficile, quum ut ho-

Summum & arduum omnium operum.

A mo sui potens, sui victoriâ potitus vindictæ venenum strictosque mucrones in se, suumque caput micantes transmutet in dulces amores, & vitam suam volenti tollere servat alienam? vehemens est amor, qui sui incendio restinguit, opprimitque faces odiorum, & incendia inimica. Et ut Gregorius Nazianzenus pulchrè: εἰς φίλτρον ἐκ φόβου, *ad amorem ex metu.* Et Ambrosius lib. 4. Epist. 29. ad Florianum. *Magna est gloria, si, cui potuisti nocere, parcas.* Plus gloriæ peperit sibi Filius Dei parcendo, quàm ulciscendo cùm justè posset. Quid enim aliud est hoc, quàm leges sibi dicere? Christus ergo, ut se Deum ostenderet, voluit suam pietatem de Judæorum impietate triumphare. An non regiâ, & insuperabili voce per orbem in orbis theatro intonuit? *Pater dimitte illis.* Attende Le-

Mortem præscisci pro vita aliena ingentis facinoris.

B ctor ut pietas prætendat impietati paludamentum suum, & ignorantiâ scelus extenuet: *quia nesciunt quid faciunt.* O sacrum vindictæ genus. Sauciat inimicus, & beatur: trucidat, & vitam accipit. Ecce ut Filius Dei, plenus omnium dolorum. Sustinet malorum incursum, tolerat amarissimos, & saturos felle convitiorum conflictus: ecce ut ipse totus unum vulnus, ut novæ plagæ locus non esset. Satur dolorum, nondum tamen satur, nec lassus benefaciendo, prosilit, etsi confixus manus pedesque, in novos favores, rores scilicet gratiæ novæ novâ, & inusitatâ donativâ dispersus. Pater, inquit, si amas, amas autem, nec potes non amare; si amas, inquit, amorem proba, quem ego morte oppignero.

Admirabile certandi genus.

C Ecce supplicem tendo animum, cùm manus non possim: dimitte illis hanc noxam, in authoramentum servitutis toleratæ, & nunc exantlatæ. An non instar providi gubernatoris navem in extrema tempestate regẽtis omnibus immanium dolorum fluctibus occurrit. Et occurrendo, non declinando validiùs insurgentibus naufragium suæ clementiæ vitavit? *Omnes*, inquit, *fluctus tui transierunt super me.* Summum mihi vindictæ genus, ignoscere. Auctuarium vindictæ, sit augmentum amoris. In hoc igitur opere Filius ostentavit bonitatis suæ clementiam, quod nullâ injuriâ, quantâ maximâ, nec expugnari, nec lædi potuerit. His præmissis, veniamus ad nostram unicam heroinam, dolorum, &

Christus Dominus tenacissimus sua clementia.

Inexpugnabilis Christi D. clementia.

D injuriarum domitricem. An non illa cùm sit Dei Mater, proximè ad Dei similitudinem, moresque divinos accessit? si accessit, ad Filij imaginem condita, quid illi gloriosius? nec indebita poscit ratio, quàm ut sit imitatrix sui conditoris, & Mater Filij. Lex est naturæ, ut omne quod generat, generet sibi simile: & ratio exigit, ut morum æmulatione Filius & Mater, & quidem talis Mater, & talis Filius sibi assimilentur. Hæc enim est seminis, & sanguinis Virginei per sacrosanctam incarnationem dignitas, ut in illa, quasi quodam speculo, divinæ bonitatis, & clementiæ forma resplendeat.

Sanctissima Virgo domitrix dolorum clementia sua innato bono.

Tanto

Tanto igitur ad hāc nobilitatē fuit erectior, & altiùs provecta, quanto similitudinē Filij sui, suique Dei vivaciùs in se expressit. Spectemus ergo in Virgine summum operum Filij sui, ut simul, & semper, Mater, & Filius congrediantur, & splendeant. *Stabat mater juxta crucem*, in qua pendebat Filius, tot dolorum ictibus, & aculeis saucia, quot Filius vulneribus. In utroque tot plagæ. Quis locum inveniet novæ? scopus uterque sagittarum in utroque tacita forma mortis: in utroque duplex funus. Cor Filij tanquam cera liquescens in medio ventris sui: cor miserum matris guttatim contabescens, quasi salem in aquam indideris. imber in utroque lacrymarum, quamvis in matre major, quia mater. An fortè tot apes hybla fovet, an Oceanus tot arenas, silvæ tot frondes, tot grana mala pũnica, quot in uno corde Virginis stimuli dolorum glomerati? major est, quàm dici dolor potest. *Magna est, velut mare, ô Virgo, contritio tua.* An non solet fortissima corda vehemens dolor frangere? quid tenerius corde Virginis? & quidem matris, in tanto luctu, & Filij tanta calamitate, filij unici, & tantopere amati? quomodo teneritas, & mollicies non inclinata succubuit? is, qui vitam Filij sustentavit Deus, is & Matris teneritatem, ne deficeret naturæ vigor immanitate tormentorum. An non animalia, & leones raptis suis catulis in furorem vertuntur, & prodigi vitæ armantur in hostem? an non Hecuba exarsit in furorem viso corpore Polydori filij? Audiamus Poëtam:

Indicibiles Virginis dolores.

Aspicit ejectum Polydori in litore corpus,
Factaq; Threiciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant: obmutuit illa dolore.
Et pariter vocem, lacrymasq; introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroq; simillima saxo,
Torpet, & adversa figit modò lumina terra.
Interdum torvos attollit ad æthera vultus:
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera nati;
Vulnera præcipuè, seq; armat, & instruit irā,
Quā simul exarsit; tanquam regina maneret.
Vlcisci statuit, pœnaq; in imagine tota est.
Sic Hecubæ postquam cum luctu miscuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita suorū,
Vadit ad artificem dira Polymnestora cædis.

Matris Hecuba furor exarsit viso mortuo filio.

Nemo scit, quid sit esse matrem: quis sciet, quid sit esse matrem Dei? nostra ergo Sanctissima Mater, quamvis debito jure lacrymas lacrymis rigaret, & imbres, ut solent, solutâ nive, lacrymarum per sacrum vultum, & sacra ora decurrerent, & serie dolorum, eorumque facto impetu obsideretur, non fuit tamen sub dolore, nec vinci malis potuit. Tantum roboris in anima magnanima, & divinæ voluntati obnoxia erat videre, & audire lacrymas, luctum, gemitus; non tamen ejulatum, non manus complosas, & ruptis capillis insolentes. Spectabat vultum Filij pugnis, colaphis, sputis, & sannis informem, ut

Constans animus plenus quamvis dolore, non tamen sub dolore.

A monstrum hominis; spectabat vulnera clavis terebrata, vulnera præcipua, fontes sanguinis, sanguine fluitantia, tota rapitur in imaginem filij. In hac circumstanti turba malorum, animosa in angustis rebus, & fortis apparet. An fracta dolore sese ad vindictam armavit? an instar leænæ instruit iras? An ultionis avida, fœmineos excivit ejulatus? altior, & excelsior omnibus injurijs, & violentiâ Virginis Matris animus, quàm ut tangi, lædique posset confusione mentis perturbatrice. Artibus filij sui petivit hostem, armis heroicis ulta est filium; tela, quæ ferro armata, regessit aurea. Quàm vellet offerre telis pectus pro hostium vita! quàm vellet morte suâ filij mortem sequi, & pro hostium salute

B suam pacisci! Vici, inquit illa, naturam matris, vos vici cruentos hostes mei dulcissimi sanguine nati. Inaudita victoriæ forma. Vici me & vos, dum instar matris complector. Me vici, dum exuo matrem, & vos, dum hostes, filios dico. Meâ ergo clementiâ vos perduelles, reosque læsæ Majestatis æternæ meo periculo penitus absolvo. Vestra maleficia, meis obsequijs redimo. Nihil reliquum est; mea & meipsam oppignero. Ecce Lector, in Filio nulla vindictæ species, nulla & in Virgine. Sciebat Virgo nihil sibi gloriosius, nec Deo quidquam propinquius, quàm benefacere suis inimicis. Verè cecinit Poëta:

SS. Virgo exuta Matrem, novā matrem induis cum parit novos filios hostes scil. suos.

——— *Diis proximus ille est,*
Quem ratio, non ira regit:
Servat moss. nsam divina modestia vocem,
Et placidus delicta domat.

C Pulchrè & B. Aëlredus in speculo Charitat. cap. 7. *Quid*, inquit, *Divinæ tranquillitati tam proximum, quàm illatis contumeliis non nocere, nullo supplicio, nullâve persecutione terreri, unam mentis in adversis, & prosperis habere constantiam; eodem amicum, & inimicum oculo contueri!* Vicit ergo semper Virgo, ut victis posset parcere. Virgine nil ingens mitius orbis habet. Sciebat Virgo debilis, & infirmæ mentis esse vindictam, ut rectè Juvenalis:

Quis excelsus animus.

——— *Quippe minuti*
Semper & infirmi est animi, exiguiq; voluptas,
——— *Vltio.*

Imbecilla se Lædi putant, si tangantur. An non formicæ, & mures si tangantur, ora

D convertunt? omne quod molle penetrabile telis, quæ à duro resiliunt, & cum dolore cædentis solida feriuntur. Ultio doloris confessio est. Ingens animus Sanctissimæ Virginis, verusque suæ magnitudinis æstimator, non vindicat injurias, quia nullas in animum dimittit, nullas proinde sentit. An non hoc est certissimum signum regiæ magnitudinis, quàm nihil posse, quo instigeris, accidere? Planè. Sublimissimus ergo animus Virginis, quietus semper, omnibus exorabilis, & in statione tranquilla collocatus.

Tu Lector imitare Virginis magnitudinem. Non assentiaris vindictæ, nec iræ tuæ. Sis potens contra hoc malū, dum adhuc tuus es, dum

dum adhuc placida mens, nec turbida; retrahe in altum exortam iram, nec dolorem tuum profitearis. Imitare Socratem, de quo Plutarchus de non irascendo. Socrates, inquit, quoties se sentiebat asperiùs moveri erga aliquem amicorum, huic fluctui, quasi marinam crepidinem opponens, vocem submittebat, vultu subridebat, & aspectu blandiore erat, & ita vergendo in alia, & in contrarium affectui motum se torquendo, seipsum sine lapsu servabat & invictum. In hoc esto θυμώδης animosus, ut iræ domineris & ultioni, tibi non adscribatur: *Secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm suam substantiam exaltabit iram suam.* Ecclesiasti. 28. & Proverb 19. *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis.* ubi Chaldæus habet: *Fremuit sicut leo ira Regis.* Pro viribus, potentia, opibus *intumescit ira*, & mensura iræ, est potentiæ magnitudo. Reges ergo cùm sint potentissimi, ira & furor Regum ut leonis, qui omnium animalium ferociâ dominator ferocissimus, & pro robore virtutis colligit iras. Quis Deo, & Virgine potentior? quis fortior? cùm illorum sit imperium metuendum, qui solo nutu cuncta, ut leo fremitu suo silvas concutit & tremefiunt. Omnia summa, quæ poterant esse ultionis instrumenta, fuerunt summæ clementiæ. Vertit in amores furorum causas, accendit se novis flammis. Quàm vellet ut iis arderet orbis!

Socratis ars incompressione ira.

§. VI.

Clementia liberorum fœcunda, atque hominum parens. Deinde ut clementia inauguret SS. Virginem Sacerdotem, & cur Filius petra & silex vocetur.

PRodigiosam ostendimus orbi Virginitatem fœcundam: quis nosceret Matrem, Virginem æternam? An non prodigiosius videri debet, si dixero clementiam fœcundam liberorum? Fœcundam propagationis humanæ & orbis altricem. SS. Virgo duplici gloriâ Mater celebranda; utero scilicet glorioso, quo Virgo peperit Filium; & utero clementiæ, quo peperit totum orbem. Hoc summum operum perfectissimè elaboravit mille lachrymis, mille suspiriis, & mille aculeatis doloribus stans coram Filio in cruce pendenti. Tunc exseruit omnem potentiam suæ magnanimitatis, ut se Matrem oblita, Matrem se exhibuit generi humano, cujus salutem tunc in summis doloribus felicissimè parturiit, ita ut mortales tanto dolore partus effusi, possint vocari Benjamini, filij doloris mei. Parturiit nos Christus in cruce, parturiit nos Virgo stans juxta crucem: enixus est nos Christus valido clamore vocis & cordis, enixa est nos Virgo valido clamore cordis & lachrymarum. Habent, enim & lachrymæ suas voces. Tradidit Pater æternus Filium mundo, Filius seipsum in cruce hostiam pro mundo; illud Regis, hoc Sacerdotis fuit. Virgo utrumque munus obivit, dedit illum mundo concors æterno Patri; & Filio suo concors Sacerdotali pietate, Filium in hostiam dedit. Quare & optimè Bonavent. *tom. 3. oper. Nulla postea creatura ita per amorem nostrum exardescet, quæ amantissimum Filium suum & unicum, quem multer plus seipsâ diligebat, pro nobis dedit & obtulit.* & Epiphanius *de laud. Virgin. O Virginem, stupendum Ecclesiæ thesaurum! qui adeptus est ingens mysterium. Virginem appello Sacerdotem pariter & altare; quæ quidem mensam ferens, dedit nobis calestem panem Christum in remissionem peccatorum. Sacerdotem* vocat, quia unà cum Filio obtulit Filium, in hostiam Deo Patri. Vocat altare. Attende peccator; Christus semel in cruce, tanquam hostia, mactatus; at in corde Virginis millies & millies mactatus, & toties, quoties lachrymis, & precibus, & voluntate Filium suum morti addixit, ne tu æternùm perires, morte Filij redemptus. Pulchrius hoc Arnoldus Carnotens. *de laud Virgin. Una tunc erat Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum, ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. unde communem in mundi salute effectum obtinuit.* *Euge proinde*, ait Gerson *in titul. 2. de canticordo. ad voces spiritus sui, dum proprium Filium suum, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum & votorum consensit crucifigi pro redemptione nostra.* Elias exstructâ arâ jugulatam victimam igne cælesti consumpsit. 3. Reg. 8. *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocausta, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam, quæcumque erat in aquæductu lambens. Quod cùm vidisset populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus: Dominus ipse est Deus.* Elias in monte Carmeli, Christus in monte Calvariæ aram ædificavit crucem. Elias bovem in victimam, Christus seipsum composuit. Diffluebat victima Eliæ, tertiùm superfusis aquis, ita ut aquæ currerent circum altare, & fossa aquæductus repleta est. Victima Christus ipse totus perplutus, & sanguine inundans suo mundum lavit currentibus circum altare rivis sacri cruoris. Cùm tempus esset ut offerret holocaustum, accedens Propheta, ait: *Domine Deus Abraham, Isaac, & Iacob, ostende hodie, quia es Deus, & ego servus tuus.* Tempus erat holocausti offerendi, & Christus, ipsissimum holocaustum, totus in flammis jacens, totus incendium amoris, seipsum seipso cremans, orabat Patrem: *Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Ostendam ego, quòd sim Deus, & servus tuus. Ignosce, sicut ego ignosco: quia nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus. Eliæ holocaustum consumptum igne de

Quomodo clementia liberorum mater.

Quomodo clementia inauguravit SS. Virginem, Sacerdotem.

Comparatio sacrificij Eliæ & Christi Domini in monte.

de cælo misso cum lignis, lapidibus, &c. Christi holocaustum consumptum omnia mundi peccata combussit, omnia scelera exterminavit, & chirographum in cruce affixum, quo mundus tenebatur captivus, servitute miserabili pressus & oppressus in cineres redegit: Elias Prophetas Baal idoli jussit jugulari, & Christus omnem idololatriam stravit & evertit: Elias finito per miraculum sacrificio misit ignem & amorem in mentes Israëlitarum, & ad Deum convertit, & Christus Dominus finito suo sacrificio misit ignem in terram universam, quo suaviter ardet ignita; juxta illud Luc. 1. *Ignem veni mittere de cælo.* Exaudita fuit oratio Eliæ, & *Christus cum lacbrymis pro reverentia sua exauditus est.* Verè Christus in cruce se Deum probavit, & suam omnipotentiam parcendo, dum lachrymis, doloribus, sanguine pacem orat, & impetrat orbi, & ante omnia clementiæ magnitudine. Contorquebantur in Christum omnium nequitiæ scelerum, & convitiorum machinæ, & ille in hostes machinas pietatis. Illi illi furentes hostes tonitrua maledictorum in Christum continuò ejaculabantur; & Christus flammas amoris, & voces cygneas: *Pater ignosce.*

O Lector, quale genus bellandi nos docet Christus? maledicitur, & benedicit; saturatur opprobriis & doloribus, & saturat hostes bonis; illi apparant mortem, & ille vitam; illi coronant spinis, & ille nectit gemmeas coronas. Hic ignis clementiæ, qui semper arsit in Christo, semper & in sanctissimæ Matris pectore. Venit uterq; mittere in terrā ignem, & quid volunt, nisi ut ardeat. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Accipe ergo Emblema, & Lemma, Petra, silex, saxum. Christus & Maria silex est; si feris, ignis erit. An non petra Christus? an non Virgo petra? Percussa petra dedit aquas, percussus Christus dedit aquas clementiæ: percussa Virgo nunquam visa inclementior. *Attendite ad petram*, inquit Isaias 51. *unde excisi estis. Attendite ad patrem vestrum Abraham, & ad Saram, quæ peperit vos.* Septuaginta habent aliquid efficacius: *Aspicite scilicet in solidam petram, quam excidistis.* An non Judæi manus, pedesque clavis exciderunt, & lanceâ pectus?

Dic Christiane unde excisus es, nisi in Christo baptizatus? ex Christo excisus, quia membrum Christi, cujus corpus est Ecclesia. Excisi sumus ex Christo: quia sicut excisi ex Adamo portavimus imaginem Adami; ita excisi sumus ex Christo, ut portemus imaginem Christi. An non sumus pariter omnes excisi ex petra, id est Virgine, quæ omnes nos peperit Christo, & in Christo? Quid est Sara, nisi Domina? & quæ est Domina omnium? nisi Mater ejus, qui est jure paterno Dominus dominantium, cui omne genu curvatur? Esto rupes, & silex, & saxum, percussus vome flammas amoris,

Christus est rupes, silex, petra.

percussus funde aquas benedictionis, salientes in vitam æternam; percussus uberis unguenti disperge suavitatem. Eia mortales, fugite mel de petra durissima. Quid calumniis & injuriis durius? perfer & obdura percussus: mella dabit rupes, & oleum saxa durissima. Magni animi proprium est, injurias supernè despicere. Magnarum mentium est, lædentem negligere, colère, vel persequi telis amoris. An non formosa pictura, cujus nulla pars errat? sic formosus homo, in quo nulla clementiam macula deturpat. Esto tibi inexorabilis, exorabilis aliis. Latebat in Christo, velut in silice ignis Divinitatis: latebat in Virgine fax igniti amoris. Nullus in utroque vindictæ sensus. In cruce ostendit in se ignem, ut & in rubo latitans incombusta. In Virgine latitat ignis amoris. Lampades ejus, lampades ignis, quo totus mundus inardescit. Summum operum in Christo, parcere & benefacere hostibus: summum & operum sanctissimæ Virginis, parcere & benefacere. Decernatur ergo triumphus summus summæ victoriæ. Victoriarum suprema victoria est, de seipso triumphasse. Admirare, esto rupes, silex, saxum, ut si percutiaris, percussus, ignes amoris in adversarios fulgures mittasque. Quod familiæ Burgundicæ est supremum decus, vellus scilicet aureum; hoc tibi circumda cum inscriptione, *Si percutis, dabo ignem.* Lateat in te ignis hic sacer, ut carbones igniti ex tuo igne prosiliant hostibus salutares. Quàm nobile est talem ignem fodere ut prosit, non ut noceat. Ingens ignis, beneficiis certare cum odio.

Mortales fugite mel de petra.

In Christo ignis, in Virgine fax.

Christus silex, qui percussus jaculatur ignes amorum.

Nescit irasci læsus, nescit meminisse injuriæ.

§. VII.

De prodigiosa sanctissimæ Virginis clementia.

PArricidia, proditiones, & omnes scelerum faces illustrabunt Virginis clementiam. Quidquid cælum, terra, homines, nec ipse Deus potest tolerare, tolerat clementer Virgo: tolerat obstinatos, admittit supplices, & Mater misericordiæ omnibus est asylum, quibus nullum apud homines. Nemo quamvis clementissimus, hostem insatiabili odio flagrantem complectitur nisi posito odio placabilem? quis enim confidat venena propinanti, & micantes gladios in exitium vibranti? quis audeat familiarem convictum ambire jurati hostis? Intuere Atreum & Thyestem fratres, qui astu doloque texerunt funestas iras, & fictam amicitiam. An non Atreus

——— *ultrices animam servabat in iras?*

An non apposuit patri epulandos filios? Carthago æmula Romani Imperij cùm cessisset, post innumerabiles Romanas clades in præmium victoriæ, pacem supplex impetrare

Ingens odium fratrum.

non

Hannibalis odium in Romanos ad aras Deorum juramento conceptum. Caracallæ odium in patrem Severum indicibile.

non potuit, nisi dedito jurato hoste Hannibale. Quis mortalium, etiam barbarus, Antonini Caracallæ audeat patrocinari? quis misereri? cujus odium adeò in patrem efferbuit, ut patrem inter equitandum districto gladio sit insecutus, ut perfoderet, nisi clamor circumstantium, patrem filio furenti eripuisset? Quid agat pater? mersus funereo dolore vocat filium ad tentoriū Papiniano & Castore Principibus sociatum. Jacet stratus humi gladius emicans. Pater increpat. Túne, inquit, ausus parricidium? age, inquit, si lubet interfice. Senex sum, tibi vita mea longior est, quàm improbus velit. quòd si reformidat tua dextra, utere Papiniani. Si jubes, explêrit facinus. Impius in patrem filius, sceleratior in fratrem Getam, quem pendentem ex collo matris, pectori & matris uberibus adhærentem, lamentantem, clamantemque: Mater mea, genitrix, genitrix fer opem; occidor, occidor. Mater misera filium, quem pepererat, in sinum suum quodammodo recepit, adeò filij sanguine madida, ut vulnus, quod ipsa in manu acceperat, non æstimaret. Vide Dionem *lib.* 77. O feram infamem! quin & ausus gladium, tanquam votivam tabulam suspendere Deo. Quis, etiam barbarus, huic monstro misericordiam orabit? Hujusmodi prodigiosos parricidas sui Filij tolerat Virgo, quibus & misericordiam impetrat. Quis non horreat unius feminæ Tulliæ, in patrem Servium Tullium detestabilem immanitatem? quis tangetur adversus illam misericordiâ? Regnandi sæva libido exuit amorem patrium. Audi Ovidium *lib.6. Fastor.*

Odium ejusdem in fratrem.

Inaudita filiæ in patrem immanitas.

Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta, feroxq; vias.
Corpus ut adspexit, lachrymis auriga profusis
Restitit; hunc talı corripit illa sono:
Vadis; an exspectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Virus, & æternâ res ea pressa notâ est.

Erubuêre equi cum barbaro auriga: non erubuit filia. Euge, inquit, agita currum super faciem mortui patris. O filia, non filia; sed ferâ deterior! Audi Florum *cap.7.lib.1. Tarquinius Superbus rapere regnum maluit, quàm exspectare. In missu percussoribus in Servium, non melius scelere partam potestatem egit, quàm acquisierat: uxor Tullia, Regis filia, non abhorrens ab ingenio viri, ut virum Regem salutaret supra cruentum patrem vecta carpento consternatos egit equos.* Sic grassatur libido regni in proprium sanguinem. Quis feret hanc immanitatem? fert sanctissima Virgo. Impium Darium, quem præter morem Persicum pater Artaxerxes (ubi Rex nisi morte mutatur) Regem dixit victus amore patrio. At filius, quid reposuit patri? molimen parricidij. Concubinam patris Aspasiam amatam; sed tandem negatam à patre arripuit in occasionem sceleris, quod absolvisset, ni pater

Impij Darij in patrem odium.

A prævenisset cum excidio centum & viginti filiorum.

Pipinus Gibbosus illicito, prophanoque conjugio natus, bis patris vitam proditoriè petivit. Suffecerat Regi semel ignovisse; vicit Regem pater, & patris memor, bis parricidæ filio scelus condonavit. Quid ageret pater? anceps diu, & multa ultrò citroque advocata consilia dubius volutans; tandem ne periret filius, se Regem oblitus, monasticâ, in ultionem, vitâ clausit. Quid non cogit amor, patriusque sanguis? Et quamvis tantum posset, attamen haud potuit reddere natum patri, vitamque sine vita reddit, semovitque oculis, vitâ indignum. Vide Egnat. *lib.* 5 *cap.*9. Et sanè, nec lex justior ulla

In Carolum Magnum filij odium.

B est, quàm necis artificem patre carere suo. Quis filij, qui nomine eo indignus, detestabile scelus potens iræ volet concoquere? Lucium Tullium Annalem patrem proscriptum, latebris totum, per vestigia tamen assecutum, in conspectu suo occidendum (ô portentum! ô nefas!) gladiis hostium objecit; bis parricida, consilio, deinde spectaculo. Quo præmio? non tulit numen. Vino plenus domum repetens, ab iisdem, quos commiserat in patrem, percussoribus peremptus. Sic Valer. Maxim. *lib.9.cap.*11. Carolus Magnus bis parricidæ vitam dedit: & Virgo innumeris vicibus parricidas admittit. Carolus ab oculis semovit; Virgo sub oculos admittit, oculis blanditur, ignoscitque.

In patrem Lucium impiissimus filius.

C Immane facinus parricidium, non multo minus, nec inferiùs perfidiâ & proditione. Unus proditor sufficit in totius regni excidium. Quare Claudianus in Rufinum optimè dixit & exclamavit:

Unus proditor sufficit excidio regni.

Heu heu quàm brevibus pereunt incendia causis!
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperêre labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.

Quare Philippus Macedonum Rex interrogatus quos præcipuè amaret, & maximè odisset: *Proditores,* inquit, *unicè amo: odi autem quàm maximè ubi proditio peracta.* Sic Stobæus *serm.*12. Hunc imitatus Augustus: cùm enim

D in convivio Rhymitalces Rex Thracum, qui ab Antonio ad Augustum desciverat, crebriùs merita repetendo, exprobraret; dissimulatâ petulantiâ, alteri Regum propinans bibit, dixitque: *Proditionem amo, proditores non laudo.* & benè. Res peracta pro tempore grata, proditores verò semper exosi. & cur non essent fœdifragi? juxta illud Æschyli:

Proditorum infame & exosum genus hominum.

——— *Didici odisse proditores,*
Nec est vitium quod magis quàm hoc respuam.

Memorabile illud Aureliani Imp. de Heraclemone patriæ suæ proditore. Lege epistolam ex Flavio Vopisco:

Aurelius Augustus Mallio Chiloni S.
Occidi passus sum cujus beneficio Thyanam recepi.

Ego vero proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderunt: neque enim fidem servare posset, qui patriæ non pepercit, &c. Pari pœnâ & odio Maximinus Imp Macedonium, qui Thycum æmulum Imperij, occiderat, est insectatus. Primùm enim gratias egit, posteà ut proditorem odio habuit & occidit. Herodianus in vita, & Capitolinus. Vindicat Deus parricidium, vindicat & perfidiam, tanquam proditricem fœderis humani. Parricidas & proditores nullus admittit; una Virgo sola admittit, ut prodigiosam ejus clementiam totus orbis complectatur. Diximus in parricidio, tanquam in scelerum fonte omnia scelera contineri, & perfidiam, proditionemque ejusdem impietatis consortem. Quare & justissimi Principes gravissimas pœnas horum scelerum reis decretas rigidissimè servarunt. Tanta visa est Ethnicis parricidij immanitas, ut senserint fieri non posse. Notat Plutarchus Romulum fundatorem urbis nullam legem tulisse adversus eum, qui patrem occidisset, quòd tale facinus impossibile judicasset; omnia enim jura, cùm humana, tum divina id horrificum scelus detestantur. Eamdem rationem, causamque attulit Solon, cùm diceret; se non putare aliquem fore parricidam. Persæ verò aiunt, neminem patrem aut matrem occidisse. Cicero monstri & prodigij loco censuit hoc facinus. Lex Constantini: Neque gladio, neque ignibus, neque ulli pœnæ subjiciatur; sed insutus culeo, cum cane, & gallo-gallinaceo, & vipera in mare vel amnem projiciantur, ut elementorum usu, vivus carere incipiat, & cælum superstiti, & terra mortuo auferatur. Verùm hæc longè ante tempora Constantini lex lata fuit, ut constat *ex lege P. ff. ad Leg. Pompeiam. de parricid.*

Parricidiũ apud omnes gentes vix credibile.

Ad prodigiosam Virginis clementiam veniamus. Sciunt Gentiles, sciunt Christiani, Deum esse Patrem universi. Ille, qui unus est Pater, & unus est, qui cuncta ministrat. Scimus Deum Patrem habere Filium, qui hominibus per sacrosanctam Incarnationem, & consortium naturæ humanæ datus in fratrem. Quâ de causa eos, qui faciunt voluntatem patris sui, compellat suos fratres. & alio loco, Matth. 28. *Nolite timere, ite, & nuntiate fratribus meis.* Communem ergo habent homines cum Christo Patrem. Joan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meũ, & Deum vestrum.* Scimus Filium Dei naturalem esse & Virginis Filium naturalem. Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* An non igitur dignus infinito odio, dignus omnibus suppliciis, qui non solùm arma, vim, & manus conjuratas meditatur in exitium Patris, verùm etiam Patri, & Deo, & Filio manus armatas, furore percitus intentat? an non hîc hostis communis, & hominum societate profligandus? Planè. An non dignus omnibus pœnis, cui nec Phalaridis taurus, nec Reguli Punicæ

Deus est omnium Pater.

A pœnæ pares sufficiunt? verè hic quicumque est, nec cælo, nec aëre, nec terrâ dignus. An non pari scelere obstrictus, qui fratrem sustulit, & manus cruentas circumfert fraterno sanguine sacrilegè inauguratas? an non omnium horribilium scelerum immanissimum, si quis Deum, & eumdem Dei Filium, eumdemque Filium innocentissimæ Virginis trucidat? an non in uno scelere omnium scelerum summa? Quis audeat tantæ impietati securus patrocinari? quis advocare contra partem læsam? quis hoc scelus tutari, nedum dixero defendere? quis hospitio & domo istam luem accipere? Insuetur parricida impius in Patrem, in Filium, in Filij Matrem sanctissimam, culeo, viperæ & cani societur; B exuratur pestis, & cineres tantæ pestis evanescant. An ergo clemens is dicendus, qui hujusmodi pestem, quâ terra polluitur, suâ potentiâ texerit? Hæc Mater dicenda, in cujus sinu Filius trucidatus, & exundante Filij sui sanguine purpurata, ipsum nefarium parricidam tuetur, servat incolumem, & ne pereat, parricidæ abblanditur? an non obliviscitur se Matrem, si nefarij sicarij suscipiat patrocinium? Prodigiosa clementia & omnem fidem exsuperans. Majori opus virtute, quàm naturæ virtus tanto dolori par tantam acerbitatem ferre possit. In Virgine sanctissima regnat ista incomprehensa clementia. An non quotidie spectat Filium suum, Deum suum Patrem sceleribus hominum in- C festissimè lacerari, & quidem innumerabilibus modis, ab uno, & eodem hoste & durante per longa tempora, constantiique malitiâ? An non vincit omnem admirabilitatem Matrem Dei toties cumulatis Filij sui funeribus tanquam asylum, & aram exorabilem, & sequestram judicem se velle & exhibere, & (quod omnem superat fidem mediam) occurrere, ne fulmina in tam scelestos torqueantur. Clamat Filius tactus dolore, velut sagittâ percussus: Intereo: clamat & Mater: Fili mi, parce; parce fili mi, & in mei gratiam, parce & parricidæ tuo, simul & meo. Clamat Filius instar Getæ Principis in sinu matris: Occidor, occidor, mater mea, genitrix mea, opitulare, opitulare: clamat Mater: D Fera pessima devorat Filium meum, & quem in utero gessi, confoditur in sinu, quem in sinu cautè portavi. Vulnere, fili mi, quo tu confoderis, confodior & ego. Clamo tamen: Parce fili, *utroque orbabor filio in uno die?* Genes. 27. Verùm, sanctissima Mater, ait Filius, an non sum tibi melior, qui Dei Patris, & tuus sum filius, quàm omnes mortales? an non tibi sufficit magnitudo meæ Divinitatis, cum qua tu possides omnia? Quid nobis potest conferre vilis homo, nec vitâ nec misericordiâ dignus? An non est hæc portentosa clementia, horribiles meos hostes, suæ salutis proditores tolerare, tueri, atque complecti? O Mater, videris mihi facta non mater. An qui me ejurant, sacrilegis violant manibus,

Indicibilis & supra naturæ vires clementia SS. Virginis.

Filius Dei miratur SS. Matris clementiam tota hac pagina.

nibus, & mea sacra conculcant, non sunt fatalia portenta & prodigia mei imperij? omnes creaturæ stant armatæ in ultionem: ignis elementum minatur incendia, aër suffocationem; terra deditionem, ut illis dehiscat; aqua depressionem, ut suis undis immergantur; cæli denique militia, & ferarum exercitus, & quidquid creatum, stant in procinctu dextris exertis ad faciendam vindictam in nationibus, & ingemiscunt prohiberi vindictam magnitudine potentiæ maternæ. An non Matris erat stare in prima acie, pro Filij sui vita? & tamen Mater ipsos parricidas, ipsos perfidos, ipsos proditores tuetur, propugnat, & vim justitiæ propulsat ab illis. An non prodigium, Matrem prodigam in hostes, & severam in Filium? magni est, hostibus parcere; at debitum naturæ est, Filio favere. Tanto amore complexa est Virgo humanum genus, & tantâ parricidas & proditores Filij sui, & implacabiles hostes charitate prosecuta, ut pari cum Patre æterno voluntate Filium suum infinitè dilectum animârit, exacuerit, & jussa dederit ad mortem sævissimam subeundam. An non ideò fortè Filius in cruce totus exæstuans doloribus, sic affatus est Matrem: *Mulier ecce hic Filius tuus*; quasi externam alloquutus, non Matrem, & plus tribueret affectibus hostilibus, quàm Filio, indulgentiusque tractaret parricidas, quàm Filium. Fierine potest, sic Matrem transferre amorem Matris in hostes? Filius autem cùm videret se jussu Patris morti destinatum acerbissimæ, & se pendentem undique doloribus obvallatum, exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Pater ut externus hospes; & tu, ut aliena mihi mulier Filium tractas; tu cum Patre conspiras in mei exitium, & morti consecras. Dicam aliud: Facias per impossibile nullum intercessisse Patris decretum moriendi; ipsa, ipsa Mater tenerrimi affectus: Mater, inquam, summè amatum Filium morti pro parricidis fuisset inaugurata. Tantus amor, tanta clementiæ vis in corde Virgineo. Tanti est, genus humanum perfidum & proditorium posse servari. An non est hoc postponere vitam Filij, & mortem Filij diligere pro vita parricidarum? Mirum dictu, ut Matris sanctissimæ pectus tenerrimum ferat Filij sui proditores, ut complex foveat, ut partes inimicas suis opibus, tanquam custos, antistes, & procuratrix propugnet, & amoribus quasi inexpugnabili valle communiat.

Finiam, si dixero, Matrem Dei omnem sceleratis suam auctoritatem, gratiam, copias, & opes in salutis negotium deferre, ad pacis fœdera conficiendæ redire; nihil prætermittere obsequij, studij, amoris, quò perditos in libertatem restituat. Hanc suam voluntatem, nec opinantibus, per omnia signa benevolentiæ defert. At fortè ad Filij imitationem pro proditoribus & parricidis intercedit. An non Filius moriens pro parricidis & proditoribus Patrem oravit? oravit, & quidem cum lachrymis fudit preces, quas & Pater pro reverentia Filij audivit.

§. VIII.

Curiosa quæstio: An clementia Virginis excedat Filij sui clementiam in cruce pendentis?

CErtum est, scelerũ & circumstantiarum magnitudinem, clarâ cognitione vel diminui, vel in immensum amplificari. Parricida nemo vocari potest, qui patrem sustulit ex ignorantia. Sicut Nero vocatus matricida, qui deliberatâ mente scelestus sustulit matrem. Brutus, qui primus ex conjuratis dextram in Julium Cæsarem armatam immisit, parricidæ notâ ustulatus non fuit, etiamsi Cæsar vulneribus acceptis exclamârit: καὶ σὺ παῖ; ignoravit enim matris cum Cæsare consuetudinem. Qui venator hominem inculpatè sagittis confecit, existimans feram delitescentem, in judicio de sanguine fuso purgatur. Qui Codrum Regem pro patria fortiter præliantem confecit, Regis interfector argui non potest; gregario enim habitu purpuram regiam permutârat, & subigens equum calcaribus, in medias acies se præcipitem dederat. Deinde circumstantiæ ceteræ circumvestiunt, sicut virtutes, sic & crimina: magni quippe interest, quis, qualis facinus patrârit; quis injuriam intulerit, & cui illata; pro vilitate enim & personæ dignitate crescit in immensum, quod virtute vel flagitio peractum. Quàm ingens facinus Caroli V. qui in præmium pacis, concordiæque communis, duellum Francisco Galliarum maximo Regi detulit. *Mei, inquit, sanguinis periculo flamma extinguatur.* Minor gloria duelli Davidici cum Goliath gigante, quia pastoralis conditionis concursus fuit. Quàm grandis actus attonito regno, si Rex fatum advocet, ut mancipium vile fato liberet; exilis verò, si mancipium Regis vitæ vitam oppigneret suam. Deinde si par pari condonet injuriam, Rex Regi, sapiens sapienti, inops inopi, non multum habet admirationis. Magnitudo ergo condonatæ injuriæ, & excelsitas magnanimæ clementiæ non æquabilitatem, quam Græci vocant ἰσονομίαν coarguit; verùm ingentem differentiam & dissimilitudinem personarum demonstrat, quæ vinculo clementiæ, quamvis divortio naturarum, & dignitatis intervallo sint dissitæ, inter se copulantur, non aliter, quàm si in amicitiam coalescerent. Christus ergo sublimis in ligno fatali pendens, cùm Sacerdotem, tanquam in ara ageret, & seipsum Deo Patri in hostiam consecraret, quamvis tum admirabile & nobilissimum clementiæ spectatoribus exemplum daret, dum intercessor pro latronum & impiorum salute

Cognitio sceleris auget condonationis magnitudinem, & contrà ignorantia extenuat.

Ignorantia sceleris extenuat clementiæ magnitudinem, ut in Christo contigit.

In Virgine SS. contrà clementia crevit in condonatione parricidij, quia magnitudo sceleris illi nota.

salute Deum Patrem orat, exhibuerit, magnitudinem tamen clementiæ, & sceleris immanis atrocitatem ignoratio personæ Christi non parùm diminuit, attenuavitque. In lenimentum ergo tanti sceleris, ignorantia concessit, quam & Filius Dei Patri ostendit, cùm ait: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant.* Tenebantur quidē immani scelere obstricti, dum atrociter in virum, quem sciebant innocentem, tanquam Prophetam, miraculorum patratorem, furentes desævirent; quare & ingentis virtutis fuit ignoscere: non tamen in Christum, tanquam Deum impias, cruentasque manus immiserunt; quem Deum esse ignorabant. Non enim Christi miracula per se sola convincebant Christum esse Messiam, & eumdem Deum, quamvis conjuncta prophetiis, quæ de Messia erant, si intelligerentur, & crederentur, convincerent; sic enim evidenter cognita ipsum esse Messiam à Deo promissum clarè poterat coargui. Plebs ergo, & multo minus populus Gentilis non cognoscebant Christum Messiam: imò nec Scribæ, nec Pharisæi esse Filium Dei naturalem; nonnulli tamen Messiam; verùm pauci, qui eo tempore vivebant, intelligebant Messiam futurum Deum: neque enim suspicabantur sacrosanctum Incarnationis mysterium, à cujus cognitione veritatis tam admirabilis series & origo dependebat. *Si enim*, inquit Paulus 1. Corinth. 2. *cognovissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent.* Quare & Stephanus Actor. 7. vocat Judæos justi proditores & homicidas, & non filij Dei, quamvis dicat se videre Filium Dei stantem à dextris Dei. Ignorantia ergo prætexitur, & facilior ignosci non ægrè impetrat condonationem. Verùm malitiæ Christianorum protervæ, cui nulla inscitia prætendi potest, quæ potest exspectari, in acerbissima injuria, in parricidio; nimium exile est, quod dico, dico in Deicidio spes remissionis, spes relaxationis, multò minus amicitiæ. Quid enim intolerabilius, quid efferatius, quid crudelius, quid immanius, quid indignius mente, & cogitatione, quàm scienter & meditatâ curâ, consilioque obfirmato pertentare magni Dei ultimum excidium? & tamen una est fœmina, quæ quodammodo sepositâ Matre, & quasi oblita filiæ. O clementiam omnem cogitationem supergressam! ô inexplicabile pelagus maternæ pietatis! vocat benignè ad sua signa proditores sui Filij, & Deicidas, qui ut castra lituos sequuntur, sic illam; & ut Matrem suam affectant, & tecti ejus patrocinio non languidiùs in scelera ruunt sua. Spectat hanc tragœdiam & Iliadem malorum Deus, & patitur, subitque & concoquit injurias & vulnera, & infamiam cum ipsa morte: quia placitum est Filio Virginem consecrari asylum & templum peccatorum, Matrem misericordiæ, & clementiæ fontem. An non dixeris prodigiosam clementiam, quę sæpiùs rupta fœdera, violatas dextras, & iteratas, renovatasque clades, pari & æquabili lenitate componit? ingratificas preces exaudit? desperatos revocat? usque ad ultimum spiritum, spiritum sui favoris submittit. Quid amatoribus suis pręstiterit grandius? si tanti est hostis juratus; quanti erit amicus? nullus ei hostis, si velit, etiamsi pessimus, possit esse amicus. Ultimum prodigiosæ clementiæ trophæum, quòd leges beneficiis collatis adstrictas generosissimè servet in condonatione injuriarum. Beneficij nobilissimas nemo est, nisi vilis & degeneris animæ, qui nesciat leges. Quis ignorat beneficij gratiam bonis gravidam commemoratione corrumpi? odiosum enim hominum genus beneficia exprobrantium. Meminisse est ejus, qui accipit; non commemorare, qui contulit. Et cur hoc? lacerat quippe animum & premit frequens commemoratio beneficij, pudorem provocat, simul & tædium, cùm indigentia, vel necessitas, ut unguis in ulcere movetur, & refricatur. Unde & Ausonius:

Tu bene si facias, non meminisse fas est.

Hæc est magnitudo clementiæ Virgineæ, ut iteratas injurias, millies condonatas commemoratione adhibitâ nunquam exprobret, nullum beneficium etiam in perversissimos collatum vertit in vindictam, nulli objicit favores, studia, opes etiam pessimè utenti liberaliter impensas. Mirum dictu, quòd omnia nimia illius clementiam delectent, quæ illam tamen non dedeceant. Illa clementiam exercet adversus omnes, bonos, fortunatos, impios, & omni scelere & nequitiâ pollutos. Detrahit clementiæ suæ pompam, observat idoneum tempus in occasionem bene merendi, beneficâ voluntate movetur ut cunctis indulgeat, & pietatis suæ munere nutriat. Accedit tamen sanctæ Virgini, quod multis beneficis, ut seminent in agro ingrato & sterili. Quàm improbus, qui scit sumere beneficium & reddere nescit fœnus debitum. *Quàm multi dum impetrant, boni sunt* (ait Plautus in captivis) *sed id ubi jam penes se habent, ex bonis pessimi & fraudulentissimi sunt.* An non feris deteriores, quæ memores beneficiorum, apud quos beneficium perit? Quàm multi clementiæ virgineæ lucem & fructus percepêre! quàm multis amnestia & scelerum condonatio impetrata! quàm multis justa ultio summo numini extorta, & nihilominus immemores bonorum cumulant mala malis, & ingratifici, insolentique peccant arrogantiâ! O admirabilem & prodigiosam Virginis clementiam! ô pectus inexpugnabile Virginis sanctissimæ! & tamen sic irritata clementia non languescit, nec ullâ nube Sol tantæ bonitatis obscurari potest. Fovet hujusmodi radiis suæ pietatis, tegit & protegit, & semper meminit se Matrem, se asylum, civitatem refugij, aram sacram, portum securitatis, & clementiæ symbolum, & oceanum sine ullo fundo veræ misericordiæ, qui nunquam potest exhauriri. Et nos mortales, quàm contrariis itineribus gradimur? facilior nobis est ratio ulciscendæ injuriæ,

An Christi miracula per se convincerent Christum esse Messiam & verum Dei Filium.

Pauci Iudæi cognoverunt Christum Dominum esse Messiam, & Deum, dum viveret.

Stupenda SS. Virginis clementia.

Commemoratio beneficij est exprobratio.

Clementia SS Virginis irritata non languescit, nec fit sterilis.

juriæ, quàm beneficij remunerandi. Et illa nec ulciscitur injurias, & minima quæque officia remuneratur. Ad similitudinem propiùs Deo accedit humana virtus Mariæ, quàm optimè delineat vox aurea Pacati in Paneg. Theodos. *Ego ego nullum crediderim majorem Principum felicitatem, quam fecisse felicem, & intercessisse inopia, & for unam vicisse, & dedisse hominis novum fatum.* Causam subdit: *Nam cùm intra ipsum volvantur omnia, ut ille, qui cuncta ambit oceanus, quas suggerit aquas terris, recepit è terris; ita quidquid in cives manat à Principe, redundat in Principem; ac rei, & famæ bene consulit munificus Imperator. Lucratur enim gratiam, cùm det pecuniam reversuram.* Hæc tua felicitas, ô Virgo, quæ facis omnes felices, omnium intercedis inopiæ, fortunam & spem omnium vincis, & das omnibus novum fatum, vitæ conditionem dico, omnia donas, & exples omnium vota ad te reditura, ut redeant ad te, velut oceanum bonorum, unde omnia bona fluxerunt. Major ergo & excelsior Virginis clementia Filij sui in cruce pendentis clementiam videtur excedere, dum apertam & exitiosam Christianorum conjuratorum in Filij sui injuriam, & nullâ parte ignorantiæ excusabilem malitiam, suis precibus in conversionis spem sustentat. Ingens sanè miraculum clementiæ Virgineæ.

Stupenda laus magni Principis.

Major sanctissima Virginis.

Epilogus.

GEntiles finxerunt clementiam Deam, quam volebant præsidere aulis Imperatoriis, nos Virginem, quasi clementiæ pulcherrimum astrum veneramur; de quo Bernard. *in serm. in illud Apocalyps. Vidi signum magnum.* Nihil in ea austerum, nihil terribile: tota suavis est, lac, & lana. Plena sunt in ea omnia pietatis, & gratiæ; plena mansuetudinis & misericordiæ. Quis Soli suos radios, quis igni suas flammas, quis ebullienti fonti suas pellucidas undas adimet? potiùs his sua decora sustuleris, quàm Virgini suam clementiam. Tota est amicta Sole, rubens, ardens, & fons aquarum viventium. *Beatam Mariam*, inquit Ildephons. *serm. 8. de Assumpt. velut ignis ferrum Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita ut Spiritus sancti flamma in ea videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris.* Ignis obvia quæque incendit, inflammat, depascit que, & omnia in se vertit. Ex hac amoris ubertate ubertas fœcunditasque inauditæ clementiæ. Quare & sic fatur: *Spiritus meus super mel dulcis: ..... hæreditas mea, memoria mea in generationes sæculorum.* vel Græcè, *Memoriale meum super mel dulce.* & Tigurina lectio, *Memoria mei melle dulcior.* juxta illud Isaiæ 26. v. 8. *Nomentuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Infelix & infaustus, qui peccatis amaricat hanc clementiæ matrem; juxta illud Oseæ 14. v. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem provocavit Dominum.* ego dico Dominam. ubi Hieronymus: *Pænitebit illam, quod dulcissimum Dominum:* & ego dico Dominam, *in amaritudinem verterit. Sit tibi,* ut & Christus, cervus amorum, juxta illud Proverb. 5. *& pullus gratiarum,* ut docet Ambrosius in Psalm. 41. *Cervus amicitiæ, & pullus gratiarum confabulabitur tibi. Verba ejus inebrient te omni tempore, in amore ejus delectare jugiter, amores ejus reficiant perpetuo, præeat te, & adsit tibi omni tempore: in hujus enim amicitia conversatus, diuturnus eris.* Vel, ut Septuaginta habent πολλοστὸς, *multiplicabilis eris:* vel, ut catena Græcorum, *multesimus eris:* vel, ut Ambrosius, *plurimus eris,* omnibus scilicet gaudiis oblectatus diutissimè vives. In gymnasio hujus sanctissimæ Virginis imbuêris claritudine clementiæ, & hauries omnes thesauros ejus: proximus Deo appropinquabis, si utaris clementiâ, & juxta Comicum, *clementia una homines Diis pares facit.* Ex consortio Dei refulgebat Moysis facies; sic & tua ex Virginis consortio. *Posset vereri* (inquit Bernardus super illa verba, *vidi signum magnum*) *peccator ad Deum accedere, quia Deus ignis est, & consumens, quia sicut cera fluit à facie ignis; sic pereant peccatores à facie Dei.* Verùm addit: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil in ea austerum, nihil in ea terribile.* & Damascenus *orat. 2. de Assumpt. Mater Dei inexhaustum pelagus gaudij.* Ambrosius in Psal. 24. vocat illam *Manna*, quia est subtilis, est splendida, suavis, ferens secum omne delectamentum; qui hunc cibum manducare neglexerit, vitam in seipso habere non poterit. Quid dulcius clementia? Salutem appetis? ecce aperit omnibus sinum, nunquam lætior, nisi tuâ salute, nec tristior, nisi cùm perire vis. Tam proprium est illi, esse clementem, quàm esse Matrem. Aude ergo contemnere opes tantæ Matris, redde te dignum illâ per illius imitationem. Dux & Dictatrix sit vitæ tuæ: non pudeat sequi signantem in pulvere gressus. Audi Lucanum, ut depingat Catonem Ducem:

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes; monstrat tolerare labores,
Non jubet.

Tu Virginis clementiam, & ejus fulgidam imaginem circumfer animo, incessu, verbis, factisque; & usurpa sanctum acroama Virginem salutando: O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria!

Quam dulcis memoria SS. Virginis.

Cultor & imitator clementiæ Virgineæ qua dote erit beatus.

Nullus trepidet SS. Matrem accedere.

§. IX.

A tragica malitia peccatoris, victa clementia clementissimi Dei.

PRiusquam manum de libro tollam, decrevi meo benigno Lectori dare spectaculum clementiæ divinæ certantis, cum intolerabili malitia indurati peccatoris. Mirum certamen, atque stupendum duellum, in quo clementia retro victa recesserit. Historiæ tanto est veritas certior, quo probatior extitit

ſtitit in informationibus Canonizationis S. Francifci Borgiæ, omnium calculis confirmata: Franciſcus Borgia regni pertranſiens civitatem, inaudivit inſignis famæ & familiæ Principem perditiſſimæ vitæ virum tendere ad extrema, nec admittere voces ſancti conſilij, ſed & eas averſari deteſtarique; clauſæ erant aures in rebelli, & obfirmato animo. Quid agat vir amator animarum? verſat ſecum conſilia, & remedia curationis. Proſtratus in terram coram Crucifixo, ardentibus precibus, & jaculis amoris orat Chriſti gratiam & opem, ne proxima exitio intereat anima ſuo ſanguine redempta. Audiit benigniſſimus vota Deus, & clementiſſimâ capitis motione verbis his affatur Borgiam: *Propèra*, inquit, *ad infirmum, & ego ero comes, at in Medici perſona adero; tu interim perſuade tuis conſiliis confeſſionis Sacramentum.* Offert ergo ſe Sanctus infirmo, & multis rationibus adhibitis in Chriſti Domini præſentia non potuit impium ad confeſſionem peccatorum inducere. Chriſtus obſtinatione quodammodo ſuperatus blandè ſe ſubtraxit. Interim ingeminat conſilia, denſat preces, fit ſupplex perituro ne penitus pereat; at incaſſum ceciderunt omnia, labor omnis inanis. Fluctuat animo Pater, & quò ſe vertat ignarus, præſenti confuſus hominis exitio in deteriora ruentis, qui ſana conſilia in venena vertebat. Religit iter hoſpitij, & totus ardens adgeniculatus Crucifixo, lachrymas cum gemitibus iteratis, Deo fundit; inflexus ſervi ſui violentis precibus: *Eia*, inquit Crucifixus, *tolle me tecum uſque ad infirmum, ut diſcas quanto ſit in amore mihi iſte impius, ne pereat.* Accepto ergo reverenter Crucifixo redit ad infirmum, & turbâ dimiſsâ, ſolus ſolum invadit, ponitque ante oculos Crucifixum: magnâ rationum contentione adhibitâ rogat, obteſtatur, & lachrymas precibus miſcet, ut ad Chriſtum pœnitens redeat, ſeſe dulciſſimo Redemptori, filij inſtar prodigi dedat. At fruſtra tanto labore ſudatum eſt, verùm contrà accidit, ut bonis conſiliis nequior, & inſtar rupis ſceleratiùs indureſceret: & ecce ſubitò ex quin-

A que plagis Domini Salvatoris velut fontibus ſanguineus imber manare, ut diffluentibus guttis poſſet impius irrorari. An non quot guttæ, tot voces clamantis Chriſti Domini? quaſi diceret: Fili ſanguinis mei, miſerere mei, miſerere & tui, qui tanto pretio emptus, ne ſanguinis mei pretium in te, & per te intereat. Adamas ſanguine beſtiarum etiam duriſſimus frangitur; an tu durior non frangêre meo? O monſtrum hominis! perſtat immobilis & obduratus, nec efficaciâ ſanguinis factus melior, ſed deterior viſus. An Chriſtus ſuæ clementiæ oblitus? ô pelagus clementiæ divinæ! crevit ea deſpecta novo clementiæ artificio. Chriſtus ex cruce compellat clementi voce rebellantem animam, allegat animæ pretium ex pretio ſanguinis ſui fuſo, ſe ſanguinem novum iterum offerre, ne pereat æternùm, miſericordiæ pelagus offerre, & oblivionem omnium ſcelerum unum orare, ut velit agnoſcere inſtar filij prodigi, patrem, qui nollet ſuum filium perire. Quis non ſperaſſet verbis Chriſti Domini feram indomitam, domandam? quis non ſperaſſet montem conglaciatæ nivis in flumina lachrymarum ſolvendam? quis non exſpectaſſet pectoris contuſionem, & ineffabiles gemitus? In morte Chriſti terra tremuit, ſaxa, petræque ſciſſæ, aperta monumenta quæ dederunt mortuos vivos. Hic impius nec tremit, nec ſcinditur, nec dat mortuus locum vitæ donandæ; ſed in ſeipſum crudelior, efferatior in Chriſtum, ſui tortor omnia deſpicit conſilia. Quid exſpectas Lector? Siccine victa eſt clementia ſuprema? Et ecce jam intonabit juſtitia: ſoluto itaque uno brachiorum Chriſtus Dominus admotam manum ſacro pectori ſanguine implevit, eumque in vultum ſcelerati undantem effudit; effudit & ſententiam æternæ damnationis: *Sit*, inquit, *tibi ſanguis meus in pœnam æternæ damnationis, qui fuit effuſus in premium tuæ æternæ ſalutis.* His dictis, impius ſacrilegis blaſphemiis Chriſtum petens, æternùm periturus exſpiravit.

DECI

DECIMÆNONÆ CONSOCIATIONIS DE MISERICORDIA DEI.

PARS PRIMA.

§. I.

Contra Stoicos statuenda misericordia & probanda, & quomodo cadit in sapientem.

DURA Stoïcorum secta, & minimè Regibus, & Principibus bonum datura consilium, negat sapientem misereri, negat ignoscere: vult omnibus innatam mansuetudinem & clementiam: misericordiam verò, tanquam pusillum animi vitium ad speciem alienorũ malorum succidentis, vitari. Definiunt enim misericordiam, teste Cicerone *Tuscul. 4. Ægritudinem ex miseria alterius, injuriâ laborantis.* Seneca verò simili modo, ex eorum doctrina: *Est animi ægritudo ob alienarum miseriarum speciem: aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit.* Cùm ergo Stoïci sapientis mentem, invulnerabilem, inconcussam, semper serenam, nullis affectibus obnubilatam statuant; ex regulis suæ doctrinæ, misericordiam, quam dicunt animi ęgritudinem, necessariò condemnant. Altiorem omni tristitiâ volunt sapientem: verùm cùm nihil æquè altitudinem animi deceat, quàm nec metu, nec mœrore contrahi, nec calamitate confundi, nec turbidis motibus obduci; omne turbidum, mœstumque ab alto sapientis animo secernunt, excluduntque. Cùm igitur sine tristitia, aut mœrore misereri nemo potest alterius: & qui miserentur, dolentes miserentur, nolunt sapientem misereri; aiunt enim in sapientem non cadere tristitiam. Deinde sapientem, non fortunam, cujus ipse iram reverberat, & ipse stans frangit conteritque: sed causam & rationem spectare. *Solemne ergo Stoicorum,* teste Augustino *lib. 9. de Civit. Dei cap. 5. misericordiam culpare.* & ut Lactantius docet *lib. 6 cap. 10. tollere pietatis affectum.* Disce ex Cicerone pro Murænâ quid doceant; an non auxerunt vitia, dum falsæ virtutis specie capti, vitia inducunt, augentque? Accipe Ciceronem: *Neminem esse misericordem, nisi stultum, & levem. Viri esse, neque exorari, neque placari.* Supplices aliqui veniant miseri & calamitosi: sceleratus & nefarius fueris, si quicquam misericordiâ adductus feceris. Mutare sententiam turpe est: exorari scelus: misereri supplicium. Graviter errat Stoïcorum Princeps dum misericordiam vocat ægritudinem ex alienis malis. An non misericordia citra animi perturbationem miseris exhibetur? An non sine miseria animi, & læto, & alacri animo misereri quis potest? Planè. Hoc ipsum intellexit Seneca *in lib. 2. de clement. cap. 6.* Succurret, inquit, aliquis lachrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem: non hanc contumeliosam, quâ major pars horum qui misericordes videri volunt, abjicit & fastidit quos adjuvat, contingique ab iis timet; sed ut homo homini ex communi dabit. Donabit lachrymis maternis filium, & catenas solvi jubebit, vel ludo eximet (bestiario scilicet, vel gladiatorio, vel servitute scilicet) cadaver etiam noxium sepeliet. At faciet illa tranquillâ mente, vultu suo: vultum non dejiciet, nec animum, ad ærusçantis civis (id est, ærusçatoris, qui æra minuta rogat colligitque) aut panno aridam faciem, & obni-

Misericordia Stoicis, res pusilla & viro sapiente indigna.

Quæ sit misericordia admittenda.

obnixam baculo senectutem: ceterùm omnibus dignis proderit, & Deorum more calamitosos propitius respiciet. Gloriosum erit, quoties poterit fortunæ intercedere, & ad improbandos, emendandosque bonitatem suam permittere. Stoicos immisericordes secuti sunt Pelagiani, Montanistæ, Novatiani, & Manichæi saxis duriores, solem pietatis ex mundo sustulêre. *Apud Manichæos*, ait S. Athanasius, *misericordia non est, verùm apud illos hostile sonat*. Idem docet Augustinus *lib. 2. de morib. Manichaeor. cap. 16. Etiam panem mendicanti dare prohibetis.* Deinde exclamat: *Quid hîc prius arguam? crudelitatem? an vecordiam? homo egens, ille fame moriturus est dum tu vir sapiens, & benignus magis cucumerem quàm hominem miseraris?* Attende quæso Lector. Vera misericordia cor hominis miserum non facit, sicut nec virtus. Si virtus & in primis sapientia cor hominis miserum non facit, cur misericordia, quæ divinum quiddam est? ut docet Clemens *lib. 4. Stromatum*. Ex quo virtutem, & sapientiam in aliquo residere cognosces? Ostendet illam ordo ejus, & decor, & constantia, & omnium inter se actionum concordia, & magnitudo super omnia efferens sese. Hic nunquam fortunæ maledixit: nunquam accidentia tristis excepit: nunquam quidquid inciderit, non tanquam malum aspernatus est, & in se casu delatum; sed quasi à Providentia divina delegatum sibi. Magnus ergo apparet, qui nunquam malis ingemuit, nunquam de Deo questus est, & non aliter, quàm lumen in tenebris fulsit. Sic talem ex factis nos prædicamus esse misericordiam, supra quam nihil est, nisi mens Dei, misericordia plenissima, ex qua pars & in pectus mortale defluxit, quod nunquam magis divinum est quàm ubi hujus divinæ virtutis imaginem perfectè in suâ mente expresserit. Affluens enim misericordiâ, est argumentum animi ab altiore sede venientis. Homo quippe misericors, ut infrà dicetur, est homini misero quasi Deus, & præfert speciem inusitatæ indolis Regiæ. Regiæ res est, rebus succurre fessis. Cæcis instar luminis affulget, egentibus instar prodigi fontis fluit: gemitus alienos componit: nullius malum aspernatur: semper placidus & lenis, & humanis, divinisque rebus pariter æquus. Unum hominem agere, maximam rem putat. & quam? Patrem scilicet humani generis, & miserorum unicum portum. In hoc solo stabilis, firmus atque inconcussus, ut alienas lachrymas, & miserias detergat levetque. Spectabit sapiens quâ ratione cujusque ingenium tractandum sit, quo modo prava in rectum flectantur: parcit sapiens, consulit & corrigit, idem facit quod si ignosceret, nec ignoscit; quoniam si ignosceret, fateretur se aliquid omisisse quod fieri debuisset: servabit multos, non miseriæ favens, sed humanæ naturæ.

Qui hæretici Stoicos secuti.

Indoles misericordiæ.

Ex quo sapientia nosci possit.

Ex quo misericordia dignoscitur.

A

§. II.

In Deo tanquam infinito bono summa regnat misericordia. Est in Deo citra ullam imperfectionem. Quæ sit formalis ratio misericordiæ.

CUm quædam virtutes morales in parte sensitivâ resideant, quia in suo formali includunt imperfectionem, Deo tribui non possunt. Qualis temperantia, quæ est ad frænandas concupiscentias: fortitudo ad inveniendum medium rationis inter timorem, & audaciam; & mansuetudo circa iram, quam in Deo ponere nefas est, cujus objectum proprium est, vindicta doloris illati. Sic & desiderium ut ab amore distinguitur, quod circa bonum futurum versatur: misericordiam tamen propriissimè summo Deo, tanquam sibi innatam adscribimus, quamvis & hominibus insit, non tamen absque imperfectione, & sensu partis sensitivæ, quâ movetur cor humanum, quasi habens miserum cor. Ratio enim formalis misericordiæ, est sublevatio miseriæ alienæ, quæ etiam in ipsis hominibus potest inveniri, citra singularem affectum, & cordis commotionem; ex affectu nimirum proprij & honesti boni, ab alio miseriam depellendi; quæ ratio formalis perfectissimo regnat modo, in summo & optimo Deo. Quemadmodum scientiam Deo, quamvis non discurrat, secundùm proprietatem tribuimus: nomen enim scientia tam propriè dicitur de cognitione sine discursu, quàm cum illo; & si scientiam humanam definias, non nisi discursu & labore ratiocinationis comparatur, & ideò cùm in creaturis sit accidens, in Deo est substantia ejus: sic & misericordiam Deo tribuimus, quamvis & hominibus insit secundùm aliquam imperfectionem. Misericordia enim in hominibus duos generat effectus; tristâdi scilicet de alterius miseriâ; deinde illam à misero depellendi. Primus effectus Deo competere non potest: nam in Deum, purissimum tranquillitatis fontem, passio cadere non potest. In misericordia ergo duo considerantur; materiale, & formale; sicut in ira, in quâ invenimus commotionem cordis seu sanguinis, circa cor; & formale, quod est appetitus vindictæ: sic & in misericordia, materiale, est compassio, & tristitia partis sentientis ex miseria aliena, circa quam afficitur, ac si propria foret; Formale verò sublevatio miseriæ alienæ. Est ergo misericordia in Deo secundùm effectum, non secundùm affectum qui residet in appetitu partis sensitivæ.

Misericordia est in Deo citra ullam imperfectionem.

Sicut scientia in Deo, sic & misericordia.

Duo effectus misericordiæ.

Misericordia ergo, quasi miserum cor habens tristitiâ afficitur ex alterius miseriæ consideratione, atque inde movetur ad eam depellendam; quæ tristitia à sancto Thoma vocatur affectus misericordiæ. Expulsio

B C D

pulsio verò miseriæ alienæ, effectus dicitur misericordiæ. In Deo ergo non est misericordia quo ad affectum; verùm quo ad effectum; in Deo enim non potest esse tristitia. Misericordia verò, quo ad effectum sublimissimè, & efficacissimè in Deo dominatur; si miseriæ nomine quicumque defectus intelligatur, vel si non detur existens, prævenitur ne obveniat. Cùm enim omnis defectus aliquâ perfectione depellatur, aut præveniatur; Deus verò sit fons, atque origo omnium perfectionum, fit ut misericordia quo ad effectum maximè Deo conveniat, tanquam maximè divina & singularis. Quare & misericordia ex vi formalis conceptus perfectior est justitiâ, quia misericordia proximè ex divina bonitate, atque immediatè procedit. Justitia autem præsupponit aliquid ex parte hominis, & justitia supponit misericordiam; non enim potest Deus esse debitor, nisi supponatur misericordia ejus; cui enim deberet coronam justitiæ, justus Judex, nisi gratiam dedisset misericors Pater? Vide Divum Thomam 2.2. *quæst.*30 *art.*4. unde fit ut misericordia sit prior justitiâ, prout à misericordia distinguitur; nam misereri convenit Deo ex seipso, & est primariæ voluntatis operatio: dare verò præmium, & infligere supplicium, ex nobis occasionem capit, & est secundariæ voluntatis operatio. Porrò justitiæ opus pro fundamento habet misericordiam, quia nihil creaturæ debetur, nisi quod ex sola divinæ voluntatis bonitate dependet, quæ est ultimus finis; veluti si dixerimus: Debet homo habere manus propter animæ rationalis obsequia, animam propter totum hominem: & is quidem propter Dei bonitatem, quæ largiùs se communicat, quàm exigit creaturæ proportio, omnem excedens creaturæ proportionem. In Deo ergo est misericordia, sine cordis miseria, sicut zelus sine tabe & animi cruciatu.

Misericordiam Deo sublimissima.

Quomodo misericordia sit perfectior justitiâ.

§. III.

Ex Scripturis probatur misericordia Dei.

DAvid exclamat: *Deus meus misericordia mea*, Psal.58.*v.*17. quasi totus ex misericordia conflatus; quia ut pelagus infinitæ essentiæ, ita & infinitæ misericordiæ. Optimè ergo Psaltes Psal.24. *Universa via Domini, misericordia & veritas.* Misericordia, quæ cuncta prævenit bonitate: veritas, quia omnia sub integritate judicat. *Miserationes ejus super omnia.* Psal.144. nec abscondet eam Deus. Et quomodo posset Deus seipsum abscondere? Quis pleno jubare Solem radiantem texerit? Ex fabrica creaturarum magnifica, fabricator; ex operibus magnificis misericordiæ, Deus totus cognoscitur tanquam misericordiarum Pater: quanta enim est ejus magnitudo, majestas, & immensitas, tanta est ejus misericordia. Majestas tamen, & omnipotentia quamvis omnia compleat, attamen nullâ parte sui, omnipotentia atque magnitudo sese magis explicat, exerit, atque ostentat, quàm misericordiæ suæ immensitate; juxta illud Ecclesiæ: *Deus qui omnipotentiam parcendo maximè & miserando manifestas.* Et S. Fulgentius *Epist.*7. *ad Venantium cap.* 4. *Multus*, inquit, *ad ignoscendum.* In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & misericors omnipotentia. Tanta est autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare converso, juxta illud Sapientiæ 11. *v.*24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pænitentiam.* Parcendo autem maximè manifestat suam omnipotentiam, quia perfecta bonitas à nulla potest vinci malitia. Summa ergo gloria Dei est summa Dei misericordia; quapropter Moysi desideranti Dei gloriam videre, omneque bonum; misericordia fuit ostensa, & Deus seipsum non omnipotentem, sed misericordem indigitavit Exodi 33. *Ostende*, inquit Moyses Deo, *gloriam tuam.* Cui Dominus: *Ego ostendam tibi omne bonum, & vocabo in nomine Domini coram te, & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Secundùm enim magnitudinem, Græcè μεγαλοσύνην, id est, Majestatem, magnificentiam illius, sic & misericordia. Ubi Syrus: *Sicut Majestas ejus, ita & misericordia ejus.* Majestas vera & fortitudo, & magnitudo Principis, est clementia, teste Seneca de clementia. Vide ut proprium & innatum sit Deo misereri: sicut Deus est suum esse, suaque celsitudo; sic & est sua misericordia: quare sicut non potest discedere à suo esse, suaque celsitudine; sic nec à misericordiâ, quia actu omnium misereatur. *In perpetuis* enim *non differt esse, à posse*, ut ait Philosophus 2.*Physic.* & quamvis cetera attributa sint pariter cum Deo, nec Deus sine illis esse possit; attamen propriè illi consignatur misericordia, quia hæc intima, & quasi ex visceribus ejus nata & iis conclusa videtur; juxta illud Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos oriens ex alto.* quasi diceret: Causam Verbi incarnati, quod est supremum operum Dei, in quo exhausit omnem suam potentiam, juxta illud Virginis sacræ Vaticinium, *Fecit potentiam in brachio suo.* assignat Zacharias misericordiæ divinæ visceribus, & fecit nobis misericordiam, juxta illud Isaiæ 63. *Secundùm multitudinem viscerum suorum*, id est, miserationum suarum. Non sine causa ergo Propheta David condensat encomia misericordiæ divinæ, dum canit Psal.144. *Miserator, & misericors Dominus, & multum misericors: suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et Psal. 102. comparat misericordiam Dei, amoribus benignissimi Patris. *Quomodo miseretur Pater filio-*

Proprium Dei misereri.

Summa Dei gloria est ejus misericordia.

Non potest recedere à sua misericordia.

filiorum suorum: misertus est Dominus timentibus se. Et ibidem adeò extollit Dei misericordiam, quantum fingi aut excogitari potest; dum ait *vers.11. Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Quid hoc est dicere, quam componere Dei misericordiam spatiis ferè infinitis? *Quantum,* inquit Hieronymus, *est cælum à terrâ.* & quis assequetur ejus celsitudinem? Pulchrè edisserit Clavius noster, in studiis Mathematicis sui sæculi facile Princeps, vix nos posse emetiri instrumentis mensoriis ex altissimo monte quinquaginta milliaria, nedum centum sexaginta milliones milliarium & eò amplius, quibus convexa firmamenti superficies à centro terræ abesse perhibetur. Multò excelsius regnum suum extendit divina misericordia, atque eâ de causâ verbo magnifico illud ipsum extollit Propheta, dum ait Psal.102. *Corroboravit misericordiam suam.* Ubi Hieronymus sic vertit: *Tantum confortata est,* alij. *prævaluit,* augusta est, & major, ac proinde sic corroboravit, ut perseveret in opere suo, ut invitos, renitentes, invisos, rebellesque alliciat, inflectat, ac etiam salvâ libertate compellat, & armis suæ pietatis tandem debellet. Stupenda Dei adversus homines pietas, & φιλανθρωπία. Diluvio adeò ingenti inundavit totum terrarum orbem iratus Deus, ut quindecim cubitis furentes aquæ altissimos montes supergressæ sævirent. Operti ergo stabant montes, nec quidquam nisi pontus & undæ grassantes videbantur. Verùm majori diluvio suæ misericordiæ sepelit, & obruit iniquitates nostras. Audi Prophetam: *Quantum,* inquit Psal.102. *distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras,* & ut posset; corroboravit misericordiam suam, quia causam miserendi capit ex seipso, cujus natura bonitas infinita: atque ideo Exodi 34. vult vocari Dominator Dominus Deus misericors, & clemens, & multæ miserationis ac verax; qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atque peccata. Misericordia Dei est bonitas operantis. Misericordia ergo Dei infertur omnibus operibus ejus. Si autem remota misericordia sæviat, non sævit in opera sua, sed in opera tua. Tolle ergo opera tua mala, ut non remaneant in te nisi opera ejus, & non dimittet te misericordia ejus: si autem non dimittis opera tua, erit severitas ejus in opera tua, non in opera sua. Inferri verò misericordiam cunctis operibus docetur Sapientiæ 15. ubi dicitur: *Tu autem Deus noster & suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponis omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus scientes magnitudinem tuam: etsi non peccaverimus,* scimus quoniam apud te sumus computati: magnitudo enim divinæ Majestatis, scelerum immanium plena condonatione; quibus omnibus altior, nec obnubilari, nec lædi potest, gloriosissimè irradiatur. Nota hîc quatuor dotes benignissimi

Distantia cælorum à terra.

Magnitudo misericordiæ.

Misericordia est bonitas operantis.

A Dei in sui imperij gubernatione, quas cunctis qui præsunt, vehementer exopto. Prima, est benignitas: ut sint humani, faciles ad gratificandum. Secunda, veritas & fidelitas: odit enim Spiritus sanctus fictum. Tertia, longanimitas & patientia; qualis fuit Christi Domini. Quare & Græcè, ubi nos habemus *patiens,* habetur μακρόθυμος, id est, longanimis multâ potentiâ pollens. Quarta, est misericordia & clementia; hæ sunt magnanimi Principis supremæ dotes; nulla tamen ex omnibus virtutum magis Principem decet, quàm clemens misericordia: & ideò Sapientiæ 11. v. 24. dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes.* Deinde *ultim. vers. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* B

Quatuor dotes in Dei imperio.

§. IV.

De causa tantæ misericordiæ. Est potentia & bonitas. Quæ sint Dei ambulationes.

PRima, est infinita potentia, quâ cunctis dominatur, & omni injuriâ est superior; ita ut nulla injuria possit ad Deum pervenire. Deinde & infinita bonitas, quæ perfecta non esset, si posset ab aliqua malitia vinci. Quoniam tanquam momentum stateræ, sic C est ante Deum orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani. & Isa.40. *Omnes gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt. Magnus enim Dominus, & laudabilis nimis.* Psal.144. & Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem.* Quid enim est Deus nisi infinitum quoddam & interminatum essentiæ pelagus? & ut dicit Dionysius *de divinis Nominib. cap.5. Deus non quovis modo est ens, sed simpliciter, & incircumscriptè totum esse in se pariter complexus, & anticipans.* & *cap.10 de divinis Nominib.* vocat Deum Sedem omnipotentem, fundum, & fundamentum omnium; quasi omnis creatura sit Deo quasi firmissimo fundamento innixa, ne in centrum sui nihili recidat. Quid redditur illi, cùm sua magnitudo illi redditur, qui omnem magnitudinem excedit? Sensu & intellectu major est, & ideò tunc eum dignè æstimamus, dum illum inæstimabilem dicimus. Cùm itaque tam magnus sit Deus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non sit finis, omnes injurias, infra se ponit quasi irâ suâ indignas. Cuncta scelera præ potentiæ & misericordiæ suæ multitudine quasi punctum, quasi nihilum æstimat. Quare nulla peccata facient peccatorem dignum magni & infiniti Cæsaris irâ. & ideo misereris omnium Domine, cùm tamen solo nutu, per concursûs subtractionem, possis omnia perdere, & in nihilum redigere. Infinito ergo decori, & infinitæ gloriæ, est summo Deo salutaris hæc potentia, tam

Magnitudo Dei.

Qualis sit potissima laus Dei.

Misericordia abyssus.

tam in miserendo, quàm operando: nulla enim tanta est miseria, quam curare non valeat velitque Dei benigni misericordia. Misericordiâ ergò Domini plena est terra? *& miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psal. 144. Unde & Baruch 3. hoc pacto Deum alloquitur: *Quia Deus es misericors.* Qui ita misericordiâ delectatur, ut malit eam, quam sacrificium sibi dicatam, ut docet Osæas Propheta cap. 6. & Matthæus 9. vers. 13. *quia misericordiam volo, & non sacrificium.* Quasi diceretur; Misericordiam malo, præfero, præopto præ sacrificio. Ubi Augustinus lib. 10. de Civitate ca. 5. *Vbi scriptum est*, inquit, *Misericordiam volo magis, quàm sacrificium, nihil aliud quàm sacrificium (mysticum scilicet misericordiæ) sacrificio propriè dicto prælatum oportet intelligi.* Hoc tamen sic intellige: Actum sacrificii, ut manat à Religione, & devotione internâ, meliorem & nobiliorem esse actu misericordiæ: ille etenim Deum spectat, hic hominem: ille est actus latriæ, & religionis: hic misericordiæ, quæ est virtus moralis. Religio autem præstat omnibus virtutibus moralibus: est enim cultus ipsius Dei. Attamen vera est propositio, Deum magis delectari misericordiâ, quàm sacrificio externo; quia illud in veteri lege, secundùm se, & ex opere operato, Deo non placebat, sed tantù ex devotione offerentium: misericordia autem per se placet Deo. Et hoc intendit Propheta, & misericordiæ fons Christus Dominus, Matthæi 9. quià pietate, & benignitate Christus vocatur; undè & nos Christiani, ut ejus pietatem, benignitatemque studiosissimè consectemur. Judæi verò, cùm essent immisericordes, & osores benignitatis, omnes spes suæ sanctitatis, placationis, & veniæ impetrandæ fundabant in victimis boum, & ovium mactandarum. Quod ipse Deus hîc reprehendit, sicut & apud Isaiam cap. 1. vers. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. Quiescite agere perversè, &c. Subvenite oppresso.* Et Psal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Nihilominus tamen sacrificia, & victimæ quia imperatæ ratione objecti quò tendebant in honorem Dei, erant nobiliores misericordiâ; attamen ratione necessitatis sæpè nobilior est misericordia, & tunc præferenda; adeò, ut tunc ingratum foret sacrificium. Sic & Augustinus damnat Parentes, qui bona sua ad monasteria transferebant, easque oblationes damnare solebat prætermissis liberis indigentibus. Sic Possidonius in vita ipsius cap. 24. *Vult ergò Deus misericordiam, id est, animum benè erga se affectum, non sacrificium.* Et sanè si misericordia referatur ad Dei cultum, & imperetur à virtute religionis; an non præstabit sacrificio misericordia, si duobus stipata progrediatur actibus, à duabus virtutibus imperatis; à misericordia scilicet, & religione? Miramur

Quomodo intelligendum misericordiam præstare sacrificio.

Qua ratione sit sacrificium dignius misericordia.

Qua damnatur misericordia à D. Augustino.

A Deum infinitum vocari Regem sæculorum, Præsidem temporum, & Gigantem æternitatis, ut Syri loquuntur; desines mirari si extenderit intellectum in itinera, & deambulationes tantæ Majestatis, juxta Prophetam Habacuc cap. 3. *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.* Sunt Deo, ut habent Hebræi, propriè sua itinera & deambulationes æternitatis. Et quamvis summus sit, & non mutetur; neque peragatur in Deo dies, & tamen in eo peragatur, quia in ipso sunt omnia ista: non enim haberent vias transeundi nisi contineret ea: ipse tamen inmobilis cùm sit, & semper idem, ut dicit Propheta: *Tu autem idem ipse &c.* Psal. 101. movet tamen omnia, non motus; dicitur tamen deambulare, & habere sua itinera ab ipsis Judæis. Quasi dicerent: Deambulabat, id est degit, versatur, vivit, & viget in altis montibus suæ æternitatis, indeque subjectas hasce valles, & colles temporum, regnorum & sæculorum despicit, incurvat, immutat, moderatur, & dirigit, prout ei placuerit. Rursum ex æternis hisce sæculis quæ ante fingimus, æternitati ejus coexstitisse magnis quasi itineribus contendit, id est, plurima & infinita sæcula transmisit, pervasit, & pervenit ad initium temporis, quo mundum creavit, & conservat creatum, atque immutat; & tandem synagogam Judaïcam induxit, & quâ sepultâ suam Ecclesiam, suum sacrificium, suum regnum, usque ad ultimos fines terræ propagavit. Itinera & deambulationes ergò æternitatis, & æterni Dei, ad mentem Divi Bernardi serm. 10. in Psal. *Qui habitat*, sunt misericordia, & veritas. An non Orbem in exordio misericorditer ambulavit, Genesis 3. quando funestatus Adamus, & rebellionis perfidæ reus, vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem audivit, & sese, quasi latere posset, abscondit. Itinera misericordiæ divinæ circa naturam humanam fuêre admirabilia, dum collapsæ, supremo suæ misericordiæ consilio, & multitudine piorum viscerum victus, decrevit subvenire, & instar Gigantis ab æternitatis infinitæ, & suæ divinitatis solio ad nos decurrere. *Ab his itineribus*, ait Bernardus citatus, *incurvati sunt colles mundi, superbi Dæmones, Principes hujus mundi, qui viam misericordiæ, & veritatis nescierunt. Quid illis cum veritate, qui mendaces sunt, & patres mendacii? quando Lucifer misericors fuit, qui homicida fuit ab initio?* In hunc ergò modum tumidi colles incurvati sunt ab itineribus æternitatis, dum à viis Domini, quæ rectæ sunt, non tam per anfractus suos, distortaque itinera, quàm præcipitia corruerunt. Quantò verò prudentius, atque utilius alii quidam colles ab his itineribus incurvati, & humiliati sunt ad salutem? An non humiliatos jam cernere est colles mundi,

Quæ vocentur Dei ambulationes.

Itinera Dei sunt misericordia & veritas.

B

C

D

di, dum sublimes quique atque potentes, devotâ subjectione inclinantur ad Dominum, & ejus vestigia adorant? nunquid non curvantur, cùm ab ipsa sua perniciosa celsitudine vanitatis, & crudelitatis, ad humiles semitas convertuntur misericordiæ & veritatis? Hæc sanctus Pater. Hujusmodi animas incurvat itineribus suæ æternitatis misericors Deus, dum illæ unum æternum intendendo, unum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo, propter unum æternum, se, suaque despiciunt, & unum æternum judicant optimum & necessarium; quibus dulcis solitudo, & quies animi, & dulce à cordis secreto profligare tumultus desideriorum, & in una intentione æternæ Patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare. In hujusmodi animis Deus instituit suas deambulationes purissimæ voluptatis; in his peragit sua itinera, figitque passus suæ æternitatis, ita ut in Sanctis sit æternitas, dum æternitatis aspiciunt itinera ambulantis Dei. Hoc pacto misericors Deus ambulavit cum electo populo suo quadraginta annis, ut canit Propheta Psal. 44. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Et cum illo, in solitudine, horridisque desertis ambulavit, sicut Levit. 26. fuerat pollicitus. *Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, & ponam tabernaculum meum in medio vestri.* Quid hoc est, *ambulabo?* nisi tantam vestri curam geram, ac si inter vos ambularem undequaque, & circumquaque. Ambulabo ut Pater in medio filiorum, & Dux suorum militum, & Magister Doctorque discipulorum: protegam vos, pugnabo pro vobis quasi gladiator.

Ambulationes Dei cum populo Iudaico.

Deindè exhibebo me ut Ducem, & omnem familiaritatem præstabo, quam solet amicus amato; & ero vester Deus, & ego à vobis colar. Ut verò fidem hujus veritatis præstem, fabricari curabo arcam, in quâ velut Deus in solio sedebo, & habitare credat, ut indè responsa, & oracula rerum futurarum accipiatis, & meæ misericordiæ, & præsentiæ fructus sentiatis. Eadem veritas docetur Deuteron. 23. vers. 14. *Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos.* Magna nobis incumbit necessitas bene vivendi, ante quorum oculos, magnus Judex, magnus censor, & magnus & misericors ambulat Pater. Sic & Apocalyp. 2. vers. 1. *Ille*, scilicet Christus, *qui tenebat septem stellas in dextera sua, ambulabat in medio septem candelabrorum aureorum.* Ambulat, ut solicitè, ut curiosè, ut misericorditer, ut pervigil quasi in statione locatus indebita sua misericordia, sanet debitâ nostram miseriã, & per itinera suæ misericordiæ ducat ad montes æternitatis suæ. Tunc ebrii bonis æterni regni, cãtabimus cum sacro Vate Ps. 105. & 106. v. 1. *Cõfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.* Quàm jucunda itinera, quàm jucunda Deo sua ambulatio, si instar quatuor animalium apud Ezechielem ignitorum impetum spiritus Divini sequamur. Quàm fastidiosa, quàm ingratifica, quàm amara, quàm injuriosa ambulatio, si dispares vitâ, & spiritu degeneres deprehendamur. Causæ ergo tantæ misericordiæ, & misericordis ambulationis inter homines sunt potentia & bonitas infinita; bonitate enim sua vult misereri, sicut infinita potentia potest & subvenire.

§. V.

Universa via Domini, misericordia & veritas. In quatuor regnis apparet Dei misericordia. In cælo lucet misericordia.

Quatuor sunt viæ seu regna, in quibus infinita Dei Majestas manifestat, tum infinitæ suæ misericordiæ; tùm justitiæ opera admirabilia. Peragremus cælum, sedem Beatorum: Deindè terram, locum arenæ, & pugnæ; stadium cursus, & peregrinationis: Inde ad regna tristitiæ & pœnarum; purgatorium scilicet, & ad baratrum, & Oceanum æternarum miseriarum. In cælo præ ceteris attributis lucet misericordia, quia supra condignum, & merita, collata est beatitudo infinitorum, æternorumque bonorum, major & excellentior, quàm sperari, aut desiderari poterat. Plenus Deo Paulus exclamavit ad Roman. 8. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. ad Corinth. 4. Momentanea ergò levitas afflictionis nostræ, ut ad verbum Græca verba sonant, τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως. Sic & Demosthenes loquitur παραυτίκα ἡδονὴ momentanea voluptas. Levissimo ergo labore, velut plumæ pondere, æternum & infinitum gloriæ pondus nobis emit, comparat, atque conciliat misericordia. Quanta Dei misericordia & bonitas, ut momentaneo æternum; levi pondus; præsenti sublimitatem; tribulationi quietem & gloriam infinitam donet. Hæc tanta res est, ut dicit Augustinus, ut ejus comparatione nihil sit totum. *Non enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* Non sine causa vocatur Deus absconditus, qui tunc videbitur facie ad faciem, hoc est,

In cælo lucet misericordia & quanta.

Deus

Deus per Deum, ut Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, Patrem in Filio Deo, & Filium Deum in Patre, & Spiritum sanctum in utroque. Ubi inebriatur anima ab ubertate summi & infiniti boni, cujus tam immensa est bonitas, ut omnis bonitas cælestium, & terrestrium, comparata Divinæ, sit malitia, ita ut nec scribi, nec dici, nec cogitari possit. Audi Divum Thomam in opusculo de beatitudine: *Si omnes creaturæ cælestes, & terrestres, creata, & creandæ vellent scribere bonitatem Dei, & si qualibet haberet maris abundantiam pro atramento, & cælum pro pergameno, tam immensus est Deus, quod antequam mediam partem bonitatis scriberent, mare cujuslibet esset siccum, & cælum cujuslibet esset repletum, quod nec caperet unam literam posset.* Pergit sanctus Doctor: *Verbum citiùs est dictum, quàm scriptum; & si omnes stellæ, & singulæ guttæ pluviarum, essent linguæ, & proponerent eloqui Divinam bonitatem, tam ineffabilis est bonitas Dei, antequam tertiam partem bonitatis enarrarent, omnes pariter essent mutæ.* Addit idem sanctus Doctor: *Citiùs est aliquid cogitatum, quàm dictum, vel scriptum; undè si tota arena maris, vel omnia semina, & frondes, &c. essent corda, & vellent scrutari Divinam bonitatem, antequam decimam partem Divinæ bonitatis enarrarent, omnia corda citiùs scinderentur.* Ad hos æternæ felicitatis fructus capiendos provehimur, quos & meremur momentaneo labore. In cælo apparuit misericordia, in Angelis, & Sanctis, quia singulis contulit beatitudinem majorem quàm meriti sint, quàm desiderarint. Quod enim præmium dari augustius, vel majus potest, quàm ipse Deus? an non est ipse omne bonum, causa prima omnium rerum? Illud ergò bonum quod ipse est, & beatus est, solâ bonitate, non necessitate aliis voluit communicare, quia summi boni erat, prodesse velle, & omnipotentissimi, nocere non posse. Communicat ergò seipsum, quantum potest; non verò ea quæ fecit, etsi magna sint, qui omnibus magnis major est. Non communicat pulchra, qui fecit ea pulchra; omnibus pulchrior: non communicat bona, qui fecit bona, omnibus bonis melior; at seipsum, in quo omnia magna, pulchra, & bona sunt. At quo pretio? amoris. Quid facilius quàm amare omne bonum? Ingens ergò misericordia Dei in cælo circa Angelos, dum maximam partem Angelorum, gratiis, & auxiliis, quæ ex altitudine suæ scientiæ sciebat futura congrua, & efficacia futura, præservavit; quamvis non pauci nimium suæ intenti pulchritudini, etsi uberioribus gratiis donati, in æternas miserias sint præcipitati. In cælo ergo misericordia præservans seu præveniens, ne boni Angeli rebellium factionibus, consiliisque abducti, tumultus in auctorem suum cierent. Verùm

Dei & misericordiâ.

Stupenda doctrina D. Thomæ, & tamen verissima.

Ex Dei misericordia.

Deus dat se totum nec quidquam addi potest.

A curiosè petes, qui possit regnare in cælis misericordia Domini in æternum, juxta Prophetam Psalm. 144. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ubi Græcè habetur εἰς τὸν αἰῶνα. Quomodo miseretur Deus Sanctorum, & in æternum est misericordia ejus? non quia in æternum miseri erunt, & in æternum misericordiâ ejus indigebunt; sed quia ipsa beatitudo, quam misericorditer miseris præstat, ut esse miseri desinant, & beati esse incipiant, non habet finem; ideò in æternum misericordia ejus. Hanc misericordiam in æternum cantabunt, quâ tot malis liberati, & tot bonis gratiæ præventi, vident se coronatos misericordiâ & miserationibus Divinis.

Quomodo stat misericordia in cælo in æternum, cum nulla sint miseri.

B

§. VI.

C

In terra lucet ejus misericordia circa peccatores. De modis misericordiæ, ut minimo affectu moveatur Deus erga peccatores. De oblivione omnium peccatorum.

Nihil sic totam misericordiæ essentiam, & Dei benignissima viscera manifestat, quàm peccatoris miserrimus status, cui ut subveniat tanquam miserrimo, summâ promptitudine laborat; cui ut summus bonus, sua bona communicet, quamvis inimico, curiosè festinat. Dum ergò calamitosissimo Deus opitulatur, & infestissimo suo hosti sinum aperit pietatis; tum suæ Divinitatis naturam, quæ clemens, & pia, magisque ad indulgendum, quàm ad vindictam prona deprædicat, atque cunctis manifestat. Dein dum suprema Majestas acerbissimis injuriis lacessita, ultrò fœdera pacis offert, & hostis sui, tanquam amicus ambit amicitiam: tum ostendit se excelsiorem omnibus injuriis, & sibi proprium esse, misereri. Quare & in hoc opere misericordiæ possumus affirmare, misericordiam secundùm se, ut ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 30. articul. 4. esse maximam virtutum: pertinet enim id ad misericordiam quod aliis effundat; & quod amplius est, defectus aliorum sublevet. Et hoc maximè est superioris, undè & misereri proprium Deo est, & in hoc dicitur maximè suam omnipotentiam manifestare, quia potest solus omnes defectus & miserias tollere, & eas magnitudine suæ bonitatis,

D

Dei misericordia erga peccatores.

Dei misericordia in Paulū gratis collata.

nitatis, in omnem felicitatem permutare. Quare & Apostolus principium vitæ, & salutis suæ tribuit misericordiæ Dei, 1. Timoth. 1. *Misericordiam sum consecutus, quia ignorans feci.* Non quòd Paulus sit misericordiam consecutus, quia ex ignorantiâ peccavit: non enim ex parte hominis potest dari initium primæ gratiæ & vocationis & prædestinationis, cùm hæc obveniant homini ex mera Dei voluntate, & misericordia. Particula ergo, *quia*, non indicat conditionem propter quam tanquam causam congruentem, fuerit tam magnificè prædestinatus; sed attendit Deus ad hanc Pauli ignorantiam, tanquam ad conditionem, sine quâ non statuisset illum ita magnificè provehere; puta si ex malitia peccasset. Ignorantia ergò B fuit causa indirecta, & tanquam amovens impedimentum, quæ purgavit certam, & destinatam malitiam: minus enim fuit indignus veniâ, peccans ex ignorantia, quàm malitiâ, minusque impedivit Dei vocationem, quàm si peccasset ex malitia. Quidquid ergò Paulus fuit consecutus, ex misericordia Dei sola fuit donatum, quę principium, & causa salutis fuit. Fluxit autem hæc misericordia indebita, ex divitiis, & affluentia nimię charitatis; sicut idem Paulus ad Ephesios 2. cap. docet. *Cùm essemus naturâ filii iræ, & esset dives in misericordia, propter nimiam charitatē dilexit nos:* nimiam nobis indignis; non sibi nimiam; misertus est nobis. *Hæ sunt veræ divitiæ, ut à non quærentibus ultrò misericordia præstetur:* ut cecinit Isaias 65. *Palàm sum factus à non quærentibus, non misericors solum, sed dives in misericordia.* Ad Ephes. 2. At quàm dives? *ut sit Pater misericordiarum*, 2. Corinth. 1. id est misericordissimus. Sicut ad Romanos cap. 15. vocatur *Deus patientiæ & solatii*, id est, patientissimus, sitque totus & consolatio, imò & mare consolationis. Videamus ut effundat in animam peccatoris divitias suę misericordię. Humanam voluntatem movet, allicit, perficit; *nam non est currentis neque volentis, sed miserentis Dei.* Totum ergò à Deo datur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam: præcedit enim bona voluntas, multa dona Dei, sed non omnia; quę autem non præcedit, in eis est & ipsa. Nam utrumque legimus in sacris Elogiis Psal. 58. *Et misericordia ejus præveniet me.* Et Psal. 22. *Misericordia subsequetur me.* Nolentem prævenit, ut velit: volentem subsequitur ne frustrà velit. Cur enim docemur pro inimicis orare, utique nolentibus piè vivere, nisi ut Deus operetur in illis ut velint? Item petere ut accipiamus *Matth.* 7. nisi ut ab illo fiat quod volumus, à quo factum est ut velimus? Oramus ergò pro inimicis nostris ut misericordia Dei præveniat illos, sicut prævenit nos: non ergò volentis, sed miserentis Dei. Oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos. Terra proindè nostra plena tribulis, & spinis peccatorū,

Divitiæ misericordiæ divinæ.

Ad Rom. 6. v. 16.

A plena est misericordiâ Domini, id est, nos qui sumus terra, referti sumus miserationibus Domini, quia multis modis miseretur. Primus modus, quòd peccatorem venientem suscipit, prius suâ gratiâ excitatum; sicut prodigus prius excitatus, ad Patrem brachiis expansis expectantem recurrit. Secundus modus, quòd à m[...]ltis custodierit, in quæ prolapsurus. Tertius, quòd peccata tam diu, tam patienter dissimulârit. Quartus, quòd visitârit cor meum. Quintus, quòd continendi virtutem deinceps dederit. Sextus, quòd gratiam dederit promerendi. Septimus, quòd spem dederit obtinendi ejus promissa. *Misericordiâ ergò Domini plena est terra.* Et quomodo plena est terra? Cyrillus in 8. caput Joannis: *Perrexit Iesus in montem Oliveti, id est, in altitudinem Divinæ misericordiæ. Superfertur, inquit, oleum ceteris liquoribus: Misericordia Dei ceteris operibus: misericordia enim superexaltat judicium; ita ut peccatores, & non solum justi per ea quæ patiuntur, ejus misericordiam prædicent.* Undè non solum Abeli misericordiam impendit; sed etiam Cain tribuit tempus pœnitentiæ: non solum Noë; sed etiam iis quos inundatio obruit. Tu ergò peccator si impius es, cogita Publicanum: si immundus, cogita meretricem: si homicida, perspice latronem: si iniquus, cogita blasphemū, cogita Paulum prius persecutorem, posteà annunciatorem. Nolo C dicas: Blasphemus sum. Nolo dicas: Persecutor sum, immundus sum; habes omnium ostensiones, in quem volueris portum cōfugito. Vis in novum? vis in veterem? in veteri David, Manasses, & infiniti alii; in novo Paulus, Magdalena, Matthæus. *Peccatores venit vocare, non justos*, Matth. 9. v. 13. Marci 17. Lucę 5. v. 32. Deicidas, & suæ animæ homicidas consectatur, quos ambitiosè quęrit. *Quid enim est peccatum ad Domini misericordiam?* ait Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. *Tela aranea, quæ flante vento nusquam comparet?* An non ideò Christus suam potentiam ostendit in Paulo, ut omnes deinceps nossent eum posse sanare cunctas infirmitates omnium confugientium ad se? D Ut omnis lingua cōfiteatur, quod misericordiâ Domini plena sit terra. Nunc ô peccator, attende ad altitudinem misericordiæ divinę. Primò, nulla est injuria tam grandis, nulla adeò execranda, quin præbeat statim se Deus exorabilem, velit placari mutatione per pœnitentiam, pravæ voluntatis. Secundò, non exigit Deus grandē apparatum, ardua opera, duras corporis castigationes; qualia sunt jejunia, flagella: recōciliationi parandę sufficiunt lachrymæ, & quidem minimæ, sincero cordis fonte manantes. Flevit Ezechias, inflexus lachrymis Deus: flevit immanis tyrannus Manasses, fletu Numen iratum placavit: flevit Petrus trinâ infamis negatione; lachrymis diluit & vulneris infamiam, & cicatricē. Tertiò, si lachrymæ obduratis oculis desint; misericordi Deo sufficit verbum contritū. Uno verbo tanta Majestas infinitè offensa mitiga-tur

Qui modi misericordiæ divinæ.

Altitudo misericordiæ divinæ.

Minimo signo infinita majestas placatur.

tur & ponit iras, præbet osculũ, præbet amplexus, spondetque verbo rogantis præmia. An non ad unicum verbũ homicidæ & adulteri David tumidos iratum fluctus, & parata fulmina semovit? Latro in cruce inferno proximus, ad unicum ferè verbum cælo donatur; ex inferni familiâ transit in Christi: *Hodie*, inquit Christus, *eris mecũ in paradiso*. Bene Isaias c.30. *Ad vocem clamoris tui, ut audierit, respondebit tibi*. Quartò, si verò verba peccatorem deficiant, recurre tu peccator ad gemitũ cordis, gemitu velifica ad portũ salutis; uno gemitu dabitur victoria, uno gemitu cælum emendum. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quâcumque horâ peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Hoc testatur Deus per Ezechielem cap. 18. nu. 31. *Projicite à vobis prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini & venite*. Sicut vento ignitum aurum, & metalla diffluunt; sic cor gemitibus diffluit & alteratur, & immutatur, & peccator inducẽs gemitum columbæ, magni & infiniti Numinis eblanditur misericordiæ affectum, vt flante vento gemituum fluant aromata gratiarum, & cæli quasi ex ære fusi liquescant. Quantum instar in uno gemitu. Quintò, Accipe Lector supremũ misericordiæ gradum. Si desint gemitus, desint lachrymæ, desint corporis castigationes, & importuna corporis infirmitas omnem ferè sensum abstulerit, sufficit misericordi Deo evocata ex intimis animæ præcordiis pia voluntas, luctuosus mentis affectus, suspirium cordis, & mentis interioris: sufficit & valida cum detestatione, scelerũ retractatio. Hoc tributũ momentaneę voluntatis, dissolvit nexus, catenas, fœnus, debitum insolubile; revocat decretũ æternæ damnationis, & novo sacri senatusconsulto, liber & hæres æterni Imperii, & civis cæli, & Filius Dei decernitur peccator. Audi ô Lector potentiam unius gemitus, unius lachrymę, unius sanctæ voluntatis; talis in cælo publicatur ἀμνηστία scelerum, ut nulla in posterũ memoria tam crudelis offensionis accessu novorum scelerum recrudescat, nunquam mens Dei à condonatione ferociùs ægrescat: nunquam condonata reviviscant, etsi cõstans in amore Dei perstiterit; nunquã in affectu Paterno languidior amor, nunquã etsi prius infinitis sceleribus exacerbatus, familiaritatis subtrahit blanditias, favoresque. Tu Lector esto placabilis malignis, & te lædentibus. Hic cumulus perfectionis, diligere inimicos ad Jesu Christi imitationẽ, qui pro Crucifixoribus veniam non petentibus, sed irridẽtibus exoravit. Tu ne dimittis injuriam semel illatam? aut si dimittis, an nõ exulceras mentem renovatione, aut meritis, aut verborum, aut exprobratione? Tũne diligis pari amore, quo antè? An non subtrahis antiquos amores? antiquã familiaritatẽ? an non minus

A vultus blandi antiquas delicias? an non inducis rugas, silentium, & ferociorẽ occursum? Da veniam nõ petenti veniam, supergredere teipsum, & altior teipso, & omnibus injuriis altior Deum imitando, Deum æmulare. Fac secundũ exemplar tibi in monte propositũ. Deus gemitum peccatoris, & tu non exaudies tui fratris? Gemitum pauperum exaudivit Dominus: tu fratris exaudi. Faciamus finem misericordiæ, cujus non est invenire finem. Magnitudinis divinæ non est finis, sic nec misericordiæ. Nota stupẽdum, & admirabilem morem divinæ misericordiæ. Apoc. 6. legitur, quòd omnes clamant: Usquequò Domine (sanctus & verus) non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ, & dictum est illis ut requiescerẽt

B adhuc modicum. Servi vindictam, & Dominus vult misericordiam. Deus tanquã Pater ingemiscit ad interitum suorum filiorũ; non enim delectatur Deus in perditione vivorũ. *Nunquid oblivisci* (Isa. 49. v. 15.) *potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce descripsi te in manibus meis: muri tui coram oculis meis semper*. Isa. 49. Alludit Propheta ad mores vehementer amantium, qui in annulis digitalibus insculpta circumferũt nomina amãtium. Sic Epicurei, sui Magistri Epicuri, ut narrat Cicero, & Plinius: sic & Justinianus in

Stupenda misericordia.

C pectore imaginẽ sui Belisarii, quam infatigatis osculis terebat. Sic Magnus Deus circumfert in suis amoribus, in suâ Divinâ mente amatas tam nobiles suas animas; quas filius Dei in suis sacris vulneribus inscripsit factus homo. Et quis audeat has amatas de manibus suis tollere, pro quarum salute comparanda hæc sacra stigmata sunt admissa? admissa ut æternos spirent amores: tanti est Deo unius peccatoris anima, tantùm amata. Ut autẽ fortitudinem misericordię suę, suique amoris ostendat, comparat se prætereà amori paterno, qui etsi teneritudine, à Materno superetur, robustior tamen, & cõstantior, & cedere nescius est paternus amor, atq; ideò *quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*. Psal. 102. Jam sæviat quantũ vult;

Pater Deus est misericordia.

D Pater est: filiũ si ploras, sub Patre plora: noli cũ indignatione, noli cum typho superbiæ: medicina est quod pateris; nõ pœna est: castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si nõ vis repelli ab hæreditate. Expectat Dominus patienter, si fortè audiat peccator Domini vocẽ. Ecce infatigatus stat ad ostiũ, & pulsat, Apoc. 3. & clamat noctes atq; dies: *Aperi mihi soror mea, aperi*. Cant. 25. Verũ cùm nõ auditur, occidit peccatorẽ, ut quęrat eum. Effundit iratus ex amore *calicem qui est in manu suâ, vini meri plenus mixto*. 74. Ps. v. 8. Parata est pœna quæ debetur impiis, quam in perfidos inclinat, non effundit, inclinat, non evacuat. Quod inclinat, censura est: quod nõ evacuat, misericordia est. Sic judicium misericordia temperat. Et sanè in hoc commendat Deus

bonitatem suã, ut ait Chryf. hom. 50. ad populum Antiochenũ; *propterea quod puniat peccatores, quia bonus est; ideò gehennam præparat, ut servetur disciplina, & justitia non cõtemnatur, ex cujus contẽptu omniũ rerũ sequeretur cõfusio & perturbatio; ut solet in Republicâ, nimia Principis clementiâ, & misericordiâ.* Non expostules cũ Deo, tã diuturnã sceleratorũ tolerantiã. Infinita sapiẽtia Dei ex summis malis educit sũma bona; ac proindè tantæ misericordiæ est, sustinere improborũ malitiã, quàm mundũ à peccatis conservare immunẽ; vel à peccatis liberare. Et in hoc cõmendat Deus suã omnipotentiã: non enim est magnæ potentiæ, iniquũ jã præcipitẽ in infernũ demergere; sed misericorditer ruentem suscipere, & pietatis viscera, parcẽdo manifestare. Non tamẽ potest multa præterire peccata, quãvis sit sũmè bonus: est enim misericors, & justus Deus, ut docet August. lib. de falsa & vera pœnit. cap. 10. Sicut cõservat misericordiã suã in justitia; ita & justitiam in misericordia. Opus est misericordiæ, peccata dimittere; sed oportet ut justus misereatur justè; falsa siquidẽ est misericordia, quæ justitiã evacuat. Hæc S. Doctor. Necest vera justitia, quæ misericordiã totaliter excludit. Misericordiæ virtus est justitia; justitia lumen misericordię. Infirma proindè est misericordia, quã justitiæ virtus nõ firmãrit; & tenebrosa justitia, quã misericdia nõ illustrarit. Justè ergo miserẽdũ, & misericorditer judicandũ; juxta illud Ps. 140. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleũ autẽ peccatoris nõ impinguabit caput meũ.*

Cur tolerantia peccatorum.

Justus & misericors Deus.

§. VII.

In terris lucet misericordia Dei circa justos, qui nova creatura. De justi dignitate.

SI tam misericors in hostes Deus, quantæ erit adversus amicos? Qui tã profusę pietatis est in immisericordes, quãtæ erit in demerentes, & suos justos? si tanti ęstimat Deus impium, qui nullius pretii; quanti justũ, qui est nova creatio, & tota Christi meritis tribuitur; sicut creatio tota omnipotẽtiæ Dei? Unde & Jeronymus vocat justũ novũ mũdũ conditũ & creatũ à Christo. Potior est Christo unus justus mille mũdis; juxta illud Isaię 6. v. 22. *Minimus erit in mille, & parvulus in gentẽ fortissimam.* Si Vaccinia nigra, & flores momentanei, & ephemeres tãto in honore, & amore; quo erũt lilia cãdida, peramata spõso, qui pascitur inter lilia? si vallatos spinis circumdat suis favoribus & aspirat ventos favonicos; quibus circũdabit vallatos liliis & rosis? si tam pretiosum lutum, quam pretiosum margaritæ donum? Esto nunc in conchylio, id est, in obscuro delitescat justus, an nõ confracto lucebit in gloriâ? si peccatorẽ ruptorẽ fœderis humani, & violatorẽ Divini sic tuetur & cõplectitur Deus, an nõ ardentissimè justum sui amatorem? Quid enim sunt justi Magno Deo, nisi columnæ totius

Iustus est nova creatio.

A Orbis, nisi viri misericordiæ quos Deus vocat Isa. 60. v. 21. *Germina plantationis meæ.* & Paulus 1 Corint. 9. *Dei agriculturam. Dei agricultura,* inquit, *estis.* & apud eundem Isaiã vocat Deus justũ, *opus manus meæ ad glorificandũ,* ut scilicet, Deus, inquit Jeronymus, in eis glorificetur, ac celebretur. Vocat & *servũ suũ,* sicut Iob horridis morbis, & vulneribus attritũ despectumque vocavit servum suũ Job 42. & Isa. 42. v. 9. *Dixi tibi: Servus meus es tu.* Hoc titulo unicè Paulus gloriatur. *Paulus servus Iesu Christi.* Sic & Athenagoras, Iustinus, Tertullianus suis Apologiis inscribunt se servos Dei & Christi cultores. & ideò altiori titulo ca. 43. v. 1. Isaias auget affectũ, dum ait: *Vocabo te nomine meo: meus es tu.* & quare meus? B & quo affectu meus? audi c. 64. Verba amãtis Dei. Vos, inquit, *qui portamini ab utero meo, qui gestamini à vulva mea.* Et ideò audi justè illud Isaiæ 44. *Audi,* inquit, *Iacob serve meus, & Israël quem elegi. Hæc dicit Dominus faciens, & formans te, ab utero auxiliator tuus. Iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu suâ Domino.* Quid hoc est; scribet manu suâ Domino? nisi sũ Domini? Vel ut Septuaginta habent, inscribet manu suâ, *Dei sum.* Vel ut textus Arabicus *scribet se è proprietate Domini, ex familiâ scilicet Domini.* Ut dicat Domino: Dominus est pars mea, portio mea. Quantã curã gerit Pater suorum filiorũ? An nõ æterni Patris Filii, sunt justi? C quod Christus ipse docet, dũ ait Lucæ 26. v. 36. *Estote misericordes ut sitis Filii Patris vestri.* Qui cùm sint Filii Dei Patris, necessè est eos vocari Christi Domini nostri fratres, quos & ut fratres agnoscit. *Ite, nunciate fratribus meis,* Matthæi ultimo, dilectis scilicet & amicissimis quos noluit vocare servos, sed amicos & fratres. Si tanta lucet misericordia circa improbos, destinatos æternis malis, quos patiẽter usque ad extrema tolerat sufferttque ne pereant; quanta circa bonos? Bonos ergo, ut boni perseverent, & bonum velint, prævenit; ne verò præcipites ruant, novis auxiliis, & gratiis quasi extensis brachiis sustentant. Deinde subsequitur per gratiam, ut bonum volitum perficiant. Prætereà his suis servis, & D dilectis sic unitus est per misericordiam, ut quidquid illis gratiæ, favoris, subsidii fuerit exhibitum, sibi & suæ Majestati sentiat fateaturque exhibitum, & contrà; omnes illatas injurias, atque etiam minimas, sibi reputet illatas. Hunc solicitum amorem, & tenerum affectum ut exprimat Divina misericordia sic ait Zachariæ 2. *Qui tetigerit vos, tãgit pupillam oculi mei, quia ecce ego levo manum meam super eos.* Quid homini pupillâ carius? quid tenerius? quid injuriæ impatientius? Et Deutero. 32. v. 10. *Invenit eum in loco horroris, & vastæ solitudinis, circumduxit eum, & docuit: & custodivit eum quasi pupillam oculi. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, & portavit eum humeris suis.* O verum Patrem

Iusti hominis dignitas.

Nota. Sibi factum putat Deus quod pauperi fit.

trem qui fert onus amatum humeris! & è contrà, *Qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10. & 4. Regum v. 19. spreverat Ezechiam Assyriorum Sennacherib, insultârat amarissimè, jam despondebat ebrius victoriis, sibi Jerusalem. Sensit Deus tela, vulnusq; & quasi in se missa tela, vulnusque retorquet in auctorem, & 185. Angelo vindice stravit trucidavitque millia armatorum. Spreverat Ezechiam; & ipse tyrannus à suis spretus filiis; exitium Ezechiæ parabat, & ipsi, quos genuerat, filii, perniciem fabricatunt. Sic rependit Deus injurias & scelera, sibi dilectis illata. Hæc lex veræ amicitiæ, ut amicis sit commune periculum, & felicitas. Unde & illa vox Christi, *Quod uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Matthæi 25. vers. 4. & versu 46. *Quam diu non fecistis uni de minoribus his, mihi non fecistis.* Et Matthæi 10. vers. 40. *Qui vos recipit, me recipit.* Et Marci 9. vers. 36. *Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit.* Fortunam parvulorum facit Christus suam. Quidquid boni vel mali fabricatur amicis Dei, Deo fabricatur. ô miram Dei dignationem! sæveriùs sævit in suorum hostes, quàm suos. Beneficia suis præstita, exstinguunt injurias memores illatas sibi. Undè & illæ ardentes voces ad furentem Paulum: *Saule, Saule quid me persequeris?* inulnerabilis ego, vulneror in meis. Projice tela manu, ne meam sentias manū. An fortè ignoras meū posci sanguinem, dum meorum fundis? una est amicorum anima, una vita; vita mea stat, caditque meorum. Una salus, aut mors erit mihi, meisque. Vivere sine meis etsi possim, nolo: in me tuos verte tumidos furores, laxa rabiem, si potes; aude. ne possis, sternam te, ne meos, ut paras, tangas. Una Dei, & omnis in dilectis cura sedet moraturque. Tanti est, esse Dei amicum, qui suos, vt se amat, & suos tamen se vehementiùs. In ulciscendis enim illatis calamitatibus prodigiosâ celeritate deproperat, qui sibi illatas prodigiosâ tarditate dissimulat; juxta illud Ecclesiastici: *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, & faciet judicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam: injurias ulciscetur, nec erit longanimis, non permanebit in morâ.* Accipe omnibus probatam historiam, quæ omnibus præluxit sæculis, posterisque prælucebit. Qualis, quātusq; fuerit Theodosius Junior, omnes scriptores docent, fuisse Principem Orbis religione, pietateque summum, cui cælum, Angeli, & Deus ipse videtur militasse, quem Deus à se cultus perennibus victoriis illustravit. Roilas totâ prope Schytarum, Russorumque Gentem ad arma concitârat. Istro trajecto Thraciam depopulatus, copias ad Constantinopolim admovit, ratus se urbem ex improviso oppressurum. Et ecce Magnus Deus pro suo excubans Theodosio, cælesti telo, ingenti nubium fragore in hostem detorto, fulminatus, & in cinerem redactus cū

Tangis justum, tangis Deum.

Festinat Deus ulcisci suos læsos amicos.

toto suo exercitu, pestilentia, tempestateque insolito bellandi more deletus est. Quam victoriam Proclus mirificè pro Concione velut Epinicio illustravit. Vide Nicephorū l. 14. ca. 4. Theodoretum l. 5. c. 36. & Socratem. Ecce ut armis potentior pietas inermis, armata Deo. En ut potior est Marte Religio. Socrates l. 7. c. 18. & alii, aliam refert Victoriam. Narseti Duci Persarū adjunxerat Varannes suas copias innumeras. Alamundarus copiarum Dux Varanni victoriam pollicetur, & Antiochiam rebellatam. Ingens erat terror; & expectatio tanti exercitus Constantinopoli cælum fatigatur precibus, nec sine fructu. Angeli per Mercatores Victoriam Theodosio denunciant, dummodo in precibus persistant: se cælo missos suppetiarum, & Victoriæ parandæ causa. Obsidebatur Nisibis ab Ardaburio Duce Theodosii Imperatoris: accedit Alamundarus centum millibus Saracenorū stipatus, & ecce tanta moles virorum, & bellantium furor subito terrore pari correpti, cum armis se præcipites in Euphratem dedêre; & centum millia fluctibus hausti. Latebat hic casus Romanos, qui innumerâ multitudine hostium perculsi, omnes machinas obsidionis cremarunt, tutissimo loco sese munientes. Deinde variis præliis, & Persæ fracti delentque. Ecce ut Misericors Deus suorum fortunam suam faciat, ut instar Matris misericordiæ sinus aperiat; & instar veri patris ad suorum filiorum arma corripiat. Nolite ergo dicit Dominus per sacrum Vatem Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos*, id est, unctos oleo, qui sunt mihi quasi Sacerdotes, & Reges in amore, & pretio, qui soli oleo unguntur, tanquam omnium mortalium eminentissimi. Pro his ergo pugnabo, quos & tegam opposito meo corpore, & vitâ; ita ut priusquam vulnerentur, sim vulnerabilis. & 1. Paralip. 16. non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpuit pro eis Reges. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis malignari*, id est, indignè tractari. Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 9. *Nolite tangere*, vertit *leviter, tangere, Christos meos*, qui sunt mihi quasi primogeniti tēpore Patriarcharum, quibus erat annexa sacerdotalis dignitas, teste Isidoro lib. de offic. Eccles. cap. 25. Vocantur autem Justi uncti, à Christo Domino, qui per κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur unctus ab Isaia 61. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me Dominus.* Noli ergo prophanâ manu res sacras violare, quas & illicitum tangere. Sacra Dei vasa, templa & arca Dei sunt justi: memineris percussi Ozæ. 2. Reg. 6. vers. 7. qui arcam Dei tantum imprudenter, non malitiosè tractavit. An non vera sanctitatis arca, anima justi? arca Dei est, & templum vivum Dei vivi: qui violaverit illud, disperdet illum Deus. 1. Corint. 3.

§. VIII.

De misericordia majori adversus justum prolapsum.

Magna & ingens Dei misericordia in suos iustos; verùm ingentior, operosiorque in justum delicto præoccupatum, per scelus à Deo aversum, & mortis æternæ suppliciis obnoxium. Rupit, & funestavit amicitiam Dei, indignus amicitiâ Dei. Quid aget Dei misericordia? an pro commerita noxa, deseret causam sui quondam amici? an nullâ parte sui feret auxilium? an animo divisus erit, qui peccatis? an fulmina mittet in violatorem? & asperabit iras? an obliviscetur misereri Deus? an continebit in ira misericordias suas? Attende ad Patris viscera, ut expleat officium veri Patris. Hic in re dubia, ubi dura opem fortuna vocat; ubi medicinam vulnera poscunt; ubi premit ultima necessitas, est memor amoris; nec piget pudetque succurrere pereunti. Sic misericors Deus, adversis non deest; pereunti porrigit salutares manus; Patris verò induit omnes affectus: prævenit ruentem; saucium acerbo vulnere, deficientemque curat, solaturque; fastidit vitia; sed tolerat vitiosum; cùm gemitu dissimulat offensam, & est intentus tempori, ut erga perditum, rem fideliter & feliciter gerat. Hoc docet Propheta Psalm. 33. vers. 24. *Cùm ceciderit, non collidetur.* Ubi Jeronymus vertit, *allidetur.* Et ne vulneretur perniciosis cadens in fracturis terræ; quia Dominus tanquam verus amicus, & verus Pater *supponet manum suam.* Psal. 36. Ubi Jeronymus: *sustentat manum ejus.* Augustinus: *confirmat manum ejus, ne prorsus intereat. Angelis* prætereà *suis mandavit ut custodiant illos in omnibus viis suis: in manibus suis portabũt illos ne fortè offendant ad lapidem pedes suos.* Psalm. 90. Hæ sunt spirituales manus, & spiritualia auxilia, quæ electis pro cujusque discriminis modo exhibentur? Esto Athleta ceciderit, genu-flexerit, à superiore prematur, manibus tamen certet, nisi in ventrem fusus fuerit aut distentus vinculo lacertorum, non auferetur bravium. Justum ergo Athletam colluctatorem vidimus cecidisse; at qui cecidit, resurget, & qui aversus est, se convertet: *Dominus* Psalm. 145. *allevat omnes qui corruunt, & erigit elisos.* O quàm molle pulvinar, misericors Dei providentia, quo excipitur justus cum cadit. Summi & misericordis Dei virtus est, sic regere suos justos, ne corruant: & si fortè corruerint, erigere. Facit Deus quod in se est, ne cadat justus, cedatque tentationi: at ubi cecidit, cessitque victus; supponit Deus manum suã ne collidatur. *Perditio enim nostra ex nobis est, & tantummodo in Deo auxilium nostrum.* Oseę

Rebus perditis ad est Dei misericordia.

A 13. vers. 9. *Septies* præterea *in die cadit justus,* Proverb. 24. verùm confirmatur & resurgit. Si ergo cadit justus, subitò adest Dei gratia, ut resipiscat à Diaboli laqueis, à quo captivus tenebatur ad ipsius voluntatem. Allevat ergo Deus omnes qui corruunt. Psalm. 144. ubi Jeronymus vertit, *sustentat.* Augustinus, *confirmat decidentes.* Hilarius, *suffulcit.* Arabica versio plena blanditiis sic habet: *Dominus reclinat, aut quiescere facit omnes corruentes;* nēpè antevertendo, vel impediendo plenam ruinam; aut si corruerit, erigit omnes luxatione, fractione aut vexatione elisos. Non vult Deus mortem justi. Hoc innuit misericors Pater apud Jeremiam 8. *Nunquid qui cadet, non resurget? aut qui aversus est, non revertetur?*

B *Non verearis,* inquit Ambrosius in Lucæ cap. 15. *ne te recipiat; nam occurrens venienti tibi cadit super collum. In duobus est* (inquit Siracides Ecclesiastici 26. vers. 26.) *contristatum cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit. Vir bellator deficiens per inopiam. Vir sensatus, & contemptus. Et qui transgreditur à justitia ad peccatum.* Irascitur Siracides justo declinanti: non irascitur Augustinus, sed miseretur, & asserit omni fonte lachrymarum deflendum. Ingēti ergo indigens justus misericordiâ lapsus à Deo suscipitur, erigitur, ut à Dei misericordia coronetur. Hanc summam Dei, & excessivam misericordiam docet Isaias cap. 54. *Ad punctum dereliqui te, & in modico, & miserationibus magnis congregabo te. In momento*

Deus Lapsi justi mortem avertit curatque.

C *indignationis abscondi faciem meam, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* & Osee 6. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* His vocibus respondet Isaias cap. 5. *Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Celebratur Julii Cæsaris factum memorabile, qui scrinium plenum hostilibus literis, ne qua scintilla tam diris odiis superstes foret, flammis cremavit, & irarum flammas suo cinere, ne memoria reviviscerer, sepelivit. At Magnus Deus millies lacessitus, *ad peccatorē revertitur, & miseretur ipsius, & projicit omnia peccata in profundum maris.* Michææ 7. v. 19. & Isai. *& projicit post tergum omnia peccata, ut ne velit postq; quidem meminisse.*

Omnia crimina delet crematque.

Cæsar literas hostiles cremat.

D Et quod admirabilius, injurias deflectas, tanquam merita, prēmiis compensat, & hostem pœnitentem admittit in regni sui partem. Quid addi tantæ misericordiæ potest? Tu Lector da operam, ut qui peccarunt & lapsi sunt, resipiscant. Dilectionis officium est, invicem onera nostra portare. Objurgationem, non odium, sed misericordia præcedat. Volo te esse liberatorem hominis ab obsidione vitiorum. faciat te miseria aliena misericordem, non superbum; & quem Deus adeò misericorditer tractat, tu gladio severæ indignationis feries? *Discite quid sit; Misericordiam volo, non sacrificium.* Gratum Deo sacrificium, salus peccatorum. Vidimus ergo cælum plenum Dei misericordiâ: *In æternum enim misericordia ædificabitur,* in cælis

in cælis præparabitur veritas in eis, Psalm. 88. quæ misericordia ab æterno, usque in æternum nullo modo dissoluetur, Angelos præservans & in æternum coronans. Vidimus quoque terram plenam Dei misericordiâ, quâ bona temporalia ex Dei misericordia omnibus conceduntur communia; quòd solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Videmus & cælestem in peccatores, & justos misericordiam, quâ cunctos complectitur, ut servet, perdat autem neminem.

§. IX.

Supersunt regna rigidæ Iustitiæ. De primo regno justitiæ inexorabilis in quo misericordiæ datur locus.

QUis credat in regno justitiæ, & æternorũ tormẽtorum misericordiæ locum? quis radiis misericordiæ, flammivomos ignes & incendia voracia temperari? Nemo ignorat mortale peccatum trahere secum malitiam ferè infinitam, tantamque esse unius mortalis immanitatem, ut, teste Doctore Angelico in opusculo de beatitudine, ipse Deus sapientissimus non possit in suis sapientiæ thesauris, invenire pœnam parem seu condignam tantæ malitiæ quâ posset ex æquo castigari. tantâ est unum scelus malevolentiâ suffultum. Quanti est infinitum Numen posthaberi umbratili vilique creaturæ? Quanti centrum beatitudinis locare in momentanea voluptate, Deo infinito boni fonte calcato? & tamen; etsi causæ irarum sint implacabiles, justissimusque furor severissimi Judicis pœnas exigat infinitas, intervenit tamen adhuc misericordia, damnatosque æternis suppliciis, infra meriti sortem punit, castigatque. Misericordia ergo mirabili temperamẽto severam sic moderatur justitiam, ut minùs devoti flammis crucientur, & stillantes misericordiâ rores percipiant. Circumdare quidem toti æternitati terminos, finemque non potest; sententia quippè est irrevocabilis; molliùs tamen ut feratur, acerbissimarum imperat pœnarum relaxationem. O infortunatum ter & amplius, & omni miseriâ miseriorem, cui hæc sors amaro peccato contigit!

Pœnæ infernales misericorditer temperantur.

§. X.

De secundo Iustitiæ & tristitiæ regno quod Purgatorium dicitur. Vbi etsi locus sit justitiæ, datur tamen & locus misericordiæ.

CIrca statum, & conditionem hujus loci nonnulla sunt præmittenda. Primum: Hoc justitiæ regnum esse temporaneum, quod non est diuturnius, quàm spectacula

A ultricis justitiæ durant. Hîc rigidissimè & exactè expendũtur omnes scelerum, & quidem minimorum pœnæ: hîc minutorum quasi punctorum ratio solvenda: *non enim intrabit in eam* (civitatem Dei) *aliquod coinquinatum.* Apocal. 21. vers. 26. nemo, nisi penitus expiatis maculis Deum videbit. *Non me videbit homo & vivet.* Exodi 33 homo scilicet humanis deformatus defectibus.

Secundum: Pœnas expiatorias hujus regni, tam esse graves ut si pœnas sensuum jungamus cum pœna damni, excedant omnes pœnas hujus mundi. Quantum malum, ignibus perpurgari? at quantò majus malum, arceri ab infinito bono! Quantâ violentiâ, quantoque impetu rapiuntur elementa in centrum, & Patrium locum? Quis explicârit sitim inardescentis animæ? Quis flagrantes amores anhelantis ad conspectum infiniti Dei? & tamen nisi maximis tormentis aboleantur minimi nævi, prohibetur accessu. Nec modus, nec requies: omnis longa mora semper amanti, & quando verus amor Dei invenit modum! & quis modus adsit amanti quem Dei urit amor? De cruciatu hujus loci audi Augustinum: *Ignis purgatorius etsi æternus non sit, excedit tamen omnem pœnam.* nunquam in carne inventa est tanta pœna, quamvis innumirabiles Martyres horribilia inauditaque fuerint perpessi.

B

Pœnæ purgatorii quã graves.

Tertium. Has beatas animas spe, nondum re, omni subsidio destitutas, nec suis, nisi alienis opibus posse juvari: tempus enim bene merendi exspiravit, & omnis nundinatio salutis clausa est; ô pietas cæli! Providit Deus, ut viventium precibus, & sacrificiis misericorditer levari, atque tormentis acerrimis possint liberari. Excogitavit prætereà longè admirabilius suffragii & auxilii genus misericordia; cùm enim Deus peccatores nõ exaudiat pro seipsis, exaudit tamen orationes pro hisce animabus oblatas. Esto, sit sacerdos reus peccati mortalis, sacrificium faciat pro defunctis, & sibi malum accersat, proderit tamen defunctis: non enim Deus accipit sacrificium tanquam à pravo sacerdote peractum, sed in personâ eorum qui sanctè ex hoc sæculo migrarunt. Fateor itaq; peccatores obstinatos pro se orantes nõn exaudiri, nisi prius gratiâ vel auxiliis Divinis fuerint excitati; preces tamen & eorum erogationes in pauperes, defunctis applicatas, vires acquirere defunctis salutares. Vide Doctissimum Suarem tomo vers. 11. de religione libro quarto de horis Canonicis cap. 18. ut peccatorum preces exaudiantur ratione Ecclesiæ, cujus sunt filii, & membra sub uno sacro capite, habentque vim impetrandi.

C

Status purgatorii.

D

Opera impiorum prosunt defunctis.

§. XI.

§. XI.

Tertium Regnum justitiæ in quo lucet misericordia, est Limbus puerorum.

QUamvis hi infinitis modis sint cæli beatis civibus felicitate impares, & inferiores; miseris tamen damnatis, extra sortem, feliciores; malunt enim hi sic esse & vivere, quàm non esse, quod unicum damnatis votum. Quid enim prodest vivere, ut æternùm miserè in mediis incendiis vivas? an hujusmodi vita, non est mors, ipsâ morte crudeli, crudelior? continuò mori, & vivere, nec alterutrum posse? Providit ergo misericordia ne ullis malis torquerentur, qui nihil mali, suâ, nisi alienâ perpetrassent voluntate. Fatentur quidem se proscriptos Patris filios, & vitiatâ propagine natos; fatentur se filios iræ nasci; at nullo motu interventuque liberi arbitrii, ac proindè se justè proscriptionis damna, non tamen pœnam subire: quandoquidem culpam personalem pœna sequatur. Non ergo æquum visum fuit misericordiæ Divinæ, ut illæ creaturæ æternis cruciatibus ferirentur, quæ nullis creaturarum vetitis tenerentur implicamentis: nihil enim punitionis castigatur sententiâ, nisi quod illicitâ propriâ concupiscentiâ vitiatum. Providit ergo misericors Deus, ne ullis malis aut corporis, aut animi tangerentur, atque omni naturæ felicitate donati, omnis doloris viverent immunes. Vivent ergo naturali beatitudine contenti, & Deum suum Creatorem, magnâ & sincerâ mentis tranquillitate potiti, laudabunt. Augebit autem ingens laudandi studium, atque ardorem amandi, æternorum tormentorum, quibus misericorditer exempti sunt, perfecta consideratio. Et quamvis ingentes animo dolores, æterni boni subtracta visio posset suscitare; nihilominus tamen tanti boni imperfecta cognitio; deinde omnis mali vacuitas; & summi Dei beneplacitum, omnes molestias aut mitigabit, aut tollet. Vivent ergo vitâ beatâ naturali, quibus inconcessa vitio primi parentis, supernaturalis. Misericordiâ ergo Dei plenum est cælum, terra, & tria inferorum regna; nec quidquam est, quod abscondat se à calore ejus.

Cur nullis pœnis obnoxii.

Misericordia providit parvulis absque Baptismo defunctis.

Status felicitas.

Hanc sententiam etsi non certam, probabilē tamen statuunt doctores, qui docent A non passuros pueros sensibiles pœnas, sed tantum pœnam damni. & insinuant Gregor. Nysse. oratione de infantibus qui prçmaturè abripiuntur, & Nazanz. orat. 40. in sanctum Baptisma. Pater Suarez tomo 2. tertiæ part. quæst. 56. disput. 50. sectione 5. ubi fusè probabiliter docet & pulchrè tribuit illis corpora vegeta, incorruptibilia, & bene temperata, & subjecta spiritui quoad inferiores ejus motus, ita ut nullā rebellionem carnis sint passuri. Et quamvis August. lib. 5. contra Julianum & in Enchirid. cap. 93. videatur docere passuros infantes pœnas; posset tamen exponi non de sensi- B bili pœna corporis, sed nonnulla tristitia animi ob amissam beatitudinem cùm enim hujusmodi infantes nihil mali gesserint in suis corporibus, nec per propriū actum ad creaturas se converterint, non est cur pœnis corporalibus crucientur, sed satis est quod omni beatudine supernaturali priventur. Pergit Pater Suarez: *Mihi probabile videtur illos infantes, à resurrectione jam viros & perfecta corpora habentes, habituros aliquam cognitionem Christi, eumq; tanquam dominum ac principem & benefactorem suum veneraturos.* Quamobrem scilicet simpliciter sint expulsi à regno, & inter damnatos reputentur quoad pœnam damni; nihil tamen obstat, quo mi- C nus à Christo, & per Christum acceperint hçc beneficia, ad naturæ perfectionē & convenientem statum naturalem spectantia, quibus omnibus bene usuri sunt semper, & in aliquem honorem, & laudem ipsius Christi. Hæc ex Patre Suare. Quare communis sententia est DD. nihil ab igne pati. Deinde quòd nullum omnino dolorem sint habituri, pariter communis, non tamen æquè certa sicut prior resolutio in reverentiam formulæ fidei ex Concilio Florentino, à Clemente VIII. Orientalibus propositæ; quæ sic habet: Credo illorum animas, qui cum actuali mortali peccato, vel etiā cū originali discedunt, mox in infernum decendere; pœnis tamen disparibus perpetuò cruciandas, vel (ut Concilii Florentini sive D Eugenii verba habent) puniendas. Quare omnino certum non est vllam omnino pœnā toleraturos parvulos; verùm mitior sententia cum sit communis, libentiùs eam amplectemur.

§. XII.

§. XII.

Imago vastatæ animæ per peccatum, & vastationis restauratio per misericordiam.

QUis siccis oculis vastitatem & ultimam eversionem Civitatis Regiæ Jerusalem legit, quam Filius Dei flebilibus modis, & lachrymabili augurio, prædixit eventurã? Lucæ 19. *Videns Civitatem, flevit super eam, dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hâc die tua, quæ ad pacem tibi, &c. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo; & circumdabunt te, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Quicumque videt hoc miraculum Orbis cum suo prodigioso templo sic destructum, & in suis ruinis sepultum; videt vastitatem, & eversionẽ animæ Justi per mortale peccatum illatam. Quid videt in utroque nisi luctificum funus, & exequias lamentabiles pulcherrimarum Regiarum Civitatum? Jerusalem Civitas Dei; anima Justi Civitas Dei: Jerusalem Civitas sancta, dicta visio Dei, orbis ocellus, & miraculum, deliciæ Dei atque hominum: Jerusalem solium Dei; Jeremiæ 3. vers. 17. & Thenor. c. 2. v. 1. scabellum pedum. An non omnes hi tituli quadrant in animam Justi? an non illa sancta? Deus in illa videtur an nõ orbis ocellus? & miraculum per gratię pulchritudinem? &c. ac denique solium Dei, in quo Deus residet? Quò prolapsa fuit civitas toto orbe, divitiis, imperio, victoriis clarissima? Facta est bustũ, & cinis: ludibrium tragicum orbi universo. An non omnes plaudebant manibus super illam, & sibilabant & movebant caput, & dicebant: Hæccinè est urbs perfecti decoris? gãdium universæ terræ? pace, tubis, psalteriis, omnibusque bonis cumulata; præsertim in festis & solemnitatibus, ad quas videndas totus orbis cõfluebat, prout dicitur Psal. 86. v. 7. *sicut lætantium omnium habitatio est in te*: Erat enim figura, & emblema cælestis Jerusalem. Habes hîc imaginem animæ per peccatum pręcipitatæ in exitium, cujus Majestas deformata, tota ruit periitque. Quò prolabitur anima justi per peccatum mortale? an non omnis qui præteriit per eã, obstupescet, & movebit caput? Jerem. 18. v. 16. & admirabitur spoliationẽ, cladem, vastitatem, factam speluncam latronum, domicilium Dæmonis, calamitosam & incredibilem status permutationem? Licebit exclamare *Quomodo sedet sola civitas plena populo*, Angelis obsessa, plena choro virtutum? quomodo sedet dejecta solio gloriæ, & amicitiæ Divinæ favoribus? sola, quasi leprosa & immunda, omni cælesti consuetudine prohibita, & interclusa? Quomodo videtur nudata bonis omnibus? ah! manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: aurũ omne & argentum, & gemmas, & omne quidquid est pretiosum, abstulit hostis. Quomodo Domina gentium & Provinciarũ, id est vitiorum, passionum mundi, suique facta est sub tributo, tot Dominis serviens, quot vitiis, inquit Jeronymus. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Thren. 1. Sic & anima justi peccantis, quæ omnibus donis Dei nudata, vagatur & abit post greges suorum sensuum, & instabilis facta est. Quid enim est impii anima nisi mare fervens, Isa. 57. quod quiescere non potest? Quanto apparatu, quot annorum laboribus, curis, sũptibus Regiis, & imperiis Regum Cyri & Darii restaurata Civitas Jerusalem? Civitas verò spiritualis, quæ est anima stragem passa, in quâ non mansit lapis virtutum super virtutem, cui ablata omnia victoriarum trophæa, cui nihil relictum est boni, & advenit multum mali, in solo momento per unum gemitum in integrum restituitur regnum, reparantur collapsę virtutes, virtutumque præmia quæ per peccatum erant mortificata, vitam recipiunt, si pœnitentia deterserit peccatum.

Status animæ in peccatum prolapsæ.

§. XIII.

Quâ ratione, & modo, & quâ certitudine cuncta in anima justi revivifcant, & pristinus decor restituatur, videamus.

VElim benigne Lector quatuor observes operum genera, quæ in se honesti rationem complectuntur. Primum genus operum moralium, quibus Romani, & multi Philosophi floruerunt, qualia sunt Temperãtiæ, Clementiæ, Fortitudinis, Justitię. de quibus modò supersedeo; non enim ex se sunt supernaturalia, nec habent ordinem ad præmium supernaturale, nisi aliarum virtutum dignitate, vel suffragio, vel comitatu ad altiorem speciem eleventur. Sicut nonnulli putant earum virtutum subsidio Socratem de congruo meritum, ut mens disponeretur ad clariorem lucem divinitatis, & unum solum Deum, refutatis falsis Diis, profiteretur, & hanc fidem jucundissimâ morte sanciret; & iidem cur non auderent eundẽ, in numerum Divorum referre? Quod judicium illis permitto. Fortius ergo id firmârim de Dario & Cyro Persarum Regibus, quos non dubitem suis moralibus virtutibus ex decentia Majestatis Divinę misericordiam in se deflexisse, vt verum Deum agnoscerent, & illum cunctis gentibus adorandum imperarent. Vide Danielem capit. 6. numer. 25. *Constitutum est ut in universo imperio & regno meo, tremiscant & paueant Deum Danielis: ipse enim est Deus vivens, & æternus in sæcula.* Alterum est operum genus, quæ in se, & suâ substantiâ sunt supernaturalia; verùm

Primum operum genus.

Quid sentiendum de morte Socratis.

Quid de salute Darii & Cyri.

Secundum genus operum.

verùm quia à peccatore, & Dei hoste patrantur, pro statu tali nullius sunt valoris, & mortua vocantur, & in æternum hujusmodi permansura, quia semper vitali aurâ, & gratiæ vitâ caruêre; & ideò penitus mortua dicuntur. Quot Christiani prosternunt filios suos, & occidunt, id est, præclara quę peperêre opera, ex se digna immortalitatis præmio, dignaque Deo; verùm quia in peccato mortali nata, simillima sunt fœtui abortivo exstinctoque, & exusto flori. Quomodo vitam parient, quæ partu infelici edita, vitam nunquam senserunt? quomodo proderunt opera misericordiæ charitate destituta? 1. Corinth. 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quid Martyrio nobilius? & illud suâ luce caret, si flammâ, & luce charitatis destituatur; non enim corruptio incorruptelam possidebit 1. Corinth. 15. vers. 50. suadenda tamen peccatoribus, & impiis, sicut suasit Daniel Regi impio Nabuchodonosor, ut *peccata eleemosynis redimant*; Daniel 4. nam etsi indigna vitâ æternâ, digna tamen sunt, ut Deus illa intuens, ex decentia, & congruo mereantur benevolentiæ Divinæ favores: nullum enim opus præterit Deus indonatum; sicut & nullum vitium impunitum. Tertium est genus operum, quæ ab homine amico, & grato Divinæ Majestati, peraguntur, quæ à Deo tanquam lætissima dona, & gratissimi fructus liberi arbitrii, gratiâ Dei adjuti recognoscuntur, ut vitæ æternę præmio digni, si in illis homo vita defungatur: gratia enim causa meriti, mercedem donat vitæ æternæ, & est fons vitæ salientis in vitam æternam, Joannis 4. Unde & Paulus 1. Corinth. 15. *Abundantes in omni opere bono, scientes quia labor vester non est inanis in Domino*: excitant enim opera ingentem spem, & plenam fiduciam mercedis, & præmii laboribus periculisq; promissi. *Sic*, inquit Paulus, *curro nõ quasi aërẽ verberans*. 1. Cor. 9. opera equidẽ justorum sunt quasi deposita apud Deum, sic & ea vocat Paulus. *Potens est autem* (Deus scilicet) *depositum meum servare in illum diem*. 2. Timoth. 1. scio enim cui credidi. At quod depositum Sancte Paule credidisti? Apostolatum, prædicationem Evangelii, thesaurũ scilicet laborum, & passionũ obitarum. Hoc depositum vocat Christus Matth. 19. *Vade & vende omnia quæ habes, & habebis thesaurum in cælo*. & Paulus 2. ad Timoth. 4. vocat repositam justitiæ coronam. Quartum genus operum, ea sunt quæ ab homine quidem justo, & Divinis oculis grato parta, & elaborata sunt, atque ideò digna vitâ æternâ: verum iis, superventu peccati mortalis, velut monstrifico profluvio infinitæ fœditatis, deperit omnis decor, & penitus fulgor exstinguitur; non aliter, quàm si pratum omnibus floribus lætum, luxuriansque, cum suis arbo-

Tertium genus operum.

Quartum genus operum.

A ribus, fructibus opimũ, tactu fulguris exurẽtis ad internecionem funditus vastetur exarescatq;. Tanta peccati malitia, ut instar ardentis vaporis totâ animam omni despoliet ornatu; & omnes virtutes tactæ tanto veneno sterilescant, & dulcedo fructuum acescat. Quale excidium Civitatis sanctæ, quale incendium templi Dei, in cineres redacti? periit omnis decor, nec est species, nec spes salutis auxiliatrix misericordia desolatã & eversam restitueret Civitatem. Hæc ergo opera justorũ in statu gratiæ elaborata, quia viva floruerunt, nõ mortua quidem dicuntur, sed mortificata & invisa, quia justus cum morte iniit fœdus pactumque, & ea mortis vulnus incurrerunt simul & interitũ. Hujusmodi o-

B pera erãt eorum, quos horribili tonitru percellit, Hebr. 6. dum Paulus ait: *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, &c. renovari ad pœnitentiã*; putabant enim Judæi à baptismo in scelera prolapsos, & diffluentes, alio novo lavacro posse renovari, quod est impossibile, cùm non nisi semel sicut & sacramentũ Cõfirmationis conferatur. Prolapsos itaque instar patris solatur, pulchro verborum ornatu, ut scilicet reflorescant, nec despondeant animum cõmissione peccatorum, nec arbitrẽtur præteritos labores incassum & infructuosè exantlatos. *Non, inquit, est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri; quod peractum est, dũ Deo placentes currebatis bene.* Deus ergo miseri-

C cors, non obliviscetur operis vestri, cujus impossibile est oblivisci, si placato per pœnitentiam Deo pristinâ cum Divina Majestate redintegraveritis amicitiam. Amicitiâ ergo per recõciliationem renovatâ, reviviscent ea vestra opera, quæ placita, quæ quõdam viva fuerunt, non aliter quàm si nõ concidissent: quæ si vitam aliquãdo non habuissent, nunquam Dei memoriâ digna fuissent. Nunc verò recordabitur quia grata exstiterunt, & pœnitentiâ peractâ, persona effectrix operũ est facta grata; quorum anteà nolebat recordari, ob odium personæ inimicæ, cujus odiũ pariter redundabat in præstãtissima facinora in se digna heroibus & amicis Dei. Verè dictum ἐχθρῶν τὰ δῶρα ἄδωρα, non pla-

D cent inimici dona. Dona quidem, at minimè dona, quia hostili porrecta manu. Hoc docet Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, omnes justitias quas fecerat, nõ recordabuntur.* Non recordabuntur ut meritoria vitæ æternæ: recordabuntur ut gratiam congruam aliquam, & misericordiam impetrent ad resurgendum. Sic Rex Assuerus gravissimè offensus à Reginâ Vasthi, quæ renuerat ad Regis imperium venire. Ubi Regis indignatio, & furor deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quę fecisset, vel passa fuisset, Esther. 1. & 2. sic Misericors Deus instar benefici Patris, recordatur labores exantlatos à suo quondam amico, justè nunc hoste, sicut Henricus Quartus Marischalco Bironi proditionis accusato, dum Regi vulnera pro

Merita mortificata reviviscũt.

Rege

Principes hostium suorum, praterita merita habent in honore.

Rege accepta nudaret; crimen si voluisset agnoscere, condonasset. His artibus Augustum lenivit iratum, Herodes uxoricida, & tyrannus; dum nudato pectore ingentes & latas ostentaret vulnerum cicatrices. *Hæc*, inquit, *sunt vulnera quæ pro te accepi Auguste.* Tergeminis fratribus, Horatiis, Curiatiisque hinc atque inde, Albani & Romani Populi, fata commissa unius Horatij manu cæsis suis fratribus; & tribus Curiatiis vulneratis parta est victoria, exitu mirabilis. Dum is distractis tribus, singulos adortus confecit, is victor, flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis, sororem suam ubi vidit, immaturum Virginis amorem vltus est ferro; citavêre nefas leges quidem: at virtus donavit vitam, & facinus intra gloriam fuit. Justorum vitia etsi supplicia poscerent, respectu tamen præteritorum laborum, misericordiam ex congruo, & decentiâ impertitur Deus, & intra gloriam sunt misericordiæ; Concil. Trident. *sess. 6. cap.* 16. cõfirmat & eandem misericordiam Dei, dum ait: *Hâc ratione justificatis hominibus, sive gratiam acceptam perpetuò conservârint, sive amissam recuperârint; proponenda sunt vita Apostoli.* 1. ad Corinth. 15. vers. 58. *Abundantes in omni opere bono, scientes quòd labor vester inanis non est in Domino.* ad Hebræos 6. vers. 10. *Non enim injustus est ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Duo hîc tangit Concilium. Primum, statum eorum, qui in hac vita, in gratiâ semper perseverantes, nunquam ea interrupta, defuncti sunt. Deindè loquitur de ijs, qui pleni bonis operibus, cursum bonorum operum interventu peccati mortalis interruperunt, ac rei damnationis, pœnitentiæ beneficio postliminio in amicitiam Dei admissi, amici Dei finierunt. His vult Concilium verba Apostoli proponi, ut scilicet animosiores ad virtutem capessendam renoventur. Pœnitentia ergo inspirat lapsis novam vitam, suscitat, & instar leænæ, per gemitus, ut illa per horrendos rugitus suscitat suos leonculos mortuos, qui prius anteà vixerant, & peccator mortuus quasi novus Phœnix ex Phœnice incinerato afflata nova vitæ juventa suscitatur. Poterit ergo hæc verba justus, suis inscribere trophæis: *Post cineres revixi, Phœnix alter renascor, alter ego: non sum qui fueram, & sum quod eram meipso melior feliciorq;.* Hanc reviviscentiam omnes Scholastici cum Patribus sanctis agnovêre. Sanctus Hieronymus inprimis Malachiæ 3. *Hi qui Domino confitentur, quo modo in principio placuerunt Deo, sic post peccatum, & pœnitentiam placere incipiunt, cùm fuerint omni sorde peccatorũ purgati.* Augustinus idem corroborat libr. de verâ & falsâ pœnitentiâ cap. 14. *Timeat ne omnia bona quæ fecit, dùm in uno peccato perseverârit, seu contaminatione, seu communicatione mali perdiderit, ut qui servivit diabolo per crimen, Dei, quam obtulit, perdiderit servitutem.* Subdit autem paulò pòst: *Pium tamen est credere ut receptâ Dei gratiâ, qua in eo destruit*

Probatio merita reviviscere.

Meritorum mortificatorum nova vita.

S. Patrum Sententia de meritorum reviviscentia.

A *mala, priora etiam remuneret bona, ut cùm destruxerit quod suum non invenit, amet & diligat bonum quod etiam in peccante plantavit.* Nota in illis verbis, *ut qui servivit diabolo per crimen, Dei, quam obtulit, amiserit servitutem*, indicet, priùs factum esse bonum in servitute Dei, posteà verò esse commissum crimen in servitute diaboli. Probant deindè sancti Patres meritorum reviviscentiam, ex 3. cap. ad Galat. *Tanta passi estis sine causâ si tamen sine causâ?* ubi Hieronymus: Cur additum *sine causâ?* simul & hîc aspiciendum quod quicumque ob Christi fidem laboraverit, & posteà lapsus fuerit in peccatum, sicut priora passus sine causâ passus videtur dum peccat, sic rursus nõ perdit ea, si ad pristinam fidem, & antiquũ studium revertitur. Divus etiam Thomas hunc

B sensum sequens, cõcludit: *Ex hoc habetur quod opera mortificata reviviscant.* Omnium verò clarissimè Theodoretus hîc. *Non pro lege* (inquit) *sed pro Christo passi estis.* Qui autem Christum reliquistis, nihil ex passionibus dein lucrifacitis, sed bonam spem eis ostendens, subjungit, *si tamen sine causâ.* si autem vultis manere in gratiâ in vestris perpessionibus mercedem accipietis. & hic est sensus Divi Pauli. Concilium præterea Tridentinum *sess. 6. cap.* 16. ubi ait justificatis in Christo, in quos ipse virtutem suam influit, tanquã caput in membra nihil deesse, quoniam plenè, inquit, operibus, quæ in Christo facta sunt, Divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam etiam suo tempore, si tamen in gratiâ

C decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur. & Canone 32. definit sub anathemate, Justum per bona opera mereri augmentum gratiæ, & vitæ æternæ, si perseverârit, consecutionem. Non intelligit Concilium perseverantiam non interruptam per peccatum, & continuatam semper, verùm eam perseverantiam, ut in gratiâ discedat, si enim in gratiâ discesserit, perseverãtia coronatur, quæ si fuerit interrupta nonnunquam per peccatum, sive non fuerit sub conditione, requiritur perseverantia ad vitæ æternæ præmium, ac proinde omnibus operibus in gratiâ factis deberi gratiam, & suum præmium cum vita æterna, si perseveràverit: qui enim perseverârit, hic salvus erit. Et sanè ambigendi vix lo-

D cus videtur, quandoquidem opera fuerint ab homine grato & amico Dei facta, fuerint & eleuata per gratiam, ad ordinem supernaturalem, & per accidens peccati mortalis accessu mortificata. Cur ergo peccato, quod erat impedimentum amicitiæ, sublato, reddita amicitia, non redirent opera gratiæ, quæ & liberi arbitrij fructus, ad suam pristinam & primogeniam naturam, splendoremque? Dignum præterea est infinitæ Majestatis magnitudine, sic omnium oblivisci injuriarum, ut nullum semen, vel vlla relinquantur vltionis vestigia. Gravis sanè foret vltio, si labores maximi in servitium tantæ Majestatis exantlati, ex Dei memoria penitus eraderentur, & quæ

Rationes reviviscentia.

quandoque summè placuissent, exauctorata semel, æternũ exstinguerentur. An putas tam pium Deum delectari tam infami naufragio? amat & vehementer amat Deus opera sua, quæ in nobis operatus est, quorum nobilitatem, maximè sibi vendicat Divina magnificentia, & quorum fructu delectatur, non aliter quàm triumphalis Imperator trophæis suarum victoriarum. Victrice quippè gratiâ, victoria Sãctorum parta, toti æternitati coæva stabit in laudem dominatricis misericordiæ Divinæ.

§. XIV.

De supremo & inexplicabili, & inexpectato opere Divinæ misericordiæ, quo majus dari non potest adversus omnes peccatores: dum peccator justificatus vocatur & fit filius Dei. Quomodo justus vitâ & spiritu Dei vivat quomodo Spiritus S. annectatur suis donis. Ingens opus adoptio peccatoris jam justi in filium. Unde proveniat operum dignitas.

NOn agimus hîc de operibus misericordiæ quæ Deus in sua persona, factus homo, peregit, de quibus posteà; verum de eo, quo omnes mortales provexit in consortium suæ Divinitatis, ut altiùs ire, nec provehi possent. An non eminet super omnia Dei misericordię opera, vilem creaturam, exiguum vermiculum in tantum attolli, supra miseræ suę mortalitatis pōdus, ut in filium Dei charissimum adoptetur? & homo, qui peccator antè, posteà justus, non servus ęterni Dei, quod ipsum maximum est, non hęres terrenę Monarchię, non Angelicę consors felicitatis, sed proximè ad Divinitatis sortem, & Divinitatem Filij Dei accedat, & consors fiat Divinę naturę. Mirum dictu; si mirum conceptu, & exuperet vires omnis intellectus humani. An non mirum conceptu, hominem per Analogiam, fieri similē ipsissimo Filio Dei Patris? An non admirabile, hominem habere jus ad eandem beatitudinem quâ fruitur Beatissima Trinitas? juxta illud Joannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Deindè *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. Nascitur Filius Dei ex Deo Patre, per omnia similis Patri: Justi nascuntur ex Deo, similes Deo. At Filius necessitate quidem naturę; & justus necessitate gratię habitualis; quâ positâ Filius Dei agnoscitur. Filius Dei vivit vitâ, & Spiritu Dei Patris, juxta illud; *Vivo propter Patrem* Justus vivit vitâ, & Spiritu Filij Dei, teste Dei Filio Joannis 6. *Qui manducat me, vivet propter me*. Pater & Filius unum sunt:

Homo justus vivit spiritu Dei.

A *Ego & Pater*, ut dicit dulcissimus Jesus, *unum sumus*; sic Justus & Deus unum sunt, juxta illud: *Rogo Pater ut unũ sint, sicut nos unum sumus*. Joan. 17. v. 22. Desinas velim mirari; nam hoc ipsum docet suprema Veritas, Joan. 1. *Et ex Deo nati sunt, qui credunt in nomine ejus*. Cùm autem nasci sit ex aliquo ducere originem, & formam, & substãtiam trahere, & similitudinem, ut filius patrem repręsentet, & pater in filio se recognoscat; & natus ex alio vivat, vitâ scilicet acceptâ, & datâ à Patre: sic qui natus est ex Deo, vivit vitâ Dei, & imaginem, & formam, & substantiam participationis Divinæ, & similitudinem trahit ex Deo, juxta illud: *Cùm autem apparuerit, similes ei erimus*: 1. Joan. v. 2. & sic similes erimus, ut homo jam filius recognoscat Deum ut suum Patrem, & B Deus recognoscat hominem tanquam suum filium. Qui ergo nascitur ex Deo, vivit vitâ Dei, ex quo natus est, ad Pauli mentem: *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus*. Ad Galat. 2. Sic & Paulus 1. Corint. 6. dicit: *Qui adhæret Deo, unus est spiritus* cum eo per inhabitantem Dei spiritum increatum in eo, per Christum donatum, qui & in Christo habitat, de cujus plenitudine omnes accepimus. Efficimur ergo filij Dei non per donum aliquod creatum. Incorporamur ergo, sicut & vivificamur spiritu Filij Dei, in quo vivimus, sustentamur, portamur, qui à Patre accipitur, qui cùm sit infinitus, mille mundos ad se traheret, & attractos vivificaret qui de spiritu ejus viverent. Quomodo autem fieri possit? attende ad fabricam corporis tui, ut illud anima, vi suæ præsentiæ, potentiâ suæ formæ C vivificet, animetque; deinde ut admirabiles in corpore exerceat actiones, quamvis corpus & anima, infinitis ferè inter se distent intervallis, & longè inter se dissitis pugnantibusque diffideant naturis, substãtiisque. Quid enim est anima nisi substantia incorporea, subtilis, vivax, moræ impatiens, immortalis, intelligens, tãtum non Angelica, nisi quòd vi suæ creationis dicat ordinē, & inclinationem ad corpus, velut partem sui? Et quid corpus? materia impura, mortalis, obnoxia corruptioni, sensuum vigore voluptario, & pecudum more agibile, & jumentis simile? Et quid non agit anima in corpore sibi subdito? an non ad heroïcas cœlestesque actiones extollit? an nō D supra se rapit? an non fabricat miraculũ miræ pulchritudinis? an non hoc opus beatis admirandum, quorum cogitationibus sese inserit? an non per hanc unionem corpus vegetatum, induit naturam suæ animæ, corpus tamen consistens? monstrat corpus ab anima desertum, velut à suæ vitæ sole, auriga, & ductore, quę vitam inspirabat, infelicitatem suę monstruosæ sortis. Sic quilibet justus vivit eodem spiritu Divino, quo Divinæ personæ inter se vivunt, qui spiritus cōmunicatur Christo quà homo per unionem hypostaticā, qui tribus personis per idētitatem. Vivit ergo justus spiritu Divino, qui justum inhabitans, ornans,

Justus ex Deo nascitur.

Anima operationes in corpore.

Quid corpus anima destitutum.

nans, & movens omnes facultates vitales, & omnia opera, vt æternâ vitâ digna reddantur. Ab hoc ergo spiritu inhabitante, propriè, & præcisè filij Dei nominamur & sumus; & hâc deindè dignitate fulgentes, nostra opera sunt meritoria vitæ æternæ de condigno; sine quo nullum opus sortitur hanc dignitatem. Et quamvis secundùm se sint supernaturalia, attemen conditio nón est talis, ut sit excellentię visionis beatificæ cõmensurata: est enim visio beatifica infinitè excellentior omnibus actibus hujus vitæ, & operibus per imméſa tempora protractis; sicut enim *non sunt condigna passiones hujus tẽporis ad futurã gloriam, quæ revelabitur in nobis*; ad Rom.8. v.18. ita nec actiones. Provẽtus ergo tantæ felicitatis nobis exoritur ex gratia adoptionis, quâ sumus filij Dei, & Divino spiritu præditi. Hæc quippè gratia adeò elevat hominẽ ad eam celsitudinem, ut verè, & realiter visio beatifica sit illi debita, sicut & hæreditas patris, debita filijs, quia filij sunt patris, cujus spiritu sunt, & vivunt & moventur. Hinc fit ut quibuslibet operibus justi, debeatur æterna merces, & æternum præmiũ, eò quòd sit filius. Sic Concilium Tridẽtinum *sess.6.cap.16*. Cùm enim ille ipse Christus, tanquam caput in membra, ut vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus, bona eorum operum antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent; virtus autẽ, quam influit, est gratia habitualis, cui conjunctus est adoptionis spiritus. Dignitas ergo nostrorum operum provenit ab hac gratia, non quà præcisè est res creata, sed quà spiritum Christi nobis communicat. Vidẽs enim Deus Spiritum Filij sui in nobis, delectatur obsequijs nostris, eaque magna æstimat, tanquam profecta à filijs suis adoptivis. Nota ergo diligenter, cùm Deus dat nobis spiritum suum, quo vivimus & efficimur Filij Dei, non dat nobis illũ nudè, absque aliquo dono creato, verùm interventu doni creati, cui ex ipsius ordinatione spiritus ipsius est veluti annexus, & inseparabiliter conjunctus. Est enim gratia quasi vinculum inter supremum spiritum, & inferiorem; quod vinculum est adeò forte, ut etiãsi Deus per impossibile non esset ubique, sed tantum in cœlo ex vi collationis gratiæ, spiritus Divinus inciperet de novo esse in anima. Sic Suarez li.6. de gratiâ c.2. Hoc autẽ donũ est habitus charitatis, vel alius habitus, quem D. Tho. ponit in essentia animæ, vocatq; habitũ gratiæ, dicitq; esse quandam participationem & similitudinem Divinæ essentiæ. Præterea sicut docetur dari participationẽ divinorum attributorum, Sapiẽtiæ, charitatis, sanctitatis, justitiæ, misericordiæ; ita etiam dari participationem Divinæ essentiæ in se cõsideratæ. Hoc ergo ipso quo Deus confert illud donum, simul confert spiritum suum, illi dono conjunctum, & sic homo efficitur Filius Dei, & hæres vitæ æternæ, & non præcisè per actum charitatis; charitas enim per se non potest nobis dare bona dilecti, nec facere, ut bona illius transeant in jus nostrum. Quod autẽ charitati virtuti nobilissimæ præmiũ detur essentiale, id consequitur charitas non ex se, & suâ virtute, sed ex benigna Dei largitione, & ordinatione, quâ, tantæ placitum Majestati, redamare suos amatores. Non enim debetur subdito regnum, quòd Regem vehemẽter amet; sic nec diligẽti Deum, vita æterna debetur: poterat enim Deus sufficiẽter alijs muneribus remunerari. Quòd autẽ charitatis præmiũ sit visio beatifica, hoc ei obvenit ex Dei summa, & infinita benevolẽtia & liberalitate, & misericordia, quâ voluit amorẽ Dei super omnia cõpensare visione sui, in quâ consistit omne bonũ. Deus itaq; positâ hâc ordinatione, cũ diligitur diligit, & quia diligere est velle alicui bonũ, & affectu, effectuq; dare. Bonum autẽ quod Deus vult dare, est bonũ Divinum seu spiritus Dei. Quare cũ dilectio sit efficax, cõfert spiritũ bonũ, ut animã inhabitet, regat, & beatã faciat: quo pacto Filij Dei efficimur; quicumq; enim spiritu Dei agũtur, ij sunt Filij Dei, quem ibidem Paulus ad Rom.8.c.n.15. vocat *spiritum adoptionis, in quo spiritu audemus clamare: Abba Pater*, tanquã filij, & ex Deo nati. Dilectio quâ nos diligimus Deũ, est veluti vltima dispositio, vel meritũ de congruo, ad alliciendũ Deum, ut nobis spiritũ suum donet. Cùm itaq; amor Dei sit omnipotẽs, & efficax ejus quod vult, elevat hominẽ ad eã sublimitatem, ut excogitari major nõ possit; non aliter quàm si Rex in aliquo poneret animã suã, atq; eo modo filium suum constitueret: esset quippè talis similis filio naturali, & ejusdem quodãmodo essentiæ, cujus adoptãs. Sic Spiritus Divinus, qui est quodãmodo anima Dei, inhabitat animã justi, & dat & imprimit sui formã, & imaginẽ, ut sit quasi una anima, sicut Spiritus Dei Patris, & Spiritus Dei Filij, per identitatẽ, ita ut unum sint: sic homo per Spiritum Dei inhabitãtem fit unus spiritus cum Dei Spiritu. Et sicut ferrũ totũ penetrat ignis potentia, & quantũ natura ferri patitur, in suã transmutat naturã: & sicut unio ignis cũ ferro est intima, ut jam ferrum non ferrũ videatur, sed ignis, ita ut ferrũ totum igne involutũ, divortiũ cũ natura sua transegisse videatur, durante tamen utriusque elementi discriminata natura: ita anima per Spiritum Dei, transit in Spiritũ Dei, ut à se defecisse, & in Dei naturam transisse videatur. Fit hoc pacto mortalis homo Deo immortali similis, & totus Dei factus, totus quantũ capere potest, Deo plenus, Deo fruitur, beatus Spiritu Dei, quo Pater & Filius & Spiritus S. sũt beati, quare, & præclarè dictũ: *Ego dixi: Dij estis*. Ps.81.v.6. Fulgebũt enim sancti in omnẽ æternitatẽ quasi Dij spiritu Divinitatis communicato: Spiritus enim sanctus annexuit se donis suis, gratiæ scil. & charitati, ut quandocũq; ea infũdit simul per ea infũdat seipsũ, personaliter, & substantialiter, juxta illud ad Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ S. qui datus est nobis*. Et Gal.4.6. *Quoniã autem estis filij Dei; misit*

Iustus vivit Dei spiritu.

Singulis operibus justi debetur vita æterna.

Vnde proveniat dignitas operum.

Habitus gratiæ est quædam participatio essentiæ Divinæ.

Qua ratione debetur Charitati præmium.

Amoris divini efficacia.

Qua ratione homo transeat in Deum.

Spiritus sanctus annectitur suis donis.

Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater. Spiritus ergo sanctus communicatus & personaliter descendens in animam, ceteras personas secum adducit, Patrem scilicet & Filium, à quibus nequit separari Joannis 1. v. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quid addi potest misericordiæ Divinæ? an non est profunditas sine fundo? oceanus qui transvadari non potest? quiddam infinitum sine termino? Quid vltra facere debuit aut potuit? Hanc misericordiam impendit benignissimus Deus omnibus peccatoribus, qui profligato peccato in gratiâ Dei perseverantes finierunt. Ascendamus ergo, inquit Cyrillus, ad supernaturalē Dei dignitatem per Christum, non tamen ut propriè sicut ille, sed ut similitudine illius, per gratiam filii Dei sumus. Alia est naturæ ratio, alia adoptionis. Ut autem firmus inhæreas tantæ misericordiæ, qua Deo similis generatur homo, ne magnitudine operis deterrearis; auxit misericordiæ suæ magnitudinem liberalissimus Deus, dum tanti beneficij adeptionem hominum in se credentium permisit voluntati. Joannis 1. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus.* non enim fecit illos, sed dedit potestatem. Et quid est potestas, nisi libera voluntas? dicimus enim potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi; undè hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit; si non vult, non facit. Si igitur in filium Dei credis, & fide informatâ justificaris, efficeris Dei filius adoptivus, sicut filius Dei, est filius naturalis per Hypostasim suam Divinam. Audi Chrysostomum hîc. Quemadmodum ignis, si metallorū terram attigerit, eam quam primū aurum reddit: sic & longè magis, pro luteis aureos eos baptisma facit, quos abluerit; cum Spiritus S. tanquam ignis illâ ipsâ horâ animos nostros ingrediatur, & terrena absumpta similitudine, cælestem illam novam & claram tanquam ex fornace fulgentem referat. Et cur non dixit: fecit illos filios Dei fieri? ut ostenderet multa nobis opus esse patientia, ut adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem, puram servemus, atque intactam. Datur autem potestas ut filij Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur ut credāt in eum; ut ait August. lib. 1. contra 2. Epist. Pelagij. Datur autem hoc à Deo, cùm Deus illuminat mentem, ut ipsa mota liberè consentiat. ubi autem cōsenserit, impletur illud Oseæ 1. v. 10. *Et dicetur eis: Filij Dei viventis,* id est, consortes Divinæ naturæ. Desines mirari te filium Dei vocari, cùm audis hæc verba admirabilia, & omnem intellectū supergredientia. *Verbum scilicet caro factum est,* non carne mutatū, ut non desisteret esse quod erat, sed cœperit esse quod nō erat. Cùm ergo Deum fieri hominē audis & credis, quod est omnium operum maximum; faciliùs credes, cùm audis hominem fieri filium Dei adoptivum, quod multò minoris dignitatis, atque potentiæ, quàm Deum fieri hominē. Hac ergo de causa Verbum caro factum est, id est filius Dei factus est homo, ut filios hominum, ex sanguinibus, & carne in peccato natos, Dei filios efficeret. Benè ergo Chrysostomus: Factus est filius hominis, dilectissimus filius Dei, ut filios hominum faceret filios Dei. Credimus ergo nos ex Deo posse nasci Dei filios, quia filius Dei Patris, ex Patre natus, ex Virgine natus factus est homo. Ne igitur incredibile videatur, homines ex Deo posse nasci, quasi securitatē Deus per Apostolum faciens, dictum est: *Verbum caro factum est*, quod est extremum potentiæ Divinæ. Per hoc Verbum, *homo* justificatus fit Dei filius, & terra mutatur in cælum, & homo in Angelum, imò & Deum. O homo, datur tibi totum quod optare potes, quod tanti est quanti tu; te da, & habebis illud. Benè Divus Leo Sermo. 6. de Nativitate: Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominē vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. Agnosce ergo, ô Christiane, tuam dignitatem, & Divinæ factus cōsors naturæ, noli in veterem vilitatem degenere conversatione redire: sicut enim Deus Pater ab æterno genuit sibi filium cōsubstantialem, & æqualem sibi per omnia, ita illius ad instar in tempore gignit filios, qui per gratiam sint id quod filius Dei est per naturam: nostra ergo filiatio, est imago filiationis Divinæ, juxta illud ad Romanos 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.*

Misericordia ingens opus adoptio peccatoris.

Ex hoc quod Verbum caro factum est creditur homo adoptari in Dei filium.

§. XV.

De apparatu adoptionis & varijs conditionibus realiter & substātialiter adest Spiritus S. animæ, qui si non esset, posita adesset charitati.

Gratia justificans, qua adoptamur in filios Dei, varia in se includit, ita ut non sit simplex una qualitas. includit enim in se, remissionem peccatorum, fidem, spem & charitatem, aliaq; dona, ac deindè Spiritum S. donorum auctorē, deindè totius sanctæ Trinitatis accessum. Novo ergo modo, Deus substātialiter est in anima Justi; non in donis suis solùm, sed etiā in propria persona, & tāquam increatum donum datur justis. Sic D. Thom. 1. qu. 43. art. 3. & 6. & præclarissimè Suarez lib. 12. de Trino & Vno, cap. 5. nu. 8. qui docet quod Spiritus S. novo modo secundùm substantiam incipiat præsens esse in anima justi, quo antè nō erat. Adeò hoc certum esse asserit, ut contrarium dicat erroneum. Et probat: Quia, inquit, dona gratiæ, vi suâ & quasi connaturali jure postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima, per talia dona, sanctificata: quia si per impossibile fingamus, Spiritum sanctum non esse, aliàs, realiter præsentem intra animam, eo ipso quòd anima

Qua ratione realiter fit præsens Spiritus S. in anima.

anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus sanctus veniret ad ipsam, per realem & personalem præsentiam. Pari modo si Verbum non esset præsens humanitati Christi, per unionem hypostaticam, illi fieret hypostaticè & intimè præsens. Et sane ratio moralis convincit: cùm enim per gratiam concilietur summa amicitia inter Deum & hominem; æquum est, ut amici fructu gaudeant amicitiæ contractæ. Et quis præcipuus amicitiæ fructus nisi amicorum præsentia tota? Quantum ergo bonum? quàm inæstimabile adoptionis bonum? quàm admirabile, membra nostra, esse templa? Spiritus sancti, 1. Corint. 6. *Empti estis pretio magno Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quantum bonum, esse participem Divinæ naturæ! Videte, inquit Augustinus Sermo. 24. de tempore, quæ sit illa participatio Divinitatis? Filius Dei nostræ mortalitatis particeps effectus est; ut mortalis fieret particeps Divinitatis suæ. Qui tibi promisit Divinitatem, ostendit in te charitatem. *Videte*, inquit Joannes Epist. 1. c. 3. *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur & simus Charissimi nunc Filij Dei sumus & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.* Attende Christiane ad tantam dignitatem. Benè dixit Cyprianus: *Nunquam humana opera mirabitur quisquis te cognoverit Filium Dei.* Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui aliquid admirari post Deum potest: conversemur ergo quasi templa, ut Deum in nobis constet habitare. Quanto igitur apparatu comparatur felicitas adoptionis Divinæ, per quam homo conciliat sibi habitatorem Deum? An non admirabile misericordiæ in miseros miraculum?

§. XVI.

Cor misericordiæ Divinæ, est Verbi Divini Incarnatio.

COr in viventibus omnes dixêre sedem, fundamentum, fontem, & ipsissimum regnum vitæ; primum denique & ultimum quod vivit. Quod in viventibus (quæ scilicet sanguinẽ habent; namea sine corde nequeũt esse) est cor, hoc est Incarnatio Divini Verbi, in Misericordia Divina, nec aliter quàm fundamentum, sedes, regnum, origo omnium Divinorum beneficiorum, à quo veluti fonte primario ceteri fontes reliquorum beneficiorum largissimè dimanant. Unde & Christus unctus, cor Patris, est omnium admirandorum compendium, modus, speculum, & infinitum misericordiæ miraculum. Quicumque ergo Christum Jesum intuetur, cor Patris æterni quasi evisceratum videt, juxta illud Joannis 14. vers. 9. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*, invisibilem in se, visibilem in me, qui Patri cor surripui, & per me mortalibus offero, ut cor habeant qui sunt sine corde, (*Factus est Ephraim quasi cor non habens*) & vitam habeant ex cordis Paterni vitâ, à quo & ego vitam accepi. Quanta vis misericordiæ adversus Deum Patrem? ausa illa anatomiam exercere, ausa Deum Patrem, infinitum Sampsonem funibus charitatis vincire; & vincti cor exenteratum ad homines transmittere. Audi Joannem: *Sic Deus*, id est, Dei misericordia *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, qui evisceratus ex Patre, *visitavit nos oriens ex alto.* An non infinitæ misericordiæ miraculum, humanitatem, & Divinitatem, inter quæ est infinita distantia in gradus naturæ, sic per donum intrinsecum elevari naturam humanam, ut ipsum Verbum Divinum attingeret? ut enim natura humana adeò posset elevari, posseteque dici Deificata, uncta Divinitate, vel Spiritu sancto, sanctificata à Patre, opus erat actione supernaturali productiva modi, in quo consisteret ipsa formalis unio. Ut autem illa fieret unio, requirebatur potentia infinita, ut infinitè distantia, absque naturarum confusione unirentur, juxta illud: *Fecit potentiam in brachio suo.* Et sanè quid difficilius, & admirabilius, quàm Deum fieri hominem; & hominem fieri Deum? & eidem personæ inesse, & tribui omnia quæ sunt Divinitatis, & humanitatis? quo pacto Deus sibi hominem unum, substantialiter uniens, & sanctum efficiens, ceteros homines misericorditer sanctificat, qui illi adhærent, & spiritum qui in ipso est, ad illos extendit. De quo mysterio, quia suprà dictum est, hîc supersedebo. Quid tu rependes Deo? Audi Bernardum de quadruplici debito. Cùm donavero ei, quidquid sum, quidquid possum: nunquid istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervuum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potius unum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus, tantillum tantis beneficiis prævenit? qui toto se, totum me comparavit? alioquin si illam retinuero, quâ fronte, quibus oculis, quâ mente, quâ conscientiâ, vado ad viscera misericordiæ Dei nostri? Deus ergo tibi se; tu te Deo. Cor misericordiæ divinæ dedit nobis Deum; tu autem cor dona, cordi misericordiæ impone foculo confertum odoribus amoris, & amoris Dei succende & crema in sacrificium.

Sacra Christi Incarnatio fons omnium bonorum.

Qui Christum intuetur, cor Patris videt.

Quantum debitum homo.

§. XVII.

De pulchris, & insignibus titulis Misericordiæ, qui ejus magnitudinem extollunt.

Primus titulus misericordiæ, seu Viri Misericordis. Terræ promissionis similis.

OPtimè misericordiam compararim terræ promissionis, quam sacra Scriptura vocat terram lacte, & melle manantem, cui ea rerum omnium affluebat opulentiâ luxurians, ut more rivulorum atque fontium, omnia non solùm quæ ad necessitatem, verùm etiam ad voluptatem forent optabilia, fluere viderentur. Eam depingit Deuter. 32. Moyses: *Constituit eum super excelsam terram ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo, &c. & biberet sanguinem uvæ meracissimum.* Ezechiel c. 20. v. 6. vocatur *egregia inter omnes terras præcipua terrarum omnium.* Hebraicè *decus, gloria vel desiderium omnibus terris.* Josephus lib. 3. belli c. 2. ubi Galilææ, Peræ quæ trans Jordanem Samariæ, & Judeæ fertilitatem describit: Samariam & Judæam vocat *γαλακτοφόρον, Lactis creatricem.* Totius tamen Judææ portionem optimam præoccupabat ager Jerosolymitanus, & Jerichuntinus palmarum & Balsami ferax, qui alibi terrarũ id temporis nusquam nascebatur, teste Josepho libr. 14. Antiquitat. cap. 7. de quo dictum est in Consociatione de Virginis nobilitate & tesseris. An non domus Job (quem voco Regem Regum & qui eâdem amicitiâ subditis erat sociatus, quâ Deus mundo, ut volebat Regem Ecphantas Pythagoricus) erat instar terræ promissionis, instar Paradisi, cui benedixerat Dominus, ut vera terra promissionis. Audi ut describat c. 29. suam felicitatẽ, & rerum omnium profusissimam luxuriem. *Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messe meâ: ros,* inquit, *cujus munere omnes lætæ segetes in certamen usque turgescunt, & saginantur.* Radix juxta aquas symbolum felicitatis. Sic & Psalm. 1. v. 3. de viro justo & beato: *Erit tanquam lignũ quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Deinde vers. 18. comparat se palmæ. *Multiplicabo sicut palma dies meos.* Vel ut Septuaginta. *Sicut truncus palmæ, multo vivam tempore.* Alii pro palmâ Phœnicem vertunt: quasi diceret; *Sicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Quid hoc est aliud quàm Jobum declarare suam præsentem felicitatem, instar palmæ semper virentis; & Phœnicis longævam vitam viventis inter odoratas Indiæ messes; & futuram resurrectionem gloriæ sibi promittere: Phœnix

Felicitas terræ promissionis.

Domus Job terra promissionis.

Felicitas Job.

A enim decursâ vitâ per naturæ amœnitates à seipso crematus, à suis cineribus alterum se suscitat. Sic & Job à seipso in cineres redactus, suscitandum se dicit in gloriæ æternæ præmium. Terra promissionibus sicut ab omnibus laudata à terræ fœcundâ bonitate; ita & ab omnibus à stupẽda felicitate laudatus Job. Audi illum v. 11. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.* Quasi diceret; Præ reverentia meæ felicitatis adverso obtutu intueri non poterant propter nimium splẽdorem exultantis fortunæ. Oculos ergo abducebant, quia ad excelsas altasque illius notitias nullo pacto se niti posse intelligebant. Convenientes ergo Job, quasi ad fulgorem solis oculos submittebant, quasi aliquid B Divini vigoris oculis Job inesset; ut narrat de Augusto Suetonius. Felicitas deinde Job perstringebat omnium oculos, dum ait: *Et oculus videns testimonium reddebat mihi.* Ubi Septuaginta: *Oculus videns declinavit me.* similis Moysi, cui facies ex consortio Divini sermonis fulgebat. Omnes ergo admirabantur Jobi summam felicitatem & fortunatissimum statum (ut Regina Saba Salomonis Sapientiam 3. Reg. v. 10.) cui quot filii aut filiæ, tot Reges & Reginæ videbantur cum affluentissima divitiarum, & bonorum omnium copia. Ut ergo Salomon à Sapientia felicissimus; sic Job à rerum affluxu beatus. Undè illi tanta felicitas? Hanc ædificavit misericordia, cũ quâ pariter provenêre omnia bona. C Audi ipsum Jobum cap. 29. vers. 12. *Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adjutor.* O gloriosa vox inter gloriosas Reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, Iob revoluebat: erat levamen humilium; & contra potentiam superborum, asylum pauperum, & erecta pietatis arx, perfugiumque miserorum. Audi loquentem. c. 29. v. 13. *Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.* hoc est, opus Divinæ potentiæ, cujus est gregatim, ac publicè multos servare; multos autem occidere, incendium & ruina potentiæ. Benedictio ergo pauperis obveniebat Job, importabatque omnem felicitatem. Vel ut Septuaginta, *Quæ à me illis benedictio accidit, eadem mibi eveniebat,* D id est, si cumulatè effundebam largitiones, eædẽ in me reflexo flumine cursuque redundabant. Et ne quid pietatis meæ in pauperes desiderari posset, excubare me pro salute singulorum, atque universorum, quotidie omnes experiebantur. Reparabatur summo studio, quidquid nostris oculis offerebatur. Quare *& eram oculus cœco, & pes claudo.* Mei, inquit, oculi, non famulorum, duces cœcorum: mei pedes, non aliorum pedum providentia, vestigia claudorum regebant, ita ut sub me velut optimo Principe nihil pauper timeret. Erat ergo instar Eliæ currus & auriga. Erat pes, instar currus qui portat onus. Erat oculus instar aurigæ qui dirigit currum. Erat curator mancorum hominum, & membris captos, &

Misericordia refecit Iob felicem.

Opera impensa pauperi recurrunt ad suum fontem.

Opera misericordiæ à Iob præstita.

quæ

quæ arte corrigi nequibat, solatio recreabam. Erat ergo, ut uno verbo absolvam, medicina totius sui regni, & justitiâ & misericordiæ asylo. Erat caput, cor, oculus, pes, & denique totius Reipublicæ membrum, ut in omnia membra regni, paternum pietatis immitteret influxum, membrum universi corporis factus. Manus ergo erat Princeps Job, & sinus, ut instar nutricis in sinu suo omnes miseros portaret. Iustissimè ergo Iob se vocat Patrem pauperum, cùm ait: *Pater eram pauperum, omnibus omnia factus. Viduis maritus, orphanis pater, consiliarius trepidis, lassis scipio.* Iudicabat cōmunem fortunam, esse suam: summum decus & gloria, esse Patrem Pauperum. Hoc titulo velut Regio diademate Iob insignitus gloriabatur. Non patronum vel proximum, vel adjutorem pauperum, sed Patrem se fuisse testatur; an non ideò, quia magno charitatis officio studium misericordiæ verterat in affectum naturę? Eia Lector contende omnibus viribus in hanc beatam terram promissionis, & obsequere Salomoni Proverb. 31. consilium danti. *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt.* aperi os tuum, decerne quod justum est, & judica inopem & pauperem. An non Rex Regum, & Princeps pacis Christus Dominus in hoc dedit signum & testimonium se esse Messiam tot sæculis exspectatum? Matt. 1. *Dicite Ioanni quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* quasi diceret; His omnibus sum oculus, pes, sanitas, vita, & scientia; juxta illud Isaiæ 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet quasi cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Spectasti Iobum quasi in terra promissionis florentem opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, rerum gestarum gloriâ atque ceteris ornamentis quæ mortali possent optari. An non causam tantæ felicitatis dedit miserorum fortuna, quibus se Patrem dedit? an non quia clementer suscepit, quos fortuna destituerat? Sciebat se publicum genitorem, genitorum nolebat sentiri amissionem; ad illum recurrebat infantia destituta. Servare proprium est excellentis fortunæ, cui contingit idem quod Deo. Deo ergo Iobus similis factus beatissimi Dei beneficiētiâ ad summam felicitatem provectus fuit. Vocabimus ergo misericordiam, terram promissionis: sicut enim Divina bonitas terræ promissionis alligaverat omnem felicitatem, quâ cum omnibus terris certabat, essetque quasi mundi ridens oculus: sic eadem Divina bonitas misericordiæ, non solùm omnem felicitatem, verùm seipsum, omnis felicitatis auctorem dicavit obligavitque. Stetit terra promissionis felix beataque, quàm diu sub Deo propitio stetit; quæ Deum aversata, deperiit: quantum nunc mutata ab illis ævis! Florebit firma domus omni felicitate, quàm diu florebit in illa misericordia, quâ cadente, casura. Terræ promissionis Magnus Deus suam quasi suo domicilio addixerat salutarem præsentiam; juxta illud: *Habitabo in medio vestri, & ambulabo cum eis; & ero illorum Deus.* &c. Levitici 26. Multò arctiorem Magnus Deus misericordibus suam præsentiam, ut illorum solus Deus esse videatur, addixit. Sic Deus Iobo, quasi unico suo Phœnice gloriatus est. Vide cap. 1. Tanti est Deo vir misericors, ut illum solum in deliciis habeat, & ut suos oculos diligat, & suis dissuaviatur. Domus ergo misericordis vocanda terra promissionis, cui omnem affluentiam Deus confert, affluentiam lacte & melle manantem.

Pauperum esse Patrem essuperat omne decus.

Misericordia impertavit omnem felicitatem in domum Iob.

Misericordia terra promissionis.

§. XVIII.

Secundus titulus.

Misericordia, & Eleēmosyna Ars quæstuosissima.

QVàm impium sit Sophisma, & decretum Publicanorum & mercatorum, qui non centesimâ usurâ contenti, quę est, quādo duodena pro singulis centenis, quotannis, nullâ causâ legitimâ patrocinante solvuntur, verùm etiam eam usuram extorquent, quæ mediam sortem adæquat, & eò amplius. Quid hoc est aliud, quàm hominem fœnore trucidare? Quam religiosa, quàm admirabilis sit ars Eleēmosynæ, quàm quæstuosa misericordia, ex hoc disce, quod non centesimam usuram solvat pro centenis, sed millesimam, & indicibilem, & incomprehensibilem pro uno. Terra fert imperium agricolæ, & colono ingentem reddit usuram. Ægyptus centesimum frugis. Plinius lib. 5. c. 4. ait Libyphænicum Regionem, fertilitatis ita esse eximiæ, ut centesimam frugem agricolis reddat. Eandem ubertatem adscribit Plinius lib. 18. cap. 10. Leontinis Siciliæ campis. unde & Proverbium, *Sicula dapes.* Et Poeta: *Non Siculæ dapes dulcem elaborabunt saporem.* In nostris Regionibus, quæ nullo modo ad fertilitatem istarum terrarum accedunt, constat plures ex uno grano consurgere atque spicas enasci, trecēterorum aut quadringētorum, granorum procreatrices. Nuper juxta Lyram Brabantiæ ex uno sementis grano collectæ sunt spicæ 53. è quibus grana 2295. expressa sunt. Fidem omnem ferè excedit id quod Plinius scribit lib. 18. cap. 10. Missæ, inquit, sunt Neroni ex Africa, trecentæ ac quadraginta stipulæ, ac spicæ ex uno grano. Aliæ itidem quadraginta ex uno itidem grano Augusto transmissæ. Si tot spicæ, Deus bone! quot grana? Demus unicuique viginti grana (nec dubium quin fuerint quinquaginta, cùm tot sint & plura in nostro Belgio) fient octo millia granorum ex uno grano. Iactent fœcundissimæ terræ suam ubertatem: inanis est jactantia fœcunditati Eleēmosynæ collata. Fœneratur

Fertilitas Regionum.

Spica ex uno grano 53. grana 2295.

quus, magnam tunc rem in Deo confisus, fecisse perhibetur. Nam invalescente fame, misit pueros suos cum equis & plaustris per vicinas sibi civitates; ut eos, qui hâc inopiâ vexabantur, sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes, quotquot invenire potuerunt, adduxêre ad domos ejus: ibique eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit: fuerêque, ut multi ajũt, amplius quàm quatuor millia promiscui sexus. Adveniente autem ubertate, ordinatâ iterum evectione, unumquemque in locum suum restituit. Post quorum discessum, vox ad eum è cælis lapsa pervenit, dicens: *Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi, & semini tuo panis non deerit in sempiternum; eò quòd obedieris verbu meis, & famem meam refectione pauperum satiaveris.* Majorum benefacta Posteris prosunt.

B

Triplex erit hæc benedictio: Prima, temporalis: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Deinde Proverb.28.v.27. *Qui dat pauperi, non indigebit.* Undè & Paulus 2.Corinth.cap 9. *panem ad manducandum præstabit.* Secunda, multiplicat opes cẽsusque familiæ: *Gloria & divitiæ in domo ejus. omnia quæcumque faciet, prosperabuntur,* Tertia, remuneratio bonorum æternorum. Unde & Paulus ibidem: *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Hos fructus percepit sanctus Paulinus & Tharasia conjux, nobile par, nobili stemmate uterque clarus, clarior tamen misericordiæ Regijs operibus. Domus scaturigine argenteorum fontium inundabat pauperes; & puteis exhaustis similis, qui exhausti copiosiore, & pulchriore fluunt aqua; dimissi verò & immoti facilè putent: sic & opes horum in pauperes exhaustæ translatæque fructus pariebant immensos. Favori pauperum & amori Dei sic uterque velificatus est, ut addi nihil posset utrique, quamvis viri masculus animus, doctrinâ robustior, Tharasiæ timidioris, animos excederet. Lector audi factum egregium ex Gregorio Turonensi de gloria Confess. cap.107. *Adesdum mea Tharasia,* inquit Paulinus, *pasce egentem.* & illa, humanâ prudentiâ cautior: *Non est*, inquit, *nisi unus panis reliquus.* & Paulinus: *Et illum eroga.* Cunctatur illa, hæsitque; & dum hæret, cessit, curis victa; nec familiam uno relicto pane spoliandam iudicavit, ne in solatium famis alienæ, famem suam pateretur. Et ecce præteritis aliquot diebus ad januam stant mercatores, & Navarchus, nuntiant naves à clarissimis viris missas, onustas grano vinoque: verùm vi tempestatis unam demersam, & alias duas tardo luctamine tandem appulisse. Sensit vir Divinus tardatum Divinæ providentiæ cursum femineo dolo. Et ad Tharasiam conversus: *Tuâ fraude perijt una navium, quia panis jussus dari, pauperi negatus, & tua tarditas excitâ tempestate peperit tarditatem*, Alia lectio sic habet: Quia tu furata es panem pauperi, una navium demersa est.

Triplex benedictio Eleemosynarij.

C

Nobile & stupendum miraculum.

D

Quanta vis Eleëmosynæ, tres panes, tres naves peperêre; unius jactura, & navis pepetit jacturam. Eleëmosyna ergo est ars omnium artium quæstuosissima, mira & stupenda alchimia, quæ ex terrâ luteâ creat aureum cœlum; & cineres & arenas in gemmas, in pyropos, in adamantes, ac denique in sidera, lunam solemque fulgentem transmutat; & quasi creatrix novi mundi, æternum suis amatoribus cœlum mundumque decernit, & in hâc vitâ illis prærogativam præbet suæ voluntatis atque potestatis.

A

§. XIX.

Tertius titulus misericordiæ: quintuplex; Azylum, Templum, Statua, Ara, Vallum.

Asylum, perfugium ita sanctum est omnibus, ut inde aliquem abripi fas nõ sit, & sit cuique quasi propria domus. Asylum aperuit Romulus in proximo novæ Vrbis luco ad securitatem, vocavitque illud Asylum Dei, quasi indè velut ex templo piaculum, quemquam abripere: ita ut neque servos dominis, neque nexum æris alieni causâ, creditori, neque homicidas Magistratui dedere liceret. Eadem asylorum privilegia seu libertas adhuc in Divorum nostrorum templis observatur. Hoc Romuli asylum, populum Romanum Orbis domitorem fecit, inde statim mira vis hominum, quæ quasi ex varijs elementis unum corpus fabricavit. Græci, Romanique deindè moris fuit, ad vim, injuriamque propulsandam confugere ad templa, statuas, aras. Quare populi maximis Principibus quasi Divis in majorem sui tutelam, templa decernebant. Persæ, teste Curtio, suos Reges inter Deos colere, non solum piè, sed & prudenter, Majestatem enim imperij, salutis tutelam existimare. Et quia Romani credebant Romam, esse totius Orbis Deam, ut ille canit:

Asylorum Sanctitas.

Gentiumq; Dea,

& omnibus securitatem præstare, Romæ templa quasi deæ decernebant. quod anno D. L. V I I I. contigit. & posterius 24. annis. Audi Poëtam:

Roma ut Dea culta.

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos.

Audi nec non Prudentium de hac Dea:

Colitur, nam sanguine, & ipsa
More Dea, nomenq; loci, ceu Numen habetur:
Atque Vrbis, Venerisq; pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

Romæ ipsi Templa dicata tanquam Deæ.

Augustus quoque Cæsar, quasi Orbis spes, salusque, sibi permisit, atque Vrbi Romæ templum apud Pergamum consecrari. Sic Tacitus lib.3. & ut leniret invidiam, non nisi communi suo Romæque nomine recepit. Et lib. 4. Annalium Tiberius diu meditato, prolato-

que

admixto solicito timore ne illud prophanetur, quâ solicitudine defendendi Eleēmosynarij, qui viva Dei templa, præ templis, ne violentur: templa prætereà dicuntur sancta; & tuentur se sanctitate suâ. Sic & Eleemosyna tuetur suos, justitiæ armis: Actus misericordiæ, in Scriptuta sacra vocatur Justitia, tum quia magna pars est justitiæ generalis, quæ est complexio omnium virtutum, tum quia sanctitatis, & Justitiæ est indicium: sancti enim sunt misericordes; & viscera impiorum crudelia, Proverbior. 12. vers. 10. Sic David: *Scitote quia mirificavit Dominus Sanctum suum*, id est misericordem suum. Quare Theologi Hebræi vocant misericordem sanctum. Sic Michæas 7. *Perijt sanctus.* Chaldæus vertit *misericors.* Ubi noster Ribera ponit pro sancto; quia misericordia virtutibus implet, homines & sanctos efficit. Et Augustinus 172. de tempore: *Imple miserationis officia & sanctificasti jejunia: sagina pauperum viscera, & anima tua muneribus sanctitatis pinguescet.* Deindè Eleēmosynarij circumferunt mentem, quæ quodammodo ex populari hominum vita, ad Dei religionem transmigravit; & homines existimant, quasi lumen quoddam, illorum sanctitatem elucere, ut præ reliquis Dij videantur. Hoc docuit misericordia Pauli, Lystris, claudo ex utero præstita Actor. 14. An non turbæ ut viderunt exilientem claudum, levaverunt vocem suam, dicentes: *Dij similes facti hominibus: descenderunt ad nos.*

Deus tuetur amatores pauperum.

An non turbæ pastæ à Christo Domino, *voluerunt illum rapere, ut facerent eum* (Joannis 6. vers. 15.) *Regem?* Rex verò διοτρεφὴς nominatur ab Homero, altior & eminentior vulgari turbâ, Divinum aliquod possidens. Huc accedit quod si quis justitiâ careat, Eleemosyna ad justitiam disponat, eamque de congruo mereatur: ita ut Eleemosyna sit instaurativa gratiæ ex decentia Divinæ bonitatis. Tobiæ 12. purgat peccata, & facit invenire misericordiam. Et Sanctus Augustinus libro primo de Prædestinatione Sanctorum, probat Cornelium per Eleemosynas impetrasse à Deo gratiam fidei Christianæ, & justificationis perfectæ, Actorum 10. vers. 31. Vide locum. Prætermitto Eleemosynæ meritis gratiam augmentari, & ceteras auctuari virtutes, fontis instar, qui novis auctibus assurgit, atque dilatatur. Moventur quippè viscera Dei nostri, ut hostis sui deleat injurias, & misericordiam impertiatur, misericordiæ impertitæ consideratione: misericordia enim Dei solet occurrere misericordibus, & supplicibus nullâ oratione evocata. Quare ingentis consilij est, præfractos, & sceleribus induratos ad Eleemosynarum largitionem provocare: ultimum quippè hoc remedium rebus desperatis salutare, nec unquam infructuosum. *Date enim, & dabitur vobis.* Sicut & suasit Daniel cor sapientię; superbo Regi Nabuchodonosor: *Peccata tua Eleemosynis redime.* Daniel 4. v. 24. Mutat quidem hominem pœnitentia peccatorum, sed nec ipsa videtur aliquid profectura, si absque operibus misericordię sterilis fuerit. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiâ.* Lucę 3. Et qui sunt fructus? nisi Eleemosynę fructus? Augustinus de tempore. Vltimum asylorum, & reliquorum titulorum supremum munus, prętare hominem inviolabilem, intactum, & omnis supplicii & violentię immunem, quamvis supplicio dignum, ut suprà vidimus. Hoc singulare pręstat misericordia donum, & eximiam gratiam: misericordia enim dignos ęternis supplicijs sua purpura Regia quasi sacro asylo clausos tuetur & protegit, ut nefas sit, hominem insignitum misericordię imagine prophanare, & per violentiam è penetralibus ejus abripere. Mirum dictu, salutem criminosi in tuto esse. An servus, ut suprà vidimus, gestans drachmam insignitam Tiberij Imperatoris imagine, fuit vindicatus ab illata sibi injuria? an non servus misericordię divinę, insignitus ejus imagine? Audi, quanta securitas pręstetur misericordi. Cyprianus libr. de Eleemosyna vocat *misericordiam securitatis nostræ salubre præsidium, & munimentum spei.* Chrysostomus homil. 34. *Magnam nobis fiduciam conciliat, & præparat misericordia, ut ineffabilibus bonis frui liceat.* Augustinus libr. 50. homil. In tali causa felix operarius vivit, & securus jam moritur, cum quo ambulat patrimonii in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum alterum pascit dando. Nullam poterit incurrere perniciem, qui comparaverit Eleemosynis pietatem. Cui Propheta tale exhibet testimonium: *Salva eum Domine, & vivifica eum.* Psalm. 40. O duplex Prophetę beneficium! Salvat pariter & commendat ut vivificetur, quia & ipse salvavit ut vivificaretur, & ipse vitam poscenti donavit in terra. Chrysostomus homil. 33. Non sinit nos Eleemosyna eò decidere, ubi ille est dives epulo; nec audire verba tremenda, *Discedite à me maledicti.* Disce Lector ex Chrysostomo Eleemosynæ potentiam homil. 36. Tanta, inquit, est vis Eleemosynæ, cum multa fiducia inducit suos alumnos; est enim nota cœli ianitoribus, sponsalis fores thalami observantibus.

Eleemosyna de congruo disponit ad gratiam.

Improbi donando Eleemosynas juvandi.

Azyli munus & privilegias summam.

Laus misericordia ex SS. Patribus.

Chrysostomus lib. de Divina providentia vocat orationem adversus mœrorem ἰσχυρὸν τεῖχος. & ego Eleēmosynam validissimum vallum, juxta illud Job 1. *Nónne tu vallasti eum, & domum ejus, universamq́ substantiam per circuitum?*

Totus quippè vitæ cursus, misericordiæ luce nitebat, cùm oculus foret cæco, pes claudo, pater pauperum, &c. Misericordia est illi vallum, qui miseris fuit κατωμαδὸς, id est, humerus. Audi Chrysostomum homil. 33. *Sunt & hic castra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnant.* Cùm enim stipendium acceperint orantes, tibi Deum faciunt

Misericordia est vallum.

faciunt propitium: facientes autem propitium, dæmonum insidias repellunt; si verò illum lædi contigerit, Deus prospector ejus est qui reddit gratiam, meminit ejus in posterum, & in tempore casûs sui inveniet firmamentum. Ubi Arabicus textus habet: Qui cadet, erit virtus & sustentaculum. Non tamen se fallat, qui per Eleëmosynas existimat se emere impunitatem scelerum, & decernit in malitia permanere. Quomodo autem misericordia sit vallum fortissimum, docebit Vates Regius Psal. 4. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die malá liberabit eum Dominus.* Ecce summa laus misericordis, supremaque beatitudo. Causam assignat Vates. Sentiet ille misericors sibi rependi omne auxilium, sibi pauperi opes, afflicto solatium, ægro commodum lectum, morbis temperamentum. Beatus ergo qui intelligit hanc felicitatem. Hanc intellexit Gregorius XIII. qui quotannis in Urbe Septuaginta millia aureorum erogabat in pauperes: *Beatus qui intelligit*, &c. nullus enim propiùs ad Deum accedit, quàm qui sublevat pauperem. Et quo fructu? *In die malá liberabit eum Dominus.* Theodoretus explicat, diem afflictionis. Alii, in die Judicii habebit Regem custodem vitæ simul & Curatorem, ne tradatur in manus inimici, nec patietur animam ejus ire in tenebras; priusquam tamen sistatur tribunali, *Dominus feret opem super lectum doloris ejus.* Hieronymus, *Dominus confortabit in lecto infirmitatis.* Chaldæus opem Dei explicat, ut Deus super lectû. At qualem opem exhibet? *Universum stratum versasti in infirmitate ejus.* Nota Dei præsentissimam opem. Chrysostomus, Euthymius: Deus mutabit infirmitatem in sanitatem. Deindè, in suis morbis Deus tanquam diligens famulus, componet, sternet, versabit angulos, molliet, ut æger molliùs, commodiùs quiescat. Deinde in lecto mortis amatoribus pauperum opitulabitur Deus, mentis tentationes immissas sedando, removendo, & hoc pacto Eleëmosynas remunerando. In hoc amatore pauperum impletur illud Isaiæ 60. *Et occupavit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Quod Vatablus sic applicat: In muris tuis salus prædicabitur, non hostium adventus; & in portis tuis audietur vox Dei, non vox hostium. Sanchez verò pro salute ponit currum triumphalem, quasi tunc justus ascendens currum triumphalem cum laudibus, & faustis acclamationibus sit deducendus in gloriam. Septuaginta autem sic vertunt: *Vocabitur salutare muri tui, & porta tua sculptura.* Ubi Hieronymus explicat: *Iesus Salvator erit murus tuus.* Et portæ tuæ sculpturæ tum divinitatis, in qua sculptura est figura & character Dei Patris, tum clavi & Passio Filii Dei, ut ait Leo Castrius. γλῶμμα enim Græcum significat emblema in portis, vel domibus cælatum in victoriarum, similisque rei monumentum. Quàm felix anima,

Felix qui intelligit quid sit amare pauperes.

Deus ipse ministrat misericordibus in suis morbis.

A cui murus est Jesus Salvator, Dei Patris character, & cujus γλώμματα & cælatę sculpturæ, sunt crucifixi triumphatoris arma. Ecce fortissimum Dei subsidium, munitio altorum scilicet murorum, quos manus invictæ potentiæ defendit, & sculpturis exornat, juxta illud Job 5. vers. 11. *Qui ponit homines in sublime, & mœrentes erigit sospitate.* Ecce ut tollantur in aureum currum triumphantis misericordiæ pauperum Patres: ut ponat illos in sublime Deus, qui inter miseros vilesque versabantur. Ecce ut in die mala liberet suos misericordia. Illa, inquit Chrysostomus, astat tribunali Christi, non tantum patrocinans, verùm etiam ipsi persuadens Judici, ut reo patrocinium præstet, &

Potentia misericordia.

B pro eo sententiam ferat: & licet millies peccaverit, coronat, & victoriam promulgat debitam Eleëmosynariis, quibus datur cælum, ut solis Thebanis mulieribus olim licitum erat intrare in templum Herculis, quod aquam poscenti liberaliter dedissent non tanquam Deo, quem non noverant, sed ut egenti. Eleëmosynarii pauperi dant egenti tanquam Christo egenti, quamvis Christum non videant. illis dicetur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Misericordia est asylum, templum, statua, ara. Hoc misericordiæ templum, & Aram struxit Deus in medio terræ, ut omnes in eo securitatem adipiscantur, & hujus, & vitæ futuræ largissima præmia.

C Tu Lector singula horum titulorum applica misericordiæ; & Eleëmosynariis, qui hisce ex locis nec in vita, nec in morte abripi possunt, nec ullâ violentiâ divelli, nisi spontaneâ voluntate seipsos exterminarint.

§. XX.

Quartus titulus. Misericordia est sacrificium.

D Certum est, Sacrificium legis novæ incruentum, esse in se dignitatis infinitæ, & infiniti honoris, in quo Filius Dei Christus Dominus Deus, Deo Patri sacrificatur, complectiturque in se eminentissimo modo omnium Sacrificiorum, quæ sunt instar umbræ, virtutem. Quod cùm hujusmodi sit, cum re nulla, sicut nec Deus, potest comparari. Quare Oseæ Prophetæ verba 6. *Misericordiam volui, non sacrificium.* Hic introduci non possunt, de quo superiùs dictum. Ceterùm Eleemosynam cum aliis sacrificiis comparari posse, imò & posse supereminere, atque omni tempore semper misericordiam viguisse: si quando sacrificia fuerunt instituta.

Qualia erant sacrificia in statu innocentiæ.

In statu innocentiæ futurus erat sacrificiorum, & oblationum cultus. Cultus verò Dei externus & sensibilis, duplex intelligi potest: Unus, qui fit actionibus, & organis corporis humani. Alter, qui fit usu externarum rerum. Prior exercetur, quando Deum voce, corporis inclinatione, genuflexione veneramur, nec alia materia, quàm corporis organa adhibentur. Posterior, quando res externas, verbi gratiâ, fructus, cereos accensos, thura fumantia offerimus & adolemus. Ex naturali verò ratione procedit, ut homo recognoscat supremum Dei sui Creatoris dominium, & se servum; quod utraque hominis parte absolvitur, mente scilicet & corpore: mente, per actus interiores, amando Deum super omnia, tantam Majestatem admirando, & per contemplationem divinorum attributorum, infinita bona ei semper exoptando: corpore autem sensibilibus rebus utendo, ut per earum oblationem, suam subjectionem manifestat homo. Deinde cùm non solum homo acceperit corpus & animam, verum etiam omnes res externas, tam necessitati, quàm voluptati accommodatas, videbatur ratio postulare, ut non solùm mente, & corpore, verùm etiam rebus sensibilibus, Deum, omnium rerum Dominum esse testaretur; juxta illud 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Sacrificium ergo in statu innocentiæ, erat significatio, & signum interioris sacrificij, quod signis sensibilibus manifestabatur, factis, verbis & rebus. Causa ergo sacrificiorum in statu innocentiæ fuisset exhibitio divini honoris, gratiarum actionis, & causa aliquid impetrandi. Major difficultas est, quomodo in statu felicitatis, dari potuisset locus misericordiæ, ex quo omnis miseria secludebatur. In Paradisi enim felicitate collocatus novus orbis Princeps homo, velut in umbra vitæ, unde justitia custodita in meliora conscenderet, fruebatur perenni voluptatis, & voluntatis tranquillitate; si vellet. Quare vacuus omnis molestiæ, & ab omni incursatione miseriæ liber, lætus hilarisque vivebat. Esto fuerit felicissimus status; poterat tamen abusu liberi arbitrij, in prava inclinari; poterat insidiosi suggestu consilij, sicut evenit, corruptus, reddi miserrimus. Patebat tum campus misericordiæ; quâ vacillans, consiliis alienis firmaretur, quâ ruiturus in præceps à præcipitio, oppositis humeris servaretur. Incolumitas ergo parta debebatur alienæ misericordię.

Duplex in statu innocentiæ Deū honorandi modus.

Quomodo in statu innocentiæ fuit locus misericordiæ.

Regnabat ergo & in statu innocentiæ misericordia, quemadmodum omnis virtus in anima justi ad omnes actus præparata; & sicut miles instructus ab armis, signum sui expectat Imperatoris. In lege verò naturæ usitata nobilissima sacrificia: qualia fuerunt Adami, de quo Divus Thomas. Deinde Enos, qui cœpit invocare nomen Domini; qualia Noë, Abrahami, & aliorum. In eâdem lege & magnificè regnavit misericordia. Quis ignorat laudatam hospitalitatem Abrahami? Quàm decorum Jobo Regi, domum suam patuisse, non tam illustribus viris, quàm pauperibus? Sacrificabat ille Deo victimas; sacrificabat & suas opes pauperibus, utroque clarus, decoræ, & gratæ hostiæ sacrificio.

§. XXI.

Quâ ratione Misericordia dicatur sacrificium.

Paulus ad Philippenses *cap. 4. v. 18. Repletus sum,* Cyprianus legit, *Saturus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo.* Audi ut Apostolus Eleemosynam vocet hostiam, sacrificium odoratum, instar sacrificij veteris Testamenti quod thure, & suffitibus refertum, suaves exhalabat odores Deo. quasi diceret: Eleemosyna vestra quasi hostia & victima, quæ cum thure (quo omnium gentium ritu Deus colebatur) per ignem, & fumum ad Deum suavissimo odore ascendit. Sic ad Hebr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus,* id est, conciliatur placaturque. Ecce ut hostias vocet communionem & beneficentiam. Et cur hoc? Per manus Sacerdotum offeruntur hostiæ Deo. Eleemosynæ per manus pauperum Deo, qui ex iis vivunt. Gratæ hostiæ, gratissima Eleemosyna, magisque placet quàm sacrificium suo tempore, adeò ut sibi Deus æstimet dari, & offerri id quod pauperi. Matth. 25. *vers.* 40. *Quod fecistis uni ex minimis, mihi fecistis.* Eodem modo Apostol. 2. Corinth. 9. *v.* 12. Eleemosynam Græcè vocat Liturgiam. *Quoniam,* inquit, *ministerium hujus officij non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed & abundat per multas gratiarum actiones in Domino.* Nota verba, *ministerium hujus officij,* administratæ scilicet collectæ Eleemosynarum. Græcè est Διακονία τῆς λειτουργίας, id est, Diaconia hujus Liturgiæ, quasi in hoc officio, id est, collecta sit Missæ sacrificium, scilicet Mysticum, in quo Corinthij quasi offerentes victimam Eleemosynæ, sint Sacerdotes; altare pauperes; sacrificium sit Eleemosyna. Paulus Diaconus, id est, minister exhortans, procurans, distribuens Eleemosynam. Audi Chrysostomum *homil. 20. Cùm vides pauperem, Corpus Christi, Aram Christi te videre puta, & reverere ac Eleemosynæ sacrificium offer; ex quo gloria, & gratiarum actio ascendat ad Deum.* Sic Eleemosyna est Εὐχαριστία, id est, gratiarum actio, & sacrificium Eucharisticum; non tamen propriè dictum, sed metaphoricum & Mysticum.

Eleemosyna sacrificium.

Eleemosyna aliquando potior sacrificio.

Sacrificij per eleemosynam descriptio.

Misericordia igitur & Eleemosyna dicitur sacrificium metaphoricè, non verè: sacrificium enim propriè spectat ad virtutem religionis, & habet proximè, & intimè Deum pro objecto; misericordia verò proximum, & spectat ad virtutem moralem: habet tamen in se omnes sacrificij operationes, & similes

Sacrificij, & eleemosynæ seu misericordiæ comparatio per suos effectus.

miles suo modo per omnia, vires; uno dempto, quod sacrificium nostrum vi suâ intima operetur ex opere operato.

Sacrificium primum dirigitur in gratiarum actionem; quo testamur Deum esse auctorem Redemptionis nostræ, & misisse Filium, ut nos omnibus bonis cumularet; ac proinde corpus & sanguinem ponimus ob oculos in commemorationem mortis & sacrificij cruenti; juxta illud Domini: *Hoc facite in meam commemorationem.* sic & Eleemosyna dispergitur in ventres pauperum, in gratiarum actionem pro bonis acceptis, & quasi decimas Deo persolvimus, & vectigal summo Principi; juxta illud Psalm. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Sacrificium deinde est institutum ad impetranda auxilia & cælestes favores, sine quibus perseverantia non obtinetur; quales sunt protectionis, excitationis, directionis. Eandem vim & virtutem possidet misericordia: *Beati* enim *misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Leontius in vitâ Joannis Eleemosynarij sic inducit loquentem: Quos vos pauperes & mendicos soletis appellare; ego eos dominos & adjutores nomino: nam ij soli mihi possunt opem ferre, ut à Christi regno non excidam. Audi Augustinum *tract. de Avaritiâ, & Luxuriâ,* ubi inducitur Christus loquens: *Ego Dominus accepi, ego reddam. Terram accepi, cælum reddam: temporalia accepi, æterna restituam: panem accepi, panem dabo; sed cælestem & æternum: hospitium accepi, domum dabo: æger visitatus sum, salutem dabo: in carcere visitatus sum, libertatem dabo.* Et *serm. 5. in sermone ad fratres in Eremo: Misericordia deducit hominem ad Deum: sola Deum deducit ad hominem, sola Deum humilians, nos sublimat.* Ecce qualia, & quanta præstat auxilia, misericordia.

Fructus misericordiæ. Tertium, per sacrificium impertitur Deus pacis bona, avertit bellorum intolerabilia mala, frugum abundantiam confert, famis flagella confringit: longam vitam & sanitatem præstat, & mala instantia propulsat præciditque. Has vires omnes exerit sacra misericordia: iram Dei cohibet; ingruentia mala propulsat. Præsidio misericordiæ vallata florebat hilaris domus Job: vallaverat eam misericordia, nec ullis telis, adversisque patebat accessus. Misericordia in summâ fame intulit continuam abundantiam in domum viduæ Sidoniæ 3. *Regum* 17. ubi hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit diminutus. At quomodo intulit misericordia? *Misericordia procurat abundantiam.* an non tum cùm priùs misericordiæ sacrificatur? Audi Cyprianum *tractat. de oratione Dominicâ: Vidua priùs Eliæ famelico, quàm sibi & liberis providit. Esurientibus* (inquit sanctus Pater) *liberis, alter prius pascitur; Elias scilicet, neque in penuriâ, & fame cibus antè cogitatur, quàm misericordia.* Præcessit ergo misericordia, & eam comitata *est satura affluentia.* Ex vita sancti Joannis Eleemosynarij *cap. 37.* cape luculentum exemplum; ut Deus benignus misericordiæ opes amplificet. Paucis contraham longè deductam historiam. Sanctus Pontifex petebat ab Alexandrino Trapezitâ, quâ arte ad tantas opes pervenisset. Candidè retexuit ordinem rerum. Opulentia superbiam generârat & avaritiam: non tulit Deus; adversa fortuna & casus egentem ferè fecêre. Status miser hanc sapientiæ cogitationem injecit: Avaritiam si correxissem liberalitate in pauperes, nequaquam pauper miserque forem. Erogavit ergo facto decreto quinque æreos nummos in dies singulos. Verùm hostis hominum iterum mentem avertit: Túne avertis filiorum tenues opes? illorum faucibus eripis necessaria? hæc oleribus & balneis, quæ das, sufficient. Stetit animus aliquamdiu. Verùm iterum ad liberalitatem compulsus; motibus bonis objicit se dæmon. In duello est animus. Tandem vicit misericordiæ justa causa: & cùm à se non posset impetrare consensum; servulo fido dat curam, ut sibi inscio furetur quinque nummos æreos, eosque effundat in sinum pauperum: sic volo, sic jubeo, ut me inconsulto feceris. Sensit Dominus augeri opes, & crescere lautitiam. Servus ingeniosus cœpit & decem nummos furari, & elargiri, & siliquam, & addere trimisses. Exurgit familia, augentur facultates; visi argentei fluvij in domum undare. & Trapezita ad Joannem: Ecce in immensum omnia creverunt, quæ antè tenuia. & vocato servulo, didici ab illo decem nummos datos, cui, ut pergeret, imperavi. Habes, inquit servus, magnum furem, cujus furta te beârunt, cujus operâ & detrimentum in lucrum conversum: ecce pauca quæ data, quanto proventu rerum te beârunt. Habes beatissime Præsul, ut avaritia miserum, & misericordia opulentum fecerit. Obstupuit ad narrationem beatissimus Præsul, Deumque laudavit. Verè datori proficit, quidquid inopi datur: crescit illi, quidquid in pauperes erogaverit.

Quartò, sacrificium efficacissimum ad veniam peccatorum impetrandam tam vivis quàm defunctis (ut dictum est in regno misericordiæ) iramque Dei placandam, & hac ratione vocatur Hilasticon, id est, propitiatorium, & respondet hostiæ pro peccato. Hoc docet Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2. Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam* (excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit: una* enim *eademq; est hostia*; ac proinde ut docet idem Concilium ibidem, fructus oblationis cruentæ, quæ in cruce peracta est, uberrimè per hanc oblationem percipi. Eosdem enim fructus etsi impari ratione & inferiore (non enim ex opere operato conceduntur) modo possidet misericordia. Unde & dictum à Daniele, ut suprà, impio Regi: *Redime peccata tua Eleemosynis.*

Est

Misericordia major est gratia quàm mortuos suscitare.

Est enim misericordia major (ut ait Chrysostomus 36. ad populum) gratia, quàm mortuos suscitare. Et quanta ergo gratia misericordiæ? Vide loca suprà citata. Placat iram Dei, componit elementa, imperat tempestati; omnibus adversus omnia instructa est munimentis. Hoc videtur docere *homil.* 53. Chrysostomus: Ars quædam liberalis est, in cælis habens officinam; & non hominem, sed Deum magistrum possidet. Hæc nobis mansionem in cælo ædificat, & æterna tabernacula præparat. O Lector pensiculatè libra potentiam misericordiæ. Convenit misericordiæ id, quod Cicero in laudem Cæsaris publicavit: Nulla de virtutibus nec admirabilior, nec gratior est misericordiâ. Hæc sola inter virtutes est Hesperus, & Lucifer, imò ipsissimus Sol, quæ etiam auctori Solis imperat & leges dat. Audi Augustinum *sermo.* 34. *de Resurrectione*: *Vide*, inquit, *si non magnam Deus tibi dat misericordiæ mercedem. Si dimittis homini, in quo te læsit homo hominem; & Deus tibi ignoscet, in quo offendisti homo Deum.* Magna vis misericordiæ injurias condonantis, ut ait Augustinus *sermo. de tempore* 203. Multa sunt genera miserationum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis peccata nostra: sed eâ nihil est majus, quâ ex corde dimittimus quæ quisque peccavit. Hanc tesseram æterni amoris Josaphat Rex apud Damascenum *in histor. cap.* 36. relicto regno, tendens in solitudinem, dedit Barachiæ, quem successorem sibi substituit. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Deinde, *Estote misericordes, quoniam misericordiam consequemini.*

Reges misericordia docet.

Hoc datur præceptum iis, qui in summo imperio sunt constituti, ut eum imitentur, à quo potentiam acceperunt. Hâc porrò in re maximè quis imitabitur Deum, si misericordiâ nihil potius, antiquiusque habeat. Huc accedit quod subditos nihil æquè ad benevolentiam alliciat ut beneficij gratia, egentibus concessa. Unum ergo præ ceteris, ardentiùs optat Deus, misericordiam scilicet, & non sacrificium; est enim virtus divina, Deoque propria: summum enim bonum, summè misericors & beneficum. Quare & aureum axioma Gregorij Nazianzeni *orat.* 16. οὐδενὶ οὕτω τῶν πάντων ὡς ἐλέῳ Θεὸς θεραπεύεται. Nullus omninò cultus Deo perinde gratus est ut misericordia, quæ Summo Deo maximè propria.

§. XXII.

Ad alios titulos Misericordiæ pergamus. Misericordia oleo comparatur, & quare?

Effectus olei.

OLeum apud omnes symbolum Misericordiæ. Oleum se longè lateque diffundit, sic misericordia: oleum lenit, sanat corpus, & vulnera, arida. Samaritani medicina, oleum & vinum: sic misericordia, lenit afflictos, & pauperes suo temperamento sustentat. Firmat & exhilarat oleum corpus; animam misericordia. Hinc Isai. 61. pollicetur Deus se daturum pro cinere coronam; oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Theophrastus apud Plinium *lib.* 15. *cap.* 3. ait causam olei esse calorem. Ardor charitatis, causa est misericordiæ. Tanto quis illustrior misericordiæ operibus, quo charitatis flammis ardentior. Oleo tria hominũ genera unguntur, Prophetæ, Reges, Pontifices. Homines ordinis sublimissimi, ut discant primam dotem eorum qui regunt, esse clementiam & misericordiam. Discant etiam quicumque magnam potentiam sunt adepti, sine consilio ne fulmen quidem mitti debere. Christus verò Dominus, cùm sit Princeps Prophetarum, Rex Regum, & summus Pontifex, Unctus vocatur, id est, Christus. Qui & apud Isaiam *cap.* 5. *v.* 1. filius olei vocatur: vel, ut alij interpretantur, vir olei: *Vinea mea facta est dilecto meo in cornu filio olei*, Isai. 5. unctus scilicet oleo lætitiæ præ consortibus suis, cujus oleum effusum suo odore ad se traxit orbem. Et quo odore? odore scilicet misericordiæ, & dote summæ clementiæ in summa potentia. Vis noscere num sis ex Christi Principis familia? num sis ex sublimissimo hominum Senatu? vide an meritis tuis feras nomen filij olei; sicut Zorobabel, & Josue filius Josedech duo filij olei vocantur, Zachariæ 4. num misericordiam & miserationes facias cum fratre tuo. Unctus est Christus, ungi debent & omnes Christiani: nihil Deo, absque oleo sacratur. Quare & Jacob unxit lapidem, Genes. 18. *v.* 18. *quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper, &c.* & lapis iste unctus & erectus in titulum, vocabitur domus Dei. Sic & Gentiles quæ sacrata volebant, oleo perungebant. Hinc & Apuleius *lib.* 1. *florido.* & cespes libamine humigatus, & lapis unguine delibutus. Arnob. *lib.* 1. lubricatum vocat lapidem & ex olivi unguine delibutum. Misericors est velut sacrum simulachrum Dei unctum. Titulus unctus, domus Dei & maximũ apud cælestes numen: sicut & maximum malitiæ signum, tollere misericordiam. Oleũ se diffundit tam in vilia, quàm pretiosa; misericordia nunquam discriminat personas; at fortunam semper respicit, vulgò dici-

Tria hominum genera unguntur.

Christus filius olei.

Gentiles, quæ sacrata volebant, ungebant.

tur. Comitatus ibi semper est, ubi Princeps. Ibi & Romana curia, ubi est Papa. Ibi & est Deus, ubi cellæ sunt pauperum. Audi ergo Nazianzenum *orat.* 16. Christum quàm diu licet, visitemus. Misericors ergo, quia oleo unctus, Deo sacratus vivit, & est domus Dei, super quam oculi Dei semper sunt aperti, ut faveat, semperque sit propitius.

Ibi est Deus ubi cellæ pauperum.

§. XXIII.

Alius titulus.

Misericordia est aurora, est lumen, est gloria Domini.

OLei nobilissima qualitas & supereminens est, lucem dare, & eam suâ pinguedine dotali fovere, tenebrasque fugare. Quare non sine causâ comparârim eam auroræ, quæ prænuntia Solis, roseos dispergit lucis colores, atque orbi amœnitatis præstat hilaritatem nocte seclusâ. Olei fœcunda natura, & auroræ genius, misericordiam depingunt. Misericordia dicitur aurora, quia volutatos in peccatorum tenebris illuminat, tenebras discutit fugatque, & gratiæ lucem conciliat. Hoc Isaias 58. *vers.* 7. præclarè docet: *Onus*, ait, *disrumpe: frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum.* Attende ut misericordia sit vera aurora. *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua. & gloria Domini colliget te.* & paulò pòst: *Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris; orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.* Vide sequentia. Ubi nos habemus: *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum.* In Hebræo est: *Manè aurora erumpet, sicut aurora lumen tuum.* Deus quippe, cujus natura bonitas & misericordia, ubi in peccatoris animâ virtutem sibi cognatam amatamque est contemplatus, offusas tenebras beatæ auroræ luce proscribit, exigitque. Hanc auroram fortè in Apocalypſ. 2. *vers.* 28. Joannes vocat stellam matutinam; & Isaias lumen illud πρώϊμον, id est, matutinum, quo Deus prævenit suâ gratiâ inexpectatâ peccatorem, & illum trahit ad pœnitentiæ verum fructum excitandum. Benè ergo Tobias 4. *Eleemosyna non patietur animam ire in tenebras; & fiducia magna erit coram summo Deo facientibus eam.* Non sine causa, cùm dotes olei sint lucere & ungere, oleum auroram vocamus, eò quòd lucem inferat in animam, & simul medicinam. An non medicinam attulit per Angelum Raphaëlem Tobiæ, qui cæcitate depulsâ lumen vidit cœli? An non mi-

Misericordia aurora comparatur.

Eleemosyna est lux matutina.

A sericordia instar auroræ lucem veritatis peperit magno cuidam medico Gennadio, de quo scribit Augustinus *Epist.* 100. Hic adolescens erga pauperum curam impigrâ misericordiâ, facillimoque animo benignissimus; dubitabat tamen cùm adhuc esset adolescens (ut modò nobis retulit) & in his eleemosynis ferventissimus; utrum esset ulla vita post mortem. Hujus mentem, & operam misericordiæ quoniam Deus nullo modo desereret; apparuit in somnis conspicuus Juvenis, & dignus intendi; eique dixit: Sequere me. Quem dum sequeretur, venit ad quandam civitatem, ubi cœpit audire à dexterâ parte sonos suavissimæ cantilenæ, ultra solitamque notamque suavitatem. Tunc in-

B tento quidnam esset, ait, hymnos esse Sanctorum atque Beatorum. Sinistrâ autem parte quid se vidisse retulit, non satis memini. Evigilavit, somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitavit. Aliâ nocte idem Juvenis, eidem rursus apparet; atque ab illo utrum cognosceretur, interrogavit. Respondit iste, quòd eum benè, planeque cognosceret. Tunc ille quæsivit, ubi se nosset: nec memoriæ defuit, quod iste identidem responderet; totumque visum illud, hymnosque Sanctorum, ad quos audiendos eo duce venerat, quâ recentissimos recordabatur facilitate narravit. Hic ille percunctatus est; utrum id quod narraverat in somnis vidisset, an vigilans? Respondit: In som-

C nis. at ille: Benè, inquit, recolis. Verum est, in somnis illa vidisti? sed nunc etiam in somnis videre scias. Hæc cùm audiret iste, ita esse credidit, atque id responsione firmavit. Tunc qui hominem docebat, adjecit, & ait: Ubi est modò corpus tuum? Ille respondit: In cubiculo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse, & clausos, & otiosos oculos tuos, nihilque te illis oculis videre? Respondit: Scio. Tunc ille: Qui sunt isti oculi, quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, & continuò: Sicut illi, inquit, oculi carnis tuæ, utique in dormiente, atque in le-

D ctulo jacente, nunc vacant, nec aliud operantur; & tamen sunt isti, quibus me intueris, & istâ uteris visione; ita cùm defunctus fueris nihil agentibus oculis carnis, vita tibi inerit, quâ vivas; sensusque, quo sentias. Cave deinceps ne dubites vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei dubitationem. Quo docente, nisi providentiâ, & misericordiâ Dei? qualem auroram veritatis Phosphorus misericordiæ detulit. Diffugêre tenebræ, & lux reddita cæcutienti.

Vocavimus misericordiam, gloriam Domini, quia paludamentum & vestis Regia tantæ Majestatis est misericordia, quâ gloriatur, tanquam sibi innatâ virtute, cujus sit pro-

Eleemosyna gloria Domini.

proprium misereri, cujus virtus princeps est misericordia. Hoc Arabes cùm sciant, vocant Deum Arraham, Arrahim, id est, mitis & misericors. Et apud Hebræos hoc nomen *misericors* sæpè pro Deo ponitur, quasi eo nomine propriè vocetur. Audet etiam Gregorius Nyssenus *orat.* 5. *de beatitudine*, hominem misericordiâ clarum, Deum vocare. Μορφωθεὶς τῷ τῆς θεότητος ἰδιώματι, ut propriâ notâ Divinitatis insignitum. Sicut à Deo Patre generatur misericordia, teste Paulo 2. Corinth. 1. 3. cùm sit Pater misericordiarum; sic ex misericordiâ veluti omnis boni fonte homini Divinitatis vestis & gloria advenit, ut suo modo Deus vocari possit. Misericordia itaque designat gloriam Dei, quod ipsum Paulus Roman. 3. testatur, cùm ait: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Ubi Glossa, & sanctus Anselmus explicant, *egent misericordiâ.* hoc ipsum docet sacra Pagina *num.* 14. *vers.* 19. ubi Moyses studet iratum populo Deum placare, & orat: *Dimitte obsecro*, inquit, *peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ.* Respondet Dominus: *Vivo ego, & implebitur gloriâ Domini in universa terra. Audi*, inquit Oleaster, *quâ gloriâ implebitur terra; non gloriâ potentiæ, quâ cuncta creavit; non sapientiæ, quâ cuncta gubernat: sed misericordiâ, quâ indefessè peccata remittit.* & ideò Sapientiæ 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes.* Gloria summa Dei, est misericordia, & divinæ clementiæ profusio, quam custodit in millia, quæ semper hauritur, & nunquam exhauritur: tribuitur, & custoditur: semper fluit & nunquam exhauritur. Ingens sanè miraculum, in Deo omne punctum laudis & gloriæ ferre misericordiam. Audi si placet Hilarium in Psal. 144. *Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum; non cælum fecisse, quia potens est: non terram fundasse, quia virtus est: non annum astris temperasse, quia sapiens est: non hominem animasse, quia vita est: non mare in accessus & recessus movisse, quia spiritus est; sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem esse, qui Rex est: sed dissimulantem esse, qui Deus est.* Unde & Psalm. 144. *Miseratio ejus super omnia opera ejus.*

Misericordia ergo, est gloria Domini, quia summè nobilis, gloriosa, & super omnia admirabilis. Hac virtute sola, homo factus similis Deo, vestitur Dei glorioso paludamento, id est, misericordiâ gloriosâ, quæ dicitur gloria Dei. Sic & dicetur gloria misericordis, quæ sola vera est gloria, ducitque hominem ad æternitatis perennem gloriam.

§. XXIV.

Alij tituli.

Pharmacum mœroris, portus, expeditus ad cælum ascensus.

Titulos misericordiæ numerare, esset Iliadem condere. Sunt qui vocant λύπης φάρμακον, medicamentum mœroris. & benè est: est enim unguentum super omnia aromata, leniens, & sedans vim ægritudinis: misericors enim est amicus παραμυθητικός, qui vim habet consolandi, & est instar unguenti, vulnera componens mentis afflictæ. Alij vocant misericordiam, portum. Sic Chrysostomus *homil.* 22. de Lazaro. λιμήν ἐστι. An non est portus, homo misericors, homini naufrago? afflicto? ab omnibus nudato? ad quem confugit, quicumque jactatur iniquis fortunæ imperiis, sursum deorsumque? An non securus periculorum, quem misericordia expansis brachiis invitat? & invitatum complexibus adstringit? secumque rapit? Gregorius Nazianzenus oratione decimâ vocat ῥᾳστην ἀνάβασιν expeditum in cælum ascensum, viam salutis compendiariam. Hâc viâ petivit sanctus Martinus cælum. Sanctus Augustinus, de quo Possidonius in vitâ, qui nullum testamentum condidit, quia unde faceret pauper Christi non habuit. Et Exuperius Tholosanus, qui substantiam omnem suam Christi visceribus erogavit. Eximius Paulinus, de quo Augustinus *lib.* 1. *de Civit. cap.* 10. Paulinus noster, Episcopus Nolensis, ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, qui consuetus dicere: *Ubi sint omnia mea, tu scis Domine.* *Varij viri maximi pauperrimi.*

Hoc itinere sanctissimus quisque Episcoporum constanter gradiens peperit sibi æternos vitæ triumphos. Erant hi aquilæ in sublime volantes, nullo pondere depressi. Ab his magnis viris crediderim aureum illud Imperatoris dictum manasse, in codice cùm de Episcopis meminit; quorum verus cultus est, adjuvare pauperes & positos in necessitate. Nazianzenus *orat.* 20. Nosocomium quod exstruxerat Basilius Ταμεῖον εὐσεβείας pietatis promptuarium.

§. XXV.

Antuerpia Ταμεῖον εὐσεβείας.

IN una Antuerpia etsi quamplurima admiranda; superat tamen omnem fidem misericordiæ in pauperes exercitatio; ut verè Ταμεῖον εὐσεβείας una sola Antuerpia dici possit, & officina Eleemosynarum, & pietatis. Hic sacer quidam Senatus primorum & optimorum virorum institutus, ex quibus duo Rempublicam hanc pauperum instar Consulum annuo Magistratu gubernant; & singula, ne quid desit, prospiciunt. Ceteri, perpetuò, bonis & utilitati pauperum intenti, in omnes labores, & curas se effundunt, & sæpè familiæ suæ damno, favori pauperum velificantur. Expositorum vix benè natorum incredibilis cura; projecti ab immitibus, vel extremè depauperatis parentibus, velut à sinu materno excipiuntur, & actutùm nutricibus destinati, tam diu quoad adoleverint, sustentatur. Plurimi sunt hi, & certo perituri. Inde, ubi capacitas rationis exorta nonnullâ discretionis luce poposcerit, ad diversas domos seu colonias pro sexus diversitate transmittuntur, tum ut pietatem ab incunabulis bibant, tum ut legendi & scribendi, nec non opificiorum rudia ponant fundamenta. Habent ergo puellæ, & pueri suam domum discretam, hærentque ibi plurimùm in his ædibus in decimumseptimum ætatis annum; & inde educti variis destinantur obsequiis. Puellæ ancillatum, adolescentes famulatum mittuntur, & manent sub eorum curâ, qui pauperum annuatim præsunt Ærario, donec bonâ Dominorum (quos Patres vocant) veniâ, certo vitæ generi sese addixerint. Hanc pietatem docuit lex naturæ, & auxit Christiana. Thebani enim naturæ luce capitis periculo caverunt, ne civis paupertate pressus exponeret infantem, aut abjiceret; sed statim à materno partu, cum fasciis ad Magistratum deferretur, publico sumptu alendus. Ælianus *lib. 2.* Paucis totius claræ œconomiæ leges & instituta per §§. proponam.

Ordo & norma hujus Reipub.

Nota domos.

Leges Patrum pauperum.

Primus: annis singulis, duo è civium potentissimis planeque primis, opibus, industriâ, fide, moribus deliguntur, ut partem oneris ferant abeuntibus, hoc quasi Magistratu retrocessoribus duobus qui quartum annum expleverunt.

Secundus: delectorum munus toto qui hanc functionem obeunt quadriennio dispertitiorum per Urbem pauperum curam gerere tenentur: nec pati ullum vinci, aut emori paupertate.

Tertius: rarum inprimis hoc viris primariis decus, manum ad stipem porrigere, & eam pro libertate obtenta in pauperes partiri. Sin verò contractior fuerit pro temporum inju-

A ria liberalitas, ne quid desit pauperibus, ex Ærario domestico nonnunquam aliquot aureorum millia educta profunduntur, fluitque hæc erogatio in annuum orbem cum redhibitione quæ fit à succedentibus in onere charitatis, & ab iis quotquot ad hoc munus deliguntur.

Quartus: ut res tanti momenti stabilis permaneat, recepto majorum ritu jurejurando delecti se astringunt, bonâ fide Rempublicam hanc pauperum curaturos. Divisa ergo civitas duobus permittitur, qui Eleemosynas corrogatas ad Ærarium pauperum deferant.

Expletis duobus annis novus labor succedit. Prior quidem in Cathedrali Ecclesia pa-
B nibus hebdomadatim erogandis præest, cujus etiam curæ sunt evocati ex agris. Alter in Ecclesia S. Walburgis, idem per omnia obit, puellarumque sedulam curam gerit. Posteriori anno Prior eadem peragit in Ecclesia Divi Jacobi: Secundus in ea quæ Divo Georgio sacra est.

Mirum dictu, nullum in hoc ministerio pauperum, dari subterfugio aut excusationi locum, meritoque mulctâ pecuniariâ plectendum esse, qui plenum pietatis ullâ arte declinaret decretum. Et ut Romani, Lege ambitum & insanam appetitionem honorum, sic hi declinationem tantæ pietatis voluerunt damnatam, ut apud Romanos ambitiosam prensationem Consulatus. Hunc Senatum
C virorum, qui se huic pietati devoverunt, vocàrim ego Christianorum laudem, miraculum gentium, solatium pauperum, almam miserorum scholam, & publicam salutem puerorum, & veros pauperum Patres, & Christophoros, qui Christum Jesum tectum vilibus pannis ferunt. Hoc opus statuam inter orbis miracula.

Laudent Romani sua theatra, amphitheatra, suasque inclytas thermas; Babylonij sua alta mœnia; Ægyptus suas pyramides & mausolea; Rhodij suum solis colossum: jactet se omnis labor orbis; huic labori pio cedat omnis labor. Hoc unicum est theatrum orbis, quod Philippus II. Rex Hispaniæ mirificè commendabat, credebatque sibi ablatam ab
D hæreticis Urbem, meritis tot Eleemosynarum, quibus tot animæ sustentabantur, sibi restituendam. Sicut & contigit anno 1587. auspiciis serenissimi Principis Alexandri Farnesij. Hæc arx misericordiæ, validior arce Hispanâ, instar munimenti inexpugnabilis urbem tuetur, tot insidiis Hollandicis petitam. Pro hâc urbe laboravit cælum, tempestas, hyems, & intolerabile frigus, glaciesque; quando classis Hollandica plena victoriæ spe, constricta glacie, quasi ferreis vinculis, & fluctibus ferè hausta retroacta est, ut suprà. Et Mauritius furiis ventorum, & tempestatibus concussus, in extrema vitæ desperatione tremens pallensque, Deum, dicitur strenuè invocasse; & precibus ad cælum missis fassus fuisse

Iudicium Philippi II. de hoc instituto pietatis.

fuisse se Deum sentire. Sic cælum pro te militavit Antuerpia, quia stipendiaria facta pauperum, qui suis precibus invictis, pro te pugnant: macte animo, vinces & stabis munitior Eleemosynis quàm armis: fieri enim omnino non potest, ut ait Chrysostomus *homil. 7. in 2. ad Timoth.* ut ea domus, quæ pauperum miseratione fundata est, mali quippiam patiatur: imò si quid fortè passa fuerit, melior eam eventus excipiet: aderit familiæ ac domui μᾶλλον ἀσπίδος καὶ δόρατος pro clypeo, & hasta aut munimento etiam validiori omnipotens Dei misericordia. Erit tibi Eleemosyna unctus clypeus invulnerabilis; & in die malâ Deus liberator assistet, quia à malis pauperem liberasti. Hæc per digressionem dicta.

Eleemosyna armis validior.

Grandium virtutum, atque operum maximorum primordia ut sunt ardua, ita & eorum ardua, & perdifficilis conservatio. Ego inter prima & memorabilia totius orbis miracula hoc unicum opus in summo fastigio collocâro. An non primi urbis Antuerpiensis proceres (quis hanc urbem non oculum orbis nuncupârit?) nullo quæstu, nullo præmio, nullâ spe mercedis addicere & illigare se duris rudimentis, & prope non tolerandis molestiis ad duos trésve annos, in pauperum, & infantium ubera sugentium ne pereant novercali manu, sustentationem penitus incubare; & quod, nisi quotidie videretur, etiam decem millibus aureorum sua bona, familiamque oppignerare, ut tanta pietas subsistat, duretque? Tam grande igitur virtutum opus cùm multos deterreret & jam detrectatione tantorum laborum, minaretur interitum, ardentissimi pauperum Patroni, & æmuli paternæ pietatis judicio contendere, & omnem aleam prius subire quàm vacillanti pietati non succurrere decreverunt. Res definita judicio, & quidem maximi Principis Alberti, ne cuiquam vacatio à tam nobili pietate daretur. Scripsit ergo munificâ & regiâ manu, se velle integrum, sartum conservatum tantum, & tam sanctum Senatum virorum. Cui & se inscribi velle deinde & desertâ aulâ se, in procinctu esse ad eosdem pietatis inauditæ labores subeundos. Huic judicio inscribo acroama: Victrix pietas triumphat. Et quamvis sint iniquissima tempora quibus posset abrumpi; stat tamen incolumis nec mole ruit suâ. Vivant, triumphent Senatores sacri Deo, qui Deo tot millia animarum quotidie litant, & dedicant. Pauperum vobis Patribus dicitur, *quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Ut autem orbis universus tantæ molis fabricam, tam in admirationem quàm imitationem agnoscat, imaginem à clarissimo viro Dom. Gregorio Martens, utriusque Juris Licentiato, & Urbis Antuerpiensis Senatore ejusdemque nuper Eleemosynario, proprio penicillo depictam proponam. Tu Lector fruere & imitare.

A *Habuêre Eleemosynarij à ducentis jam propè annis habentque etiamnum, ad invidiam ferè Nationum urbiumque omnium totius Europæ, tam singularem, atque indefessam pauperum curam, qualem nullibi facilè invenies. Et quidem non ita pridem Senatus Reipub. Genuensis in Italiâ, cùm, quod expressis eum in finem Antuerpiam destinatis litteris rogaverat, intelligeret ex responso Magistratus Antuerpiensis, quo pacto & modo hîc haberetur pauperum cura per Eleemosynarios, adjectâ declaratione sumptuum laborumque quos eâ in functione summâ cum*
B *alacritate iidem Eleemosynarij impenderent, publicè confessus est, optandum quidem fore, tale ubicumque pauperum regimen posset stabiliri: ceterùm propter molestias impensasq; gravissimas vix id desiderari vel præstari posse, nisi fortè vel à servis, vel à sanctis. Equidem Eleemosynarij numero tantum quatuor per biennium quo huic muneri deserviunt, posthabitâ negotiorum & propriæ familiæ curâ, totos dies noctesq; huic rei vacant, eo tam ipsi quàm eorum uxores & familia universa cogitationes, studia, facultates denique suas omnes intendunt, ut pauperibus bene sit. Infantes expositos ipsi suscipiunt, alios parenti-*
C *bus mediisq; destitutos vel foris in villis pagisque vicinis educari procurant, vel ubi ad ætatem* 10. *aut* 12. *annorum pervenerint, in urbem revocant, opificij artisve alicujus addiscendæ gratiâ. Numerus hic orphanorum, quibus de victu & amictu provident, plerumque ad* 1800. *vel circiter pertingit, inter quos passim prope centum lactentes: iidem Eleemosynarij impigram dant operam colligendis Eleemosynis, tam per se, quàm alios* 24. *eorum Vicarios, seu Substitutos in variis ubique urbis Ecclesiis ad hoc destinatos. Singulis præterea diebus per duas vel tres horas in locum quemdam publicum simul*
D *conveniunt, ubi pauperum Civium querelas excipiunt, eorumque necessitati sedulò consulunt: diem unum in quaque septimanâ habent singularem, quo ipsimet in ædibus suis honestioris conditionis civibus ad inediam jam redactis secretò Eleemosynas distribuunt; alium præterea, quo eos, qui vel præ senio vel corporis ægritudine ad ipsos accedere nequeunt, ipsimet visitant, & abjectissima quæque pauperum laguriola intrant; ibidem afflictos consolantur, necessariaque omnia ipsis subministrant: fœminas vel in puerperio, vel aliunde afflictas per uxores visitari curant. De numero & ordinariâ multitudine pauperum Civium quorum per eosdem Eleemosy-*

narios habetur cura, aliqua iniri potest ratio ex eo quòd quâque septimanâ eorum plusquam sexcentis distribuantur panes, sæpius etiam, præsertim in hyeme, plusquam nongentis: præterquam quod etiam ex fundatione S. Spiritus, ut vocant, singulis diebus Dominicis in variis urbis Ecclesiis parochialibus, distribuantur prope sexcentis pauperibus, singulis duo panes, quorum unus triticeus, alter frumentaceus. Et verò grassante charitate annonæ apud ipsos præsentissimum est miserorum solatium; utique cum ex fondatione amplissimi viri Nicolai Roecox piæ memoriæ apud eosdem perpetua frumēti usque ad 3000. modiorum reservetur: cui tempore opportuniori comparandæ uti & lini, lanæ, ceterorumq; tam ad victum quàm amictum pauperum necessariorum singulari industriâ atque sollicitudine advigilant. Religiosa inprimis inter eosdem est observantia eorum quæ à prædecessoribus in hoc pauperum regimine acta, & quoque die sibi habent præscripta: & ne temerè quisquam à tradito sibi more majorum statutisq; deflectat, cautum est in singula gravissimis pecuniariis mulctis, quæ uti nullâ cum dissimulatione à delinquentibus exiguntur, ita ne mutuam & verè fraternam (Fratres siquidem invicem nuncupant) amicitiam fidemq; violent, plerique ubi deliquerint, ultrò & sine morâ persolvunt.

Gubernant iidem Eleemosynarij 14. Gerontocomia sive pias ædes, in quibus commorantur & aluntur ad minus 200. vel honestæ viduæ, vel ad inediam redactæ mulieres, & quæ vel ob ætatem, vel aliam corporis ægritudinem victum lucrari nequeunt; item adhuc 9. ejusmodi pia loca, in quibus ferè 100. similis conditionis viri sustentantur. Habent insuper curam hospitalis cujusdam fundati pro excipiendis peregrinis, ubi per triduum hospitari iisdem licet. Dependent præterea ab eorum gubernatione aliæ quinque amplissimæ ædes, etiam ad ornatum fastumq; urbis ædificatæ, in quarum prima puellæ, virginesq; orphanæ & egentes; secundâ juvenes, tertia infantes utriusque sexus & pueri septennio minores educantur; quarta furiosi & amentes; quinta, denique viduæ & aliæ aliqualiter delirantes mulieres. Omnes ubique mirâ sedulitate, prudentiâ, atque misericordiâ sustentantur. Singularem quoque curam A *habent captivorum, quos sæpiùs ipsimet visitant, consolantur, eisdemq; necessaria suppeditant: eorum causas Procuratoribus, Advocatis, & Iudicibus demum commendant.*

Computus verò quem annuè ineunt de Eleemosynis per eos distributis, excedit ferè semper summam 150. millium florenorum; ad quam summam uti certi reditus annui qui tenues & exigui parum conferunt & Eleemosyna per eosdem collecta nunquam ascendunt, ipsimet modò 40. modò 50. millia ex proprio depromunt, quod à successoribus post annum vel ultrà demùm ipsis refunditur: B *ita ut tam inde quàm variis aliis impensis constet cuique fuisse Eleemosynarium ad minus 6000. florenis. Idq; sine ullo vel minimo privilegio, aut mercede. Quid dico? Merces eorum magna nimis, Deus, qui & in hoc sæculo liberalem sæpiùs remuneratorem se ostendit; dum eorum plurimis hoc demum munere defunctis amplissimæ accesserunt opes atque divitiæ; permultis etiam eorum hic demum fuit gradus ad Magistratus, Consulatus, & primas in Repub. Antuerpiensi dignitates: quin & ex hoc Collegio plures à* C *Sereniss. Belgij Principibus tam Equites aurati, quàm Barones sunt creati; nonnulli etiam ad intima Principum consilia, & primarios Patriæ honores, evocati sunt. Piissimum laudatissimumq; de hoc munere testimonium est pij & nunquam satis laudati Archiducis Alberti, qui anno hujus sæculi 17. dum intelligeret in Concilio Brabantiæ litem esse inter Eleemosynarios hos Antuerpienses, & nonnullos alios ejusdem urbis cives, qui prætextu cujusdam privilegij à Principe concessi quo immunes se ab omnibus oneribus publicis assererent, & ita neque ad* D *hoc munus eligi se, aut compelli posse sustinerent, ipse statim expeditione ejusdem causæ Concilio mandatâ, palàm declaravit, mirari se quemquam à tam raræ pietatis officio se velle excusare. Quod si, inquiebat, Antuerpiæ nemo sit qui velit, aut cogi possit defungi hoc munere, egomet veniam, & non dedignabor esse Eleemosynarius. Digna tam pio Principe vox. Pari pietate & zelo Serenissima ejusdem vidua Isabella Clara Eugenia, difficultate iterum per nonnullos motâ, anno 1623. ut excusarent se ab hoc munere, eò quòd se domesticos & ministros suæ Celsitudinis affirmarent, rescripsit in*

hac

hæc verba; non passuram se quemquam inter suos vel domesticos numerari, qui eo prætextu piissimum hoc Eleemosynarij officium declinare præsumeret.

Interim ego gratulor suæ Regiæ Majestati de suorum subditorum regijs ac cælestibus virtutibus, quibus illi quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate Sacrum & Regium suæ Majestatis verticem coronant. Possem clarissimæ suæ Majestatis pulcherrima regna, egregias urbes, nec non fontes aureos extollere & prædicare; verùm quid comparari potest tam raræ horum heroum virtuti! quid in certamen venire? Omnes rutilantes orientis lapilli, omnes adamantes stellato fulgore clari cedunt claritudini operum Eleemosynariorum, quos Deus in tantum apicem, nobilissima Ecclesiæ membra provexit, ut primis Ecclesiæ SS. Patribus pauperum amatoribus comparari possint.

A Gratulor tibi ter felix ac beata tanto bono Antuerpia, quæ orbis universi non imitabili dote divinitus concessa excedis omnem rerum pulchritudinem. Restat modò ut ego vos Patres pauperum pleniùs ingentibus animis alloquar. Quibus ego vos encomiis prædicem fortissimi Heroës! quo elogio celebrabo inexpugnabile robur pectoris vestri & invincibilem patientiam! Vivaci fide, armaturâ fortium, accincti lumbos hyemis rigidissimæ injurias, tempestates adversas, nives, pluvias, & quæcunque temporis incommoda, æstivos calores, læto animo in pauperum Dei subsidium toleratis. Vos docetis inviam virtuti viam, nullam esse; sed omnia dura, dulcia virtuti. Deus pauperum Pater, & chori cælestes, usque ad consummationem laborum spectant vestrum certamen, ut pauperum conservatores laureata victoria coronent.

Ecce tibi Lector ministro nomina Heroum, etsi non omnium. Inchoarunt Eleemosynarij quatuor primi cum multis aliis annorum variorum.

Anno Domini 1458.

Ægidius van Loenhout.
M. Ioannes de Barbier.
Ioannes Wilmaer.
Iacobus de Hooghe.

Deinde ab anno 1586. reductâ ad Regem Vrbe.

Martinus de la Faille.
Ioseph de Smidt.
Ioannes van Bloys.
Nicasius le Waey.
Robertus van Eeckeren.
Hermannus Bals.
Gaspar Charles.
Melchior vande Cruyce.
Ioannes vander Goes.
Henricus Moons.
Ioannes van Hove.
Michaël Boot.

B Chrysostomus Scholiers.
Gabriel Langart.
Petrus vander Goes.
Philippus Donckers.
Ioannes Dekens.
Petrus Daems.
Andreas Martens.
Franciscus Doncker.
Ferdinandus Hellmans.
Ioannes van Hove.
Gerebrandus Frederix.
C Ioannes van Immerseel.
Baltasar de Smidt.
Ioannes Losson.
Alexander vander Goes.
Rogerius Clarisse.
Ioannes vande Wouwer.
Iacobus Andries.
Petrus de Schot.
Petrus van Hecke.
Guilielmus Maes.

Ab Anno 1600.

David Lang,
Petrus Cornelis Cheeus,
Ioannes van Honſem,
Melchior Lunden,
Petrus vanden Berghe. 1.
Ioannes de Ram,
Franciſcus Sweerts. 2.
Cornelius Boſchaert,
Alexander Goubau. 3.
Ioannes Cachiopin,
Antonius Frederix. 4.
Iuſtus van Suerck,
David Haecx,
Ioannes de Bot. 5.
Baltaſar Doncker,
Iacobus Goos. 6.
Melchior Peeters,
Ioannes Goubau, Alex. fil. 7.
Henricus de Clerck,
Ioannes van Papenbroeck. 8.
Carolus Magnus,
Sixtus de Mens. 9.
Gaſpar Ooſteringh,
Ioannes vander Goes. 10.
Guilielmus 'tKindt,
Petrus le Miſereur. 11.
Petrus van Hoorne,
Ioannes vanden Broeck. 12.
Franciſcus de Raet,
Iuſtus Canis. 13.
Ludovicus Rogerius Clariſſe,
Adrianus Haeck. 14.
Gaſpar Offermans,
Lambertus Grijns. 15.
Antonius van Battel,
Philippus de Potter,
Ioannes Martens. 16.
Adrianus Stevens,
Martinus van Ginderdeuren. 17.
Embertus Tholincx, cujus filius tanto muneri ambitiosè delectus,
Petrus de Schot. 18.

A Iacobus van Eyck,
Cæſar vander Goes. 19.
Henricus Moons,
Melchior Lundens. 20.
Alexander vander Goes,
Ioannes Heyens,
Rogerius Clariſſe. 21.
Petrus van Ginderdeuren,
Ioannes de Letter,
Nicolaus van Ginderdeuren. 22.
Rogerius le Wieter,
Ioannes Tholincx, frater Em-
B berti Tholincx, raræ concordiæ exemplũ beneficus uterque in SS. Deiparam. 23.
Petrus van Hecke,
Guilielmus Caluwaert,
Ioannes Bapt. Graſſis. 24.
Guilielmus de Haſe,
Iacobus Goos,
Mart. Ianſſens de Biſthoven. 25.
Ioannes Meurſius,
Ioannes Vinck. 26.
C Ioannes Doncker,
Antonius van Dijnſen. 27.
Iacobus de Letter,
Petrus vander Goes. 28.
Alexander Goubau,
Ioannes Bapt. Frederix. 29.
Engelbertus Borrekens,
Franciſcus Schenaerts. 30.
Sebaſtianus Leerſe,
Ioannes Loſſon. 31.
D Ioann. Goyvaerts vande Graef,
Petrus Stevens. 32.
Carolus Batkin,
Philippus le Roy. 33.
Petrus de Haſe,
Petrus Ianſſens de Biſthoven. 34
Cornelius Corneliſſen,
Ioannes Knijff. 35.
Ioannes van Keſſel,
Petrus van Weerden,
Ioannes Bartholomæus van Colen, maximæ ſpei vir, ſi vita tuliſſet. 36.

Ga-

Gaspar van Woonsel,
Ioannes Vekemans. 37.
Melchior de Hase,
Cornelius van Wijck. 38.
Guilielmus Verspreet,
Bernardus Lundens. 39.
Petrus van Hoorne,
Ludovicus le Candel. 40.
Thomas de Potter,
Franciscus Donckers. 41.
Nicolaus Picqueri,
Guilielmus 't Kindt. 42.
Ioannes Bapt. Batkin,
Zegerus Lundens,
Hieronymus de Mayer. 43.
Martinus Iacobs,
Ioan. Donckers Laureyssen. 44.
Ioannes Bollaert,
Iacobus Guiot. 45.
Simon de Heuvel,
Iacobus Schenaert. 46.
Daniel Moons,
Ioannes van Roosendael. 47.
Cornelius Wellens,
Iacobus Antonius Carena,
Ioannes Vekemans. 48.
Petrus Wellens,
Carolus de Labistraet. 49.
Guilielmus Lunden,
Guilielmus de Crayer. 50.
Ioannes Bapt. van Breussighem,
Gerardus Knijff. 51.
Gregorius Martens,
Ioannes de la Flie. 52.
Gerebrandus Frederix,
Ioannes van Bemmel,
Ioannes Aelst. 53.
Ioannes van Weerden,
Marcellus Librechts. 54.

Vniversim circa 400.

Hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, & gloria eorum non derelinquetur. *Ecclesiastici* 44.

Finiam cum Augustino scribente ad Comitem: *Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo quod* A *dedi tibi: de meo da & redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem. Habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi restituam; tibi restituam teipsum, tibi reddam quando te mihi reddidero.*

Redeamus ad nonnullos alios misericordiæ titulos. Philostratus de vita Sophistarum excogitavit artem indolentiæ quâ pauperum gregibus occurrentibus adimebat omnem mœrorem, & animos hilaritate rationum erigebat, tantâ potentiâ disputationum, quas ἐνηπαθεῖς vocabat. Hanc artem indolentiæ vocabimus nos misericordiam. An non illa detergit lachrymas miserorum? An non illa consolatur cor viduæ? Job 29. ubi in Hebræo habetur: *Cor viduæ commove-* B *bam ad jubilum?* An non illa serenat tempestatibus actos miseros? An non illa fugatis tenebris Solem reducit? An non illa excordiatis cor reddit, & vitam redonat, & omnibus malis medetur?

Eleemosyna ars indolentia.

Finio, & te convenio, ô Lector. Vis esse beatus in hâc, & alterâ vitâ? vis tibi Deum propitium? fœnerare pauperi; vis tibi serere? sparge in pauperem, tu altâ mente teneto antiquam legem: Olivam ne stringito; juxta Plinium *lib.* 15. *cap.* 3. Olivam stringit, qui manum contrahit: vis oleam feracem fœcundamque? explica dilataque. Vis ditari? dita explicatâ manu egentes. Egestas divitias creabit.

Beatitudinem conciliat eleemosyna.

C

§. XXVI.

De ultimo titulo, qui est quod sit Humerus orbis cæliq;.

QUamvis innumeri sint alij tituli, quibus Majestatem misericordiæ luberet attollere, unus mihi instar omnium; si misericordiam vocaverim Humerum orbis, & cæli. Finxit antiquitas Atlantis humeris cælum impositum sustineri, & tanto oneri parem, nunquam vacillasse: nos non fingimus, sed credimus humeris unius misericordiæ non cælum tantum; misericordia enim in cæ- D lis ædificatur; verùm & terram sustineri. *Misericordiâ enim Domini plena est terra, misericordia Domini super omnia opera sua.* Sicut oleum supernatat ceteris elementis; sic Domini misericordia superfluit omnibus Dei operibus: & quemadmodum misericordia est basis & fundamentum universi, sic & superficies: sicut cælum suo ambitu, complexuque arcuato circumdat terram, & immensis suæ vastitatis spatiis obumbrat; sic misericordia cælum terramque ambit, stringit, arcteque complectitur, & complexum globum, humeris suppositis, majori pietate quàm Æneas charum onus Paternum sustentat. Ad hujus imitationem Ignatius Martyr stimulabat sanctum Polycarpum, cùm sic scribit πάντων τὰς νόσους βάσταζε, Omnium infir-

Misericordia portat orbem.

infirmitates sustine: nam perfecti id Atletæ officium est: quomodo & Christus omnium infirmitates toleravit. Hujusmodi volebat Prælatos, Magnus Osius, plausu & sermone totius orbis celeberrimus; qui sic in Concilio Sardicensi ad Episcopos: *Patientes*, inquit, *esse debemus, & perennem in nobis habere miserationem.* Hujus viscera circumferebat Athanasius, de quo Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 11. Quis mœrore afflictus unquam ad eum accessit, qui non lætus ab eo discesserit. *Sic misericordia quæ ædificatur in cælo*, ædificatur in terrâ: qui enim fidelium calamitates, indigentiasque miseratur in terrâ, facit in terrâ opera cælorum. Cæli suis influentiis terram aridam fœcundant, benignè irrigatam emolliunt, & divitiis ingentibus opulentant; cæli, populorum sunt Reges, Episcopi atque Prælati, quos volo meditos Reipublicæ, & suorum subditorum. Noverint ergo populi suos Prælatos in mœroribus potius consolatores, quàm conjuvatores, ut ait Hieronymus Epistola 1. *Supremum, Regum, & Prælatorum, munus sit, instar Æneæ humeris Rempublicam, & suos subditos ferre;* & imitari fratres qui parentes senio confectos, mediisque incendiis obsessos, per medias flammas irrumpentes, humeris suppositis eripuêre. An non stetêre flammæ attonitæ, & innoxiæ? an non indulsêre pietati, eique cessêre? Planè, & sacra onera juvenes in theatrum, in spectaculum orbi dedêre.

Prælatorū est ferre omnium miserias.

Exemplum misericordiæ pietatis.

Misericordia ergò & pietas flammarum victrix. Sic Filius Dei, Pater misericordiarum tulit humeris ovem perditam; sic Synesius Ptolemaidis Episcopus dicebat se κατωμαδὸν, velut subjectis humeris omnium onera excipientem. Mirari desinat orbis, Herculem inter Deos relatum, & vice Atlantis cælum tulisse. Ut tulerit, audi Senecam in Hercule furente:

Posse cælum viribus vinci suis
Didicit ferendo: subdidit mundo caput
Nec flexit humeros molis immensa labor
Mediusq; collo sedit Herculeo labor,
Immota cervix, sidera & cælum tulit.

Sic & Claudianus *in Præfat. lib.* 2. *de raptu Proserpinæ*:

——— ——— *Te maximus Atlas*
Horruit, impositocùm premerêre polo.

Et Sidonius:

Cùm Lybicâ se rupe gigas subduceret, & cùm
Tutior Herculeo sedisset machina collo.

Deum verò coli, narrarique. Audi Senecam:

Indomita virtus colitur, & toto Deus
Narratur orbe:
Cælo timendum est, regna ne summa occupet,
Qui vicit ima:
Iter ruina quæret, & vacuo volet
Regnare mundo. robore expenso tumet
Et posse cælum viribus vinci suis.

A Quicumque ergo didicit Herculem pacatorem orbis, monstrorum domitorem, & Deorum instar, humano generi optimum & beneficentissimum; mirari desinet, cælum humeris impositum, & aras, & templa dicata, & inter Divos relatum. Impleverat enim meritis solis utramque domum:

Quidquid horridum tellus creârat
Inimica; dirum, pestilens, atrox, ferum,
Fractum atque domitum fuit,
Minorq; labor fuit Herculi, jussa exequi
Quàm Iunoni jubere. armatus venit
Leone, & Hydrâ, nec satis terra patent.

B Quanta viri virtus! Defessa jubendo sæva Jovis conjux; ego sum indefessus (inquit Hercules) agendo.

Misericordiæ ergo hic titulus convenientissimè debetur, quod Humerus sit cæli, terræ, & cælum terramque humeris ferat. Quid enim boni humeris suis non intulit cælo, terrisque? terris intulit Deum, & cælis hominem: Deum incarnatum, & hominem Deificatum; quæ Deum immortalem, fecit mortalem, & omnis mali domitorem, bonique fontem. An non omnia bona in nos ex illo fonte redundarunt? quid majus? quid melius? quid augustius dari aut excogitari potest quàm id quod à misericordiâ & excogitatum atque donatum? vestivit illa Deum carne, & infinitum ens clausit angustiis nostræ mortalitatis, & Deum consor-

C tem nostræ naturæ, sociavit nobis fratrem, ut Deus incomprehensibilis factus homo, vocaretur Filius & Frater hominis, & idem homo, Frater germanus Dei Magni. Philo in tractatu, quod sit Deus immutabilis, non dubitavit asserere misericordiam esse antiquiorem justitiâ, ac proinde in sacris odis hoc professum sacrum Vatem, dum ait: *Misericordiam & judicium cantabo.* Psal. 100. Illa parit (ut dixi) Dei filios ob divinæ bonitatis similitudinem, quam infert in animos hominum, qui ideò Deiformes & quodammodo æquales ex gratia & per gratiam: dedit enim illis potestatem filios Dei fieri. Pulchrè hoc dixit Philo: Non quod aliquid prius vel posterius sit in Deo; verùm quòd proprium Dei sit misereri; alienum ab ipso, casti-

Misericordia quaratione dicatur prior justitiâ.

D gare.

Est ergo justitia inclusa misericordiâ ambiente, sicut & ambit cælum terramque; sicut & fert utrumque regnum suis humeris. Lucet quidem & justitia in Deo, sic tamen ut tantum transluceat quasi inclusa diaphano, vel crystallo, vel electro. Ad quod pulchro Emblemate Poëta velut nobili colore allusit, dum apiculam electro inclusam, velut honorato monumento sepelivit, quæ vix etsi apparet, appareat tamen electri luce, à quo decus & speciem capit. Audiamus Poëtam:

Iustitiam ambit misericordia.

Et latet, & lucet Phaëtontide condita gutta,
Vt videatur apis, nectare clausa suo.

Deus ambitur, ambitur misericordia.

Sic Justitia circumambitur misericordiæ bonis, & ejus electro inclusa, speciem sui lucemque diffundit. Circumambitur tota, sicut & totus Deus ipse circumambitur circumfluâ misericordiâ, ut orbis Oceano. Dixi misericordiam esse humerum cæli terræque, & utrumque ferre dominatum. Dixi parum; dixerim verò omnia, si dixerim ferre ipsum Deum, & quocumque voluerit deferre. Et quò non detulit? *Ex summo cælo egressio ejus*: à cælo in uterum Virginis; ab utero in præsepe; à præsepi ad crucem; à Cruce ad sepulchrum, à sepulchro in avitam Regiam dominatrix Dei misericordia. Dominatur cælo, terræ, & omnibus proscribit leges suæ lenitatis, laxâque manu trahit quantum potest ad salutem. Trahit manu renitentes; fert humeris volentes, aut impotentes; non recusat quemquam ferre, omne illi leve onus, non enim sentit onus, dum miseretur hominum tanquam mater viscerum suorum. Succollat misericordia utroque humero, cæli, terræ machinæ, ut cæli terræque cives *serviant Deo Magno*. Ut ait Sophonias tertio cap. vers. 9. *humero uno*. Quid est, servire humero uno? nisi unâ manu, uno consensu, uno sacrificio, paribus studiis, paribus laudibus colere, & adorare Omnipotentem, ut in utroque regno sit cor unum, & anima una: concordiâ enim regnum stat, & discordiâ dilabitur. Sicut lapis Tyrrhenus, quamvis grandis innatat, comminutus subsidit; ita concordiâ sustinemur, discordiâ pessum imus. Sic Plinius lib. 2. Quare & in cælo erit concors labium, labium electum, & mundum: linguarum enim diversitas alienat hominem ab homine, ita ut lubentiùs fit homo cum cane, quàm cum homine alieno; sicut loquitur Augustinus lib. 19. de Civitate Dei cap. 7. Quare ubi nos intulerit cælo misericordia, omnium una vox erit exultantium, & dicentium: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio; honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Apocalyp. 7. vers. 12. Diximus misericordiam vocari humerum totius Orbis; omnes enim mortales, probos, improbos, pios, justosque, babaros, & ignaros humeris portat. Sceleratos humero sinistro, dum dissimulat, tolerando impietatis facinora, ut ad Deum Creatorem notitiâ bonitatis Divinæ provocati, ad imitationem filii prodigi reducantur. Humero dextro defert suos cultores tanquam filios, juxta illud Deuteronomii 33. *Amantissimus Domini Beniamin*, scilicet, *habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo commabitur, & inter humeros illius requiescet, & quasi in thalamo deliciarum morabitur, & portabitur humero benignitatis.* Duos hos humeros habet & Christus Dominus misericordiæ Filius, Luc. 15. qui ubi ovem perditam invenit, imponit eam in humeris suis. O qualis dignatio Divinæ misericordiæ! ut solicitâ curâ indaget latentem & fugientem peccatorem, ut inventum non manu trahat, aut duriùs tractet; sed blandè humeros suæ Regiæ Majestatis supponit oneri, sibi congratulans de comperta fugitiva ove, eamque ita in totum ad se redigit, ut elabi non posset. Habet ergo Christus humeros: dextrum, quo significatur amor, & protectio, quâ sibi charos probatosque tuetur: sinistrum ostentat, quo patientiam & dissimulationem demonstrat effrænatæ iniquitatis. *Expandit ergo*, juxta illud Deuteronomii 32. *alas suas, atque assumpsit atque portavit in humeru suis.*

§. XVII.

De Nominibus honorificis, quibus compellata Misericordia filia Dei, regina gratiarum, assistrix judicii, oculus bonis.

Misericordia ex filiabus magni regis.

Misericordia exhibuit se videndam Joanni Eleemosynario, dixitque se esse ex primis filiabus Magni Regis. Audi Joannem apud Leontiũ: Cùm versarer in Cypro annos quindecim natus quâdam nocte in somnis apparuit puella eximiæ pulchritudinis splendidè vestita, & oleaginâ coronâ in capite redimita, quę & me territum excitavit. Rogavi ego quæ qualisve esset: rogavi & causam adventũs. Illa placido vultu me hilariter intuens; Sum, inquit, prima ex filiabus Magni Regis; si tu me tibi amicam paraveris, potero te efficere ei familiarem: nulli enim major est apud Deum, quàm mihi, fiducia: quoniam ei, ut descenderet de cælis in terram, & carnem acciperet humanam, ego persuasi. Somno ergò discusso ad templum properavi, fio obviàm pauperi, & rigentem frigore vestivi, dicens: Explorabo an visum nocturnum sit ex vero. Priusquam ergò venissem in Ecclesiam, vir candidatus tradit nummos auri centum, qui & mox evanuit; undè & didici veritatem visionis. Et ex eo tempore nullius alterius curam agere instituit quam Christi in pauperibus, quos suos Dominos vocabat. Quibus cùm uno die nihil dedisset, vehementer contristatus fuit, similis Tito Imperatori, qui dicere solitus: *Hodie non regnavimus, quia neminem beneficio affecimus.* Vel ut alii: *Dum*, inquit, *perdidi.* Vocabimus ergò misericordiam filiã Magni Regis. Chrysostomus hom. 32. in Epist. ad Hebręos, misericordiam vocavit *Reginam gratiarum, ut mundi præsidem*, & Matronam Tonantis, quæ ærarii Divini præfecta, omnipotentis Dei & Divinæ providentiæ dispensat opes atque thesauros. Hoc ipsum Cassiodorus lib. 2. Epist. 9. Sola est misericordia cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.

Joannes Eleemosynarius devovet se pauperibus.

Misericordia regina gratiarum & præfecta ærarii.

Idem Chrysostomus hom. citatâ misericordiam induxit ut Virginem niveo vultu & amiculo decoram, & alis præditam aureis, quæ ad solium Dei nos evehat. Quare & Augustinus in Ps. 102. negat aliud esse vehiculū quo ad Patriam perducamur. Vocatur & φιλανθρωπία, Clemētia, bonitas adversus homines, quę adeò inflexit cor summi Monarchæ in amorē hominū, ut nulla accessio amori fieri posset. Undè fiducia humanę oboritur naturæ, ut Themistii Oratoris longè pulcherrimum acroama, quo extollit Theodosii Imperatoris humanitatem, cumulatissimè perficiatur. Fieri, inquit, non potest ut calculus niger in manum Regis veniat quin colorem mutet: alienissimum enim est à naturâ summi Dei, aliquem perdere. Quare & à Jona Propheta 4. vocatur *ignoscens super malitiâ*. Hanc misericordiam vocat Tertullianus lib. de pœnit. cap. *Divinæ clementiæ profusionem*. Tu ergo homo esto tibi misericordiæ forma. Sic quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis misericordiam tibi fieri: tam citò alii, tantùm totaliter ipse miserere. Optimè vocaverim misericordiam divitias bonitatis Divinæ. Undè & Ephesior. 2. vers. 4. Deus vocatur *dives in misericordiâ*. An non dives in potentiâ? dives in gloriâ? dives in omnibus attributis? Ita. Verùm vult dives vocari in misericordia, ut ostendat divitias, & oceanum infinitę bonitatis, & teneritudinem cordis sui quasi excordiati, & in nos translati. Non sine causâ ergò voco divitias Dei misericordiam ejus. Undè & Philo lib. de victimis, dicit *naturam Dei propitiam, & copiâ miserationem affluentem*. Quare affluentem? Quia misericordia ejus prævenit nos, qui etiam super filios iræ cogitat cogitationes pacis. Qui ne petentibus quidem, sed impœnitentibus, qui & repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, spiritum adoptionis largitur, juxta illud Danielis 4. *Placeat tibi Rex consilium meum, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Ubi Arabicus Antiochenus vertit: *Involve, vel operi.* Alexandrinus: *Remissionem pro peccatis tuis postula, eleemosynis.* Hinc Augustinus lib. 21. de Civitate 27. ait, *quosdam sine eleemosynis non posse salvari.* Et ideò Ambrosius hîc. *Eleemosyna*, inquit, *quodammodo est animarum lavacrum, ut si quis fortè post Baptismum deliquerit, superest ei, ut iterum eleemosynis mundetur.* Hâc misericordiâ Zeno Imperator redemit punitionem. Hic mulierem in filia injuriosè tractârat. Hæc continuis precibus solicitabat sanctissimam Virginem ut se vindicaret: at illa apparens: *Crede mihi,* inquit, *mulier, sæpè ultionem paravi, sed manus ejus prohibent me. Erat enim valde misericors.* Sic Pratum spiritual. 175. Hinc clamat Propheta: *Anticipent nos misericordia tua.* Psal. 78. v. 8. & ideò sedere super Cherubim dicitur, Psal. 78. v. 2. & subitò volare, ut auxilia ministret, & divitias bonitatis communicet. Hoc & Paulus docet Ephes. 2. vers. 4. *Deus autem, qui dives in misericordia, propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Basilius vocat illam πάρεδρον Assistricem in Psal. 32. quasi Regio throno assideat, & sit quasi secundarius Judex, qui apud Romanos Assessores vocabantur, qui juris dicendi causâ, Principi Judici assident. Quare & Lacedæmonii Principi Augurē assidere voluerunt. Assidet ergò misericordia Divinis judiciis, ut illa temperet, & moderetur. Causam agit periturorū, provocat & appellat à Justitia ad clementiam, & fert humeris omnes iniquitates nostras. Deindè si misericordiam Dei vocârim, bonū oculum Dei, quamvis auctorem hujus appellationis non habeam, rectè vocârim. Oculus enim eloquitur tanquam legatus & Orator, cordis & animi bonitatem, ita ut oculus sit index & nuncius constitutionis, & latentis passionis; ex oculo legimus amores, verosque affectus, quare & jactus oculorum missilia tela vocamus. Voco ergò misericordiam, bonum oculum Dei, quia bonitatem Dei infinitam eloquitur, & ex oculo quanta sit bonitas, clarè cognosci potest. Quidquid ex oculis Dei emicat, non sunt nisi clara incēdia infinitæ charitatis. Oculus amantis ita rapitur in amatam, ut nec avelli, nec separari possit. Sic erumpit oculis Dei ignis ingens, qui totum Deum ad nos trahat, ut totus videatur abiisse in flammas, & qui toto pectore uritur totus, flammas latentes ex oculis vibret mittatque. Sicut ergò totus animus, imò totus homo est in oculo bono, si bonus sit: ita totus Deus bonus in suæ oculo misericordiæ elucet. Oculi sunt januæ miserationis, per quas intrat in animum tener, piusque affectus subveniendi miseriæ alienæ; qui autem proni sunt in bonitatem, alienâ pulsati miseriâ, dulci quâdam, subitâque rapiuntur affectione ægros miserosque relevandi. Quare & hujusmodi pii homines, boni oculi vocantur: & ideò ubi nos habemus Proverb. 22. vers. 9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Hæbræi habent, *Qui bono est oculo.* & Chaldæus, *Qui bonum habet oculum.* Dicamus ergò bonum oculum esse symbolum Divinæ misericordiæ, quia & misericordia est janua Divinarum piarumque in nos affectionū, quibus Deus inflexus, omnes nostras mitigat, relevatque miserias, ut indefessè parcat & misereatur. Quem oculum Prophetæ vocant oculum parcentem, cujus proprium est misereri semper & parcere. Dulcissime Jesu respice me semel oculo tuo bono, & sanabor, & convalescam, & beatus ero.

Misericordia vocatur divina bonitatis.

Animarum lavacrum.

Misericordia assistrix judicii.

Misericordia bonus Dei oculus.

Totus homo est in oculis.

Totus Deus in misericordia.

Bonus oculus symbolum divinæ misericordiæ.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Misericordia in æternum virtutis præmium, coronas texit suis amatoribus.

VElle materiæ huic coronidem imponere, est venire ad umbelicum infiniti libri, & ut dicitur Græco Proverbio τὸν κύκλον ἀποτελεῖν, id est, circulum infinitum absoluere, & rem omnibus numeris, & partibus absoluere. Crescit materia dicendo & scribendo, quia semper nova recursat cogitatio meditando. Nemo ergo τὸν κολοφῶνα imposuit, nec imponet; procedit adhuc, & ire quærit materiæ opus μέχρι τῆς κορωνίδος. Quis crederet misericordiam struere & parare suis coronas & diademata? Parat & struit nihil cogitantibus. Quid peperit Opilioni Davidi sceptrum? Misericordia hostibus impensa. *Qui redimit de interitu tuo vitam tuam? qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Psalm. 102. Marciano Thraci, Gregario militi, quia cadaver projecti hominis, ut suprà dictum, terræ mandavit, misericordia, orbis diadema fabricata est, & sanctæ Pulcheriæ Virginis, Virgo conjux summâ felicitate regnavit. Et quo militum robore? Pauperum stipendiis. Hic à Constantino Magno, Primus Princeps inter omnes Imperatores Religionis Catholicæ acerrimus defensor, & pauperum patronus Paterque nuncupatus. Leoni Majoriano ejus nominis primo imposuit coronam Imperii Regina misericordia. Ipse raro obsequio demeritus Regnatricis misericordiæ gratiam, regnator evasit. Vide Baronium in Annum Christi 457. & Spondanum. Nicephorum qui fusè, nos strictim. Cæco erranti aberrantiq; fit oculus, pes & manus, & viæ Dux, comesque. Cæcus exæstuans siti conficitur: orat & umbram, solis ardentis, at ardentioris sitis impatiétior Leo misericordię stimulis agitatus, fontes & aquas indefessè in loco uliginoso quæritat, & totus desudatus ad cæcum anhelantem infecto labore redit. Et ecce cælo lapsa vox, *Non ita te macerari oportet Leo. Ecce aqua propè est.* Accingit se ad labores novos; irritus labor omnis. Indignatus ergo suam industriam, & cæci intolerabilem æstum; & ecce dum strenuè singula lustrat, & iterum atque iterum relegit iter, nova de cælo vox blandissimè intonat, & trabeam, & purpuram pollicetur: *Eja ingredere umbrosum locum, aquam cum limo quo cæci per ungas oculos, tolle. Vocis & imperii augurium audisti, disces quænam sim, quæque hoc loco oblecter. tu mihi ædem struas omnium precibus, votis & desideriis, & supremis necessitatibus salutarem.* Paret ille & undam & cœnum fert cæco tantum non agenti animam: præbet potum, linit oculos, & sitim exstinguit, & oculos exstinctos luce redonat. Oritur naturæ miraculum, & cœnosa palus, fit aqua Siloë. Ere ecce Majestas Virginis, beneficio misericordiæ illustrata. Templum Virgini inauguratur, & Leo sacro imperio. Ecce servit Orbis ei, qui pauperi servijt; nec recusat ejus servitutem ferre, qui pauperis tulit. Clarior Leo apud posteros misericordiæ trophæis, quàm victoriis. Pauperes erexêre monumenta Pyramidibus altiora, & posthumam vitam, quia pauperi dedit vitam. Ex omnium sententia, Mediceis principatum, & Dominatum Hetrurię misericordia in pauperes qualescumque dedit. Laurentius Medices, qui vexillum sapientium & Doctorum Virorum extulit, magnâ parsimoniâ colligebat, quas effunderet in pauperes, opes. Erat vir elegantium parcissimus, & parcorum elegantissimus, uni rei studere, ut pauperi placeret. Circumfertur celebre dictum factumque Parsimoniæ. Dum Princeps Reipublicæ & adhuc privatus daret audientiam, & in aulâ anteriore cetera turba se calefaceret, Principis aures oratura: Cùm itaque observaret luculentiorem focum quàm vellet, jussit per suos ligna superfluentia tolli. Hic vir religiosus mirari, attonitus stare, pedem referre, & abitum qui spe Eleëmosynæ tractus venerat, parare. Sagax Principis oculus observare revocareque. Siste, inquit, Reverende Pater, quo te proripis? Domus mea officina est & domicilium pauperum, nemo à me tristis recedit: autumo diem perditum ni beneficus fuerit. Et ille pro sua libertate: Non temerè desperavi, inquit, gratiam, cùm spectavi in foco tantam regnare parsimoniam: auguratus spem subduci, ubi foco ligna jam fumantia subduci notavi. Subrisit benignè Princeps ingenuæ libertati. Hâc, inquit, mi frater, parsimoniâ exhilarati pauperum penates, vestræque familiæ recreantur: hæc detergit tristitiam venientium oculis, & exorientes lætitiæ faces affundit discessuris. Macte magna familia quâ Regum tiaras tibi despondisti: macte, inquam, & magnitudinem tuam iisdem artibus tuere, quibus extulisti. Misericordia fundat domos, quas auaritia deturbat. Hæc misericordia familiam Sabaudicam magnis Monarchis per cõjugia dominationis subsidia subnixã, per plurimos annos perenni felicitatis fôte irrigavit, & in sũma fastigia perduxit: hæc per Amadæum, Tertium Sabaudiæ Ducem, familiæ benedictionem impetravit. Dixi Tertium Ducem, ab Amadæo primo Duce, qui 1416. à Sigismũdo Imperatore primus, Ducis trabeã & titulos accepit, qui & Põtifex factus in Cõcilio Basiliẽsi contra Eugenium Quartum, & Felix Quintus vocatus sub Nicolao Quinto 1449. & abdicatâ tandem tiarâ vitam solitariam amplexus, Ripaliæ ad lacum Lemanum obijt.

Creat imperatores.

Marcianus pauperum Pater factus imperator.

Leo à misericordia factus imperator.

Mediceam familiam extulit misericordia.

Sabaudicã familiam extulit misericordia.

Amadei vita ex gallica historia.

Euge Lector, attende ad præconia & laudes, quibus cumulabat sibi charissimos pauperes. Fellitis sermonibus & sarcasmis objiciebantur tanto Principi, arcium infirma munimenta: paucitas militum debilitata: ærarii exhausti vacuitas. His criminationibus sine felle Princeps blandis verbis respondebat: Milites, quibus glorior, sunt invincibiles pauperes Jesu Christi Domini mei; illorum armis ardua quæque conficio, nullis armis penetrabilia. Ferro mihi coronas & laurū brevis ævi paratis: illi: hi perenni vigore perpetuam sine ferro. Vos Dominationis meæ statum tuemini: at pauperes æternam dominationem conquirunt. Nunquam beneficus in egentes Princeps, attenuatus, & egens mortuus fuit. Lætatur Deus, mecum, ut apparet, certando donativis: grandi usurâ me ditat, dum ego pauperes. Quis Ducum Sabaudiæ, securiori pace, abundantiâ rerum omnium prolixiori, & pecuniarum copiâ præ me felicior? exarmatos objicitis limites mearum Provinciarum; levia munimenta vix vallis defensa: esto sint; satis validæ futuræ arces, satis formidabiles hostibus si pietatis dextrâ fuerint defensæ. Enses fulminei, thoraces ænei, scutaque hastęque terribiles, & adamantina mænia, sine hoste cuncta cadent inani impetu, si pietas desit. Pietas omnia perrumpit ictu fulmineo potentior. E cælo coronæ, opulentia, & cuncta pacis bona legantur. Ego non à divitiis, nec urbium claritate, famæ ornamenta, aut gloriam, aut jactationem peto: quas Deus dedit, opes reddo. Desidiam dissolutionemque & luxum indecorum Principi, in me Principe laudareris, si in longas noctes convivia traherem, & jussu meo perscrutari profundum; & strage animalium ornari mensas; & conchylia ultimi maris exignoto littore erui curarem. Obsessum non vitiis, sed virtutibus Principem volo. Cælum perdat eos, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. Pudeat undique convehi, quod fastidienti stomacho blandiatur; pudeat portari ab ultimo Oceano, quod stomachus deliriis dissolutus vix admittit. Quàm me in cælum attolleretis si Caligulæ similis (quem natura videtur edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent) una cæna centies sestertiūm cænarem, id est, ducenta & quinquaginta millia Philippicorum absumerem; quod Cleopatra in una margarita absumpsit. Pudeat Regiones pervagari, maria trajici, cum famem exiguo possimus sedare. Passim jacent alimenta quæ natura omnibus locis disposuit. Cogitate quam parua vobis corpora, & corporis quàm exigua sunt desideria. Decretum mihi iisdem itineribus ad cælum proficisci, quibus cœpi. Longiùs me impietas evexit provocante materiâ. Itaque sic finiam; spectari hodie eversos mores, regnare nequitiam, in de- A terius omnes res humanas per omne nefas labi. Habetur ebrietati honor, & plurimum meri cepisse, virtus est. Solvit fræna pudicitia; & in petulantiam & audaciam erupit malè dispensata libertas. Omnia humana brevia, & caduca sunt, infiniti temporis nulla partem occupantia. Æternum quæro; etsi sapitis, mecum ut æternitati studeatis rogo. Ultimum tanti viri superest elogium, & quia insperatâ amœnitate plenum, gratum erit. Legatus ut fertur Regis Galliæ, Ducem docet, delitias unicas sui Regis, esse regnum Dianę; unice sylvarumque unicè spiculis, hastis, arcubus, venabulis & imprimis conquisitis canibus nemorum sylvarumque exploratoribus delectari, saltus, nemora, stabula ferarum indagine cingere. B nihil jucundius quàm cùm latratu cava saxa sonant, & canes dimissi nare sagaci captant auras, & lustra presso quærunt rostro, & præcipites clamore feras molossi, & pugnaces cressę fatigant, & hianti ore jam captę, victorem eludant. Delectavit Ducem, legatus additque se cupidum videndi apparatum venaticū. Cras, inquit, dabitur copia meos venaticos canes spectandi. Postero ergo die ducitur ad altam pergulam, undè in inferiores campos liberior prospectus. Et ecce longo ordine multis instratis mensis quam plurima turba egenum accumbunt, indulgent epulis, implenturq; generoso Baccho, fremit C exercitus, lætitia exultat ipsumque Ducem, libantes pateras, fausto clamore salutant: adest lætitiæ dator Bacchus, & vina coronant. Audisti, inquit ad Legatum Dux, voces tumultuantes meorum venaticorum canum; audisti ut omnia personent lætis vocibus; spectasti apparatum ingentem: hi sunt mei amati canes; hi mei venatores, quibus non feras, non nemorum spolia, sed ipsum Monarcham cæli, cęlique cives consector. Permitto aliis Principibus amabiles cervos, Martiales dentatosque apros, volucres, lepores, & quidquid sylua, & nemorum saltus alunt. Una mihi pauperum cura sub corde vivit, hos colo, sustento, illorum comitatu beatus vivo. Non se continuit Legatus. D Hæc, inquit, turba dedatur hospitalibus, non aulis Principum; non æquum ex aula, haram condere. Dic, inquit Dux, quid causæ fuit cur Robertus Franciæ Rex, filius vestri Hugonis Capetti secum semper traheret currus mendicis oppletos? An meministi respōsi quo allatrantium ora clausit. Greges, inquit, hos pauperum, tanquam Prætorianos mihi fidissimos milites mecum semper vectito, quos sordidos, viles, nullo numero jactatis: Vado, inquit, cælum obsidione cincturus, quorum operâ armisque oppugnatum, in meam redigam potestatem. An non misericordia aperit cælum? Miserorum ergo suffragiis cælum dabitur mihi, qui me Ducem & Patrē miserorū feci. Quantus in hoc genere claruit Ludovicus Rex Francię, Regum

Margin notes: *Pauperes optimi milites.* — *Pauperum potentia.* — *Pauperes mūtissima arces.* — *Vita dissoluti principis.* — *Luxus fugiendus.* — *Parsimonia ad manum sit.* — *Quæ venationis studia.* — *Qui canes venatici fuerint Amī Dei.*

Psalcilla imperatricis misericordia in pauperes.

gū unicus Phœnix. Dubitavitnè ille aggeniculatus pauperibus? an nō intecto nudoq; capite illachrymans servivit? & quid ita? judicabat se indignū Christo Iesu, quē sciebat in illis pauperibus recondi; hæc obsequia præstare. Eia Domine Legate, memineris Placillæ Imperatricis apud Nicephorum lib. 12 cap. 42. quæ non exhorruit vulnera miserorum fasciis obligare, saniem, tabumque detergere, & magnis donis calamitates doloresque temperare. Audi verba: Omnium curā qui erant mutilati, & morbis variis affligerentur, ipsa per seipsam curabat omnibus serviens. Obibat hospitales domos, non tantum ægrorum ollas, & juscula delibabat, sed & patellas admovebat, panem apponebat, ciborum frusta apponebat, pocula eluebat, aliaque omnia promptè & feliciter obibat, quæ servarum & ancillarū erant officia. Obtrectantibus autem, Regiè, Regia cōjux & Virago generosa respondit, Imperatrici largitionem vel imperio convenire, ut aurū elargiatur; sibi hoc manuum opus, pro imperio adepto, esse gratiarum actionem. Vel ut Nicephorus: Ego verò opus manuū mearū pro imperio ipso, ei, qui semel id cōtulit, offero. Digna vox, Augusta, Christian. Memineris Domine Legate Usualdi Regis Angliæ, qui quotidie festivas epulas pauperibus destinabat. Cùm itaque aliquando major esset numerus egentium, quàm dapibus instructis posset fieri satis, ut nullus tristis, & desolatus abiret, lances argenteas mensæ accumbens diffringi jussit, ut iis quibus alimenta, & cibi defuissent, pretium ciborum parandorum adesset. Adrianus Episcopus Regio facinore motus, arreptam Regis dextram exosculatus, tanquam Vates futuri exclamavit: Hæc dextra (inquit) incorrupta sæculis perstabit, nec ullum sentiet sui damnum. Audiit Deus, & dextram ad multos annos corrupto solutoque corpore servavit incolumem, securamque sui. Hęc ubi audiit Legatus, pisce magis mutus, quasi elinguis factus præstitā ingenti reverentiā ad tanti Principis sanctitatem attonitus, se subduxit. Vivis, & vives in posterorum memoriā cælo receptus princeps. Sic & dextram Stephani Regis Hungariæ, Deus, æternam reliquo corpore soluto, servavit. Cedrino enim misericordiæ succo, & Eleemosynæ balsamo peruncta coæva æternitati cedrus; coęvam & dextra, misericordię instrumentum.

Usualdi regis Angliæ misericordia.

A

§. XIX.

Coronas majores parat misericordia spiritualis. Animæ partæ sunt coronæ.

QUantum distat cælum à terra; tantum distat dignitas animę à corporis vilitate. Major dissimilitudo, quàm sit auri cum luto, & adamantis cum projecto calculo; dispares naturæ, pugnantia elemēta, ortusq; diversi. Hoc docuêre Poëtæ Gentiles, & totus Orbis. Juvenalis Satyr. 15.

B *Sensum à cælesti demissum traximus arce.*

Et Ovidius 15. Metamorphos.

Morte carent animæ. —

Paulinus ad Ausonium:

Mens quippè lapsis quæ superstes artubus
De stirpe durat cælitum.

Si igitur misericordia parat educatoribus altoribusq; corporum adeò Regias coronas, quales quantasq fabricabit animarū servatoribus? si Divinum, curare corpora, vulnera obducere, famem pellere; quàm Divinum, curare animam, ei vitam dare, ab impietate revocare, formare in iis Christum? Narrat Ammianus lib. 14. Pag. 317. illud nobile acroama Magni Alexandri, quo Matris preces, petentis innocentis mortem refutavit, C cùm rescripsit: Hominis salus beneficio nullo pensatur. Quare & Paulus 2. Corinth. 6. exclamat prę gaudio: *Dilatatum est cor nostrū. Dilatamini & vos.* Præ lætitia non capio meipsum, salutis vestræ consideratione. Hoc intellexit Trasimundus Rex, ad quem Fulgentius lib. 1. cap. 2. quod magis desideret animæ spatia dilatare quàm regni. Pretiosiora ergo infinitis partibus studia, atque opera. quibus animæ salus procuratur quā corporum. Hinc & lachrymæ pro aliorum salute fusæ possunt vocari δάκρυον ἐπαινετόν lachrymæ laudabiles, ut vocavit Nazianzenus oratione 31. An non hujusmodi fuêre Marthæ & Magdalenæ, quæ Christo Do- D mino lachrymas excivêre? Beatæ lachrymę, quæ fratri mortuo vitā impetrant. Magnus clamor in auribus summi Dei, lachryma. Quanti meriti ęstimas fuisse tristitiam Pauli ad Romanos 9. 2. *Quoniam*, inquit, *tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabā ego anathema esse à Christo pro fratribus meis?* Magnum proindè Eleëmosynæ genus ait esse Chrysostomus in Psalm. 129. *Flere, ingemiscere propter eos qui affliguntur.* Undè & Iob. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Magna verè Eleëmosyna, ut ait Augustinus serm. 44. de verbis Domini, si gemimus in peccatis fratrum nostrorum, & vim patimur, & torquemur animo. Quare & ego cum Macario hom. 25. voco lachrymas

Eleemosyna spirituales potiores corporis.

Spiritualis eleemosyna Iob.

fusas pro aliorum salute πολυτίμους μαργαρίτας pretiosas margaritas. Quanti sint pretii hujusmodi margaritæ, fidem facit primus Ecclesiæ Doctor Augustinus, quem Mater suis lachrymis emit: bis Mater; utero, & oculo. Poterat perire filius uteri; non filius oculorum: felix utroque partu; & filius, & Mater: hæc bis vitam dedit, & ille accepit. Solari ergo tristes, est Deum proximè imitari; qui vocatur ad Romanos 15. 5. *Deus solatii.* Et 2. Corinth. 1. 3. *Deus totius consolationis.* Quid hoc est dicere; nisi vocare Deum oceanum, & fontem omnis solatii? Lege Paulum 2. ad Corinth. 1. vers. 4. Deus ergo totius consolationis loquitur in nobis verba bona, verba consolatoria; ut expertus est Zacharias Propheta 1. 13. quantum ergo meritus de toto genere humano, totius generis humani tuba Paulus Apostolus, qui suo Seraphico sonitu, aureis numeris, Divinis suis, oraculis totum orbem pervagatus omnes mortales traxit ad Dei veri notitiam. Quis ignorat, ut totum orbem complexus, seipsum evisceràrit, & emedullàrit? ut se totum per opera misericordiæ dispersesit? Vis Matris viscera? *Filioli quos iterum parturio: donec formetur in vobis Christus*, ad Galat. Vis nutricem? 1. Corinth. 3. *Lac vobis potum dedi.* Deindè ad Thessal. 1. cap. 2. *Facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Ita desiderans vos cupidè volebamus tradere vobis non solum Evangelium; sed etiam animas nostras, quia charissimi nobis facti estis. Paulus ergo, Dei instar, qui dicitur Pater misericordiarum, omnia viscera misericordiæ explicabat, factus omnibus omnia, se totum dividens omnibus ut omnes lucrifaceret: sic omnes ferebat, ut totum orbem ferre videretur; & omnium vulnera, sentiret sua damna; & omnium exitia sua funera. An non Paulus omnes mortales summis beneficiis sibi devinctos obligavit? quando objecit moras beneficiis? quæ quo plura fuêre, plus laudis attulerint. Paulus omnes curas per totum divisit Orbem. Hoc ipsum docet Orbis Doctor, cùm ait ad Romanos 1. cap. vers. 14. *Græcis ac barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum; omnibus me coëxtendo, ut omnes lucrifaciam.* Quid illum Magnum Heroëm in Asiam, Hispaniam, per totam Græciam, Judæam, per barbaras terras, & terrarum angulos traxit? an non infinita cupido, misericordiæ opera impartiendi? & tamen sibi uni parum magnus videbatur, qui erat maximus. Paulus Orbem, & Paulum ducebat, trahebatq; cęlestis ambitio. An nō in mundo, quasi in choro pilâ ludēs dadatim se dabat omnibus, & communem se faciens; omnes formas induebat amoris; ut in omnibus tanquam mollissima cera Christum fingeret atque formaret? trahebat quia trahebatur; & formabat, informatus, jam non suus. Quantis etiam curis Sanctus Xaverius

S. Monica mater.

Profusio Pauli.

Paulus dadatim se dat omnibus.

A oceanum, & ultima Orientis penetravit? an non in profundum & inexploratum & immensum Apostolicâ aviditate sese immisit? Ingentis spiritûs res; Orientem lustrasse, & regnum Christi in diversa regna propagasse. De hoc utroque illud, quod Alexandro donatum, dici potest. Iidem sunt termini regni vestri, & mundi. Tempus Alexandro; sicut & Paulo, cum Orbe & sole de fuit. Omnes hi tres Heroës mundū alium extra naturæ terminos quæsiissent, si dari potuisset. Alexandro nulla satietas gloriæ; sic Paulo & Xaverio inexplicabilis sitis gloriæ Divinæ, & misericordię dilatandæ, & animas Deo in sua diademata conquirendi. Conclusionem ergo faciamus: si

B ob servatur civem debetur civica corona; corona quondam in maximo honore habita, quam Festus vocat virtutis insigne clarissimum; an non debetur corona gloriosior animæ Servatori? An non tot coronæ debentur quot animę ab æternâ morte liberatę? an non totus Orbis cedit Paulo in coronas? Paulus ergo toto orbe coronatus incedit, quem suo labore emit, sibi peperit, suumque fecit. Quid jucundius Paulo, quàm videre in suo ornatu cæli tot pendentes coronas, quot mortales à se conservatos? Omni triumpho gloriosior laus fuit imperatori Probo adhuc militi: deindè Aureliani suc-

C cessori, quando publicâ in concione Aurelianus Imperator civicam illi coronam imposuit; cum hoc elogio & commendatione virtutis: Suscipe Probe, præmia pro Republicâ; suscipe coronam civicam pro parente. Omni gaudio grandius erit, cum à Christo donabuntur æternis corōnis viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt: cū semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, &c. *Sapientiam ipsorum narrent populi; & laudem eorum nunciet Ecclesia.* Ecclesiast. 44. Si gloriosum, servasse corpus civis; quantò gloriosius, animam civis? Si Scipio Africanus vi ingenii & luce rationis victus exclamârit, ut scribit Capitol. in Antonino Pio; se malle unum civem

D servare, quàm mille hostes occidere: dixerim ego me salutem unius animæ, mille & mille mundis, iisque infinitis anteponere. Vę illis qui impediunt adjutores Dei, quos Paulus vocat συνεργούς. nobilissimum Dei opus anima, quæ amatorium quemdam impetum & desiderium debet exsuscitare Dei naturæ simillimum: animę enim ac qualibet earum bona sunt per bonitatem illam, quę omne bonum superant & vitam habent substantialem corruptionis expertem, ut esse habeant commune cum angelis; ut loquitur Dionysius *de Divinis nominibus cap.* 4. Viris ergo misericordiæ, quales sunt zelosi viri, quales verbi Divini præcones, tot coronæ debentur, quot animabus salutem procurârunt atque peperêre. Hoc ipsum orbis Doctor agnovit, scribens ad Philipp. c. 4. Ita-

Xaverius & Paulus toto orbe coronati incedunt, et divisi.

4. *Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium, & corona mea.* Quasi diceret: Ut ex lauru & quercu & oleâ, ex auro coronæ conficiuntur, velut ex objecta materia: sic vos à me conversi, estis causa, objectum gaudii mei & coronæ meæ: ducam vos in triumphum, tanquam cives servatos, & mihi acclamabitis tanquam Servatori; sicut Roma Ciceroni, quando patrem patriæ Ciceronem libera dixit. In Ecclesia primitiva sancti Episcopi suum populum vocabant coronã suam; eò quòd populus instar coronę vallaret Episcopum, ab eoque penderet. Hoc docuit sanctus Cornelius Pontifex Martyr, qui sugillatus à Volusiano Præfecto, quòd cõtra Rempublicam literas acciperet à sancto Cypriano; respondit: Ego de corona Domini accepi literas non contra Rempublicam. Coronam Domini vocat Christi plebem. Sic & sanctus Amandus Episcopus Trajectensis cælum conscendens cinctusque coronâ albatorum, apparuit beatæ Aldegundi oranti; cumque illa percunctaretur quisnam esset ille reverendus, in quem omnes albati respicerent; ab Angelo audivit: *Hic est amabilis Deo Amandus, qui ex sæculo migrat ad cælum stipatus animabus, quas verbo, & exemplo ad virtutem instituit.* Vide c. 17. vitæ sanctæ Aldeg. *Si corona senum (sunt) filii eorum,* Prov. 17. 6. cur non animæ laboribus sanctorum partæ, sanctis essent coronæ? si Job gloriatur: *Quando sedebam quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentibus consolator* 29. 25. Cur non sancti ornabuntur suo exercitu quem signis labarisque Christi addixêre. Hanc coronam dicit se Paulus exspectare 1. Epist. ad Thessal. c. 2. 19. *Quæ enim*, inquit, *nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Audi Gregorium homil. 17. in Euangel. *Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus?* Audi ut describat coronas singulorum Apostolorum. Ibi Petrus cum Judæa conversa quã post se traxit, apparebit: Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens: Ibi Andreas post se Achajam: Ibi Joannes Asiam: Thomas Indiam in conspectum sui Regis Judicis conversam ducet: Ibi Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus, Deo post se subditum gregem trahunt. Animæ ergò adductæ erunt coronæ sanctis; quas misericordia præparavit. Nunquam ergò læti simus, nisi cum fratrem viderimus in charitate, quæ vitam dat fratri in coronam gloriæ futuræ. Hanc coronam gloriæ Anastasia Romana, infideli quamvis esset tradita viro, & Patricii generis stemmate illustris, sibi promerita est. Vilibus induta vestibus, ne nosci posset, Martyrum carceres obibat, vincula osculabatur, necessaria ad usum vitæ importabat, ac de in magnanimo sermone ad patientiam hortabatur. Sic corpora egentia, situ, pedoreque obsita, & animas Divinis firmans eloquiis, recreabat. Dum ergò præfert charitatis humilitatem, nobilitatis altitudini, ad supremum altitudinis fastigium conscendit. Visaque est digna Deo quæ misericordiæ generosis officiis, reportaret ex carceribus coronam Martyrii, quam misericordiæ manibus sibi contexuerat. Vide Sabell. l. 5. c. 2. Marulum l. 3. c. 2. Quanti autem sit animas servasse, dictum in Consociatione de Zelo.

Plebs & pauperes corona Domini.

Qui sancti spoliis animarum clarissimi.

S. Anastasia virtus.

§. XX.

Epilogus Brevis ex sanctis Patribus.

TU ergò Christiane audi Deum clamãtem, ut ait Chrysologus serm 8. Clamat Deus: Misericordiã volo. *Qui quod vult Deus, Deo negat; à Deo sibi, quod desiderat, vult negari.* Misericordiam volo, Homo; petit Deus, sed tibi, non sibi. Misericordiam volo. Humanam misericordiam petit, ut largiatur Divinam: est enim in cælis misericordia, ad quam per terrenas pervenitur. *Domine in cælo misericordia tua.* Dicturus causam in Judicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de Patrocinio misericordiæ certus, de venia sit securus, de absolutione non dubitet: misericordia enim non solùm causam prævenit, anticipat cognitorem; sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Deinde idem, qui misericordiam sperat, misereatur: pietatem qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat.

Negans pauperi eleemosynã intercludit Dei, sibi.

Chrysostomus serm. 42. *Misericordiã qui non dat alteri, tollit sibi.* Et hom. 21. ad Romanos: *Vtrumque oportet miserturo adesse, ut quod abundè, & quod cum voluptate.* Quânam gratiâ, cum Eleëmosynam das, ploras? Quid doles omnem boni operis fructum prodens? si namque doles, non misereris utique; sed crudelis es, & inhumanus: quomodo eum qui in tristitia est, refocillabis, si tu doles? satis enim fuerit, si ille nihil mali suspicetur; etiamsi sine gaudio dederis. Propterea dicitur, *Qui miseretur in hilaritate.* Quis enim regnum accipiens, mœstus est? quis remissionem peccatorum accipiens, in mœrore manet? Noli intueri pecuniarum sumptum, sed magis proventum. Si enim qui seminat, gaudet, etiamsi in incertum seminet; multò magis qui cælum, quasi agrum colit. Et in Epistola ad Philemon. *Ideo misericordiam non consequimur; quia non miseremur.* Augustinus lib. de moribus Eccles. Homo ut homini apparet anima rationalis; est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergò corpori, partim animæ hominis benefacit, qui diligit hominem. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est; ad animam autem disciplina.

Hilaris sit Eleemosyna.

Homo constat duabus partibus, una eleemosyna quanto alio præstatur.

Sed medicinam nunc voco, quidquid omnino corporis vel intuetur, vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantum quę ars eorum exhibet, qui propriè medici nominantur; sed etiam cibus, potus & regimen & tectum; defensio denique omnis atque munitio, quâ nostrum corpus adversus omnes ictus, actusque servatur. Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis resistitur, qui officiosè & humaniter præbent, misericordes vocantur. Alteram partem divisionis elegantiùs Chrysostomus amplificat, *Orat. 2. contra Iudaos.* Hæc est major Eleëmosyna quâ curatur anima, quàm corpus: major Eleëmosyna quàm decem millia talentorum, quàm hic mundus universus, quâtus undique patet oculis. Si quidem homo toto mundo est pretiosior; hujus enim causa, & cælum & terra, & mare condita sunt; perpende ergò quanta sit dignitas ejus, cujus saluti consulitur, & ne contempseris illius curam: nam si pecuniæ vim immensam numerârit aliquis, nihil simile præstiterit ei, quod præstat is, qui servat animam, & abducens ab errore ad pietatem ducit. Qui dederit panem pauperi, famem solvit; qui Judaizantem correxerit, impietatem exstinxit. Ille paupertati solatium adhibuit: hic iniquitatem inhibuit. Ille corpus liberavit à dolore; hic animam eripuit à gehenna.

Eleemosyna animæ data infinitis partibus corpori data.

Richardus à sancto Victore lib. 2. de erudit: inter hom. c. 18. *Vbi paupertas est; ibi & eleemosyna esse potest. Et quantò paupertas est verior, tantò eleemosyna major. Magna eleemosyna, cibo reficere carnem quandoque morituram; major autem, sui generis alimento saginare animam in æternum victuram. Eleemosyna, nudum vestire; major autem, indisciplinatum morum disciplinâ ornare.* Et sanè, ita est: si enim habet ibi in cælo locum magnum, panis fractus esurienti; quantum locum ibi credenda est habere misericordia, quâ homo eripitur diabolo, tanquam leoni rugienti, & quem devoret inquirenti? Primum itaque officium justitiæ est, conjungi cum Deo: secundum, cum homine. Illud primum, religio dicitur; hoc secundum, misericordia vel humanitatis nominatur. Non meremur in periculo liberari, si non succurrimus: non meremur auxilium, si negamus. Audi Lector ut ornet Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 151. sanctum Timotheum, qui, ut ait, erat reverà pudicitiæ & temperantiæ delubrum, prudentiæ sedes, fortitudinis arx, justitiæ metropolis, humanitatis penum. Hic cum singulari quodã amore eleëmosynam complecteretur, id tam studiosè captabat, ut obscura & incognita esset ea benignitas; quòd exploratum haberet, eleëmosynam in hoc sitam esse. Tu Lector, audi & Christum loquentem apud Augustinum ad Comitem. *Dicit tibi Christus: Da ex eo quod dedi tibi. De meo quæro, da & redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mibi das, æterna tibi restituam. Teipsum tibi reddam, quando te mibi reddidero.* Deindè audi & Salomonem Proverb. 21. v. 9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi*, id est bonus, *optimus*, *Divinus*; *imò Deus quidam terrestris vocabitur.* Cicero l. 2. de naturâ Deorum; Nihil grandius de Jove dicere potuit, quàm quod sit juvans Pater. Et ideò, inquit, à Majoribus nostris optimus maximus dicitur; & quidem antè optimus quàm maximus, quia majus est certèque gratius, prodesse omnibus, quàm magnas habere opes: undè sicut Jupiter à juvando; sic & Deus à dando dictus.

Animam servasse quanti sit.

Deus dat seipsũ eleëmosynariis.

Quare prius Deus nominatur optimus quã maximus.

Fuge ergò immisericordiam tanquam feram; imò studiosiùs quàm feram: nam & feræ in suum genus non sæviunt, & homo in hominem. Homini subvenire, hominis, & secundùm naturam humanam. Hoc ergo qui non facit, hominis appellatione se spoliat, quia lege humanitatis quisque jubetur periculo alterius subvenire. Audi Asterium hom. de Divite & Lazaro. Is quem alterius inopia vel ægritudo commiseratione non tangit; fera sanè est rationis expers: perperam naturã humanam indutus, ipsamque naturam humanam pravâ fallens voluntate; ac denique feris ipsis ac beluis immanior. Animalia ad cædes suorum accurrunt, & boves suo mugitu, horroreque suum dolorem testantur.

Homo immisericors non est homo.

Quin gruum quoque greges, cùm una fortè gregalium in casses incidit, captam circumvolitant, & lamentabili quodam aërem clangore complent, comitem suam gregalem requirentes. Et hominem ratione præditum animal, ad Dei similitudinem conditum, non movebunt proximorum acerbi casus, & calamitates? Pausanias Lacedæmoniorum Princeps horruit in Mardonium Persici exercitus summum Præfectum jam trucidatum sævire, & in crucẽ agere: cum tamen à Lampone sociorum Æginetarum Duce adurgeretur; quandoquidem in Leonidę Laconum Principis cadaver à Persis fuerat sævitum; judicavit ex Platonis sententia, illos, qui hæc agerent, à canibus non differre, qui adversus jactos lapides excandescunt; eum verò, qui lapidem jecerit, non attingunt. Humilis, inquit, ingenii & muliebris, & sordidæ avaritiæ, cadaver spoliare & mortui corpus pro hoste habere; cùm jam hostis evolârit, eo relicto instrumento quo pugnabat. Hunc locum Platonis citat Arist. 3. Rhet. c. 4. *Turpe & homine indignum, mortuum contumeliis afficere; an non indignius & inhumanius vivũ, quem cogis mori dum recusas subvenire? ad extrema cogit, qui extremis deest.* Lege Eusebium lib. de præparat. cap. 13. & Suidam, verbo Νίκων, qui narrant immisericordem hostem in cujusdam pugilis mortui statuam insaniisse, & ab eadem, dum sæviret, oppressum. Memineris & illius apud Ausonium:

Gruum misericordia.

Ethnici principis nobilis misericordia in mortuũ.

Digna vox Platonis.

Abjecta

Vindicta in violatorem statua.

Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat
Testa hominis, nudum jam cute caluitium
Fleverunt alii: fletu non motus Achilles
Insuper & silicis verbere diffecuit.
Eminus ergò, isto rediit lapis ultor ab osse
Autorisq, sui frontem oculosq, petit.

Eâdem mensurâ quâ mensi fueritis, remetientur vobis: eodem vultu, fronte, verbis, factisque, quibus pauperes tractaveritis, tractabimini. Qui pauperes tangit; tangit pupillam oculi Divini. Sicut ergò beati misericordes; ita & infelices immisericordes. Misericordiam qui absumpsit, quid speret amplius? misericordiam qui non dat alteri, tollit sibi. Ornat ara templum; sed cor hominis misericordia. Gratior nullus cultus Deo est quàm misericordia: maximum enim apud cælestes numen, misericordia. Est principatus pauperum commiseratio. Orbis perierat nisi iram misericordia solveret. An humerus non orbis est misericordia?

Legem talionis statuit misericordia.

§. XXI.

Brevis παραίνεσις, seu invitamentum Misericordiæ ad suos amatores.

AD vos omnes, qui sub signis meis militantes stipendia mea numeratis, nec non ad eos qui emeritis stipendiis avaritiæ ad mea castra confugiunt; hæc dirigitur oratio. Possidete sapientiam, possidete prudentiam, & in omni possessione vestra accipite prudentiam, arripite illam; & exaltabit vos: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus. Disce præcepta mea legis meæ, quæ est altior & animosior omni disciplinâ, & præparat ad cognitionem cælestium, dignũque hominem efficit qui in consortium Dei veniat. Veniet autem mortalis, non illâ parte quâ ex terreno & gravi concretus corpore; sed cælesti sua naturâ in Dei consortium, si ad Dei imitationem cogitationes suas erexerit: tunc verò in Dei imitationem cogitationes suas eriget, si in similitudinem operum Divinorum, vitam, mores, & opera formârit: summum enim operum Divinorum est misericordia; in quâ velut speculo refulget species bonitatis Divinæ, & simulachrum vivum infinitæ pietatis. Ad hanc omnes invitantur ab ipso Christo, dum ait: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Esto ergò Deus calamitosis; misericordiam Dei imitando: nihil enim beneficentiâ Divinius in hominem cadit. Invitat & monet Gnome Arabum; *Liberalis vicinus est Dei, vicinus hominis, vicinus Paradisi, remotus ab igne inferni.* Chrysostomus homiliâ 12. ad Hebræos: Deus placidus, mitis, totus misericors, totus bonus oculus, totus columbinus, ipsa tranquillitas, ipsa mansuetudo, tota misericordia, ipsa boni oculi bonitas

Gnome Arabum de misericordia.

A & columbina: ego verò misericordia Dei filia tanquam quædam aurea, & vivens columba, placidum aspectum, & mitem oculum habeo: nihil illo oculo melius. Itaque & mihi misericordiæ oculi obvenerunt columbini, placidi, benevoli, & ipsâ mititate quodammodo mitiores. Deus eris, & beatus, hosce si mores Dei, & misericordiæ filiæ Dei in te transtuleris: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Tunc consummatum habebis plenumque bonum sortis humanæ, cùm calcatis divitiis, tuis divitiis divitiarum Dominum sustentâris. Offeras illi totam cum auro suo terram, & terrâ cæloque donaberis. An operæ pretium fuit nasci, nisi ad hoc admittaris? Quid erat cur in numero viventium te positum gauderes? redde Deo quæ B Dei sunt, ut Deum habeas debitorem, quem habuisti largitorem, ut sentias muneratorem de bonis suis, tibi datis. Trahead te hoc inæstimabile bonum: non est vita tanti, ut sudes & æstues. O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit. Dispensa humana, ut compares æterna. Quid colluctaris cum divitiis? quid magnifici facis? cur portentum avaritiæ non vincis? cur non illustras virtutem tuam, per quæ petitur? quanta sit misericordiæ meæ potentia virtusque, senties, cùm vires lacessiveris, dando; te reddam ditiorem, & nudatum, paludamento circumdabo; egenum, producam C potentem. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Clamat Apostolus 2. Corinth. 9. qui enim miseretur pauperis, ipse vicissim enutritur, ut qui egeno de panibus sit impertitus. Vitem laudamus, si fructu palmites oneret; si ipsa, ad terram pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ uvæ, aurea folia dependent? propria virtus est in vite fertilitas. In homine laudabimus, si divitiis onustus, ut vitis uvis, divitias in egentes effuderit: in utroque enim propria virtus liberalis fertilitas. Id laudandum in homine si ad Dei imitationem, quod Deo proprium est, in actiones hæroïcas operasque transmiserit sua bona. D Consummatur itaque ejus bonum, si id adimpleverit, cui nascitur. Et cui quæso nascitur? nisi ut Conditoris sui naturam, mores, & jussa sequatur; qui facit solem suum oriri super bonos & malos, justos & injustos? tu sequere. Omnibus beneficus & quidem inimicis; qui & fratres tui sunt, & fratres Jesu Christi. Rem facillimam postulo, quam difficilem fecit communis insania tenacis avaritiæ; in vitia alter alterum trudens quis errantes revocabit? nisi notitia meæ magnificæ virtutis quam cupio ab omnibus affectari? Fac ergò ex animo misericordiam, ut ille qui intus videt, dicat: Adsum, & merces magna mecum. Hoc ergò vobiscum versate, omnia vestra esse volatica,

Eleemosynarium Deus est quidam.

vitis qua laudanda.

In sania avaritia.

tica, peritura, & adventitia. Ex eo stupor vester apparet; quod maximi pretii est, nullo dignum pretio æstimetis. Circumspicite quæ vos in insaniam agant, quæ cum plurimis lachrymis amittitis. Nemo illa periisse sentiet, quæ liberaliter dedit. Nihil perdidisse se credet, qui lucrum sui fecerit: qui enim se habet, nihil perdidit. Sed quotocuique habere se contigit? æternum se habebit; *qui dispersit, & dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Psal. 111. Eia ergo filioli mei, nolite diligere vanitatem, sed veritatem, quæ docet vos emere æternitatem; dum instrumenta vanitatis convertitis in permansuras gemmas æternæ felicitatis. Relinquo vobis imaginem Dei in pauperibus meis, si

Non amittitur quod datur.

A hunc, si illos complectimini, colitis & amatis. Hanc felicitatem vobis opto voveoque. O si cui datum inspicere faciem misericordiæ! quàm sanctam, quàm ex magnifico, placidoque vultu fulgentem videremus! nemo illam amabilem, qui non simul venerabilem diceret: faciem videret Deo plenam, fulgentiorem quàm inter humana cerni consuevit; totus ideo orbis, velut occursu Numinis obstupefactus subsisteret, & ut contra intueri, fas esset, precaretur; attonitus illud

Qualis sit misericordiæ facies.

B Virgiliani emitteret: O quàm te memorem Virgo? namque haud tibi vultus mortalis, nec vox hominem sonat. sis felix nostrumque leves quæcumque laborem: te sequi, & obsequi; prima sapientia est.

ALTERA

ALTERA PARS
XIX. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De misericordiâ Divæ Virginis. Vt plena omnibus virtutibus, plenior tamen omni misericordiâ, & ideo stellis coronata.

QUAMVIS infinitis intervallis Divinitas à mortalitate sejuncta dissideat, & hæc illi collata vix punctum sit, cui sua magnitudo nunquã reddi potest, quæ sola est omnia, & totum quod vides, & quod non vides, totum: si tamen Dei nobilissima pars in aliqua creatura resplendet, in Virginis resplendet misericordia, quã Deo summo intimè congenitam, & bonitatis suæ supremam portionem esse docuimus. Animosissimâ proindè voce, & totius Orbis fecundis comitiis faustissimisque sanctissima Virgo, Mater misericordiæ; sicut Deus, Pater misericordiarum vocatur, ut illa, quemadmodum & Deus, ex misericordiâ fabricata videatur. Et sanè non aliter, quàm si quis in Helenæ à Zeuxe depictam imaginem ex multarum formosarum pulchritudine collectam fortuitos oculos injiciens, subitò exclamaret se Helenæ decus & Orbis miraculum vidisse: sic qui Virginem sacratissimam intueatur, simulachrum Divinæ misericordiæ dicet se contemplatum, & Deum in illâ lucere; adeò pulchrè, ut, humano more loquar, incredibili modo utriusque consentiat astrum misericordiæ. Ceteris Sanctis per partes, divisæ sunt gratiarum dotes: in Virginem omnium gratiarum fontes largissimè dimanant. Sicut in Christo inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter: sic & in Virgine per novem menses inhabitavit plenitudo Divinitatis corporaliter. Corpus Christi domicilium Divinitatis: uterus Virginis Christo Deo domicilium ratione suæ humanitatis; diverso tamen modo, ut dictum est. Christus exemplum omnium virtutum & gratiarum: Virgo exemplum omnium virtutum & gratiarum. Christus & Virgo instar Solis & Lunæ semper simul. In Virgine, ut dicit Divus Thomas tomo 17. opusculo octavo *exemplum humilitatis*. Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini*. Lucæ 1. *quia respexit hu-*

Misericordia Virginis est simulacrum Dei.

In Virgine collectio omnium virtutum.

A *militatem ancillæ suæ*. Christus exemplum summæ humilitatis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Virgo plena in exemplum omnium virtutũ. Deinde gratiâ plena quantum ad redundantiam animæ ad carnem vel corpus. Magnum est in Sanctis habere tantum gratiæ quòd sanctificent animam: sed anima Virginis ita plena fuit, quòd ex ea refudit gratiam in carnem; ut de ipsa conciperet Filium Dei: & ideò dicit Hugo de Sancto Victore: *Quia in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat; ideò in carne ejus mirabilia faciebat in tantum quod de ea nasceretur Christus*. Lucæ 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Tertiò,
B plena gratiâ, quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum est in Sanctis, quando habent tantum gratiæ, quod sufficit ad salutem multorum. Virgo autem sanctissima tantum gratiarum habuit, quæ sufficerent ad salutem omnium: quare in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosâ. Unde Cantic. 4. *Mille clypei pendent*, id est, mille remidia contra omnia pericula. Potes & habere adjutricem in omni tempore, ac opere: & ideò dicit ipsa, Ecclesiast. 24. *In me omnis spes vitæ, & virtutis*. Hæc sanctus Thomas: *Plena quidem fuit omnium*
C *gratiarum affluentiâ, verùm ut ingentia flumina oceanus obruit & vastissimo suo sinu prodigiosè absorbet: Ita inexhaustus misericordiâ Virgineæ oceanus ceterarum virtutum magnitudinem*. Hoc sanctus Bonaventura in speculo cap. 5. *Quis Mariæ immensitatem dimensus est; nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia, & gloria, sed etiam in misericordia, tam altam, tam profundam, ac denique latissimam operatus est?* Undè specialiter de misericordiâ ejus ait Bernardus serm. 4. de Assumptione: *Quis misericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare?* Nota duo conjungi: gratiam, quam à Deo consecuta fuit; & misericordiam, quâ

Misericordia Virginis maxima suarum virtutum.

Misericordia Virginis cum gratia juncta.

Longitudo misericordia Virginea.

quâ tenerrimè genus mortale complectitur. Deindè affirmant gratiam Dei, & miserationem adversus nos paribus passibus incedere, & longitudinem, latitudinem, & profunditatem ejusdem esse mensuræ, & eâdem regulâ, numeroque definiri. Considera quousque se extendat longitudo miserationis.

Initium vita misericordia.

Cœpit illa ab ipsis vitæ incunabulis, ab ipso vitæ primo punctò quo anima donata omnibus gratiarum divitiis, gloriosè vices liberi arbitrii in Deum, illum amando, supra omnia librando, exercere: quo tributo persoluto, easdem vires suæ voluntatis, in generis humani summo, ut nobis opitulari posset impetu, quasi sagitta excussa commiserationem transferre. Congruentiùs ergo glorietur Virgo, quàm Job, qui sic gloriatur in Domino cap. 31. *Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris mea egressa est mecum.* Tantis autem incrementis adolevit, crevitque misericordia in Virgine, ut non solùm uni Judææ; sed par Orbi terrarum esset; & more ignis, qui obvias silvas populatur, vires eundo conquirit, & à seipso sumit nova, dilatatque incendia. Initium ergo vitæ dedit initium misericordiæ; sic totius vitæ decursus, incendiis nova multiplicavit incendia; ut quodlibet momentum esset gradus novæ misericordiæ, quæ ad ultimum vitæ spiritum immensis quodammodo victoriis orbem terrarum peragravit, fecerítque suum. Illata verò cælis, & rerum potita, extendit palmas auxilii, dextram porrigit, pollicetúrque suâ præsentiâ præsentissimam salutem, in ultimo præsertim vitæ agone, si noster amor non subsistat aut abrumpatur. Hoc docet Bonaventura in specul. 6. *Sicut Sancta Maria omnibus sanctis in cælo gratior; ita quoque pro nobis apud Deum præ omnibus est solicitior.* Unam ergo ac solam pro nobis in cælo fatemur singulari curâ solicitam.

Latitudo Virginea misericordia.

Latitudo verò misericordiæ tanta est, quanta longitudo: & ut cælum fornice suo stellato terram ambit; sic misericordiæ Virgineæ latitudo, omnes & singulos quosque complectitur, ut neminem aspernetur. Profunditas autem extendit se ad demersos summis vitiis peccatores, qui imis carceribus tenebrarum clausi, quasi in barathrum desperationis devenerunt. Hos carceres intrat profunda misericordia Virginis, loco ignominiam detrahit, suâ magnitudine omnes dolores, molestiasque elidit, vincula dissolvit, illuminat qui in tenebris sunt, & carceres omni curiâ honestiores reddit. Non igitur fœditas peccatorum, non situs & vulnera miserorum, non calamitosus perditusque status sceleratorum vultum Virginis amoverunt contraxeruntque. Hanc mirabilem laudem profundæ misericordiæ usque ad extremum servat servabitque, ut nemo illam, nisi hilarem, nūquam tristiorem viderit. *Respirate ergo*, ait Bonaventura, in Psalterio Psalm. 18. *ad illam peccatores, perducet ad indulgentia portum.*

Cur sacrū caput Virginis stellis coronatum, non sole.

Joannes in sua sacra Apocalypsi cap. 12. vidit mulierem, tanquam sacrum prodigium, amictam sole, & stellæ duodecim super caput ejus. An non miraris Lector sacrum caput coronatum stellis, & non sole? an non sole, Principe Planetarum, Regius vertex erat coronandus? quid æquius, & convenientius quàm ut nobilissima pars nobilissimo splendore decoretur? Coronetur ergo sole, quæ solem justitiæ peperit: vestis disseminetur stellis, velut Judicis lapillis: attamen placuit tanto Apostolo, stellis velut diademate coronari Virginem, in humani generis solatium.

Stella symbola misericordia.

Symbola sunt commiserationis stellæ. An non stellæ, roris benefici fluido nectare, totum terræ apparatum opulentant? an non arcana imbriferi succi virtute, herbas, terræ fœtum, arborésque fœcundant? an non suis influentiis, & roscido latice gemmas maritimas progenerant? Incubat terræ pietas cæli, & eam siderum nocturnorum fœcundo ditat aspectu. Stellas ergo colebat Antiquitas ut Deos; unde & ipsi Magi Adoratores Christi stellâ duce, quasi Deo comite ad verum Deum deducti: æstimabant enim roscidos, qui cælo labuntur, latices esse lachrymas stellarum, quas illarum pietas in mortalium terras sole spoliatas, effundebat. Deorum autem cùm sit proprium, cunctis prodesse; ideo Gentilitas stellas ut Deos colebat, quòd suis solatiis terram temperarent, irrorarent, & misericordię sinus excuterent, largiter secretos fontes irrigando. Coronatur ergo Virgo stellis, ut nobis sit symbolum veræ misericordię. Sicut terram coronant stellæ roris sui divitiis; sic Virgo rore suæ misericordiæ, & pietatis suæ blandis affectibus. Pulchrè ergo coronatur Virgo stellis; quia corona ejus tota structa est ex compassione, quam stellæ designant. Illa nostras mentes, gemitibus nostris vocata, fœcundat. Illa, absente Sole justitię, cælo demittit imbres lachrymarum, quibus Filium infestum nobis conciliemus. Dicitur verò amicta mulier Sole; ut mundities perfectissimi decoris designetur: quid enim Sole lucidius mundiusque? quid hâc Virgine amictâ Sole purius mundiusque? Fons lucis sol: fons puritatis & lucis Virgo. Sol sine maculâ: & Virgo sine maculâ. Sol totus quantus, lucidior formosiorque est omni claritate: & Virgo lucidior formosiorque omni claritate, & ideò amicta Sole, quasi obtegens Solem, suo Sole, clarior: ipso Sole, qui Virgini instar amictus, vel Regii esset paludamenti. Caput ergo Virginis stellis coronatum, plenum est rore misericordiæ, ita ut à capite, velut ab arce misericordiæ, omnes fontes ex oculis, ex auribus, & labiis, ex ore & linguâ fluant gratiæ miserationum.

Qualis facies Virginis.

Ostende ergo nobis, ô Virgo, faciem tuam, Canticor. 1. *Sonet vox tua in auribus nostris; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Oculi tui sicut columbæ super rivulos

rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima. Genæ tuæ sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia distillantia myrrham primam: sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce: & quam dulce eloquium, favus distillans labia tua: mel enim & lac sub lingua tua. Liquefit ergo anima, & vitalibus radiis misericordiæ illustratur, ut Virgo loquitur: affatibus mulcet: ut vox insonat auribus, mens exultat & oculis misericordibus spargit, & suas ejaculatur amores. Optimè ergo in Virginem quadrat illud Psalm. 64. *Qui coronat te in misericordiâ & miserationibus*, duplici sensu. Primus esto, quod Deus Virginem, supremum operum suorum molimen, coronat ex magna misericordia & liberalitate. Libera quippè erat Deo, Virginis electio, quam & Virgo agnoscit, dum ait: Lucæ 1. *Fecit mihi magna qui potens est.* Gratuita ergo misericordia coronatur, & nullis meritis præcedentibus. Virgo itaque tota quanta est, vocari potest corona & diadema Divinæ misericordiæ. Alius sensus: quod illam coronet misericordia, ita ut corona non floribus vel auro, constet, sed sit fabricata ex pura misericordia. Quo pacto diceremus statuam ex purissimo auro fusam factamque, & eam vocaremus statuam auream. Sic Virgo coronata est misericordiâ, ut pura puraque sit misericordia, & cùm illa videatur ipsa misericordia. Prima corona profilit ex Dei misericordia: Altera, ex misericordia Virgini innatâ, quâ summo affectu fertur in genus humanum. Causa ergo coronæ est Dei misericordia: materia verò coronæ unde illa facta est, est compassio & commiseratio nostri: quare & fons, & oceanus, & Mater misericordiæ vocatur, ut omnibus miseriis possit opitulari.

SS. Virgo corona & diadema misericordiæ divinæ.

Quid stellæ in Virginis vertice & cur sol amictus.

Bene Divinè Sanctus Joannes voluit Virginem coronatam stellis, & amictam sole. An non ideò, quia sicut Solis radiis incalescimus, & terra stellarum influentiis irrigatur in amœnos proventus, ut doceat id utrumque beneficium à Virgine præstari? Frigentes A enim accessu Virginis incalescimus: quis enim se abscondet à calore ejus? aridi verò sterilesque irrigamur, dum misericordibus oculis, oculos nostros in lachrymas soluit. Laudatur à Cuspiniano Adrianus Imperator, qui benignissimus erga calamitosos dicere solitus: *Quemadmodum Sol qui quodquid suo splendore illustrat, nonnihil & ei caloris impartitur: sic Principem debere eos misericordiâ suâ dignari quos contuetur.*

Quem Virgo Princeps, Sol misericordiæ, & Sol amoris præteribit? fontes potiùs sitient, quàm Virgo obliviscetur misereri, & benefacere. Idem Adrianus: Neminem vidit pauperem modò B innocentem, quem non ditaret. Sic Sabell. libro quarto Enne. 7. At Virgo & nocentes, & desperantes despicatissimos, igniculis sui desiderii ad se vocat, ut tanquam Mater omnium beneficiis complectatur. Hoc præclarè docet sancta Brigitta Sueca, quæ vixit circa annum 1373. ut narrat Magnus Blosius in Monili, ex libro revelationum eiusdem. Subjiciam, inquam, revelationem à Deiparâ factam, quæ magna futura est solatio peccatori. Quantumcumque (inquit Deipara ad illam) homo peccet, si toto corde, cum vera emendatione, C & charitate ad me confugerit, statim sum parata recipere venientem. Nec attendo quantum quis peccârit, sed quali intentione, & voluntate ad me redit: nam peccator, quantumvis sit vilis, & sordidus, non dedignor ejus plagas tangere, ungere, & sanare: quia vocor, & verè sum Mater misericordiæ. Quod ipsum priùs sanctæ Gertrudi, quæ vixit ultra 300. revelatum fuit. Illud autem omittere non licet, quod peccatori futura est portus solatii. Inter cetera vidit aliquando accurrere sub chlamydem Deiparæ bestiolas diversi generis, quibus significabantur varii peccatores specialiter ei devoti. Has omnes Mater misericor- D diæ benignè suscipiens, & quasi pallio suo protegens, declinatâ manu suâ, singulas contrectabat, deliniebat, ac ipsis blandiebatur, sicut quis solet blandiri catulo suo; quâ te insinuabat, quomodo etiam peccatores amicè suscipit, donec eos reconciliet Filio suo.

Principis est ditare pauperes & calefacere.

Sub paludamento, & pallio latent peccatores.

§. II.

Quod SS. Mater sit misericordia mater, ex SS. Patrum eximiis Encomiis, & historiis probatur.

QUemadmodum Deus Pater vocatur Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: sic & sanctissima Virgo Mater misericordiæ, & totius consolationis. Et quemadmodum Zacharias nato sibi filio ex misericordia; exclamavit Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus nos visitavit oriens ex alto*; sic totus orbis per summa gaudia & voluptates exclamat: Per viscera Matris Dei visitavit nos oriens, id est, filius Dei, ex alto. Et quemadmodum David Psalmo 58. vers. 18. Deum alloquens, dicit: *Deus meus, misericordia mea.* Quasi ex misericordia sit Deus totus conflatus; sic & nos dum Virgini loquimur, dicimus: Mater nostra, misericordia nostra; quasi tanta quanta sit, tota sit misericordia. Et hinc Ecclesia vocat ejus oculos, oculos misericordiæ; quasi nihil aliud spiret, nisi misericordissimi cordis amores, quibus homines per blandissima illicia, dulcesque impulsus ad Filii sui trahat suavissimam amicitiam. Misericordia magis elucescit, & se spectabilem facit in summâ rerum desperatione omnibus deploratis consiliis, quando nec gratiæ, nec misericordiæ locus expectari potest. Quid miserius & deploratius statu peccatoris, qui se totum transtulit in regnum & dominium sævissimi tyranni? hos tamen ut degeneres filios, & sanguine Filii sui madentes non aversatur, ne pereant; suscipit illos, non solùm ut Mater; sed ut refugium peccatorum. Quare Andreas Cretensis in oratione de dormitione Virginis vocat Virginem conciliationis perfugium. Et Ephrem de laudibus Virginis, portum naufragantium auxilio destitutorum, unicam advocatam, peccatorum hospitium ac refugium in Hierosolymis ad quod confugere possunt omnes peccatores: alludens ad Civitates refugii Num. 35. Et Bernardus de aquæ ductu vocat peccatorum scalam, illam scilicet candidam ostensam fratri Leoni, in cujus culmine erat Beata Virgo, quæ omnes Religiosos invitabat, ut suâ scalâ utentes ad se conscenderent, per quam facillimè ascendebatur; præsertim cùm ex altera scala rubicunda à terra in cælum protensa, cui Christus innitebatur, in ipso ascensu præcipites devoluerentur: spectante & indolente suorum casum & ruinam Seraphico Francisco, & hortante ut ad alteram scalam contenderent; ut habetur in Chron. Ordin. Sancti Francisci propos. 1. libr. 2. cap. 25. Antoninus 4. proposit titul. 15. cap. 15. §. 2. appellat Aduocatam contra Diabolum in causa desperatissima: Laurentius Justinianus sermone de Annuntiatione, dæmonum fugam, spem peccatorum. Haligerius in Cantic. 4. vocat eam turrim David, quæ ædificata est cum propugnaculis; ut peccatoribus esset refugium. Sancta verò Brigida lib. 6. cap. 10. inducit Virginem gloriantem: Ego sum, inquit, aditus peccatorum ad Deum. Quàm pulchrè hîc Germanus de Zonâ Virginis, in persona Virginis applicat hanc partem Psalmi 86. Virgini Beatæ: *Fundamenta ejus in montibus sanctis; memor ero Raab, & Babylonis scientium me.* Quis ignorat Raab prostitutionis imaginem, & meretricem publicam? An non figura peccatorum? ut notat Cyrillus Catechesi 2. Et Nicenus homil. 2. in Cantica. *Et Babylonis.* Quid Babylon nisi confusionem, & peccatores pariter designat? Attamen Virgo & illis desperatis & perditis peccatoribus sese non subtrahit: *Memor ero*, inquit, *Raab & Babylonis scientium me*; quia multi peccatores vacui Dei scientiâ; Mariam tamen non ignorantes, sentient in mentibus suis scintillam & igniculum amoris in Virginem: & ideò memor ero Raab & Babylonis scientium me; etsi ignorent & projiciant Filium meum: hoc tamen quod me sciunt, Matris affectum sentient. Pulchrè ejus rei, revelatio sanctæ Gertrudi manifestata capite quarto. Visæ sub pallio Virginis diversi generis bestiolæ, fœdæ, venenosæ, horridi aspectus, quæ denotabant peccatores ad Virginem devotionem habentes, quos omnes Mater misericordiæ benignè suscipiebat, quasi sub pallio suo protegens, delicatâ manu singulos contrectans. Quare etiam in iisdem revelationibus, ipsa se appellat Matrem peccatorum, sese emendare volentium. In revelationibus autem sanctæ Catharinæ Senensis in morali spirituali sic habetur: Quicumque peccator devotâ veneratione ad Mariam recurrit, nullo modo diripitur à Dæmone; imò quasi Mater plena misericordiæ, filios præcipites in exitium ad pœnitentiam invitat; imò piscatur intensè, juxta illud Psalmi 140. *Cadant in retiaculum ejus peccatores.* Et ideò ibidem à Christo subditur: Maria à me posita est tanquã esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum. Et quemadmodum Luna, ut notat Plinius libro secundo histor. natur. capite nono, sidus est tenebrarum remedium à naturâ repertum. An non Virgo illluminat sedentes in tenebris, & in umbra mortis? An non ideò creavit illam Deus, ut illa sit quasi Sol minor? sicut Aristoteles libr. 4. de

grat.

Virgo SS. tota misericordia.

Quomodo Virgo sit memor Raab & Babylonis.

Peccatores sub pallio Virginis.

Virgo esca peccatorũ.

Virgo SS. sol minor vocatur.

grat. animalium; Lunam vocat solem minorem. Luna ergo verè Maria peccatoribus lucet, ut jacentes in morte culpæ, respiciant Lunam, & deprecentur Mariam. Unde & stella vocatur Polaris; quia jactatos tempestatibus dirigit. Quemadmodum ferrum tactum Magnete ad stellam Polarem convertitur, illamque respicit: ita peccatores ferro duriores tacti gratiâ Divinâ, ad Mariam statim convertuntur, ne naufragi pereant. Pulchrè hoc Bernardinus Senensis tom. 3. cap. 13. de glorioso nomine Mariæ: *Non inconvenienter*, inquit, *situs stella maris cùm sit in Aquilone, convenit Mariæ; solet enim per Aquilonem peccatum significari, juxta Hieremiam 1. Ab Aquilone pandetur omne malum*; & ideò locus Aquilonaris ei appropriatur. Et paulò pòst ex Hallensi, *Mariam juxta crucem stetisse ad partem Aquilonarem*; eò quòd ipsa media inter peccatores & Filiũ statuatur, ut ex una parte iram ejus mitiget, ex alia parte peccatum exterminet. Et quare putamus eam juxta crucem à dextris stetisse, mediam scilicet inter Christum & latronem; an non ut innotesceret mirabilis ejusdem ad Christum conversio, eamque Virginis viciniâ & umbræ contactu evenisse? Umbra enim Virginis tunc temporis ante eclipsim Solis in latronem fuit protensa; ut hoc pacto innotesceret Orbi, conversionem latronis, Matris mediatricis interventu contigisse. An non Lazarus Marthæ & Magdalenæ frater peccatoris inveterati & perditi figura? Planè; cujus meritis & precibus Lazarus ad vitam à Christo revocatus? Quis Christi Domini cor sic vulneravit, ut triduanum mortuum, & jam vermium pabulum tantâ pompâ & potentiâ redonaret? An non Magdalena, cujus lachrymæ omnia potuêre? quam ut plorantẽ vidit, spiritu infremuit Joan. 11. reveritus in servâ nomen suæ Matris. Quod acutè Chrysologus annotavit serm. 64. *Martha*, inquit, *mittitur ad Mariam; quia sine Maria nec fugere mors, nec vita poterat reparari.* Veniat Maria; veniat Materni nominis vocula, quatenus prodeant ab inferis mortui; mortui exeant de sepulchris. Ecce ut ad umbram nominis Mariæ mortui resurgunt. Aptè Epiphanius orat. de laudibus Mariæ, dicit idem significari hoc nomine Maria, quod illustrata, eò quod cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminârit. Nec est quod miteris; cùm in revelationibus Sanctæ Brigittæ ipsa Virgo hoc ipsum testetur, dum ait libro sexto, capite decimo: *Nullus adeò maledictus qui careat misericordiâ meâ, qui propter me levius tentatur à Dæmone, quàm aliter tentaretur.* Unde & Andreas Cretensis Oratione de dormitione Virginis vocat illam, commune totius mundi propitiatorium. Quare & Bernardinus sermone quartò de Assumptione; latitudinem misericordiæ ejus replere orbem terrarum, ut ejus quoque misericordiâ plena sit terra; similis Deo Patri, qui patitur oriri Solem super bonos & malos. Unde & Bonaventura in speculo capite quarto. *Quis est super terram, cui Sol non luceat? quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat?* Et sermone quarto de Assumptione: Dum adhuc viveret, constat eam pro universo humano genere fuisse solicitam. An in cælo felicissima? an verò suâ felicitate facta esset crudelior? Cum Alberto ergo vocemus eam Matrem omnium peccatorum. An non miraberis, ubi intellexeris nulli nisi per Mariam accessum ad Filium dari? Audiamus loquentes Ecclesiæ Principes; & in primis Orbis Doctorem Augustinum sermone undecimo de Nativitate Christi, ubi appellat eam scalam cæli, quia per ipsam Deus descendit in terram, & per ipsam homines merentur ad cælos ascendere. Sanctus Ephrem sermo. de laudibus Virginis, appellat eam clavem Regni Cælorum. Et Ildephonsus sermo. 4. de Assumptione, vocat introitum vitę. Damascenus Orat. 2. de dormitione, vocat portum vitæ. Augustinus serm. 58. de sanctissimâ Virgine: *In te Beatissima est expectatio præmiorum.* Chrysostomus sermon. 146. *Semper Maria humanæ prævia est salutis.* Et Bernardus serm. 4. de Assumptione: *Hæc est quæ salutem omnium impetravit.* Et infrà: *Per te cælum impletum est; & infernus evacuatus; instaurata ruina cælestis Ierusalem.* Idem assimilat eam Arcæ Noë, quia per illam facta est generis humani salvatio. Et sanctus Franciscus apud Divum Bonaventurã in ejus vitâ cap. 9. vocat eam Matrem omnium Beatorum, quia scilicet ipsa Beatos cælo parit. Verùm ne videamur veritatis fines excessisse, cùm hanc tantam gloriam adstruimus Virgini; Pie Lector attende: Nunquid de fide est, donum perseverantiæ non cadere sub meritum? De fide est: donum donorum proinde est, & laborum omnium coronidem vocari volo. Quid profuerit per multa certamina, & desudatas luctas vitam transegisse, si exhaustus labor concidat in extremo? Quid profuerit anhelanti corpore stadium propè decurrisse, si ad metam illisus intereas? In hoc omnis metus, & pavidus Sanctorum tremor, ne sub extrema corruant trepidantes. Opus in ambiguo rerum cardine, novis securisque subsidiis, quo palma teneatur. Horribile momentum, à quo pendet æternitas. Meritò ergo Virgo janua cæli vocatur, quia Virginis precibus donum perseverantiæ conceditur impetratum. An non protomartyr Stephanus, etsi plenus fide, gratiâ, & Spiritu sancto; debet Virgini Diadema suæ salutis? an non Virgo, ut habet traditio; & Jerosolymis lapis ostenditur, in quo genua flexit, filium deprecatura pro Stephano, cùm caput lapidibus quateretur, palmam impetravit? Sic Brochardus. Adricom. In terræ sanctę descriptione; quibus assentiunt Corne-

Vocatur & stella polaris & quare.

Latro in cruce beneficio Virginis conversus.

Lazarus & SS. Virginis beneficio suscitatur.

In cælo beata curat res nostras accuratius.

Virgo SS. scala cæli.

Perseverantia donum à SS. Virgine obtinetur.

S. Stephanum Virgo impetrant.

Cornelius à Lapide in 7. caput Actor. A & Lorinus ibidem. Si tanto viro preces Virgineæ salutem peperêre; an non nobis pusillis impensiùs exorandæ? Vidit cælos apertos. Et quis aperuit? nisi illa, quam Sancta Brigitta in sermone Angelico capite nono vocat confortatricem Martyrum? Et Sanctus Bonaventura vocat Agonizatricem pugnantium. Hanc arrham promittit illa suis cultoribus, futuris sanctis. An non meritò vocatur Regina, & corona Sanctorum omnium, quorum labores ipsa Materno vultu spectavit? Quis audeat de bonitate Virginis diffidere, cujus auspiciis & pugnamus, & vincimus? Unde pulchrè Richardus de Sancto Victore capite vigesimosexto in Cantica loquens de Virgine: *Omnium salutem*, inquit, (salvandorum scilicet) *desideravit, quæsivit, & obtinuit.* Finem faciamus ingenti totius Orbis solatio: majoris efficaciæ & valoris apud Deum preces Virginis esse, quàm omnium Sanctorum; ac proindè fingamus Deum ex una parte rogari ab omnibus Sanctis simul, & ex alia parte à sola Virgine; magnitudine dignitatis preces Virginis potiores futuras. Sic Suarez tomo secundo in tertiam partem disputat. 23. sectione secunda. Hac de causa dixit Petrus Damianus sermone 1. de Nativitate Virginis: *Illa* inquit, *ascendit ad aureum, illud reconciliationis humanæ altare, non solum rogans; sed etiam imperans: Domina, non ancilla.* Quid mirum, si Gregorius Nicomediensis Orat. de oblatione Deiparæ: *Decuit eam*, inquit, *habere vires insuperabiles; & nihil ejus resistere potentia*, & misericordiæ & ideò dicit Gerson tractatu quarto supra Magnificat; *solam Virginem constituere Hierarchiam.* Finio cum Sancto Ephrem Orat. de lamentatione Virginis, qui vocat Virginem Christianorum spem vnicam; ac proinde dedico Virgini lilium, quod olim Romani, Antonino pio Imperatori, cum inscriptione: *Virgo spes publica.* Cui addo, & fons misericordiæ.

§. III.

Quare Deus voluit Matrem suam esse Matrem misericordiæ. Lumen indeficiens. Causa cur mater misericordiæ sit, causa cur antistes vitæ. An non ut esset mater simillima filio? in titulis honorum, & supremæ causæ in supremis effectibus.

B Filius est sapientia genita & increata; sic Mater est sapientia genita & creata, ipsum gignens & incarnans: Filius primogenitus omnis creaturę; sic Mater primogenita, quia ante omnes creaturas prædestinata. Christus prædestinatorū primus; sic & ipsa. Filius, lucis primæ filius fecit, ut oriretur lumen per Solem in cælo indeficiens, qui sicut est causa rerum, & lucis oculus, anima, & vita mundi; sic ipse omnibus lucem, omnibus radios suę bonitatis impertit; ne quis in tenebris ambulet, quia ipse est lux mundi, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quam lucem peccatores despiciunt, ne cogantur bonitatem Divinam agnoscere. Quid ergo molita Divina C bonitas, contempta despectaque; ne miseri volentes perire in tenebris exitii perirent? Creavit illis lucem æternæ lucis filium lumen indeficiens aliud, Virginem scilicet per omnia quasi similem sibi. Sicut ergo filius gloriatur, quod ipse fecerit oriri lumen indeficiens: sic & ipsa, quasi diceret: Longè majus & formosius, longè constantius, quam Solis, meum lumen est, quod nullam patitur Eclipsim nullis nubibus obducitur, nullis densatis nebulis eripitur, nullum patitur sui diminutionem vel decrementa; hoc enim lumen in plenitudine Sanctorum, in plenitudine claritatis; ut nemo possit, nisi impius & seipsum exoculans, dispersæ lucis hujus fulgores evadere. Luna per alternantes vices, D & damna, suos mundos illuminat; Virginis lux statione fixâ permanet solidata. Hanc soliditatem bene explicat Lectio Tigurina, ubi vertit pro *lumen indeficiens, lumen indefessum*: quod Virgo communicet suum lumen, suas opes pessimis, ingratis desperatisque, cujus tanta sint bonitatis & misericordiæ viscera, ut fatigari expugnarique nullâ malitiâ vel ingratitudine possit. Ipsa ergo fecit, ut oriretur in cælis lumen indeficiens, ne mundus intereat, cùm Deus peccatis nostris irritatus, lumen suæ gratiæ subtrahit peccatoribus. Nam, ut dicit Damascenus oratione de Nativitate: Virginem alloquens. Vitam præstantiorem habebis non tibi, ipsi; nec enim tui ipsius causa progenita est. An non

Virgo sol nullam patitur Eclipsim.

An non supremum rationum, caput ut totus A orbis gauderet misericordiæ matre, qui gaudens regebatur imperio & misericordię Patre, prægnum infinitæ sapientiæ opus, & inventio, ut duobus quasi humeris misericordiæ sic portaretur infirma mortalitas, ne pondere miseriarum incurvata, miseriis succumberet. Dixit ergo Deus se Patrem misericordiarum; dixit & matrem suam, matrem misericordiarum, ut communis misericordiæ dulcedo nos traheret in amorem utriusque. Deinde ut posset nos infimæ speciei creaturas sibi summo Deo quantū fieri posset æquare, summâ & inauditâ gratiâ suam nobilissimam matrem nobis consignavit, & per eam nos in societatem suam adoptavit. Exclamo: Quanta hominis provectio, ut illi sit unus idemque pater & mater qui Filio Dei ab æterno & in tempore genito essent pater & mater; uterque infinitę misericordiæ fontes vel ipsissima misericordia. Proscriptis ergo proditoris Patris Adami & immisericordis, filiis datus est Deus qui esset misericordiarum benignissimus Pater. Et ad vicem Evæ matris prostitutæ in novercalis odii profligationem substituta est nova mater, mater scilicet totius fons misericordiæ. Nunc rationem demus aliam, cur Matrem vocemus misericordiæ, quam Deus voluit misericordiæ Matrem? Unumquodque ens operatur secundùm suam formam & qualitatem, nisi impediatur aliundè. Sol Pater omnium elementorum secundùm elevatam essentiæ suæ formam producit varia elementorum spectacula, aurum, argentum variasque Oceani divitias. Sic ignis ubicumque potest, introducit formæ suæ qualitates, imò & formam suam, dum omnia sibi assimilat. Sic spiritus operatur pro dignitate suę formæ, & seipsum introducit: ardentes amores Seraphini, Cherubini claram rerum intelligentiam: sic Virgo cùm creata sit ad perficiendum, & introducendum opus infinitæ misericordiæ; debuit illa quasi tota ex misericordiâ esse conflata, ut simile simili sibi producat, fontis instar qui primâ scaturigine ortuque suo dulcissimus, non potest non similes sibi aquas profluentes undulatim parturire. Cùm ergo ad hoc creata sit à Deo, ut produceret Filio suo Filios consimiles, qui futurus erat Princeps pacis, Pater futuri sæculi, & Pater misericordiarum: non potest non vocari Mater misericordiæ, nisi naturam sublimissimæ creaturæ transmutatam velimus. Hinc Deum hominem factum vocamus: *Deus meus misericordia mea*; multò magis Matrem: Mater misericordia nostra; quia per illam Deus factus frater noster, sese misericordiâ vestivit: attamen homo Deus; & Deus, etsi sit misericors, accepit tamen & à Patre potestatem judiciorum: undè & Deus ultionis, & vindictæ vocari debet. Deinde an non hac de causa

Quare vocatur mater misericordiæ B. Virgo.

Unumquodque operatur secundum suam formam.

A voluit matrem suam esse & vocari matrem misericordiæ, ut clauso sinu misericordiæ divinæ, ne paternâ ultione ferirentur mortales, superesset sinus maternæ misericordiæ, ad quem jam jam perituris esset perfugium? Misericordiam ergo Matris dedit Deus in portum naufragis & asylum desperatis, reisque. Quæ enim spes poterat esse peccatoribus reliqua, si mater in irati Dei, materno seposito affectu, transiret affectus? An non undique circumstaret mortis pavor, æterni exitii certa resseta, & salutis æternæ comploratio? Providit ergo Deus iratus, in temperamentum iræ suæ matrem misericordiæ, ut medici ingravescentes morbos, gubernator, B tempestates judex pœnas solent providere: an non ut à Matre posset per lacrymas institui provocatio in scelerum rescissionem ad Filium?

Mater ergo Dei, misericordiæ regnum accepit; & ideò in omnes exercet misericordiæ suæ jura dominationemque, multis titulis iisque gloriosissimis freta:

Primò: quia primogenita omnium creaturarum, quia Mater Dei; unde & nobis Mater spiritualis omnium per gratiam, in pensionem & titulum Maternitatis Dei data est. Deinde quia soror nostra est; quare jure nativitatis humanæ, non potest non misereri: C Jus enim primogenituræ poscit & exigit tanquam tributum; imò & lex naturę præscribit, ut primogeniti alant, educent, tueantur suos minores, & vicem Patris obeant, quasi ceteri fratrum forent in patria potestate. Placet quod Ecclesiastici 24. habetur: *In omni populo, & in omni gente primatum tenui.* Cùm igitur sint quædam dignitates, ut ait Hugo Cardinalis super hunc locū, quæ Hispanicè vocantur dignitates primatiæ, ad quas appellatio datur inferioribus; ita Deus super omnes creaturas Mariæ contulit hoc privilegium primatus, ut in periculo condemnationis, afflictionis, &c. sit nobis appellatio à Divinæ Justitiæ tribunali, ad tribunal Mariæ, possitque tanquam Mater Regis coronati, tanquam Mater nostrarum D animarum, tanquam soror nostra, & Regis summi & Judicis Mater jam facta, & tanquā primatum tenens, sententiam Dei Judicis mutare. Et ita inducit Hugo Cardinalis nostram sororem & Matrem pro suo jure loquentem: Inter omnes sanctos & Angelos principatum tenui, ut sicut ad primatum recurritur pro omni gravamine, & afflictione; ita ad me recurrant omnes homines. Ingens sanè motivum, & pignus fiduciæ nobis datum; & Virgini ingens titulus beneficentiæ; qui tantò major est, quò summum omnium summorum est, esse Matrem Dei, & nobis esse Matrem spiritualem; cùm ideò in vitam prodierit, ut Orbis universi saluti administram se præberet, cui totus orbis in pensionem, imò & hæreditatem cessit tanquam veræ Matri Dei. Quare & Virgo humil-

Misericordiæ Mater, quia primogenita, quia soror.

Ius appellationis datum matri à tribunali Dei judicis.

S. Virgo prius fuit mater nostra spiritualis quàm Dei.

humillima gloriatur, dum ait: *Et in hæreditate Domini morabor*. Ecclesiastic. 24. Cùm ergo ab æterno fuerit prædestinata Mater Dei, priùs tamen actu fuit Mater nostra spiritualis; cùm enim nondum nata esset, imò in ipso puncto Conceptionis; cùm se totam Divinæ Majestati sacrificavit immolavitque, omnes creaturas in dotem accepit, ut jam esset ex eo Mater nostra spiritualis. Unde & Canticorum 6. dicitur: *Soror nostra parvula est, & ubera non habet*. Unde & illa agnoscens se sororem nostram, respondet: Cantic. 8. vers. 10. *Ego murus, & ubera mea turris*. Quasi diceret: Ego quidem nondum Dei Mater sum, habeo tamen ubera charitatis, plena lacte misericordiæ, ut sustentem jam animas, facta Mater spiritualis animarum, ex eo quo spiritum accepi. Unde bene Guilielmus Abbas 6. Cantic. *Prius habuit ubera mentis, quæ sunt ubera charitatis quàm habuit ubera cordis, ut lactaret*. Pulchrè quidem; at illa pulchrius de se loquens, cum respondet sodalibus mirantibus, eam parvulam, & nondum Matrem Dei: *Soror nostra parvula est*. Cantic. 6. *quid faciemus ei?* & illa respondet: *Ego murus, & ubera sicut turris*: quasi diceret: Etsi sim parvula, nec per ætatem Mater esse possim, nec ubera contingat adhuc habere; habeo tamen ubera in anima plena lacte misericordiæ, quæ præbeo meis amatoribus, imò & peccatoribus; quia à vitæ primo momento facta sum omnium Mater spiritualis. Et ideò bene Damascenus Orat. 1. de Nativitate, vocat illam vitæ Antistitem, quasi jurisdictionem in omnes animas obtineat exerceatque; quod beneficium à Deo accepit in Dei prædestinatione; cujus beneficii pensionem aliter soluit, quàm Pensionatii ordinarii, qui in angusto fructuum usu difficulter & tardè pensionem soluunt; at illa festinatos favores impertit in omne genus humanum, non in angusto, quando ad cælum ad æternitatis triumphos est sublata; nec eos favores distulit in diem Incarnationis, quando Dei Mater declarata est; sed in utero Matris existens potita jam privilegio Matris spiritualis ante: omnem æternitatem concesso; & ideò cùm dicit: *Ego murus, & ubera mea sunt turris*; quid aliud voluit, quàm se, ut muri Regum palatia, & civitates tegunt, protegunt, muniunt, & veluti turres sunt murorum propugnacula; ita & Virgo cùm nondum ubera haberet; habere se tamen ubera pietatis, propugnationis & tutaminis adversus hostes suorum, & lac pietatis indulgere iis, qui sitiunt ipsius amores? Cùm ergo sit Mater misericordiæ; quippè quæ misericordiam & Charitatem tanquam nutrix habuerit, & ad pectus misericordiæ, & Charitatis sit creata; & cum lacte amorem tenerrimum animarum, & commiserationis supremum affectum suxerit; necesse est nos per illius misericordiam saluari. Et sanè Deus non vult,

Quomodo sit murus S. Virgo.

A nisi per illam genus humanum servari. Sufficit quidem fuisse Filii sui sanguine redemptum, qui lytrum salutis persoluit, omnesque gratias impetravit tanquam Salvator: per Matrem tamen suam, omnes thesauros tanquam per manus Dominæ vult dispensari. An non in thesauris sapientiæ Divinæ poterant mille modi inveniri, quibus Deus uti poterat ad generis humani salutem? Poterant sanè mille viæ; at non placuit Deo: nec visum instrumentum commodius, quàm per Virginis condendæ electionem. Placuit Deo, per Virginem Mariam ex cælo descendendo in orbem venire; alioquin non venturus: sic nec placitum Deo, nisi per Matrem, hominem salvandum; Matrem scilicet misericordiæ. Videtur itaque Divinæ sapientiæ nec iter commodius, nec viam gloriosiorem securioremque potuisse eligere, quàm per Virginem. Fuit enim hoc iter, & via Regia, & secura, & plana, per quam ingressus fuit Rex cæli & terræ, omnium Monarcha; ut tantum iter, quantum est cæli in terram, conficeret; cùm omnes vias & omnia itinera infinitæ suæ sapientiæ nosceret. Quis ergo qui cælum desiderat, non deliget hoc iter Regium & securum, per quod Sapientia Divina velut triumphabundus, scilicet Deus Filius ambulavit, juxta Psalmum 18. *Exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio ejus ad imam terram?* Voluit ergo in tantum Filius suę Matri gratificari; ut quod illi Deus Pater ex Justitia dederat, ut esset Via, Veritas, & Vita, hoc ipsum transferret in suam Matrem, ut esset via, veritas, & vita; ita ut necesse sit per Jesum ex condigno & Justitia, & per Mariam ex gratia saluari. Unde nec aliis itineribus ad cælum perviniti, nisi per illos possit. Hanc donationem designat Ecclesiasticus capite 24. *In me omnis spes viæ & virtutis*; Quia primogenita omnium creaturarum, quia Christi Mater, quia Mater nostra spiritualis, quia Mater misericordiæ; quæ cùm omnia possit, lætatur se rogari; ut dare possit: quæ & non rogata, prodigâ manu diffundit opes; lætior petitionibus, quàm donis suis: lætatur dum dispergit Filii sui opes, nostrorum gemituum precumque concentu commota: & econtrà indignatur si quis abjectâ fiduciâ se prætereat. Hoc præclarè docet Divus Bonaventura in speculo in illa verba; *Qui operantur in me, non peccabunt: Non solum*, inquit, *in illam peccant, qui irrogant injuriam factis aut verbis; sed etiam qui non rogant*. Quasi diceret; Indignatur Virgo diffidentibus suæ pietati; cùm fontes largissimos aperiat, ut quisque hauriat inexhaustos; cùm porrigit dextram laborantibus ne pereant: putat enim nostram ruinam sui Imperii detrimentum; nostram cladem

Deus in suo Consilio habuit Virginem in oculis ad homines servandos.

Ex misericordiæ pelago, liberalitas summa nascitur.

suam

B C D

sua vulnera, & exitium nostrum suorum filiorum interitum. Et sanè non levem injuriam committit is, qui ingenti pressus necessitate, oblata non suscipit auxilia, mavultque sine remedio petire, quàm ad ejus liberalitatem recurrere.

Diximus hanc donationem factam à Filio ex pietate; quam Deus Pater dederat Filio ex Justitia: attamen si res benè libretur, ex Justitia, & ex Justitiæ virtute Mater nostra est spiritualis, & primogenitura ex Justitia illi debetur ut Matri Dei; cum Filius & Mater unum sint. Contra Justitiam ergo peccant, qui sese ejus signis subtrahunt, præsidiis ejusque auxiliis non imploratis obnituntur, quæ ut Domina & Regina largissimè destinaret. Ultrò illa accedit ad Filium, non ut rogans; sed ut imperans, cùm sit Domina & Regina finesque Imperii sui vult conservatos, quos limitat, minuit, qui illam non recognoscit. Preces ergo nostræ præbent occasionem tantæ Dominę & Reginæ Matri, Filio suo imperanti: præbent materiam gloriæ suæ amplificandę, dum exercet actus Jurisdictionis. An non contra Justitiam peccârit, qui illos infregerit? An non tantò gravius læditur, quantò Jurisdictioni detrahitur debitâ potestatis mensurâ? Vis ergo non inferri injuriam; redde te Dominæ, supplica ut Dominæ, effunde lachrymas ante pedes Dominæ, offer desideria; neminem aversatur, nemo ab illa tristis recedit. Quemadmodum aurora, Solis prænuntia est; nec ille nascitur, nisi illa præcucurrerit: sic Matris preces præcedunt Filii sui veri Solis beneficia, gratięque, quibus animas nostras exornat. Quam pulchrè Euangelista Matthæus 1. capite hoc ipsum designat, dum ait: *De quâ natus est Iesus.* Non nascitur Jesus nisi per Mariam, nec aliâ viâ in mundum decrevit venire nisi per Mariam. An non ideò Nativitas Mariæ tot sæculis expectata; ut per Mariam nobis nasceretur? Ita Filius Dei differt in animas nostras Adventum suum; differt dona & beneficia nobis præparata, donec Matre mediante donentur. Pulchrè Sanctius Zeno serm. de patientiâ; loquitur de Sole nostro visibili, qui tantâ observantiâ colit auroram, quamvis summâ pernicitate ad cursum suum peragendum concitetur; mittit tamen quasi habenas volucri suo curtui; ne dilectam auroram impetu prætervolet; sed sui adventus ancillatricem sociam præmittit, spatiumque ex reverentia donat, donec mortales omnes ad Solis adventum excitârit. Audiamus virum: Sol denique quamvis mirâ alacritate alternas mundi metas illustret, tamen nunquã dilectam verecundamque aurorã ante vertit. Sic Filius Dei quamvis æternis desideriis in hominum salutem flagraverit arseritque, ardores tamen infinitos, quibus ad currendam viam gigantis instar incitabatur, tot sæculis pressit, ne dilectam suam Matrem, quam voluit esse auroram misericordiæ, prænuntiam misericordiæ suæ præveniret: nec nasci homo voluit, quamvis id ardentissimè vellet; nisi Virgo priùs nasceretur, ex quâ Jesus Salvator mundi natus est. Quanta ergo dignitas hujus Virginis, magnitudo quanta, ad cujus pulchritudinem atque Majestatem Deus ipse, Sol Dei Patris ante sæcula prędestinatus homo, continuit suos radios, donec aurora beatissima tot sæculis expectata, lucem suæ misericordiæ mundo præmitteret. Advolvere ergo ad pedes tantæ Virginis, roga ut auroræ gratiam tibi pręstet, ut Sol Justitiæ te suâ luce illustret: & ut auroręin hac vita sentimus favores; sic Solis experiamur in morte; & per Matrem misericordiæ Filius in nobis nascatur, qui per illã datus est nobis, ut nostri misereatur per illam, quæ tota est misericordia, & quam Deus misericordiæ matrem esse voluit, ut per illam misericorditer ad Deum traheremur.

Virgo similis auroræ.

Colit Filius Dei Matrem; ut solem aurora.

§. IV.

Quare Deus voluit suam sanctißimam Matrem non solùm miraculum, sed ostentum misericordiæ.

INfinita calamitas generis humani per peccatum prostrati, poscebat infiniti Dei auxiliatricem dextram; & abyssus miseriarum inclamabat abyssum misericordiæ. Volutabatur tota natura in irreparabilis desperationis ruinâ: altiora erant vulnera quàm curari possent; sola unius poterat Dei misericordia subvenire. Placabilem ergo se Deus exhibuit, & nostras miserias voluit, atque decrevit esse scopum suæ misericordiæ infinitæ, quam in sublevationem nostri exitii, infinitis modis placuit exhiberi. Deus ergo tum motus & victus suâ misericordiâ, tum amore nostri, ut Propheta Jeremias testatur cap. 31. charitate perpetuâ dilexit, miserens nostri misit Filium suum factum ex muliere, quam in suam Matrem, & Dominam, & Matrem misericordiæ, & sociam operis, & mundi perditi reparatricem sibi delegit. Sic abyssus miseriæ, quæ dicebat illud Job. 28. vers. 14. *Sapientia non est mecum*, abyssum invocavit misericordiæ; quæ ad inferiorem descendit immisso diluvio omnium misericordiarum majori, quàm in Noëmico, quando rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & inundaverunt, & prævaluerunt aquæ super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo. Quando enim Deus homo factus est, tunc inundaverunt terram omnes exhausti fontes cælorum, & prævaluerunt aquæ misericordiæ Divinæ, longèque aliter terram obruerunt, quàm maria, quæ suis aggeribus conclusa, perruptis undequaque repagulis, omnia inundant, omnia hauriunt, & per omnia se dilatant. attinebat enim sicut infinitorum malorum inundatio, à viro Principe generis per feminæ Principis dolosum consilium, fuerat introducta, propagataque; sic infinitorum quoque bonorum à Viro, qui Deus esset (tanta enim erant mala ut nemo nisi qui Deus, posset salutem dare) per feminæ Principis & sanctissimæ sanctissimum auxilium, infinita inundatio introduceretur, abyssusque miseriarum, abysso felicitatis obruta sepeliretur. Miseria ergò summa utriusque Principis, fuit scopus misericordiæ in utroque Principe; in filio Dei, & Matre filii; quo pacto restauratio imperii collapsi gloriosior facta est, quàm ceciderat infeliciter pulcherrimum innocentiæ imperium, per mulieris primam malitiam, ostentum omnis infelicitatis. Postulabat ergo æquitas, ut per mulierem omnis bonitatis fontem, & misericordiæ ostentum resurgeret, ut eadem natura, quæ fuerat ostentum ruinæ, esset beatissimæ restaurationis ostentum, & per hanc, vita; sicut per illam, mors intraret in orbem. Magna vis Divinæ potentiæ, & misericordiæ ut possit, & velit Deus iras suas vertere in misericordiam, & misereri eorum per mulierem, qui iras suas indigni misericordiâ videbantur. Voluit ergò Virginem esse hoc ostentum misericordiæ, ut omnes illius misericordiâ adjuti, possent servari; qui & potuit talem creare. Cùm itaque difficillimum sit, summis malis, summisque vulneribus per remedia & allevamenta subvenire; ad magnitudinem malorum depellendam, duo præclara remedia sunt necessaria. Primum; commiseratio miseriæ alienæ. Alterum, potentia medendi. Ut præclarè docet sanctus Gregorius homil. 35. in Euangel. quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Nemo ignorat Dei potentiam, nemo misericordiam. Fatemur enim & potentiæ, & misericordiæ thesauros infinitos. Regnabat ergò in Deo & potentia & misericordia: attamen non ea qualis postea in Deo facto homine Factus enim homo, & indutus hominis miserias, in seipso experiri, & periclitari voluit humanæ naturæ calamitosissimam conditionem, quam tentans, experiens, & exsorbens, ex similitudine nostrarum miseriarum capiebat exemplum. Pulchrè hoc Paulus ad Hebræos 4. versu 15. *Non enim habemus Pontificem qui non possit condolere infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Proclivis ergo pronusque est in commiserationem, quam patiendo didicit; juxta illud Didonis.

Non ignara mali miseris succurre disco.

Christus ergò Dominus circumdatus infirmitate, condolet iis qui ignorant & errant. Eondolet, Græcè μετριοπαθεῖν, id est moderatè, modestè, leniter se gerit, neminem aspernatur, nemini irascitur, non excandescit; sed ad miseriam hominum se demittit, & omnibus laborantibus compatitur. Hoc contemplatus Isaias 53. vocat *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Alii sic vertunt; *scitum ab infirmitate.* Tertia Lectio; *scientem ferre infirmitatem*: is ergò qui ex infirmitate crucifixus est, & infirmus factus;

Major misericordia abysso nostrarum miseriarũ.

Femina princeps mali: femina & boni.

Duo necessaria, curãdis magnis malis.

Deus homo miseriam didicit & compassionem.

factus; factus est dives in misericordiâ, quasi nova, quam etsi ante sæcula possideret infinitam, non tamen eam quam in humanâ naturâ persensit. Voluit ergò pati ut posset compati: tanto enim amore complexus est misericordiam, ut Paulus clamet *Deum divitem in misericordiâ* ad Ephes. 2. vers. 4. factum, quasi nova de doloribus & calamitatibus toleratis victoria parta, novum titulum, nomenque misericordiæ conquisivisset. Dives misericordiâ Divinâ; dives & humanâ. Tantò proindè est supergressa cetera attributa Divina misericordiæ gloria; quantò plura & graviora toleravit dediique usu tractando patientiæ experimenta. Possemus voces Jobi cum cælo terrâque depræliantis mirari, & quasi malis incurvatum, intonantemque contra Deum carpere; cùm ait cap. 9. vers. 2. 3. *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat.* Rogat se concisum flagellis confici, & morte absolvi negotium, quæ foret acerbæ tragœdiæ lætus Epilogus: durissimum videri, per tam longa temporum spatia sic excruciari; verùm omni cruciatu longè durius, & intolerabilius videri, suas gravissimas pœnas in suâ innocentiâ subactas ab Omnipotente rideri. Ante Deum incarnatum videbatur Deus dolorum inexpertus dolores ridere, & ideò Job utitur illo loquendi modo. Sanctissime Athleta non ridet Deus ut probè nosti; at sibi complacet: non habet Deus quidquam sibi pulchrius, quàm spectare fractis rebus stantem, & inter publicas ruinas rectum. Facit justus Deo ex pœnâ quoddam gaudium, &, ut ait Gregorius, suavius de nobis lætatur, quo ardentiùs à nobis quæritur, & ideò de innocentium pœnis ridere dicitur. Redeamus ad propositum; ne putet Orbis, Deum innocentium pœnas ridere; ideò nostras velut alter Job pœnas, & quidquid dolorum fuit, in se immisit, tanquam vir dolorum omnium; quo disceret Orbis, Christum per omnium dolorum experimenta clarum, condolere infirmitatibus nostris, & abyssum miseriarum nostrarum solari abysso infinitæ suæ misericordiæ; ut gloriosius beatiusque ostentum misericordiæ fieret, quàm Adam infaustæ nequitiæ prodigium. Quo igitur Matrem, in ostentationem misericordiæ suæ infinitæ, redderet non solum miraculum, sed & ostentum misericordiæ voluit illam tenerrimis commiserationum affectibus cumulatam; voluit illam Maternis visceribus totam confectam; voluit prætereà ne posset non misereri, omnibus doloribus exercitam, miseriis laceratam, mucronibus angustiarum undequaque trucidatam, non vulneribus, non mortis telis, sed doloribus, non tamen moriendo. Sic non ignara mali didicit miseris succurrere: sic ex suis metiebatur alienas miserias, quæ ex eodem in illam fonte redundabant. Compatiebatur nostris malis imprimis, quia consors particepsque nostræ calamitosæ naturæ. Deindè quia femina est ac proinde generosi & mollioris animi; (feminæ enim sunt indolis piæ, & ad benignitatem pronissimæ) cujus in labaro Regio gentilitium stemma & tessera, est misericordia inscripta, *sicut Propheta* filium, *virum dolorum nominavit.* Ut igitur staret infracta, nec curvari posset abysso & pondere miseriarum humanarum; verùm eas numeraret in delitiis, prout ipsa fatetur 8. Proverb. *Delitia mea esse cum filiis hominum.* Prævenit illam Deus omni benedictione, & quidem tantâ, ut in primo puncto conceptionis omnium creaturarum simul unitarum (ut dictum est suo loco) gratias dotesque non solum adæquaret; verùm maximis intervallis pòst relinqueret. O quàm te memorem magnam Virgo, & opulentam toto vitæ decursu: quæ enim gratia non debetur Matri Dei? an non infinita dignitas Matris? an non infinita auctoramenta debentur tali dignitati? an non ideò collata dignitas Materna in Orbis salutem perituri? Ne igitur periret, pro charitate suâ effervescebat in Filium, quem sciebat futurum sacrificium in liberationem servitutis humanæ; ardebat & illa se hostiam cum Filio, cui ex visceribus suis sciebat aptatū corpus; optabatque se sociam laborumq; mortisque. Deinde quia videbat cor Dei Patris versum ad homines, & Filium datum tanquam Patrem futuri sæculi, infinita flamma charitatis, & misericordiæ ex Virginis corde prorumpebat, quo totus Orbis poterat conflagrare, talique compassione in singulos ferebatur, ut ardens clamaret evicta nostris miseriis: Charitate perpetuâ dilexi te, miserta tui. Vide quò se extendat misericordia, cùm ait, perpetuâ charitate, quasi diceret nullum punctum vel abstulit, vel minuit ignes amoris mei tuique: nullum momentum eripit mihi tui memoriam, omnis mihi cura est in vestrâ salute, quare nolo dici creatam in me misericordiam, nolo dici natam, verùm conceptam mecum in utero Matris. Audiamus Bernardinum serm. 51. art. 1. cap. 3. Ex charitatis quoque ardore, etiam humanæ salutis toto affectu desiderabat Incarnationem Filii Dei; nam & totus impetus primæ sanctificationis, mentem hujus sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum propter salutem omnium electorum. Primum ergò & summum votorū in primo instanti vitæ fuit ingens desiderium Incarnationis Divinæ in salutem generis humani, ita ut facta sit ostentum misericordiæ, quam mens, voluntas, cor, lingua cum voce continuò sonabat. Omnis illi cura, misericordiæ ostentatio, unum illi gaudium; una votorū summa, & unus amor; miseratio; totus vultus misericordiæ vultus; & oculi columbini, misericordiæ oculi.

Quomodo Deus dicatur ridere nostros dolores,

S. Virgo tota misericordia.

§. V.

§. V.

Virginem fuiſſe oſtentum, vel miraculum ſupremum omnium virtutum & imprimis miſericordiæ ſicut filius.

Tota ergo miſericordiæ oſtentũ.

DE fide eſt, ſerpentem æneum ſtupendæ vaſtitatis, in altâ erectum ſubſtructione, tanquam oſtentum fuiſſe admirabile, portendens aut vitam, aut mortem, ut videri ad ſex milliaria poſſet. Sic cenſet P. Cornelius à Lapide, ob numeroſum exercitum, qui facile ſex milliaria occupabat ac proinde oportuit fuiſſe ingentis magnitudinis, fuiſſe & nobiliſſimam figuram, tum Incarnationis ſacroſanctæ, tum mortis Domini noſtri mirificè adumbrantem, Numeror. cap. 21. v. 8. Joannis 3. *Sicut exaltavit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ille erectus ſerpens proſtabat in ſignum vitæ conſervandæ iis, qui præſentiſſimo ſerpentum afflatu erant interituri, niſi oculos in illum dirigerent, & creduli, indè certum remedium inſtantis mortis exſpectarent. Chriſtus Cruci affixus, in ſignum ſalutis datus omnibus qui in eum per fidem intuiti eſſent credituri. Crux enim Chriſti eſt vexillum & ſignum Chriſtianorũ, quo mors, dæmon, infernus debellatur. Unde & Iſaiæ 5. *elevabit ſignum in nationibus procul.* Et Lucæ 1. *Poſitus eſt hic in ſignum cui contradicetur.* Serpens æneus Dei juſſu erectus: Chriſtus juſſu Dei Patris in Crucem erectus: Ille in deſerto in ſalutem à ſerpentibus ignitis ſauciorũ: hic in mundi deſerto, in mundi totius ſalutem: Ille apparebat ſerpens, & ſimilis erat ſerpenti; ſed verè non erat. Chriſtus verò in ſimilitudinẽ peccatoris aſſumpſit carnem abſque peccato. Vide caput ad Phil. 2. Deindè ſerpens ille conflatus, ideoque dicitur ignitus: igneus & conceptionis Chriſti modus. Quaſi igneus; de Spiritu quippè ſancto, qui dicitur ignis, conceptus fuit, ut nos novo igne ſanaret, & ſerpentis venenum excoqueret. Unus ille ſerpens æneus ſufficiebat omnibus, per venenatos morſus miſerè cum morte colluctãtibus mille mundis. Crucifixus ſufficiebat. Rom. 10. *Chriſtus per fidem conſtitutus ad juſtitiam omni credenti in omni lege*; ideò & *Agnus* dicitur *occiſus ab origine mundi* Apocal. 13. in Dei acceptatione. Ultimò: mira fuit vis in ſerpente æneo ſtupendumque miraculum. Rabinus David Kemki teſtimonio ſapientũ probat, tactis morſu ſerpentum, aſpectũ æris candentis cauſam mortis dare, non ſanitatis; cõtra tamen accidit, ut quę mortis erat cauſa

Serpens æneus figura Chriſti D.

Serpentis ænei, cum Chriſto D. collatio.

A futuræ, foret vitæ. Quis crediſiſſet, mortem infandam Chriſti, fore infandã Orbi vitam ſalutemque? & ex morte vitam poſſe naſci producique? An non ideò *Chriſtus prodigium factus eſt multis?* Pſal. 70. v. 7. Quemadmodum de fide eſt, æneo ſerpente in altum ſublato, Chriſtum velut in veriſſimâ veritatis imagine pictum adumbratumque fuiſſe; ſicut vidimus & fuiſſe admirabile portentum: ita proximum fidei videtur, mulierem, quam vidit Divus Joannes Apoc. 12. cap. fuiſſe prognoſticam & portentoſam imaginem adumbratæ Virginis, quæ Virginem ad vivum exprimeret. Diximus proximum fidei, niſi totam antiquitatem velimus convulſam, quæ & librum Canticorum cum multis Proverbiorum

B capitibus Virgini ſanctiſſimæ, conſonante totius Eccleſiæ auctoritate pariter appropriat. Auguſtinus præ ceteris eminet l. 4. de Symbol. ad Catech. c. 1. cum S. Ambroſio & Bernardo, & multis aliis, qui Virginẽ hîc deſcribi clariſſimè judicarunt. Audiamus Joannem: *Et ſignum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim, & in utero habẽs, clamabat parturiens* Hoc ſignũ deſignat Virginem eſſe miraculum, & ſpectaculũ ingens, prodigium denique & oſtentum. Virginem eſſe maximum miraculum, docet Chryſoſtomus ſerm. de Virgin. Magnum reverà miraculũ fratres dilectiſſimi fuit beata ſemper

C Virgo Maria. Damaſcenus vocat illam miraculorum omnium maximè novũ, quin & miraculorum abyſſum, ita ut in eâ tanquam miraculorum abyſſo lateant multa miracula; præſertim incomparabilis miſericordiæ. Sileat, inquit, ſapientiſſimus Salomon, nec jam nihil ſub ſole novum eſſe exclamet; & meritò nunc exclamet cum Jerem. c. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram: femina circumdabit virum.* Miraculum in ſigno tot titulis, & circumſtantiis illuſtre. Deindè miraculum in re tam illuſtri ſigno adumbrata; hæc enim fuit ſanctiſſima Virgo. Ingens miraculũ non ſolũ comparatione operum naturę; verùm quod longè maximum, cõparatione operũ gratiæ. In comparatione operũ naturę verè eſt miraculum

D primũ, quia omnes vires excedit naturæ, quia ſupremum operum Dei ab incarnatione. Nihil enim natura ſpecioſius nec tulit, nec vidit. Deinde ſupremum operum gratiæ quia extra ordinem, & non communi lege creata eſt Virgo ſanctiſſima, & ad eam ſanctitatem provecta; ut exercitus Angelorũ in ſtuporem deduxerit. Stupendũ enim, ait Epiphanius ſerm. de laudibus Virg. miraculum in cælis, mulier amicta Sole: ſtupendum miraculum, in cælis mulier geſtans lucem in ulnis: ſtupendum miraculum, in cælis alter thronus Cherubicus. Stupeat natura, & victam ſe fateatur; nec ſolùm vocet Virginem mirabilem: parum eſſet vocari mirabilem; multa enim ideo mirabilia vocantur, quia eorum cauſæ ignotæ ſunt; quæ ſi ſcirentur, mirabilia

mirabilia nō forent: vocatur ergò Virgo tota, miraculum & stupor naturæ, quia sola Dei Omnipotentis dextra exercitata, & fabricata est. An non summum miraculorum; feminā esse, & dici Matrem Dei? feminam esse, Matrem & Virginem? & Virginem Matrem? an non stupendum miraculum; feminam esse toto mundo majorem, quæ clausit utero, qui toto non potest orbe claudi? Benè Basilius in Annunt. *Vidit creatura quod ante visum non est usquam, nempe prolem quæ sua Matri erat parens, & infantem qui genitricem ætate longè anteibat. Ingens miraculū mulier amicta sole*; vel potiùs ut Græcus textus habet περιβεβλημένη τὸν ἥλιον *circumamicta Sole*. De quâ pulchrè Bernardus: *In te manet* (Sol Christus) *& tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo. vestis eum substantia carnis, & ille te gloriâ suæ Majestatis: vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.* Diximus ingens miraculum Virginem; diximus parum. Verius cum Damasceno oratione de Nativit. illam dicemus officinam miraculorum; & cum Andrea Jerosolymitano, Verbi Divini officinā; quā & Arnoldus Carnotensis de laudibus Virg. Spiritus sancti officinā. Verè officina, ex quâ omnia miracula, velut aquæ ex fonte prodierūt. Est ergò officina miraculorum, omniū miraculorum centrū, coronis, epilogus atq; compendium propter incarnationis sacrosanctū mysterium in Virgine peractum. De quo sic Isaias c. 10. vaticinatus fuit. *Consummatio cōsummata inundabit justitiam*: Consummationē enim & abbreviationē Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ; quæ abbreviatio ab eodem propheta vocatur signū c. 7. ubi Achaz improbo Regi dicitur: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundū inferni, sive in excelsum suprà.* Renuit improbus petere. Et ecce intonat Deus; *Propter hoc dabit ipse Dominus Deus vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hic nobiscum Deus, miraculum miraculorum, prodiens ex Virgine tanquā officinâ miraculorum in omnem æternitatē, suis electis pariet stuporem perennemque exstasim: spectabitur enim, ut Deus natus ex Virgine parvulus, ut parvulus fuerit Deus infinitus, ut fortis, ut Pater futuri sæculi, ut principatus super humerū ejus, ut scribit Isaias c. 9. ut in Virginis filio fuerit facta rerum infinitè inter se distantiū arctissima vnio in unā personam, ut personæ per subsistentis vera generatio, Divinæ & humanæ naturæ conjunctio, æterni recēs productio, ut homo fuerit factus Deus, & Deus homo per Virginem. Virgo ergò & Filius cùm sint simul, & semper sint, simul & semper sunt omnia miraculorū arcana, & uterque miraculum miraculorum. Diximus suprà serpentē æneum fuisse erectū in signum, Christum Crucifixum adumbrātem, tanquam vexillum salutis: sic nos dicimus Virginē sanctam hîc proponi in signum & vexillum salutis eorum qui ad vexillū Virginis in cælo fixū confugerint. Dicimus enim

S. Virgo miraculum miraculū.

Æneo serpente signata.

& illam in serpente æneo fuisse adumbratam. An non similis peccatricibus per similitudinē carnis, absq; tamen peccato carnis? an non suo aspectu sanat ictos flāmeis infernalis dæmonis sagittis? an non ipsa contrivit caput serpentis, id est peccatum originale confecit? an non ipsa semen inferni per suū semen, id est, Filium debellavit? Ipsa gerit æternū bellū cum antiquo serpente. Serpens æneus ex se causa erat mortis. An non femina ex se causa mortis, quæ per miraculum causa vitæ? ac proindè Joannes vidit illam tanquam signū magnum, id est, vexillum triumphalis misericordiæ, & non solum summum miraculum: verùm, ut suprà dixi, ostentum infinitæ pietatis & cōmiserationis. Quid enim ostentum, nisi rem inusitatam, inauditam, unicè singularem designat, per quod venimus in spes earum rerum, quæ non solum omnem vim intellectûs; verū etiam omnes spes conceptas, quæ fingi aut ab homine aut Angelo possunt, exsuperant. Duo ergò ostenta seu prodigia Deus erexit, quibus spectandis non sufficiet æternitas. Ad hæc invitat Vates Regius Ps. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ.* Hæc duo prodigia sunt Dei filius Incarnatus, & Cruci datus, & in Cruce mortuus; & Virgo Mater Dei; qui sine armis arma cōtriverunt, & bellando sine bellis omnia debellarunt, & arcus, & scuta non ignibus humanis; sed Divinis cremarunt. *Ignem* enim ait Filius Dei, *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Lucæ 12. v. 29. Cælum, terra, infernus cessit filio Virginis, per Virginem. *Ostentum ergò imbellis & inermis columba*, de triumphato mūdo victrix. Hæc stat sicut Filius apud Isaiā c. 11. *in signum populorū*, in vexillū prodigiosum, in ostentū misericordiæ, ut omnes ad Virginē præsidii causa confugiant, cùm se ærumnis, tentationibus; imò & ipsâ irâ Dei se premi conspiciunt. Audi quid sim dicturus: dedit Deus Virginē sanctissimā tanquam vexillum contra se militans, & tanquā signum vivificū timentibus se propter scelerū illatas injurias, ut protecti tam sacro & inviolabili labaro, & misericordiæ asylo fugiant à facie arcus, quem Deus, sive per se, sive per creaturas intēderat. *Ostēdisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui*; Ps. 59. 6. ubi nos habemus, *ut fugiant*, Hæbraïcè habetur, *ut vexillentur*, ut instar vexilli exaltentur per Virginē, non solū super inimicos suos; verùm etiam quod planè stupendū, super iram potētissimi Dei, & victoriā cum gaudio Filii, de Filio reportent. Tantū tribuit filius Dei, Matris suæ misericordiæ. Hoc docet sanctus Bernardus hîc: Omnibus omnia facta est; omnibus sinum misericordiæ aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi; captivus redemptionē, æger curationē, tristis consolationē, peccator veniā, justus gratiā, Angelus lætitiā; denique tota Trinitas gloriam. Hæc Mater, misericordiæ ostentum; ideò tota est amicta Sole.

Misericordia flammis.

Deus armavit suā Matrem contra seipsum.

Omnibus SS. Virgo ad est.

Sole. *Putâsne* ait Bernardus *est mulier amicta Sole? quæ velut alterum Solem sibi induit?* Ita, ita, sancte Bernarde, est amicta Sole, & alterum Solē sibi induit. In sole splendor & calor stabilis. Jure ergò perhibetur amicta Sole, quæ profundissimā sapientię Divinę, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum. In illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphin accēduntur. Longè verò aliter meruit non velut summatim tangi; sed operiri magis undique, & circumfundi, & tanquam ipso igne cōcludi. Candidissimus & lucidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellēter irradiata noscuntur; ut nihil in eâ, non dico tenebrosum, sed obscurū saltē, vel minus lucidū; sed ne tepidum quidē aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari. Hæc ille. Ipsa est ergo signū magnum, & ostentum misericordię & potentię divinę; quia ea est quâ majorem Deus facere non posset: majorem mundum, & majus cælum facere posset; majorem matrē, quàm mater Dei est, facere non posset: habet enim quandā ex bono infinito infinitā dignitatē, quod est Deus, cujus ipsa mater est, & ex hâc parte nihil potest fieri eâ melius, sicut non potest esse aliquid melius Deo. In Virgine ergò manet Christus, & ipsa in Christo: vestit Christū Virgo, & Virgo vestitur à Christo: vestit Virgo Christū substantiâ carnis, & Christus Virginē gloriâ suæ Majestatis. Virgo vestit nube Solē, & Virgo ipsa Sole vestitur, ut suprà dictū est. An non hoc ostentum super omnia ostenta unicum? Hoc ostentum & signum extulit Deus, ut nemo sit qui de suâ salute desperet; sed fiduciâ Virgineę misericordię accedat ad Virginem, per quam salus datur omni creaturæ. Nemo potest pati repulsam ab eâ, cujus cor nihil est aliud, quàm ipsissimum cor misericordiæ, & unicum ostentum. Ne trepides peccator; nec tardet accessum inutilis pudor. En mōs Calvarię terribiliū locus, horrorq; mortis, factus est mons infinitę misericordię, qui totū orbē favoribus inundavit. Quatuor Christi Dei, in carne infirmi, manus pedesque Crucifixi fontes irrigui te invitant; mons dolorū dulcedinem, & aridę rupes distillant lac & mel, & factus ostentum piæ misericordię, qui severi supplicii. Invitat & pariter te mater misericordię, & si quid tibi defuerit, dabitur egestati tuę supplementū ex ipsius virtutibus. Ne trepides: nemo reformidat paradisum & regnum misericordiæ. Dabitur quod optas; nō enim est repulsę locus dominãte misericordiâ. Quare & tota mortalitas tibi immortali Virgini, & fonti misericordiæ inexhaustæ, pro infinitæ tuæ misericordię merito, nomine suo decernit perennem supplicationem hisce verbis: O Domina & regina utriusque mundi! quod orbē ab æterno incendio; quod filios Adæ à strage, & truculenta cæde; quod omnes mortales ab ęterna servitute liberasti: tibi uni feminæ togatæ & pacificæ; tibi uni columbæ imbelli & victrici laureatam sup- A plicationē, triumphi prærogativam decernit universus orbis. Sint tibi gratæ cōgratulationes & vota servorum tuorum, quos tua misericordia tibi peperit.

§. VI.

In quanta amplitudinem, quosque fines, Imperium suum, Virginea misericordia se porrigat proferatq́. In cælo regnat, & in angelis qui suam prædestinationem debent Virgini, B *& Confirmationem in gratia.*

DEi misericordia implet cęlū, terrā, & inferorum regna, quia, ut verus Dominus habet absolutum dominium, adeò ut omnia creata sentiāt sui Creatoris Majestatē. Ex pari causâ quia Virgo Dominatrix, & cæli & terræ & inferorū Domina vocatur: cęlites, & terrigenæ, & inferorum mancipia sentiunt Dominæ suæ Majestatem, & quia mater misericordiæ ad omnes se porrigit, & per omnia filii regna pertingit; quæ enim creatura latiùs avidiusq; se distenderet, quàm ea quæ omnes maternos parturit affectus, magni solatii fuerit, discere absolutā Virginis sui omnes & singulos dominationē. Bipartita Re- C gum solet esse potestas, quædam sic limitata, ut extendat sese ad singulos quidem, non verò ad totius Reipublicæ, vel regni sociatam cōmunitatem: unde fit Regem, communitatis judicio legibusque subjectum: altera verò, quâ tantâ dominationis amplitudine Rempublicam, vel communitatem sibi subactam possident, ut non solum in singulos, verùm etiam in totum regnum jus exercere possint. Quare & Rex solus hâc fretus potestate plus potest, quàm universum regnum. Hæc potestas dominādi Virgini debetur, ratione maternitatis, & quia Dei mater, totum imperiū filii, cum absolutâ potestate, derivatur in ma- D trem. Et ut loquitur Damascenus orat. 2. *Filius Matri res omnes cōditas in servitutem addixit.* Et idem l. 4. de fide Orthodox. c. 15. *Maria rerum omniū conditarum Domina effecta est, cùm Mater extitit creatoris.* Et Rupertus: *Hac est in Cælis Regina Sāctorum, & in terris Regina regnorū; quandoquidem est Mater Regis coronati.* Verè ergò & perfectè Regina est sanctissima Virgo, quod ipsum nobiliter docuit Athanasius in serm. in Euangel. de sanctissimâ Virgine. Quandoquidem est Rex qui natus est ex Virgine, idemque Dominus est Deus, eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina & Domina, & Deipara propriè & verè censetur. Quacunque ergo propagatum patet filii regnum; patet & extensum Virginis Matris. In cælis ergò Regina, Domina

Duplex regū potestas.

SS. Virgo Domina & libera cælitum.

mina & Hera promulgata est, ut præclarè Damascenus orat. 1. de Assumptione: *In cælo ac Regiis sedibus sic Regina, Domina, Hera, ac vere Mater, & Dei Genitrix deposita est.* Reginam nos quoque te dicimus; quia verè politicè imperas: Dominam; quia directo potitis Dominio: Heram; quia despoticè imperas omnibus tanquam servis & mancipiis. In cælo regnat Filii Dei misericordia: regnat in cęlo Dei Matris misericordia, quā omnes, & singuli, & universum regnū participat. Misericordia Dei ædificatur in cælis; ædificatur & Virginis Matris. Deus suā misericordiā, & potentiā cuncta creando parandoq; Pater est, ac Dominus omnium: ita & Mater Dei præbendo misericordem assensum in generis humani redemptionem, suis meritis cuncta reparando Mater est ac Domina omnium. Deus singulis creaturis indidit pro dignitate naturæ suæ sua decora & ornamenta, suæ jussionis imperio: Virgo autem congenitæ creaturarum dignitati per gratiam quam meruit, singula restituit. Ædificatur in cælis misericordia, dum per Virginem Dei matrem ruina restituta; & deformati ordines senatorum Cælestium redintegrati. Hoc est quod docet Damascenus oratione secundā de Assumptione, dum docet omnia creata obnoxia servituti reginę cæli.

Oportebat Dei matrem (inquit,) *ex qua Filii erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut Dei matrem & ancillam adorari. Quamquam enim semper ita comparatum est, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur: nunc tamen sursum sacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim filius matri res omnes conditas in servitutem addixit.* Si omnes creaturæ in servitutem addictæ, ergò à regina misericordiæ, opem & auxilia misericordię sentiunt, sentiunt & Angeli ipsius misericordiæ majestatem, tantæ majestati subjecti. Hæc omni creaturæ profuit, quam veluti coëmptam, à servitute in libertatem asseruit. Addo quod gloriosam libertatem Angelis bonis concessam sic corroboravit, ne in posterum posset incurvari: confirmati enim sunt Angeli in gratiā, ne dulcedine libertatis illecti, à vero bono desciscerent. Attende Lector, ut per Virginē ædificata fuerit misericordia in Cælo. Attende quantum instar sit Virgine ex illā misericordia: quantum glorię accesserit ex illius largitione gratię. P. Francisc. Suar. 3. p. q. 27. disp. 1. sect. 3. & disp. 3. sect. 2. docet mundum & omnes creaturas post Christum & Mariam constitutas, ut illorum imperio ac ditioni tāquam supremis Principibus manciparentur. Deinde idem Auctor prædestinationem Angelorū & hominū, ad gloriam & beatitudinem, electioni prędestinationi Virginis subjecit: existimavit enim omnes alios tam Angelos quàm homines; queadmodum propter Mariam conditi & facti, & suā naturā donati fuerunt: sic etiā propter illam prædestinatos ad gloriam, ele-

Angeli per Virginem in gratia consumati.

A ctos ad gratiam, quod Virginis dignitatē nō parum extollit, quatenus illi nō solùm naturā, sed etiam gratiā ad perpetuū famulatum, & servitutem obligari cognoscuntur. An nō omnibus obligationis & auctoramenti legibus omnes Angeli tantæ Majestati sunt obnoxii? an non suā misericordiā servavit amicos, & obnoxios sibi reddidit? An non in primo ferè suæ creationis momento omnes ad unū concussi, impulsique vacillarunt? Ad quā turbationē visus Job alludere c. 26. *Concussi cæli contremiscūt, & pavent ad nutū ejus.* nō quod jam fruitione Dei firmati, vacillēt; verū hoc accipe pro illo tempore, quo suspensa in æquilibrio salus fuit, ac sūmo tremore suę ruinæ & salutis fluctuantē jacerent aleā. Tunc

Angeli sunt obnoxii SS. Virgini.

Quando cælum contremuit.

B per Virginē quā Ildefonsus vocat sanctificationis basim, ne proruerēt cæco impetu corroborati perstiterunt. Quare & Angeli eā ut matrē quæ eos Cæli felicitati peperit, & Reginā, & Dominā suā venerantur, quā quia sibi dominari sciunt, humillimè cōpellant & adorant. Quare & Ildefonsus ex Augustini serm. 7. in Assumptionis festo fidenter: *Si te Reginam Angelorum vocitem, verè esse comprobaris.*

§. VII.

Fundamentum hujus Dignitatis.

Docet D. Thom. tertiā p. q. 8. a. Christū esse caput Angelorum, ex Apostol. ad

C Coloss. 2. *Qui est caput omnis Principatûs & potestatis.* Et ad Ephes. 1. *Cōstituit eum* Christum scilicet) *supra omnem potestatem, Principatum, & virtutem & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solū in hoc sæculo; sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Cùm igitur sit caput Angelorum, sicut & hominum; necesse est in omnes influere gratiam, & dona supernaturalia, in quo inhabitat plenitudo Divinitatis. Christus ergo ut homo, cùm sit caput Ecclesiæ quę est corpus ejus ut hominis; (non enim Ecclesia dicitur corpus Christi ut Dei) planè influit in totū corpus.

Christus ut homo est caput Ecclesiæ.

Manifestum est autem quod ad ultimum finem, qui est gloria Divinæ fruitionis, ordinantur & homines, & Angeli. Unde corpus

D mysticum, non solum cōsistit ex hominibus; sed etiam ex Angelis. Totius autem multitudinis est Christus caput, quia Deo propinquiùs, & perfectiùs participat dona ipsius, de cujus influentiā tam homines quàm Angeli participant. Unde & Augustinus cōcione 3 in Psal. 36. Caput nostrum Christus est; corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli? & non etiam illi qui ante nos fuerūt? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, ut illa una civitas fiat sub uno Rege, & una Provincia sub uno Imperatore. Et sanè necesse est ita esse, cùm ex Angelis, & hominibus una constituatur & fabricetur Ecclesia, una Respublica sub uno capite Christo Jesu; à quo, teste D. Thomâ 3. p. qu. 69.

Ecclesia cælites & homines capit.

art.6. judicandi sunt & Angeli, saltem quo ad gubernationem Ecclesiæ à quo etiam ut ab homine illuminatur, teste Dionysio cap. 7. de Cœlesti Hierarchiâ.

Quare optimè ex sententia Divi Thomæ, & Sanctorum docetur, Christum Dominum meruisse Angelis gratiam & gloriã, quæ illis data fuerat propter merita Christi prævisa. Ita Divus Thomas exponens illud Joannis 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, omnes scilicet Apostoli, &c. & justi qui fuerunt, sunt, & erunt; & etiam omnes Angeli, &c. quia gratia Christi est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis. Nobilissimè hoc ipsum docuit Fulgentius lib.2. ad Trasimundum: *Una est in utroque* (Angelo scilicet & homine) *gratia operata; in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet; in illo ne vulneraretur: in isto ut sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmare non sivit: illius esca, istius medicina.* Deinde Angeli viatores habuerunt fidem in Christum, & per eam justificati sunt; ergo per Christi merita sanctitatem & gloriam obtinuerunt. Per Virginem ergo ædificatur misericordia in cælo: dum Virgo peperit illis conservatorem, & civibus regni ne perirent, felicem firmitatem, & firmam beatitudinem. Dixi per Virginem matrem, matrem tanti Filii, à cujus dominatione mater sejungi non potest. Una est caro Mariæ & Christi, unus spiritus, una charitas; & ex quo dictum est ei: *Dominus tecum*, incomparabiliter perseveravit promissum, & donum. Per Virginem ergo dicitur Angelis collata gratia, collata & gloria; quia per Filium, cum quo est illi summa & indivisa unitas, quæ divisionem non patitur; una est & cõmunis gloria, una quodammodo operatio, unum regnum, sicut suprà dictum; & quemadmodum unum est regnum, una & potentia, una largitionum, & donorũ Regia donatio; ita ut quidquid dicitur donare Filius, dicitur & Mater. Famulantur Filio Angeli; famulãtur & Matri. Angeli agnoscũt Filium Regem; agnoscunt & Matrem suam Reginam. Hunc famulatum agnoscit D. Bonaventura in speculo, capite tertio in caput quintũ Esther: Esther innitebatur famulæ, & alia syrma colligebat. Duæ, inquit, famulæ, quarum Domina & Regina Maria, sunt Angelica, & humana creatura: famula quæ sequitur, est humana natura, quæ in hoc mũdo colligit vestimenta Dominæ, id est, virtutes & exempla. Angelica est altera, supra quam innititur tanquam potentissima Angelis imperando, & dominationem adepta, illis misericordiam impartiendo, quia misericordiæ mater effecta.

Qua ratione misericordia Virginis sit in cælo.

Quæ famula SS. Virginis.

§. VIII.

De Misericordia Virginis regnante in terris. Propter Virginem orbis conditus. Illa orbis compendium.

ORbem Deus conditurus, in sanctissimam Virginem, & Jesum ejus Filium tanquam in finem tanti moliminis oculos conjecit; ut ex Galatino libro septimo cap. docuimus, mundum non fore condendum, nisi ex amore Mariæ, & Jesu Filii conderetur. Huc pertinent sancti Bernardi verba serm. 1. super Salve: *De hâc*, inquit, *& ob hanc, & propter hanc, omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est; & hac gratiâ Dei plena est, & per hanc homo redemptus est: Verbum Dei, caro factum est; Deus humilis, & homo sublimis.* Et ideo speciosior facta fuit quàm totus mundus. Quare Bernardus sermo. de laudibus Virginis, *Mariam vocat mysterium cæli & terræ*, quasi compendium & numerus Arithmeticus, qui punctis pauculis infinita ferè complectitur: sicut & Virgo, quidquid excellentiæ in singulis creaturis occurrit, excellentius possidet: vocat & eâ de causâ mundum specialissimum, quem condidit in justitia, & sanctitate fundavit. Et quare? ut mundum corruptissimũ, depravatumque suis meritis per Filium instauraret, & suis misericordiæ operibus in exitium penitus proruentem sustentaret. Mundus ergo proprium regnum cùm sit Virginis; ita & in hoc regnum suum, miseriarum indicibili abysso demersum, abyssum suæ misericordiæ profundit; ni faciat, suis propriis ruinis involutum proprio sepeliretur sepulchro. *Dispositione enim tuâ*, ut ait D. Bonavent. in Psalt. *Virgo sanctissima perseverat mundus, quem & tu cum Deo ab initio fundasti.* Sanctè ergò vocatur Mater misericordiæ, quia Mater miserorum. Matrẽ se exhibet, cùm patrociniũ generis humani, susceperit prout ipsa fatetur Prov.8. *Cum eo erã cuncta componens.* Ubi Septuaginta habent: *Erã penes ipsum disponens, vel cõpingens, vel modulans.* Tuis sacris precibus, quasi jucũdissimâ symphoniâ demulces iras Filii tui, ne feriantur gravissimis pœnis digni peccatores. Hoc docet Germanus Patriarcha, ubi docet Virginis patrocinium incredibile. *Quis post Filium tuum gerit curam generis humani sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus?* Deinde pergit: *Omnia admirabilia sunt, ô Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires superantia; propterea patrocinium tuum majus est, quàm ut intelligentiâ comprehendi possit.* Attende Lector ad vim, & magnitudinem à sancto Bernardo laudatam, in vigiliâ Natalis Domini. *Quia indignus eras, cui daretur, datum est Maria, ut per illam acciperes quidquid haberes: quæ per hoc quod Mater est, genuit*

Orbis Virginea misericordia regnum.

Quantum sit patrocinium Virginis.

genuit tibi filium Deum; per hoc quod Virgo est, A *exaudita est pro sua reverentia in causa tua, & totius generis humani.* Cùm ergo & Regina sit generis humani; omnium Aduocatam & Patronam se voluit esse, ita ut sit cura de omnibus; nemo se exclusum aut rejectum doleat; omnibus patet accessus, & sic nemo sit qui se abscondat à calore charitatis ejus. Non negamus sanctos intercessores, quos & Patronos hominum fatemur & credimus; verùm ejus, ad quam attinet Orbis Imperium, perpetua vigilansque excubat sollicitudo. Ad hoc allusit S. Augustinus: *Vnam ergo, & te solam pro nobis in cælo fatemur esse sollicitam.* & serm. de Annuntiatione: *Tu es unica peccatorum, quia per te speramus veniam, te scilicet patrocinante; & in te est expectatio præmiorum: sancta Maria succurre miseris.* Audiamus quomodo agat Patronam? terrâ marique cæloque, patrocinii sui potentiam demonstrat exercitque? In cælo precibus interpellat pro nobis: in terrâ viribus potentiæ suæ contra hostes humani generis depugnat. In cælo pacificè quidem; tamen & sollicitè pro nobis regnat: in terrâ tanquam bellatrix arma induit, ut nos tueatur atque propugnet. In cælo est corpore: in terrâ nobiscum corde; ubique Patronam agit. In cælo efficace prece: in terrâ corde Regio. Hoc videtur innuisse Spiritus Divinus Cantic. 7. C *Quid videbit in Sulamite nisi choros castrorum?* Ubi Septuaginta Romæ correcti habent; *Quid videbitis in Sunamitide quæ venit sicut Chori castrorũ* & Aquila; *Quid quasi spectaculũ intuebimini in pacificâ.* Aptè ad nostrum propositum. Quid videbitis in Virgine, quæ in cælo pacifica, & triumphans, & venit ad nos tanquam chori castrorum, id est, exercitu ad bellandum composito. Quid chori castrorum; nisi & choreæ & tripudia militum triumphantium? Stipata ergo militibus videtur Sulamitis triumphasse, & saltasse bellicam armorum saltationem; qualis fuit olim quam Pyrrhicam vocabant ex victoriâ partâ. Videbis ergo in Virgine chorum orationum & precum? Videbis & chorum exercitus ad strenuè bellandum: pacifica D cum Deo; nobiscum bellatrix triumphali induta paludamento. Videbis ergo in Sulamite choros castrorum, quia ex choris castra fiunt. Et qualia castra, Virginis? Terribilia, pro ut in Cant. 6. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ubi Symmachus: *Terribilis pavorémque incutiens secundùm acies.* Vel ut alius: *Illustris & magnificata. Bene,* inquit Bonaventura in speculo cap. 3. *Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copiosam; sicut aëriæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicumque inveniunt crebram nominis Virginei recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.*

Differentia patrocinii Sanctorum & SS. Virginis.

Qua ratione sit bellatrix.

§. IX.

Serenissima Virgo publicat suam misericordiam, dum se non solùm ut Patronam, sed totam Matrem exhibet.

Quid sit esse Matrem, ignorat omnis qui Mater non fuit. Transmittit atque trãsfundit natura rerum curiosissima, generan- B tis omnem vim cum plenis affectibus in genitum, in quod ardentiùs quàm in seipsum efferuescit, efficitq; ut sit alter ipse. Hinc matres optant sibi filios superstites, mortemque orant, quò illis eam avertant; undè fit ut filiorum felicitate inexpectatâ, sicut & eorum subitâ calamitate exstinguantur oppressi. Sic corruit Mater Romana ad nuncium cæsi filii in pugna Cannensi. Si pictores depereũt artificis suæ dextræ umbratiles imagines, an non Parentes illos, quibus vitæ initium, vitam inspirando communicerunt? Quantò igitur parentum generosior indoles, amor ardentior, & affectio concitatior, tantò major ebullit indolis, amoris & affectionis pietas, & in suos misericordiæ tenerrimus sẽsus. Qualis ergo quantusque regnat in Virginis sanctissimo corde, velut amoris domicilio adversus omnes mortales pietas & misericordia, cujus indolis generosæ magnitudo, amoris immensitas, & ardentissimus affectus nulli, nisi Soli Deo notus atque comprehensibilis est. Divisus ergo omnium Matrum quæ fuerunt, eruntque, in suos filios amor atque fervida charitas, in unam Dei matrem confluxit, ita ut sola cunctis omnibus, & singulis se Matrem toties exhibuit exhibetque, quoties natura partus effundit humanos. Toties ergo Matris dulcissimum nomen, & natura multiplicatur, quoties orbis familia novis hæredibus augetur. Orbis ergo universus cum filiis vocat eam matrem, & instar matris singulis intenta, integros solidosque singulis dividit amores, & amorum plenos affectus. Totam ergo se deditam vult universo, & se totam singulis. Novit filius Dei omnes suos, & nominatim eos vocat: sic Virgo omnes suos novit, & nominatim vocat. Diligit filius omnes & singulos, ut seipsum: ita & Virgo, omnes & singulos ut seipsam. Gloriosissimum Mithridati Ponti & Bythiniæ Regi, posse duabus & viginti linguis suos milites compellare, & cuique suâ linguâ jus dicere. Sic Plinius libro septimo capite vigesimoquarto DeindeCyro Persarum in numerosissimo exercitu singulos nominatim alloqui. Plinius ibidem, & Valerius Maximus lib. 8. capite septimo. Multo magnificentius

Affectus parentum.

Affectus SS. Virginis.

Virgini, & gloriosius mortalibus, sic in Virginis mente singulos regnare, & ab illa adeò perfectè cognosci; ut omnes & singulas cogitationes nostras, necessitates, pericula & discrimina agnoscat & auxilia tanquam singulorum curiosissima Mater exoret. Et sanè cur non omnium mentes penetraret, cùm non solùm sit sapiens; verùm ipsa sapientia; nec solum sciens, verum scientiarum scientia; uti & rectè Bernardus super Salve: *Ipsa est virtutum auctrix, & scientiarum scientia sanctarum: quia sicut sol universa cæli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximia: sic totam rationalem creaturam post Filium excellit scientiâ & splendore virtutis.* Nunc videamus quàm illustrem, quàm omnibus numeris absolutam, veræ & generosæ Matris imaginem, ideamque circumferat. Eja Lector, partes luculentas & prima decora futuræ Matris mecum perlustra, ut inde SS. Virginem perfectissimam matrem humani generis esse decernamus.

§. X.

Prima conditio

Veræ matris.

INgens appetitus propagandæ posteritatis. Quare & natura, mirabili & arcanâ violentiâ, hoc consilium machinata est; ut fœminis & Matronis ingeneraret insatiabilem cupiditatem prolis generandæ; &, ut ait Aristoteles in Oeconomicis, potius maximus ille Deus machinatus est, ut sempiternum genus humanum esset, & immortalitatem consequeretur, conjugium, seminarium Reipublicæ, & totius orbis propagationem. Quare sicut sterilitas apud omnes gentes, & potissimùm apud Judæos exosa, & detestabilis; ita & fœcunditas summo in honore & pretio fuit, floruitque. Apud Romanos, ut docet Appianus libro secundo de bello Civili, in theatro honoratiorem locum occupabat. Suetonius in Augusto: Fœcundi liberorum singulis annis munera accipiebant. Et Aristoteles lib. 7. Politic. cap. 7. Quique liberorum conjuges donabantur immunitate ab officiis publicis. Apud Judæos verò summa cæli benedictio æstimabatur: qualem precabatur Jacob moriturus Filio cordis dilecto Josepho: *Filius*, inquit, *accrescens Ioseph*, &c. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper*, &c. *benedictionibus uberum, & vulvæ*. Sicut & sterilitas maledictio, & vitæ fastidium. Unde & Rachel mortem orabat: *Da mihi*, inquit, *liberos*, *alioquin moriar*, Genesis 30. Et quamvis in omnibus feminis hic igniculus desiderii, dixerim veriùs ingens

Conjugiû seminariû humani generis cur natura machinata.

A flamma dominaretur: quo tamen feminæ extabant stemmate, & potentiâ illustriores, impotentioribus amoribus agebantur: tantus amor prolis: tanti propagasse seipsum, & sui imaginem mundo hæreditariam transmisisse. Quid enim est generatio, nisi bonitatis insitæ propagatio? Quare & infinita bonitas essentiæ Divinæ, non potuit non sese ad fœcunditatem trium personarum coëxtendere, & Deus Pater ex infinitâ bonitatis suæ fœcunditate generare Filium; ut in eo velut imagine, imaginem virtutis suæ, suæ virtuti æqualem contemplaretur. Omne enim bonum sui diffusivum. Hinc & illæ voces Dei apud Isaiam 49. 21. *Ego sterilis & non pariens.* Et ca. 66. 24. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam?* Si ipse, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus. Desine ergo mirari si omnia viventia concitatissimo ad generationẽ

B impetu rapiantur; ut species rerũ, quarum sicut est ortus; ita & occasus, perpetuâ sui serie, & propagine, ne depereant, conserventur. Quemadmodum ergo futuræ Matres vehementibus desideriis in corporum generationem concitabantur; ita & sanctissima Virgo vehementissimis charitatis incendiis inardescens, in generationem salutis humanæ deperditæ rapiebatur, ut novos homines Deo pareret, quos Eva suâ malitiâ Principi tenebrarum peperisset. Sciebat quippè ad hoc opus Divinissimum perficiẽdum à Deo summo se destinatam. Agebatur ergo inflãmato, & irrequieto corde, agebatur cõtinuis

C amorum ictibus sauciata, non tam humanæ posteritatis quàm Divinæ, in humana posteritate propagandæ. Et quanto hâc Divina nobilior? an non tanto anima vilibus exigui corporis spoliis dignior, nobiliorque? In hoc ergo appetitu indito atque magnanimo, velut in fonte & seminario salus atque felicitas omnis mortalitatis claudebatur. Hoc vehementer urgebatur, ut nos per amorem, amoribus suæ mentis & charitatis conciperet, & mente conceptos, Deo parturiret, cujus gratiâ non solum omnem induerat charitatis naturam, verùm ipsissimam charitatem. Sicut ergo Deus ad creaturarum productionem, Virginis gratiâ stimulabatur, quam omnibus præferebat, præ omnibus amata primaque in mente Divinâ concepta; ut Pro-

D verb. 8. docetur: *Necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram: ante omnes colles ego parturiebar.* Sic Virgo ad productarum creaturarum instaurationem stimulabatur studio Divinæ Majestati placendi. A primo ergo suæ conceptionis puncto, quo anima corpori infusa inditaque; infusa & indita appetitio nostræ salutis, ut non citiùs animam humanamque vitam, quàm ingentem nostri hauserit appetitum, in quo cumulatissimè explevit nobilissimam primam conditionem Matris futuræ. Adeò avida nostræ salutis Virgo.

§. XI.

§. XI.

Secunda conditio.

Matribus cum ipsâ naturâ congenita ingens fœtûs solicitudo dum utero portatur. Duplex Virginis uterus. Alter Christum, alter nos portat.

APpetitum sequitur conceptus, & concepti fœtus in utero gestatio. Est ergò soboles in utero, quasi domicilio regnoque suo undique adeò firmis munimentis obsepto, & providâ naturæ custodiâ obvallato, ut minimæ etiam aëris injuriæ non pateat obnoxia. Mirum dictu; fœtum sic Matri consociari, unirique, ut consociatio unitissima nullam patiatur divisionem, una sit utriusque vita, unus spiritus, una respiratio, unus utriusque sensus. Sola tantum anima, non animatum operationibus inter se differentes. Deus Optimus Maximus circumdedit animam corpore, & vestivit extrinsecus: Mater fœtum suo corpore vestit intrinsecâ corporis sui parte, vestitum alit, sustentat nutritque suo sanguine. Quis enarret curas gravidæ? timet oneri, non sibi; curiosa prolis, incuriosa sui; suspenso circumspectoque procedit gradu, singula oculis metitur, omnia tuta timet, ipsam in varias curas dividit, nunquam sui secura, nisi fructus sui securitate: omnis cura versatur in suis exuviis, ut nato homine læta possit agere triumphos sui laboris. Tanti est hominem, unicam cæli, terræque curam & hæredem generasse. Si ulli fæminarum hæc sit nobilis indita conditio, nobiliori dote, & gratiâ, & modo sanctæ Virgini est indita, quæ omnes mortales non utero uno, verum duplici; non novem mensibus, sed usque ad senectam & senium; imò usque ad ultimum vitæ actum, fert omnes mortales; quo Deus fert utero suo quos genuit. Genuit Deus Pater Filium: ex utero in splendoribus Sanctorum ante Luciferum ab omni æternitate, & per omnem æternitatem semper incessanter gignet infinitâ infiniti intellectus sui fœcunditate, per omnia sibi similem, ejusdem scilicet essentiæ & ὁμυσίας, sine quo Pater esse non potest; sicut nec sine intellectu, cujus actione veluti intellectus partu filius generatur. Genuit deinde Deus creaturas: quare & pater hominum vocatur, per sapientiam suam increatam, quam ab æterno conceperat, quæ & ante omnes colles parturiebat, & in lucem edidit, dum mundi fabricam suæ

Ingens gravida solicitudo.

A potentiæ dextrâ atque molimine tantus opifex est architectatus. Homines ergò, quos tanti operis voluit Præsides Rectoresque, ut ex nimio amore creavit, ita & pari fert non solum in oculis; verùm utero suo clausos fovet atque tuetur. Audi ut Isaias describat Dei gravidum uterum 46. 3 *Audite me Domus Iacob, & omne residuum Domus Israël, qui portamini ab utero meo, qui gestamini à meâ vulvâ. Vsque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, ego feram: ego portabo, & salvabo.* Certum est, Deum incorporeum, non nisi incorporeo utero homines portare: sicut & filium genuit ex utero suo ante Luciferum fœcunditate intellectûs, in quo filius conceptus genitusque fuit. Quod enim est uterus portando

Dei uterus quo homines portat est ejus intellectus.

B fœtui quo totus obumbratur, tegitur, & in quo totus efformatur: hoc est intellectus in summo spiritu, & potissimùm in supremo entium ente, in quo omnes ideæ, formæ, & exemplaria sunt rerum possibilium. In hoc ergò intellectu suo, velut utero portat magnus omnes mortales; longè majori providentiâ, quàm matres gravidæ circumferunt suos fœtus; uti ex verbis Prophetæ manifestè declaratur, dum verbis vehementibus maternâ curâ, suam majorem contestatur. Hoc & utero fert sanctissima Virgo cunctos mortales, quando

SS. Virgo duplicem uterum habet.

C scilicet mentis suæ, atque intellectus omni providentiâ eos curat, tuetur, sustentat, atque complet Matris amantissimæ luculentissimas partes debitumque. Alter uterus Virginis, est ille, qui fuit Regia sedes, basilica, thronus aureus Magni Dei multo nobilior cælo, quamvis sedes Dei, nuncupetur, quo solo titulo nobilitas ejus attollitur. In Virginis quippè utero Deus clausus habitavit, qui cælo claudi non potest. Infinitis opus cælis mundisque, ne infinita Majestatis immensitas ullis arctetur angustiis; & tamen Virginis uterus angustissimus cùm sit, pro sua infinitate liberè in eo spatiatur. Hoc agnovit Divus Jacobus,

D dum in sua Missa uterum Virginis extollit vocatque; *Tuum*, inquit, *Deus uterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem & ampliorem cælis reddidit.* Hunc imitatus Epiphanius de laudibus Virginis: *O uterum impollutum habentem circulum circulorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum portasti! ô uterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti!* Mirum cogitatu: non fuisse coarctatum, qui vastitate cælorum stupendâ strictè & angustè tenebatur. Maximus Deus in mentis Virgineæ maxima magnitudine liberè dominans, se dilatabat, & mentis magnitudo, corporis compensabat angustias, cui magnæ nihil erat magnum, cui magnæ omnis magnitudo brevis & pusilla. Erat ergò Deo sanctissima Virgo instar multorum cælorum, quos Deus suâ immensitate replere potuisset

Deus non arctatur in utero Virginis etsi sit infractus.

potuisset. Hoc est quod Guerricus Abbas dicit: *quia quod deerat corporalis spatii, mentis compensabat amplitudo.* O uterum qui es septem circulis constans,& capacior istis existis! O uterum habentem inextinguibile lumen lucentis gratiæ, id est septem dona Spiritus sancti,quæ septem planetis respondent! In hoc utero Virginis omnes mortales cum Christo Filio clauduntur; ab hoc utero Materno omnes filii Adam portantur, ut omnes illam tanquam Matrem agnoscant & venerentur. Se Matrem nostram ipsa Virgo fatetur, dum Proverb. 8. ait: *Eram cum eo cuncta componens.* Ubi alii habent: *Eram propè ipsum nutrix*; hominum scilicet, quos instar Matris amantissimæ fovebam atque sustentabam. Hoc probat Augustinus de Virginitate hoc argumento: Sanctissima Virgo est Mater Christi; ergo etiam membrorum ejus Est ergo Mater nostra & nos utero fert non solum sui intellectus; verùm etiam utero corporeo, dum Christi est Mater, & membrorum, quod nos sumus, ut ait Augustinus; quia cooperata est suâ charitate,ut fideles in Ecclesia nasceremur. Dum ergo Filium, qui est caput nostrum, fovet, tractat, blandè ambit; quantâ indulgentiâ, quanto amore nos, qui sumus & viscera & membra Filii sui. Gestat dulcissima Mater suum dulcissimum Filium: gestat & te communi utero, tanquam Filii membrū. Filius in utero gestatus Matrem suam dulcissimam gravidavit, verùm non gravavit: tu gestatus eodem utero, noli gravare Virginem quæ te per amoris juncturam Filio coagmentavit; quam Eua proditrix per voluntatem scelere emptam dissoluerat. Christi ergo fratres cùm simus, juxta Paulum, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* & juxta illud: *Ite, nuntiate fratribus meis.* Si fratres; ergo & sanctissimæ Matris filii. Deindè cùm per gratiam adoptemur à Deo Patre in filios, vult Deus Pater filios suos à Matre sui Filii nutriri atq; educari; at dispari ratione Filium portavit suum, & nos ut suos filios. In conceptione Filii incessit Regina puella floribus coronata lætitię, cælo plaudente, dotata cælo terrâque, inaugurata creaturarum Domina; at dum nos concipit, utero portat, similis Rebeccæ clamare potest, quæ collisionem & duellum gemellorum sentiens, pœnitentiâ sui desiderii exclamavit: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere?* An non melius foret homini, si conceptus non fuisset? Deindè quo successu nos parit? Filium parit incedens omnibus lætitiis, & nos summis doloribus, sustinens dolores parturientis, juxta crucem stans, cum Filio Crucifixo omnium nostrûm salutem confixa tot ictibus dolorum, quot Filius vulneribus peperit, & facta omnium nostrûm Mater. Commodè hic occurrit Lectio septuaginta Interpretum in caput octavum Cantic.

Omnes mortales sunt in utero Virginis intellectu & mentis altitudine.

SS. Virgo tractat nos ut filii sui membra.

Aliter parit Filium, aliter nos SS. Virgo.

A *Sub arbore malo suscitavi te.* Ubi ad vivum Virginei partus, quo nos procreavit, acerbitatem & cruciatum describunt: *Sub malo*, inquiunt, *exsuscitavi te, ibi cum dolore peperit te Mater tua.* Ibi cum dolore peperit te quæ genuit te. Ubi Græca vox ὠδίνησε. Septuginta vertunt, *cum dolore parere & enixi.* unde propriè verte: *Ibi magno dolore parturiit te Mater tua.* Sub quâ arbore malo? an non sub cruce, arbore salutiferâ levavi, erexi te à ruinâ? ait Christus, ubi instar pelicani te mortuum, ut ille pullos mortuos, sanguine suo perfusum priùs suscitavit: ibi peperit te mater tua, ibi parturiit te genitrix tua, id est, magno dolorum nixu in lucem edidit. Lege vocem, dolore ingeminari; cum verbo parturire, quod magnam dolorum vehementiam designat. B Eva ergo summo cum dolore peperit: Virgo autem sanctissima quos utero gestat, parturit, & parturiet; sicut parturiit. Parturiit, cùm Filium in holocaustùm obtulit. Parturiet & parturit in dies, dum quotidie per Filii crucem, peccatorum indulgentiam, & gratiam Filii, & auxilia supernaturalia impetrat confidenter. Audi ergo ô mortalis, qui portaris ab utero Virginis, Matrem partim blandientem, partim minas intentantem eodem carmine quo mater Bersabeę filium Salomonem erudiit. Audi ex nostro textu blandientem Quid dilecte mi? quid dilecti uteri mei? quid dilecte votorum meorum? Audi ex versione Chaldaicâ, C inter delit... Heroinæ blandientis, severa monita intonantem: Quale væ fili mi fili uteri? væ fili votorum meorum? Quid dilecte mi? quid scilicet dicam tibi? Apprehende disciplinam, ne quando irascatur Dominus. id est, osculare Filium Dei; servito ei in timore, & exultato cum tremore. Deinde me Matrem vestram æternâ colito memoriâ; *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*; qui autem oderit me, hostis est animæ suæ. Quid fili de te? quid sperem de te fili, si me deserueris? *Qui operantur in me, non peccabunt.* Eccles. 24. Quid est operari? Posuit Deus hominem in paradiso, ut operaretur, & custodiret eum. Beata Virgo quasi vinea est, in quâ tot D vites sunt, quot virtutes: quidam in eâ colunt, sive operantur in illâ humilitatem; alii virginitatem, alii pietatem. Hunc ergo Paradisum cole, & in eo operare; & imitare tam nobilis Paradisi virtutes.

Divina Virgo mater nostra parit nos cum dolore.

Bersabea vehemens ad Salomonem oratio.

§. XII.

§. XII.

Tertia conditio.

Vberibus suis lactare suam prolem.

QUemadmodum natura provida sagaxque fœminis uterum, proli formandæ tanquam sacrarium securitatis machinata est; ita & eadem generis humani nutrix, matribus turgentia ubera quasi duos fontes lacte manantes providit, quibus quod natum est, feliciter posset educari. Ut autem quod summâ, vigiliique curâ portatum est atque in lucem effusum, non minori curâ, verùm & ardentiori affectu enutriretur, ubera in pectore constituit tanquam sede & amoris domicilio, ut symbola amoris forent æterni. Quare Hebraicum verbum *Dodin* tam amores quàm ubera significat; Canticorum 1. *meliora sunt ubera tua vino*. Unde hîc Hebræi per ubera vertunt amores. Hinc Vatablus vertit: *Amores tui vinum bonitate superant*. Et Nyssenus accipit cor quod uberibus tegitur; quasi Matres, ubera præbendo suis dilectis, sese excordient, per vbera totos cordis amores in dulces natos transfundant; atque ita ut ubera gravida lacte, sint verissima cordis materni donativa; cùm aliter cordi prolis, arctiori juncturâ cor maternum copulari non posset. Apud Galatas mos inueteratus in sponsalibus, ut ex eodem poculo vir uxorque simul bibant, ut communi more ostenderent eas nuptias probè contractas esse, in quibus tanta esset conjugatorum concordia, ut perpetuò communis cibus & potus esset. Vide Alexandrum libro secundo capite quinto. Gregorius Tolosanus libro nono Syntag. juris capite quinto scribit apud Judæos haberi benedictionem sponsalium, in quo qui benedictioni præpositus est, sumit calicem & recitat orationem: *Qui creas fructum vitis, &c.* posteà bibit vinum; deinde propinat sponso & sponsæ, in sponsalitii & amoris certum fœdus. At ab uberibus maternis qui spiritus vitales Matris non propinantur proli? bibit illa cordis amores per mille complexus, ex unitate carnis, quam traxit soboles ex Matris officinâ. An non diceres per amorem mutuum conflatis spiritibus, & natum & matrem in unam carnem & animam coaluisse? si vini libatio tãtum valeat ad firmandos amores, quantum propinatio lactis ex venis cordis educti? Lac ergo, commune pignus est inter matrem & prolem, quo verus amor consignatur. Quam fœdum & novercale matri generasse, & non lactasse? degenerãt surculi, obliti prioris succi, si rescindantur ab arbore: degerãt, & bibunt mores, vitiaque nutricum auulsi à matris uberibus nati. Tiberius Cæsar quantus potator, à nu-

Vberum necessitas à natura inventa.

Matres sunt novercæ quæ non lactant.

A trice potatrice? quanta in Augustino pietas? an non hinc in lib. Confess. recognoscit se suxisse ab ubere materno? An non Romulus & Remus latrociniis efferi & in seipsos? an non unius sanguine maduerunt muri novæ urbis? an non quia à lupâ educati? An nõ Catoni Majori unica cura filium ab vxore lactari, cui & adstabat lactanti? Mirum dictu quod à Gellio scriptum: caprarũ pilos molliri si ab ubere ovino fuerint capræ lactatæ, & ovium lanas gigni; priores durioresque si ab illis hæ nutritæ? An non arbores trahũt naturam soli in quo plantatæ: Non meretur nomen Matronæ castę, quæ filium non lactat, qui nomen matris, matri dedit; consulat pudori, nõ pateat libidini, quę matris nomen sibi vendicat. Abite ferinæ matres, feris B immitiores; quę enim fera non lactat, nutritque suum genus? Tota natura suorũ educatrix, unam contra vos conferet sententiã. Sanctissima ergo Virgo tanquam vera mater, ubere de cælo pleno Filium suum lactavit, & summum decus Matris explevit. Fœcunda utero incorrupto; fœcunda uberibus Virgineis, fœcunda osculis hauriendis dandisq; Virgineis, fœcunda trãsfundendis in dulcissimum natum cordis amoribus. Tota in filio mater, & totus in matre filius: lactat uterque, & lactatur: lactat mater, lactat & filius: & lactans lactat, & lactans lactatur. Qui enim lactat, & Pater, & Natus, & Mater est, & qui lactatur, & Pater, & Natus, & Mater C est. à matre filius, & à filio mater. ô qualia prodigia?

Damna quæ proli obveniunt si matres non lactãt.

Omnes feræ lactant suos fætus.

§. XIII.

De nobilitate uberum sanctissimæ Virginis.

NEmo ignorat formam mulierũ elaborari scrupulosâ distinctione vestium: ignorant se pulchras, nisi per caput, per colla manusque ducti lapides. Mirum ut pulchritudinem externis opibus quærant: tum se formosas æstimant, quando smaragdis opertæ alterno textu fulgentibus crinibus D spirisque circumductis, & collum circumdatum viridi gemmâ. Errant. Discite Matronę speciem & formositatem juuari modico cultu, deformari luxurioso; verã formositatem esse pulchræ & simplicis opus naturæ. Plus laudis pastoritiæ puellæ forma, quàm fucatæ Palatinæ adultera forma tulit: natiuus color, & amœni vultus species, placuit semper: quidquid spurium est, & foris advocatum, ingratum. Obversetur oculis unicum & singulare & supremum ludentis naturæ opus sanctissima Virgo, quæ tota pulchra, & simulachrum ipsius pulchritudinis, quæ non adventiciis fictisque præsidiis, sed nativis opibus efflorescit. De qua cùm alibi dictum, nunc de uberum nobilitate & pulchritudine dicendum; priùs tamen quàm aggre-

Quæ sit vera formositas.

 diar,

diar, lis non parva suboritur: num Virgo sanctissima, pudoris Virginei forma, ubera nudata gestârit? Sanctius noster longâ Oratione persequitur, & eruditè admodum probat apud Hebræos, more comparatum fuisse, ut feminæ mammillas apertas & investes gestarent: quod & aliis Nationibus usu venit; usus autem omnem lasciviæ, & turpitudinis notam tollit adimitque. Hinc oscula libandi septentrionalibus frequentata consuetudo, quam aliæ Gentes condemnant. Exitium multis peperit, generosas feminas genis contrectatis salutasse, & osculo eas delibasse; quod idem apud alias Gentes inurbanum, & rusticitatis nota est, prætermisisse. Tanta vis inductæ consuetudinis, quæ & apud Græcos osculorum usum introduxit, & introductum emollivit. Quidquid sit de nostra sanctissima Virgine, proximum à vero more gentis introducto, aliis civibus convixisse. Sive autem Virginis ubera tecta fuerint, & vestita; sive aperta, parum interest pulchritudinis, cùm laus & pulchritudo, quam quærimus, non à cultu, vel à nuditate dependeant: nam de mammis sub tenui vitiâ latentibus, non minus aptè venustèque, quàm de apertis exertisque enunciari potest.

Virum SS. Virgo nuda opera gestaris.

Quemadmodum & pulchra facies, flammei tenuitate velata plus commendationis peperit, quàm penitus conspecta: quandoquidem cor homini datum sit in nobilissimam partem totius suæ fabricæ tanquam Regem omnium membrorum: voluit natura, pectus tanquam cordis basilicam duobus uberibus velut extantibus ada mantibus, quæ potissimum in corpore femineo sunt pulcherrima, & delitiosa, & amoris rapacia, curiosissimè elaborata prominere. Si Virginis uterus, quia hospitium, quia aula, quia templum Salomonis, cælo pulcherrimo fuit pulchrior & illustrior; an non utero pulcherrimo pulchriora nobilioraque Virginis ubera, quæ non novem menses, sed triennium debebant summo Deo lactis tributum? Quàm candida ergò, quàm modica, quàm rotunda, quàm turgida, quàm speciosa, erant speciosissimæ Virginis suprema decora. Ausus si Seneca his laudare Octaviam:

Cur ubera in pectore.

Ubera Virginis qualia.

— Vidit attonitus tuam
Formam senatus, thura cùm superis dares
Sacrasq; grato spargeres aras mero
Velata summum flammeo tenui caput.

Quis mihi det verba, ut formam tantæ Virginis, & uberum decus laudem? silentio laudabo & attonitus succumbam. Spiritus sanctus Virginis sponsus, ut nobilitatem uberum Virgeneorum delinearet, dignissimis creaturis assimilavit, quæ vel-

A ut mutæ umbræ, tanquam in umbra exhiberent spectaculum tantæ nobilitatis. Quid pulchrius duobus capreæ hinnulis inter lilia pascentibus? An non rustica videtur, & Pastoritia similitudo, vel parabola? Attende Lector ad duplicem sensum: Vel ubera comparantur duobus hinnulis, quia suavis coloris æquè ac odoris; præsertim dum inter lilia pascuntur odorata; quia suâ specie & munditie, agilitate & subsultu festivi & gratiosi, qualia sunt ubera sponsæ. Comparantur duo ubera, duobus gemellis uno partu editis, ad notandam æqualitatem. Ubera verò tumentia, ventriculis plenis haustu lactis materni similia, quæ ubera tumentia Sulamitidem ad nuptias ineundas, maturam aptamque esse designant. Turget quippè gemellis ventriculus; vel à lacte, vel à nimio pastu, tumore quodam ad papillarum tumorem notandum: vel ut alii explicant; non tam hinnulis comparari ubera, sed capreæ; quasi diceretur: Ubera tua sunt sicut ubera capreæ duos gemellos lactantis, quæ præ ceteris animalibus leniter turgent, papillis roseis formosè rotundata, & tornatili specie figurata. Laudentur puellarum incorruptarum ubera à formatum spectatoribus; quòd parva sint, rotunda, solida, nec diffluentia; sed contracta, comparia, nitida & succulenta: cedat hæc laus omnis Virginis uberibus, quæ Divinâ potius quàm humanâ fabricata manu. Quibus Orbis architectus, & Orbis lactatur universus; in quibus Deus totius boni posuit plenitudinem, ut proindè si quid in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab uberibus Virginis noverimus redundare: ab uberibus enim Virginis quæ Virginitatem & fœcunditatem designant, fluxerunt tot chori Virginum, Virginitate florentes: fluxerunt tot Sanctorum exercitus fœcundi virtutibus.

Ubera hinnulis comparata.

B

C

Hæc ubera sunt fontes geminæ dilectionis lac fundentia, quia reis veniam, & justis impetrant gratiam. A Deo replentur ubera Virginis infinitâ pietate, ut nostræ D miseriæ tactu, lac fundant misericordiæ; ita ut Virgo non possit miserias scire, & non subvenire. Quare & optimè comparatur hinnulorum velocitati, quia velociùs occurrit ejus pietas, quàm invocetur, & causas miserorum anticipat. Bonitas enim & munificentia cordis, à mentis innata bonitate, ejusque munificentia descendit. Descendit & corporeorum uberum felicitas, à felicitate uberum mentis; habet enim & anima sibi cognata ubera, sicut & corpus sua. Sanctissima ergo cùm sit oceanus bonitatis, habet & ubera mentis, habet & ubera sacri sui corporis, quæ felicitatem suam ducunt ab uberibus mentis: nobilior enim fuit Mater mente, quàm corpore; priùs enim concepit mente assensum

sensum præbendo, quàm corpore sacrum onus portando. Lactavit ergò priùs Deum uberibus mentis, quàm corporis. Et quid mirum, si bonitate & misericordiâ affluit? An non quia misericordiam peperit? Carnalia Christus in Virgine suxit ubera, ut per eam nobis fluerent spiritualia. Verè sanctissima Mater, Mater es misericordiæ, cùm misericordiam lactasti, à quâ & misericordiæ ubera accepisti, ut genus humanum lactares; & quia pietatis lacte repleta es, dulcedinem exhibes universis.

§. XIV.

Altera comparatio uberum cum vino.

NIhil in rebus humanis, laudibus Cereris & Vini certare potest, utraque præcipuæ terræ dotes in humanæ vitæ tam necessitatem quàm oblectamenta. Quid est vinum, nisi terræ prærogativa gratia? quid vinum, nisi delinimentum miseriarum, & deliciarum voluptatumque nobilissimum condimentum? In vinum videtur natura omnem amœnitatis conciliatricem gratiam, in ostentamentum suæ potentiæ contulisse; quo sine videtur Orbis, ut sine luce dies, lugere; quo fuso, vita festiva, & sopita lætitia dati. Et ergò Bacchus, ut ille cecinit, lætitiæ dator, & arcani proditor; ut Horatius scribit libro 1. Oda 18.

— Subsequitur cæcus amor sui;
Attollens vacuum plus nimio gloria verticem
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

Vide potentiam ejus in Tibullo:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricola magno confecta labore
Pectora, tristitiæ dissoluenda dedit:
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert;
Crura licet dura compede pulsa sonent.

Mira vis in uno liquore, ut animos pareret roboretque; ut eosdem quasi herbis Circæis effeminet. Vis curas dilui? dilue mero. Vis fugare dolorem? fuga mero. Vis pauperi cornua dare? da vinum. Vis solvere contractâ paupertate lugentem? solve vino. Vis in prælia inermem trudere? trude vino. Vis debellatas rixas? debella vino. Vis elinguem, desertum? da fœcundos latices. Lector vide, ut in Satyros exerceat suum regnum Bacchus in Olympio Nemesiano Egloga 3. ubi Vindemiam describit: *Vini potentia.*

Vix Satyri audierant, decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celerique illidere plantâ;
A *Concava saxa superponunt, vindemia fervet.*
Collibus in summis crebro pede rumpitur uva
Vdaque purpureo sparguntur pectora musto;
Tum Satyri lasciva cohors sibi pocula quisque
Obvia corripiunt, quod sors dedit, hoc capit usus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit;
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Musta labris: alius vocalia Cymbala mergit,
Excipit ac potat; saliens liquor ore resultat
Atque alius latices pressu resupinus ab uvæ,
B *Spumeus inque humeros, & pectora defluit humor.*
Omnia ludus habet cantusque chorusque licentes.

De vini potentia quia dictum alio loco, supersedeo. Hanc tamen potentiam vini incredibilem superat nobilis potentia uberum Virgineorum; quàm auri nobilitas lutum, & sol nocturna sidera. Docet hanc veritatem Spiritus sanctus Cantic. primo capite. *Meliora sunt ubera tua vino.* Vinum conciliat amores carnis fugitivos. Ubera Virginis conciliant amores rerum æternarum. Est Venus in vinis; ignis in igne furit. In uberibus Virginis lacteus pudor C & amor Virginitatis; & ignis in lacte mellifluo nectareus generans Virgines. Vinum inebriat ad interitum: ubera Virginis ad æternam salutem inebriant lacte suæ dulcedinis! Lac hoc scilicet rationabile; Græcè λογικὸν γάλα, quod clemens interpretatur, verbale lac, quod est ipsum verbum, concupiscite, ut in ipso crescatis in salutem, si gustatis quod Christus sit Virginis Filius. Hoc lac præstat lætitiam omnibus voluptatibus superiorem, stabilem & æternam. Vua semel expressa non habet quod denuò fundat; sed perpetuâ damnatur ariditate: sic omnis carnis voluptas, quæ per vinum signatur, semel habita non revirescit: omnis enim *caro fœnum,* Isa. 40. *& omnis gloria ejus tanquam flos fœni.* Christus D Dominus habet & sua ubera admiranda, omni vino præstantiora; ineffabiles scilicet fontes corporis & sanguinis sui, fontes omnium gratiarum; sanguinis; quo potamur & inebriamur; corporis, quo nutrimur. Ad quos invitat Sapientia Divina: *Venite & comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Proverbiorum 9. Matres sæpè natos nutricibus elocant: ego proprio corpore vos alo, & mihi conglutino. Tu arripe Christi ubera hæc, ut infantes avidi papillas; iis imprime labia, & exsuge gratiam vitæ & omnis benedictionis. Meliora sunt hæc ubera omni vino; ubera scilicet misericordiæ, ubera lætitiæ spiritualis, quæ omnem sensuum exsuperant voluptatem, quam ut anima gustavit, *Virtus uberum virgineorum.* *Christus Dominus sua & habet ubera.*

ex alto

ex alto despicit mundi delicias, quasi nugas nugarum, eunt omnia in fastidium, quæ ab his fontibus deliciarum sunt aliena. Tunc gustato Christi sanguine, inspirat Christus in faciem hominis spiraculum vitæ, & factus exurgit homo in animam viventem, Deo scilicet è luto ficti simulachri faciem factam deosculante; non enim horrori fuit tantæ Majestati, lutum nostrum deosculati, ut ipsi animam inspiraret. Sicut Christus habet ubera pretiosi sanguinis: sic Mater lactis. Nunquam Mater sine lacte: nec Filius sine fonte sanguinis pelicano similis. Lac non uberat; uberat cruorem. Hinc Augustinus inter Matrem & Filium constitutus exclamavit: *Hinc lactor ab ubere; hinc pascor à vulnere. Meliora ergo utriusque ubera omni vino.*

§. XV.

Tertia uberum comparatio cum botris vineæ. Christus sponsus laudatus à sponsa, regerit laudes in sponsam. Audiamus laudes sponsi; deinde sponsæ.

SPonsa dilectum suum assimilavit botro Cypri, capite primo Cantic. versiculo duodecimo, dum ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cyprus, inquit Plinius libro duodecimo capite vigesimoquarto, est arbor in Ægypto zizyphi foliis semine coriandri flore candido & odorato; & ut docet Philo Capath. in cap. 4. Cantic. vers. 13. cincinnorum pendente comâ odoratissima, folio oleæ; unde fit unguentum odoratissimum nomine Cyprinum, & Ligistro Italico simile, in Judæâ fuit adoratissima & fructus proferens, botros nimirum miræ magnitudinis, æquè ac saporis, exspirantes suavissimum odorem musco similem. Botri itaque Cypri in Engaddi nati, quæ est Urbs & Regio gratissimos exhalans odores ex copiâ odoriferarum arborum, omni ævo fuerunt in summo honore & pretio; undè & Engaddi verti potest, oculus vel fons felicitatis. Quâ ex causâ sponsa dilectum suum comparat botro Cypri, id est fructui pulchritudinis; quid enim Cyprus nisi pulchritudo? quasi botri geniti in Engaddi in oculo vel fonte felicitatis, & ideo pulcherrimi. Comparat ergò sponsum suum sponsa botro Cypri nato in Engaddi, tanquam oculo, vel fonte ipsius pulchritudinis. Et sanè quid pulchrius filio Dei, à quo felix beatitudo procedit, qui omnes scelerum expiat fœtores? Quid enim Cyprus nisi expiatio scelerum? Undè rectè botrus expiationis & redemptionis

Quid sit botrus Cypri.

A vocatur. Deinde alium sensum venari licebit, cùm nobilissimæ vites in Engaddi nascantur, & ibidem inter propagines vitium Cypri arbores plantentur; indè contingit ut vites & saporem, & odorem fructuum juxtà crescentium adsciscant; si Plinio fides habeatur, qui libro 14. capite 2. sic ait: Mira vitium natura, saporem & odorem aliundè trahunt. Cùm igitur dicit sponsa: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*; proindè erit ac si dicat: Dilectus meus unguento delibutus, ad instar obtinet botri floridi, & odore suo Cypri fragrantiam referentis, quales Engadditicæ vineæ proferre solent. Si igitur botrum pro vite aut palmite interpretari velis, exur-B get pulcherrimus contextus; quasi dicatur: Quemadmodum vitis Cypro adnascens, eam complectitur, & palmite suo quasi brachio innodatam stringit; non aliter sponsus me in accubatione epulari sibi hærentem castissimis brachiis amplexatur. Sicut vitis per se fluxa, jam adulta propagine maritat populos, & ne serpat multiplici & erratico lapsu, claviculis adminicula quasi manibus apprehendit. Sic tu sponse mi, eris mihi arbor Cyprus; & ero tibi vitis. Ego ne per terram repam, apprehendam te; & tu sustentabis me. Ego in morem vitis, tibi vinum; tu verò mihi adinstar Cypri odorem & unguenta exhibebis. An non tota formositas Virginis à filio? An non C omnis odor unguentorum, omnes deliciæ à suo factore manarunt? An non dicitur, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens innixa super dilectum?* Fragilis natura portatur instar vitis ab Omnipotente, qui Virginem elevatam supra omnes creaturas sustentat. Simul consitæ Cyprus & vitis, quasi inito conjugio se mutuis officiis sustentant. Simul Virgo & Filius, hic quasi Cyprus, fons omnis boni odoris, & illa quasi vitis, sed innixa vitis arbori, alioquin sine honore; ut præclarè Tibullus:

Viti pedamentum necessarium.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam; D
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluêre Iuvenci;
Sed si fortè eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi eam agricolæ, multi coluêre Iuvenci.

Virginem innixam Filio, tanquam ulmo adoramus, colimus & veneramur, à quo quod possidet, accepit.

Dilectus ergò à sponsâ assimilatus botris Cypri, non minori ubertate dilectionis gratiam reponit. Vehementer laudatus filius à sua sancta Genitrice; deproperat in laudes ejus, eamque sibi vult pariari; imò præ magnitudine amoris primas deferri. Comparatus ergo Cypro laudatæ bis; comparat & æquat gloriosissimam Matrem trium-

Laus ipsa reddita sponsæ.

triumphali & magnanimæ arbori Palmæ, id est, alatis seu spatalibus palmarum, in quibus multitudo dactylorum continetur; deindè ubera botris vineæ. Audiamus voces dulcissimi filii cap. 7. versu 7. in primis: *Statura tua assimilata est palma, & ubera tua botris.* Deindè versu 8. *Dixi: Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus, & erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Dilectio quàm decora charissima in deliciis tuis hæc magnitudo tua. Ubi Arabicus textus: Magnificata ergo est fama tua, vel natura & indoles ut palma; instar palmæ enim Principis supereminet omnibus, si quando stas in medio non solum feminarum; verùm omnium Principum choro. Charitas in deliciis hæc est magnitudo tua, ô Virgo sancta! humilitas in infima descendens, est magnitudo tua; quæ & duo ubera tua. Palma asperum habet corticem; tu vilis sine honorum pompâ: vilis palma in trunco; tu vilis à paupertate: palma in cœlum erecta, stat suâ magnificâ rectâque proceritate; tu cælo sublimior, stas erecta tuæ constantiæ magnitudine: pulchra palma & spectabilis fructu; tu flore fructuque delectabilis, florem & lilium convallium peperisti. Palma victricem manum ornat; tu es ipsa palma & victoria, quæ ornas omnes victrices manus. Tua ubera sunt verè botri; botri in flore pariunt odorem, in fructu dulcedinem, in potu calorem & animos donant; sic ubera tua, quæ sunt humilitas & Virginitas; vel charitas Dei & proximi, inundant orbem odore suavitatis, & fragrant odore cælestis musci; inebriant dulcedine nectaris, & cælesti conversationis succo, & accendis omnium corda in tui imitationem. Eia Christiane in inferioribus sustine asperitatem laborum pro Christo: in superioribus, id est, in cælestibus pulchritudinem, & suavitatem expecta præmiorum. Mirum dictu: cùm Virgo instar palmæ excelsissima sit, ut cæli fastigia tangat, omnibus tamen se submittat, ut omnibus subveniat; illi sufficit subvenisse, omnibus porrigit ubera; palma est, & palma pendentes fructus habet. Charitas in miseros, illi in deliciis, & illis profuisse magnitudo ejus. Bene palmæ assimilata Virgo; quia palma cùm sit victoriæ symbolum, per eam victoria nobis parta, dum Filium dedicavit in sacrificium crucis; qui patiendo vicit. Eia Christiane, affectas palmam, & victoriam? nulli debetur palma, nulli victoria nisi patienti, vel Martyri. Audi Ambrosium serm. 38. *Præmium quoddam est palma Martyrii, quæ confitenti lingua dulcem fructum tribuit, & victrici dextra gloriosum prabet ornatum.* Est palma martyrii suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper parata victoriæ, atque ideò non marcescit, quia Martyrum victoria non marcescit.

Laus SS. Virginis à filio data.

Non miraris Virginem assimilari palmæ, & ubera botris. Quid palmâ durius, inexpugnabilius, solidius, & æternitas materiæ debita? quid uberibus & botris spongiosius, tenerius, infirmius? Memineris in Judæâ vites maritari palmis; sicut in Apuliâ altissimis arboribus. Vites inclinatæ recumbunt in palmas; sic ubera tenerrimæ Virginis, quæ à Christo Domino ducunt originem, inclinata recumbunt, à quo trahunt omne robur & fortitudinem suam. Tu Christiane ascende in palmam, & apprehende ubera Virginis, erunt ubera sicut botri vineæ: ut hi vinum suavissimum; ita & illa lac æternæ salutis exuberent. Quàm dulcis facta es Virgo uberum lacte, quàm potens, invictâ & speciosâ firmitate palmæ!

§. XVI.

De impenetrabili uberum Virgineorum robore & firmitate.

IN femina nihil uberibus delicatius, mollius, aut injuriæ opportunius. Prima Veneris, & amatorum spolia, primæ voluptatis illecebræ, & oculorum dolores. In Regina Virginum nihil robustius, firmius & invulnerabilius, nihil castius incorruptiusque. Audi ipsam Virginem: *Ego murus, & ubera sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Cantic. 8. Ubi Septuaginta sic vertunt: *Ego murus, & ubera mea sicut turres; ego eram in oculis eorum tanquam inveniens pacem.* Arabicus verò textus habet: *unica pacis, unica salutis*; quasi diceret: Ego ideò sum murus, & habeo ubera instar turrium, ex quo animum dilecti placavi, plenè illi satisfaciens, mihique illum penitus devinciens. Benè & sapientissimè Virgo dicit se esse murum, & ubera instar turrium, ex quo mea, inquit, pulchritudo omnibus numeris consummata placuit Deo sponso meo; quæ pulchritudo ita placet sponso, ut videar ipsi esse murus, & ubera turrita; quæ tamen cùm habeam, non iis opus est: adinstar enim est mihi innata pulchritudo corporis, & mentis. cui debeo uberum incorruptionem, & æternam & inexpugnabilem firmitatem.

Pudor duplici ariete expugnatur.

Duo sunt quæ mammas puellares facili expugnatione captivas reddunt; Lascivæ menti innata corruptio; & insaturata munerum, & laudis propriæ ambitio. His duabus machinis omnis evincitur puritas pectoris, in quo velut solio residet uberum Virgineus pudor. Inserta quippè naturæ corruptæ; vel ut potius utar verbo Plauti, incordiata voluptatis, & munerum appetentia labefactat mentis corruptæ inconstantem statum. Et sanè ita est. Quid mente corruptâ reliquum est corpori? quid vigoris militi Duce effeminato? minus corpori animo vitiato. Vir

corpore valere? cura ut animo valeas. Corpus siquidem animi gubernaculo; animus autem ministerio corporis indiget: at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Tota ergò hominis salus in mente. Inanis & supervacua corporis custodia si à mente diffideat, nulla Matrona casta, custode remoto; sed satellitio virtutum: quare rectè Ovidius lib. 3. Eleg. amor.

Corpus mentis imperio regitur.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda suo.
Siqua metu dempto casta est, hæc denique casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt jam servaris bene corpus, adultera mens est
Nec custodiri, ne velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Centum fronte oculos, centum cervice ferebat
Argus; & hos unus sæpè fefellit amor.
In thalamo Danaë saxo ferróque perenni
Quæ fuerat Virgo tradita Mater erat.

Quos igitur custodes pones? ingens custodia mentis, & Virginitatis honos, & honos optatæ mortis quam violare pudorem. Hoc Antiquitus amantium studium, ornare fores, puellarum diversis & excogitatis modis: unguentis enim & floribus & sertis, & quod majus, & auro locupletabant. Quanta vis amoris! Audi Juvenalem satyra 12.

Hic nostrum placabo Iovem laribúsque Paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

Confirmant Juvenalem alii. Apuleius lib. 4. Tota domus lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum. Simili pompâ Fulgentium Episcopum suum reducem ab exilio accepit Africa. Populus per omnes prolixi itineris vias in occursum ejus tetendit cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Ejusmodi autem lucernæ erant pensiles, suspendebanturque catenulis accensæ ad ædium singularum januas aut fenestras. Unus sufficiet Tertullianus lib. 11. ad uxorem: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmon, omnibus solemnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedit de janua laureata, & lucernata ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Hæc ille. An non Eva prima omnium parens, dux malorum, & scelerum artifex capta promissis fraudulentisque blanditiis; dum scelus suum, scelere velat viri, & secum in ruinam traxit, obsedit animum viri, & expugnavit pomi pendentis cupidine? Virginis verò ubera omni sanctitate sanctiora, omni firmitu-

Festivitas ornatusque domorum ad lasciviam.

A dine robustiora, omni pudoris & Virginitatis intacto nitidiora perstiterunt. Omni sanctitate sanctiora; quia sanctus sanctorum qui ea condidit, & lacte eorum potatus est: omni firmitudine robustiora; quia inexpugnabili turri munita. *Turris fortissima nomen Domini, & omnis armatura fortium in ea.* Omni flore Virginitatis nitidiora; quia intacta protulit florem campi, & lilium convallium. Cùm enim Virginis mens sit plenissima Deo, proindè vocetur civitas Dei, fundata est supra firmam petram, quæ nullis inconstantiæ motibus obnoxia vacillare unquam potest, nullis telis dæmonis vel hominum appeti, nullis præmiis sollicitari, quæ Deo summo bono copulata, pacificè regnat; & quia pacifici Regis Salo-
B monis Mater: Sulamitis à pacifico pacifica dicta nactaque filium, à quo nomen & gloriam nomini æqualem sortita est: quam pacem, tam filii sui germanum nomen, & quàm suum acceptum ab ipso vocabulum præferens, à nullis insidiatoribus violari sua patitur ubera. Attamen quamvis pacificæ nomen obtinuerit, & pacifico Salomoni tradita, atque adeò pacem coram ipso invenerit; nihilominus pax & bellum in Virgine concordant, & ad bellandum est instructissima. Ego enim, inquit, murus, & ubera mea pro turribus munitissima.
C Murus ad propulsandos arcendosque meos hostes, & insidiatores uberum meorum intactorum, quæ intactâ & inviolatâ mente sustentantur. Non sine causa assimilatur palmæ cui botri innixi, quæ ubera signant, quorum inexpugnabilis potentia à palma invincibili, id est, Christo Domino datur.

§. XVII.

De mirabili uberum Virgineorum & diversa & disparili varietate eorumque generositate. Cur Divæ diversa ubera damus, quæ dæmus & Deo.

D

GVilielmus Abbas in Cantic. capite 8. docet Virginem ubera mentis, & ubera corporis habuisse. Et quidem benè. Ubera in corpore Virgineo, turgida plenaque lacte prodigioso: ubera mentis, plena charitate gratiisque cælestibus. Uberibus cordis irrorabat Filium suum naturalem; uberibus verò mentis filium lactare non poterat; quia plenus gratiâ & veritate, ac proinde ibi sicut nulla accessio virtutum; sic nec decessio poterat obvenire. Nobilissima utrimque ubera, at mentis beatiora, quàm corporis: priùs enim mente Mater, quàm corpore,

Priora sunt ubera mentis quam corporis.

corpore, nec beata ubera cordis, nisi præcessissent ubera mentis. Priùs ergo Deus lactatus nobilissimis uberibus mentis, quàm tenerrimæ Virginis lacteis uberibus, qui idem antè intellectus & voluntatis utero portatus, quàm utero corporis. Felicia ubera & beata, quæ Deum lactaverunt. Noli mirari Virginis menti atque animæ ubera fœcundissima, & oscula Materna deferri; quandoquidem spirituũ fortissimo Deo, & à corporeis membris infinitè disjuncto; & ubera, & lac, & sinum, & oscula, & uterum adscribamus, Isa. 46. *Qui portamini ab utero, & gestamini à meâ vulvâ.* Lege, quam oscula blanda petantur Cantic. id est, *Osculetur me osculo oris mei.* Cantic. 1. Ubi Septuaginta habent: *Osculetur me ab osculis.* Et Syrus: *Osculatus me ex osculo oris sui.* Vide ut instar Matris porrigat ubera: quomodo sicut mater blanditur; ita & ego consolabor vos. Isa. 66. Et quo pacto blandiuntur Matres? an non tum maximè exhibent se matres, cùm lætę & alacres ubera præstant, pressaque porrigunt amato viscerum suorum pignori? Sic & Osee c. 1. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem.* Invitat Propheta ut lætentur Judęi novo gaudio, cùm ait: *Lætamini cum Ierusalē, &c. ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis ejus, &c.* Isa: 66. vers. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quare Hebræi, Magnum Deum Saddai, id est, Mammeum vocarunt, quasi omnibus ubera præbens instar amantissimæ Matris. Pulchrè & Clemens Alexandrinus in Pædagogo c. 6. docet Christum Dominum esse mammullā Dei Patris, id est, Patris amores atque unicas delicias; qui & ut filius Dei Patris naturalis dicitur Joan. 1. esse in sinu Patris, id est, in pectore, in corde, in uberibus Dei Patris, id est, ita esse intimum Deo Patri, ut unum sint, juxta illud: *Ego & Pater unum sumus.* Joannis 10. Si Dei substantiæ increatæ & summè spirituali, hęc amoris symbola ad exprimendos Divinitatis infinitæ in genus humanum ardentes amores affingimus; cur non potiùs animæ Virginis sanctissimę cum maximo plausu deferemus, cujus corporea mēbra non symbolicè; sed reipsâ in seipsissimâ continent, & repræsentant veritatem excellentium amorum? Constat cor sub pectore & mammillis latere, & cor esse sedem mentis & rationis, ex multorum opinione; ut Stoicorum. Aristot. lib. de respiratione, quamvis Metaph. 7. indecisum relinquat. Tertullian. de animâ 15. cap. ubi quærit, ubi sit principalis animæ pars, id est, ratio, an in corde vel cap. & lib. de resurrectione carnis Jeronymus in caput. 14. Matth. cum exponit illud: *De corde exeunt cogitationes.* Cicero Tuscul. 1. ubi ait: Cor, ipse animus videtur, ex quo excordes discordesque homines dicuntur. Et Nasica bis Consul, corculum vocatur. Cor ergo principem animæ partem vel facultatem secundùm quam similes Deo efficimur,

Deo ubera adscribuntur.

Anima Virginis donatur ubera.

Cor sedes mentis ex multorum sententia.

A & sumus, quâ meminimus, intelligimus, sapimus & amamus, possidet: quam facultatē, Thologi veteres vocant ἡγεμονικὸν, eamque suam sedem in corde tenere fatentur. Quod ipsum pulchrè docet Philo Judæus in libro de Officio Judicis: Quid, inquit, in vitâ tam pulchrum quàm veritas, quā sapientissimus Moyses in stolâ summi sacerdotis, sacerrimo in loco propter pectus, ubi pars animi est qui principatum obtinet, collocavit: eo consilio ut illum, monumento omnium pulcherrimo præstantissimoque exornaret. Vnde & Lucretius lib. 3.

Consilium quod nos animū mentemq; vocamus, Idq; situm mediâ regione in pectoris hæret.

B Cor ergo cùm curiosis vallis & munimētis clausum lateat, nec possit amores suos interiùs ardentes enuntiare, emittere, & ejaculari; ubera velut indices, & nuncios, & amoris testes natura providit, quę suâ fœcundâ pulchritudine, & blanditiis amores cordis illecebrosi euulgarent; sic & mens in ipso corde humano residens latensq;, cùm nō possit explicare, & in apertum producere, ut Dux suum exercitum, suos amores eorū nuncios, testes, & legatos mittit foras, operationes scilicet intellectus, voluntatis & memoriæ, quas ubera vocamus, mētis monumēta, ut botros à vite productos; ut hi vitis virtutē & energiam; sic illa mentis latentis vim & fortunam

C declarent. Habet cor Virginis sua ubera; habet & animus Virginis, qui in corde tenet suum principatum, sua ubera, nec iis ullâ ratione destitui aut carere potest; cùm manifestum sit, Virginis cor & ubera, & animam cum omnibus suis potentiis devotam mancipatamque saluti generis humani. Sicut ergo lactavit Filium suum suis sacratissimis uberibus; sic necesse est, si Mater omnium velit esse, qualem se vult quàm maximè, quantacumque est, omnes lactet uberibus sui intellectus, voluntatis & memoriæ. Et hoc est, quod Guilielmus suprà docuit; Virginē habere ubera mētis & corporis. Cor ergo Virginis admirabile, in quo velut domicilio Virginis anima residet, totum Divinis sensibus, consiliis, sapientiâ, amoribus fœcūdum

D plenumq; sit, exuberat lacteâ quâdā ubertate in modū uberū, quæ nimio lacte distenta, jugi perenniq; fonte in omnes dimanāt. Cū ergo capacitas cordis Virginei sēper aliquid immensum infinitumque desideret, & ejus capacitati, animæ magnitudo, & avida vota respondeant; an angustiæ pectoris nostri, & animi egestas infirmitasque capere poterit ejus fæcundam ubertatem? Sicut suprà vocavimus Deum Mammeum, quasi totus mamma sit: Matrem quoq; universis, vocemus & Mammeam. Immēsitas quippe infinita cordis Virginei posceret infinita quodammodo ubera, ni ratio vetaret; dabimus tamē animę in corde residēti, sua ubera: dabimus illa tribus suis potētiis intellectui, voluntati & memoriæ, quę diximus cognata & cordi & animæ.

Vbera cur juxta cor.

Mens cur in corde

SS. Virgo nō potest carere uberibus mentis.

SS Virgo tota mammea.

corpore valere? cura ut animo valeas. Corpus siquidem animi gubernaculo; animus autem ministerio corporis indiget: at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Tota ergò hominis salus in mente. Inanis & supervacua corporis custodia si à mente diffideat, nulla Matrona casta, custode remoto; sed satellitio virtutum: quare rectè Ovidius lib. 3. Eleg. amor.

Corpus motu imperio regitur.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda suo.
Siqua metu dempto casta est, hæc denique casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt jam servaris bene corpus, adultera mens est
Nec custodiri, ne velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Centum fronte oculos, centum cervice ferebat
Argus; & hos unus sæpè fefellit amor.
In thalamo Danaë saxo ferróque perenni
Quæ fuerat Virgo tradita Mater erat.

Quos igitur custodes pones? ingens custodia mentis, & Virginitatis honos, & honos optatæ mortis quam violare pudorem. Hoc Antiquitus amantium studium, ornare fores, puellarum diversis & excogitatis modis: unguentis enim & floribus & sertis, & quod majus, & auro locupletabant. Quanta vis amoris! Audi Juvenalem satyra 12.

Hic nostrum placabo Iovem laribúsque Paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

Confirmant Juvenalem alii. Apuleius lib. 4. Tota domus lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum. Simili pompà Fulgentium Episcopum suum reducem ab exilio accepit Africa. Populus per omnes prolixi itineris vias in occursum ejus tetendit cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Ejusmodi autem lucernæ erant pensiles, suspendebanturque catenulis accensæ ad ædium singularum januas aut fenestras. Unus sufficiet Tertullianus lib. 11. ad uxorem: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmon, omnibus solemnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedit de janua laureata, & lucernata ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Hæc ille. An non Eva prima omnium parens, dux malorum, & scelerum artifex capta promissis fraudulentísque blanditiis; dum scelus suum, scelere velat viri, & secum in ruinam traxit, obsedit animum viri, & expugnavit pomi pendentis cupidine? Virginis verò ubera omni sanctitate sanctiora, omni firmitudine robustiora, omni pudoris & Virginitatis intacto nitidiora perstiterunt. Omni sanctitate sanctiora; quia sanctus sanctorum qui ea condidit, & lacte eorum potatus est: omni firmitudine robustiora; quia inexpugnabili turri munita. *Turris fortissima nomen Domini, & omnis armatura fortium in ea.* Omni flore Virginitatis nitidiora; quia intacta protulit florem campi, & lilium convallium. Cùm enim Virginis mens sit plenissima Deo, proindè vocetur civitas Dei, fundata est supra firmam petram, quæ nullis inconstantiæ motibus obnoxia vacillare unquam potest, nullis telis dæmonis vel hominum appeti, nullis præmiis sollicitari, quæ Deo summo bono copulata, pacificè regnat; & quia pacifici Regis Salomonis Mater: Sulamitis à pacifico pacifica dicta nactaque filium, à quo nomen & gloriam nomini æqualem sortita est: quam pacem, tam filii sui germanum nomen, & quàm suum acceptum ab ipso vocabulum præferens, à nullis insidiatoribus violari sua patitur ubera. Attamen quamvis pacificæ nomen obtinuerit, & pacifico Salomoni tradita, atque adeò pacem coram ipso invenerit; nihilominus pax & bellum in Virgine concordant, & ad bellandum est instructissima. Ego enim, inquit, murus, & ubera mea pro turribus munitissima. Murus ad propulsandos arcendósque meos hostes, & insidiatores uberum meorum intactorum, quæ intactâ & inviolatâ mente sustentantur. Non sine causa assimilatur palmæ cui botri innixi, quæ ubera signant, quorum inexpugnabilis potentia à palma invincibili, id est, Christo Domino datur.

Festivitas ornatusque domorum ad lasciviam.

§. XVII.

De mirabili uberum Virgineorum & diversa & disparili varietate eorumque generositate. Cur Divæ diversa ubera damus, quæ damus & Deo.

GVilielmus Abbas in Cantic. capite 8. docet Virginem ubera mentis, & ubera corporis habuisse. Et quidem benè. Ubera in corpore Virgineo, turgida plenaque lacte prodigioso: ubera mentis, plena charitate gratiisque cælestibus. Uberibus cordis irrorabat Filium suum naturalem: uberibus verò mentis filium lactare non poterat; quia plenus gratiâ & veritate, ac proinde ibi sicut nulla accessio virtutum; sic nec decessio poterat obvenire. Nobilissima utrimque ubera, at mentis beatiora, quàm corporis: priùs enim mente Mater, quàm corpore,

Priora sunt ubera mentis quam corporis.

corpore, nec beata ubera cordis, nisi præcessissent ubera mentis. Priùs ergo Deus lactatus nobilissimis uberibus mentis, quàm tenerrimæ Virginis lacteis uberibus, qui idem antè intellectus & voluntatis utero portatus, quàm utero corporis. Felicia ubera & beata, quæ Deum lactaverunt. Noli mirari Virginis menti atque animæ ubera fœcundissima, & oscula Materna deferri; quandoquidem spirituū fortissimo Deo, & à corporeis membris infinitè disjuncto; & ubera, & lac, & sinum, & oscula, & uterum adscribamus. Isa. 46. *Qui portamini ab utero, & gestamini à meâ vulvâ.* Lege, quàm oscula blanda petantur Cantic. id est, *Osculetur me osculo oris mei.* Cantic. 1. Ubi Septuaginta habent; *Osculetur me ab osculis.* Et Syrus: *Osculatus me ex osculo oris sui.* Vide ut instar Matris porrigat ubera: quomodo sicut mater blanditur; ita & ego consolabor vos. Isa. 66. Et quo pacto blandiuntur Matres? an non tum maximè exhibent se matres, cùm lætę & alacres ubera pressant, pressaque porrigunt amato viscerum suorum pignori? Sic & Osee c. 1. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem.* Invitat Propheta ut lætentur Judęi novo gaudio, cùm ait: *Lætamini cum Ierusalē, &c. ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis ejus, &c.* Isa. 66. vers. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quare Hebræi, Magnum Deum Saddai, id est, Mammeum vocarunt, quasi omnibus ubera præbens instar amantissimæ Matris. Pulchrè & Clemens Alexandrinus in Pædagogo c. 6. docet Christum Dominum esse mammillā Dei Patris, id est, Patris amores atque unicas delicias; qui & ut filius Dei Patris naturalis dicitur Joan. 1. esse in sinu Patris, id est, in pectore, in corde, in uberibus Dei Patris, id est, ita esse intimum Deo Patri, ut unum sint, juxta illud: *Ego & Pater unum sumus.* Joannis 10. Si Dei substantiæ increatæ & summè spirituali, hęc amoris symbola ad exprimendos Divinitatis infinitæ in genus humanum ardentes amores affingimus; cur non potiùs animæ Virginis sanctissimę cum maximo plausu deferemus, cujus corporea mēbra non symbolicè; sed reipsâ in se ipsissimā continent, & repræsentant veritatem excellentium amorum? Constat cor sub pectore & mammillis latere, & cor esse sedem mentis & rationis, ex multorum opinione; ut Stoicorum. Aristot. lib. de respiratione, quamvis Metaph. 7. indecisum relinquat. Tertullian. de animâ 15. cap. ubi quærit, ubi sit principalis animæ pars, id est, ratio, an in corde vel cap. & lib. de resurrectione carnis Jeronymus in caput 14. Matth. cum exponit illud: *De corde exeunt cogitationes.* Cicero Tuscul. 1. ubi ait: Cor, ipse animus videtur, ex quo excordes discordesque homines dicuntur. Et Nasica bis Consul, corculum vocatur. Cor ergo principem animæ partem vel facultatem secundùm quam similes Deo efficimur,

Deo ubera adscribuntur.

Anima Virginis damus ubera.

Cor sedes mentis ex multorum sententia.

A & sumus, quâ meminimus, intelligimus, sapimus & amamus, possidet: quam facultatē, Thologi veteres vocant ἡγεμονικὸν, eamque suam sedem in corde tenere fatentur. Quod ipsum pulchrè docet Philo Judæus in libro de Officio Judicis: Quid, inquit, in vitâ tam pulchrum quàm veritas, quā sapientissimus Moyses in stolâ summi sacerdotis, sacerrimo in loco propter pectus, ubi pars animi est qui principatum obtinet, collocavit: eo consilio ut illum, monumento omnium pulcherrimo præstantissimoque exornaret. Unde & Lucretius lib. 3.

Consilium quod nos animū mentemq̃ vocamus,
B *Idq̃, situm mediâ regione in pectoris haret.*

Cor ergo cùm curiosis vallis & munimētis clausum lateat, nec possit amores suos interiùs ardentes enuntiare, emittere & ejaculari; ubera velut indices, & nuncios, & amoris testes natura providit, quę suâ fœcundâ pulchritudine, & blanditiis amores cordis illecebrosi evulgarent; sic & mens in ipso corde humano residens latensq;, cùm nō possit explicare, & in apertum producere, ut Dux suum exercitum, suos amores eorū nuncios, testes, & legatos mittit foras, operationes scilicet intellectus, voluntatis & memoriæ, quas ubera vocamus, mētis monumēta, ut botros
C à vite productos; ut hi vitis virtutē & energiam; sic illa mentis latentis vim & fortunam declarent. Habet cor Virginis sua ubera; habet & animus Virginis, qui in corde tenet suum principatum, sua ubera, nec iis ullâ ratione destitui aut carere potest; cùm manifestum sit, Virginis cor & ubera, & animam cum omnibus suis potentiis devotam mancipatamque saluti generis humani. Sicut ergo lactavit Filium suum suis sacratissimis uberibus; sic necesse est, si Mater omnium velit esse, qualem se vult quàm maximè; quantacumque est, omnes lactet uberibus sui intellectus, voluntatis & memoriæ. Et hoc est, quod Guilielmus suprà docuit; Virginē habere ubera mētis & corporis. Cor ergo Virginis admirabile, in quo velut domicilio Virginis anima residet, totum Divinis sensibus, consiliis, sapientiâ, amoribus fœcūdum
D plenumq; sit, exuberat lacteâ quādā ubertate in modū uberū, quæ nimio lacte distenta, jugi perenniq; fonte in omnes dimanāt. Cū ergo capacitas cordis Virginei sēper aliquid immensum infinitumque desideret, & ejus capacitati, animæ magnitudo, & avida vota respondeant; an angustiæ pectoris nostri, & animi egestas infirmitasque capere poterit ejus fœcundam ubertatem? Sicut suprà vocavimus Deum Mammeum, quasi totus mamma sit: Matrem quoq; universi, vocemus & Mammeam. Immēsitas quippe infinita cordis Virginei posceret infinita quodammodo ubera, ni ratio vetaret; dabimus tamē animę in corde residēti, sua ubera: dabimus illa tribus suis potētiis intellectui, voluntati & memoriæ, quę diceimus cognata & cordi & animæ.

Ubera cur juxta cor.

Mens cur in corde

SS. Virgo nō potest carere uberibus mentis.

SS Virgo tota mammea.

corpore valere? cura ut animo valeas. Corpus siquidem animi gubernaculo; animus autem ministerio corporis indiget: at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Tota ergò hominis salus in mente. Inanis & supervacua corporis custodia si à mente diffideat, nulla Matrona casta, custode remoto; sed satellitio virtutum: quare rectè Ovidius lib. 3. Eleg. amor.

Corpus mentis imperio regitur.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda suo.
Si qua metu dempto casta est, hæc denique casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt jam servaris bene corpus, adultera mens est
Nec custodiri, ne velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Centum fronte oculos, centum cervice ferebat
Argus, & hos unus sæpè fefellit amor.
In thalamo Danaë saxo ferróque perenni
Quæ fuerat Virgo tradita Mater erat.

Quos igitur custodes pones? ingens custodia mentis, & Virginitatis honos, & honos optatæ mortis quam violare pudorem. Hoc Antiquitus amantium studium, ornare fores, puellarum diversis & excogitatis modis: unguentis enim & floribus & sertis, & quod majus, & auro locupletabant. Quanta vis amoris! Audi Juvenalem satyra 12.

Hic nostrum placabo Iovem laribúsque Paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

Confirmant Juvenalem alii. Apuleius lib. 4. Tota domus lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum. Simili pompâ Fulgentium Episcopum suum reducem ex exilio accepit Africa. Populus per omnes prolixi itineris vias in occursum ejus tetendit cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Ejusmodi autem lucernæ erant pensiles, suspendebanturque catenulis accensæ ad ædium singularum januas aut fenestras. Unus sufficiet Tertullianus lib. 11. ad uxorem: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmon, omnibus solemnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedit de janua laureata, & lucernata ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Hæc ille. An non Eva prima omnium parens, dux malorum, & scelerum artifex capta promissis fraudulentisque blanditiis; dum scelus suum, scelere velat viri, & secum in ruinam traxit, obsedit animum viri, & expugnavit pomi pendentis cupidine? Virginis verò ubera omni sanctitate sanctiora, omni firmitu-

Festivitas ornatusque domorum ad lasciviam.

A dine robustiora, omni pudoris & Virginitatis intacto nitidiora perstiterunt. Omni sanctitate sanctiora; quia sanctus sanctorum qui ea condidit, & lacte eorum potatus est: omni firmitudine robustiora; quia inexpugnabili turri munita. *Turris fortissima nomen Domini, & omnis armatura fortium in ea.* Omni flore Virginitatis nitidiora; quia intacta protulit florem campi, & lilium convallium. Cùm enim Virginis mens sit plenissima Deo, proindè vocetur civitas Dei, fundata est supra firmam petram, quæ nullis inconstantiæ motibus obnoxia vacillare unquam potest, nullis telis dæmonis vel hominum appeti, nullis præmiis solicitari, quæ Deo summo bono copulata, pacificè regnat; & quia pacifici Regis Salo-
B monis Mater: Sulamitis à pacifico pacifica dicta nactaque filium, à quo nomen & gloriam nomini æqualem sortita est: quam pacem, tam filii sui germanum nomen, & quàm suum acceptum ab ipso vocabulum præferens, à nullis insidiatoribus violari sua patitur ubera. Attamen quamvis pacificæ nomen obtinuerit, & pacifico Salomoni tradita, atque adeò pacem coram ipso invenerit; nihilominus pax & bellum in Virgine concordant, & ad bellandum est instructissima. Ego enim, inquit, murus, & ubera mea pro turribus munitissima.
C Murus ad propulsandos arcendosque meos hostes, & insidiatores uberum meorum intactorum, quæ intactâ & inviolatâ mente sustentantur. Non sine causa assimilatur palmæ cui botri innixi, quæ ubera signant, quorum inexpugnabilis potentia à palma invincibili, id est, Christo Domino datur.

§. XVII.

De mirabili uberum Virgineorum & diversa & dispari varietate eorumque generositate. Cur Divæ diversa ubera damus, quæ damus & Deo.

D

Gvilielmus Abbas in Cantic. capite 8. docet Virginem ubera mentis, & ubera corporis habuisse. Et quidem benè. Ubera in corpore Virgineo, turgida plenaque lacte prodigioso: ubera mentis, plena charitate gratiisque cælestibus. Uberibus cordis irrorabat Filium suum naturalem: uberibus verò mentis filium lactare non poterat; quia plenus gratiâ & veritate, ac proinde ibi sicut nulla accessio virtutum; sic nec decessio poterat obvenire. Nobilissima utrimque ubera, at mentis beatiora, quàm corporis: priùs enim mente Mater, quàm corpore,

Priora sunt ubera mentis quam corporis.

corpore, nec beata ubera cordis, nisi præcessissent ubera mentis. Priùs ergo Deus lactatus nobilissimis uberibus mentis, quàm tenerrimæ Virginis lacteis uberibus, qui idem antè intellectus & voluntatis utero portatus, quàm utero corporis. Felicia ubera & beata, quæ Deum lactaverunt. Noli mirari Virginis menti atque animæ ubera fœcundissima, & oscula Materna deferri; quandoquidem spirituũ fortissimo Deo, & à corporeis membris infinitè disjuncto, & ubera, & lac, & sinum, & oscula, & uterum adscribamus, Isa. 46. *Qui portamini ab utero, & gestamini à meâ vulvâ.* Lege, quam oscula blanda petantur Cantic. id est, *Osculetur me osculo oris mei.* Cantic. 1. Ubi Septuaginta habent: *Osculetur me ab osculis.* Et Syrus: *Osculatus me ex osculo oris sui.* Vide ut instar Matris porrigat ubera, quomodo sicut mater blanditur, ita & ego consolabor vos. Isa. 66. Et quo pacto blandiuntur Matres? an non tum maximè exhibent se matres, cùm læte & alacres ubera pressant, pressaque porrigunt amato viscerum suorum pignori? Sic & Osee c. 1. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem.* Invitat Propheta ut lætentur Judæi novo gaudio, cùm ait: *Lætamini cum Ierusalẽ,* &c. *ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis ejus, &c.* Isa. 66. vers. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quare Hebræi, Magnum Deum Saddai, id est, Mammeum vocarunt, quasi omnibus ubera præbens instar amantissimæ Matris. Pulchrè & Clemens Alexandrinus in Pædagogo c. 6. docet Christum Dominum esse mammillã Dei Patris, id est, Patris amores atque unicas delicias; qui & ut filius Dei Patris naturalis dicitur Joan. 1. esse in sinu Patris, id est, in pectore, in corde, in uberibus Dei Patris, id est, ita esse intimum Deo Patri, ut unum sint, juxta illud: *Ego & Pater unum sumus.* Joannis 10. Si Dei substantiæ increatæ & summè spirituali, hæc amoris symbola ad exprimendos Divinitatis infinitæ in genus humanum ardentes amores affingimus; cur non potiùs animæ Virginis sanctissimæ cum maximo plausu deferemus, cujus corporea membra non symbolicè; sed reipsâ in se ipsissimã continent, & repræsentant veritatem excellentium amorum? Constat cor sub pectore & mammillis latere, & cor esse sedem mentis & rationis, ex multorum opinione; ut Stoicorum. Aristot. lib. de respiratione, quamvis Metaph. 7. indecisum relinquat. Tertullian. de animâ 15. cap. ubi quærit, ubi sit principalis animæ pars, id est, ratio, an in corde vel cap. & lib. de resurrectione carnis Jeronymus in caput 14. Matth. cum exponit illud: *De corde exeunt cogitationes.* Cicero Tuscul. 1. ubi ait: Cor, ipse animus videtur, ex quo excordes discordesque homines dicuntur. Et Nasica bis Consul, corculum vocatur. Cor ergo principem animæ partem vel facultatem secundùm quam similes Deo efficimur,

Deo ubera adscribuntur.

Anima Virginis damus ubera.

Cor sedes mentis ex multorum sententia.

A & sumus, quâ meminimus, intelligimus, sapimus & amamus, possidet: quam facultatẽ, Thologi veteres vocant ἡγεμονικὸν, eamque suam sedem in corde tenere fatentur. Quod ipsum pulchrè docet Philo Judæus in libro de Officio Judicis: Quid, inquit, in vitâ tam pulchrum quàm veritas, quâ sapientissimus Moyses in stolâ summi sacerdotis, sacerrimo in loco propter pectus, ubi pars animi est qui principatum obtinet, collocavit: eo consilio ut illum, monumento omnium pulcherrimo præstantissimoque exornaret. Unde & Lucretius lib. 3.

Consilium quod nos animũ mentemq̃ vocamus,
B *Idq̃ situm mediâ regione in pectoris hæret.*

Cor ergo cùm curiosis vallis & munimẽtis clausum lateat, nec possit amores suos interiùs ardentes enuntiare, emittere & ejaculari; ubera velut indices, & nuncios, & amoris testes natura providit, quę suâ fœcundâ pulchritudine, & blanditiis amores cordis illecebrosi euulgarent; sic & mens in ipso corde humano residens latensq;, cùm nõ possit explicare, & in apertum producere, ut Dux suum exercitum, suos amores eorũ nuncios, testes, & legatos mittit foras, operationes scilicet intellectus, voluntatis & memoriæ, quas ubera vocamus, mẽtis monumẽta, ut botros à vite productos; ut hi vitis virtutẽ & energiam, sic illa mentis latentis vim & fortunam
C declarent. Habet cor Virginis sua ubera, habet & animus Virginis, qui in corde tenet suum principatum, sua ubera, nec iis ullâ ratione destitui aut carere potest; cùm manifestum sit, Virginis cor & ubera, & animam cum omnibus suis potentiis devotam mancipatamque saluti generis humani. Sicut ergo lactavit Filium suum suis sacratissimis uberibus; sic necesse est, si Mater omnium velit esse, qualem se vult quàm maximè, quantacumque est, omnes lactet uberibus sui intellectus, voluntatis & memoriæ. Et hoc est, quod Guilielmus suprà docuit, Virginẽ habere ubera mẽtis & corporis. Cor ergo Virginis admirabile, in quo velut domicilio Virginis anima residet, totum Divinis sensibus, consiliis, sapientiâ, amoribus fœcũdum
D plenumq; sit, exuberat lacteâ quâdã ubertate in modũ uberũ, quæ nimio lacte distenta, jugi perenniq; fonte in omnes dimanãt. Cũ ergo capacitas cordis Virginei semper aliquid immensum infinitumque desideret, & ejus capacitati, animæ magnitudo, & avida vota respondeant; an angustiæ pectoris nostri, & animi egestas infirmitasque capere poterit ejus fœcundam ubertatem? Sicut suprà vocavimus Deum Mammeum, quasi totus mamma sit: Matrem quoq; universi, vocemus & Mammeam. Immẽsitas quippe infinita cordis Virginei posceret infinita quodammodo ubera, ni ratio vetaret; dabimus tamẽ animę in corde residẽti, sua ubera: dabimus illa tribus suis potẽtiis intellectui, voluntati & memoriæ, quę dicemus cognata & cordi & animæ.

Ubera cur juxta cor.

Mens cur in corde

SS. Virgo nõ potest carere uberibus mentis.

SS Virgo tota mammea.

corpore valere? cura ut animo valeas. Corpus si quidem animi gubernaculo; animus autem ministerio corporis indiget: at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Tota ergò hominis salus in mente. Inanis & supervacua corporis custodia si à mente diffidat, nulla Matrona casta, custode remoto; sed satellitio virtutum: quare rectè Ovidius lib. 3. Eleg. amor.

Corpus mentis imperio regitur.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quaque tuenda suo.
Siqua metu dempto casta est, hæc denique casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est
Nec custodiri, ne velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Centum fronte oculos, centum cervice ferebat
Argus; & hos unus sæpè fefellit amor.
In thalamo Danaë saxo ferróque perenni
Quæ fuerat Virgo tradita Mater erat.

Quos igitur custodes pones? ingens custodia mentis, & Virginitatis honos, & honos optatæ mortis quam violare pudorem. Hoc Antiquitus amantium studium, ornare fores, puellarum diversis & excogitatis modis: unguentis enim & floribus & sertis, & quod majus, & auro locupletabant. Quanta vis amoris! Audi Juvenalem satyra 12.

Hic nostrum placabo Iovem láribúsque Paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

Confirmant Juvenalem alii. Apuleius lib. 4. Tota domus lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum. Simili pompâ Fulgentium Episcopum suum reducem ab exilio accepit Africa. Populus per omnes prolixi itineris vias in occursum ejus tetendit cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Ejusmodi autem lucernæ erant pensiles, suspendebanturque catenulis accensæ ad ædium singularum januas aut fenestras. Unus sufficiet Tertullianus lib. II. ad uxorem: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmon, omnibus solemnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedit de janua laureata, & lucernata ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Hæc ille. An non Eva prima omnium parens, dux malorum, & scelerum artifex capta promissis fraudulentisque blanditiis; dum scelus suum, scelere velat viri, & secum in ruinam traxit, obsedit animum viri, & expugnavit pomi pendentis cupidine? Virginis verò ubera omni sanctitate sanctiora, omni firmitu-

Festivitas ornatusque domorum ad lasciviam.

A dine robustiora, omni pudoris & Virginitatis intacto nitidiora perstiterunt. Omni sanctitate sanctiora; quia sanctus sanctorum qui ea condidit, & lacte eorum potatus est: omni firmitudine robustiora; quia inexpugnabili turri munita. *Turris fortissima nomen Domini, & omnis armatura fortium in ea.* Omni flore Virginitatis nitidiora; quia intacta protulit florem campi, & lilium convallium. Cùm enim Virginis mens sit plenissima Deo, proindè vocetur civitas Dei, fundata est supra firmam petram, quæ nullis inconstantiæ motibus obnoxia vacillare unquam potest, nullis telis dæmonis vel hominum appeti, nullis præmiis sollicitari, quæ Deo summo bono copulata, pacificè regnat; & quia pacifici Regis Salo-

B monis Mater: Sulamitis à pacifico pacifica dicta nactaque filium, à quo nomen & gloriam nomini æqualem sortita est: quam pacem, tam filii sui germanum nomen, & quàm suum acceptum ab ipso vocabulum præferens, à nullis insidiatoribus violari sua patitur ubera. Attamen quamvis pacificæ nomen obtinuerit, & pacifico Salomoni tradita, atque adeò pacem coram ipso invenerit; nihilominus pax & bellum in Virgine concordant, & ad bellandum est instructissima. Ego enim, inquit, murus, & ubera mea pro turribus munitissima.

C Murus ad propulsandos arcendosque meos hostes, & insidiatores uberum meorum intactorum, quæ intactâ & inviolatâ mente sustentantur. Non sine causa assimilatur palmæ cui botri innixi, quæ ubera signant, quorum inexpugnabilis potentia à palma invincibili, id est, Christo Domino datur.

§. XVII.

De mirabili uberum Virgineorum & diversa & disparili varietate eorumque generositate. Cur Divæ diversa ubera damus, quæ damus & Deo.

D

Gvilielmus Abbas in Cantic. capite 8. docet Virginem ubera mentis, & ubera corporis habuisse. Et quidem benè. Ubera in corpore Virgineo, turgida plenaque lacte prodigioso: ubera mentis, plena charitate gratiisque cælestibus. Uberibus cordis irrorabat Filium suum naturalem: uberibus verò mentis filium lactare non poterat; quia plenus gratiâ & veritate, ac proinde ibi sicut nulla accessio virtutum; sic nec decessio poterat obvenire. Nobilissima utrimque ubera, at mentis beatiora, quàm corporis: priùs enim mente Mater, quàm corpore,

Priora sunt ubera mentis quam corporis.

corpore, nec beata ubera cordis, nisi præcessissent ubera mentis. Priùs ergo Deus lactatus nobilissimis uberibus mentis, quàm tenerrimæ Virginis lacteis uberibus, qui idem antè intellectus & voluntatis utero portatus, quàm utero corporis. Felicia ubera & beata, quæ Deum lactaverunt. Noli mirari Virginis menti atque animæ ubera fœcundissima, & oscula Materna deferri; quandoquidem spirituū fortissimo Deo, & à corporeis membris infinitè disjuncto; & ubera, & lac, & sinum, & oscula, & uterum adscribamus, Isa. 46. *Qui portamini ab utero, & gestamini à meâ vulvâ.* Lege, quam oscula blanda petantur Cantic. id est, *Osculetur me osculo oris mei,* Cantic. 1. Ubi Septuaginta habent; *Osculetur me ab osculis.* Et Syrus: *Osculatus me ex osculo oris sui.* Vide ut instar Matris porrigat ubera quomodo sicut mater blanditur, ita & ego consolabor vos. Isa. 66. Et quo pacto blandiuntur Matres? an non tum maximè exhibent se matres, cùm læte & alacres ubera pressant, pressaque porrigunt amato viscerum suorum pignori? Sic & Osee c. 1. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem.* Invitat Propheta ut lætentur Judei novo gaudio, cùm ait: *Lætamini cum Ierusalē, &c. ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis ejus, &c.* Isa. 66. vers. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quare Hebræi, Magnum Deum Saddai, id est, Mammeum vocarunt, quasi omnibus ubera præbens instar amantissimæ Matris. Pulchrè & Clemens Alexandrinus in Pædagogo c. 6. docet Christum Dominum esse mammillā Dei Patris, id est, Patris amores atque unicas delicias; qui & ut filius Dei Patris naturalis dicitur Joan. 1. esse in sinu Patris, id est, in pectore, in corde, in uberibus Dei Patris, id est, ita esse intimum Deo Patri, ut unum sint, juxta illud: *Ego & Pater unum sumus.* Joannis 10. Si Dei substantiæ increatæ & summè spirituali, hæc amoris symbola ad exprimendos Divinitatis infinitæ in genus humanum ardentes amores affingimus; cur non potiùs animæ Virginis sanctissimæ cum maximo plausu deferemus, cujus corporea mēbra non symbolicè; sed reipsâ in se ipsissimā continent, & repræsentant veritatem excellentium amorum? Constat cor sub pectore & mammillis latere, & cor esse sedem mentis & rationis, ex multorum opinione; ut Stoicorum. Aristot. lib. de respiratione, quamvis Metaph. 7. indecisum relinquat. Tertullian. de animâ 15. cap. ubi quærit, ubi sit principalis animæ pars, id est, ratio, an in corde vel cap. & lib. de resurrectione carnis Jeronymus in caput 14. Matth. cum exponit illud: *De corde exeunt cogitationes.* Cicero Tuscul. 1. ubi ait: Cor, ipse animus videtur, ex quo excordes discordesque homines dicuntur. Et Nasica bis Consul, corculum vocatur. Cor ergo principem animæ partem vel facultatem secundùm quam similes Deo efficimur,

Deo ubera adscribuntur.

Anima Virginis datur ubera.

Cor sedes mentis ex multorum sententia.

A & sumus, quâ meminimus, intelligimus, sapimus & amamus, possidet: quam facultatē, Thologi veteres vocant ἡγεμονικὸν, eamque suam sedem in corde tenere fatentur. Quod ipsum pulchrè docet Philo Judæus in libro de Officio Judicis: Quid, inquit, in vitâ tam pulchrum quàm veritas, quâ sapientissimus Moyses in stolâ summi sacerdotis, sacerrimo in loco propter pectus, ubi pars animi est qui principatum obtinet, collocavit: eo consilio ut illum, monumento omnium pulcherrimo præstantissimoque exornaret. Unde & Lucretius lib. 3.

Consilium quod nos animū mentemq́, vocamus,
B *Idq́, situm mediâ regione in pectoris hæret.*

Cor ergo cùm curiosis vallis & munimētis clausum lateat, nec possit amores suos interiùs ardentes enuntiare, emittere & ejaculari; ubera velut indices, & nuncios, & amoris testes natura providit, quę suâ fœcundâ pulchritudine, & blanditiis amores cordis illecebrosi euulgarent; sic & mens in ipso corde humano residens latensq́; cùm nō possit explicare, & in apertum producere, ut Dux suum exercitum, suos amores eorū nuncios, testes, & legatos mittit foras, operationes scilicet intellectus, voluntatis & memoriæ, quas ubera vocamus, mētis monumēta, ut botros à vite productos; ut hi vitis virtutē & ener-
C giam, sic illa mentis latentis vim & fortunam declarent. Habet cor Virginis sua ubera, habet & animus Virginis, qui in corde tenet suum principatum, sua ubera, nec iis ullâ ratione destitui aut carere potest; cùm manifestum sit, Virginis cor & ubera, & animam cum omnibus suis potentiis devotam mancipatamque saluti generis humani. Sicut ergo lactavit Filium suum suis sacratissimis uberibus; sic necesse est, si Mater omnium velit esse, qualem se vult quàm maximè, quantacumque est, omnes lactet uberibus sui intellectus, voluntatis & memoriæ. Et hoc est, quod Guilielmus suprà docuit; Virginē habere ubera mētis & corporis. Cor ergo Virginis admirabile, in quo velut domicilio Virginis anima residet, totum Divinis sensi-
D bus, consiliis, sapientiâ, amoribus fœcūdum plenumq́; sit, exuberat lacteâ quadā ubertate in modū uberū, quæ nimio lacte distenta, jugi perenniq́; fonte in omnes dimanāt. Cū ergo capacitas cordis Virginei sēper aliquid immensum infinitumque desideret, & ejus capacitati, animæ magnitudo, & avida vota respondeant; an angustiæ pectoris nostri, & animi egestas infirmitasque capere poterit ejus fœcundam ubertatem? Sicut suprà vocavimus Deum Mammeum, quasi totus mamma sit: Matrem quoq; universū, vocemus & Mammeam. Immēsitas quippe infinita cordis Virginei posceret infinita quodammodo ubera, ni ratio vetaret; dabimus tamē animę in corde residēti, sua ubera: dabimus illa tribus suis potētiis intellectui, voluntati & memoriæ, quę diceμus cognata & cordi & animæ.

Ubera cur juxta cor.

Mens cur in corde

SS. Virgo nō potest carere uberibus mentis.

SS Virgo tota mammea.

ex alto despicit mundi delicias, quasi nugas nugarum, eunt omnia in fastidium, quæ ab his fontibus deliciarum sunt aliena. Tunc gustato Christi sanguine, inspirat Christus in faciem hominis spiraculum vitæ, & factus exurgit homo in animam viventem, Deo scilicet è luto ficti simulachri faciem factam deosculante; non enim horrori fuit tantæ Majestati, lutum nostrum deosculari, ut ipsi animam inspiraret. Sicut Christus habet ubera pretiosi sanguinis: sic Mater lactis. Nunquam Mater sine lacte: nec Filius sine fonte sanguinis pelicano similis. Lac non uberat; uberat cruorem. Hinc Augustinus inter Matrem & Filium constitutus exclamavit: *Hinc lactor ab ubere; hinc pascor à vulnere. Meliora ergo utriusque ubera omni vino.*

§. XV.

Tertia uberum comparatio cum botris vineæ. Christus sponsus laudatus à sponsa, regerit laudes in sponsam. Audiamus laudes sponsi; deinde sponsæ.

SPonsa dilectum suum assimilavit botro Cypri, capite primo Cantic. versiculo duodecimo, dum ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cyprus, inquit Plinius libro duodecimo capite vigesimoquarto, est arbor in Ægypto zizyphi foliis semine coriandri flore candido & odorato; & ut docet Philo Capath. in cap. 4. Cantic. vers. 13. cincinnorum pendente comâ odoratissima, folio oleæ; unde fit unguentum odoratissimum nomine Cyprinum, & Ligistro Italico simile, in Judæâ fuit adoratissima & fructus proferens, botros nimirum miræ magnitudinis, æquè ac saporis, exspirantes suavissimum odorem musco similem. Botri itaque Cypri in Engaddi nati, quæ est Urbs & Regio gratissimos exhalans odores ex copiâ odoriferarum arborum, omni ævo fuerunt in summo honore & pretio; undè & Engaddi verti potest, oculus vel fons felicitatis. Quâ ex causâ sponsa dilectum suum comparat botro Cypri, id est fructui pulchritudinis; quid enim Cyprus nisi pulchritudo? quasi botri geniti in Engaddi in oculo vel fonte felicitatis, & ideo pulcherrimi. Comparat ergò sponsum suum sponsa botro Cypri nato in Engaddi, tanquam oculo, vel fonte ipsius pulchritudinis. Et sanè quid pulchrius filio Dei, à quo felix beatitudo procedit, qui omnes scelerum expiat fœtores? Quid enim Cyprus nisi expiatio scelerum? Undè rectè botrus expiationis & redemptionis

Quid sit botrus Cypri.

A vocatur. Deinde alium sensum venari licebit, cùm nobilissimæ vites in Engaddi nascantur, & ibidem inter propagines vitium Cypri arbores plantentur; indè contingit ut vites & saporem, & odorem fructuum juxtà crescentium adsciscant; si Plinio fides habeatur, qui libro 14. capite 2. sic ait: Mira vitium natura, saporem & odorem aliundè trahunt. Cùm igitur dicit sponsa: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*; proindè erit ac si dicat: Dilectus meus unguento delibutus, ad instar obtinet botri floridi, & odore suo Cypri fragrantiam referentis, quales Engadditicæ vineæ proferre solent. Si igitur botrum pro vite aut palmite interpretari velis, exurB get pulcherrimus contextus; quasi dicatur: Quemadmodum vitis Cypro adnascens, eam complectitur, & palmite suo quasi brachio innodatam stringit; non aliter sponsus me in accubatione epulari sibi hærentem castissimis brachiis amplexatur. Sicut vitis per se fluxa, jam adulta propagine maritat populos, & ne serpat multiplici & erratico lapsu, claviculis adminicula quasi manibus apprehendit. Sic tu sponse mi, eris mihi arbor Cyprus; & ero tibi vitis. Ego ne per terram repam, apprehendam te; & tu sustentabis me. Ego in morem vitis, tibi vinum; tu verò mihi adinstar Cypri odorem & unguenta exhibebis. An non tota formositas Virginis à filio? An non C omnis odor unguentorum, omnes deliciæ à suo factore manarunt? An non dicitur, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens innixa super dilectum?* Fragilis natura portatur instar vitis ab Omnipotente, qui Virginem elevatam supra omnes creaturas sustentat. Simul consitæ Cyprus & vitis, quasi inito conjugio se mutuis officiis sustentant. Simul Virgo & Filius, hic quasi Cyprus, fons omnis boni odoris, & illa quasi vitis, sed innixa vitis arbori, alioquin sine honore; ut præclarè Tibullus:

Viti pedamentum necessarium.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam; D
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluêre Iuvenci;
Sed si fortè eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi eam agricolæ, multi coluêre Iuvenci.

Virginem innixam Filio, tanquam ulmo adoramus, colimus & veneramur, à quo quod possidet, accepit.

Dilectus ergò à sponsâ assimilatus botris Cypri, non minori ubertate dilectionis gratiam reponit. Vehementer laudatus filius à sua sancta Genitrice; deproperat in laudes ejus, eamque sibi vult pariari; imò præ magnitudine amoris primas deferri. Comparatus ergo Cypro laudatæ bis; comparat & æquat gloriosissimam Matrem trium-

Laus ipsa reddita sponso.

triumphali & magnanimæ arbori Palmæ, id est, alatis seu sparalibus palmarum, in quibus multitudo dactylorum continetur; deinde ubera botris vineæ. Audiamus voces dulcissimi filii cap. 7. versu 7. in primis: *Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.* Deinde versu 8. *Dixi: Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus, & erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Dilectio quàm decora charissima in deliciis tuis hæc magnitudo tua. Ubi Arabicus textus: Magnificata ergo est fama tua, vel natura & indoles ut palma; instar palmæ enim Principis supereminet omnibus, si quando stas in medio non solum feminarum; verùm omnium Principum choro. Charitas in deliciis hæc est magnitudo tua, ô Virgo sancta! humilitas in infima descendens, est magnitudo tua; quæ & duo ubera tua. Palma asperum habet corticem; tu vilis sine honorum pompâ: vilis palma in trunco; tu vilis à paupertate: palma in cœlum erecta, stat suâ magnificâ rectâque proceritate; tu cælo sublimior, stas erecta tuæ constantiæ magnitudine: pulchra palma & spectabilis fructu; tu flore fructuque delectabilis, florem & lilium convallium peperisti. Palma victricem manum ornat; tu es ipsa palma & victoria, quæ ornas omnes victrices manus. Tua ubera sunt verè botri; botri in flore pariunt odorem, in fructu dulcedinem, in potu calorem & animos donant; sic ubera tua, quæ sunt humilitas & Virginitas; vel charitas Dei & proximi, inundant orbem odore suavitatis, & fragrant odore cælestis musci; inebriant dulcedine nectaris, & cælesti conversationis succo, & accendis omnium corda in tui imitationem. Eia Christiane in inferioribus sustine asperitatem laborum pro Christo: in superioribus, id est, in cælestibus pulchritudinem, & suavitatem expecta præmiorum. Mirum dictu: cùm Virgo instar palmæ excelsissima sit, ut cæli fastigia tangat, omnibus tamen se submittat, ut omnibus subveniat; illi sufficit subvenisse, omnibus porrigit ubera; palma est, & palma pendentes fructus habet. Charitas in miseros, illi in deliciis, & illis profuisse magnitudo ejus. Bene palmæ assimilata Virgo; quia palma cùm sit victoriæ symbolum, per eam victoria nobis parta, dum Filium dedicavit in sacrificium crucis; qui patiendo vicit. Eia Christiane, aff. ctas palmam, & victoriam? nulli debetur palma, nulli victoria nisi patienti, vel Martyri. Audi Ambrosium serm. 38. *Præmium quoddam est palma Martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, & victrici dextræ gloriosum præbet ornatum.* Est palma martyrii suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper parata victoriæ, atque ideò non marcescit, quia Martyrum victoria non marcescit.

Laus SS. Virginis à filio data.

Non mireris Virginem assimilari palmæ, & ubera botris. Quid palmâ durius, inexpugnabilius, solidius, & æternitas materiæ debita? quid uberibus & botris spongiosius, tenerius, infirmius? Memineris in Judæâ vites maritari palmis; sicut in Apuliâ altissimis arboribus. Vites inclinatæ recumbunt in palmas; sic ubera tenerrimæ Virginis, quæ à Christo Domino ducunt originem, inclinata recumbunt, à quo trahunt omne robur & fortitudinem suam. Tu Christiane ascende in palmam, & apprehende ubera Virginis, erunt ubera sicut botri vineæ: ut hi vinum suavissimum; ita & illa lac æternæ salutis exuberent. Quàm dulcis facta es Virgo uberum lacte, quàm potens, invictâ & speciosâ firmitate palmæ!

§. XVI.

De impenetrabili uberum Virgineorum robore & firmitate.

In femina nihil uberibus delicatius, mollius, aut injuriæ opportunius. Prima Veneris, & amatorum spolia, primæ voluptatis illecebræ, & oculorum dolores. In Regina Virginum nihil robustius, firmius & invulnerabilius, nihil castius incorruptiusque. Audi ipsam Virginem: *Ego murus, & ubera sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Cantic. 8. Ubi Septuaginta sic vertunt: *Ego murus, & ubera mea sicut turres; ego eram in oculis eorum tanquam inveniens pacem.* Arabicus verò textus habet: *unica pacis, unica salutis*; quasi diceret: Ego ideò sum murus, & habeo ubera instar turrium, ex quo animum dilecti placavi, plenè illi satisfaciens, mihique illum penitus devinciens. Benè & sapientissimè Virgo dicit se esse murum, & ubera instar turrium, ex quo mea, inquit, pulchritudo omnibus numeris consummata placuit Deo sponso meo; quæ pulchritudo ita placet sponso, ut videar ipsi esse murus, & ubera turrita; quæ tamen cùm habeam, non tis opus est: adinstar enim est mihi innata pulchritudo corporis, & mentis, cui debeo uberum incorruptionem, & æternam & inexpugnabilem firmitatem.

Duo sunt quæ mammas puellares facili expugnatione captivas reddunt; Lasciva menti innata corruptio; & insaturata munerum, & laudis propriæ ambitio. His duabus machinis omnis evincitur puritas pectoris, in quo velut solio residet uberum Virgineus pudor. Inserta quippè naturæ corruptæ; vel ut potius utar verbo Plauti, incordiata voluptatis, & munerum appetentia labefactat mentis corruptæ inconstantem statum. Et sanè ita est. Quid mente corruptâ reliquum est corpori? quid vigoris militi Duce effeminato? minus corpori animo vitiato. Vis corpore

Pudor duplici ariete expugnatur.

corpore valere? cura ut animo valeas. Corpus si quidem animi gubernaculo; animus autem ministerio corporis indiget: at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Tota ergò hominis salus in mente. Inanis & supervacua corporis custodia si à mente diffideat, nulla Matrona casta, custode remoto; sed satellitio virtutum: quare rectè Ovidius lib. 3. Eleg. amor.

Corpus mentis imperio regitur.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda suo.
Siqua metu dempto casta est, hæc denique casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est
Nec custodiri, ne velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Centum fronte oculos, centum cervice ferebat
Argus, & hos unus sæpè fefellit amor.
In thalamo Danaë saxo ferróque perenni
Quæ fuerat Virgo tradita Mater erat.

Quos igitur custodes pones? ingens custodia mentis, & Virginitatis honos, & honos optatæ mortis quam violare pudorem. Hoc Antiquitus amantium studium, ornare fores, puellarum diversis & excogitatis modis: unguentis enim & floribus & sertis, & quod majus, & auro locupletabant. Quanta vis amoris! Audi Juvenalem satyra 12.

Hic nostrum placabo Iovem laribúsque Paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

Confirmant Juvenalem alii. Apuleius lib. 4. Tota domus lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum. Simili pompâ Fulgentium Episcopum suum reducem ab exilio accepit Africa. Populus per omnes prolixi itineris vias in occursum ejus tetendit cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus. Ejusmodi autem lucernæ erant pensiles, suspendebanturque catenulis accensæ ad ædium singularum januas aut fenestras. Unus sufficiet Tertullianus lib. 11. ad uxorem: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmon, omnibus solemnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedit de janua laureata, & lucernata ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Hæc ille. An non Eva prima omnium parens, dux malorum, & scelerum artifex capta promissis fraudulentisque blanditiis; dum scelus suum, scelere velat viri, & secum in ruinam traxit, obsedit animum viri, & expugnavit pomi pendentis cupidine? Virginis verò ubera omni sanctitate sanctiora, omni firmitu-

Festivitas ornatusque domorum ad lasciviam.

A dine robustiora, omni pudoris & Virginitatis intacto nitidiora perstiterunt. Omni sanctitate sanctiora; quia sanctus sanctorum qui ea condidit, & lacte eorum potatus est: omni firmitudine robustiora; quia inexpugnabili turri munita. *Turris fortissima nomen Domini, & omnis armatura fortium in ea.* Omni flore Virginitatis nitidiora; quia intacta protulit florem campi, & lilium convallium. Cùm enim Virginis mens sit plenissima Deo, proindè vocetur civitas Dei, fundata est supra firmam petram, quæ nullis inconstantiæ motibus obnoxia vacillare unquam potest, nullis telis dæmonis vel hominum appeti, nullis præmiis sollicitari, quæ Deo summo bono copulata, pacificè regnat; & quia pacifici Regis Salomonis Mater: Sulamitis à pacifico pacifica

B dicta nactaque filium, à quo nomen & gloriam nomini æqualem sortita est: quam pacem, tam filii sui germanum nomen, & quàm suum acceptum ab ipso vocabulum præferens, à nullis insidiatoribus violari sua patitur ubera. Attamen quamvis pacificæ nomen obtinuerit, & pacifico Salomoni tradita, atque adeò pacem coram ipso invenerit; nihilominus pax & bellum in Virgine concordant, & ad bellandum est instructissima. Ego enim, inquit, murus, & ubera mea pro turribus munitissima.

C Murus ad propulsandos arcendosque meos hostes, & insidiatores uberum meorum intactorum, quæ intactâ & inviolatâ mente sustentantur. Non sine causa assimilatur palmæ cui botri innixi, quæ ubera signant, quorum inexpugnabilis potentia à palma invincibili, id est, Christo Domino datur.

§. XVII.

De mirabili uberum Virgineorum & diversa & disparili varietate eorumque generositate. Cur Divæ diversa ubera damus, quæ dæmus & Deo.

D

GVilielmus Abbas in Cantic. capite 8. docet Virginem ubera mentis, & ubera corporis habuisse. Et quidem benè. Ubera in corpore Virgineo, turgida plenaque lacte prodigioso: ubera mentis, plena charitate gratiisque cælestibus. Uberibus cordis irrorabat Filium suum naturalem: uberibus verò mentis filium lactare non poterat; quia plenus gratiâ & veritate, ac proinde ibi sicut nulla accessio virtutum; sic nec decessio poterat obvenire. Nobilissima utrimque ubera, at mentis beatiora, quàm corporis: priùs enim mente Mater, quàm corpore,

Priora sunt ubera mentis quam corporis.

corpore, nec beata ubera cordis, nisi præcessissent ubera mentis. Priùs ergo Deus lactatus nobilissimis uberibus mentis, quàm tenerrimæ Virginis lacteis uberibus, qui idem antè intellectus & voluntatis utero portatus, quàm utero corporis. Felicia ubera & beata, quæ Deum lactaverunt. Noli mirari Virginis menti, atque animæ ubera fœcundissima, & oscula Materna deferri; quandoquidem spirituũ fortissimo Deo, & à corporeis membris infinitè disjuncto; & ubera, & lac, & sinum, & oscula, & uterum adscribamus, Isa. 46. *Qui portamini ab utero, & gestamini à meâ vulvâ.* Lege, quam oscula blanda petantur Cantic. id est, *Osculetur me osculo oris mei.* Cantic. 1. Ubi Septuaginta habent: *Osculetur me ab osculis.* Et Syrus: *Osculatus me ex osculo oris sui.* Vide ut instar Matris porrigat ubera: quomodo sicut mater blanditur, ita & ego consolabor vos. Isa. 66. Et quo pacto blandiuntur Matres? an non tum maximè exhibent se matres, cùm lætę & alacres ubera pressant, pressaque porrigunt amato viscerum suorum pignori? Sic & Osee c. 2. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem.* Invitat Propheta ut lætentur Judęi novo gaudio, cùm ait: *Lætamini cum Ierusalē, &c. ut sugatis & repleamini ab uberibus consolationis ejus, &c.* Isa. 66. vers. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quare Hebræi, Magnum Deum Saddai, id est, Mammeum vocarunt, quasi omnibus ubera præbens instar amantissimæ Matris. Pulchrè & Clemens Alexandrinus in Pædagogo c. 6. docet Christum Dominum esse mammillā Dei Patris, id est, Patris amores atque unicas delicias; qui & ut filius Dei Patris naturalis dicitur Joan. 1. esse in sinu Patris, id est, in pectore, in corde, in uberibus Dei Patris, id est, ita esse intimum Deo Patri, ut unum sint, juxta illud: *Ego & Pater unum sumus.* Joannis 10. Si Dei substantiæ increatæ & summè spirituali, hęc amoris symbola ad exprimendos Divinitatis infinitæ in genus humanum ardentes amores affingimus; cur non potiùs animæ Virginis sanctissimę cum maximo plausu deferemus, cujus corporea mēbra non symbolicè; sed reipsâ in se ipsissimā continent, & repræsentant veritatem excellentium amorum? Constat cor sub pectore & mammillis latere, & cor esse sedem mentis & rationis, ex multorum opinione; ut Stoicorum. Aristot. lib. de respiratione, quamvis Metaph. 7. indecisum relinquat. Tertullian. de animâ 15. cap. ubi quærit, ubi sit principalis animæ pars, id est, ratio, an in corde vel cap. & lib. de resurrectione carnis Jeronymus in caput 14. Matth. cum exponit illud: *De corde exeunt cogitationes.* Cicero Tuscul. 1. ubi ait: Cor, ipse animus videtur, ex quo excordes discordesque homines dicuntur. Et Nasica bis Consul, corculum vocatur. Cor ergo principem animæ partem, vel facultatem secundùm quam similes Deo efficimur,

Deo ubera adscribuntur.

Anima Virginis donatur ubera.

Cor sedes mentis ex multorum sententia.

A & fumus, quâ meminimus, intelligimus, sapimus & amamus, possidet: quam facultatē, Thologi veteres vocant ἡγεμονικὸν, eamque suam sedem in corde tenere fatentur. Quod ipsum pulchrè docet Philo Judæus in libro de Officio Judicis: Quid, inquit, in vitâ tam pulchrum quàm veritas, quā sapientissimus Moyses in stolâ summi sacerdotis, sacerrimo in loco propter pectus, ubi pars animi est qui principatum obtinet, collocavit: eo consilio ut illum, monumento omnium pulcherrimo præstantissimoque exornaret. Unde & Lucretius lib. 3.

Consilium quod nos animū mentemq́, vocamus,
B *Idq́, situm mediâ regione in pectoris hæret.*

Cor ergo cùm curiosis vallis & munimētis clausum lateat, nec possit amores suos interiùs ardentes enuntiare, emittere, & ejaculari; ubera velut indices, & nuncios, & amoris testes natura providit, quę suâ fœcundâ pulchritudine, & blanditiis amores cordis illecebrosi euulgarent; sic & mens in ipso corde humano residens latensq;, cùm nō possit explicare, & in apertum producere, ut Dux suum exercitum, suos amores eorū nuncios, testes, & legatos mittit foras, operationes scilicet intellectus, voluntatis & memoriæ, quas ubera vocamus, mētis monumēta, ut bottos à vite productos; ut hi vitis virtutē & ener-
C giam; sic illa mentis latentis vim & fortunam declarent. Habet cor Virginis sua ubera, habet & animus Virginis, qui in corde tenet suum principatum, sua ubera, nec iis ullâ ratione destitui aut carere potest; cùm manifestum sit, Virginis cor & ubera, & animam cum omnibus suis potentiis devotam mancipatamque saluti generis humani. Sicut ergo lactavit Filium suum suis sacratissimis uberibus; sic necesse est, si Mater omnium velit esse, qualem se vult quàm maximè; quantacumque est, omnes lactet uberibus sui intellectus, voluntatis & memoriæ. Et hoc est, quod Guilielmus suprà docuit; Virginē habere ubera mētis & corporis. Cor ergo Virginis admirabile, in quo velut domicilio Virginis anima residet, totum Divinis sensi-
D bus, consiliis, sapientiâ, amoribus fœcūdum plenumq; sit, exuberat lacteâ quâdā ubertate in modū uberū, quæ nimio lacte distenta, jugi perenniq; fonte in omnes dimanāt. Cū ergo capacitas cordis Virginei sēper aliquid immensum infinitumque desideret, & ejus capacitati, animæ magnitudo, & avida vota respondeant; an angustiæ pectoris nostri, & animi egestas infirmitasque capere poterit ejus fecundam ubertatem? Sicut suprà vocavimus Deum Mammeum, quasi totus mamma sit: Matrem quoq; universi, vocemus & Mammeam. Immēsitas quippe infinita cordis Virginei posceret infinita quodammodo ubera, ni ratio vetaret; dabimus tamē animę in corde residēti, sua ubera: dabimus illa tribus suis potētiis intellectui, voluntati & memoriæ, quę dicemus cognata & cordi & animæ.

Ubera cur juxta cor.

Mens cur in corde

SS. Virgo nō potest carere uberibus mentis.

SS Virgo tota mammea.

A

§. XVIII.

De ubere intellectus.

INtellectus ubera dicemus sapientiam Virginis, quâ omnes mortales docet, instruit, suoque filio formatos donat. Quare & Mater sapientiæ passim cantatur, & Sapientiæ octavo, versiculo quarto vocatur doctrix disciplinæ Dei, & electrix operum illius; ubi pro doctrix, Græcè est μύςις, id est, secretorum Dei conscia & quasi secretaria, & eorumdem revelatrix & nuncia, & doctrix, quia ea revelat quibus vult, quosque format, docet imbuitque sacris mysteriis. Felix qui isto lactatur ubere, & sugit æternarum veritatum cognitionem, & suę prædestinationis discit arcana. Vocatur μύςις, id est sacerdos & initiatrix quæ alios sacerdotes initiat, & sacris mysteriis inauguratur; unde & sapientiæ Antistes, & sacerdos Dei vocari potest. Ubi & Budæus: Initiatrix, Dux, Interpres: & Cantacuzenus, in consilio Dei residens, & penitus quæ ad illum spectant, noscens. Ipsa habitat in consilio Dei, & revelat id suis, docetque quo modo justitia colenda. Deinde vocatur electrix operum Dei. Ubi Græcè εὑρετις, id est, inventrix operum illius; illa scilicet scrutatur profunda Dei, & causas nostræ salutis rimatur penetratque, quibus artibus ad destinatum præmium perveniri possit. Alii legunt ponderatrix; pulchrè sanè, quasi diceretur: Sapientiâ suâ Virgo tractat pro sua dignitate creaturas, eligit suis amatis, sibi amata; & amatis pretiosa: deinde æquissimâ rationis trutinâ cujusque merita atque studia ponderat & examinat, & quod quisque meretur, assignat. Aliud uber intellectus est uber prudentiæ, quâ secum consultat, & consiliis habitis inquirit quid in cujusque negotiis sit agendum. Deinde per synesin, id est, judicium ex consultatis seligit meliora. Quare & sanctus Hilarius sic vertit: *in labore utiliorum operum valida*; quasi diceret; validiora & efficaciora cum magno delectu secernens. A Maria enim Cælestis disciplina à cælo in terram transmittebatur. Felix ter & amplius cui datum hæc ubera suxisse. Cetera ubera intellectus prætermitto, de quibus variis locis dictum. Eja propera ad Matrem sapientię, fluunt ubera plenis rivis, ultrò invitamentis vocat & allicit, non dilatione lassabit, non expectatione torquebit. Ingrata enim sunt beneficia vel obsequia licet specie magnâ, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt.

Obsequia quæ ab ubere intellectus manant.

§. XIX.

De ubere voluntatis.

VEniamus ad immensa volũtatis ubera; immensa cordis ardentis in nos charitas; immensa voluntatis Virgineæ bonitas & in homines inclinata propensio tot ubera porrigit, quot homines sunt eruntque. Ni miteris: tota charitas & ignis est; tota Mater, omnia viscera sunt amoris viscera. Audi
B verba languentis præ amore filiorum Cantic. secundo, versiculo quinto capite. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ubi Syrus sic vertit: Posuerunt me in deliciis, circumvallaverunt me malis, quia amore infirma. Fulciri vult floribus, ut liquescentem animam & deficientem odore leni suumque spiritum revocent. Unde & Symmachus vertit: *Recumbere me facite in floribus, ut me recreent*; quia flores veris lętitia, camporum risus, hominum & naturę dotale gaudium; Flores quibus fulciri, & mala quibus stipari volo, sunt animæ quæque teneræ & incipientes; per mala verò perfe-
C cti fideles designantur. Huc spectat versio Syriaca: *Posuerunt me in deliciis, & circumvallaverunt me malis*, quia nullæ occursant Virgini deliciæ, nulla grata oblectamenta, quàm salus suorum filiorum: illa cùm abest; languet Virgo, cùm præsto est, viget amor. clamat: *Fulcite me floribus, stipate me malis*; & ni feceritis, languor tẽdit in exitium, quia amore langueo: vulnerata sum philtro & infirma: tota sum in expectatione, & omnem festinationem reputo tarditatem; omnis longa mora vehementer amanti: vestrâ salutem, bonorum operum fructus, flores & odoramenta fidei vivacis, ut illis reficiar, tota colliquescens sitio. Mira Virginis charitas
D quâ vivit amans in amatâ creaturâ. Quare & præclarè definivit amorem Plato: *Est*, inquit, *amor, ardor animi in proprio corpore mortui, in alieno viventis*. Quare alii ad hunc sensum verterunt hæc verba, *vulnerata sum charitate, occisa sum vel mortua sum charitate*. Amabat homines etiam fugaces, & quidem cùm non teneret: dolebat, cùm non haberet; ergo si dolebat, vulnerata erat: & hoc vulnus ad salutem hominum curandam rapiebat. O sanctissima Virgo, quam pulchrum & decorum vulnus à charitatis sagittâ tulisti; quam pulchrum tibi & decorum pro quolibet mori. Alius jaculum carnei amoris accipit: alius terræ cupidine saucius moritur, tu cor tenerum atq; formosum, jaculo formoso, jaculo electo præbuisti. Deus hic Sagittarius est, Sagittarius & homo. Deus sagittavit sagittâ electâ, sagittâ amoris in genus humanũ, cujus ardẽtissimè urget beatitudinẽ. Sagittavit & homo, quem

Quàm ardens SS. Matris voluntas quãtus amor nostræ salutis.

SS. Virgo sagitta electa.

quem summè ex misericordia diligis, cujus gratiâ te creatam non ignoras. Filius Dei in hominē tanquā in scopum, seipsum est jaculatus, *quem Deus Pater posuit*, juxta Prophetam *tanquam sagittam electā*. 49. Isai. Quid æquius quàm ut mater filium imitata, in hominis salutem seipsam ejaculetur. Per singula ideò momenta trāsfigit corda hominum telis suæ charitatis, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos facit, doletque, sicut doleri solet in morte primogeniti, ruinâ si quispiam involvatur. Accedit ergo continuè, congeritque in sinus hominum, consilia, inspirationes, terroresque, quibus aut urantur, mutentur, aut à perdita vita revocentur. Miraris hæc Virgineæ charitatis & misericordiæ tenerrimæ obsequia. Cessa mirari, si miraris; nec æquum est mirari: Virgo enim est ipsissima charitas & ipsissima misericordia. Audi verba sponsi: *Adjuro vos filia Ierusalē* &c. *ne suscitetis aut evigilare faciatis dilectam*: Cantic. 8. Ubi Hebraica Lectio habet, *dilectam, & dilectionem*. & Vatablus, *amorem*; quasi merus amor esset. Quod optimè videtur expressisse Syrus, dum pro dilecta, vertit essentiam amoris. Sicut ergo validus ignis obvia quæque depascit, & depasta depopulataque in suam transfert naturam suosque ardores; ita sanctissima Virgo suæ charitatis incendio, totum Orbem accendit, inflammat, & ut est essentia amoris, in suos essentiæ permutat amores. Hanc essentiam amoris in Virgine dominantem feliçissimè depinxerunt Septuaginta Cantic. 3. ubi nostra Lectio habet, *Ascensum purpureum mediā charitate constravit*. Septuaginta habent, *interiora ejus constratā charitate ex filiabus Ierusalem*. Ecce ut in Virgine imaginem cernas essentiæ amoris: ecce ut tota sit mammea, & ubera ex amore, cùm suo lacte nihil aliud effundant, quā sanctos amores nostræ salutis. O fœlix hominum genus, ait Boëtius, si vestros animos amor quo mundus regitur, regat! De hoc ubere vide dicta in Consociatione de charitate. Quis enarrat quale sit uber misericordiæ Virgineę, quæ quia Mater est misericordiarum, debet esse miserorum: & quia est mater miserorum, rapit nos secum per omnia; per flammas tribulationum; gloriosiùs quàm Æneas suum Anchisem Patrem: per aquas miseriarum instar Arcę Domini, Josue 4 ut docet Abulensis q. 20. quæ volavit super Jordanem portans secum suos portitores. Stupendum miraculum. Portabant Levitæ Arcam, & sine onere portabant; & quia portabant, ipsi portitores ab Arcâ Domini portabantur non aliter quàm alæ in volucre quæ portantur, & portant. Hic est Virgineæ misericordiæ perpetuus triumphus, ut suos servos secum rapiat feratque, & viā cæli aperiat; uti Arca Domini per Jordanem, & ducat in terram cui benedixit Dominus; in terram ubi pascit Deus Israël seipso æterno felicitatis

Amor tenera voluntatis.

SS. Virginis charitas est essentia amoris.

A pabulo. De hoc ubere misericordię dicta sufficiant. Sufficit vocasse venā misericordiæ ex Bonaventura ad Canticum *Te Deum laudamus*. Et in Psalterio, fomitem misericordiæ vel pietatis: fenestram cæli; Intrent ut astra flebilis, stellam maris, Arcam pietatis, Januam cæli, quibus titulis exhibentur ubera benignissimę misericordiæ. Reliqua volūtatis ubera prætermitto. Absoluero hoc verbo. Quanta sit Virginis misericordia, infinita declarat miseria; non aliter quàm languor, quanta sit salus. Hæc ubera misericordiæ totum Orbem irrigant, Orbem fœcundant, & fœcundando sustentant. Qualia circumferat per Orbem ubera Clementiæ, arduum dictu: Materna sunt ea, qualia misericordiæ.

De voluntatis affectu dictum suo loco.

B Fusè de Clementię fulgore dictum suprà: si pauca addidero, stringam calamum. Scimus Filium vocari Patrem Orbis, scimus à Deo Patre datam Patriam potestatem. Unde & Isaias 9. cap. vocat Patrem futuri sæculi. Scimus & Virginem Orbis Matrem, illique competere & Patriam potestatem, qualem & exercere potest in Filium. Hanc potestatem Matriam, ut ita loquar, clementiùs temperatiusque tractat, quàm Pater erga filios. Si cogitur ulcisci injurias suo filio illatas, & tanquam Mater abscindere membra, etiam cùm absciderit, reponere cupiat, & in abscindendo gemat, diu multumque cunctata. O quàm maternè! nulla unquam de morte

C hominis cunctatio longa est. Unum agit Virgo clementiæ suę viribus, secum scilicet tractat, quo modo prava in rectum flecti possint. Neminem destituit quocumque in vitę apparatu, quamdiu spirat. Si suprema cogat ad castigationem necessitas; sic castigat, ut cicatricis nulla nota supersit. In hoc genere puniendi placuit semper ratio medēdi malis in Artaxerxe, qui, ut scribit Ammianus lib. 30. sævitiam Regum Persarum sic temperavit Tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputabat, & ne secaret aures Regio more è galeris fila pendentia præcidebat. Procul à Reginâ mundi crudele cōsilium Anaxarchi, qui Alexandrum consolās ob Cliti cædem; An ignoras, inquit, jus &

Mira clementia Artaxerxis.

D fas assidere Jovi, ut quidquid Rex agat, id fas justum putet? Erras impie; minus enim ei licet, qui plus potest. Regum potentia seipsâ armatur. Paucissimos numeraris, in quos Mater Clementiæ desæviit. Summam laudē Virgo consequitur, nullam stillam sanguinis fudisse, etiamsi ultio sit in facili. Proximum Divinitati, lædentibus gratiam retulisse. In tantę clementiæ, & misericordiæ semper duraturam memoriam, Gregorius Nonus Pontifex Maximus per omnes Orbis Ecclesias, & Innocentius Quartus ad sedandas à Frederico secundo Imperatore excitatas tempestates, quotidie sub Completorio Cāticum *Salve Regina* cantari jussit. Et sanè prudentissimè: in illo enim velut brevi com-

Origo cantici Salve Regina.

cõpendio Virginis triumphales tituli decantantur. Hujus auctorem Hermannum Contractum, à contractione membrorum sic nominatum, nobili sanguine editum; sicut & Divum Bernardum cultorem suorum amorum privilegiis planè eximiis exornavit sanctissima Virgo. Hic Spiræ Virginem salutans hisce verbis, O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria! terque genua flectens, lapis cedens genibus, genuum formam admisit; & verba laminis æneis insculpta æternitati famam tanti miraculi dederunt. Sic Guilelmus Eisingrinus lib. 12. Chronic. de Urbe Spirensi. Perplacuit & summo Deo, & ab Angelis hoc Cantico suam Matrem celebrari. Fama, inquit Martinus Navarrus, Vir doctrinâ clarissimus, & Abbas Monasterii Roncæ-Vallis, in hoc Monasterio sabbathis solitam hanc Regiam salutationem ab Angelis cantari apud quemdam fontem; qui etiam nunc fons Angelorum nuncupatur. Vide Navarrum in Manual. de Orat. cap. 19. num. 183. Quare & ego verniculus eodem Cantico te compellans, ô sacrum admirabilis magnitudinis portentum; cum beato Anselmo libro de excellentiâ cap. ultimo dicam: O tu illa piè potens, & potenter pia, de quâ fons est ortus misericordiæ; ne contineas precor tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam. Addam & votum beati Ephrem, in Oratione ad Virginem: Adsis semper misericors, & clemens, & benigna. Alios voluntatis affectus & ubera prætereà quæ in uno ubere velut inexhausto maximo fonte continentur alibi referam.

Bernardo dicti Salve Regina, quæ gratia facta.

Angeli canunt Salve Regina.

§. XX.

De uberibus memoriæ.

DEscendamus ad ubera memoriæ Virgineæ, in quâ illa velut thesauro, vel custode rerum omnium velut ærario sui Imperii omnes opes vel recondit, vel in eam velut in fastos, animatosque Annales omnium merita, opera, studia & obsequia vult esse relata, ut suis oculis inspectoribus singula quæque & minutissima observentur. Nullius obsequii memoria apud eam inveterascit, nihil exstinguitur, nihil eorum cadit, quæ in ejus gloriam peracta sunt. Recens semper omnium recordatio. O quantæ felicitatis, tantæ Majestati vitas impendisse, quas est servasse. Quare sicut intelligentiâ suâ in-

Memoria SS. Virginis thesaurus nostrorum operum.

A numerabilia perspicit; ita & infinitarum rerum & innumerabilium species, & memoriam apud se continet, nec multitudo rerum tantarum, imagines præsentes confundit atque disturbat. Mirum dictu creditu que; stant Regnorum, Provinciarum, Urbium, & sigillatim hominum suo ordine digestæ curæ & solicitudines; stat series consiliorum tractandorum, quibus singulorum vita, & actiones dirigendæ; stant & singulorum vota, preces, & obsequia ante oculos, & sic singulorum meminit, non aliter ac si unus foret curandus. Multa stipendia egregiæ servitutis confecisti, non obsolescit memoria laborum B peractorum interjecto spatio; verùm vigent illi non secus ac si forent recentes: nullius rei obliviscitur præter injurias. Quidquid ergo Virgini sacratur, hoc illa hilaris accipit, profitetur gaudium; danti vult esse manifestum, ut etiam fructum præsentem capiat. Mira Virginis virtus; justa sibi causa lætitiæ videtur; videre lætum suum servum, & justiorem fecisse. Pro magnitudine ergo rei impensæ, statim effusis affectibus ad nos pervenit impensa liberalitas. Hæret itaque tanquam in adamante sculpta memoria exhibitæ servitutis. Virginem hoC norasti, implesti uber Regiæ largitatis lacte, statim dum accepit, de reddendo cogitat; aut si celeritate opus non est, quasi carceribus inclusum tempus opperitur, ad quod velut dato signo prosiliat, ut duplici proventu fœnus reddat. Æmulatur Virgo Beatissima Filium, qui inauditâ benevolentiâ & gratitudine Marthæ & Magdalenæ hospitii jus oblatum, pensione Regiâ persoluit: qui nunquam subduxit memoriæ suæ ullum beneficium, quantumvis vile atque exile, qui nullius preces, imò nec suspirium à se longè projecit, ut extra conspectum suum poneret: non D poterant intercidere, quæ percepta semel occurrebant; semper enim ad referendam gratiam Filius ex aliqua causa convertebatur: Beatissima Virgo iisdem insistens vestigiis, æternâ parique memoriâ, præterita, & præsentia suorum vota, & impensos honores prosequitur. Et quia ad reddendam gratiam & virtute opus, & tempore, & potentiâ, & facultate, & adspirante fortunâ, quę omnia cùm Virgini potentissimæ adsint tanquam rerum Dominatrici, non mirum si totum Orbem irriguis suorum uberum fontibus irrigat, & effusis manibus in omnes sua dona dispergit. Indecorum judicat, & indignum, minimis obsequiis non retulisse gratiam, quod apud omnes turpe habetur.

Omnes ut singulos curat.

Semper recens obsequiorum memoria.

Cum fœnore reddit.

Nihil etiã exile à se rejicit Deus.

Ingratus

Gratitudo Vespasiani & Titi in Iosephum vinctum.

Ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est. Vespasianus, & Titus filius Josephum scriptorem vinculis constrictum tenebant; judicarunt indignum suæ fortunæ fastigio, virum, qui ausus fuerat furente Nerone se Imperatorem compellare, & Imperium certis auguriis prædicere, & jam exitu Divinationes comprobasse; fœdo carcere clausum diutiùs detinere. Vide quantum potuit in pectore Principis memoria præteriti studii. Non erubuit fortunam captivi, qui poterat sine inpendio jam gratus esse. Solvitur Josephus. Verùm ut gloriosè solvi posset, Titus ad Patrem: Justum, inquit, Pater, unà cum ferro, & probro Josephum solui (dissolutio enim vinculorum non liberat probro captivæ servitutis, sed incisio tollit dedecus captivi non aliter quàm si vinctus non fuisset.) Placuit ergo incidi catenas, & donari libertati & Principis gratię. Vide Josephum lib. 5. c.11. belli Judaici.

An Virgo Cæli terræque Imperatrix posset non meminisse honores Aris suis impositos? Fumantia thure Altaria? voti, & spolia suspensa, lachrymas clamoresque suorum? Credite mihi mortales, non potest tanta bonitas celare patrocinium. Non est quod dubites, an non dubitando, injuriosus es in tantam Majestatem, quę potest omnia? Cyrus quamvis se Cambysis Persę, & Mandanes filiæ Astiagis Regis Medorum filium esse rescivisset, suam altricem Spaco (Græci Cyno vocant, hinc fabulæ locus, quod à cane fuerit nutritus) bubulci Regii uxorem tanto in honore habuit, ut ejus sermone semper esset Cyno. Herodot. libro primo.

Major Cyri regis in suam nutricem.

Non erubuit tantus Monarcha perpetuâ memoriâ colere debitum pastoritię educationis obsequium: cur erubesceret Virgo suorum alumnorum servorumque observantiam meminisse, & cultum dilexisse? Nulla Gens facilè æquârit gratitudinem Romanorum in suos milites, quorum virtutem, & labores Reipublicę navatos summis beneficiis cumulabant. Vide Plinium libro decimooctavo capite tertio benemeritos hastis puris, aureis pateris, sellis curulibus, scipione eburneo, tunicis palmatis & pictis, aureis torquibus, duplici annonâ, duplici stipendio, interdum etiam militiæ vacatione & dignitatis aliquo gradu donabant. Sic Augustus Cæsar, phaleras, torques, aliaque ex auro fabrefacta ob res bene gestas, munera dabat. Suetonius. Carolus Magnus duos gregarios milites, quòd factâ testudine urbis munitissimæ aggeres dissipassent, ac portas effregissent, pro concione laudavit, Præfecturamque inter Rhenum & Alpes consignavit. Deinde & ulteriùs provecta Principis largitas. Memor duos tyrones, vulgò contemptos, fortiter in medio hostium agmine depugnantes clara facinora edidisse, inter cubicularios stipatoresque suos esse jussit. Aventin lib. 4. Longè rariori augustiorique suos milites decore, & laborum præmio cohonestat sanctissima Virgo, illa effundet uberes suorum uberum fontes; illa memor studiorum, coronat suos omni bonorum copiâ. Et quid enim deficiet illam, cui nec vires nec potentia, nec Maternus unquam defuit affectus. Ex paucis disce omnia. Antonius de Panda oppugnatus obsessusque tentamentis dæmoniacis, hymno dicto, *O gloriosa Domina*, subitò liberatur, & quia illi hujus hymni crebrerrimus usus, lectis ante obitum Psalmis pœnitentialibus, exspiraturus animam, Virginem eodem compellat: & ecce compellata offert se, & filium videndum, multisque solatiis cumulatum, ad immortalitatis secum transtulit bona.

Grati Romani in milites.

In Antonium de Padua SS. Virginis grata memoria.

§. XXI.

De fomento, deinde respiramine, quo sanctissima Virgo nos tuetur fovetque ut fœtus suos, matres.

Fœtus in utero induit affectus maternos.

DIximus fœtum utero materno clausum, ita matri esse coagmentatum, ut pro una persona computentur, & actiones utriusque sint communes utrique. Quare si rideat mater; ridet proles: flet mater; flet proles: irâ furit mater; furit irâ proles: feritur mater; feritur proles: respirat mater; respirat proles: exspirat mater; exspirat proles ni subitò provideatur. Quidquid ergo patitur mater; patitur & proles: utriusque una eademque fortuna, quæ divisionem, quemadmodum unitas non patitur. Unde & Schola Theologorum docet, unum Angelum utrique destinatum. Fomentis, & delinimentis fovet mater suum fœtum, dum seipsam fovet; quæ dein fomenta in Deum redundant: non aliter quàm avis pullos suos ovis exclusos pennis fovet, ne frigore lædantur. Primum de fomento quo Virgo nos tuetur fovetque: deinde ut per illam respiremus, qui omnes utero ipsius continemur, erit agendum. Matronæ magnanimæ, quæ non causâ voluptatis; sed propagandi generis humani, suæque familiæ causâ sese conjugii vinculis illigant, (quarum una instar Phœnicis Princeps & Regina fuit Zenobia Regina) ubi concepto fœtu se impręgnatas sentiunt, ita curiosè fœtum fovent, tuentur, ejusmodi temperamento vivendi utuntur; ita providè corpus, sapienterq; animum regunt; ita corpus animum-

Quantâ curâ fœtus fovendus in utero.

animumque quasi ad numerum exercent, ut ne desidiâ corpus elangueat, nec immoderatâ lassitudine exhauriatur: ita denique *Castitas necessaria concepto fœtu.* tori castitatis student, quod propè fidem excedit, ut sibi & marito probante, prolis amore voluptatem interdicant: tantus amor prolis. O insatiabilis hominum libido! quò non proruit effrænis voluptas, quæ seipsâ sibi nova semper incendia nutrit, dum blandiendo dulce nutrivit malum, malum quod usu valescit. Nunquam adimet Veneri vires Venus; sed augebit cum mortis malo: est enim humani generis communis sepultura, & λυσιμέλης, id est, dissolvens membra, vocata; unde & templum Veneri homicidæ sacrum *Pudeat conjungere insolentia libidinis.* ἐρώλινῶ. Sic Plutarchus. Dos magna Dei, nunquam violasse oculos oculis, qualis contigit Baltazari Aluares, qui objit 1580. cùm enim nullâ ratione posset feminarum oculos vitare, imaginem Virginis sanctissimæ instar muri opposuit oculis ad septem horas quàm diu actio publica & inevitabilis duravit. Hoc per transennam, ut dici solet. Quantò continentiores pecudes, quæ triduo, paucisque diebus pendunt naturæ debitum sui generis? Magnanimas Matronas, Matronarum Regina exsuperat, easque post se infinito intervallo relinquit: illa quippè nos ab utero, & in utero fœditate peccati originalis corruptos, & fomitis vitiositate, qui instar habitus, & proclivis affectionis ad malitiam & pravitatem inclinat incurvatque, ab illa corruptione vendicat, quantum lex Divina permittit; & seipsam tanquam fomitem omnis boni, fomiti totius pravitatis, & assiduorum bollorum opponit origini. Ad hoc bonum nobis conciliandum procurandumque, Deus ipse Virginem, ad quam formandam ipse voluit esse artifex; ut loquitur Damascenus orat. 1. de Nativitate Virginis, tum ab originali peccato, quod est habitus dissimilitudinis Dei, ut dictum est; tum à fomite, originalis peccati fluido vulnere penitus vendicavit, atque immunem esse voluit: Ideò etiam dicitur prodiisse ex ore Altissimi, Ecclesiast. 24. primogenita ante omnem creaturam, ut esset divina ac viva imago, ad quam genus humanum posset reformari. Ut autem posset reformare, sese præstat fomitem misericordiæ Divinæ, ut nos illa perpetuis stimulis excitet, & continuo classico sopitos provocet, suę gratiæ favoribus armet, mentem inclinet ad sancta, inspirationibus sanctis tum quam maximè cùm tanquam cæci ebriique venenis peccatorum in scelera præcipitamur. Mirabile Divinæ providentiæ consilium, quæ Virginem, quæ prodiit ex ore Altissimi, opposuit corruptis hominibus, qui *Est instar Samaritani fovens suos.* prodierunt ex ore proditoris Adami; quæ opposuit venenis maledictionis fontem benedictionis, & justitiæ ultrici pia misericordiæ viscera. Illa fovet nos instar

A Samaritani læsos, oleo; infundit oleum, cùm blandiendo suis consiliis invitat ad bonum: infundit vinum cùm instar matris offensæ severiùs tractat increpando. Oculis, voce, vultu, complexu, Angelorum præsidiis, Filii interpellatione nos fovet, & morientes, ac denique mortuos, quos non deserit, memor obsequii peracti. Quæ vel qualis est modò vita Virginis sanctissimę, nisi continua vigilia, & amor oculatus in vigili statione, ut suis fomentis Orbē suum tueatur? Officium ejus est, quod bonorum Parentum, qui objurgare nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, aliquando etiam admonere verberibus. In animo Virginis nihil hostile, nihil efferum: amabilis suis, amabilis hostibus; in omnes bonis desideriis propensa. *Agit partes boni parentis.*

B Mater denique Orbis est, quæ omnibus publicat viscera suæ misericordiæ, quæ nullis injuriis evincuntur, ut ad decretorium stylum perveniatur. Asperi ingenii est; aspero admovere manus remedio, & non inclinari ad mitiora, etiamsi ex usu foret animaduertere. Servare, est proprium excellentis fortunæ. Vultu & voce, lacte demeretur Regina cæli suum servum Bernardum, & suis amoribus fovet. Clarâ luce fulgens presso ubere lac Bernardo affundit. Nil mirum, si totus mellifluus & lacteus sit Bernardus: nil mirum, si totus, totum cor, mentem, linguam, calamum in Virginis laudes producat insumatque. In famoso

C virtutibus Cœnobio Afflegemensi in Flandria sito spectatam statuam sacratæ Virginis venerat Bernardus; ut solemus & Regum & Principum statuas colere. Salutat & Virginem in statua, fovit Virgo amorem amore reciproco, dictâ salute, *Salve*, inquit, *Bernarde*. Huic statuę non pepercit furor hæreticus, cui longeva vetustas honorem detulit. Magnus fundator & restaurator Orbis Dominicus, quia Virginem circumferebat per orbem, à Virgine quale præmium accepit? Vidit totum suum ordinem foveri, tegique sub pallio sanctissimæ Virginis. Et quis amores Ordinis in Virginem explicârit? tota domus, templa, pulpita laudibus Virginis personabant. An non a- *S. Dominici amor in SS. Virginem pensatus.*

D mata Virgo, Matris instar reciprocè fovebat Ordinem? Non tulit Dæmon; furiatâ mente spectris, flammis, personatis monstris, draconibus infestare Ordinem terrere, preces disturbare. Comuni ergo suffragio indicitur Antiphona *Salve Regina*. Adfuit Virgo, & terrificas artes dissipavit. Circumfertur à multis retrò annis probata historia, quæ omnes blandientis Matris partes absoluit. Canentibus fratribus *Salve Regina*, ad has voces visa est cælo delabi; & salutata, fratres resalutare. Dein ad has voces; *Eja ergo Advocata nostra*, visa est ante suum Filium aggeniculata pro canentibus orare. Ubi perventum ad verba; *Visio nobilis sancto Ordini concessa.*

illos

illos tuos misericordes oculos; singulis placidum vultum, placidosque & Maternos oculos donare. Verùm ut tantis delinitionibus & fomentis nihil abesset, dum caneretur, *& Iesum benedictum filium tuum*, ad singulos puellaribus Virgineisque manibus filium suum protendit. Quantum exarsêre piæ animæ sanctorum virorum! Chronicũ Ordinis, & frater Choquetius de sanctis Belgii sui Ordinis, Stupenda do Alano de Rupe Dominicano, qui piè finivit anno 1475. Tota hic animo ferebatur in Virginis amores; non cessit Virgo, vinci nescia. Regius animus parvo provocandus; scintilla amoris & obsequii magnum excitat incendiũ. Voce, motu, formâ etiam magnificâ & generosâ & Divino quodam modo adest amanti: monet etiam atque etiam, jacentem rosarii cultum restauret, sodalitia collapsa redintegret, sit ut animosiùs hanc provinciam susciperet, annulo affabrè contexto donat, quo eum sibi in sponsum adscivit, præsenteque Christo multisq; sanctis contracta sponsalia. Et quò fides visioni daretur, Virgo spõsalia rosario nobili in collum porrecto spõsi, in arrham æterni amoris firmavit. Vidisti sponsum; intuere ut eundẽ tanquã filiũ tractet foveatque. Virgo lac suum uberibus suis affluentibus in os sui amati filii infudit. Ille igitur plenus Deo, plenus Virgine, Deum in Virgine, & Virginem in Deo disseminavit. Nullus locus vacuus à Virginis laudibus, omnia resonabant Echo, & saxa quodammodo ipsa reddebant voces salutationis Angelicæ. Tota in ore, in linguâ, in calamo, in pulpitis, in chartis, in cõviviis mensisque Virgo; nulla illi cura vivendi nisi in Virginis laudibus, quæ illi una & summa cura; nihil aggredi nec minimum negotii attentare nisi Virgo salutare daret auspicium. O te beatum Alanum, cui tantum contigit decus, serviendo tantæ Matri Regnasti; regnasti tantæ Principis beneficio tutus, nullis præsidiis eguisti, nullis armis. Et quid istis opus, cùm fueris firmissimo muro Virginei amoris obseptus? Arma tua fuerunt Imperatoriæ Majestatis solemnis ornatus, vox Virginis quæ sonuit in auribus tuis, & facies Principis invincibilis fecit summorum victorem laborum. Finiamus, & ex uno disce innumerabilia. Blanca Galliæ Regina, & Reginarum felicissima suo partu; videbatur damnata sterilitatis, ægrescit animo, languetque: illam familiæ occasus angit, & tantæ stirpis decora, per tot egregios Reges fastosq; continuata in se terminanda irrequietè sollicitat. Quid agas implacabilis cupiditas posteritatis? Ab humanis consiliis ad Divina deproperat. Consulitur sanctus Dominicus. Et ille; Una sola, inquit, est spes in Virgine. Ægrescis animo? illa ægrescentes fovet animos solaturque. Vis indutam illam Maternis affectibus? tu priùs indue ejus affectum. Solicita orantque Virginem Rosarii lectione; dabitur Regina quod optas, nec desolata recedes. Et ecce quæ sterilis, fœcunda felixque parit Filiũ,

Alia historia digna memoratu.

Gallia dabit Phœnicem regem regum beneficio Virginis.

A non solũ Galliæ, & Occidui Solis, sed Orientis totius felicissimum sidus. Parturiit Blanca Regem, quem Virgo donatum cælo, prius mundo pepererat quàm Mater, cùm scilicet dedit, quem effunderet Mater. Et quale opus Virgo sanctissima terris & cælo videndum dedit? Unicus est Regum Sol, Phœnix, Mecœnas & præsidium virtutum, & pauperum. Felix regnũ tanto Principe, qui non clarior regno cœli nobilissimo; quàm seipso fuit. Tãtum lucis dat virtus in Principe. An non hodie præstat illi mortuo famam, quæ vix vivis Principibus servit?

§. XXII.

B *De altero membro, ut mortales per aërem respirant, sic mentes per Virginem.*

Diximus fœtum utero matris per vincula naturæ Matri cohærere; diximus & unius Matris spiritu vivere, qui utriusq; corpus foris adductus permeat penetratque. Arteria aspera Matris, excipit aërem qui ductus est à spiritu, cumq; à pulmonibus exspirat ac reddit. Eadem pars redditur respirando à fœtu, & quæ cõcipitur à matre, concipitur & à fœtu. Deinde notum omnibus, mortales ab aëre circumfuso vivere, & afflatu aëris corpora permulceri, lætari, vel ejus subtractione suffocari, vel corrupto cõcidere dissolvique. C Quemadmodum fœtus, mortalesque respirando exspirandoque vitam benigno salutaris aëris beneficio sanam lætamque ducunt, vel statim interituri; si eo destituantur: sic mentes hominum ut vivant vitâ Divinâ, vitâ salutari, vitâ mortis securâ, necesse est, ut per Matrem Dei respirent, illius afflatu sustẽtentur, illius trahant, & sugant mellifluũ aërem; quandoquidem illius utero, utero scilicet intellectus, portemur, illiq; cohæreamus ut fœtus matris utero: quod ni fiat, tota mortalitas præcipiti ruinâ involuetur deficietque; quod enim est vẽtus & aër corporibus ut respirẽt, & respirando vivant; hoc unicum est mortalibus subsidium sanctissima Virgo, ut possint vivere vitâ spirituali, ut per illam respirent. Defectio respirationis Virgineæ signum D inevitabile mortis, & perditæ vitæ certum documentum. Hinc mortuos invitat peccatores Bonaventura in Psalterio Psal. 18. Respirate ad illam perditi peccatores, & perducet vos ad indulgentiæ portũ. Et generosè Damascenus serm. de dormitione Virginis: *Nobis autẽ quomodo erit vita vitalis, si te non habeamus cum qua versemur?* Totus ergò orbis, cùm sit unũ Reipublicæ corpus, unius animo & spiritu regitur; per illam si respirat, vivit; sin minus, interit; per illam Deo adducimur, & ob ejus gratiam vivimus. Quemadmodũ fœtus circumdatur unius animæ maternæ spiritu; sic

Matris necessitas aëris.

Spiritu aëris vivit Corpus; spiritu SS. Virginis anima.

Anima mundi SS. Virgo. anima cujusq; qui vivit animâ & spiritu Virginis, circumdatur. Nō mireris ergò si Patres concordi assensu vocent Virginem, secundū Deum, spiritum vitalem orbis: ille enim est spiritus vitalis quem tot millia trahunt; nihil ipsa per se futura nisi prędа dęmonis, & ignis æterni sempiternum alimentū, si spiritus Virgineus, quo respirandum; si mens illa, quâ regimur, subtrahatur. In quamcumque ergò domum, Virginis dulcissimus aër pervenerit, eam felicem tranquillamq; pręstabit. Omnia ergò cōmoda & emolumenta præstat nobis Virgo copiosè, quę præstat aër quem trahimus & efflamus. Variis modis aër ambiens corpora, corpora componit, afficit, delectat, vegetat, cōservatque. Quid utilius refrigeratione aëris, quo ardentior calor frangitur, retunditur & exstinguitur? An non Virgo subditas libidinū faces exstinguit? Fräciscus Xaverius carnis flammas, dæmonē cōcitantem; clamando, *Opitulare mihi Maria*, cōpressit & suo salutari rore exstinxit. Parem rorиferā auram sensit P. Ripa Transon Divi Francisci proles, qui obiit 1595. ex Chron. propos. 4. l. 10. Hic cordis puritatē indefessè solicitabat: præbuit se Virgo videndā, & ille prostratus; *Vndè mihi hoc, ô Virgo?* & illa: *En datur puritas cordis toties expetita*; manu videlicet pectori admotā. Ad Virginis nomen dęmon fugatur. Natrat Thomas à Kempis, Juvenem gravibus molestiis dæmoniacis infestatum, salutatione Angelicâ fuisse liberatū. Quare & Bonaventura in Psalterio Virginem deprecatur: *Accinge castitatis cingulo renes meos.* Aër corpus agile placidumque reddit. Unde Bernardus de Annūtiatione: *Ipsâ Duce non fatigaris.* Idiota de Mariæ nomine; *Super omnia Sanctorum nomina, Maria nomen tuum reficit lassos.* Aëris beneficio respiramus. Idiota lib. de contemplatione Virginis c. 5. *Maria spiraculum hominis, peccator per te respirat in spe veniæ & gratiæ.* Bonaventura Ps. 9. *Respirent per te ad indulgentiā humiles pœnitentes.* Quare sicut cōtinuò respiramus; ita te docet Bonaventura ut nō cesses à laudibus Marię; Per singula, inquit, momēta recogitate illam. Deinde Aër aspirationi servit. & Virginis suavissimus animus nostros attollit animos, ut ad cælestia aspiremus. Aër servit & inspirationi, & suspiriis formādis. Sic Virgo sufficit nobis suas inspirationes sacras, illa movet suspiria. *Ad te*, inquit Ecclesia, *suspiramus gemētes & flentes in hâc lachrymarum valle.* Aër prodest exspirationi: An non Virgo exspirantibus animam, omnes suas vires vocata subministrat? An nō sancta Ecclesia hoc ipsum testatur, dùm continuò omniū auribus insonat, *In horâ mortis suscipe.* Accipe verba Bonaventuræ ex suo Psalterio: *Gratiosus vultus tuus mihi appareat in extremis, species faciei tuæ lætificet spiritum meum egredientem.*

Obsequia aëris Virginis obsequiis comparata.

Irrorat castitatem.

Aër placidas corpori.

Aëre respiratio.

Aspirationi aër servit.

§. XXIII.

De generositate uberum Virgineorum, ex generositate mentis & cordis.

MAgnanimi cordis generositas, à mentis generosi innatâ qualitate, ut undulæ argenteæ, ex argenteo fonte, procedit dimanatque. A cordis autē generositate, uberū & lactis magnanimi, quod magnanimos creat, descēdit nobilis animositas, & indè animosus sanguis, non aliter quàm botri exsugunt præstantem indolem sui nectaris ab innata vitis bonitate. Cùm itaque Virginis anima sit infinitæ ferè generositatis, & ejus magnitudini magnanimitas cordis respondeat, quis poterit intellectus assequi cordis altitudinem? & deindè quis uberum generosorum præstantiam, cùm sint sibi quasi mutuo gentilitia, & indoles utriusque sibi invicem cohæreat, cōprehenderet? In quantum autem culmen generositatis mens Virginis cōscenderit, heroïcas virtutes contemplare; quibus non Socraticum, aut Angelicum robur, sed propè Divinum inest. Contenta est magnitudine suâ, & quid ni cōtenta sit, eò usque crevisse, quò manum suam non porrigit, nec fortuna, nec ulla creatura? Ergò supra humana est, & Divina, solo Deo excepto, par sibi in omni rerum statu; ingens animo, plena fiduciâ; inexpugnabilis, & quod omnem excedit virtutis modū, major semper, & melior, benigniorq; cuilibet adeunti. Quod idem solet advenire magnis montibus, quorum proceritas minus apparet longè intuentibus; cùm verò accesseris, tunc manifestum fit, quàm ardui, quàm sublimiores terris emineāt. Hoc quisquis experitur quò ardentiùs Virginē colit, amat & propiùs accesserit. Extollimus Dei generositatem infinitam ab innatâ attributorū infinitorum inexplicabili incomprehensibilique magnitudine. Quidquid enim in Deo, in entę infinito est, oceanus est magnitudinis generosæ, sine fundo, sine termino, & infiniti ad infinitum nova progressio, sibi novi infiniti materiā subministrās. Sic pariter extollimus, quantum permitti potest, Virginis indicibilē generositatē, & quid ni non extollamus, quā Spiritus sanctus, *Sapient.* 8. *v.* 4. virtutibus exaggeratam, proximè divinitati adæquat? Dixi, proximè; non enim creatura potest æquari creatori. Audiamus excelsissimam laudem: Generositatem illius glorificat contuberniū Dei. Ubi Græcus textus docet, proximitatem, dum ait: *Generositatem illius glorificat convictus Dei.* Et qualis convictus? quale cōtubernium: qualis est Matris cum filio, quem condidit in sinu. Quid est habere convictū? nisi frui intimâ familiaritate? cum Deo commorari? colloqui, epulari, dissuaviari? Et ideò causa subjicitur tantæ familiaritatis; dum dicitur,

Generositas SS. Virginis.

SS. Virgo dum colitur magis, magis amatur.

Generositas SS. Virginis qualis.

dicitur, sed & omnium Dominus dilexit illã. Dilectio ergò, tantæ propinquitatis causa, tantã peperit Virgini generositatem. Quantæ ergò generositatis erit ea quæ mater est? si enim Filius Dei infinitam nobilitatem ex suo genere, & generatione trahit infinitã nobilitatem, quia ejusdem cum genitore substantiæ, & ὁμούσιος; undè tam Patris, quàm suũ illustrat genus; an non proxima erit generositati Filij, generositas matris, quæ tantæ fuit eminentię, ut Deus judicarit illam dignã suâ matre, ex quâ duceret suũ genus, stẽma, & sanguinẽ traheret suum? cujus denique uberibus nutritus jugi convictu frueretur? Oceanum generositatis portavit mẽte, utero, sanctissima Virgo. Qualis ergò in illa oceanus generositatis; qui oceanum in suo clausit oceano? quàm generosa ubera, quę tam generosi cordis sunt botri, qui cęlum, terrã, homines, Angelos, & ipsum Deum dulcedine sui roris exhilarant, jucundè saturant, & cælesti quasi temulentiã, ut sic loquar, perpotant? Omnes ergò qui ubera Virginis suxerunt, suæ mentis ubera, (quantò illa fœcundiora corporis) sive pectoris, in maximos & generosos Heroes evasêre. Dixi generosos, non nobiles; quamvis & nobiles, quia & ex bono genere nati; dixi tamẽ generosos, quia à naturâ, cujus indolem suxerunt, non solum non degenerarunt; verùm & per virtutes amplificarunt. Non est fas Aquilis producere mũdo degeneres pullos, imprimit suis semen suę magnanimitatis, & alit & educat in spem suę virtutis, in bellatrices volucres, & hæredes fulminis aviti, obniti adversis, nulli cedere, nihil præ metu formidare. Ingens Regina Aquila Virgo, quę suis inserit omnia generosæ suæ mentis semina, docetque ire cõtra naturæ vitiatæ leges. Generosi animi proprium est, memoriam beneficiorũ studiosè colere; omnibus se facilem, benevolum præstare, supernè injurias despicere, ad offensiones non contrahi, ex illis sumere materiam bene merendi, malis esse altiorem, nullâ injuriâ posse lædi, se Deo dignum præstare, potius dilecto Deo mori, quàm offenso vivere, semper esse placidum; nihil enim magnum, quod non placidũ. Eia mortalis crede Virgini monstrãti pulcherrimum iter, & clamanti: Hâc itur ad astra, ostendo tibi cęlos apertos, & Filiũ meũ stantem, & coronas per me parantem victoribus. Hâc mei imitatione itur ad astra, hâc secundum puritatem, quia Virgo purissima, hâc secũdum temperantiam, quia mater honestatis, hâc secundũ fortitudinem, quia turris fortissima, hâc secundùm amorẽ Filij mei, quia mater dilectionis, hâc secundùm clemẽtiam, quia fastidiosa non sum, sed Virgo clementissima, & ideò omnibus manũ porrigo. Nulla sine Filio meo, & me, bona mens est: si meus es boni cultor, excipe semina meę generosæ mentis, & prodeant ex tua, origini similia. Surgant paria his, ex quibus orta sunt. Audi Lector, ut Virginis generosæ mentis

Generositas SS. Virginis ab ipso manat filio & qualis sit vide.

Cultores Virginis quàm sint generosi.

A semina describat Ignatius Martyr primâ Epistolâ ad Joannem: Sunt hîc multæ de mulieribus nostris Mariam Jesu videre cupientes, &c. ut & ubera ejus contrectent, &c. gratiarũ abundans est, & virtutum fœcunda, in persecutionibus hilaris, in penuriis non querula, injuriantibus grata, & modesta in re lætá: miseris & afflictis condolet coafflicta, & subvenire non pigrescit. Et Epistolâ 2. omnibus admirandam & desiderabilem describit. Et quẽ non delęctet eam videre, & alloqui, quæ verũ Deum de se peperit? ubi verò sanctissima Virgo ad Ignatiũ venire dignata fuit, sicut venturam se scribit Epistolâ 3. quã claudit his verbis: *Valeat & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo, Amen.* Quantus tunc evasit, ubi suxit ubera Virginis meliora vino; quę verba sic vertit Origenes: *Meliores sunt loquelæ tuæ vino*; mirabiliore enim virtute sermo, &
B loquela Virginis mẽtes hominum permutat, & in alias transfert naturæ cõditiones, quàm vinum, quod hominẽ à seipso diversum reddit efficitque. Vox enim ejus dulcis & suavis. Trahebat Orpheus sylvas rupesque testudinis numeroso, & optabili concentu. Trahebat Hercules eloquio aureo catenatas turbas: An non traheret Dei Mater? an nõ plus hæc est quàm Salomon, qui totum Orbem ad se pelliciebat? Quare ut hoc probaret Rabbinus Saadius, hoc pacto vertit: *Melior est saliva tua vino*: quia sicut caro Christi salutifera; ita & Virginis: & sicut Christi saliva miraculo-
C rum operatrix; ita & Virginis. Et sicut vox Christi instaurativa vitæ; sic & Virginis. Saliva Christi oculis inuncta cæci, visum reparavit: sic & saliva Virginis excæcatis veneno serpentino prędidio est, ut docet Plinius l. 28. c. 4. contra serpentes salivam esse præsidio. Ipsa quippè serpentem conterit, multosque etiã morbos curat, ut docet Galenus: & quos morbos non curat Virgo harmoniâ suæ artificis vocis, quâ mortalium voces demulcet, & ducit ad filium? Qualis quãtusq; fuerit Ignatius sanctissimæ Virginis colloquio, & divinâ cõsuetudine; audi Lector Dionysium lib. de Divinis nominibus c. 4. Vocat illum, Divinũ Ignatium. Cartus. interpretatur, inclytissimũ
D & ferventissimum Martyrem. Nicephorus vocat θεοφόρον. Lege Epistolam ejus ad Romanos, senties incendia amoris spirantẽ vomentẽque. *Date, inquit, ut Deo immoler, quãdoquidem adhuc altare paratum est: sinite me ferarũ escam fieri, per quas licebit Deum adipisci. Frumẽtum sum Dei, bestiarum dentibus molar, ut mundus panis Dei inveniar. Imò blanditiis demulcete potius feras, ut mihi sepulchrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquant, ne mortuus molestus cuiquam inveniar, &c. vivens vobis scribo amore captus moriendi propter Christum, meus amor crucifixus est. Non est in me ignis quippiam amans, sed aqua viva saliens in me intus mihi dicit: Veni ad Patrem.* Vide ut concors Ignatii cum Dionysio, mens, atque unus idemque sensus; qui & de Divinis nominibus scribit hoc ipsum.

Indoles SS. Virginis.

Omnia genera in Christo, ita & in matre.

Quantum Ignatius Martyr ex SS. Virginis consuetudine.

Amor,

Amor, inquit, *meus crucifixus est*. Qualem pullũ Regia Aquila fovit produxitque mundo? An non omniũ ordinum fundatores, pulli hujus Aquilæ admirabiles exstitêre? an nõ hâc Virgine geniti, educati, formatique fuêre, tantumq; potuere? cum lacte Mater, cujus proprium lactare, vel nutrix, transfundit non solũ alimentum, verùm & mores, ut docet Galenus de tuendâ sanitate, l. 1. & Avicenna lib. sent. 3. doctr. 1. c. 2. *Nutrix*, inquit, *secundũ mores suos consideratur, quoniam ipsam oportet bonorum morum & laudabilium esse*, &c. Quare nullum lac puero salubrius, quã matris propriæ: ipsum enim, inquit Avicenna, est magis nutriens, quod simile est substantiæ nutrientiũ præteritorum quibus alebatur in utero, &c.

Quãta vis mamil illa materna. Mirum dictu quod addit: Extremum mammillæ matris propriæ in os infantis apponere, valdè confert ad removendum quidquid ei nocet. Hanc naturæ legẽ curiosissimè servat sanctissima Virgo: eos quos parit, ipsa educat, & mater & alma nutrix.

SS. Virgo quos parit generosè educat. Et quemadmodum non paucos uberum lacte corporeo firmavit sanavitque, sic omnes mortales lacte sapientiæ suæ, unde omnis emanat doctrina, velut fontibus continuis irrigat atque sustentat. Petrus Damianus lib. 6. Epist. 29. narrat Clericum Nivernensem supremis agitatum angustiis, præsentiâ Virginis fuisse sibi restitutum.

Vis lactis Virginei. Ecce, inquit, gloriosa Mater Dei visibiliter astitit, & sacri uberis papillâ lac exprimens, ejus labiis instillavit, & Divinę virtutis antidoto, resumptis viribus, ex infirmitate cõvaluit, & mox clericalibus ornamentis indutus, Ecclesiã adiit seseq; choro fratrũ psallentiũ lętus inserẽs, mirũ spectaculũ vidẽtibus prębuit. Quare & in miraculi memoriã, lactis vestigia in labiis perstitêre. Idẽ cõtigit S. Fulberto Episcopo Carnotẽsi, doctrinâ & sãctitate illustri, qui obiit 1028. Hujus lingua igne sacro correpta, cùm graviter torqueretur; Ecce tibi specie Matronæ nobilis adest Virgo, juberq; os ut aperiret. Virgo ergò lac instillat suũ, & ardore restincto, sanitati restituit. Sic Virgo curat suos sibi devotos alumnos. Vide Baroniũ anno Christi 1028. tom. 12. Et quia nonnullæ guttę in genâ restiterãt, summâ veneratione collectę in thesauro Ecclesię Carnotensis conservantur. Ita & Annales Ecclesiæ. Beatus Bernardinus, cui Virgo corculum animæ, & ipse Virgini, cùm ardenter in hæc verba Joannis, *Signũ magnum apparuit in cælo* &c. diceret. *Et in capite ejus corona stellarũ duodecim*; cùm primam stellã exponeret de Virginitate: An Virgo distulit præmium memor laudis donatæ? Ecce tibi radiantissimo sole, stella sole micantior supra caput dicentis fulsit, quæ suos radios in faciem dicentis totâ

Generositas SS. Virginis concione durante, vibrabat. Laudavit stellã Virginem; nec stella Virgo illaudatũ dimisit suum laudatorem. Memorabile quod narrat Pelbartus in Stellario l. 2. propos. & 3. huic eidem Sancto coronam recitanti Virginem apparuisse, eumq; sic cõpellasse: Bernardine,

A devote mi famule, multum mihi in tuâ devotione cõplacui, pro quâ à Filio meo tibi gratiam verbi & miraculorũ impetravi; tandem & æternæ vitæ lauream. Felix successus promissa probavit: vir sanctus ebrius ab uberibus Virginis, ut solet esse in ebrietate, pectoris nuditas & cõfessio veritatis, clarè cõfessus est, se nihil cælo donorũ cælestium accepisse, nisi Virginis patrocinio, & devotâ gaudiorũ memoriâ, quorum causâ coronam quotidiè Virgini dicebat. Inter ceteros, memorẽ præteritorũ obsequiorũ mentem Virginis, nunciabit Posteris, Thomas à Kempis, qui finivit 1471. Hic ab ipsis teneris unginculis bibe- *Thomæ à Kempis cõversio.* rat amorem Virginis, eumq; studio & veneratione sustẽtabat.

B Verùm ut anceps & incõstans in utramque partem animus humanus, deflexit à recto in pravum, & ignis factus est cinis, penitusq; refrixit. An Virgo deseret sui desertorem? Gerit illa memorem animum: visu nocturno dignata est juvenem, quò ad pristina revocaret; visus est sibi juvenis interesse sacrę lectioni, cui & se Virgo cælo descẽdens præsentẽ stitit, & fratres, qui verba Dei spargebant, collaudans, amplexabatur intentos alienæ saluti. Inter spem & metum sperabat animosiùs Thomas eosdem beatos complexus: verè longè aliter cecidit; nam Virgo tristi severoque vultu, & severiore voce intonans, juvenem compellat: Tunè ausus mei

C amoris complexus sperare, qui castra mea, meosque ordines fugitivus deseruisti? Transfuga es, & alienis militas signis, qui primus in amore mihi miles stipendia meruisti. Ubi arma pristina? ubi tessera? ubi voces mihi notæ, & studia serviendi? Emeritis stipendiis meæ familiæ: commigrasti in hostilem, inglorius emẽtitus es legationem honoris mei: Abi, inquit, à me; non hoc tibi sic abibit. Et vultum aversata, cælo se reddidit. Quis tunc animus juveni? hærent verba infixa medullis, non aliter quàm cervo volatile telum: damnat ergò desidiam inertiamque vitæ actæ; collecto animo revocat accenditq; pristinos amores, & artes amandi Virginemq; colendi. Quantum à se diversus, temporis proces-

D sus docuit. O quantũ instar in ipso! Ad uberum suorum nectar sugẽdum, paucis, invitat omnes mortales: *Transite*, inquit, *ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum*. Eccles. 24. Ubera Virginis, sunt Maternitas Dei, & Maternitas hominum. De prima maternitatis gratiâ dictum suprà; sicut & de secunda, quæ secũda maternitas adeò admirabilis ut omniũ Matrum collectã solicitudinem in una sua mẽte complectatur. Hoc uber maternũ exhauritur nunquam; nullo numero sugentium arescit, semper abundat de visceribus charitas ut iterũ fluat. Fit ergò in Virgine Matre fons aquę salientis in vitam æternam. Dicã majus aliud: flumina pietatis & misericordiæ fluunt de ventre, de sacris uberibus, quibus totus irrigatur

gatur orbis. Bibite ergò mortales, & inebriamini uberibus charitatis & misericordię, quę stillant omnes delicias spirituales, & semper duraturas; non fluxas, quales marcidi sugunt, dum sugunt ubera carnis voluptuariæ, ut dicitur Prov. 7. *Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus.* O ubera fatalis exitii, fatalis voluptatis, quæ lethali ferit icta corda morsu: qui bibit ex uberibus SS. Virginis, sitiet adhuc, sed sine fastidio; sitiet ut amplius bibat, ut gaudia gaudiis cumulentur: bibite mortales, nullo numero sugentiū ubera arescunt; semper abundat de visceribus charitatis, ut iterum fluat. Quis ergò peccatorum suorum multitudine consternatus, dabit desperabundus victas manus; cùm illa semper offerat fluida ubera, & lac misericordiæ? Illa à primo conceptionis momento in charitate & misericordia fundata mortalibus pacem impetrârunt. Audi Damascenū in Oratione de Nativitate: *Misericordiam & charitatem ut nutrices suas in honore habuit.* Nota efficaciam verborum: *Nutrices habuit misericordiam & charitatē:* quasi diceretur: Cum lacte materno mammavit ut ita dicam bibitque misericordiam & charitatem, ut in omne genus humanum eam effunderet. Hanc tu Virginem Matrem nostram magne Deus fecisti amoris, ac bonitatis tuę infinitam imaginem, ut in illâ imago misericordiæ & charitatis tuæ infinitæ resplendesceret. Sic Divus Thomas.

Coronemus ergo sanctissimam misericordiæ matrem ultimo elogio. Quis currus? quę

A laurea? quæ Epinicia; cum laudatione, quâ Plinius Secundus Principem Trajanum prę ceteris principibus extulit, possunt conferri, cùm dixit: Tam Felix Cæsar tua est potentia, tamque in omnia, pariter intenta bonitas, & accincta, ut tristius aliquid tuo sæculo passis, ad remedium, salutemque sufficiat, ut scias. Quid sublimius dici potuit? an non habendum est id Deo proximum, quod est optimum? an non optimum, sese mortalibus quasi Deum exhibere, & ad omnium salutem esse accinctum? Hoc Elogium, & multo ma-

B gnificentius debetur misericordiæ SS. Virginis, quæ ex cælo veluti pietatis specula omnium nostrarum miseriarum conscia, nos maternis oculis contemplans, ad singula pericula nobis præsto est atque parata, ut subveniat. Unicus illi triumphus, unica laurea, unicum votum, esse matrem orbis, ut Filius pater, omnesque servasse. Tanta est Virgini potentia, ut possit; tanta bonitas, ut velit; tanta rerum omnium scientia, ut nihil ignoret. Felix orbis tali tantaque matre. Sicut

C ergò Divæ Virgini debetur omnis à peccato libertas atque immunitas, ratione & titulo maternitatis: non enim decet eam peccato maculari, quæ ad destructionem peccati fuerat destinata: sic ex decentia misericordiæ Virgineæ, & maternæ pietatis debetur peccatorum obsequiis remuneratio; ut Matris beneficio serventur, qui Virginem ut Matrem coluerunt. Plura dabuntur in Consociatione de Dei voluntate, ubi tractabitur, num Deus velit omnes salvari.

VIGE-

VIGESIMÆ CONSOCIATIONIS DE LIBERALITATE DEI

CONTINENTIS TRES PARTES.

I. Pars de liberalitate in genere.
II. Pars de Dei liberalitate.
III. De Virginis SS. liberalitate.

PARS PRIMA.

§. I.

Prius dicendum qualem liberalitatem velimus; dein eâ inventâ, veniemus ad ejus definitionem. Difficillima ejus inventio, propter extremorum repugnantiam.

EGIMUS de Clementiâ, suprema regentium dote, quam tunc suis numeris, & partibus absolutam florere judicabimus, si liberalitas eâm, suo Regio comitatu, bonisque congestis illustrârit. Hanc ergò cum accessione suæ pompæ, qualem Reges, & quisquis alius exercere potest, describamus. Verùm quia omnis Virtus moralis inter ὑπερβολὴν, & ἔλλειψιν, exuperantiam, & defectionem incedit, difficillima est in ea inventio medii. Sicut difficillimum est sagittâ scopum attingere, circa quem inanibus ictibus, & telis aberratur, ita mediocritatem assequi, & vitiorum turbam declinare, summę est prudentiæ. Teste enim Philosopho l. 2. Ethic. c. 6. *In iis quæ benè se habent operibus, nec auferri quidquam, nec addi potest; propterea quòd ipsum bonum corrum-* A *punt, nimium, & parum; mediocritas verò conservat.* Maximè itaque arduum est Clementiæ, & liberalitatis medium, quod est optimum, & in quo est virtutis perfectio, per varios actus invenire. Et sanè mirari desinemus, cum Philosopho docente: *Rectum sit unum, & indivisibile, in puncto cõsistens.* Quanto autẽ virtus sublimior, & supra cõmunem fortunam excelsior; tanto pugnaciores, & sibi cõtrarias experitur difficultates & oppugnationes. Cùm ergò clemẽtia, & liberalitas, intestinis, & implacabilibus hostibus obsideantur, irâ B scilicet, & innatâ habendi cupiditate, quas fræno servitutis regere difficillimũ; ita & laboriosissimum, veram harum virtutũ lucem, & gloriam comparare. Quę cùm ita sint, quò hæ virtutes Regiæ, vitiorũ securæ, curas suas, suos motus, & opera possint explicare; fortitudinem, & magnanimitatem, tanquã auxiliares copias submittimus, & confœderamus. Opus enim est magnimâ fortitudine, ad debellandam

Inventio medii est difficillima in virtute morali.

Ira & cupiditas gravissimi affectus.

bellandam iram; & insatiabilem opum cupiditatem; quæ perennibus factionibus æterna bella gerunt, partesque fovent. Quid enim ira, nisi tyrannicus, & violentus affectus? Sic Chrysostom. Serm. de Diversis. An non ideò Apollonius Philostrat. apud Stobæum Serm. 10. iram insaniam vocat, ἀ ζυθυμίας ἄνθος, iracundiæ florem. Cui & accinit Poëta:

Ira furor brevis est.

Quare & D. Maximus vocat affectus, qui cōcitantur ab ira, δυζκαταγώνιστα πάθη, difficillimos expugnatu, & quasi indomabiles. Deinde quantum malum sit cupiditas, quis ignorat? Paulus vocat *radicē malorum omnium.* ad Ephes. 5. *Idolorum servitutem.* & 1. ad Tim. *laqueum diaboli.* Et Christus æterna Sapientia, divitias vocat *spinas*, quòd animam quasi γλυκύπικροι, dulcedine veneni sine sensu conficiant cruententque. Quare pulchrè Iustinianus novella 8. προοίμιον τε ἢ πέρας, *initium, & finis omnis improbitatis.* & Tertullianus de spectacul. vocat cupidos, splendidos censu sui criminis. Hæc cùm sciatur, prono tamen impetu in cupidinem opum tota proruit mortalitas: summa enim fastigia cùm vehementissimè appetuntur, & vix nisi solo auro aditus aperiatur, omnes auro incumbant, cui cetera omnia succumbunt. Hinc illa vox Iugurthæ apud Florum lib. 4. cap. 1. O Venalem Urbem & quandoquidem perituram, si emptorem haberet! Cupiditati nemo dedit terminum Romanæ: fortius enim aurum quàm auctore Iugurthâ ferrum. Non ergo miror Aristotelis sententiam decretoriam, quâ sordibus avaritiæ pollutos vocat lib. 4. Ethic. Ἀνιάτους, *incurabiles*; quasi nullâ arte lethargicus ille morbus sanari possit. Hi tyranni expugnandi primùm à magnanimitate, & fortitudine, priusquam clementia, & liberalitas paludamento suo vestitæ, habenas sui securè moderentur imperij: magnanimitas itaque & fortitudo, clementiæ, & liberalitatis suprema decora. Intuere actuosæ magnanimitatis nobilissimos actus, effectusque. illa fert felicitatem, & honorem, & ignominiam; non admiratur neque divitias, neque clientelas: neque potestates, neque victorias; habet quandam animi altitudinem, & magnitudinem. Est itaque magnanimus, neque vitam magni faciēs, neque vitæ amans; simplex porrò moribus, & generosus; injuriâ potens lacessiri, & non vindex; sequitur autem magnanimitatē simplicitas, & veritas. Hæc Philosoph. libello de virtutibus. & libr. 4. Ethic. cap. 3. circa finem: Magnanimus non est proclivis ad admirandum; nihil enim apud ipsum, est magnum, nec est amor mali sibi illati. non est magnanimi meminisse, præsertim mala; sed despicere, nec de hominibus loquitur, etenim neque de se: nec enim ut laudetur ipse, nec ut alij reprehendantur, curæ est. An non pulchra hæc imago magnanimæ mentis? an non ideò quia talis est, adulatores à se proijcit tāquam servituris instrumenta, solo virtutis pretio

Cupiditatis tituli.

Magnanimi operationes & actus.

contenta? Huic indiviso fœdere consociamus fortitudinem. Opus enim Heroïcâ virtute, ut animus clementis, & liberalis sit semper compositus, placidus, & instantibus periculis inconcussus. Constans in malis, intrepidus ad pericula; ut malit honestè mori, quàm dare locum vindictæ, aut cupiditati, quàm stillanti sanguine manus inficere, & lacessitus supremis injurijs sævire. Regiū enim est, & magnificentius, seipsum vincere, quàm ferratos exercitus. Vincere animum, decus majus est omnibus triumphis. Magnanimitas itaque & fortitudo concatenatæ conferunt clementiæ, & liberalitatem, in rebus asperis alacritatem; suggerunt impercussum animum adversus mortis metum. Fortis enim, teste Philosopho libr. 3. Ethic. cap. 6. per habitum tam agit, quàm patitur, ut ipsa ratio, & prudentia auriga virtutum docet. Hæ itaque virtutes junctæ magnis honoribus, factisq; intentæ, docent clementiam, heroicum, & Divinum esse, injuriam pati, & nullam agnoscere; omnium recordari, præter injurias; gloriosissimum esse, parcere; immori veris obsequijs, nullum sibi judicare hostem, nullâ acerbitate vel sævitiâ vulnerari, sed adversus omnia, & ingratissimos mortales, invulnerabilem sese præstare. Ope denique harum virtutum eraduntur omnia elementa diræ cupidinis; at minore luctu: facilius enim est externum bellum, hostemque conficere, quàm domesticum. tantum est, iræ dare caput. His ergo cōstratis malis, mediæ harum virtutum, tanquam Reginæ, clementia & liberalitas ramis Oleæ redimitæ incedunt, ut leges dent rebus futuris, & genus humanū Divino more se tractari sentiat, atque gubernari. Dabimus ergo nunc liberalitatem, uti clementiam dedimus; & imitabimur artifices; qui inter exuperantiam, & defectionem, ipsum medium curiosissimè quærunt. & quamvis medium virtutis diximus indivisibile puncti instar, hoc, tamen suos habet gradus, ut calor intensionis: qui enim tres gradus clementiæ magno labore conquisiverit, etiamsi supremum non sit assecutus, clemens dicitur, ut & liberalis: sufficit enim ad rationem virtutis, ut æqualiter ab utroque distet extremorum. An non, quod Miloni robustissimo Palęstritæ parum hoc primùm in arenam descendenti, & concertanti esset multum? Virtus ergo. & mediocritas, prudentiæ constat definitione. Quare optimè Philosoph. Bonum difficile; malum verò facillimum: cùm mediocritas sit ipsius conjectatrix, & rectè agere, sit unicè agere; à quo si aberrâris, multis modis peccari potest. Hoc virtutum medium videtur inter gentiles Principes, Trajanus consecutus; in cujus Encomium, hæc Plinius in suo Panegyrico: *Nihil severitati tuæ, hilaritate: nihil gravitati, simplicitate: nihil Majestati, humanitate detrahebatur.* Hoc temperamento ita sibi devinxit orbem, ut venienti in Senatum, magnificè sit acclamatum: O nos felices! cùm

Fortitudinis quæ documenta.

Clementiæ decus & fulgor.

Ad rationem virtutis requiritur æqualis distantia ab utroque extremorum.

Virorum magnorum exempla.

vultum exhibuisset pulchritudine, & Divinâ moderatione plenissimum. Has faces virtutum extulit in se Explicius, de quo Sidonius Apollinaris, ut veritatis aspectu, dependerent illi addicti reverētiam, gratiam liberati. Hoc cōsortio pariter exstitit Nostri Ordinis Fundator, cui semper placidus vultus, dies semper serena & innubis: & si quando necessitas vrgeret, clementiæ personam, superinducta severitatis contegebat; semper tamen sibi par, & æqualis. Stupendæ cæli dotes, in magnis emicant viris, quos mundo proponit, tanquam simulachra suæ potentiæ Deus. An non futura sæcula laudebunt Nostrum Mutium Vitellescum Nostræ Societatis Generalem, quem sola clementiæ Majestas reddidit admirabilem, & solo vultu verecundus, Provincias gubernavit. Inest his virtutibus quędam Magnetica virtus, vel potentia gemmæ Pantarbæ, quæ lapides, gemmasque cujusdam Bactrij institoris in flumen conjectas, sibi cohærentes educebat. Sic hæ virtutes stipatæ mutuo comitatu, suis viribus in omnem partem inflectunt sensus humanos & insatiabili voluptate demulcent.

D. Thomas 2.2. qu. 117. art. 6. scribit quòd liberalitas spectat bonum dupliciter. Uno modo, primò & per se: Alio modo ex consequenti. Primo quidem & per se tendit ad ordinandam propriam affectionem circa Passionem pecuniarum & usum (ut idem anteà, propinqua materia liberalitatis sunt interiores passiones, secundùm quas homo afficitur circa pecunias, & ideò ad liberalitatem pertinet præcipuè ut homo propter inordinatam affectionem ad pecuniam non prohibeatur à quocumque debito usu. Alio modo cōsequenter ordinatur liberalitas ad aliquid bonum, & secundùm hoc ordinatur ad multa. Ex hoc enim quòd homo non est amativus pecuniæ, sequitur quod de facili utatur ea, & ad seipsum, & ad utilitatem aliorum & honorem Dei.

§. II.

De naturâ & definitione liberalitatis.

PHilsophus verò, libr. 4. Ethic. cap. 4. *Videtur*, inquit, *mediocritas circa pecunias esse*. Laudatur itaque vir liberalis in dandis, capiendisque pecunijs; magis tamen in dandis laudatur. Versatur autem inter extrema duo, prodigalitatem scilicet, & avaritiam, cujus est intempestivis, morosisque curis pecuniæ conquirendæ studere: sicut prodigalitatis, ob incontinentiam, intemperantiamque pecunias profligare, cujus amatores sunt flagitiosissimi, quia multis vitijs cooperti vivunt, & luxuriantur. Quare & *prodigus* teste Aristotele lib. 4. Ethicor. cap. 1. *est, qui ob seipsum perditur.* Videtur dissipatio Patrimonij, interitus quidam sui ipsius esse, propterea quòd patrimonio, & facultatibus vivitur. Liberalis est, qui rectè divitijs utitur, & dat quibus oportet, & cetera omnia observat, quæ dandi actum rectè sequuntur, & etiam voluptate & sine ullo dolore. Id enim quod per virtutem efficitur, afficit voluptate. non autem dicitur liberalis, qui dat ijs, quibus non oportet, aut non honestatis gratiâ, nec qui dolet dando, nec qui ad postulandum propensus est. Deindè liberalis actio non in multitudine rerum quæ dantur, sed in habitu dantis consistit. Hinc nihil prohibet, eum magis liberalem qui pauciora dat, si modò minores sint opes, aut facultates. Dignum attentione, magis eos esse liberales, quibus nulla mala molestia facultates obvenerunt, sed ab alijs acceperunt, hi enim labores, & inopiam non sunt experti.

Prodigus, sui interemptor.

Qui potissimum liberales.

De Magnificentiâ.

LIberalitatem sequitur quędam virtus, quę Magnificentia vocatur, quæ ad sumptus, non tamen ad omnes actus pecuniarios se extendit ut liberalitas; quâ ratione exsuperat magnitudine liberalitatem. Quare, ut ait Philosophus lib. 4. Ethic. cap. 2. magnificus liberalis est, at liberalis non continuò magnificus, qui honestatis causâ tales sumptus facit, & quidem cum voluptate sine parsimonia. Quamvis necesse sit, magnificum liberalem esse, etenim & liberalis sumptus faciet, quos oportet, & ut oportet. Magnificentia itaque respicit personam, quisnam sit, & quas habeat facultates, & quale opus moliatur, & ipsum molientem deceat. Undè pauper dicitur esse magnificus, quia non sunt ea, è quibus multos sumptus decorè faciat. Quare magnificus spectat ex se maximè opera publica, & ornamenta in splendorem duratura, Vel templa, vel munera quæ Deo, vel summis potestatibus destinantur. In uno sacro Principe Sixto Quinto jugatas spectatis has virtutes, liberalitatē & magnificentiam. Centena ducatorum millia in ærarium quoddam intulit in usum pauperum, qui matrimonio jungendi dotem non haberent: ducēta quoque coronatorū millia numerauit, quibus annonæ largiter prospiceretur. Idem Pontifex magnorum operum curator, præter maxima opera, quibus vrbem Romam illustravit, fuit Obeliscus maximus ex loco abstruso avulsus, & in foro Principibus Apostolorum dicato, non minore sumptu, quàm arte, & industriâ collocatus. Alios & erui curavit è Circi maximi caveâ, miræ magnitudinis: quorum unus, pedum 112. erat, quare & hanc laudem meritus:

Roma fuit quondam rerum pulcherrima, sed nunc

Pulchrior est Sixti munere Roma suo. A
Cui & alius Poëta laureatus:
Hanc Sixtus molem tenebrosâ in parte latentem,
Ad Vaticani limina sacra locat:
Magnum opus, & saclis ullis non hactenus ausum,
Et cui det plausus invida Posteritas.
Non tamen hoc tantum mirabere quàm quod in alto
Vertice fixa vides clara trophaea crucis.

Operibus insignis Vespasianus: templum pacis, Amphiteatrum in mediâ Urbe magnificè exstrui curavit: Poëtis, Rhetoribus stipendia dedit: utroque sidere magnificus.

Et insignis munificentiæ Alexander Severus, visusque omnes ferè supergressus, & Titum Imperatorem adæquasse. Scripto tenebat, quid cui præstitisset; vel si quos sciret, B vel nihil potuisse, vel non multum, & vocabat eos, dicens: *Quid est, cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris.* dabat autem in beneficijs, quæ famam non possunt lædere. Vide Lampridium.

Omnes mortales visus superasse munificentiâ Leo Decimus. Vide Jovium in Leone Decimo libr. 4. Nullâ in re ardentius & effusius, quàm ad magnificentiam, & liberalitatis gloriam anhelabat, nec principe loco dignos existimabat, qui beneficâ manu opes suas non erogaret. Nemo probus, doctusque fuit, qui non senserit tanti Principis liberales manus. Pauperes, miseros, exules, magnum numerum veteranorum militum, Virgines intra C septa, pudicitiæ studentes, stipendijs alebat. Tantâ gratulatione, atque lætitiâ agrestium populorum excipiebatur; ut cuncti ejus adventu, se vel fructuosissimis messibus fertiliores sentire faterentur. Offerentibus rustica dona, non modò pecuniam largâ manu rependebat; sed etiam appellando, quânam in parte rei domesticæ acriùs à fortuna maximè peterentur. Virgines dote præbitâ sublevabat: pressos ære alieno, suo recreabat. Cœlo Principem lapsum clamabant omnes.

Tàm admirabilis, & munificus fuit Alexander Quintus Romanus, in pauperes, & viros dignos suâ benignitate; ut brevi nihil sibi reliquerit. Undè per jocum dicere solitus, se divitem Episcopum fuisse, pauperem D Cardinalem, mendicum Pontificem.

Duo autem spectat magnificentia magnitudinem operis, & magnitudinem sumptuum: quare magnifici est, quicumque in genere faciat, magnificè facere. Quicumque ergo decorum non servat, tàm in sumptibus, quàm in opere, magnificus non est.

§. IV.

De dignitate & præstantia liberalitatis. Ejus encomium, tum ex gentilibus, tum ex SS. Patribus.

Sicut aquæ crystallinæ ex fontibus ebulliunt suis; sic liberalitas ex aureo utero bonitatis. Fructus, & radij bonitatis est liberalitas. Quanta est ergo magnitudo, & Majestas bonitatis; tanta & liberalitatis. hæc exprimit illam, atque illi commensuratur. Et quomodo non exprimeret, quæ ab illa emanat in habitum, & eructat à conscientiâ in superficiem, ut foris quasi suam aspiciat supellectilem? Liberalitas ergo bonitatis judex, indexque. Dignitatem hujus virtutis sagacissimè penetrârunt luce naturæ gentiles. Demosthenes rogatus quid hominem similem Deo faceret? respondit: εὐεργετεῖν, beneficum esse. Seneca in Proverbijs. *Quid est dare beneficium? nisi Deum imitari?* Plinius lib. 2. cap. 7. Deus mortali est, hominem juvare mortalem; & hæc ad æternam gloriam Proceres ivêre Romani. Pulchriùs Seneca de formandâ vitâ: *Deum*, inquit, *amabis, sed in hoc illum imitaberis; quòd omnibus prodesse, & nulli obesse possit.* Quare Aristoteles: *Bonum quantò communius, tantò Divinius.* Hinc & Proverb. Arabicum, citatum. 1. num. 8. *Liberalis vicinus est Dei, vicinus hominum, vicinus Paradiso, remotus ab igne inferni.* Præclarè Gentiles, at Christiani hanc virtutem extulerunt altiùs. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ait liberalem, esse expressam Dei imaginem. Synesius verò Epistolâ 31. hanc virtutem esse communem Deo, & hominibus. Nazianzenus oratione 16. de pauperum amore: *Nihil*, inquit, *tàm Divinum habes homo, quàm de alijs benè mereri: hoc enim est, esse Deum calamitosi.* Hoc Ecclesiasticus cap. 4. num. 7. pulchrè illustrat. *In judicando*, inquit, *esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens* (ubi Syrus, & Arabicus: *& eris Deo velut filius*) *& miserebitur tui magis quàm mater.* Ubi Græcè habetur ἀγαπήσει, id est *diliget*; quasi diceret, vicissim pro mercede exhibebit se tibi patrem, ac te ut filium curabit; imò sæpiùs indulgentiore, quàm mater filijs. Eris ergo filius Altissimi, quia misericordiâ, & liberalitate præstitisti pauperibus, & eris quasi Deus quidam terrestris. Sicut enim Filius hominis est homo, utrq; & Filius Dei erit Deus, præsertim si Divinitatis dotem circumferat. Hoc ipsum docent sancti Patres. Hilarius in Psal. 51. *Si auro demeretur* (in pauperes effuso) *ut ex terrenis cœlestes, ex mortalibus fimus æterni.* & Clemens suprà li. 1. Strom. *Dei imago est homo benefaciens.* Nyssenus li. de Beatitudine: *Beati misericordes: Si misericor-*

Liberalitas proles bonitatis.

Laus liberalitatis ex gentilibus auctoribus.

Laus liberalitatis ex S. Patribus.

Liberalitas in egenos hominem Deum facit.

dis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Dei hortatur, nisi ut Deus fias tanquam insignitus propriâ notâ Divinitatis? Quare in hujusmodi mentibus velut paradiso voluptatis inambulat Deus, ut sese contemplatione pulcherrimorum operum velut odoriferis aromatibus, & florum aspirantibus auris oblectet. Hoc D. Leo Serm. de Quadrag. populum Romanum docuit, cùm sic affatur: *Nullâ devotione fidelium Deus magis oblectatur, quàm ista quæ pauperibus impenditur: & ibi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.* Cùm itaque Deo sit proprium, dare nullâ propositâ mercede, sic ille Divinitatis usurpat, induitque Dei proprietatem, qui sua dispensat in sinus miserorum, nulla spe fœnerandi. Hoc est quod Filius Dei Patris docuit, dum nos hortatur, ut B æmulatione Paternæ bonitatis, simus filij Patris sui. *Beatius enim est dare, quàm accipere.* An non dare Divinum quoddam operis artificium est? An non ideò dat Principes Deus, teste Plinio in Paneg. ad Trajanum, qui erga hominum genus vice sua fungantur? Quare nulla via magis cōpendiaria dari potest, Regibus, Judicibusque Deum sibi devinciendi, tanquam Patrem & Matrem, quàm pauperum curiosa tutela? Hoc artificium Agapetus Diaconus docuit Justinianum Imperatorem, in admonit. 51. *Quantùm*, inquit, *potestate cæteris antecellis, tantùm etiam factis emicare, ante alios enitere.* Ut igitur à Deo quasi per præconem Victor declareris corona invicti imperij tuo capiti imposita, coronam ex promerendis pauperibus acquirito. Summum ergo magnarum mentium decus, & instar Luciferi orientis est liberalitas. De quo Virg.

Verbum Domini Acto. 20. v. 30.

Liberalitas in miseros, vera vestis Regum.

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undis
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.

Quocumque enim procedit liberalitas, suam jubaris exorti spargit lucem, & instar roris cœlestis fœcundat, & mortales, ut ita dicam, sibi adamātinâ compede, & vinculo maritat. An nō omnium victrix Divinitatis illecebris ad se trahit, rapitque omnes? An non viam sibi aperit ad Principes, ipsumque Deum, ut cum eo stare, negotia sua tractare, supplicum vota exorare possit? An non, Prov. 18. *donum hominis dilatat viam ejus, & ante Principem spatium illi faciet?* vel ut Septuaginta habent, *ante Principem sedere eum faciet.* dilatat viam ejus, an non quia liberalitate amplitudo cordis dilatatur? latitudo autē cordis, Regium animum designat. An non ideò liberalitas locum inter Principes præstat, cùm sit virtus Regia, & Imperatoria? Ingens ergo gratia, & favor, & immortalis fama sequitur magnificum, & liberalem, qui tàm publica, quàm privata complectuntur. Optimè ergo Hildebertus Galliarum Præsul Clarissimus, de Magno Rege loquens, ait: *Novit Regia manus melius donativo splendere, quàm sceptro.* An non Carolus Magnus clarior donativis, & magnificis operibus, quam triumphis? quamvis & illi mirabiles. Horum vmbram legimus; illorū fructum carpit adhuc Orbis semper recentem. Ferro triumphata exoluêre, non quos struxit arcus triumphales liberalitas. illa tuetur memori famâ Carolum in suis operibus non solùm viventem, verùm & loquentē. Hæredes Regnorum quos instituit, edacitate temporis, & labante memoriâ proximè periêre; at quos liberalitas inscripsit hæredes vivaci gratitudine nomen ab interitu vendicant, & jam mille annorum serie propagata laudibus illustrant. Nulla ora non sensit Caroli dextram auream, nulla etiamnum, nō aureo eloquio dexteram extollit. Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? Superstes Martino non gladius, sed lacinia pallij. An nō una Anglia præ ceteris terris olim dilecta Deo, tot Regum sanctorū parens, quot nulla Regna etiam simul juncta tulêre, unam sui Regis, Osvaldi beneficā dextram, multis sæculis integritate carnis solidam inviolatamque spectavit? Planè. debebatur incorruptio dexteræ Regiæ, quæ lancem argenteam, dividi in turbam pauperum ciboſque Regios, ex convivio Regio, ad vocē pauperis nuntiam, pauperibus deferri, donarique jussit. Et debebatur, ex Vaticinio Episcopi, Aidani, qui die Paschæ cum rege considēs Regiam dextram suâ constringens, æternam incorruptionem dextræ addixit. Nunquam, inquit, hæc potentia liberalitatis, ut non ferro, sed dono sternat ad æternitatem viam. Tanti est perituris cælum emere. Tanta ergo est C liberalitatis formositas, ut in omniū sit amoribus, omnibus in theatris celebretur, omniū favoribus, gratiæ, acclamationibus inscripta decātetur. Et sanè quis non amet Principem, cujus dos primaria, clementia, si fuerit liberalitate coronata? Quis ignorat insitā hominibus sordidam tenacitatem? Pauci, quos ardēs virtus largitionis evexit; pauci, qui se dites dando putant. Tantò ergo nobilior liberalitatis triumphus, & supra vulgus, communemque hominū sortem supergressa ejus dignitas; quò difficilior, & rarior victoria cupiditatis innatæ. Quemadmodum fulmine nihil potentius; ita nihil pluviâ aureâ potentius: illa per medios ire satellites, illa amat omnia perrumpere: succumbunt imbri aureo, quæ non D fulmini. Stilla roris aurei, flammas & incendia tēperat. Ut scopuli fluctus immanes; sic leniter fluens aurum frangit furores. *Munus*, inquit Ecclesiast. c. 21. *absconditum exstinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Quæ suprema Dominantium potētia vir solet temperare, temperat liberalitas. An non objicit se fulminanti Magni numinis dexteræ? illa mulcet Judicem iras parantem, & arma nudata, incingit floribus amicitiæ, illa cælum mitigat, & in partem fœderū vocat. Mirùm dictu, ut omnis furor torpescat illecebris donorū, nō aliter quàm manus piscatoris, veneno torpedinis per longa intervalla diffuso. Pulchrè itaque Plinius munera vocat *illitos cibis hamos; & apertos prædæ laqueos.* non minùs benè,

Memoria liberalitatis æterna.

Hæc manus inveterasceat; quam sua posteritas integram spectavit.

Vide Bedā lib. 1. historiæ Anglicæ cap. 6.

Aurum fulmine potentius.

Plin. in Paneg. ad Trajanum.

Decus unicum magnorum liberalitas.

Summa vis beneficentiæ.

A benè, quàm verè dixit Demosthenes; Principum dona esse auroramenta servitutis. Quare & omnium optimè Aristoteles 2. Polit. *Qui invenit beneficium, invenit compedes; ut enim ijs corpora, sic animi beneficijs vinciuntur.* Tanta vis, & ferè inexpugnabilis potentia munerum.

An non auro obediût omnia? An non ipse Deus? *Redime peccata tua Eleëmosynis.* Daniel 4. v. 24. Vis placabilê Deum? placa Deum muneribus suis; dum vivis, tuis. Quemadmodû ingenti mole conclusus ignis, molem secum supernè rapit, & in altum librat, quò ad exitum eluctetur; sic omnem potentiam secum rapit munerum beneficentia, transmutat ima summis, severi Judicis variat sententiam, suffragia extorquet beatæ vitæ, parat denique sibi Deus eos, qui ad sui æmulationem Dijs mortalibus exstitêre. Hoc ipsum intellexit B Cicero lib. 3. Officiorum, Herculem hominum memori formâ in concilio cœlestium collocatum. An non ideò, ut canit ille:

Implêrat meritis solis utramque domum?

An non cœlum debebatur ei (ut fingit gentilitas) qui cœli axem humeris tulerat? An non Orbis totus debebat & victimas tanquam Deo, qui se Deum Orbi perpurgando, monstrisque domandis præstiterat?

§. V.

Nunquam stygias fertur ad undas inclyta Virtus, vivite fortes, nec letheos seva, sed locum virtus habet inter astra per amnes, vos fata trabent. C

HOc ipsum præclarè docet paucis Lactantius: lib. de irâ Dei: *Iustitia*, inquit, *& beneficentia tam immortales sunt, quàm mens, & anima, quæ suis operibus similitudinem Dei assequuntur.* Hunc imitatus Magnus Chrysostomus, homil. ad Philippenses: *Quemadmodum divitum filij, ornatûs gratiâ aureum monile gestant in collo, nec illud unquam deponunt, velut nobilitatis signum circumferentes, & ostentantes; itidem & nos oportet semper beneficentiâ esse indutos, declarantes quòd simus filij ejus, qui misericors est, & solem suum facit oriri super bonos, & malos.* Quare & optimè Nyssenus de pauperibus amandis: *Beneficentia, est felicitatis comes; hæc assidet Magno Deo, & magnâ est necessitudine cum eo conjuncta.*

§. VI.

De magnanima indole Regia Liberalitatis.

QVò clarius in apertum proferamus magnanimitatem, munificentiæ notas, & nobilis naturæ persequemur vestigia.

§. VII.

Primum Indicium. Liberalitas est cæca & oculata. ad omnes se extendit: nullus vilis. omnes ut æquales complectitur.

IGnis, & amor nec celari, nec tegi possunt, se produnt, & produntur inviti. An non amor signis, nutibus, & pronubo oculo, ductorem prævium prodit, & ideo oculos vocamus ἀσωμάτες χεῖρας, incorporeas manus, quæ prodromis illecebris, præstigiisque, & occultis naturæ incantamentis homines illusos fallunt? An non ignis, calore, favillis, adustione, & luce suâ se prodit? *Quis enim celaverit ignem*, ait ille,

Lumine qui semper proditur ipse suo.

Igne, & amore liberalis animus minus celari tegique potest. omnibus patet, cùm ad omnes pertineat. Luce se signat suâ, quam cunctis affundit. Quemadmodum amor offert illius formas, & obijcit irritabiles species, sic & liberalitas offert sine discrimine, & quidem miserrimorum formas illices, & sibi irritabiles. Scio oculum vocari μηχάνημα πολεμικὸν, machinam bellicam, vel arietem. Liberalitas magnanima major est, quàm illâ oculorum machinâ possit expugnari. Communis est in omnes affectus. Primi, in omnium præliis oculi vincuntur, ut ait Tacitus de moribus Germanorum, & præsertim castitatis. At magnanima liberalitas ignorat prælia oculorum: non admittit eorum D lenocinia, quæ tota est purus oculus. Oculis validis, totum corpus validum. oculi hujus virtutis validi! pulchrumque colorem cùm habeant, significant totum corpus benè valere. Hyppocrates lib. 6. de morbo sect. & Galenus: *Oculus sanus, vegetus & integer omnes admittit colorum species.* sic liberalitas omnes hominum fortunas admittit, & amplectitur. Quis negârit, nisi ignarus, amorem cæcum? quis negârit non omnia pulchra amanti? nemo, nisi insensatus? Deinde quis negarit amorem oculatum, imò oculatissimum, nisi qui rudis amandi? cùm tamen omnes cæcum depingant. Verè amor oculus est, imò & ipse

Liberalitas sano oculo similis.

Amor cæcus & oculatus.

oculus qui minimis interserit se nęvis amati; illi minimus, maximus in amato nęvus. Quisquis igitur es magnanimæ liberalitatis amās, cęcū & oculatissimū te volo. Volo eum adversus omnes liberalem. Cæcum volo liberalē ut nemo sciat sit recta postulârit, qui nō sentiat radios liberalitatis: cæcum volo, ne discrimines personam; sufficit intelligas hominem esse, cui beneficium confertur; non purpuratum, non fastigio elatum, non tumescentem fastu sanguinis, nō spes fœnoris avidas ostentantem. Volo prætereà oculatissimum, ut valido judicio tempus, locum, præsentem necessitatem, qualitatem doni, tuæ, vel alienæ dignitati consentaneam explores. Oculata quippè liberalitas Catonianas quodammodo leges sibi statuit, & sibi acriter invigilat, ne præpostetè, & inofficiosè, & inconsiderato impetu quippiam fiat, & corrumpat suarum actionum pulchritudinem, vel exuperantiâ, vel defectione. Danda igitur est opera, ut omni generi satisfiat ex ęquo, & bono; pulchrè, & rectè. Nec his finibus contenta est magnanima liberalitas, verùm ad Dei imitationem consurgit; & dat ingratis: nam & Deus solem oriri patitur sceleratis, & pyratis maria patent. Ubique ergo beneficio laus est, ubi hominem inveneris. Nec solùm cæcum suum alumnum, verùm & quodammodo vult insensatum hæc virtus; quare nec hostem, nec fugitivum, nec sceleratum sentiet, vel agnoscet; sed hominem, supremi Dei imaginem contemplabitur. Sic Paulus Onesimum fugitivum servum, & furem fuit complexus, & Deo peperit ex servo Episcopum. Beneficia ergo in commûne distribuenda, sicut terra fructus ex se natos partitur. Volo prætereà oculatissimum, ut non nisi honestatis causâ, & quibus oportet, & cùm oportet, beneficia dentur. Præclarè hoc Cicero lib. 1. de Officiis: *In collocando officio si cetera paria sint, hoc maximè officij est, ut quisque maximè opis indigeat, ita & potissimùm opitulari.* Optimè autem societas hominum, conjunctioque servabitur, ut si quisque erit conjunctissimus, ita in eum liberalitatis plurimum conferatur. Hoc ipsum docet Seneca libr. 4. de Beneficiis: *Videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare; nihil enim sine ratione faciendum est.* Non ergo casu, non impetu, sed consilio sunt spargenda beneficia. Æstimanda persona, cui damus. Quædam minora sunt quàm ut exire à Magnis viris debeant, quædam verò accipiente majora sunt. Vrbem cui dederat Ulcanus Alexander, qui nihil nisi grande animo conciperet: cùm ille, cui donabatur, seipsum mēsus, tanti muneris invidiam refugisset, dicens non convenire fortunæ suæ: *Non quæro*, inquit, *quid tuam fortunam deceat, sed quid me dare.* Animosa, inquit Seneca, vox videtur, sed stultissima. Oculatissimam ergo volo indolem magnanimæ liberalitatis, ut prudenter sua dona dispertiatur. Tu igitur, quisquis es magnanimus & liberalis, hominis

Liberalitas vult hominem & oculatum, & cæcum.

Liberalitas se extendit ad improbos.

Circumstantiæ ponderanda.

A naturam considera, beneficiis obnoxiam, & dignam, quæ liberalitatis suffragio nitatur, atque sustentetur. Mancipio, æqualis libero sors obtigit: omnes natura libertate donavit. Vis judicare indignum domo tuâ, quem tu servum vocas? non putes diminutionem tuæ Majestatis, servo, & pauperi liberaliter gratificari; imò ad eādem mensam cum servo accedere. Non cogites vilem, aut pauperē, qui iisdem seminibus tecum ortus; qui eodem fruitur cœlo, tecum spirat, tecum moritur, cui se Deus tam se parem, quā Regibus exhibet: à nullus enim vilis sanguinis Deo Magno. An non pari pretio redempti sumus? pretii dignitas judex æqualitatis. tu tam ingenuum illum videre potes, quàm ille te servum. Mul-
B tos Regiæ indolis viros, auspicantes grandia, fortuna depressit: nonnullos invidia stravit: quosdā natalis dies ad summa natos, aut Pastores, aut casæ custodes fecit. An non Fundator Romanæ potentiæ, cum fratre projectus, lupæ se submisit uberibus? an non Cyrus Pastoritius, dux pecorum, futurus in suo sanguine hæreditario Dux, & caput Orbis.

In semine magnæ latebant animæ. An non Ventidius Bassus obscuro loco natus mulorum curator à *Marco Antonio* Consul Romanus fuit & primus de Parthis triumphavit? An non Regem Pacorum victoria exultantem fortissimè dimicantem, cum toto equitatu cæcidit circumlato per vrbes quas ceperat capite? Quantàm
C animam Sixtus V. Pontifex in corpore rustico educabat? an non parem orbi? Multos ligonibus adjudicavit fortuna, qui digni Sceptris; at cæcâ nocte latent. Sæpè bona materia sine artifice cessat. Non ministeriis æstimandi sumus, sed moribus. Attende Lector. Eritnè tibi parùm, quod satis est Deo? aude hospes contemnere opes. Sed te quoque dignum finge Deo, finge dignum amore tuo, quem Deus suo. Aude contemnere ejus fortunam, in quam transire dum contemnis, potes: pudeat despici, & desertos liberalibus officiis, interire homines, quos Christus Jesus suos fratres & filios vocat. Quid larvam corporis spectas? quid umbratile corpus? admitte oculos in aulam intus dominantis animæ,
D quæ à Deo trahit originem. Audi superbe, & quisquis potens fumosâ tumescis aulâ. Epictetus dis. 13. *Recordaberis qui sis, & quibus imperes? nonnè cognatis? non naturâ fratribus? non à Iove oriundis?* Pulchrè, & acutè Seneca Epist. 47. *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, equum non inspicit, sed stratum ejus, ac frana ejus; sic stultissimus, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modò nobis circumdata est.* Servus est, & fortassis liber animo. An non Diogenes emptus in servitutem, libertatem virtutum Regiam servus ostentavit? an non Dominus sibi de pretio gratulabatur, quòd liberis suis Magistrum sapientiæ coëmisset? Servus fuit; an illi hoc nocuit? nulli noxia servitus, nisi servitus peccati, illi veri servi, qui libidini

Liberalitas nullum vilem æstimat.

Deo omnes æquales.

Animæ dignitas ponderanda.

Servus virtute Liber.

libidini serviunt. Et quot nôn serviunt ancillulæ, & ancillantur deteriores, viliores ancillulis sanguine Principes? Summam ergo præcepti accipe. Si cum paupere & inferiore vivas, & officiis prior certa, quemadmodum velles superiorem tecum vivere, & certare beneficiis. Veniat tibi in mentem, tantum tibi licere in tuum servum, quãtum in te Domino tuo. Apud Deum omnes pares, pari pietate. Parem ergo te Deo facias, quantum potes; qui non circumjacentia, sed hominem spectat, spectatorem suæ Majestatis.

§. VIII.

Secundum indicium, & nota veræ liberalitatis Affectus. in mensura.

PAternus affectus eloquitur Patris naturam; ita sincerus animus & castigatus liberalitatis indolem. Si itaque magno affectu, & animi contentione tua dona depromperis in auxilium hominum exitura, pullum Aquilæ generosæ, id est, magnanimæ, & fortissimæ liberalitatis compellarim. *Beneficium* enim, ut docet Seneca lib. 1. de beneficiis, *nõ in eo quod fit, aut datur, sed in ipso dantis affectu, aut facientis affectu.* Animus quippè est mensura magnitudinis, qui parva extollit. Quemadmodum aliquot guttæ olei jussu magni Elisæi in vasa vacua missæ, vasa vacua prodigiosis accessionibus impleverunt, & inopem viduam, inopiâ & fœnore pressam liberârunt; ita minima dona, qualia fuêre Paupercul æ; duo scilicet minuta, & haustus aquæ Artaxerxi, ex Cyri flumine sumptus, non minimo animo datus, ingentis pretii laudem non solùm meruerunt; verùm & ingentium donorum excesserunt magnitudinem. Parem divitibus amicum attulerat vidua, & suâ animosâ tenuitate, omnium opulentiam & magnificentiam vicit, Christo Jesu Judice. Quare optimè Philosophus lib. 4. de moribus cap. 1. *Nihil prohibet eum magis esse liberalem, qui pauciora elargitur: non enim liberalitas cumulo Patrimonij, sed largientis definitur affectu.* Promptitudo ergo animi, oratio gratiosa & vegeta; lætus & aspectu amicus indolem liberalitatis dijudicat. An non calix aquæ frigidæ, Regiâ mẽte propter Deum datus, ditat datorem æternitate gloriæ? Quid magis obvium, & parabile aquâ frigidâ? Planè nihil: auro tamen nobilior cælum donat? Quo privilegio; nullo, si spectâris nudum opus; at summo, & ex rigore Justitiæ, si animum operis opificem spectâris. Tãta est fiducia magnæ mentis, & gratia. Animus in Deum pius, non facies, facies operis ex se perorat, amor dantis transmutat ima summis, & lutum auro permutat.

Affectus est mensura liberatis.

§. IX.

Tertium signum & indicium. Lætus donatoris animus. Hilaritas auget beneficium.

QVàm cælum à seipso diversum, sub eodem Sole spectamus? an non sudum, serenúque nitore placidum, si innube, si nullã caligine obductum? Quàm mœstum, quàm lugubre, quàm exosum, si concretus in nubes aër, si densis, & nigrantibus obducatur vaporibus? An non sub eadem animâ, quasi sub uno Sole tam diversus à seipso est homo?

Confer imaginem liberalis hominis, cum avaro, cum tenaci, aut saltem morosè liberali; an non unius anima tantùm alteri præstabit, quàm læta à furva, placida à torva & truculenta imagine? Cæli, & hominis par status. Si beneficia lætâ fronte, blandis oculis, amicâ comitate conferantur, an non hilarescit animus dantis, & accipientis? Et contrà, quàm solicitus, & meticulosus egentis accessus, ad hominem severum, obductæ frontis similis negaturo. an non titubat animus cùm lingua, & pudor præoccupat loquentem dubius? an tentandum discrimen? an satius, consultiusque fortunam malam pati, quàm repulsam? Quicumque lætus donat, induit animi sui vultum, & gratia blanda deferentis attollit in immensum etiam parva beneficia. Et contrà qui tardè, qui austero vultu, optima vina perfundit amaritie, & quasi saluberrima corrumpit veneno. Audiamus Senecam libr. de Benificiis cap. 3. *Ingentia quorundam beneficia, silentium, & loquendi tarditas imitata gravitatem, & tristitiam corrumpunt, cùm promitterent, vel darent vultu negantium.* quantò melius adjungere bona verba rebus, & prædicatione humana benignaque commendare, quæ præstas? an non pulchrum, ut ille se castiget, quod tardior in rogando fuerit? Audiamus Senecam. *Adjicias*, inquit, *familiarem querelam. Irascor tibi, quod cùm aliquid desiderasses, non olim me scire voluisti, quod tàm diligenter rogasti*: quod quemquam adhibuisti. Ego verò gratulor mihi, quòd experiri animum libuit. Posteà quidquid desiderabis, tuo jure exiges. Semel rusticitati tuæ ignoscitur. An non sic efficies, ut animum tuum pluris æstimet, quàm illud, quidquid est, ad quòd petendum venerat? Tunc est summa virtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille qui discessit, dicet sibi: Magnum hodie lucrum feci, quod illum talem inveni, quàm si multiplicatum hoc alia via ad me pervenisset. Huic ejus animo numquam parem gratiam referam. Audi Senecam. *At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum corrumpunt, & supercilio in odium adducunt, eo sermone usi, eâ superbiâ, ut impetrasse*

Animus cœlo similis.

Factus & gravitas dantis cum tristi vultu corrumpunt beneficia.

impetrasse pœnitet. Magna pars beneficij, addere beneficio hilarem, lætum vultum: tantò enim gratiora sunt beneficia, quò altiùs in interiorem animi partem nunquam exitura descendunt: descendunt autem non exitura, cùm ita delectant accipientem, ut magis gaudeat de donantis animo, quàm de munere quod accepit. Non itaque est beneficium, cui maxima pars deest, lætus scilicet vultus concors cum dono. Admirabilis, & propè inauditus in S. Paulini pectore eluxit liberalitatis splendore, quando animus tanti viri etiam inter extremas angustias materiã liberalitatis invenit. Sentiebat se omnibus opibus in pauperes profusis, pauperem. Supplicat vidua redēptionis pretium pro filio in Africam à Wandalis abducto. Quid molietur magnorum operum opifex liberalitas? *Dono,* inquit, *mulier unum quod habeo; accipe,* inquit, *meipsum, & redime tuum.* Accipe bona Domina, qualecumque est munus, & boni consulas. O sancte Vir, an majus donum potuisti dare, nisi fortè te parùm æstimes? Quid agitis Barbari? nihil mihi à vobis relictum. pauperem me esse voluistis? ita est. Incidistis venam, & facultatem benefaciendi: at non voluntatem. illa expediet dignum captivo munus; & quia de fortunæ bono non possum, de meo dabo. Aude cogitare illum sibi vilem fuisse, qui se, sui pretium fecit? ô donum admirabile! & hoc solo admirabilius, quod plenâ, quod amabili manu datum. An non vir sanctus magnam partem decoris sustulisset, si cùm daret, gemuisset? si superbè? si cum pompa ostentasset? si ambitioni locum dedisset? si retroactâ mente dubitasset? Hujusmodi liberalitatem cœlum approbavit, cùm dicitur 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Hilaritas vultus hilaritatem cordis subsequitur. auget beneficium utraque & multiplicat, sicut tristitia deperdit, & extenuat. Pulchrè hoc Augustinus Serm. in Psal. 42. *Si panem dederis tristis, panem & meritum perdidisti.* & Sermo. 45. *Si bona semina, sunt bona opera, quare seminas cum lachrymis? lachrymas vitia poscunt, virtus hilaritatem.* tota virtus ex integra est causa.

Stupenda Paulini liberalitas.

§. X.

Necessitas hilaritatis ob tres causas. Hilaritas vultus adornat donum. medela tristitiæ & paupertatis. Vitam aspirat accipienti.

EXimiam corporis formositatem, inconditus sermo, & oris asperi species devenustat, quam exilis nævus, & lingua perpauca balbutiens, formosum vitiat corpus? an non bona pars venustatis accesserit libaralitati, si comitas hilaris? An non arbor, cujus rami in conum, & pyramidis formam projecti, frondibus, & ubertate fructuum læta vehementer oblectat? Planè: ast non totum hunc naturæ apparatum corrumpit fructuum tristis amarities? cui placuit in vite spatiosa, uvę peracerbæ gustui species? an non maturata dulcescit in delicias? omnia benè nata si laude careant maturitatis, in certamen boni, pulchriq; non veniunt. O cui non placuit raræ species formæ? cui non displicuit formæ superbia, fastusque, qui solet pulchris inesse? Potentior fuit in Cæsare ars humanitatis amicæ, quàm ars bellandi, etsi in eo summa. domuit vultu, quos non potuisset ferro. Orbis Victor, Ciceroni trepidanti obvius procurrit, metum ademit, & partium socium, fecit suum. Cui non placuit Cæsaris humanitas? cui non placiturus hujusmodi liberalis animi vultus? quanta illecebra, in viro benigno & profuso humanitas! Constantini Magni admirabilis comitas, & Theodosii Magni clementiæ juncta benignitas. Cui placuit vultuosus aspectus? Adorna vultũ læta comitate, nõ ut mulier minio. Benefacis? ergo utere dono hilaritatis, & Magni quidē Pauli jussu: ad Roman. 12. vers. 8. *qui miseretur,* inquit, *in hilaritate.* Triplex fructus hilaritatis. Quid homini ingenuo verecundius quàm egere? Hilaritas extenuat naturalem verecundiam egentibus inditam. Deinde hominum sententia, quid paupertate miserâ despicatius, cui deest, ut naturæ satis fit, (cui cùm quod satis est, satis non est, nihil ei satis erit) & clausus egestate sine ullo spiramento vivit? quàm gravè, & molestum est illi vivere? Hilaritas ergò tollit suspicionem contemptus, quo laborat omnis miseria, & omnis inopia maximè. Hilaritas tollit ictum, quo quisque feritur, dum nudat egenum pectus. Hilaritas addit animos patiendi, cùm suæ paupertatis æstus, sentit pauper aquis misericordiæ alienæ refrigerari: tunc discitur alienâ manu, liberalitatem dando, fieri ditiorē, teste Joanne Eleēmosynario; cum quo Deus certare videbatur: hic dando, & Deus maximus largiendo. Si terra cum fœnore grandi reddit multiplicatum semen, an non reddet Deus, cui datur, quod datur? Bene ergo Ecclesiastic. 30. vers. 11. *In omni dato fac hilarem vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Imitare nubes, quæ exhalationibus gravidæ, an non effundunt citato impetu conglomeratas aquas? tu pauperes fœcundis liberalitatis roribus. Imitare nubium Auctorem, de quo dicitur Psalmo 67. vers. 10. *Pluviam voluntariam segregebit Deus hæreditati suæ.* an non *dispersit Deus, & dedit pauperibus?* & quæ hæreditas Dei? Pauper. *Tibi derelictus est pauper.* Psal. 19. pauperum gemitum exaudivit Dominus, quorum ut filiorum miseretur. Obsecro Lector, ut induas hilarem vultum, dextramque hilarem. Sicut duplex in nubibus bonum, ita duplex in actu liberali bonum: Eleēmosyna, & hilaris donatio. Hilaritas est in annulo donum, quod in pala gemma.

Formosus vultus destruitur asperitate, sic & liberalitas.

Hilaritas vultus est decor doni.

An non pluris adamas in pala, quàm ipse sibi

A sibi æmulus? sicut annuli decor vel crescit, vel minuitur lapidis vel gemmę pretio, ita flos doni vultus cōpositione. Quis ignorat tristitia, etiam magnanimi ossa Achillis leonina velut igne lento consumi, & exsiccari? Discas tu, qui torvus es instar tauri, floreum diadema liberalitatis flaccescere, & arescere; si desit hilaritas; adeò exhaurit, & ut ita dicam emedullat omne robur virtutis. tantum veneni insidet fastidiosæ donationi. An non gentiles, victimis, & oblationibus hilariter celebrant sua floralia? sua Bacchanalia? sua Hilaria? Vide Macrobium lib. 1. Satur. cap. 26. Finiam hanc materiam Apologo Cyrilli lib. 3. Apolog. Moral. cap. 25. De supernis Aquila, vigili contuitu, prædā investigando spectans; cùm Phœnicē cerneret, se igne genito comburentem, ad eum subitò descendit, aitque: Nunquid non in combustione doles? & ille: Et tu venatione non gaudes? & illa: Etiam. Cui Phœnix: Certè sicut tu cupida in venatione, & prædę captione delectaris; ita Phœnix in larga donatione substantiæ suæ: non enim est minor jucunditas, in exhibitione liberalitas; quàm in prædatione cupiditas: omnem enim effusionem virtutis sequitur effusio delectationis. propter hoc in igne non doleo; sed delector, quia in generatione alterius, tàm delectabiliter, quàm liberaliter meipsum effundo. Imitare Lector Phœnicem. dum das, accipis. Pater æternus, dando de suo, generat Filium sibi parē, Deum de Deo. Pictor coloribus, producit vivas imaginum formas; statuarius ex vili ligno Regias statuas facit, fingitque. An non summâ delectatione hilariter omnia producuntur? te hilariter dando, id est, tuos amores, tuas opes, tua subsidia, generas Phœnicem, vel filios, statuasque dignas cœlo. Non interit, quod æternitati laboratur. Imitare Solem, de quo dicitur: Ecclesiasti 43. *Sol in aspectu suo annuntians*, id est, in ortu suo quo incipit, suâ luce terram aspicit, & annuntiat auroram, & quasi sponsus auricomis suis comis omnes mortales salutat, ijsque hilariter benè precatur. Talem volo liberalis mentem, vultumque, qui sit instar aurorantis Solis, ut omnium pauperum voces, & gemitus exhilaret recreetque. Dic mihi, quid das, dum das? an de tuis, vel Dei bonis? Non de tuis; quia Dei sunt omnia. De bonis ergo Dei datur. datur tamen, & accipitur hilariter? si hilariter datum detur, & cum fœnore redditur, quod acceptum sine fœnore. O infinita bonitas primæ omnium causæ! dat, ut possit accipere de suo, quod voluit esse de nostro.

Insignis apologus hilaris datoris.

Liberalis donatoris vultus, solus sit vultus.

§. XI.

Quartum signum magnanimæ liberalitatis. Propera & festinata liberalitas.

QVid sole citatius? nulla illi mora. in suis obsequijs, ut illustrat, sic & fovet, at pernicibus. Obsequia magnanimi volo propera, cita, sine dubitatione. Talem vult Seneca liberalem: *Omnis*, inquit, libr. 2 cap. 5. *benignitas properat; & proprium libenter facientis, citò facere* B *tardè velle; nolentis est.* & ibidem cap. 1. *Ingratum est beneficium quod diu inter manus hæsit; quod quis ægrè demittere visus est. Evitemus, ne quid mora interveniat.* An non tum videmur deliberasse? an non proximus à negante, qui dubitavit? an non operatissima beneficia, occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia? Verè nobilissimum liberalitatis genus, antecedere cujusque desiderium. Quis nobilius & generosius Senecâ loquitur: O *Beatum, & similem Deo, qui occupat, antequam rogetur.* Quid ille agit? *Multiplicat beneficium.* Quo pacto? *An non oris, & laborum, colluctatione, linguâ titubante, & ruboris suffusione liberat rogantem?* C Ad hoc collimavit Magnus Pater & Doctor Orbis Nazianzenus, dum ait, *Promptitudine, & celeritate congeminari beneficium.* An non ingens tormentum pudor? an non ingens pudor, famam subijcere servituti alienæ? multis foret majus tormentū ipsâ nuditate fortunæ. Magnanima igitur liberalitas non admittit preces. An ille tulit gratis, qui multum rogans accepit? accepit magnum pretium, qui rogatur. Visum omnibus hoc axioma verum: Nihil carius, quàm quod precibus emitur. An non molestum, & onerosum verbum, *rogo? Serò beneficium dedit, qui roganti dedit.* Magnanima voluntas divinat, si potest, cujusque voluntatem, & cùm intellecta est, liberat necessitate rogandi futurum D supplicem. O Seneca ubi es? legeris quidem, & laudaris, at frustrà. Optimus Magister, discipulos habet non bonos. Audimus orantem, at non perorantem. Nota Lector, & imitare. *Si contingat pervenire supplicantem; plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur: sed certiores facti statim promittamus, facturosque nos, etiam antequam interpellemur, ipsâ festinatione approbemus.* Quemadmodū in ægris opportunitas cibi est salutaris; & aqua tempestivè data remedij locum obtinuit: ita quamvis leve & vulgare sit beneficiū, si præstò fuerit, si proximā horam non perdidit, multū sibi adijcit gratiamq; pretiosi; sed lenti, & diu cogitati muneris vincit. O pudor! ò indignitas! dixerim propè scelus beneficia non dari, sed extorqueri, dum per multorū manus sunt exitura, dū fit transmissio ad aliorū judiciū, dum delibata,

Nobilissima nota liberalis animi.

Diu rogatus vendidit beneficium.

Ultima beneficium vix est beneficiū.

delibata, quæ illibata esse debebant. Pergat Seneca: *Prò dolor! & dum dantur, cum deductione dantur, & summa detractione. An non hoc est licitare, & vendere beneficium?* Quid acerbius dici potest, quàm diu pendere animi? Maluerim mihi præscindi spem, quàm diu trahi. Quare verum existima illud Comici: *Quidne intelligis te tantum gratiæ demere, quantum moræ adijcis?* Indè illæ ingenuæ voces, quas exprimit ingenuus pudor: Fac, si quid facis: & nihil est tanti; malo mihi neges. An non tunc incipit animus ægrescere? & ambiguus animi amarescere? & in tædium adductus, odisse beneficium, dum expectatur? & qui amatorius accesserat, discedit non amicus. An non hoc pacto duæ res magnæ, prò dolor! intereunt? tempus, & argumentum amicæ voluntatis? tardè velle, est nolentis dare. Attende precor optime Lector. Sicut in telis eadem vis ferri est; verùm ingens discrimen, utrum excusso validoque lacerto torqueantur; an remissâ manu leniâque effluant. Magna pars beneficij, celeritas. Deinde si expeditâ mente gratias referet, nec eas agi patiatur, qui dedit; si dedisse, dum dat, oblitus est, an non tum pretium muneris crevit seipso majus? Fabius Vernicosus beneficium ab homine duro, asperè datum, panem lapidosum vocabat, & acerbũ esurienti; necessarium tamen. An non poma gregalia etiam, post paucos dies in fastidium itura, delectant, si provenêre maturiùs? tanti est anticipare beneficium, beneficio. Vide Senecam 7. libris disserentem. Audiamus hoc signum, Ausonij Disticho, ex Luciano verso:

Magna pars beneficij celeritas dantis.

Si benè quid facias, facias citò; nam citò factum
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Hujus liberalitatis cœlestem spiritum Titus Quintus Flaminius Romanus in totam Græciam effudit. Philippo quippe Rege Macedoniæ superato; quum ad id tam insigne spectaculum tota Græcia confluxisset, Titus tubæ silentio facto per præconem hæc verba recitari jussit: S. P. Q. R. & Titus Quinctius Imperator omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione Regis Philippi fuerant, liberas atque immunes esse jubet. Quibus auditis, maximo atque inopinato gaudio homines perculsi, primò veluti nõ audissent quæ audierát, credentes obticuerunt. Iteratâ deinde pronunciatione præconis, tantâ cœlum clamoris alacritate compleverunt, ut certè constet, aves, quæ supervolabant, attonitas, paventesque decidisse. Quantæ lætitiæ magnitudo populos obruit servitutis liberatione inopinatâ, & libertatis largitione! Quãta Majestas tribuentis in tam benigno pectore, cujus laudes nulla æquabunt tempora! Vide Valerium Maximum li. 5. de liberalitate, fol. 154. Subnectam huic Agrigentinũ Gilliam, Principem verùm quem propemodum ipsius liberalitatis præcordia habuisse constat. Hic opibus excellẽs, at animi divitijs potentior. Domus ejus munificẽtiæ Officina credebatur esse. Illinc enim publicis usibus apta monimenta exponebantur: illinc grata populi oculis spectacula edebantur: illinc epularum magnifici apparatus latentique annonæ subsidia tribuebantur (ne fieret annonæ charitas, itaque ut illa tolleretur, providebat:) & cùm hæc universis; privatim alimenta inopiâ laborantibus: dotes virginibus: paupertate pressis subsidia: detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur. Hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis benignissimè excepti, varijs muneribus ornati dimittebantur. Quodam verò tẽpore 500. simul Zelensium equites vi tempestatis in suas possessiones compulsos, aluit ac vestivit. Quid multa? Non mortalem aliquem: sed propitiæ fortunæ benignũ diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, commune erat Patrimonium, prò cujus salute & incrementis, tum Agrigentina Civitas, tum etiam vicinæ Civitates votis excubabant. Colloca è contraria parte, arcas inexcrabilibus claustris obseratas: nónne præstantiorem aliquanto existimes illam impensam, quàm hanc custodiam? Tu Christiane hoc decus æmulare.

§. XII.

Quintum signum, & supremum decus magnanimæ liberalitatis, ac propriè Divinæ, occultis beneficijs afficere mortales.

Artificiosè occultare beneficia emissa, & ignotâ manu dispergere aurea tela, ita ut salubres fontis aquas, non fontis caput agnoscas; & radios solis sole latente sentias, beneficijs continuis perpluere mortales, nec velle sciri, an non Divinæ naturæ proprium? an non hoc est ad Deum accedere? Si arbitrium dandi penes nos est, quæramus æternum mansura beneficia, & quàm minimè mortale sit.

Quis ignorat apud homines raràm & gratam memoriam? In confesso est, lachrymis citiùs exarescere, & multos donatoris oculos vitare, ne ingratus pudor intercaletur.

Munus ergo firmitate duraturâ struamus, cujus memoria, nec perire, nec eripi possit, verùm sempiternâ mercede donetur. Scio multa beneficia, partim palàm, partim secretò danda. Gloriosa & magnifica quæ palàm: & Viro magnanimo gloriosiora, quæ sine luce dantur. An non triumphale & quasi continuus triumphus, spectare manus omnium ad te, velut Aram sacram tendentium?

Ignota beneficia illustriora.

multos

multos perditæ, vel interituræ vitæ auxilium implorare? Quid dignus Deo, quàm naufragis opem, portumque præstare? succurrere pereuntium pœnis? & denique errantibus claram lucem, velut ducem exhibere? Quid jucundius in hâc vitâ spectari potest, quàm spectari se ut auxiliatorem, liberatorem, & quasi Deum tutelarem, in quo omnes spes, & opes Civitatis sitæ sunt. Magna sunt hæc liberalitatis Regiæ præmia: at nullum regnum majus, & Divinitati propinquius, quã taciturnâ manu, necessitati vrgēti profutura, ita ut nullo teste, prosint accipienti. Quid hâc notitiâ conscientiæ dulcius? an non dulce nomen Patris? Pater ejusmodi est, qui se Patrem exhibet pereunti, ruituro sustentaculum, egenti Patronum? an non hoc est silenter, Dei Partes agere? Quam amœnus ludus liberalitatis, sic fallere egentem, ditare ignarum sui benefici? irrigare profluentia bonorum, occulto fonte: prehensare manum, & sine sensu manus. Cui plausus dabitur? Nulli; nisi soli Deo auctori boni, utporè qui tales habeat cultores, quibus sufficit hæc merces, posse benefacere. Plaudet hic Deo; verùm nec soli Deo, sed & sibi, quod dignus fuerit visus Deo, quem alluvione allevamenti secreta recrearet. Hâc arte est usus, ut scribit Seneca libr. 2. Benef. cap. 10. Archesilaus Crantoris discipulus. Hic assidens amico pauperi, & dissimulanti paupertatem, ægro autem, & nec hoc confitenti, quod deessent sibi sumptus in usus necessarios: clàm succurrendum judicavit. Pulvino ejus ignorantis sacculum subjecit, ut homo inutiliter verecūdus, quod desiderabat, inveniret potiùs, quàm acciperet. Quid ergo? ille nesciret, à quo acceperit? nesciat. non est pars beneficij, auctorem scire, mihi sufficit dedisse. An non semina terræ laboratæ sulcis reconduntur? an non diu latent quasi projecta, sepultaque? an non calor affusus germina in magnam luxuriem ex terris evocat? An non hujusmodi sator S. Nicolaus? an non occulta liberalitas impleat sui fama totum Orbem? tanto fœnore redit liberalitas. Pulchrè hoc ipsum docuit Salomon in Ecclesiast. cap. 11. *Mitte panem super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Salomon secutus Bensira, qui putatur fuisse nepos Jeremiæ, sic vertit: *Sparge panem tuum in superficie aquarum, & in arida, & tu invenies illum in fine dierum.* quasi diceret: In omnes promiscuè pauperes, aridos ignotos, dissitos, vicinos, ingratos & immemores disperge. Et quorsum hoc? quoniam post tempus dierum multorum invenies mercedem ejus in sæculo hoc, & in sæculo venturo. Pagninus sic vertit: *Mitte panem tuum etiam ignotis, ac si proijceres super faciem aquarum, quia in multitudine dierum invenies illum.* Et Rabbi Salomon: Benè fac homini, de quo, corde cogitas fore, ut non amplius illum videas, sicut qui cibum suum in aquas proijcit. Thaumat. verò: *Iustum est*

Nobilissimũ liberalitatis genus secreta liberalitas.

Exemplum pulcherrimum.

A *panem & cetera hujus vitæ necessaria impertiri egenti; tametsi periturum videtur beneficium, ac si in aquam proijciat panem.* Apparebit autem procedente tempore, non inutilem tibi fore Eleēmosynam. Et sanè non erit inutilis: quomodo enim qui super irrigua seminat, fructum sementis expectat: ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem præstolans; & cùm dies Judicij advenerit, multò ampliùs quàm dederat, recepturus. Ita Hieronymus. Hebraicè est; *Mitte panem tuum super faciem aquarum*, id est, super faciem terræ aquis irrigatam. Feracissima enim est facies miseri, & calamitosi hominis, aquis, id est, ærumnis, & lachrymis madefacta. B In hâc facie semina panem tuum, & ipsa cum magno fœnore reddet semē suum. Nota illud Nazianzeni in orat. 19. *Hoc spectat ad latam largamq; Eleemosynam, quod Scriptura sacra docet, panem in aquam mittendum esse*: non enim fore, ut distrahatur, & pereat; apud justum harum rerum æstimatorem; sed eò perventurum esse, ubi omnia nostra collocabuntur. Quare *qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. Co. 9. Dat ē ditat Eleēmosyna, & cumulat omni bono, instar Nili exundantis ad quindecim vel sedecim vlnas, qui tūc spōdet omnem veridicus ubertatem, & Orbis gaudium. Hoc tibi gaudium parturiet liberalitas beneficij; si trāseunti impenderis, id est, ignotâ, & C occultâ arte, ut declines ostentationem, nec egentem suffundas pudore. Celebrat. Isidorus Pelusiotam quēdam Timotheum hâc virtute clarum, lib. 2. Epistol. Epist. 151. qui ne labefactaret divinissimum opus molestissimo morbo, calamitates, scilicet beneficio exaggerando, obscurâ & incognitâ benignitate utebatur. Reverà erat temperantiæ & pudicitiæ delubrum, humanitatis penu. An non est hoc Deum imitari? Deum sequi? Deus autem quodcumque facit, in eo nihil præter ipsam rationem faciendi sequitur. Quanta Deus molitur quotidiè, quanta distribuit, quantis terras fructibus impleat, quantis imbribus repentè dejectis solum mollit, venasque fontium redintegret ut, totum Orbem D Paternis affectibus regat, & cuilibet, & minimis in rebus provideat. At quâ mercede? quo perveniente ad se commodo? Hæc sit regula tuæ liberalitatis. Hæc nostra ratio servet, si ab exemplari suo non aberrat. Pudeat venale esse beneficium. Si gratuitum habes Deum, habeat te pauper gratuitum: da & ingratis beneficia.

Sufficiat oculis Divinis perplacuisse; illē sit auctor tui cultûs, & merces operis, qui tuæ virtutis fuit spectator. Scio, accipi gaudium ab accipientis voluntate. Verùm si alijs modis juvari non possit; vel quia dignitas personæ, vel pudor innatus impediat, vel offensionem pariet: nobilius est silenter dare, nec beneficium in acta mittere.

Quid

Voluntate par est, qui etiam minora, quàm accepit, reddidit, sed vellet reddere. Joannes ergo vinci potuit rebus, sed non animo, qui semper ad dandum intentus, qui nec moriens quidem finem donandi fecit. In duobus viris excellentissima liberalitatis signa, quasi duo soles orbi præluxêre, ut difficilius sit judicare, an mortales accipiendo, an verò donando citius fuerint lassati. Ingentibus animis celebravit Seneca liberalitatis indolem Regiam, quâ sanè nobiliter inclaruit. Calumniantur quidam opes immensas, & objiciunt Regios census. At quibus habuit donavit aut bonis, aut ijs quos facere potuit. Donavit cum summo consilio, dignissimos eligens, ut qui sciret tam acceptorum, quàm expensorum esse reddendam rationem. Habuit tanquam leves, & avolaturas, nec ulli alij, nec sibi graves. Habuit, sed in animum non admisit. Non possunt in ullo sinu feliciùs recondi, quàm ubi possunt sine querelâ reddentis eripi. Deposuit Deus, eripiat Deus felicissimus omnium, qui ijs utitur, ut omnes sublevet.

Nullâ virtutis luce ita Christiani fulsêre, quàm liberalitatis sole: ut enim fides Christianorum æterna spondet præmia, ita ingentes suscitat animos illa consequendi, & emendi rerum suarum donatione.

Quis commemorat maximorum virorum admirabilem liberalitatem? Sylvester I. Pontifex, ne quem pauperum præteriret, in codicillis scripta nomina pauperum lectitabat, ut omnes æquâ ope levaret. Paulus vero I. Pontifex junctis duobus aut tribus familiaribus, ægrotantium pauperum cubicula obibat, ut omnes donis, & muneribus levaret: pauperum & viduarum pater liberalissimus dictus. Quantâ gloriâ liberalitatis floruerit Fabiola Romana, testantur nosocomia, divenditis ingentibus opibus, & censibus, ut vilissimos quosque, & fœtidissimos pauperes sustentaret. Lege Hieronymum in Epitaphio Fabiolæ:

Non mihi, si centum linguæ sint, oraq; centum,
Ferrea vox, morborum comprendere nomina possem.

Quæ Fabiola in tanta miserorum refrigeria commutavit; præbebat cibos propriâ manu, & spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat. Angusta misericordi liberalitate Roma fuit. Peragrabat Insulas, & totum Hetrucum Mare, Volscorumq; Provinciam, & reconditos curvorum litorum sinus, in quibus Monachorum consistunt, Chori, vel proprio corpore, vel per viros sanctos, & fideles transmissâ munificentiâ circuibat; nec Italia solùm, verùm & Palæstina solem tantæ liberalitatis sensit. Vide Hieronymum. Prætermitto Euphraxiam Romanam, genere nobilem, ætate florentem, formâ præstantem. Stupendæ virtutis jam vidua, mortuo Antigono viro, ne vinculis jugalibus Theodosio Augusto

A suadente implicaretur, Thebaidem petijt, & ibi ingentibus, regijsque opibus divenditis, in pauperes & Ecclesias, omnia sua erogavit, ita ut neque sibi, nec filiæ Euphraxiæ quidquam residui foret. Ingentis spiritus Tiberius tertius, Justini Junioris Imperatoris hæres, dignam vocem suâ fortunâ orbi legavit, increpitus enim aliquando à Sophia vidua exosa tantam liberalitatem: *Confido, inquit, in Domino, non pecuniam defuturam fisco nostro, modò pauperes eleemosynas accipiant, & captivi redimãtur: hi enim sunt thesauri nullis obnoxij periculis, quos ipse Dominus colligere iubet.* Vide Evagriũ lib. 5. c. 13. Paulum Diaconum lib. 17. rerum Rom. Finio; nec enim finem scribendi daret summorum Pontificum, & magnorum virorum, matronarumq; numerus copiosus, qui

B liberalitatis gloriâ æternam memoriam sunt consecuti. Quis unquam duas heroïnas, Elizabetham, Andreæ Regis Hungariæ filiam, & Ludovici Thuringiæ Lantgravij Conjugẽ, & ejus materteram Hedwigem Ducissę Polonicæ Henrici Barbati conjugem æquarit suis debitis laudibus? Elizabetha & se, suaq;, & conjux, & vidua, & purpurata, & pannosa vilibus pauperum ministerijs mancipavit. Et quâ ratione se mancipavit? ut velut vilẽ servitutẽ serviret, nec non ad abjectissima queq; suam nobilitatẽ projiceret. Voluit Deus hoc liberalitatis spectaculũ novis, & insolitis spectaculis illustrare. An. ergo salutis 1231. quatriduo priusquã tumulo corpus mandaretur,

C suavissimos exspirabat odores in præsagium majoris gloriæ, terræ ergo redditũ haud multò post oleum affluxit in administratæ liberalitatis, & misericordiæ profusæ testimonium. O quàm te memorẽ! ô sancta heroïna, clara & vivens, & mortua claris prodigijs, quę regio in terris tanti nõ plena laboris! felix Thuringia tanto propitio sydere. Aliam non inferioris lucis, & decoris porriget nobis armis invicta Polonia: floruit Hedwiges Ducissa, conjux Henrici Barbati, hæc non solùm ut speculũ, sed prodigium liberalitatis orbi fuit. Specta liberalitatis facinora, monasterium Tribiciense condidit, cui & filiam S. Gertrudem traditione nobilissimi pignoris sacravit:

D liberalitate suâ omnes undique pauperes evocabat, ac proindè communis mater pauperum, nuncupabatur, viduarum tamen & pupillorũ ardentior, pauperes 13. in Christi & Apostolorum honorem habebat in aula, quos ut alũnos suos, & filios nutricabatur & continebat, quos & comites sui itineris curribus impositos secum trahebat. Quid non moliris amor Dei in corde liberali? priusquam heroïna accumberet mensę, flexis genibus tanquam Dei filio, egenis ministrabat alumnis. Dictu mirũ, & naturę repugnans, nunquam illa libare potum, nisi pauperum deformior degustasset. Quid dicis ad hęc Christiane? sic pauperes venerabatur, ut locum ubi sederant, si careret spectatore, osculis veneraretur. Mirati sumus in S. Carolo Borromæo, qui moderatâ, &

pauculis ferculis instructâ mensâ utebatur, A suos verò Palatinos pro sua dignitate jucundè, & apparatè tractabat. Miremur operosiorem in hac heroina victoriam, illa sibi cibos plebeios inconditos, & tantùm non aridos volebat inferri, ad hoc vescebatur, ut potione, & cibo famem sitimque depelleret. Unde & Proverbium aulæ, se præferre fortunam pauperum suæ Dominæ. Desine mirari, uberiora cibaria facta erant charitate. Cetera prætermitto. Corpori horribile bellum indixit, cùm enim corpus esset abluendum, asperâ veste, aspero cilicio, & zonâ ex equorum setis confectâ contectum fuit, non sine causa dum viveret luridum, & genua callis duorum instar pugnorum obdurata. Cetera dabit Surius. An. igitur 1243. idibus Octob. B sub horam vespertinam translata est beata anima in cælum, priùs legatis, S. Magdalenâ, Catharinâ, Thecla, Ursula, & alijs sanctis bis ad se missis evocata. Mors quæ pulcherrimos deformat, & pro suo imperio funestat corpora, hoc corpus anteà luridum novo flore lucis illustravit. Candida ergo facies, genæ roseæ, labia florida, & totum corpus non mortui, sed vivi imago erat efflorescentis, & sic clara miraculis tumulo data, ac Sanctorũ innumerũ à Clemente IV. relata an. Do. 1267. Translatũ autem corpus an. Dom. 1268. 16. Kalendas Sept. & tunc aperto sepulchro mirificus odor omnes adstantes complevit: consumpto corpore, tres digiti sinistræ manus integri perstitêre, quibus moriens, Iconem. SS. Virgin. ar- C ctissimè constrinxerat, ut sine eorum damno avelli non possent, & quam devinxerat sibi vivens, tenuit & mortua. Ex cerebro igitur tantorum bonorum actore, quod 25. annis fuerat humatum, integrum divinâ virtute mansit, & pariter ex capite liquor purus, & clarus instar olei olivarum suavissimi mirandiq; odoris erupit, quo sindones, & panni velut flumine exorto immadescerent. Has coronas dat Dominus suis amatis, juxta Isaiam 61. pro cinere, oleum gaudij, pro luctu, pallium laudis, & cap. Dilexerunt hę magnæ animę liberalitatem, & propterea unxit illas Deus oleo lætitiæ. Et sicut David consecutus est regnum in misericordia, 2. Machab. 3. ita hæ nobilissimæ animæ regnum æternæ laudis, liberalitatis maximis operibus, & claritudine D in terris relictâ, se in cælestium choros intulere. Et ne ullâ unquam oblivionis nube, tam admirabilis liberalitas tegi posset, corpus illarum, oleum in ęterna nominis claritudine effudit, ut terram etiam mortuæ irrigarent prodigiosâ liberalitate, quam irrigarant vivæ. Vivitę nũc felices animæ, & vos satiate fontibus æternorum gaudiorum, quæ gaudia pauperum tristibus mentibus largiter intulistis.

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.

§. XIV.

Deus liberalissimus, & ipsa liberalitas.

HÆc fusè disputata, nunc aperient viam, & aditum ad divinæ liberalitatis immensitatem, videbimus ut illa tantùm exsuperet magnanimæ liberalitatis dotes, quantùm infinitudo finitum, & linea punctum, & Oceanus exiguum fontem. Infinitum enim Numen, cùm sit infinitæ bonitatis, nec ullis finibus illa circumscribi possit, ita & liberalitatis, in omnia infinitè diffusus Oceanus, cùm liberalitas sit infinitæ bonitati commensurata. Propria proindè, ac nativa Divini Numinis indoles, & natura est esse bonum, atque beneficum. Hoc docuit luce naturæ illustratus Cleanthes inter Stoicos illustris, his versibus, quos citat Clemens Alexandrinus:

Propria Dei natura est esse beneficum.

Si quale sit bonum rogas? ita accipe;
Est ordinatum, justum, & est sanctum, pium.
Suiq; potens, commodum aliis, pulchrum decens,
Rectum, atque constans, semper autem conferens,
Expers metu, dolore, curis omnibus.
Iuvans, benignum, stabile, amicum, amabile.
Honore dignum, confitendum
Et gloriosum, non superbum: quod gerit
Curam omnium, placens, & viribus valens.

Vide ut ipsum Deum, ante omnia vocat bonum. & rectè: nec alio nomine. Primum ens Dionysius Areopagita c. 4. de Divinis nominibus, compellavit. Primarium enim & peculiare hoc Dei nomen est, ipsamq; Divinam substantiam, bonitatem appellavit. Et Trismegistus pariter, nullum bonum esse nisi in Deo. Imò verò ipsum bonum, inquit, Deus est. Cùm igitur sit ipse sua bonitas infinita, necesse est, infinitos liberalitatis fontes ex ipsa bonitate dimanare, ut semper prosit; obesse autem non possit, cum tota natura bonitatis, nullam vim, nisi beneficam, & salutarem habeat. Divina ergo providẽtia cùm sit fictrix, & moderatrix universi, cujus consilio, huic mundo providetur, (non enim tantum opus stare posset sine Rectore, omnibus enim rebus interest, ut nihil nec in minimo motu latere illum possit) nec solùm universo generi humano, verùm etiam singulis. Quare & Epictetus 1. dissertat. c. 12. *Te Deus*, inquit, *nec in minimo fallo.* Pro bonitatis ergo amatoriæ beatissima natura, dispensat in omnes mortales suę liberalitatis thesauros. Sicut enim nemo potest Solis radiantis lucem in aperto defugere, ita nemo potest non sentire tanti Numinis munificentiam. An non Pater Cælestis, qui oriri solem suũ facit super bonos & malos?

Summè bonus Deus, summè, & liberalis.

los? an non totus orbis, Sol & Luna, cum tota aula Cælorum, noctes & dies hominibus laborant? & quidem singulis? Hoc & Plato cognovit, & docuit in Epimo: *Dij*, inquit, *curant omnia, sive ea magna sint, aut parva*. Et quomodo curant? Audiamus Senecam 4. de benef. 26. & l. 7. c. 31. *Qui beneficia*, inquit, *ignorãtibus dant, hi ingrati perseverant, & more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantiũ arrident, nec tamen cessant beneficia congerere*. Et ita est. Cum enim Dij sint omniscij, ut cum Platone loquar l. 10. de legibus, etiam minuta videre, & nosse censendum est. Addo ego. & Materno affectu, tanquã à se nata profectaq; curare. Quare optimè Vates Regius Ps. 12. 4. *Apperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Attende ad singula verba, ut Propheta clarè profitetur Deum, distinctè, explicatè, abundanter, & illuminatè, quasi summis curis distentus, ut humano more loquar, singula curet, singulis copiosè provideat. singulis porrigat dexteram largitionibus diffluentem. Siccinè ô Magne Monarcha, minimus culex, & si quid minus culice est, quasi Reges curas, & ijs intendis. Mira indoles & ingenium Nili fluminis, qui cùm ad 15. vel 16. vel amplius ulnas, suas aquas stagnantes Ægypto superfundit, orbi toti plenissimã despondet, & auguratur opulentiam, & inexhaustã annonam. Longè aliter oceanus Divinæ munificentiæ, superfluit effusus in omnes creaturas: omnes opes suas permiscet, & dãdo æstimat se fieri ditiorem. Quare stulta, & imaginaria Magnum Aristot. subijt opinio l. 2. magnor. Moral. c. 8. Deum malorũ curam habere, fas non esse, quasi hæc solicitudo tantam Majestatem dedeceret. Et ita nõ pijs videtur nam nihil injusti Justitia pati potest, nec munditics, libidinosos mores; nec pudor, scorta: ac denique sanctitas vitiorum ulceribus deformata pectora execratur. Quomodo enim cõtraria possunt coire? quomodo oculos ejus subire potest iniquitas, qui iniquitatẽ suis oculis profligat? Quomodo ergo Deus eorum curam gerere potest, qui Deum exterminant? Verùm & eorum curam gerit, & quidem in ostentationem suæ munificæ bonitatis. Bonitas quippè Dei, solidis, & inexsuperabilibus est præcincta munimẽtis; adeò excelsa, & inexpugnabilis clementia, & liberalitas, ut nec lædi humanã malitiã possit, nec incurvari hominum barbarã ingratitudine. Non est virtute fortior nequitia. Divina ergò ut juvari non desiderant, ita nec diminui possunt. Benefacit ergo improbis, & sceleratis, quia integra & illibata divina bonitas, supra omnem cogitationem humanã, & supra omne exemplar semper perstat: videt circa se omnia hostilia, blasphemias, ingratitudinẽ, execrationes, profanationes; stat tamen liberalitatis porrecta dextera, nec ullum introitum præbet irę, aut vindictæ, nisi Justitia in bonũ universi vindices iras deposcat. O stupendã Dei clementiã, & liberalitatem! An non sum-

Dij ex gentilium doctrina in omnes profusi.

Quando Nilus spõdet abundantiam.

Aristoteles indicat Deo indignum malos curare.

Deus munificus in impios cur liberalis.

A mæ clementiæ, & summæ liberalitatis, nõ solum multas injurias dimittere, & patiẽtiæ magnitudine se defendere? verùm & liberalissimis suæ bonitatis imbribus sceleratos perplutos peruariè, & novis mirisq; modis irrigare? Dicam amplius & longè incredibilius opus munificentiæ, Deum adeò bonum, suiq; diffusivum, ut obstinatã liberalitate fatiget, & obruat injuriosos, qui pede essent proruendi. Quam multis indignis oritur lux, diesq; quam multa perdẽda largitur beneficia? quàm multa malè cessere? quàm multi spẽ fefellẽre? hoc ipsum Deo magnificum, dare beneficia non reditura. O mirabilem Dei indolem! adversus experimenta pertinax est ejus liberalitas, adeò ut non exacerbetur, nec insultet ijs, in

B quos summa contulit beneficia, verùm & eos sine intermissione fovet, & vitæ providet necessitati. An non videntur hujusmodi homines, usq; ad delicias amari? & ad Matrum naturam, in delicatã, & umbratili scholã educari? Tribuit illis honores, opes, sceptra, Diuturnæ vitæ placidum usum, familiæ splendorẽ, speciosam conjugem, & liberorum copiã florentem domum. Quorsum hæc tanta profusio? an non ut degeneres, & impios, bonos, melioresq; faciat? an non ut vincat pertinaci liberalitate malos? Mirum dictu: tolerat ingratitudinem, & transmittit, nec inducit frõtem, ut instar vehementis amatoris rebellem reluctantemq; tandem amatam animam ad se

C trahat pelliciatq;. An non agricolæ instar, qui soli sterilitatem emendatricia curã, cultuq; uevertit, sic pijssimus Deus omnem mittit destinatq; apparatum Regiorum donorum, ut corruptam vitiatamq; animam à corruptione, & vitijs ad se traducat. Ausim dicere, emẽtitur quodãmodò Divina bonitas iratos animos, contrahit liberalitatẽ, inducit inopiam, morbosq; concitat pericula, & tempestates, cælum, terramq; movet, ac denique omnibus spoliat bonis, ut tandem spoliatum, & sanitati mentis restitutum, spolijs omnium bonorum affatim ditet exornetque. An quisquam erit tam duri, infestiq; animi adversus tam liberalem Deum, qui tot amoribus, donisq; coopertus, manus, & dextras non extendet? An dubi-

D tamus adhuc, ô mortales cæci, tam vehementer amantis voces admittere? Quis compositiones tot remediorum salutariũ supprimet, aut refutabit, ut sanari possit, nisi Dæmoni devotum caput? & quænam causa dandi dulcissime Deus? una causa dandi est sola bonitas tua, non commodum tuum: sufficit una tuæ Majestati voluptas, ut prodesse cunctis possis, & bonis & malis. Neminem enim excludis; nullam dicis legem tuæ liberalitati, in omnes vis diffluere rores? Parum dixi, fontes dico oceani repagulis perruptis. Omnibus offers congiarium, & frumentum publicum, offers omnes opes terræ, marisque. Omnium causa Sol, Luna, Planetæ, & vastissimi cælorum orbes sua spatia decurrunt. Omnis creatura, etiam indignata scelestos, gemensque servit

Impios delicate instar matris habet & ad se pellicit Deus.

tamen miseram servitutem indignis. Pessimi quique in tutelâ sunt Angelorum, qui tanquam administratorij spiritus explicant opus suum, nec recusant in partem curarum venire, cum providentia Divinæ Majestatis. Aliud est, quod vehementer extollit magnitudinem Divinæ Majestatis, omnia sine mercede, nullo ad ipsam perveniente commodo, tot commoda, & oblectamenta nobis obvenire. Philosophus lib. ad Eudem. duobus ante finem folijs sic ratiocinatur: Deus cùm nulla re egeat, nec amicis opus habet, quo circa homo beatissimus minimè omnium eget amico, nisi quatenus impossibile est, ex se sibi sufficientem esse, undè necesse est optimè viventi paucissimos amicos esse. Quorsum ergo immensa liberalitas Dei, ita sua profundit in ingratos, hostesque suos? quorsum eorum amicitiam affectat? quorsum tanquam indigus ambit egenorum gratiam, gratiarum cumulos profusis sumptibus elargiendo? quorsum toties gratiarum fontes incisos arescentesque redintegrat? An non videtur sibi non esse sufficiens, cùm sit sufficientissimus? An non est hoc egere, sic emendicare inopum amores, qui se destituti erant perituri? An non hoc est mentiri, & tegere suam infinitam potentiam, bonitatem, & munificentiam? Libet exclamare: O Deum fontem omnis bonitatis, & liberalitatis, cujus unica, & attonita cura est benefacere! Utere hoc exemplari, ô homo, nec ab hoc aberret ratio tui instituti; non venias conductus, ut pauperi, & egenti subvenias. Pudeat venale esse beneficium, qui Deum experiris gratuitum, & opportunis auxilijs amicum.

§. XV.

De singularibus Dei beneficijs.

HÆc generatim dicta: nunc ad singularia descendamus. In Deo proprium, & singulare, quod in nullũ alium convenire potest; Liberalitatem scil. Dei suis extremis, quemadmodum humana non coërceri, excessu, vel pusillâ paruitate, prodigalitate, vel tenacitate. Illa enim nullis angustijs clauditur, nullo spatio definitur, tam latè patet regnum liberalitatis, quàm bonitatis: indivisum est utriusque imperium. Liberalitas ergo, tota quanta est, prodiga est sui. Est illa instar Solis, ut docet Dionys. lib. 4. de Divinis nominibus cap. 4. ὅλης ἀγαθότητος ἀκτῖνας, id est, totius bonitatis radios effundit: benè instar solis, qui lucẽ spargit, nec fit luce minor; sic nec dãdo, Deus fit seipso minor, imò potentior: dilatando quippè sua dona, velut hamo homines sibi devincit, & velut telis emissis saucios, sibi subigit acquisitos. Quare & Arist. & illum secutus Divus Th. 2. 2. q. 117. vocat liberalem, emissivum, largum, effusumq;. Verè effusum dicimus, quia excedit omnium vota. Quod ipsum

Sol lucis suæ donatione non fit luce data minor: Sic nec Deus donando.

A docet Cassiodorus in Ps. 144. *Aperis*, inquit, *manum tuam, & imples omne animal benedictione. Aperis*, inquit, *manum tuam*, infinitæ scil. capacitatis, *& aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; quam bonitatem vertit* Cassiodorus, ubertatem, *& imples omne animal benedictione.* Quid benedictio, nisi plenam, & redundãtem largitatis affluentiam designat? vel ut Chaldæus vertit: *Saturans omne vivens ad voluntatem, vel ad desiderium.* Vel, ut Caietanus, *saturans omne vivum complacentiâ*, id est, qualibet re delectante ipsum. Plenâ ergo manu, quasi prodigus sui, omnia munera telis aureis, aureo arcu, aureâ manu, in defessè jaculatur in genus humanum, partem universi dominatricem, nobilissimamque. Manus ergo

Prodigalitas Dei.

B Dei, quæ appendunt tribus digitis molem terræ; illæ manus, quarum pugillo metitur aquas, & palmo ponderat cælos, longè gloriosius splendent donativis, quàm sceptro regnanti. An non ideò totum orbem mortalibus in regnum dotale concessit, in quo homines, tanquam Reges præsiderent? Pinguntur cælestes spiritus alati, ut præpropera, & festinata sua auxilia consignent, doceantq; promptitudinem auxiliaris voluntatis. Sic & alatum Dei currum vult esse Plato, ut impetus expeditus, facilis, exquisitus benefaciendi demonstretur. Pingamus ergo currum alatum, currum aureum, temonem aureum, & rotas, & curvaturam rotarum auream, & vestigia alati currûs aurea, terram quà premitur

Quare alatus Dei currus, & aureus.

C auream, pulveremque denique ramentis aureis aspersum aureum. Cur hoc? Ut discant mortales, omnia cælo lapsa beneficia esse aurea. An non omnia infiniti Dei sunt tot gemmæ, quot dona. Si Mydas fabulosus suo contactu potuit omnia vertere in aurum, an non plusquam Mydas, Deus? Vide Athenæum l. 4. Christus ergo Dominus hoc alato curru vectus, contactu suo Judæam sanctificabat, & pertransiens, cunctis benefaciebat, imprimẽs passim vestigia Divinæ suæ liberalitatis. Perlustremus totam Christi Domini vitam: quid videbimus, nisi tot specula liberalitatis, quot opera? An non in Canâ Galilææ Regium, Divinumque creat opus, dum aquas imperio transmutat in vinum, & lympha se vinum

D mirata est? Petrus & Andreas, Joannes & Jacobus viles piscatores, retibus vitam sustentant: ad vocem Christi, retia deserunt, inaugurantur Christi discipuli, retia, lembum, & lacera vela, ut pensavit Christus, an non orbis & cæli imperio? Quid Petro soli extra ordinem? an non in omnes principatum, & Capitolium cum ipsa Roma, orbis Domina rependit? Si in hac vita, quid dependet in altera? Joannis 4. spectabis Christi antidoralem munificentiam; spectabis præventionem benignitatis. *Fatigatus Iesus ex itinere*, non curru triumphali bijugo, non quadrijugo, qui Rex Regum, vectus, *sedebat sic supra fontem*: venit mulier Samaritana, horâ quasi sextâ haurire aquam. Præoccupat illam Dominus

Miracula currus aurei.

minus duplici æstuans siti. Dicit ei: *Mulier da mihi bibere.* Christus Dominus spargendo beneficio, præbet occasionem colloquio. Orat gratiam non impetrandā, odio enim Samaritanis erát Judæi, ac proindè utrimq; rupta cōmercia, imò & verba, & voces, & salutationes: *Quomodo Iudæus cùm sis, petis à me bibere, quæ sum mulier Samaritana? Respondit ei Iesus: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Ecce prima illecebra, ut usa libero arbitrio beneficium postulet. Ecce ut non cogitanti Christus aperiat viam, & aditū largitioni futuræ. O indicibilis bonitas, & liberalitas! sufficit Christo leve, & exile beneficij desiderium, ut illi expandat flumina beneficiorum, & gratiarum. Cùm itaque Christus promisisset, aquam vivam, quæ esset futura, instar aquæ salientis in vitam æternam; illecta mulier, delectata hamo, & avida non sitire, ait Augustinus, putabat secundùm carnem, promissam sibi à Domino aquam. Dicit ei: *Da mihi hanc aquam.* Quid agis mulier? Samaritana tractas cum Judæo? commercia sancis? mores, & odia vertis? tu sola cum solo? quid moliris? *Vere cor regis in manu Dei,* (Proverb. 1.) *& quocumque voluerit, inclinabit illud.* Mare & venti sentiunt Creatoris vocem. Hæc mulier non mari, & ventis surdior. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Psalm. 28. Ecce fundamentum totius salutis; ecce in parvo semine, & vix ullius momenti, tota machina salutis inclusa: ecce ut Filius Dei suâ liberalitate circumfudit, hanc etiam malè intellectam petitionem, ut liberalissimus Jesus superstruit nulli merito, pio tamen affectu, gratuitam gratiæ donationem, *Da mihi,* inquit, *hanc aquam.* Placuit Deo, bonæ indolis, & honesti desiderij conditio. At quò merito? nullo tuo mulier, infamis, dehonestata, & scortum libidinis, orat aquam perituram, ne laboret indigentiâ, & hauriendi molestiâ, & impletur votum omni benedictione cælesti. Dabitur ô mulier, quod non optas, omne bonum optabile. Oras aquam fluxam, periturámque, & dabitur aquarum opulentia æternarum. Feres tecum antidoralia dona hujus sacri commercij, senties remunerationem tui colloquij. Christum ergo Dominum ut Messiam agnoscit, illuminatur à sole Justitiæ. *Scio,* inquit, *quia venit Messias, (qui dicitur Christus) cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia.* Dicit ei Jesus: Ego sum. Quanta potentia hujus vocis, *Ego sum,* Audito, inquit Augustinus: Ego sum, qui tecum loquor, & recepto in cor Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret, & cucurreret Euangelizare. O Metamorphosim! Venerat impudica, discet Vates nuntia æternæ veritatis: venerat hauriendæ aquæ gratiâ, & ad minimam petitionem obtinuit æterni fontis gratiam, Venerat meretrix, casta regreditur: reliquit hydriam vacuam, & recedit plena Deo, & donis onusta Dei: venerat peccatrix, & recedit prædicatrix, ait sanctus Ambrosius Serm. 30. *Et si aquam Civitati non intulit, fontem tamen salutis invexit.* Intuere verbi Divini potentiam, ut petitionis simplicis, & naturalis supra vires naturæ elevârit, & illa seminis instar, in altam eamque frugiferam extulerit arborem, & cælis intulerit comam. Accensa, inquit Theophilactus, igne Divino, ad nihil eorum quæ in terrâ sunt, respicit, non ad confusionem, non ad ignominiam, aut aliud quippiam: non veretur sua secreta pandere, & se talem, qualis erat, publicare. O felix mulier, & humilis, quam dignatus fuit Filius Dei sui admissione colloquij, quam Deus terris, & cælo celebrem fecit. Hujus memoriam celebrat Romanum Martyrologium, die vigesimo Martij, hisce verbis: *Eodem die Sanctorum Photinæ Samaritanæ, Ioseph, & Victoris filiorum. Itemq; Sebastiani Ducis, & Anatoliæ, Photidis, Parasceves, & Cyriacæ germanarum, qui omnes Martyrium sunt consecuti, factâ Christi professione.* Porrò Franciscus Binarius in Commentario Chronici ad Annum Christi LX. pagina 117. ex actis Martyrum Italicensium, quæ Jeremias Patriarcha Constantin. Anno Christi M. D. LXXX. è Græco in Latinum transtulit, narrat hanc Samaritanam apud Carthaginem prædicasse Euangelium Christi, ideoque cum duobus filijs, Victore, Joseph, ac quinque sororibus, Anatoliâ, Photi, & Photide, Parasceve, & Cyriaca, ac cum Sebastiano Duce, à Victore ad Christum converso, sub Nerone, illustre Martyrium obijsse, varijs tentamentis Carnificum tantum non exossati. Primùm in carcerem teterrimum, deinde in ardentem clibanum ad tres totos dies immissi, verùm integri, & incolumes discessêre. Semel, atque iterum veneno potati, plumbo, & resinâ, in os Photinæ, & aures aliorum liquefacta, immissa: sæpiùs nervis bovinis cæsi, pectinibus quoque ferreis à capite in sublime suspensi, excarnificati, atque facibus ardentibus, ad Martyrum latera applicatis exusti, oculis dein' erutis, iterum in carcerem venenatis animalibus plenum detrusi, ut interirent fame, verùm Christi luce perfusi, sanitati sunt restituti: dein' ad novum pertracti certamen, denuò flagris acerbissimè dilaniati, ad ultimum pelle detractâ, spiritum mundissimum Deo reddidit Vigesimo die Martij. Non hæres Lector attonitus, ad Christi Domini munificentiam? Inserit cælesti æternoque purpuratorum concilio impudicam mentem, & prostitutum corpus. Quo merito? nullo suo. Initium tamen docilis affectus dedit, quem Christus provexit ad veri seminis, & gratiæ dignitatem. Tanta est Dei bonitas, ut vocet ea, quæ non sunt, ut sint & colligit de spinis uvas, & ex luto conficit aurum, & rem nauci, creat maximam, & tandem sua dona coronat.

Mirabili arte capitur Samaritana.

Dei liberalitas effundit se in desiderantem.

A parvo semine salus.

Parvæ petitioni summa donantur.

Summa Dei liberalitate, Samaritana cum suis martyrio coronata.

§. XVI.

Vt Deus minimum pium contactum summis beneficijs coronet.

MAjus, & nobilius theatrum dabit Hæmorrhoissa toto orbe decantata, & claritudine tam suæ curationis, quàm prodigiosæ statuæ famâ perceleberis. Hæc nata Cæsareæ Philippi, sanguinis profluvio per annos duodecim fatigata, & sanctus Marcus docet cap. 4. vers. 27. fuerat multa perpessa à multis Medicis, & erogaverat omnia, & nullo fructu, sed magis deterius habebat. Eras, eras bona Domina summo medico reservata, illius medicam manum, illius vestis salutarem experieris virtutem: dabitur, quod tantoperè optas. Cùm audisset de Jesu, venit in turbâ retrò, & tetigit vestimentum ejus. *Dicebat enim: quia si vel vestimentum eius tetigero, salva ero.* Quantus ambr sanitatis: omni pretio major. Laboratum duodecim annis, & irritis impendijs. Fama miraculorum ad Christum trahit, irruit in turbam animosa Virago, perrumpit aditum. Jam proxima Christo, arcanam ejaculatur, vivamque fidem, & pressè valida suspiria. Omnibus, inquit hic sanctus, vitam, vires, curationes, vocibus, tactu, imperioque aspirat: mihi suffecerit tetigisse, non dexteram, sed fimbriam vestimenti. Deus, & Messias dicitur esse. Non opus est verbis, nec imperio, opus est occulto attactu, attactu sanabor, si enim Deus est, ut credo, quæ Dei sunt, vitalia sunt, & vitam præstant, imò fortè nec opus attactu, nam & umbrâ Divinitatis possum sanari, umbra fugabit mali pertinaciam. Aggredere animâ facinus, quod mente concepi. Fides viam inveniet, & viri potentia. Ne trepides anima, non opus est teste; conscia fiducia peraget opus. Habes innumera exempla, quæ viri sancti Divinitatem eloquuntur. Neminem quamvis vilissimi sanguinis despexit, neminem reductâ fronte deterruit, & ne feminam, quasi degenerem, maculosamque semoveat, permixta turbæ, carpam fimbriam, id est, fila vestis extremæ. Hæc secum volutans, fimbriam tangit. Nec dubites, quin oscula amatæ vesti congeminat. Mirum dictu, En subitò reducitur sanitas. Sentit illa secretæ potentiæ vim salutarem. Sensit Christus vivæ fidei victricem violentiam, sensit sibi virtutem extortam. Exclamat Christus: *Quis me tetigit?* Stupent Discipuli insolentiam vocis. Undique, inquiunt, comprimeris, & clamas, *Quis me tetigit?* Ad institutum redeamus. Admirare incredibilem Christi Domini liberalitatem, ut fidem, ut

Contactus solus quanto munere donatus.

Sanitas corpori, & animæ datur.

A desiderium, ut attactum amplissimè sit remuneratus. Vide quòd uni cogitationi, uni suspirio, uni arcano desiderio præmia conferantur semper duratura. Datur corpori sua integritas: Datur animæ, & salus sua: datur & fidei tantæ, sua laus, & encomium. I nunc mulier, fruere bono tuo, carpe fructus tuæ fidei: traxisti instar Magnetis, à Christo virtutem. Tu sola merita es à Christo compressò extorquere miraculum Divinæ potentiæ. I nunc, & carpe fructus, & fruere tam meritis, quàm corporis sanitate, quàm Christi omnipotentia, tanquam, prima causa, & fides tua, tanquam secunda concilliavit, contulitque: utrique parti data est sua sanitas, & ideò dicitur: *Vade in pace.* Fructus sit gloB ria, & decus fimbriæ meæ, cui indidi virtutem, ut Auctor naturæ, Magneti suam. Fructus sit, spectantium salus, quam parturiet fama fidei tuæ, & documenta virtutis assumet: fructus sit posteritati futuræ, sacrarum exuviarum contactu, & lipsanorum potentiâ, stupenda patrari. Stetitne hic Christi mirabilis munificentia? nequaquam. Voluit pijssimus Jesus prodigiosâ miraculorum affluentiâ hunc contactum fimbriæ nobilitare: Paucis absolvamus. Tu vide Baronium in primo Tomo. Mulier animosa haud immemor beneficij, ante domum suam magnificam, in civitate sua Cæsarea, quam Græci Paneadem vocant (quamvis rara est diuturna memoria meritorum, in pulvere enim, & C aquis scribuntur) statuam æneam, Christo erectam, in columna sublimem dedicavit. Suam verò ex adverso aggeniculatam, & protensis manibus instar opem poscentis, cui statua Christi Domini decenti quâdam gravitate manum porrigere videbatur. Hoc trophæum munificentiæ, & magnæ gratitudinis monumentum, novo liberalitatis trophæo, & munificentiæ, Christus Dominus remunerans nobilitavit. Mirum dictu: ad basim statuæ Christi Domini ignota herba exoriri, quæ excrescens, ubi ad fimbriam diploidis pervenerat, eamque attigisset, non ulterius, quasi jam perfuncta naturæ studio, & imperio progrediebatur. Et actutum decerpta ad omnia genera morborum curanda sese offerebat. Plura alio loco. Vide Nicephorum D lib. 6. c. 5. & 10. cap. 30. de qua sanctus Marcus cap. 5. v. 25.

§. XVII.

§. XVII.

Ut Deus exigua obsequia paucorum verborum remuneretur.

SEdebat Pilatus pro tribunali totus anxius, animique ambiguus, instar cymbæ contrarijs ventis jactatæ, quò se inclinaret. Hinc Christi, Domini summa innocentia virum constringebat: inde clamoribus, minisque populi injustis appetitus terrebatur. Justitiam violare gravissimum scelus: opponere se, & obniti irruenti Civitati arduum; & ne Hercules quidem solus contra multos. Uxor Divinitus immisso somnio territa, ut uterque sexus Christi innocentiam testetur: marito denuntiat Christi innocentiam. Cohibeat proinde attentatum scelus, innocentiam labantem sustentet, & se subtrahat ruinæ futuræ. Succubuit tamen victa innocentia. Quid rependit tam exili obsequio Deus? smagna sanè, & inexpectata, & quæ omnem fidem excedunt. Teste enim Origene, Theophilacto, & Chrysostomo, Christum ut verum Messiam agnovit, & æternam assecuta est felicitatem. Hilarius verò Canon. 33. addit, & multa passam, & Christum claris experimentis fidei fuisse contestatam. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 23. *Lucebat in nocte gratia, Divinitas eminebat, nec sic à sacrilega sententia temperavit.* Pulchrè Divus Augustinus Serm. 121. de tempore: *In nativitate mundi, uxor ducebat virum ad mortem: in Passione Christi, uxor provocat maritum ad salutem.* Lucius Dexter in chronico in anno Christi 34. num. 2. sic habet: *Anno Christi 34. Christus Salvator mundi apud Pilatum reus agitur. Claudia Procula uxor Pilati, admonita per somnium, in Christum credit, & salutem consequitur.* Deinde Menelogium Græcorum addicit Catalogo Sanctorum. Unde & Nicephorus lib. 1. c. 10. Deinde in Epist. Pauli 2. ad Timoth. 4. creditur ejus facta mentio: *Salutant*, inquit, *te Eubulus, Pudens, & Linus, & Claudia*: & sanè tempus, locus, res gestæ, & inprimis Religio convenit. Illa quippè deserto merito, & in exilium acto, ob cultus disparitatem creditur Romæ permansisse. Siccinè ô Magne Deus tam magnificè antidoralia sequuntur paucula verba pietatis? tantinè pretij obsequium linguæ? ô felix mulier pio somno; filicior libertate defensionis; felicissima pro fide defensi potuisse mori.

Cum quanta usura uxor Pilati, Christo paucis verbis servivit.

A

§. XVIII.

Quanti pretij sit, velum offerre in sudoris levamen.

QUis dignus licitator obsequij à sancta Veronica Christo præstiti reperietur? Licetur velum, & sudor detersus. Quis non deterrebitur magnitudine pretij? Veronica sub Cruce Christum gementem, B fatiscentemque sub exitiali ligno consequitur. Ut videt Christum defectum viribus, & per tot dilaniationes exhaustum: ut videt Christum suo sanguine diffluentem, & vultum atratum, deformatumque, ebria dolore, rapitur amoris œstro, & per obstantes, densasque catervas, oblita se mulierem, pervadit ad Christum Dominum, cunctis audaciam Viraginis stupentibus Offert Christo sudarium, detergitur sanguis, sudori permixtus. Et quantulum hoc? At quo præmio? non alio, quàm ipso Christo.

Quanta liberalitate Veronicæ studium pensatum.

An non pars magna pretij fuisset, sacram contigisse dextram? Sat magna. At non sat magna Christo liberalissimo. Vul- C tui, & oculis, & genis, & Regiæ fronti, & labris, & capillis, & sacræ barbæ; & ori sacro sordibus, & illuvie obsitis deserviunt: vultus, oculi, genæ, frons Regia, labra, capilli, barba, & os sacrum solvant tributum Viragini. Non enim tanto humilis mulier triumpho. Formet, & pingat amatum Deum, Pictor amor: adhærescat velo infixus vultus, oculi, & quidquid spectabile, meum est in facie; donetur amanti. Non indebita poscit tantus amor.

Christus donum pensat seipso.

Ego sim merces, & pretium, ac proinde me habeat, quem unicè quæsivit. Venisti mulier conducta amore magistro, mercedem solvet meus amor liberalis. Dedisti linteum, ego mei corporis spolium, & D cum hoc spolio sacro, & æternam tui, & famæ claritudinem. Obtulisti linteum, & rapis tecum Deum Christum; & Christum, imaginem Dei Patris, cujus & ego imaginem dono in mea imagine. De te, omnis Posteritas, quamdiu, de me loquetur. An non ita est? In Arce totius orbis, Romæ scilicet singulis annis, Veronica loquitur, & extorquet lachrymas.

In ipsa Parasceve, cùm ipsa pulchritudo deformata spectatur, in Veronicæ seu Verenices velo, quis Romanorum, potens sui, lachrymas cohibuit? quis tam barbarus, &

A non ingemuit? Quis non animo colliquescit? cujus ossa etsi ferina non concutiuntur? Spectavimus aliquando imaginem Filij Dei, in quem desiderant Angeli prospicere, non imaginem Dei, non imaginem hominis, sed monstrum informe, horridum, cui omnis forma hominis adempta: *Non erat illi species, neque decor, & non reputavimus eum.*

Quid ita? non color erat vultui, sed totus vultus, livor. *Et nos eius livore sanati sumus.* Tibi, ô sancta Virgo, plus viri, quàm mulieris habens: tibi, inquam, totus orbis est vectigalis, ob nobile spolium orbi datum. Tibi debet hoc spectaculum salutarium lachrymarum, lachrymarum, omnibus orientis lapillis, & gemmis pretiosiorum. Digna tu es visa, cujus debitor esse Filius Dei voluit, jamiam moriturus. Adijsti hæreditatem fœcundissimi amoris, quâ totus orbis inscriptus hæres tuæ virtutis, ditaretur.

B Concludamus: Quantulùm hoc, & quàm exile obsequium? Attende; & quantâ munificentiâ redemptum? Vide Baronium anno XXXIII. Fuit Veronica in delicijs Dulcissimæ Matri Jesu, Virginique sanctissimæ. Voluit Filius eam suæ Matri consociari, & esse contubernalem, quæ Matris Filium, instar Matris circumferebat. Pepererat Virgo Mater Filium mundo, & Veronica eundem Filium: illa pulcherrimum: hæc pulcherrimè deformatum. Felix utraque, & felicior Virgo tanto suo bono, Veronica alieno.

Nunc utraque consociata suo infinito, lætamini felicitate æterni boni: Virgo ut Mater, Veronica ut famula. Hæc à morte Christi secuta sanctum Martialem, Burdigalem, missum Româ à Divo Petro, cum suo conjuge Amatore (qui vitam solitariam in rupe, quæ nunc vocatur Amatoris, egit, & ibidem sanctè obijt,) Burdigalis diem clausit extremum. ô felicem, & beatam mulierem! O beatam te, & amplius Matre Dei, Dei Filio!

Exitus Veronicæ.

§. XIX.

Quàm fuerit sui prodiga in virtutum consectatione.

QUàm fuerit prodiga sui, vide & specta ingentem apparatum prodigentiæ sanctæ.

An non omnia instrumenta cæcæ libidinis convertit in instrumenta virtutis? An non capillis fucatis usa est pro linteo? lachrymis, pro aromatico balneo? oculis, pro fontibus? erecto collo, pro scabello jam strato? pro doloso, & venefico carmine, verecundo silentio? & quæ frontosa ad perditionem, frontosior ad salutem.

Pulchrè sanctus Gregorius Homil. 33. *Quod sibi turpiter exhibuerat, jam laudabiliter Deo offerebat.* Oculis terrena concupierat, sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lachrymas tergebat. Ore, superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat.

Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta; convertit ad numerum virtutum, numerum criminum, C ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. Magdalena ergo nihil sui reliquum fecit, explicuit vexilla de triumphata vanitate mundi victricia, & quæ non sine plausibus orbi militarat, orbe calcato, se totam aversata, totam se Deo consecravit. Stat ergo quasi nova facta victima, cælestibus flammis consumenda, quæ priùs arserat dolosis amoribus peritura. Tota ergo in flammas, tota in lachrymas, tota in gemitus, lamentaque liquescens defluxit.

Quem finem, aut modum statuet confixa quasi cerva telo infiniti amoris? Nullum, nullum, quem enim faciet divinus amor, qui animam suis incendijs possidet inardescentem? Quis teneat lachrymas, suspiria, gemitus ad hujus mulieris lachry- D mas sine mensura fluentes? Bene ergo sanctus Gregorius Homil. 33. *Cogitanti mihi de Maria pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere.* Consideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. An non implevit illud sacrum epiphonema apud Baruch quæst. 28. *Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Ecce quàm vario, & multiplici studio, atque ingenio versat animum, atque omnia membra, ut multiplicatis auxilijs sese in Dei amati profundat obsequia.

Non

Non ergo, inquit, regnet amplius peccatum in corpore meo mortali, ut obediam concupiscentijs ejus: non exhibebo membra mea, arma iniquitatis peccato, sed exhibebo me tanquam ex mortuis viventem, & membra mea, arma Justitiæ Deo. Sicut ergo exhibui membra mea servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibebo membra mea servire Justitiæ in satisfactionem, Romanor. 6. vers. 19. quasi diceret: Nunc membra mea, quæ famula immunditiæ sunt exhibita, famula justitiæ exhibeantur: impendant obsequia ardentiùs justitiæ, quæ antè impensa nequitiæ.

Currant pedes ad liberandas animas, quas currendo corrupi: protendebantur manus ad omnem levitatem, nunc protendantur ad omnem Sanctitatis numerum: oculis percussi animas innocentium, nunc innocentiâ oculorum castigabo lascivos; oculis fascinavi mentes, laqueos injeci: oculis castis solvam fascina, & laqueosque. Oculi circumspiebant ad concupiscenda aliena, nunc circumspiciant pauperes, ad miserendum, & dandum propria. Eia eia membra mea multiplicate vos in immensum, non enim sufficitis meis votis: aptate vos ministerijs novis, aptate vos virtutibus; implete avara mea vota, quibus non sufficit totus orbis.

Errastis à Deo: decies tantùm, & hoc parum est, centies, millies; & hoc parum, & exile est; infinities in infinitum protendite actus virtutum, & ad omnem sanctitatem vos convertite, & requirite, quem amiseram Deum meum.

Quis dabit, ut sint mihi tot corpora, totque animæ, tot linguæ, quot numerat clauditque oceanus guttas, & quot vastus orbis arenas; & quod si forent ἐναρίθμητοι, id est, numerabiles, illas nolim, sed quas ambierim innumeras.

Quid æquius, quàm infinito Deo, infinitè à me offenso, innumerabiles laudes, & æternâ gloriæ dicare trophæa? Quis æquabit votis facta? Hæc Magdalis.

§. XX.

Vt lacrimæ silentes, mutæque, & liberales, provocarint effusam Dei liralitatem.

QUemadmodum catastæ gressum, & cataractæ, molesque oppositæ, oceanum furiosis undis insanientem comprimunt coërcentque, sic immanis violentusque dolor corde clausus, vocem intercludit, & per imbres oculis missos densatosque laxat gravidos æstus dolorum. Videamus, ut impatiens moræ, & lamentabili mœrore confecta in domo Simonis Pharisæi declinabit, & effundet anxiam animi saucij tempestatem. Noverat se famosam mulierem, impiè educatam, vexillum ferre perditæ vanitatis, & ingentem peccatricem. Noverat quâto morbo laboraret; noverat jam medicum sui morbi potentem. Stimulat dolor, amor addit alas, irruit non invitata in locum convivij, pia impudentia: quærit medicum irrigundum lachrymarum. Ubi invenit; quos presserat, violentos luctus solvit, & plenas habenas immitit oculis flendi auidis, & muta silensque tota liquescit: ut solet opposito Soli grandis nubes in densas pluvias solvi. Super convivias, inquit Gregorius homil. 33. ingressa est, non jussa venit, inter epulantes, lachrymas obtulit. Discite, quo dolore ardet, quæ flere, & inter epulas non erubescit. Apprehendit Christi Domini sacros pedes, & imbribus confertis eos lavat, nullus lachrymarum modus, & pedes lachrymis, & lachrymas lachrymis lavat. Ite, currite, properate lachrymæ, lachrymas lachrymis rigare juvat. Oculi, manus, os, capilli, digiti currite in obsequia, nec oculi flere, nec manus lavare, nec os osculari, nec capilli detergere, nec tornatiles digiti ungere pedes cassate. Impleatur caput aquâ, tumescant oculi, rigentur genæ, deccurrant rivuli, una salus miseræ, pedes lachrymis circumfluos meis amplexari. Ecce pie Lector, ut omnia dignitatis suæ ornamenta velut luxuriæ instrumenta deponat, & uni Christo Domino consecret in æternum. O bonæ lachrymæ, quæ non solùm possunt nostrum lavare delictum, sed etiam verbi cælestis rigare vestigium! bonæ lachrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorum, sed etiam refectio justorum! Verè bonæ lachrymæ, quæ non solùm maculam criminis diluunt, verùm etiam immensam conciliant Dei gratiam Creatoris! Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postularit,

postularit, accepit: post multos enim imbres serenitas, post multas lachrymas, & post cælo inhærentes oculos à cælo mittitur in spem pacis ramus olivæ. Quid non impetraret mulier, cujus oculi præ lachrymis deficiebant? Attende amice Lector, quæ non detulerit Christi Domini summa liberalitas lachrymis silentibus unius peccatricis? ecce ubi fudit lachrymas cordis, & Domini pedes irriguo fletu, & integrâ confessione lavit cordis, ubi capillis lotos pedes tersit, ubi oscula dedit, ubi unxit, an non ingens clamor sine voce, Christi pectus emollire, pectus ferire, & ad remunerationem provocare? Pedes abluit, seque in illis abluere: crimina, & criminum supplicia remitti; venit immunda, redire munda: accessit ægra, discedere penitus sana, non dilecta, dilectissimam creari, filia tenebrarum, fieri filiam lucis, & ex lebete in phialem, ex vase contumeliæ transferri in vas gloriæ, Judicem iratum accipere patronum, & hæredem cæli, cælo inscribi, & sanitatem redeuntis innocentiæ cum serenæ conscientiæ suavitate deferri. Verè remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum. O felix mulier! cujus lachrymas dispersit cum sole Deus, & orbem cælesti rore fœcundavit. Quæ pars terrarum ignorat luctus Magdalenæ? an non irrigatur illis totus orbis? dum Apostolicæ prædicationis gloriam suis lachrymis impetratam instar vatis, & Apostolicæ Deum Crucifixum annuntiavit. Quanta vis, & potentia in silentibus mutisque lachrymis.

§. XXI.

Quanti æstimârit unctionem Magdalenæ Magnus Deus ex fructu remunerationis.

Quid commemorem Magdalenæ ingentis animi decus, & generosissimum magnanimum factum, Matthæi 26. Jorn. 12. omnibus sæculis dicatum? In domo Simonis Leprosi (Leprosus vocatus, vel à cognomine familiæ, ut apud Romanos Claudij, vel Balbi à Balborum origine: vel quia leprâ maculosus, à Christo Domino fuerit emaculatus) magnifica instruitur cœna. Christus Dominus cum Lazaro, ex se renato, & discipuli convivæ. Ubi Magdalena? quid illi dulce sine fratre, suis lachrymis empto? Insomnis & pervigilans amor nova commentatur consilia. Quæ prodigus amor non elaborat amato? Unus illi Christus Jesus, qui salutis Auctor. Mulier ergo tot nominibus, & gratiarum debitione, rea, quæ ante biennium Christi amati pedes pœ-

A nitentiâ, & vitæ retractatione colliquescens, fontibus irriguis lachrymarum laverat, unguentoq; fluido perunxerat; nunc sex dies ante Christi destinatam mortem, quasi præsaga, Alabastrum, id est, vas unguentarium factum ex Alabastrite, subtile, & instar vitri fragile, plenum nardi unguento liquido, eoque pretiosissimo, quo prisci, ut ait Plinius lib. 13. cap. 1. in lautitiam convivij capita ungebant, intulit in locum convivij. Quid non mortale pectus cogit amor? ô amor fœcundus operum, ut se componit operi immortali? An non hæc mulier, omnem curam corporis sui, quod ungere docta, nunc cum toto mentis affectu transtulit in Christum? intuere apparatum bellantis amoris, ut membra quondam mundo militantia,

B militent Christo Domino. Capilli quondam ad numerum compositi, & madentes cincinnorum fimbriæ, Christi pedes non indecoro pulvere sordidos (Christus enim, ut olim Christiani in pedum tutelam sandalijs utebantur, quibus nec pes desuper tectus, nec nudus ad terram) nunc sine ordine, & lege fluidi detergent, detersos officiosæ manus ungent nardo, & quæ non oscula Deo plena, Deo impriment labia corallina. Steterat olim retro pedes tumidis gravida lachrymis, nunc flammis amoris, flammeâ summâ adhibitâ observantiâ, stringit, versat, ungit iterum atque iterum, & ab osculis ad nova se parat, urgetque: nec finem facit amandi, quæ finem fecerat peccandi. Tota erat *Descriptio operis Magdalenæ.*

C plena amato. O Magdalena, finem, & legem statue amori. Et quis amori statuit legem? an non vides te omnium oculis peti? an non ora hiantia in te conversa? Sat tui spectaculum dedisti: silent omnes, tu mutam personam Mulier agis? friget mensa ubique. Nihil illa moratur, usque adeò intenta operi, infremuêre quidam: virtutis comes semper invidia. Nil fremitum, nil iras moratur. Cura unius Christi versat animum. Deserit perunctos nardo, at magis floridos lachrymis pedes, nondum satiata osculis, avellitur tandem, ad majora jam procincta tendit. O audax, & ingeniosus amor! audet, tanta est fiducia amantis, &

D verticem Christi sacrum, caputque Angelis spectabile, tremendumque contingere. Confringit ergo Alabastrum, teste Marco 14. cap. vers. 4. (levi enim contrectatione digiti rumpi poterat) totumque quidquid inerat unguenti, sacrato infudit vertici. Madebat ergo Christi Domini sacrum corpus, & leniter diffluebat manantibus undique guttis, sacra vestis. Tota ergo mensa, nec solùm mensa, sed & tota Domus repleta est odore unguenti. Parum dixi: an non totus orbis adhuc madescit delibutus hoc odorifero unguento? Planè. Exhilaratur orbis, dum hos calentes, spirantesque Magdalenæ insolitos legit amores.

Nunc

Nunc metiamur magnitudine præmiorum, horum actuum pretium, & æstimationem. Obtinuit Magdalena comparem æquationem æternæ memoriæ cum Christo Domino, *Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium* (Euangelicæ, scilicet, vitæ meæ historia) *in toto*, scilicet, *mundo dicetur*; Arabicè, *commemorabitur*. *quod hæc fecit in memoriam eius*, Magdalenæ scilicet, ut ex Græco αὐτῆς patet: quasi diceret Christus sentiens se Mulieris debitorem, curabit publicari Magdalenæ deliciosos amores, qui pennis auratis, plausibusque omnium ora pervolitabunt. Liberalitas Mulieris incedet indiviso comitatu, hospesque meæ gloriæ, & hæc faciam in memoriam ejus.

§. XXII.

Deus in una Magdalena memoriam, & imaginem summæ suæ liberalitatis universitati reliquit expressam.

Cum venia lectoris primùm ostendam, quàm fatale fuerit monstrum infamis prodigentiæ, & insanientis lasciviæ Magdalena. *Deinde* quàm fuerit prodiga sui in virtutis, & amoris divini consectatione. *Tertium*, quãtam liberalitatem Dei provocarunt silentes mutæque lachrymæ. *Vltimùm* quanti æstimarit unctionẽ Filius Dei suo corpori exhibitã.

Altera venus Magdalena.

Erat Mulier peccatrix in Civitate, Regiâ, scil. toto orbe celeberrimâ, (quamvis nonnulli Naim Civitatem hanc velint) quæ formæ fiduciâ, specie formosi corporis, & flore juventæ Civitatem Dei, ut Corinnis Romã olim per suos amores, subigebat. Dixisses Homeri Venerem in suâ Iliade, quę cęstu suo, Deos, & Martem, Jovem, & Vulcanum ferreum suis illecebris vinciebat. Accipe paucis Homerum:

Sic ait, & coràm castum de pectore solvit,
In quo blanditiæ plures mortalia corda
Mulcentes inerant: sermo jucundus, amores,
Gratia, quæ mentem falsâ dulcedine fucant.

Hoc vultu Julia, Titi Magni filia, Domitianum quamvis efferum sibi subjecit, in cujus Victoriæ memoriam ille statuam Juliæ dicavit, quæ manu cæstum porrigebat. Dixisses Magdalenam omnibus dotibus blandientis naturæ circumfluum florem, quæ posset regnum, hoc ore meteri:

Pulchritudo Magdalenæ.

Quæ propior sceptris facies? quis dignior aula
Vultus erit? non labra rosæ, non colla pruina,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quam vincto leviter sese discrimine confert
Vmbra supercilijs? miscet quàm justa pudorem
Temperies? nimio nec sanguine candor abundat.
Aurora vincit digitos, humerosq; Diana.

Potentia vultus.

Dominabatur his armis in Civitate peccatrix; vel ut alij volunt, in Civitatem, id est, adversus Civitatem. Dictu infandum atque nefandum, unam feminam sine armis, imbellem bellare adversus Hierusalem Civitatem Dei, terrestrem, supernamque. Hâc arte imbelli, Princeps tenebrarum erigit suæ tropha victoriæ, de triumphatis bellicosissimisque viris: his telis desudat sua prælia. Quid ferri duritie pugnacius? an non cedit, & patitur moras, & à vili & obscuro lapide magnete retrahitur tanquam sub jugum jussum? Incredibile dictu: domitrix omnium rerum materia, ad inane quid depropérat, quasi vinculis ligata, & complexu hæret. An non fidem videtur excedere, virum sapientem, Religiosum, & virtutibus ferreum domari inani vultus aspectu? ô facies cadaveris insidiosa viris fortibus? Nulla hîc spes victoriæ, nisi Parthicè pugnando, & in fugâ. Hoc mollissimæ pugnæ consilio, Madianitæ populum Dei sanctum, invictumque domuêrunt, idoloque initiârunt. Suaserat Balam impius, suis armis scil. mulierum, populum sanctum, non virorum expugnari; & armorum vice, corporis molli venustate cum Israëlitis decertandum. An non luctuoso successu? Magdalena ergo non lanceâ, vel hastis, non acuti cuspide ferri, non ensibus, vel pilis, sed solâ formæ lasciviâ pugnabat. Labia meretricis letifera tela, favũ melle venenato distillant. Contra hoc monstrum erexit se Dominus Jesus, & Arcem à Dæmonibus insessam aggressus est. Alexander Magnus Ahornum, id est, sine avibus arcem, ob altitudinem avibus in sessam expugnavit: hanc mulierem, dæmonum arcem expugnavit, voluitque vitia esse illustramenta suæ misericordiæ, & arcem dæmonum, Aram suam, & asylum peccatorum in ostentum suæ liberalitatis. An non omnibus spei, nullus hunc desperationi locus relictus. Comparavimus hanc peccatricem arci, elegantiùs tamen Luco, quem bellator Gedeon excidit, assimilarim, Judicum 6. qui & Jussu Dei, infame sacrificijs Altare Baal funditus evertit, Deo summo suum erexit. Lucum opacum, & verbo utar Apuleij, illuminum densis arboribus succidit, lignisque Idolo sacris, duorum taurorum victimam incendit cremavitque. Magnum & arduum facinus, objicere se furenti populo, & funereâ clade vertere triũphos Balaam. Cernis hanc peccatricem? quid vides nisi Altare Dæmoni sacrum? ubi tot victimæ Dæmoni cadũt, quot animæ seductæ. Quid egit Filius Dei? prostravit hanc mulierem, Dæmonum Lucum, quem excidit, destruxit Altare hostijs animarum infame, ijsdem lignis quibus litabatur, id est, oblectamentis sensuum, ipsam mulierem, tanquam sacram victimam immolavit, cremavitq;. An nõ oculi prædones, genæ, frõs, lascivi capilli, os impudicitię præco, totum deniq; corpus cum suo apparatu cessit in hostiæ incendium? an non facto consummatũ, quod Mag. Paulus posteà intonuit? *Sicut exhibuistis mẽbra vestra servire immũditiæ, & iniquitati ad iniquitatem;*

Forma vincit optimos sæpe viros.

Arx dæmonis invicta Magdalena.

Magdalena Lucus dæmon jacet.

ita

ita nunc exhibéte membra vestra servire Iustitiæ in satisfactionem. Mare amaritudinis, factum est dulcedinis: *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis quia conversus es retrorsum? à facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Erexit ergo sibi Filius Dei Altare, & elevavit supra terram, à verbo enim αἴρειν, id est, elevare dicitur Altare, in quo sacrificabitur illi, æterno igne, *ignis enim in Altari Dei semper ardebit.* Levit. 6. vers. 12. Gregorius homil. 22. in 7. cap. Lucæ. Quid est Altare, nisi mens benè viventium, qui peccatorum suorum memores lachrymis se lavant, carnem per abstinentiam macerant, ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur, juxta illud Apost. Rom. 12. *vt exhibeatis corpora vestra, Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Opus fuit ingenti gratiâ, mulierem florentissimam, & ingenio, & formâ, & opibus, quæ spem in semetipsa, suisque præstigijs ponebat, quæ Deum, hominesque despiciebat in diversa trahere. Magnum negotium sibi parat, qui mulierem, & navem Format. Hoc negotium aggreditur Christus Dominus tanquam supremam suæ indeficientis liberalitatis curam. An non rectè Corpus navem vectoriam vocaris? Et animam hospitem Corporis, & navis rectricem. Intueamur Magdalenam ignaram suæ felicitatis instantis, suæ vanitatis ventis obsequentem. Sulcabat maria vanitatis Magdalena navi formosâ, in quâ remigabant Pharetrati cupidines, auratâ puppi, velis passis purpureis, remigio argenteis ducto remis: ad tibiarum, fistularum, & Cithararum modos vivebat. Ancillæ formâ præcellentes, Nereidum, & gratiarum modo amictæ partim assistebant, partim suffituum copiâ odores fragrantissimi domum replebant: ipsa denique Magdalis inter omnia spectacula, sublimior eminebat. Inerat voci suavitas, & lingua velut multarum fidium organum concors. His accedebat consuetudo aculeos emittens inevitabiles, cum sermonis illecebris, quibus omnes capiebat. Dixisses Circen, vel aliam Cleopatram. Magnum ergo negotium sibi comparavit Christus D. ut hanc navem dissolveret. Vehebatur ergo hæc navis dulcibus favonijs: fluebant omnia ad votum: illa per domos, per theatra, convivia celebrabâtur. Montes Magneticos describunt Historiæ in partibus poli nostri exstare, undè Magnes Polum, velut natalem domum quærit spectatque: quos montes si navis etiam suis compagibus firmissima, ventisque violentis feratur, jaculo pernicior abrepta prætervehatur, subitâ & occultâ potentiâ sisti, totam côpagem solvi, clavos contortos educi, anchoras tolli, & quidquid est ferri, quasi in prædâ auferri. Est videre triste naufragium, ut tabulæ, vela, malus, ut merces, gazæ, purpura, & vestes natent fluitentque: est audire voces clamoresque pereuntium; qui antè celeuma canebant. Occulto igitur dolo, & occultâ potentiâ hauriuntur omnes fluctibus. Magdalenæ navis omni instructa lasciviâ accessit, inscia futuræ suæ felicitatis, ad montem Magneticum Christum Dominū. Et ecce tota solvitur compages vanitatis, ferrea rumpitur voluntas, mergitur voluptuaria vita, solvuntur vincula, compedes dissiliunt, & ipsa denique mersa profundo, pulchrior emergit, nec se noscit, sed se aliam à se miratur. Eia Cane celeuma felici exitio Magdalena: clama, & ingemina; *Dirupisti vincula mea, sacrificabo tibi hostiam laudis.* Magnes, magni amoris, traxit me, *curramus in odorem unguentorum tuorum.* Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum. *Abi post vestigia gregum tuorum*, dicam hœdorum tuorum, id est, insaniam tuorum sensuum: illi tibi vice speculi fungantur, ut contempleris pristinam tuam deformitatem.

Psal. 113.

Magdalena conversa qualis.

Descriptio Magdalenæ navigantis.

Apparatus Magdalenæ.

Magnetici montes naves abripiunt solvuntque.

Christus verus magnes solvit navē magdalenæ.

§. XXIII.

Ad tria summæ liberalitatis Divinæ argumenta in Magdalenam veniamus, quam præ ceteris dotavit Deus.

TRia sunt summę liberalitatis, & dilectionis signa, quæ extra ordinem dilectis suis solet Magnus Deus exhibere, ex abundantia magnanimæ liberalitatis provenientia.

Primum signum. Sui rerumque omnium cessio.

SI quis cælestibus desiderijs saucius abalienationem cessionemque rerum charissimarum molitur; quod quia sine Numine Dei, confici non potest singulari Dei, & liberalitate gratiæ datæ benevolentiâ sanctè peragitur. Abdicare enim se rebus omninò & seipso, ingentis operis est. Hic mihi videtur non absimilis Regio palatio, undique flammis furentibus correpto, obsessoque, cui nihil superest, quàm ut in seipsum depopulante incendio subsidat. An non tum festinatis pedibus, manibusque tumultuariè per ostia, per fenestras, per semidepastos labantesque parietes, tapetes, unguenta, vestes pretiosæ, quidquid denique auri, argentique obviàm venit, deorsum præcipitatur? Regiam Magdalenæ mentem ardor incendij depascens invaserat, erumpebant undique flammæ, quidquid olim terrenâ contagione, & scelerum fœditate contaminatum, sensibus omnibus, & totâ mente exterminatur, ejicitur, nec unquam revocabile proscribitur.

In incendio domus omnia eiiciuntur.

Domus Magdalenæ incensa.

tur. Tanta est potentia divini amoris, ut quondam dilecta, placitaque carni à se projiciat; juxta illud Isaiæ 30. *Contaminabis laminas sculptilium argentum, & vestimentum conculcabis auri tui, & disperges ea, sicut immunditiem menstruatæ.* Imitata est Maria Magnum Moysem, qui vitulum aureum confractum, combustumque & redactum in pulverem dispersit in ventum. *Ite, inquit, fallaces & avolaturæ voluptates: ite repetitiæ, viles, degeneres, & infames, & dignæ flammis æternis illecebræ. Vos publicâ repudiatione, decretoq; æterno detestor, calco, & æternâ morte, & oblivione condemno. Pereat corpus pabulum mortis, quod amari potest oculis, quibus solo*: utamur melioribus ignibus, crememur cælestibus flammis; tunc demùm beata, si nihil, præter cineres, supersit, mei. Hæc mutatio dexteræ excelsi. *Ordinavit Christus in illâ charitatem.* Cantic. 2. Quid est, ordinare charitatem? nisi juxta aliam versionem, ponere in eâ vexillum charitatis? Quid est, ponere in eâ vexillum charitatis? nisi vexillum erigere victoriæ in arce, jam domitæ civitatis? Quid est, erigere vexillum victoriæ? nisi omnia cessisse victori, omnia dedita transiisse in jus, & potestatem alienam, omnia fræno servitutis esse supposita, debellataque? Magdalena ergo omnibus humanis projectis, novis amoribus indulgens, ebriaque, nil nisi Deum secum volutabat: & quemadmodum Dei amatores, Dij per amoris ignem efficiuntur; ita Magdalena jam per amorem, ut ita loquar, erat Deificata. Miraris hoc? an non qui latronem amoribus suis fovet, circumfertque, justâ quâ latro lege multatur? an non ideò quia potentia amoris, naturam, & sortem latronis induit, inseritque sibi? An non qui *Prophetam recipit in nomine Prophetæ, mercedem accipit Prophetæ?* Matth. 10. An non ideò & Propheta, & Prædicator efficitur? An non is, qui divino concitus amore; cuncta sua bona Deo resignat donatque, Dei mercedem accipit? Planè. Et quam mercedem donat Deus sui amantibus, nisi seipsum? Ipse ergo merces Deus; qui merces esse non potest, nisi possideatur. Diligenti ergo Deum, solus Deus possessio est, & merces. Amans ergo Deum, Deus efficitur, & impletur quod scribitur: *Ego dixi: Dij estis.* Psal. 81. *v.* 6. & *Deus charitas est,* 1. Joan. 4. *v.* 8. & *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et sicut Pater æternus, cum Filio suo æterno per amorem unum sunt: sic & amans Deum per amorem cum Deo sociatus coalescit, & unum sunt; juxta illud: *Vt unum sint, sicut nos unum sumus,* Joann. 17. *v.* 12. non unitate substantiæ, quod mortali contingere non potest; sed mutui amoris: summus enim ille opifex rerum est, qui amantes transfert in amatos, ut duæ animæ in unam coalescant. Thren. 1. *De cælo misit Deus ignem in ossibus ejus, & erudiit illam.* Qualem ignem? qui suo ardore intulit omnibus pravis affectibus deflagrationem. Qualem deflagrationem? ut ipsa facta tota

Ordinavit Deus charitatem in Magdalena, & quid hoc sit.

Mulier peccatrix jugata Deo.

A cinis, & cinerem tanquam panem manducaret, & in cinere suo, ut instar ingentis Asiæ suprema Regia Troia viveret sepulta, viveret amati, non suo spiritu. Quare & erudita, & exæstuans cinis clamabat: *Nuntiate dilecto meo*; meo, quem lachrymis emi; meo, quem solum ardeo; meo, in quo vivo, *quia amore langueo.* Langueo, ut Rosa solet adusta Sole, vel nimiis gravida pruinis. Nuntiate dilecto: Surge, propera dilecte mi; sin minus, nihil quidem cineris, jam incinerata, invenies mei. Felix si facta cinis; ex hoc cinere, velut satu patris, matrisque conceptu natus prodibit orbi felicissimus divinæ liberalitatis Phœnix, qui suâ raritate commendatus, optimam præ omnibus ferè Sanctis partem elegit. An non

B optimam partem elegit Judice Deo? an non primordia conversionis adeò erecta, sublimiaque, ut vix ullius Sancti (de sanctissimâ Virgine nullus hîc sermo) illis possint adæquari? de quibus dicitur Ecclesiastici 18. *v.* 6. *Cum consummaverit homo, tunc incipiet Deus.* Magdalenæ quàm fortunata auspicia! quanta claritudo primæ originis! optimam partem in studij sui ingressu elegit jam consummata. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*; illa dum inchoat vitam, novæ vitæ eam perfectione consummat. An non initium conversionis fuit coronis consummatæ charitatis? *quoniam dilexit multum*; & ideò optimam partem elegit. Qualis fuit illa dilectio? fuit dissolutio, & ut ita dicam, liquefactio sui, sicut ferri per

C ignem, Psal. 106. misit verbum suum, sanavit illam; flavit spiritus ejus, & fluxerunt aquæ. Fluunt quippe metalla igne domita, instar liquidarum aquarum; juxta illud: *& fluit ut rivus.* Quid mirum, si instar guttarum liquidarum tota difflueret? Igne domari ferrum non potest, nisi ventus comes operis adsit, spiretque. Carbonibus ergo Spiritus sancti afflatu succensis inarsit, & liquefacta est tota. Volavit ad Isaiam *cap.* 6. unus de Seraphim, & in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os Isaiæ, & dixit: *Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.*

Attende Lector. Et quis erat iste calculus? Apud Hebræos, & Septuaginta habe-

D tur ἄνθραξ, quæ vox duo designat, carbunculum, vel carbonem ignitum. Sanctus Hieronymus carbunculum est interpretatus. Calculus, inquit, iste, quia Solis Septuaginta ἄνθραξ dicitur, potest non carbonem significare, vel prunam, ut plerique existimant; sed ἄνθρακα, id est, carbunculum gemmam, qui ob coloris flammei similitudinem, igneus; ex quo intelligimus altare Dei plenum esse carbunculis flammeis. Verùm sancte Pater, cur dicitur forcipe sublatus? an non quia ignitum carbonem designari voluit? An altaris ignis carbonibus alitur, nutriturque? quomodo ergo lapidem carbunculum dicemus fuisse? Verùm multi putant cum S. Hieronymo, carbones ignitos nu-

Quomodo sanavit illam, quia liquefecit.

Carbo ardens Magdalena.

tritos fuisse vi igniti holocausti, & conversos A fuisse in carbunculos pretiosos. Ad Magdalenam non missus Seraphinus; sed Filius Dei demoliturus opera dæmonis. Ille carbone ignito purgavit labia, & animam ejus denigratam super carbones, Threnor. 4. hisce verbis Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Effusi ergo carbones igniti super caput ejus, & commutati sunt in carbunculos flammeos, quibus ornata sic exarsit, ut per contemptum rerum omnium, omnes mortales incenderit, & baptizata in Spiritu S. & igne; spiritus, & ignis, sicut Deus spiritus & ignis, sit effecta; ut juxta Zachariam 14. *sordidus lebes fit facta phiala; & de vase contumelia, vas in honorem.* Dexteram, & collum ejus cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auri- B bus ejus inæstimabiles margaritas: posuit signum in faciem ejus, ut nullum præter Christum amatorem agnoscat. Finiamus primum signum summæ dilectionis divinæ, quæ fundatur in absoluta rerum omnium humanarum renuntiatione, perfectoque contemptu; quam ardentissima Dei charitas excitat, perficit, atque consummat. Benè S. Ambros. *cap. 4. de fide* ad Gratianum Imperatorem: *Dilectio superat omnia vitia.* Ita, ita est Pater sanctè. Ignis omnia domat, superatque insuperabilia. An potuit Hercules domare hydram suis damnis crescentem, ferro? nequaquàm. Igne victore domuit, Ignis renascentia abscissis capita, cohibuit, ne renasci possent. Magdalena igne victore domuit mundum: Exspoliavi (inquit) C me tunicâ carnalis amoris, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? victa est hydra septem capitum igne meo: omnia contempsi, & omnia possideo. Perpetuum canam: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* & soli uror, ardeo, & ignesco magis, quia meus ignis, in igne; Deus enim ignis est. Illa jam non sua, clamabat: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, ad Galat. *cap. 2. v. 10.* Clamabat insuper: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitrata sum propter Christum detrimenta; verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Dei mei, propter quem omnia detrimentum feci, ut arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Ardentior est textus Græcus, qui D sordes rerum humanarum vocat σκύβαλα, quasi κυσìβαλα, ait Suidas ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι, id est, rejectamenta quæ canibus objiciuntur, ex bestiis in macello extracta, ad quæ canes furiosè depræliantes inter se furiosè convolant, atque decertant. Ecce quo in honore sint ambitiosæ mulieri, totius orbis opulentæ deliciæ? qui enim Christi amore captus fuerit, talis renascitur, qualis esset homo solus super terram magnus habitator. Mortuus mundo vivit, & sicut nos ipsi corpora mortua videmus, ridet omnia, quia *Christus erat illi vivere, & mori lucrum.* Solis lachrymis intenta pascebat suos amores; unus solus ob oculos noctuque diuque venit, unum curat, nec aliud curat quàm ne curet. Ignis in igne est, & lachrymæ in lachrymis & in suspiriis suspiria; tota est ubi amat, non ubi animat anima.

Quantum fieri potest.

Amor omnia vincit.

§. XXIV.

Secundum signum summæ liberalitatis est intima & summa familiaritas, quâ amator seipsum in amatum profundit.

Intima, proxima, domestica, & in omnibus rebus conjuncta familiaritas, summæ dilectionis signum, si inter dissitos genere, potentiâ, & opibus coalescat. An non plena voluptatis jucundissimæ vita, amicitiæ veris bonis, & suavissimi convictus deliciis temperata? Cui (Matre Dei semper exceptâ) mortalium contigit sors tantæ familiaritatis cum Christo Domino, quàm uni Magdalenæ? omnia in Magdalena loquuntur Christi sanctos amores: vox, oculi, silentium, facta & dicta exprimunt fiduciam cælestis consuetudinis. Stans retrò amplexa pedes, secum ait: Tenui, nec demittam eos. imprimens oscula, secum tacita obmurmurat: Osculor osculo oris mei. Capillis vincit Samsonem amatum, eumque vulneravit in uno crine colli sui. Et secum hæc: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Infirmatur Lazarus: & ecce sorores mittunt ad Jesum nuntias, amoris intimi, voces: *Ecce quem amas, infirmatur.* Non supplices lachrymas legant; non blandientes, & demissas preces insinuant; utuntur amicitiæ privilegio, sufficit amanti indicasse. quasi dicerent: Adjuramus vos filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei. Quid? quia dolore, & amore morimur: *Ecce quem amas, infirmatur.* Non enim amas, & deseris: tres amas animas, & tres simul infirmamur; frater corpore, & nos in fratre. Uni si subvenis, tres servâris: Ecce quos amas, infirmantur. Non supplicationes decernunt, non muneribus invitant. Codicillum scribunt mittuntque quatuor verborum. O fiduciam arctæ amicitiæ! Quod Ephestion Alexandro; hoc Alexander Ephestioni. Non benè conveniunt Majestas & amor, non in unâ sede morantur. Petrus clamat Luc. 5. v. 8. *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Centurio Matth. 8. v. 8. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Hæ ausæ dicere non roganti similes, sed quasi imperanti: *Ecce quem amas, infirmatur.* quasi dicerent, Si amas, veni. Nullum imperium majus imperio amoris. Imperat Deo, qui fortiter amat. Quid non audet familiaris amor! Apostoli stant avidi sermonis divini, Martha rerum suarum satagit: illa ad pedes, quos laverât, sedet. Cùm Esdræ 3. *lib. cap. 3.* concertatio institueretur, quid-

Signa fiducia familiaritatis.

Aliud fiducia amicitiæ.

quidnam esset fortissimum; & tertius dixisset, A mulieres præcellere & Regi, & vino. Nónne stabant Principes attoniti, cùm spectarent amabilem licentiam concubinæ Regiæ, quòd formæ,& amoris fiduciâ, tantum auderet; ut Regem palmâ sinistrâ cæderet,& Regio capiti sublatum diadema,imponeret suo: Regem verò usque adeò suæ Majestatis oblitum, ut aperto ore illam audaciam intuens, probaret; & si arriserit, ridet: & si indignata ei fuerit, blandiatur, donec reconcilietur in gratiam? At hæc hominis in hominem potestas. Verùm quantùm licuit quondam peccatrici, at reconciliatæ Deo, in ipsum Deum? Pedes prensare, exosculari, vincire, unguento imbuere, sacrum divinumque caput odorato flore aromatum oblinire, perfundere, omnia denique posse. Quis explicet intimos Christi amores in hanc mulierem? In convivio, damnatæ suscipit patrocinium, encomium, & laudes fabricat; optimam, inquit, partem elegisse deprædicat. Marthæ sororis querelas extenuat, & hujus causam perorat. An non se huic mulieri apud sepulchrum tumultuanti, ante omnes spectandum dedit? an non ebullientes lachrymas nomine proprio compellando composuit? An non à Christi in cælum ascensu vitam Angelicam peregit? An non annis triginta rupis Palatina & socia juxta Massiliam, vestita capillis? ut canit Petrarcha:

Stupenda amicitia.

Hic inclusa libens longis vestita capillis,
Veste carens aliâ, ter denos passa Decembres diceris.

Quid aliud fuit horrida rupes, quàm domicilium amantium? an non septies interdiu stipata beatis mentibus, quarum subnixa dextris rapiebatur in cælum, ut Christo amato decantaret amatoria sua; juxta illud Ezechielis 8. *Et emissa similitudo manus, apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter cælum, & terram: & adduxit me in Hierusalem in visione Dei.* Quis enarret delicias, quibus pascebatur, quæ tantò majores, quò nobilior anima, corpore.

§. XXV.

Tertium signum summæ & ingentis liberalitatis in amatum, posse grandia facere, nihil arduum declinare.

Romanorum olim fuit, fortia agere, & pati. Proprium huic Viragini; nulli succumbere fato; nihil grande, magnum, sibi non possibile. Semper virtus tendit in ardua. An non Heroinæ magnæ facinus, irruere injussam in convivium virorum, nullo pudore vinci, pedes viri prensare, illachrymari, signari oculis, notari sarcasmis, sine fastidio persistere? Injice in pelvim denarium, qui sine aquâ vix videbatur; at illa superfusâ, & terminato opaco fũdo, pelvis instar speculi admittit species, quæ reddunt imaginem denarij, qui sine aquâ vix cõmodè videbatur. Quid consecuta Maria hoc heroïco facto? Christus, qui sine lachrymis non videbatur, clarâ luce liberalissimæ misericordiæ refulsit: in diluvio aquarum multarum, comparuerunt species summæ clementiæ. Unde dicamus cum Psal. 47. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Ubi Augustinus: *Signatum est lumen in nobis*, tanquàm denarius signatur in imagine Regis. Anima fit diaphana, & translucens candore ardui operis, heroicæ, scilicet, confessionis. An non grande opus, in summa rerum consternatione Christo mortuo, cùm omnes, luctus, mœstus, pavor, & horror tyrannicus B occuparet; unam mulierem per tenebras alatis passibus, interritam adire sepulchrum milite obsessum; speluncam ingredi, omnia fletu, & fœmineo ejulatu permiscere, hac, illacque indefessam, easdem legere, & relegere vias, non terreri aspectu fulmineo Angelorum, rogata non dare responsa? Major vobis est, quem quæro, unum quæro. Quidquid est creatum, nolo; non Angelos, sed eum qui fecit Angelos, quæro. Onerosi sunt omnes consultores: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum?* Joann. 20. v. 13. illum quæro, unum desidero. Quid agam? si juxta monumentum maneo, non inveniam illum: si recessero, quò ibo? Stabo ergo, & moriar, & C utriusque unum sit sepulchrum. Offert se Hortulanus, qui Christus: *Mulier*, inquit, *quid ploras?* Non poterat Christus diutiùs nobile factum amantis mulieris occultare: *Mulier*, inquit, *quid ploras? quem quæris: Domine*, inquit, *si sustulisti illum, dicito mihi, & ego illum tollam.* Tu imbellis mulier tolles? Ita, ita: amanti nihil est arduum; verè dilectio fortis uti mors. O mulier, si foret in domo Caiphæ, aut Pilati? tollam illum. Si in domo crudelis Herodis? tollam illum. Et imbellis gallina objicit se venatrici Aquilæ, & pro suo amato pullo classicum canit, & vitæ prodiga depræliatur; & non ego pro meo? Fortis amor facit inermem, omnipotentem: omnia vincit amor, & quamvis mors certet amori, labarum tamen D incurvat, & submittit amori. An non morti superstes amor? an non recenti post cineres laude, etiamnum spirans vivit amor Magdalis? an non quadrijugo vehitur curru sanctorum animalium per orbem?

Generosum mulieris facinus.

Maximum operum, & supremum fortitudinis facinus absolvit, cùm Christo amato, in furca fatali tanquàm latroni suspenso, adhæsit instar immotæ rupis, inexpugnabilis. An non tam mortis avidior, quàm vitæ? Moriebatur Christus, & illa in Christo: flebat Christus, flebat & illa: unum deerat, posse ferro mori, cùm cruce non posset. Astabat cruci, Christo confixa: litabat lachrymas, suspiria, vitam, & sanguinem ad mortem procincta: deerat tortor, qui volenti mortem, mortem daret.

Quanta unius mulieris fortitudo.

Diffugêre pavidi mortis metu discipuli, & sacri Senatus Princeps, lachrymis mersus suis, inter saxa latitabat. Stetit animosa virago, comes sanctissimæ Virginis. Stetit illa. Vos viri, animos geritis muliebres; vos sine corde viri. Stetit, & suos audax explicat amores. Stetit, & forsan mortem orans dixit: In me convertito ferrum, ô miles; gratior vitâ, mors erit; sim victima, & ante aram crucis cadam hostia. Si mea sum, jubeo, inque tuam pius exige ferrum. Argivi suis conjugibus annuos eosque summos pensitabant honores: & ante alias Telesillæ facti ingentis Duci, quæ Lacedæmoni laboranti, viris diffugientibus, arreptis armis subvenêre. Et ni facerent, cùm Patriæ libertate concidissent. O fœminæ, viris supra exemplum mortalium fortitudine nobiliores! Annuus ergo triumphus mulieribus datur, in quo instar Amazonum armatæ, & viri instar fœminarum imbelles, tunicati traducuntur. O Magdalena, te veram Ducem Amazonum decantat Ecclesia: tu Christum nudum à viris, secutæ in eodem quo Christus monte sua trophæa locasti: tu feralem hostium exercitum sustinuisti, terribilior constantiâ, quàm illi stricto ferro. O mulier! magna est charitas tua; venisti in partem dolorum, venisti & triumphorum. O mulier! magna est charitas tua; quia non contra Angelum, sed contra Deum prævaluisti; quia flevisti, quia rogasti, quia teipsam vicisti. Hæc merces, hæc sunt præmia primarum lachrymarum, & primæ unctionis. Tot tantasque virtutes parturiit Christi liberalitas, exilibus obsequiis provocata. An non hoc granum superat omnes fœcundas messes Lybicas? Tanti est, magnum Deum etiam tenui demereri obsequio. Fluit undique largissimis rivis, infinita Dei liberalitas, quæ tanta est, ut fatiget dando accipientes. Disce cum Maria, etiamsi peccator sis, Christum ungere: dedica lachrymas, dedica tuos amores. Apprehende pedes ut sacrarium, vel ut ita dixerim altare constitue. Ibi liba fletu, lita unguento, sacrifica affectu. *Sacrificium* enim *Deo spiritus contribulatus*. Sic immolans Deo, remissionem impetrat peccatorum. Qualemnàm nunc animam Magdalenæ appellem? æneam magis, an adamantinam? Si adamantinam; an non adamante fortior? an non hic aliquando contusus cedit? cedit. Cui violentiæ cessit Magdalena, cujus dilectio morte fortior? An auream dixerim? an non omni auro, & electis gemmis pretiosior? cui cedit omne pretiosum quod imaginariè fingi potest. Utramque ergo nobilissimam materiam; illam firmitate, hanc dignitate superat & excedit. Esto autem, detur auro fortitudo adamantis, & auri decor adamanti, nullus dabitur concertationi locus. Nihil enim earum rerum quæ in mundo sunt, Magdalenæ dignitati potest comparari. Talem nobis exhibuit Christi liberalitas, & ad summa fortitudinis certamina magnanimam comparavit & instruxit.

Matronæ Lacedæmoniæ armis arreptis patriam servarunt, dum viri arma projicerent.

Quanta dat Deus provocatus parvis obsequiis.

A

Quos enim vehementer amat, arduis probat; & in probatos suæ liberalitatis largissuos fontes effundit, dum intonat: *Ostendam illi quanta oportet pro nomine meo pati.* Quære præterea cum Maria Jesum, malis mori cum Jesu, quàm sine Jesu vivere. Invenies, pro Jesu moriens, Jesum; quem non poteris vivens invenire, sine quo vivere te nolo. Perdidisti vitam animæ tuæ, ne desperes, & mortem prætulisti vitæ. Riga lachrymis corpus Jesu, & si hoc non possis, sufficiat rigare monumentum, id est, Passionis memoriam. Amor in Christum faciet te stare sub cruce; & dolor Crucifixi, plorare: sic amor dolori, & dolor permixtus amori vitam dabunt.

B

Magnus Deus, parvo gaudet; lætatur se posse dare, cui non dare violentum. Summa liberalitatis divinæ notio & significatio arduorum magnanima factio & tolerantia. Hæc in gloriam liberalissimæ nostræ heroïnæ sint tenuiter dicta.

§. XXVI.

Ut divina liberalitas tributum pendat operi quidem in se bono, sed per violentiam extorto, vel pravâ affectione corrupto.

C

Constat omnium judiciis virtutem non nasci, nisi ab integra causa, & minimo nævo vitiari, etiamsi fortè non in totum intereat. Constat deinde nullum bonum vitiatum posse placere Deo, cum suo vitio. Hinc grandis admiratio subit animum, quomodo opera non voluntaria, & coacta, extortaque, divina manus compenset. Quid enim dignum oculis Dei, nisi voluntarium? cùm libera voluntas sit officina meriti, sine quâ nec cælum, nec infernus dari potest. Dabimus spectaculum operis extorti, quod causam dabit summis favoribus, & aditum sternet auxiliis, gratiisque prædestinationi servientibus.

D

Attentum te volo Lector, & quidem patienter ad morulam: Christus Dominus nocturno, diuturnoque viarum, & itineris exantlati labore, melius dico crudeli raptatione confectus, quomodo crucem ferre potuit? Metiamur itineris magnitudinem. Magna est differentia inter minores passus, & majores Geometricos. Hi quinque pedibus: illi duobus cum dimidio definiuntur. Certum est, mille passus majores conficere milliare Italicum: & mille minores medium Italicum. A cœnaculo ad hortum usque, mille quingenti passus minores numerantur. Inde eodem spatio reductus ad domum Annæ. Inde ad domum Caiphæ distantem trecentis triginta passibus. A domo verò Caiphæ, usque ad Pilati curiam, iter mille passuum. A

Pilati,

Pilati, usque ad Herodis palatium trecenti quinquaginta, à quo regressio ad Pilatum; & inde ad montem Calvariæ distantem mille trecentis, uno & viginti passibus minoribus semper. Tractus ergo Dominus noster, & instar rabidæ feræ raptatus, cum omni violentiâ per tanta itinera. Intuere hominem vinctum, revinctumque funibus, catenis gravatum, colaphis, pugnis, calcibus, flagellis concisum, contusum ingeminatis ictibus, in suo sanguine natantem, circumfluum vulneribus. Dixi parùm. Totum vulnus, lividumque; fluidum denique corpus sanguine, quasi abruptis sectisque venis. Intuere fractas, prolapsas vires tot inundantibus malis atque suppliciis; ut is, cui tam parùm aderat, vix stare posset, quî laturus crucem, exanguis, anhelus patiendo: tulit tamen fatalem trabem. Et quomodo? iteratâ prolapsione. Quomodo tulit? succumbens oneri, iterùm atque iterùm serpens; quasi & lubricante pedes sanguine stratus, quasi exanimis ferebat totius orbis immane pondus. Exhalaturum animam, & sub fasce moriturum sustentabat divina potentia; ut in cruce triumphans, triumphatum dæmonem subigeret. Reservabaris Agne mitissime Fili Dei, ultimæ carnificinæ, & supremo certamini; ut in nostrâ carne, cum superbissimo hoste congredereris Victor, quam Victor ille subegerat. Quid egit indurata tortorum feralium immanitas? inventum Cyrenæum hominem, nomine Simonem vi compellunt, & ut Matth. 27. angariaverunt eum, tollere crucem post Jesum quindecim pedes longam, latam octo; quam Dominus noster huc usque vel humeris, vel per terram trahendo, tulerat. Compellitur Simon invitus ferre crucem; ligno detestabili subjicit humeros. Præbet Christo inducias, ne intempestivè intereat, ereptus crucis ludibrio. Quid ais Simon? fremit mens, horrescit animus; Detestor, inquit, diem natalem, tantum non morior, mortem oro; an ideò vita data, data in latronis auxilium? an non societas supplicij, sceleratum dijudicat? agnosco prognosticum meæ calamitatis, inustulatus quasi stigmate caumate vivam. Quis non ludificabitur, & calumniabitur Simonem, & mei sanguinis hæredes? Quid agam? quid moliar? ad id cogor, quod nolo. Fert ergo crucem invitus, fert tamen. O Simon! Deus viam inveniet, & te tuâ infelicitate, quam jactas, faciet felicem. O si scires; scies autem posteà; quis ille sit, cujus crucem portas, forsitan ultrò lignum adeò tibi execrabile, magno pretio depoposcisses. Ne dubites, non Cæsarem vehis; sed Deum portas, & Dei trophæa, tibi tantùm applaudes, quantùm nunc conviciis proscindis. Depoposcisses. Vehebat Cæsarem contra ventos depræliantes nauta pallescens morte futurâ. Cæsarem, & fortunam Cæsaris vehis, inquit Cæsar, ne trepides. Tu Simon non Cæsaris fortunam; sed orbis, sed cæli; sed Dei fortunam non vehis, sed portas; quid trepidas? Fers sceptrum novi Principatus, novique Regis, cujus imperium super humerum ejus. Quid horres auroram tuæ felicitatis? Nunc Lector, magnitudinem divinæ munificentiæ contemplare. Necessitatem operis transtulit illa in regnum virtutis; & violentiam, in libertatis privilegium: qui in operis primordio senserat ignominiam, inde tulit opem; & ex opprobrio legit diadema gloriæ: socius dedecoris, erit & honoris. In agone militasti Christo; dabitur & stipendium navatæ militiæ. Spectatur non labor; sed sublimitas Ducis, cui laboratur. Vinces superbiam mundi, non atrocitate pugnandi; sed humilitate patiendi. Dura quæ toleras, erunt instrumenta, ut cum Quintiliano loquar, tuæ virtutis. Ecce oritur φωσφόρος, seu Lucifer gratiæ, qui virum depulsis tenebris illustrat. Jam lubens, qui antè repugnanter & invitissimè, nunc voluntariâ virtute, & lætissimè ruit in amplexus crucis invisæ. Tanti sunt invitamenta Spiritus divini, qui ubi vult, spirat; & notas facit vias vitæ, *& adimplevit illum lætitiâ cum vultu suo: delectationes in dextera ejus usque in finem.* De Cruce exivit dulcedo, & lignum missum in aquas amaras, ut cum Lampridio loquar, eas edulcat, quàm citò uva peracerba, Solis accessu maturata dulcescit. Numera jam stipendia, quasi veterani militis, & emeriti, qui ad horam militavit tanto Imperatori. Primùm, adscribitur Christi militiæ, in disciplinâ Christi nutritus; fit comes Pauli euntis in Hispanias, qui ante Jacobi Hispaniarũ Patris Pater fuit; deinde in Episcopum consecratus à Principe Apostolorum, ac tandem Hierosolymis, ubi à Christo Domino natalem vitæ spiritum acceperat, spiritum & eidem ibidem reddidit. Sic Braulio, sive Helecus in additione ad Chronicum Maximi; cujus summa felicitas renovatur primâ Decembris. Hujus viri Simonis Cyrenæi, qui & niger vocatur, Acta Apostolorum celebrant memoriam; & magni Pauli, nec non Barnabæ societate, & comitatu magnificè condecorant. Hæc felicitas tantæ munificentiæ non substitit, quasi soli adhærescens: verùm transmissâ in posteros, & tandem Patris adierunt, filij hæreditario quasi jure patrimonium. Auctus erat duobus filiis Pater, Alexandro, & Rufo: hic primùm Thebarum; deinde in Hispaniis Tortosæ Episcopus, Christi crucifixi rexit Ecclesiam. Alexander verò, sanguine suo purpuratus, in Senatu purpuratorum, purpureo bibit ore nectar suæ immortalitatis; cujus memoria vivit in Martyrologio Adonis, & Bedæ undecimo Martij. Quis non stupeat magnificentiam divinæ liberalitatis? Quid dicam? Confessio & magnificentia opus ejus. Verè mirabilis Deus in operibus suis, apud quem non perit memoria datæ frigidæ aquæ. En ut opus Simonis extortum, stomachosum, dignum oculis suæ Majestatis visum. En ut opus quod videbatur servile, viri Gen-

Quantum itineris obierit Christus Dominus tempore Passionis.

Ingens pugna in animo Simonis.

Commutatio mentis.

Merces operi data Simoni Episcopus.

Gentilis; ut multorum est opinio, vel saltem Proselyti, tantis favoribus remuneratus est, liberalissimus Deus, ut Patrem, & filios in suorum principum æternorum admiserit Senatum. A

Jucundius spectaculum paucis Petrus Telonarius Constantinopolitanus, seu Publicanus dictus, dabit. Erant huic viscera ferrea, quasi supremus Euclionum Princeps. Ferrum & chalybem igne faciliùs, quàm avaritiam inflexisses precibus. Vivebat sub tyrannide, & miserrimo dominatu sævæ cupiditatis. Herculi clavam, quàm illi panem extorsisses. Hic opibus famosus, avaritiæ tamen nomine famosior apud omnes, & apud egenos maximè. Inter eos certamen exoritur; quis eorum ab homine duro posset aliquid extorquere. B Ceteris negantibus, unus ausus virum aggredi mirabili precum ambitu, instare, urgere, nec virum dimittere. Petrus ergo obsessus, se vertit in iram, & furore ardens, panem recèns coctum, in faciem precantis intorquet. Declinato ictu, pauper victor, panis, & voti compos, ad suos jam de triumphatâ avaritiâ rediit. Corripitur morbo Telonarius, & exanimis ad aliquot jacens horas, visus se citari ad Dei tribunal, à nonnullis accusari, & ab aliis se defendi: in unâ libræ lance peccata appendi: in alterâ panem illum, quem ipse quondam projecerat iratus. Et cùm exæquatum utrimque pondus staret, intremuit. Quare si reverti, ac reatus supplicia evadere cuperet, pani jussus alium superaddere. C His actus ad se rediit, & beneficio panis (qui initium conversioni dedit) evasit tantus, quantus posteà fuit. Qui avaritiâ infamis antè, liberalitate clarior factus, etiam seipsum vendidit, ut pretio sui, pauperes locupletaret. Exclamo hîc: O verè ὑπεράγαθον τὸν Θεὸν, id est, superbonum Deum, & visceribus misericordiæ, & benignitatis gravidum! Quis sperasset plausum à donatione panis extortâ? quis remunerationem? quis ex arido solo tantum fœnoris? Messuit Petrus. & quid seminavit? nihil est in oblivione apud Deum.

Disce Avare, manus pauperum esse aurifero Pactolo flumine opulentiores, in quo manus suas Midas laverat, & per attactum, D aureum fecerat; ut quævis alia, imò & Cydno feliciores, quem Homerus hâc laude celebrat; esse scilicet ἀφνειοὺς καὶ μακαρίους, qui ex illo bibissent, opulentos, & beatos. Verè manus pauperum extensæ, veri Midæ, id est, summi, scilicet, Dei, auream liberalitatem provocant, ut auriferos omnis benedictionis imbres, roscidis è nubibus pluat. Erudera te ergo cupiditatis abdicatione.

§. XXVII.

De summo divinæ liberalitatis fastigio, seu Παραδοξίας ἄκρον, summum gloriæ.

Deus Magnus venalis lachrymâ, venalis suspirio, venalis guttâ aquæ.

Quis non attonitâ mente percussus, ad hás voces non silet? Deum esse venalem, & licitari lachrymâ, gemitu, suspirio? Deum tantum, pretio guttæ potabilis emi? Deum infinitæ Majestatis, esse à seipso expositum omnium mortalium minimo voto, minimo mercatori, & venalitio? Platonem magnum legimus à Dionysio viri libertate offenso (ingrata semper veritas Magnis) Polidi Lacedæmonio traditū venalem. Venditus is Anniceri Cyreniaco; at viginti minis! (mina valore Gallico, conficeret libras Turonenses septemdecim, & semissem, id est, decem coronatos aureos; quorum valor singulorum esset triginta quinque solidorum Turonensium. Sic Budæus.) Quis crederet Diogenem emptum in servitutem? Captus à prædone Scitalo in navigatione jam senex ac venditus. An mutavit animos regios? Proclamante præcone rogatus quid nosset: Imperare, inquit, hominibus. Et conspicatus Xeniadem Corinthium divitem & luxuriosum: Huic (ait) me vendito, nam domino eget. Deditus fortunæ servili, adeò fortunam, memor sui, derisit sprevitque.

Plato & Diogenes venditi.

Cùm Platonem conspicio, cum Diogene vendito in servitutem; video corpus emi, vendique posse, interiorem verò partem mancipio dari non posse; illam manere sui juris, & ingentia semper suis actibus moliri. Animus nobilem facit, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet consurgere, non Regius sanguis. Teste quippe Platone, neminem Regum non ex servis oriundum, neminem non servum ex Regibus. Adamavit Vespasianus Imperator formosam; at ingenti pretio spolium pudicitiæ tulit. Rogatus quo titulo in acta referri vellet, tam immanem summam; respondit: Vespasiano adamato. Ecce ut tantus vir, eminensque Imperator, ex Imperatore servus factus & venalis. Magnus Nolæ Episcopus Paulinus tradidit se barbaris venalem; verùm hominis pretio, & mercede. Demosthenes amore vilis scorti subactus, navigavit Corinthum. O dedecus! Victrix opulentia linguæ, Laïdis formâ tremefacta cessit. Disce à nullis hostibus majus periculum omni ætati, quàm à circumfusâ voluptate. Pretium voluptatis decem millia drachmarum. Quantâ mercede, blandæ voluptatis immane pericu-

Animus nobilem facit.

Demosthenes tantum non venalis.

lum

lum constat. Redditus sibi: Non emo, inquit, tanti pœnitere. Tanti erat Laidi, brevis mora. Assuerus amores suæ Estheris expendit, & æstimavit dignitate dimidij imperij. Immanis amoris merces. Josephum vendidêre conjurati fratres (quid non mortalia pectora cogit invidia!) triginta argenteis. Sic sævitur in proximum sanguinem? ô fratres! utinam leones, & tigrides? an hæ feræ in suam speciem? & vos in fratrem sævitis? an non beneficia vobis tanquam dominis dedit; ut vos beneficia sua faceret? venditus tamen aliquo impendio. Quis non attonitâ mente Dei Magni liberalem bonitatem & infinitam obstupescat, qui non auro, gemmis, vel regnorum donatione; verùm unius lachrymæ, vel gemitus sacrificatione, coëmptionem sui facit, sese exhibet venalem? Quis comprehendet ingenio, minimum opus Deo litatum, solo Deo posse compensari? An non hoc promissum Abrahæ, Genes.15. *Ego merces tua magna nimis.* Et quæ est merces magna nimis? nisi mensura bona, & conferta, & supereffluens, nisi præmium æternæ vitæ? Et quod est præmium æternæ vitæ, nisi quod Aristoteles ait *lib.1. Ethic.* Τελείαν εὐδαιμονίαν, perfectam beatitudinem? Et quæ est perfecta beatitudo, nisi Dei, non solùm exhibitio, verùm etiam possessio? Et quid est Dei possessio, nisi ut beati simus in cælo; & ille beatus in nobis. & sic unum simus, beatissimi insitivâ; sicut ipsa suâ beatitudine naturali, affluentiâ gaudiorum infinitorum? Bene dixit Clemens ἰσοσθενεῖς ἀμοιβάς: æqualia operibus nostris præmia non dari, verùm in infinitum illustriora; non aliter quàm si qui regnum Thetidos coëmerit unica guttâ: Deus enim donatione regiâ est inexhaustus oceanus; quare optimè πολύδωρος vocari debet, id est, valde magnificus. Hoc ipsum Zacharias *cap.9.* docuit: *Pro unâ*, inquit, *peregrinatione, duplicia reddam tibi.* Ubi Hebraïcè habetur: *Duplicia magna, & eximia, & inenarrabilia,* quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quod ipsum docuit plurimis annis antè magnus Isaias *cap.61.* *In terrâ suâ duplicia possidebunt.* Quid est duplicia possidere, nisi ipsum Deum? & ipso Deo dotari? Anima ergo coronabitur diademate Dei; sicut sponsa Dei. Nam, teste Tertulliano *cap.13. de milite,* nuptiæ coronant sponsas suas. *Et erit,* inquit, juxta Isaiam, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei.* Isai.62.*v*.3. Accipe sensum: Coronaberis à Deo liberalissimo, & venies quasi communione stemmatis, in regni consociationem, omnium bonorum communicatione. An non est publicare aliquem Augustum & Cæsarem? an non hoc est esse diadema summi Numinis, quo ipse exaltatur & delectatur ornamento? magnum & excelsum munus, gloriari de Deo sponso, at longè magnificentius, ipsum Deum ambitiosè de sponsæ gloria se jactare, & quodammodo superbire. An non hoc est, sponsam esse coronam ipsius Dei? Quid excelsius potest excogitari, quàm animam esse sponsam Dei, quam Deus apprehensâ manu sibi consociavit; cujus capiti, ut Assuerus Estheris, diadema regni gloriosissimè imposuit. Hic rerum apparatus felicitatis, uni lachrymæ destinatur: ad hanc felicitatem ipsa Sapientia mortales invitat, Isai.55. *Venite, & emite absque argento.* Ecce omnia mea venalia; ferè gratis sunt venalia. Parum dixi, omnia mea: ego ipse Deus rerum omnium immensus, & infinitus Creator, me cunctis expono venalem.

Quid hoc sit, ero merces tua magna nimis.

Deus remuneratur infinitè minima.

Deus exponit se venalem.

§. XXVIII.

Deus venalis suspiriis, gemitu, lachrymis.

PLatonem fuisse venalem auro & Diogenem, venalem & Demosthenem, & Vespasianum venalem parvâ voluptate miramur; miramur tamen ut humana; verùm Deum, primum illud ens, & infinitum omni parte sui, exhibere se venalem unâ lachrymâ, suspirio, vel gemitu, non capit orbis, nec æternitas capiet. Exclamo, ô bonitatis & liberalitatis oceanus: *Quid est quod debui* (inquit Deus) *ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Josue 15.*v*.18. Suspirat Axa filia Caleb. Cui pater: *Quid habes?* inquit. At illa: *Da mihi benedictionem.*

§. XXIX.

Deus suspiriis venalis gemituq.

T*Erram Australem, & arentem dedisti mihi, junge & irriguam.* O tenerum cor paternum, telo suspirij transfactum! Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius. Et quanta sibi reservavit? At Deus uno suspirio, vel gemitu victus, infinita donavit, ut Exodi 6.*v*.5. dicitur: *Audivi gemitum filiorum Israël.* Et quantarum virium, & quantæ potentiæ fuit gemitus? an non instar clavis aureæ aperuit ærarium omnium thesaurorum? an non populum inopem, & egentem ditavit totius Ægypti spoliis? Audiamus sacram Scripturam Exodi *cap.12.* *Dominus autem dedit populo gratiam coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & spoliarerunt Ægyptios.* Gemitus ergo libertate datâ servitutem solvit, & ditavit egentes. Deinde Psalm.11. & variis locis Deus dicitur statim auxilia ad gemitum pauperum parare, Psal.11. *v*.6. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus* Ut Esdræ 4.2. habetur: *Ego dolui gemitus vestros.* Deus ergo velut vinculo captivus ligatusque permittit se potestati suspirantis animæ, & quasi intolerans gemitus, more ebriorum spoliat se, & effundit omnes thesauros, factâ sui deditione: sic oceanus unâ guttâ, & infinitum

Filia Axa suspirio emit terras novas.

nitum bonum emitur uno puncto. Quid dicis ad hoc pie Lector? exclamo: Tibi silentium Deus. Vendit imperium orbis, cæli omnes suas opes infinitas, ac denique seipsum pretio suspirij, & unius lachrymæ, ut infrà dicam. Quid excogitari potest munificentius? miraris attonitus, & vix capis. Credo tamen, quia tantam liberalitatem non solùm testificatione voluntatis; sed proprio, & irrevocabili chirographo voluit astringi, nec unquam relaxari. Antè quidem Dei Filius nos diligebat, nihil erat nobis obligatus: verùm ex amore hominis factus homo, seipsum homini dedit in æternum pignus, & hujus tanti officij servitutem astrinxit testimonio sempiterno. Tenemus ergò Deum obligatum nobis tantâ largitione sui chirographi. Audi, ut omnia suæ permittat potentiæ regna vili homini, solâ petitione venalia, Joannis 15. *v.13. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis* (vel gemitu, vel suspirio, vel voce, vel lachrymis.) *in nomine meo, hoc faciam.* Hanc eandem liberrimam liberalitatem voluit sempiterno auctoramento etiam per S. Lucam, *cap.11. vers.9.* firmari: *Et ego dico vobis: Quærite, & invenietis; & pulsanti aperietur.* Deinde iterum apud Joannem *cap.16. v.23. Amen, amen dico vobis* (id est certissimè, & in veritate promitto) *si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis.* Nota nihil clausi in ærario suę Majestatis reservari; verùm interposito Filij Dei nomine à Patre cuncta donari, pariter & à Filio, per cujus merita cælum aperitur, & cæli distillant rores liberalitatis suæ. Quare respectu Christi Domini, est quasi justitiæ & obligationis, ut petita concedantur; quamvis nostri respectu sit hæc impetratio, gratia. Christus enim morte suâ emit nobis hanc obligationem, ut ejus nomine audito & interposito Deus gratiâ largissimè nos undique circumfundat. Rex Molossorum ut ostenderet pretium, amorem, & filij sui dignitatem, nihil recusabat filio, vel amplexu, vel tactu per fimbriam contingenti: mortis reo vita dabatur: fugienti asylum: egenti opes: inimico, hostilitate positâ amicitia Regia donabatur. Supremum munimentum, & publica securitas, erat contactus corporis. Et quid non merebitur dignitas Filij Dei? an non omnia cum Filio Pater donabit, qui ipsum Filium donavit immeritis? & cur dona non dabit per Filium meritis? Joan. itaque 15. *v.17.* datur donationis certa fides, cùm dicitur: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Pete cũ fiducia, non trepidè aut hæsitanter: pete cõstanter, & indura animum: pete salutaria & ęterna, & Pater æternus dabit. Nec cogites solum Patrem tantæ liberalitatis futurum Auctorem: volo credas & me Patri æqualem, & vestri amantissimum. Quare per Secretarium meũ Joannẽ, qui ęterno amore & indivisibili sum Patri cõfœderatus, me Patri conjunxi, ut fontem consortem ejusdem liberalitatis subscripsi *c.14. Ut*

Deus omnia sua imperia vendit uno gemitu.

Rex Molossorum in filij gratiam omnia donabat.

Pater & Filius omnia donant.

A *si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciã; ut glorificetur Pater in Filio.* Causam præsentis liberalitatis præallegat, dum dicitur: *Quia vado ad Patrem, non ut otiosus sim, non ut ab opere vacem; sed facturus, quodcumque petieritis in nomine meo,* id est, *ad nominis mei invocationem faciam omnia, per quæ Pater glorificandus est in Filio,* id est, *quibus manifestabitur Divinitas mea, secũdùm quam Pater est in me.* Glorificatur ergo Pater in Filio, dum Filius consubstantialis ostenditur Patri per illa opera quæ facit Filius, qui est Christus. Dum verò additur, *faciam*, ostendit Christus se esse Deum, qui omnia quæ vehementer expetuntur, potest nullo negotio in largitiones profusissimas, & prodigas effundere. Quãta autem in Deo regnet inexhausta B donandi, & sese cõmunicandi ambitio: quanta sitis regnandi non ferro, sed donis datis atque muneribus: audi: prævertit nihil petentes, & nihil suspicantibus præripit tempus precũ, & præoccupat vota, & ultrò pollicetur sua studia, ultrò vocat, & invitat non quæsitus. Audi voces, & invitamenta tantæ dignationis, Cantic.5.*v.2. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Ecce amore te præveni, teque amicitiâ meâ dignatus sum. Aperi ergo adeò te amãti: amanti te, quia soror mea es incarnatione: amica & propinqua creatione: colũba mea salutaris undæ regeneratione: immaculata mea, id est, perfecta ex Baptismi Sacramento, & charitatis flãmâ. Aperi mihi de sanguine meo C soror mea: de accessu, proxima mea: de spiritu meo, columba mea: de sermone meo quem didicisti, perfecta mea; aperi mihi, prędica me. ad te quomodo intrabo sine aperiente? Aperi ergo, & benedic Dominũ, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis. Eccli.32. *v.17. Totâ die, inquit, expandi manus meas ad populum incredulũ, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Pandit Deus portas cæli, & omnes fõtes aperit divitiarũ, pluit imbres aureos gratiarum, omnes vult optabiliter locupletari, vult neminem egenum: & tamen quotusquisq; est, qui hanc profluentiam bonorũ attendit, aut æstimat? quis Dei rogatoris precationes admiratur, suspicit, aut deprædicat? totum suum regnum in manu, & tuâ est pote- D state; ditionem sui imperij facit tuam: & quod supremũ felicitatis, ipse Deus totus est in tuâ potestate, si velis. Utere ergo tuâ potestate: utere volũtatis tuæ desideriis; pete, & accipies, nec ambigas. Accipe, omnia cælestia venerunt in arbitrium, & tuam potestatem: dextra ipsius Dei in promissis, & fide firma tenetur. Joan.15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* I nunc & expostula tecum, & te injuriosum in tantam Dei liberalitatem fatere, quod inopem te malitia voluntaria faciat; & mediis undis omnium bonorum sitias. Nihil astrictum est arctumque: largitatem laxare non potest Deus, adeò largifluum sese exhibet. *Quodcumque* ergo *volueritis, petetis, & fiet vobis.*

Deus non rogatus sua largitur.

Præoccupat nihil sperantes.

§. XXX.

§. XXX.

Lachrymis venalis Deus. Ezechias emit vitam lachryma. Prodigiosum cæli signum excitatur.

LAchrymis emitur Dei favor, & gratia. Mors indicitur Ezechiæ Regi Judæ, Isaiæ 38.v.1. imminebat fatalis necessitas: *Dispone*, inquit Propheta, *domui tuæ, morieris, & non vives.* Videbatur sublata spes, imò & incisa. Et ecce, quanta vis, & potentia lachrymarum adversus potentem Deum: *Audivi*, inquit Deus, *orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.* Statueram legem vitæ tuæ terminumque: lachrymæ nunc judicia exerceant, statuant illæ decretoriam horam: cedat decretum potentiæ meæ, potentiæ lachrymarum. Ut autem Deus potentiam lachrymarum confirmaret per horologium Achaz scilicet (vide *cap.* 20. 4 Regum) sciothericum, sive per umbram horas demonstrans, Sol brevissimo tempore retrocesserit oculari, & claro miraculo, & omnibus spectabili; & dies aliis diebus decem lineis, id est, quinque horis fuerit longior, vel major aliis diebus, quibus si addideris decem horas naturales, fient quindecim horæ, nunciæ annorum quindecim Ezechiæ promissorum. Quod portentum necesse est in meridie contigisse: nam in Palæstinâ cùm dies brevissimi, sint decem horarum; & longissimi, quatuordecim horarum, necesse fuit, quindecim horas invenisse. Quanta vis lachrymæ, cui Deus cum tota machina cælorum paret: & Sol concitatissimus non solùm frænat cursum; verùm quasi subitò, & oculato spectaculo relegit iter per recursum. Quanti autem Deus æstimet lachrymas hominis, docet sanctus Vates Psal. 55.v.9. *Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Sunt lachrymæ quasi speciosæ margaritæ (sic eas vocat Macarius *in Psal.6.*) quibus se coronat, juxta illud Cantic.5.2. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei pleni guttis noctium.* Ubi Paraphrastes exposuit: *Capilli mei capitis pleni sunt lachrymis tuis;* sicut vir, cujus capilli capitis tinguntur de rore cæli, & cincinnus cæsariei meæ repletus est guttis oculorum tuorũ. Stillas ergo oculorum ponit Deus in conspectu suo, non aliter quàm pretiosissima dona, quibus misericordiæ monetur; ut tacitus earum voces auribus percipiat, nec sileat; sed iis respondeat. Quare & idem sanctus Vates jungit orationem lachrymis, ut Psal.38.v.13. *Exaudi*, inquit, *orationem meam, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.* Ubi Hieronymus: Ad lachrymam ne obsurdescas. Fatetur autem non obsurdescere, dum ait Psal.6. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Magnas equidem voces habet lachryma, & ideò Hieremias corde clamabat, & hortabatur, ne taceret pupilla oculi tui, lachrymantis, Thren.2. v.18. Quales voces habeant lachrymæ, docet Ecclesiasticus 35. *Lachryma viduæ descendunt ad maxillas, & exclamatio ejus super deducentem eas.* Verè dici potest:

Lachrymæ mutant Dei decreta.

Lachrymæ sunt margaritæ.

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Qualia verò pondera habeant, docuit Magdalena; ad cujus lachrymas Christus Dominus Dei Filius commotus, illachrymavit. & Lazarum comploratum, vitæ redonavit.

Si minima virtutis opera, ut sunt gemitus, lachrymæ, tam copiosâ, & admirabili remuneratione prosequitur, & extollit magnificus orbis Fabricator; quantâ, & quàm indicibili heroïca facta? si affectus bonæ mentis, si contactus vestis, si unguenti profusio, si portatio crucis extorta, æternæ felicitatis remota quidem semina, ad æternam beatitudinem viam stravêre; quid non impetrabit sui facta devotio, consecratioque? quid non debebitur flori Virginitatis illibatæ servato? quid non per continuas motionum efferarum animi victorias, virtus acquisita demerebitur? Quid non merebuntur denique nobilissima virtutũ partarum opera? Christiane, suscita animos; dabitur, quod optas, ultra quod dari nihil ultrà potest. Totum quod dici, aut fingi potest, infra illud præmium demergitur. Veniet dies ostentationis tuæ; tunc miraberis, & afflues, & dilatabitur cor tuum, cùm dicetur: *Intra in gaudium Domini tui.* Quanti nunc æstimat unum cruentatum saxum B. Stephanus? quanti, sancti omnes pios motus cordis? mille mundis non sunt venalia, quæ singulis momentis sunt cum virtute peracta. Non quod tanti sint in se valoris; verùm quia liberalissima bonitas, ea tanti voluit æstimari. Ipse Magnus Deus, qui voluit esse primus operis boni motor, & concordia nostræ voluntatis, absoluti erit absolutissima merces, & præmium. Quale, & quantæ magnitudinis futurum, nec calamo, nec verbis, nec mente; sicut nec magnitudo Dei potest comprehendi.

Minima opera summi valoris non in se, sed Dei liberali æstimatione.

§. XXXI.

De duobus divinæ liberalitatis mirabilibus.

DUo sunt in Deo, quæ omnium cogitata, optata, ac denique omnem intelligentiam exsuperant: Solis quidem cursus, etsi incitatissimus; demetatus tamen est, atque descriptus. At incitatam Dei liberalitatem, nec demetandam, nec comprehendendam fatetur omnis intellectus.

§. XXXII.

§. XXXII.

Primum mirabile divinæ liberalitatis, Deum velle se debitorem.

QUis crederet, nisi fides adstrueret, Deum esse debitorem, qui primus fons donationum, à quo debita nascuntur? Donat, & debet; est creditor, & debitor. Ille Deus Magnus, qui est primus, omnis naturæ motor: idem est & boni operis primus motor, prima causa, prima origo. *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Jacob. 1. v. 17. Si lux, à Sole fonte lucis; qui ergo est debitor, cui omnia debentur? An non aquæ pellucidi fontis leni murmure fluctuantes, natalem fonti addicunt originem? Mirum dictu. Quis credet fontis originem, aquis debitricem? & non contrà? nihilominus tamen scimus Deum esse creditorem, & nimio plus debitorem; qui tamen nihil accipit: & creditorem, qui donat universa: *Opera enim omnia operatus es in nobis Domine.* Isa. 26. v. 12. Motor primæ voluntatis est Deus, omne enim quod movetur, movetur ab aliquo. Nunc loquatur Augustinus *lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.* Ut autem velimus (antecedente primo motu) suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quomodo hoc? Audi eundem *serm. 13. de verbis Apostoli*: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei.* Dicet mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: *Et agis, & ageris; & tunc benè agis, si à bono ageris: Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est.* Dico ego, & addo amplius: Si non agis, cùm ageris; cur tibi objicis voluntariè impedimentum gratiæ? sicut Sole illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit. An qui oblatum ensem, & arma in sui tutelam rejectat, ne pereat; non causa est sui interitus? Sol lucet: accedite, & illuminamini: non enim sic vult omnes servari, ut nolentes salventur; sed vult salvari, si & ipsi velint. Ut autem velint, ita convenienter, & accommodatè componit, & coagmentat sua dona, suos motus, suumque objectum; ut instar amantis solicitet voluntatis inclinationem, amorem in spontaneum consensum, & doni acceptationem. Ne autem sordeat libero arbitrio, virtutis, & honesti facies, spe, & præmio; metu, & terrore concutit hominem, ut in sententiam ipsius descendat: ita tamen ut in alterutram possit, si velit descendere. Consensus igitur, vel dissensus relictus est in ejus potestate; reddere gratiam Dei vacuam, vel frugiferam, vel fructuosam possumus; si vacua relinquitur, fit homo dignus pœnâ, quia in vanum accepit animam suam: si frugifera, di-

Deus creditor & debitor.

Nemo salvatur nisi qui vult salvari.

A gnus mercede, de quâ Apostolus 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ.* Quid ergo ibi tuum? consensus? & quomodo? confortatus comitante Dei gratiâ? Cui ergo debebitur, præcipua laus operi? an non Deo? Dei ergo donum est. Deus ergo cùm coronat opus, in opere coronat se Principem operis: & te coronat tanquam coadjutorem, quia in opus consentiendo collaborasti, & gratia Dei tecum: gratiâ enim Dei es, quod es. Quid ergo coronat, dum coronat opus nostrum Deus? Sua dona, & opera coronat: & nostra; quia dona sua, nostra esse voluit. Quomodo ergo coronat dona, tanquàm debita? quia dona ejus, cooperando facimus nostra, & quia cooperando fecimus nostra, dum reddimus
B Deo, vult ea recognoscere debita, ut ea coronet tanquàm Judex justus, qui antè in primordio operũ fuerat misericors Pater. Quid ergo præstas Deo, dum aliquid Deo donas ex tuo, cùm tamen tuus non sis, cùm ex toto Dei sis, quod es? Præstas nihil. Quomodo nihil? An non cùm te donas Deo, Deus accipit te, ut donum tuum? qui te, ut suum, credidit tibi? An non beneficia Deo collata, Deum faciunt tuum? Planè: nullum tamen beneficium præstas Deo, cùm accipit beneficium. Audi Augustinum *Dominic. 12. post Trinitatem serm. 1. Nullum præstamus Deo beneficium, sed accipimus; quoniam & tu contingendo aliquid effeceris, quod non eras; non illud quod contingis, facis esse quod non erat.* Hoc dico. Deus non
C crescit ex cognitione; sed cognitor ex cognitione Dei. Non putemus, quia beneficium præstamus Deo, quia dicimus nos pretium quodammodo dare; non enim ut augeatur, illi damus; qui & te lapso, integer est, & te redeunte integer manet, paratus videre, ut beatificet conversos, & puniat aversos cæcitate. Magdalena, & Martha præbuit hospitium, & quod non accepit beneficium? Fuit enim in hospitio ingens utrimque beneficiũ. Hospitalis, tres accepit Angelos, Abraham; an non accepit beneficium, quo totus mundus in libertatem, fractâ servitute, fuit assertus? *In semine tuo benedicentur omnes nationes.* Genes. 22. O bonitas Dei liberalis infinita! dat, ut accipiat data, & liberâ voluntate redo-
D nata coronet. An non nobilis circulus: omnia redeunt eò, unde venerunt; omnia flumina ex mari, & recurrunt in mare. Deus donat, & nos redonamus Deo, ut data refluant ad suam originem; & dum redduntur, cum fœnore à nobis redduntur. Ex Augustino ad Comitem. Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo, quod dedi tibi; de meo quæro, da, & redde: habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem: temporalia mihi das, æterna tibi restituam: teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Deus sua corona coronat.

Homo facit dona Dei sua.

Deus dat ut data per nos sant fœnora.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Alterum non minus mirabile. Quod Deus cùm posset nostra opera aliis modis remunerari, noluit tamen, nisi seipso tanquam præmio.

Poterat mundi Parens, artifex animæ, cælestium & terrestrium fabricator, quem invenire difficile est, præ incredibili potestate; & cùm inveneris, in publico effari impossibile, ut ait Plato; quem, & Aristoteles vocat mentem mundum gubernantem; poterat, inquam, hæc mundi mens æterna, nostra opera ad tantam celsitudinem provehere; poterat justis stipendiis aliis, & maximis præmiis suæ omnipotentiæ, remunerari, & justâ mercede redimere; poterat & justos, honestosque labores nostros, æternis honoribus, voluptatibus animi, & corporis, & splendoribus æternæ gloriæ decorare, perfundere, & sat nimio cumulare: at infinita liberalitas Dei, bonitate naturæ stimulante, & amore ipsius in nos inardescente, in suæ liberalitatis, bonitatis infinitæ, & æterni amoris tam ornamentum, quàm prodigiosum ostentum, nullo præmio decrevit, statuitque minima etiam opera remunerari, quàm seipso.

Deus ergo Pater infinitum donum, dedit nobis Filium, Filius seipsum in pretium. Spiritus sanctus, in pignus, & arrham indubitati amoris. Et tota denique beatissima, & sanctissima Trinitas, totam seipsam donabit in alterâ vitâ in præmium; & quid ultrà dari potest? Erimus ergo beati eâdem beatitudine, quâ Deus beatus, qui seipso beatus est; & nos illo, futuri. Erimus ergo filij, & hæredes regni, & beati per gratiam; sicut Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus, sunt felices, & beati necessitate fœcundissimæ naturæ. Hoc docuit Paulus ad Roman. 8. v. 32. *Qui etiam proprio Filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Cùm ergo dederit Filium, quid majus dare potuit? Dat Deus Deum, ergo omnia quæ dare potest nihil æstimanda, præ Deo. Siste hic, nihil habet Deus ultrà quod det, cùm se totum dat quantum potest.

ALTE-

ALTERA PARS XX. CONSOCIATIONIS.

§. I.

Virgo sacratissima & Mater: ut Filius liberalissimus, illustrissimus; ita & illa illustrissima, & liberalissima. Omnium bonorum potens, quia Filij tanti Mater, & ideo Optima & Maxima dicta.

DOTES illustrissimas, & proprium regentium paludamentum diximus esse clementiam, & magnanimam liberalitatem. Deo ergo, infinitam sicut clementiam; ita & liberalitatem, tanquam divinæ naturæ propriam, tanquam præcipuam, summi & infiniti Monarchæ dotem adscribimus. Orbis ergo totus cùm sibi applaudens agnoscat sanctissimam Virginem, beatissimis cæli comitiis, & æterno sanctissimæ Trinitatis decreto, augustissimam Reginam, & Dominam rerum omnium renuntiatam, cur non liberalissimam proclamabimus? cur illustrissimam sui Principatus fortunam, & Dominatricem Monarchæ dotem, quæ est munificentia; quis, nisi lubricæ, dubiæ fidei, & effrons audeat illi denegare? Si Filius Rex Regum, & Dominus Dominantium; an non & Mater tanti Filij, legis naturæ irrevocabili præscriptione, Regina, & Domina Dominantium? Per Filium tantæ Matris, Reges regnant, Proverb. 8. vel, ut Pagninus vertit, *Per me Principes habebunt Principatum, & Principes omnes judicant terram*; sic per Matrem. Quid enim Justitiæ splendòr vehementiùs deposcit, & vendicat jure suo, quàm bonorum inter Filium, & Matrem indivisam societatem, & liberalissimam communionem? Ne mireris dictum indivisam societatem: nam sicut unitas dividi non potest, sic Filius tantus à tanta Matre dividi non potest. Et quomodo dividi posset, cùm tanta Mater totum Filium ut suum sibi vendicat, absolutumque jus Dominij sola in Filium, generationis naturalis ordine, tanquàm Filij Principatum acquisivit? O felicissimam Matrem! si ergo Mater dicat hunc Filium suum, cur non Filij bona dixerit sua? Si Matri subjectus Filius, cur non bona omnia, quæ subjecta, & subdita Filio? Utrimque stupor, ait

Deum decet summa liberalitas quia Rex regnans, sic & Virginem quare Regina.

A Bernardus *serm.* 2. super *Missus*, utrimque miraculum, & quod Deus fœminæ obtemperet: humilitas absque exemplo; & fœmina Deo principetur: sublimitas sine socio. Meritò ergo dicimus Virginem, quia Mater, cæli, terræque Reginam, atque Dominam hæreditariè consignatam. Audiamus Damianum: *Oportebat Dei Matrem, ea quæ erant Filij, possidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut Matrem Dei adorari.* Quamquam sic semper comparatum est, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur; nunc autem sacrorum fluminum fontes sursum fluunt: etenim Filius Matri omnes res conditas in servitutem addixit. Totum ergo regnum Filij sui vendicat, quia

B Mater Regis coronati. Filius potentissimâ suâ voluntate implet omnia solo nutu, & diligentibus se omnia laudabilia, & eximia largitur: ita & sanctissima Virgo, potentissimâ suâ voluntate cumulat omnia suis bonis, quæ Matri Filius donavit. An non ideò donavit, quia se Matris agnoscit debitorem, cui nos omnes omnia debemus, tanquàm optimo & maximo? Utrumque nomen, & titulus nobilis; nobilius tamen Optimi, quàm Maximi. An non omnibus prodesse nobilius, quàm magnas opes possidere, & magnâ prævalere potestate? Quare & Varroni, dives, Divus dictus. Deus enim cum omnibus bonis cir-

Virgo sacratissima, quia Mater Dei, omnia possidet.

Nobiles Tituli Optimus & Maximus optimi tamen nobilior.

C cumfluus toto impetu fertur, ut laborantibus dexteram porrigat auxiliatricem, & miseriis sublevet afflictos. Quare & Deus à dando, & Jupiter à juvando, nomen propitium liberalitatis, & munificentiæ est consecutus. Omnia debemus Filio, tanquàm Optimo & Maximo; sic debemus & Matri, tanquàm Optimæ & Maximæ: pronius tamen titulum Optimi inaugurabimur, quàm Maximi; quamvis maximam tamen confiteamur, & per omnia similem Filio: qui Deus, à dando dictus; sic & illa, quia Mater Dei quodammodo Diva vocari posset suis donativis liberalissimè profundendis. Quid enim dicis, cùm vocas eam Matrem

Diva Virgo esto Maxima, Optimam tamen vocari.

Matrē Dei, nisi gignere, & parere Deum? dare suam essentiam, suum corpus, suum sanguinem? quàm habere jus in Deum, velut suum infantem, suam prolem, ex omni parte suam? & quantum Mater est, habere similem sibi filium; ita ut Deus agnoscat, testeturque Virginem esse suam Matrem, cui suam debeat humanitatem: & cum illam intuetur, intueatur illam, à quâ Deus acceperit novū, ut dicunt Philosophi, esse, initium sui, quàm ut Matrem agnoscit sui nobilissimum decus, portionem, suamque substantiam, & omnibus favoribus, privilegijs, gratijs, quantum potest, adæquat. Quid enim rationi magis consentaneum, quàm Matrem dignitati Filij, quantùm potest, pariari? Quàm indignum Deo, Matre vili, degeneri, projectaque nasci, quàm indecorum, Matrem, aversa indole abesse à Filio? quàm magnificum, Matrem fulgere stemmate filij. Matrem & filium reciprocantibus studijs, & affectibus mutuè respondere: filium deferri Matri, & Matrem Filio omnia dignitatis officia. Quæ non debetur reverentia sanguini? Summa. An non Virgo Deo consanguinea? an non jure dicere potest: Fili Dei Patris, sanguis mi. An non propter arctissimam conjunctionem sanguinis adeò altùm provecta, ut altiùs ire, nec provehi potest? An non Filio suo dicit, quod Deus Pater, ὁμοῖος es mihi? Qualem dicemus hanc mulierem? an non illam, id est, cujus præconem, & encomiasten agit, quasi pronubus Salomon, dum ait: Proverb. ult. *Mulierem fortem quis inveniet?* fortissimā scil. & liberalissimam, indolis Divinæ, affectus Materni, filij sui æmulam, cujus natura, bonitas, & extremè liberalis, cum qua sunt divitiæ, gloria, & opes superbæ; omnia illi adsunt, partim jure Justitiæ, partim & ex gratiâ, quæ Filio, iure naturæ. Quare optimè, & Divinè Angelus pronuntiavit: *Dominus tecum.* Juxta illud Lucæ 1. vers. 28. Dominus opulentissimus, & tu cum illo: Dominus liberalissimus, & tu Domina cum illo: Domini sunt omnia propria, & eadem tibi propia cum illo. Quare Bernardus Serm. de Nativit. *Si quid est spei, si quid salutis, si quid gratiæ in nobis est, ab ea noverimus redundare.* Cùm itaque prima dos regnantium sit clementia, & liberalitas, quis Reginæ tantæ pulcherrimam dotem derogavit? Jamblicus apud Stobæum Serm. 4. liberalitatem vocat Imperij summam. Alius, specimen gloriosi principatus. Nonnulli, Regalem notam animi dominantis. Assuerus uxorius in amoris ostentationem, Esther 2. posuit Diadema Regni super caput Esther, & voluit esse Reginam. An non Filius Dei plusquam Assuerus, & Mater Dei plusquam Esther? Hâc de causâ Cantic. 4. properâ voce citatur: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Quid est coronari nisi insigni Regio, Regiaque coronâ donari? Blando ergo invitamento compellatur ad dominatum Regni, sic enim transfertur, *coronaberis*, id est, dominaberis. Et quare de Libano? Libanus mons est cultu, amœnitate, supra quàm dici potest speciosissimus, frugibus odoratis, omnium fructuum, florumque varietate in certamen omnium terrarum luxurians: ubi Lilia, Rosæ, Hiacinthi, & deliciarum affluentia ad inexplebilem cum odoratis, & thuriferis à stirpibus voluptatem regnat. Quare & Isaias 33. cum animam Deo, gratijsque Divinis gravidam depingit, solemni ritu, voceque ait: *Gloria Libani data est ei*, Libanus à candore nivium, candor dictus. Vel thus, juxta Tertullianum lib. 4. in Marcio. cap. 11. eleganter Libani montis injectâ mentione, qui thuris vocabulo est apud Græcos, est enim Libanus idem quod thus. Virgo ergo sanctissima, eò quòd gloria Libani sit data, cornucopiâ omnium bonorum, omnium gratiarum, & virtutum gloriâ circumfulgeat, jubetur ut Regina, ut Mater, ut Domina incedere: jubetur mortalibus esse arbor vitæ, quæ vitæ fructum nobis germinavit, protulitq; Si Constantinus Manasses in Annalibus, Imperatorem Marcianum vocarit δένδρον χαριτόφυλον, non pomis, & frondium viriditate, sed gratijs undique plenum; Te, ô Domina, compellabo δένδρον χαριτόφυλον, omnibus gratijs, & virtutibus amictam, atque circumfluam. Et quia ejusmodi es; veni coronaberis, & declaraberis, coronata Domina rerum omnium. Bene ergo Bernardinus Senensis Tom. 2. Serm. 6. art. 3. cap. 3. istud est diadema speciei, & corona gloriæ, quâ Virgo super omnes coronatur, ut intra Trinitatis gloriam, ipsa sola amplius sit evecta, ac plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, fruatur, quàm omnis creatura simul sumpta, de cujus gloria participat universi, tanquam de puteo aquarum viventium.

Filio simillima in donorum profusione. *Virgo SS. coronata.* *Quare dicitur gloria libani data.*

§. II.

Forma corporis Virginei annuntians eloquitur, & exprimit Virginis Regiam liberalitatem.

Domicilium animæ corpus, illa cùm videri non possit, ex corporis lineamentis, velut domus pulchritudo, ex vestibulo cognoscitur. Magnanima Virginis liberalitas, animæ suę paradiso demetata, non nisi factis, & prorumpentibus operationibus spectabilis se prodit. Quò autē summâ fiduciâ ad Virginem velut Aram omnis felicitatis, alacres properemus, Spiritus S. omnia lineamenta munificæ, magnæq; animæ, velut dotes Imperatorias, in Virginei corporis pulcherrima fabrica,

τημάπερ. Sinistra autem habeat genium A aversum, an non ideò apud Græcos σκαιὰ vocata ab σκιάζειν, eò quòd tegenda sit, & munificentiæ invisa, & dispari fato tendat in persimoniam. Quare Matth. 6. v 3. jubetur, ut sinistra ignoret opus liberale, quod dextra peragitur. At Virginis manus tornatiles, discrimen ignorant, tanti est læva, quāti est dextra, sicut & filij, qui lævam sub capite Matris, & dextra amplexatur illam, Cant. 8. Verùm in Virgine utraque manus spargebat dona munificentiæ. Quare optimè de Virgine dicitur: *Operata est consilio manuū suarum, & panē otiosa non comedit*: Prover. 6. v. ult. *confessio enim, & magnificentia opus eius.* utramq; enim manum aperit, plenam munificentiæ bonis, similis hoc in genere Lunæ, quę nunquam pulchrior B apparet, quàm quando plena, ut ait Philo. An non Luna plenissima, & pulcherrima Virgo, quæ omnia bona profundit, nec dando attenuatur? Verùm quare tornatiles, facilesque? Multò gratius donū venit, quod facili, quàm quod plenâ manu datur. Utar verbis D. August. in Ps. 146. ubi describit nobilitatē Eleēmosynæ: *Sudet*, inquit, *Eliemosyna in manu tua, quò usque invenias justum, cui des.* Quare & προθυμίαν, id est, promptitudinem muneris loco ponit Nazianz. orat. 16. ubi ait: *Muneris loco, da animi promptam voluntatem: si nihil habes, illachryma.* Hoc quamvis in Virgine locū nō habeat, possidet enim omnia, etiamsi omnia profudisset; nihilominus tamen & lachrymas in victimam pro peccatoribus litat Deo, ubi necessitas egentium periculo laboraret suo. *Miseretur ergo illa in hilaritate,* juxta illud Roman. 12. & summâ promptitudine, in uno munere duplicat munus. Si Cassiodorus ausus suum Gothum Principem his verbis extollere: *Regnantis facultas tum fit ditior, cùm remittit, & acquirit nobiles thesauros fama, neglectâ utilitate pecuniæ.* Virginis manus semper sunt plenæ, instar plenæ Lunæ, quæ tum sibi videtur proficere, quidquid contulerit inopi, sibi crescere, quidquid erogaverit, quò plura dat, pluribus abundat. Optima ergo, & maxima est SS. Virgo, in cujus pectore, velut amātissimæ Matris affectio, & adversus mortales, charitas moratur. Hinc Nazianz. audet: *Calamitosis est*, inquit, *quodammodo Dea*, sicut Deus, D Dei misericordiam imitando, quam nos ut Altricem generis humani diligimus. Et sanè cur non diligeremus? si enim, teste Aristotele lib. 4. Ethic. liberaliter φιλοῦνται, diliguntur, & omnium præconio celebrantur? An non liberalitas maximè caros facit? cur non eam diligamus, quæ plenis manibus, semper & ubique, & quocumque pergit, inceditque, spargit indefessè munera. ô Divinam liberalitatem! & cùm maxima dat, exigua se dare putat.

Dextra auspicatior sinistra.

Prompta & facilis donatio.

Duplex munus quando.

§. III.

Qualis, & quanta sit affluentia donorum.

SI Zephyro comparârim Virginis fœcunda molimina, fructusque liberalitatis, instituero collationem Virginis munificentiâ inferiorem, & quasi indignam: attamen ut ille per prata fœcundat violaria omnes veris opes inducit, venas roris cælestis apertas per agros, & florea prata dispergit altiori modo SS. Virgo, ut infrà videbitur. Pulchrè vim spirantis zephyri, & irrorantis flatus potentiam depingit Claudianus l. 2. de raptu Proserpinę:

——— Madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat;
Quaq; volat, vernus sequitur color, omnis in herbas
Turget humus, medioq; patent convexa sereno.
Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Imbuit, & dulci violas ferrugine pingit.
Non tales, volucru pandit Iunonia pennas:
Nec sic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hyems, cùm tramite flexo,
Semita discretis interuiret humida nimbis.

An non universitas afflatu favonij, quasi no- C vâ, & vitali specie animatur, & nativis luxuriat nemus omne divitijs, & florum tapetis insternitur? Majori afflatu Virginis venit omnibus decus, & vitæ felicitas: dispergit pluviæ ritu flores omnis honestatis, neminem non perfundit, nivibus amoris casti, & facibus charitatis accendit. Quocumque incedit Regina, pandit, & explicat miracula suæ virtutis. Hîc debellat immanem, telis Angelorum, Tyrannum: ibi immortuos sceleribus animat: lucem, fugatis tenebris tentationum, divinam reducit: socordes, desidesque excitat: certantibus trophæa proponit, ardentes amatores, flammis majoribus accendit, nutritque, Angelicos verò spiritus, exploratores, qui hac & illâc diversis studijs feruntur, tanquam suos Palatinos, mittit ad varias Provincias, nuncios futuræ felicitatis; si Dominam, & Reginam debitis honoribus excipiant. O Beata illa terra, quæ hanc Dominam exceperit, pro solâ exardescit, & supremum spiritum pro illâ profundit.

Hanc munificentiam studiosæ voluntatis, magnis suæ munificentiæ operibus compensat: quotiescumque enim suos videt, quasi filios complectitur, omne studium pollicetur, & operam omnem, sine ullâ exceptione, aut laboris, aut occupationis, aut temporis. Retracto verba quæ dicta, laboris, aut occupationis, aut temporis; summæ scil. illi deliciæ, non labor. Excessus amoris in nos, & illi voluptuaria occupatio. Tempus illius, nostrum, est

quod totum laborat nobis. Hanc Virginis, sanctissimæ munificentiam, Lucerius Avernus, Principum Princeps Gallus, quantùm valuit in se, suisque actibus Heroicis expressit; velut umbrâ tamen, formosi corporis spolium. Ille magnifico sedens curru, trahebatur per obstantes, comitesque turbas, beneficâ dextrâ, aurum argentumque spargere solitus: illum Gentes innumeris plausibus in cælum vehebant, & quasi patrem patriæ consalutabant. Quæ beneficia Virginis non redundant in genus humanum? cùm omnia dederit, nihil datum æstimat, Tantus, in liberalitate summâ, liberalitatis excessus. Vide excessum. Scimus dominam: scimus & Matrem, Matris nomen, affectat summo ambitu, non dominationis. Quare & Magnifici Principis instar, mavult beneficijs experiri hominum ingenia, quàm alijs remedijs, quod uni Trajano concessit Plinius. Omnes enim delectationes sunt in dextrâ Virginis, Psal. 15. vers. 11. His illecebris perfundit animos hominum, his domat, velut certissimis sagittis mortale genus, ut ad se, velut Civitatem refugij, & asylũ trepidantes accurrãt. Hujus magnificentiæ comitissima Mathildis Matronarũ decus unicũ, magnũ orbi dedicavit, suæ mausoleum, & monumentũ virtutis. Hæc imprimis (instar Amazonis, vel Zenobiæ bellatricis, quæ cum Aureliano principe Romano bella memoratu digna gessit,) pro incolumitate Sedis Apostolicæ, arma tulit, bellaque gessit, & suum patrimonium Regificâ manu consignavit. Hanc, Accursius Juris Interpres. D. de Judicijs lib. etsi mirificè collaudat, extollit tamen altiùs, à summâ donationis Regiæ modestiâ, dum donationem suam ad triginta milliariâ terrarum Sedi Apostolicæ addixit, decrevitque, cavitque, & extenuat hisce verbis: *Aliquantulum*, inquit, *terræ Ecclesiæ concedo*. An non hoc est, summam munificentiam, majori modestiæ claritudine extenuare, & quasi nihil ducere? De hac Mathilde sua olim Principe ac Marchionissa est, quod Antuerpia orbis oculus sibi applaudat. Hæc anno 1115. Romanos Pontifices, Christi Domini Vicarios, armis arreptis, tutatus est. Felix & beata Virgo tantis factis, quæ ultura injurias summis Pontificibus illatas, non dubitavit Henricum Quartum Regem, & Pseudo Pontifices armis persequi, & ut mortua posset sacrum orbis caput tueri, Romanæ Ecclesiæ magnam partem Tusciæ legavit, quod hodie Patrimonium sancti Petri vocatur. Vide Baronium. Quare Virginem sanctissimam nostram, quis non vehementer admiretur, quæ seipsam quodammodo superat, dum seipsam, & Filium donat? Vocabo ergo illam, εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, imaginem Dei, qui Sapientiæ 8. se sine invidiâ communicat. Dat enim omnia sine fastidio, sine sui diminutione, solâ honestatis causâ, ut Græcis placuit, liberalitatem definire, καλῶς καὶ ὀρθῶς. Convenit illi altiori modo, quod Aristoteles lib. 1. Rhetor: ait, ἔχειν καὶ ὑπερέχειν, posse dare, & habere, & præstare alijs, atque excellere. Et ita est. Actor. enim 20. docemur, beatius esse dare, quàm accipere, ex oraculo Divinæ Sapientiæ. Zapphirus est ipsius liberalitas, hic omnes opes evocat terrarum, quas summâ opulentiâ ditat. Virgini omnes opes cæli ut totum orbem opulentet. Maximas largitiones postula: non est quod imminutionem ærarij inexhausti formides, delibando crescit. Non evenit illi, quod summis Monarchis solet obvenire, quibus sæpè sera in fundo pasimonia, & quorũ liberalitas, liberalitate perit, & profusæ largitionis comes est pœnitentia. Vel ibi ærarium exhauserint, per scelera solent explere. Nostrę Principis proprium, ut liberalitas liberalitate provocetur:

Principis Galli. Munificentia.

A

B

Ut solet effuso surgere flamma mero:

Vel instar fluvij, qui perruptis repagulis, objectisq; molibus in obviâ procurrens inundat Exsuperat omnem vim dicendi tanta liberalitas, quæ ejusmodi est, ut conferat dona non reditura solùm, verùm perditè peritura. Una causa dandi bonitas, non merces. Utitur natura sua, benefica, quæ & unmerum suorum malos Interpretes juvat. Nullam vim, nisi salutarem habet: nimirũ: ut omnibus prosit, obsit nemini. Quare putamus Spiritum S. collũ, & aures Virginis, *murenulis aureis, & vermiculatis argẽto* (Cant. 1.) pretiosissimè exornari. Quærant in corporis cultum augendamq; gratiam ambitiosæ mulieres, quibus semper aliquid est, ut tota pulchritudo accersatur. Huic Virgini, cui in totum tota pulchritudo speciosissimè affluit, ut non tam pulchra, quàm ipsius pulchritudinis forma, & imago spectetur: Quid opus est monilibus? quid gemmis? quid murenulis aureis? fulgeant illæ vestibus auratis, niteant colla margaritis, graventur aures Orientis lapillis, incedant cõchyliatæ, quibus forma pretio constat. Virgo non petit foris suum decus, non emendicat extrinsecus à gẽmis mutuum ornatũ, illa sibi est ornamento, sicut & adscitis forma, quam circumfert, cælesti radiat luce, non indiga est opis externæ. Virginale decus, & puritas, blandientem exosa refugit luxũ vestium, luxuriæ nidum, prælusorem dulcis naufragij. Quæ cùm ita sint, & quidem verissima; spiritus tamẽ sanctus, Virginitatis acerrimus turor despondet Virgini murenulas aureas, dũ ait: *murenulos faciemus tibi, vermiculatas argento*. Paucis opus ad intelligẽtiam sensus. Quid murenula, nisi piscis genus qui captus vertit sen in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur, lentescente quippè metallo in tenues virgulas discretas intervenientibus notis argenteis, sicut in ipso pisce septenis maculis, formã piscis exprimit, refertq, ut habet Plin. l. 9. c. 23. Hic piscis cum sit Delphino celeritate pernicissima par, ad subitæ vocis, cum sit accutissimi auditus, sonitum se sursum, instar fulguris librat. In nostrum ergo commodũ, & calamitatis

Stupenda Virginis liberalitas.

C

Cur Spiritus S. ornat Virginem murenulis aureis cum ornatu non egeat.

D

Murenulæ proprietates.

lamitatis delimentum, ornantur Virginis aures murenulis aureis. An non ut doceamur, Virginis aures, omnium vocibus, & clamoribus etiam inconditis, & silvestribus patere, nulli obsurdescere? Parum dixi: nô enim vocibus tantùm, sed etiam minimis desiderijs, imò minimo cordis motui, & minimis desiderijs penetrale sacræ aulæ patefieri: aditum mollissimum, & omni indulgentiâ plenum accessum dari. Dixi minus à vero. Dico ergo audientiam, non rogantibus tantum dari, sed & ultrò offerri, imò recusantibus dulci quâdam violentiâ, vim adferri. Adeò fons inexhaustæ liberalitatis non tantùm providet omnium necessitatibus, verùm & nobis providendo in delicias amamur omnes, & velut à Matre tenerrima in schola delicata feliciter educamur. Et in hoc, Filium perfectissime æmulatur, ut decet, qui mortalibus omnibus obvius venit, & exquisitus se celerrimè sistit, ut docet Aug. in Ps. 3. v. 3. *Exquisivi Dominū, & suscepit me.* Noli aliud extra illum quęrere, sed ipsum Dominū quære, & exaudiet, & adhuc loquente te, dicet: Ecce præsens adsum, quid vis? quid à me quæris? quidquid tibi dedero, vilius est, quàm ego, meipsum habe, & inhærebis mihi: hoc tibi do, dicit Deus. Cetera onera ego à te deponam, ut totus mihi inhæreas, cùm hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero, ut sis æqualis Angelis meis, & semper videas faciem meam, & gaudeas, & nemo auferat gaudiū tuum à me, quia inquisivisti Dominum, & exaudivit te, & ex omnibus tribulationibus tuis eruit te. Tātum Filiū tanta æmulatur Mater, ut ad minimorum suspiriorum motum advolet, vires inspiret, sublevetq; exspirantes. Bene itaq; dicitur: *Operata consilio manuum suarum.* ut manus ferendis suppetijs, non minus sint expeditæ, quàm sit promptissima voluntas. Hæc dum scribo, an. scil. 1648. circa finem Maij, hujus inauditæ liberalitatis auxiliatrices animi in supremo puncto supremæ necessitatis, & instāris mortis manus porrectas testis oculatus partim, partim & auritus ab ipsis, qui Virginis liberales, festinantesq; amores sunt experti, didici. Adolescens Catholicus in Hollandiā migrarat, ut solet ista ętas esse avida rerum novarū, ibi consumpto censu, & vitæ necessarijs, tandem desperatione, & egestatis malis victus, quasi malis exuendus, in mare se præcipitavit. Verùm dum præceps ruit, Virginis opem implorat, & ecce ab undis excipitur, nec mergitur, sed instar suberis supernatat rudis natādi: accurritur, undiq; scaphis piscatoriis in auxiliū, pergit ille nomen Virginis altâ voce intonare. Hæretici ad vocē SS. Virginis jurare, detestari naufragum, & veneficū dicere, qui more veneficarum aquis superflueret: (consuetum enim hoc experimento, veneficas explorare, quæ si fint, mergi non possunt.) Vice ergo subsidij contis, & stipitibus hominē ut mergeretur, deprimere, & maledictis incessere. Constans ergo naufragus, cōpellando Virginē; constans & Virgo, naufragum servando, qui salvus, & incolumis Antuerp. venit ad me, & totus æger confessione generali expiās vitę peccata, se ad mortem comparavit. Ecce ut ad vocem desperantis, liberalem manū, ut vitam daret, porrexit, qui sanè indignus vitâ videri poterat. Aliud præsentius adferam. Quidam honestæ familiæ irâ, & furore stumulatus exarserat, & finem mali quærēs, laqueum sibi in collum injecit; & dum pendet, Virginē vocat, & subitò ut ipse mihi narravit in sacrâ cōfessione, laqueus collo injectus eſtōrictusque, subitò fuit collo exemptus, & ipse sibi restitutus. Quas ille tum in Virginis laudes effudit: sensit ille in supremis malis Virginis liberales opes, qui quotidiè, nunquam interruptas solvit SS. Virgini Litanias Lauretanas.

Tertium erit. Octodecim milites trajectū Schaldis vehementi tempestate, & ventorum latrantibus furijs exæstuātis importunè apud Nautas solicitabāt. Hi tempestatis periti sanctè firmabāt fatalem trajectum, præsentemq; mortem, nihil esse præsidij, nec in remis, nec in arte: quod si tanta rabies pereundi, utantur scaphâ, se saltem salvos velint. Frustrà surdis, & obstinatè furentibus dicta, armis & clamoribus adiguntur nautæ. Jam in medio irati fluminis conjurant venti, agitant fluitantem lembum, sursum deorsumq; librant, vix milites, vix scapha undis ferè contecta cernitur: & ecce improviso impetu latus limbi deprimitur, & totum pondus militum eò inclinatū demergit haustam undis scapham: it clamor cælo, nonnulli se in mare præcipites donant, alij inclamant cōfessionem, quibus Saellanus spectator luctuosæ tragœdiæ eminus impertijt absolutionem. Duo nautæ, qui & fratres, ut in amore vixerant, ita & in mutuo complexu amantes jam demersi, mortuique sunt inventi. Restabant tres, quorum duos vidi, à quibus junctis dextris seriem rerum didici. Hi omnes junctis vocibus Matrem Deī Hallensem ardenter invocabant. Unus eorum stans rectus cum ipsâ scaphâ ad fundum fluminis furentis fuit demersus deductusque, de cujus vitâ jam translactum putabatur: alter verò, uncum navis arripiens ferreum, inclamans continuò Virginem, unâ cum navi in fundo subsedit. Tertium omitto, cui loqui non fuit datum. Conclamatum ergo de omnibus demersâ nec apparente schapâ, & ecce ex improviso, ipse jam sublatâ emergens scaphâ eundem militem recto corpore stantem, quem stantem demerserat, & alterum unco adhuc inhærentem pariter vivum reddidit. Vide Lector murenulas aureas factas sanctissimæ Virgini, ut liberaliter se auxiliatricem exhibuerit, ut dextram salutarem pereuntibus porrexerit, ut sidus fuerit in tempestate propitium.

§. V.

Epilogus hujus totius ratiocinij.

Disce Christiane, Virginem imitari, sit tibi vice speculi, sit tibi gloriosum, calamitosis esse pro Deo, subvenire inopiæ alienæ, ingens trophæum; beneficijs omnes devincire, summum beneficium. Crebrò usurpa illud Titi Imperatoris: *Diem hodie perdidi.* Quam vocem Imperatoriam Themistius sic vertit τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα, *Hodie nō imperavi.* Quis prætexet impotentiam spargendi beneficium, vel dandi? si non desit voluntas dandi, vel saltem miserendi, aut illachrymandi, aut solandi? Horum trium facultatem, nec crudelissimus Tyrannorum Phalaris, qui optimum quemque solitus pignerari, potest auferre, Experiare. Esto sit ingratus, quem beneficio auxisti. Non arescit fons, si manu hostili undas excèperis: nec sol fuscatur telis invidiæ. Unxisti ingratum? unget te Deus oleo Justitiæ, & pensabit telum ingratitudinis, telo aureo. Hoc didicerat Alfonsus Rex Aragoniæ, audiens ingratos, sibi ex beneficijs cessisse: Esto, inquit, nequaquam effecturi sunt, quò minus ipse humanus sim, & beneficus. Imitare & primum Romani Imperij Principem Alexandrum Severum, cui ferè par nullus exstitit: qui adeò in omnes beneficus fuit, ut etiam de se nihil meritos ad petendum invitaret, & ne Majestas Dominationis suspenderet fiduciam loquendi, (nam etiam Majestas, & amor vix unâ in sede morantur. Difficillimus utriusque nexus.) blanda suadela sermonis anticipabat hominum vota. O Phœnicem Principum! dicebatque. Quid est, quod nihil petis? non me vis tibi fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris. Hauserat illos animos à Christianis, & à magno Origene combiberat laudem veræ sapientiæ. Et fortè à Christi imagine, quam in suo Larario venerabatur.

Nulli potest deesse facultas bene merendi, si non desit voluntas.

Insignis munificentia Severi Imperatoris.

An non Chisto Deo digna hæc vox, cùm rogatus esset, quis sibi optimus Rex videretur, respondit: Qui amicos muneribus, & inimicos beneficijs cumulasset. O vocem omni Christiano Principe dignam! & quotusquisque est, qui Rex esse non possit? Rex est qui posuit metus. Tunc omnia jure tenebis, cùm poteris rex esse tui, Claudia. *de 4. Honorij consulatu*, colam te Regem tuarum indomitarum affectionum viderim. Indue Regales animos cunctis benefaciendi. Esto: desint opes: quis potest linguam patrocinij exscindere? an non illa medicatur dolores? nemo beneficium linguæ beneficæ sustulit, nisi fortè Domitianus, de quo Tacitus in vita Agricolæ: Potest nudus & inops,

Nemo adeo inops, quin possit benefacere.

A in nudum, inopemque, Regias dotes exercere. An non ubicumque est homo, beneficio locus est? Audi Senecam: Vtrum majorem, vel minorem circulum scribas, ad aspectum ejus pertinet, non ad formam: non maxima, opes, donativa faciunt magnum animum, sed voluntas prompta, & expedita pusillorum munusculorum Regem efficiunt. An non maxima dona, & hostilia esse possunt? juxta illud ἐχθρῶν τὰ δῶρα ἄδωρα. In quantam laudem Christus Dominus præco munificæ viduæ, duo minuta ipsius extulit? quantâ pompâ Christus Dominus, laciniam Martinianæ chlamydis, spectante Angelorum exercitu, circumtulit? An non vidua, & Martinus, Regum æquabat animos? ô fortunati

B nimium, qui dona norunt piæ voluntatis. Mensuram beneficentiæ statuit voluntas illa, illa est, quæ se vestit alienâ miseriâ. Dixi parum, dum dico, vestit: sicut enim intellectus per suam operationem trasfert rei intellectæ sustantiam perfectiùs in se, quàm sit res intellecta in seipsâ, ita liberalitas nobiliori modo voluntatis potentia non solum transfert suum amorem in miseros, calamitosos, verùm etiam in viri liberalis animum, induitque eum pari calamitatis sēsu, ut ex uno misero, duos creet; juxta illud Christi: in Mtath. 25. vers. 40. *Quamdiu de his minimis meis fecistis, fratribus mihi fecistis*, non aliter quàm si Christus Dominus beatissimus

C in partes calamitosi transijsset. *Date ergò, & dabitur vobis.* Noli frontem adducere, si nudus occurrat: offertur fœcundum solum, in quo feras cum ingenti fœnore. Paupertatis contactus, est tibi Virga Midæ, est tibi lapis Philosophalis: vis illi inest occulta, vertit omnia in aurum. Claudo totum hoc monito: Experiris ingratum; dissimula. Contulisti in aliquem magna beneficia, noli exacerbari, ut ex amico dubio fiat non dubius amicus. Esto tu quoque Zephyrus, tuo vitali spiritu inspirans vitam, favores, gratias, beneficia, & dona largiratis, ore, oculis, linguâ, manu, sermone, & toto corpore, omnes te beneficum sentiant.

D

§. VI.

§. VI.

Quo nomine munificentiam Virginis potissimùm enuntiabimus.

SI unquam collucentium virtutum prodigum spectavit Orbis, tunc fuit, cùm unam Virginem Imperij Romani moderatricem spectavit. An non ingens prodigium, in Aula, ubi per luxum, per illecebrarum dulcia tentamenta, per insanientis vitæ blandientes pompas, virtus titillari, & inclinari solet; stare in una Virgine erectam, illibatam, & inexpugnabilem? Hæc Virgo sancta Pulcheria: hæc curas Imperij tractare, consilijs moderari, periculis obviàm ire, arma circumferre in tutelam fratris hæredis, ne quis pupillo insidietur, penitus incubare, & in virum bonis artibus, & Religiosâ pietate educatum, formare imperio. Magna sunt hęc illustramenta virtutum, verùm omnibus excelsius, & prodigiosius, suprà exemplũ mortalium, in flore ætatis, quâ solet pudor ex circumfusa voluptate solicitari, se Virginem in Aula, in senatu, in foro privatim, publiceque in vultu, cultu Regio, in moribus, ac denique in arduis Regni actionibus semper se exhibere Virginem illibatâ Virginitate. De quâ locus dabitur. In communi orbis luctu, quasi Justitio indicto, huic sanctæ parentaturus Gregorius Nyssenus, nullum Elogium nobilius est commentatus, quàm ut eam compellaret ὑψίκομον φοίνικα, alticomam, & sublimem palmam. Hieroglyficum est præstantiũ mentium. Hanc D. Ambrosius 33. Serm. to. 5. sic depingit: Est palma suavis, Martyribus ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum; semper virens, & vestita folijs, semper palma victoriæ sacræ. Ob eam causam Cyrillus lib. 2. Glaphyr. cum palma Christum Dominum comparat. Est enim, φυτὸν ἀειθαλές, arbor florens, λευκαζόμενον, candescens, An non Christus Dominus semper à primo sacræ Incarnationis puncto, omnium virtutum, & donis gratiarum effloruit, ut augeri non posset? An non ipse ascendit palmam Crucis, & victoriam, expolias principatus tenebrarum nobis, & cælis in suo sanguine, purpureus peperit? Victor rubicundus, & candidus: candidus innocentiâ; rubicundus, tinctus triumphali sanguine. Cum Christus, & Mater unum sint: palma nobilis, Christus, palma nobilis, Christi Mater. Matrem ergo Dei palmam vocitemus. Placet auspicatum, & nobile omen. An non illi palma debetur, quæ contrivit septem capita Hydræ? *Et ipsa conteret caput tuum?* an non illi debetur, cujus fructus immortalis donat nobis immortalitatem? *Qui enim manducat hunc panem, vivet in æternum.* Panis enim quem illa

Iuxta illud Genes. cap. 3. v. 15.

A nobis dat, est caro, & sanguis incorruptibilis vitæ. An non illi debetur palma nobilis, quæ nobis offert, & parat ramos victricis palmæ, quæ nos terrarũ Dominos provehit ad Deum. *Et erant palmæ in manibus eorum.* Apocalyp. 8. *Ascendam ad palmam, & apprehendam fructum ejus:* Cantic. 7. vers. 8. An non illi debetur palma, cujus vigore vigemus; cujus invictâ fortitudine fortes, & invincibiles; cujus robore adversus omnia obdurato, obduramur, & obnitimur, nec ponderibus cedimus? In his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Placet ergo Virginem dici palmã victricem, & triumphalis capitis præmium, & munificentiæ tesseram, ex utroq; Mater, & Domina Augusta, tum quia coronat, & affluentia donorum ditat, & opulentat instar palmæ.

B Nescio tamẽ, quantum mihi abblandiatur titulus alius, ut vocem Virginem, *Oleum effusum nomen tuum.* Cantic. 1. vers. 5. & ut in Psal. 51. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini.* vel ut Syrus, *Vnguentum Myrrha nomen tuum.* prout dicitur: *Manus tuæ distillaverunt Myrrham.* Cantic. 5. Et quare manus distillaverũt Myrrham? an non Myrrha æternitati quodãmodo coæva? an non temporum patiens, & ætatem fert? an nõ corruptionis hostis acerrimus? Opera Virginis magnifica sunt, & πολυχρόνια, & æternitati commensurata: ejus dona per orbem dispersa, æternitatis præmia elaborant. Perplacet ergo, & Myrrhæ titulus; sicut & thuris. Vade ergo ad montem thuris,

C & Myrrhæ, fabrica ibi æternitati opera consentanea. Animo tamen meo blandius arridet olei nomen, & titulus. Quis enim ignorat nominis appellatione rem significari? Sic populus ait *in Pandect. D. de verborum significatione* lib. 4. Oleum ergo effusum nomen ejus, non vulgare, sed oleum ex nobilissimis, vel aromatum selectissimis floribus distillatur, & omnem vim cujuslibet nobilissimæ, selectæque exsugit substantiæ, quam distillationem Medici vocant quintam essentiam. Unde & Arabicus Textus habet: *Nomen tuum unguentum suave, effusum.* Quare & in Hebræo pulchra Paronomasia: nomen tuum est oleum, oleique Numen, quasi diceretur: Unguentis cælestibus perfusa tota à Spiritu sancto olei

D Numine, suavissimè oles, atque admirandis dictis, & factis, tantum tibi comparasti nomen, sic ut inclyta tua fama, quæ olim intra domesticos parietes se continebat, per Doctorum prædicationem, & miraculorum magnitudine, & liberalitatis tuæ ostentatione, totum orbem peruaserit, totoque, quâ patet, orbe celebretur. Quare existimas dici effusum? Primùm, ut incomprehensibilis magnitudo liberalitatis, omnium literis, sermone, & famæ gloriâ prædicetur. An non instar olei, cujus natura est diffusiva sui, ut alia saturet, & sui exinanitione exhauriat se usque ad extremum sui. Virgo ut expleat nostra vota, seipsam videtur exhaurire, sine ulla imminutione sui. Ubi tamen cetera se contrahunt

Quare dicatur nomen effusum.

 elementa,

elementa, & formam circularem, formarum perfectissimam induunt, ut aquæ in orbem, ignis in conum. Dicitur præterea effusū: non enim pretiosa unguenta, nisi diffusa, exspirāt, & exhalant suæ suavitatis latentes illecebras: effusa placent, delectant, afficiunt sensus, & recreatos demulcent: tunc persentiscimus suavitatem, delectationemque, tum etiam efficientiam cognoscimus: sicut solis cognoscimus, quod is diem efficiat toto cælo luce diffusa. *Oleum ergo effusum nomen tuum*, quia Charismatibus S. Spiritus exuberās, tota quāta, plena es; juxta illud Angelici spiritus oraculum, *Ave gratiâ plena*. Et quidem tam plena, ut vires humanæ incurvatæ succumberent, in infiniti Numinis potentiâ, tantos fulgores alis suæ Majestatis obumbraret. Quare & oceanus sine fundo sine termino, nullis ferè finibus circumscriptus, dicta. Ornata es atque peruncta affluis, & per orbem diffūdis. Quid ergo diffundit SS. Virgo, oleum tranquillitatis, pacans, componensque mentes hominum pavidas, æstuantesq;? quid oleo tranquillius? an non sua fluidâ, lentescenteq; mollitudine, oceano furenti medetur, fluctusque moderatur? Sic Virginis imploratum nomen, motus animorum tumidos, insolescentesq; componit, temperatque. Non est quod te terreat pudor vilis sanguinis: vilissimi sanguinis curam gerit, quin imò, grandis etiam illi jactura vilissimi: nullus enim illi vilis, cū omnes adæquet, omnes dignatur olei benefici gratiâ. Olei naturā paucis absolvit Plin. l. 15. c. 4. Olei natura est tepefacere, & contra algores munire. Virginis oleum gelidas, & gelu induratas suo calore solvit animas. Olei natura, mollire membra, artus, & nervos flexibiles, ductilesq; reddere: Virginis oleum, suâ flexaminâ oratione peccatis constrictos, rebellesq; mulcere, regere, ad se deflectere. An non Palæstritæ, & Athletica corpora oleo delibuta, luctātur fortiùs, eluctantur hostē animosiùs? & sese invicē elidunt gloriosiùs? an non oleū, & unguentum quod variorum odorū permistione conficitur, & voluptatis, & deliciarum causâ in convivijs adhibetur, hilaritatem, & amœnos spiritus afflatu conciliat? Cicero in Tuscul. *aderant unguenta, coronæ, odores incendebātur*. Et ad Atticum: *& Cæsar unctus accubuit*. Vide Horatium. Oleum, & unguenta Virginis Athletas creant, Palæstritas roborant, & reddunt inexpugnabiles: nam ipsa uncta oleo lætitiæ præ consortibus suis, suos & ungit, & hilaritatē animis infundit, illos lętos, nitidosq; facit; juxta Ps. 105. *Vt exhilaret faciem in oleo*: diffundit delicias: delectationes enim in dexterâ ipsius: sunt enim unicæ delicię, nobiscum deliciari, suos verò luctatores non solùm pugnaci firmitudine, & omnis armaturæ præsidijs, ut solēt armari æterni, apud Persas, Equites, instruit, & inexpugnabiles in prima acie statuit, verùm etiam partâ victoriâ, solemni pompâ, ex certamine redeūtes coronat, oleâ victrice, tanquam Reginâ, oleæ dominatrice.

Olei virtutes.

Virgo suos certantes ungit.

Roma. inquit Plin. l. 15. c. 8. *majestas honorē oleæ tribuit, turmas equitum ex ea coronando, & ovantes minoribus triumphis*. Athenæ etiam palladis sacrâ arbore, oleâ scil. victores suos coronabant. Oleâ utimur ad victoriæ trophæa: oleâ pascimur, oleâ ungimur, oleâ lucem porrigimus. Unde tanta, orbi lux fidei, nisi ex lucernâ olei Virginei, quod ubiq; sicut raritate, ita & pretio pretiosum commēdatur? Lucernam voco, de quâ Salomon Prov. ult. *Non exstinguetur de nocte lucerna eius*, in sugillationem Virginum fatuarū. Illa dat nobis de oleo suo, ne lampades nostræ exstinguantur. Virginis enim lampas, teste Bern. in illud Matt. 25. *Date nobis de oleo vestro*. ardentissima etiam ipsis Angelis miraculo fuit, ut dicerēt: quæ est ista, quæ clariùs ceteris rutilabat, quam Christus Filius replevit olei gratiâ præ participibus suis? An non ex vero eam Damasc. in orat. de Virg. dormit. Soli comparat: Sol enim perennem in se lucis fontem scaturientem habet, imò ut rectiùs loquar, ipse indeficiens luminis fons est. Ad eundem modum, tu quoque perennis veri luminis fons, & inexhaustus vitæ thesaurus, & uberrima benedictionis scaturigo, quæ nobis omniū bonorum causa, & parens extitisti, sacros latices cælestis gratiæ dum procuras. Verè de te dicitur ô Virgo, *Oleum effusum nomen tuum*.

Vt Lauru ita & olea coronantur victores.

§. VII.

Titulus veræ Liberalitatis Virgineæ.

Facta est quasi navis Institoris, de longè portans panem suum.

Iactet & extollat Antiquitas navem Argonautarum Principū, quos inter primi caput extulerunt Jason Comite Medeâ Regis Æte filia, Hercules, Orpheus, Castor, Pollux, Amphion, Hylas, Polyphemus, jactet & celebret furtivè raptū vellus aureum, nobilem scil. & opulentam prædam; jactet & extollat Deæ Palladis consilio ex Eone arbore, (ut scribit Alexander Cornelius) similem robori viscum ferenti, quæ nec aquâ, nec igne corrūpi potest. Quale viscum agnoscat Plin. lib. 13. c. 22. glorietur deinde Antiquitas navem operâ ingenij sui in cælum translatam. Magna sunt hæc; at figmenta & spolia, mendacium ingeniorum. Commodè opes gentilium transferamus in nostras. An non Virginis navis vehebat vellus non aureum, sed vellus aureum veri agni, qui abstulit peccata mundi?

Celebrat dignâ encomijs Sereniss. Reipub. navem Justinian. Hist. l. 14. Erat, inquit, navis magnificis ornamentis constructa: erat sublimis, columellisque frequentibus culta, auroque à prorâ ad puppim præfulgida.

Ducale

Ducale solium in frontispicio superiori tabulato collocatum, ubi Princeps, inter Legatos Consiliariosque medius sublimis residet. Circum per subsellia summus Patrum ordo, Majestatis, & silentij plenus. In inferiori contabulatio contis remiges agunt navem, & remulo interdum tanta moles agitur. Justitiæ deinde simulacrum auro fulgens, cujus dextra nudum ensem, læva æquilibrium tenet. Dignum visu, & Majestate serenissimæ Reipublicæ miraculum. Verum quantum humana rebus Divinis, sic omnis navium apparatus cedit navi prodigiosæ hujus Virgineæ. Navē ergo Argonautarum Principum umbram dicemus nostræ, inani se jactet labor humanus eloquio, sileatque ad magnificentiam navis hujus. Esto sit illa nobilis vellere aureo, at furtivo & fabuloso: nostra circumfert ipsum Agnum velleris aurei Auctorē. Esto dicatur illa, quamvis fabulosè, fabricata cōsilio Palladis: hæc fabricata manu omnipotentis Dei: illa arbore Eone, quæ nec aquâ, nec igne corrūpi potest: hęc nostra nata incorruptioni, & perēnitatem generans, nec cariem, nec senectam sentiens, semper similis sibi, & æternitati data. Gloriatur Antiquitas in cælum translatā: hæc nostra, & vecturam solvit, & vectores suos in cælum secundis ventis transmittit.

Principes vellere aureo potiti, gratitudinis æternique monumenti causâ, Virgini nostræ pariturae nobile templum erexēre, quam nos toto orbe ut Virginem jam Deiparam omnibus obsequijs veneramur. Dicamus ergo illam Argonautarum navem, fuisse figuram & umbram nostræ navis, quæ navigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu sancto dirigitur, portans secum magnū, & inæstimabile pretium, suum scilicet filium, quo omne genus humanum, vel potiùs totum mundum mercata est. Hæc est illa navis sancta; sancta scilicet, & incorrupta anima, quæ nec igne concupiscentiæ, nec aquis corruptionis tacta, vel adusta fuit, quæ abyssum gratiæ invenit, & duplicem Virginitatis navē, animamque, & corpus incolumem custodivit, servavitque.

Si Serenissima Respubl. immanibus sumptibus navem insusitatam in gloriam, & magnitudinem sui ducis elaboravit, ut nonnulla ex parte suos animos splendori ducis æquaret; quàm magnificâ decuit vehi nave summum Deum? an non artificem Deum poscebat navis? dedecebat alia Dædalia manu fabricari, quàm Divina quæ Deum habitura erat vectorem, ad cujus classicum omnes depropérant creaturæ. Virgineam ergo navem dicamus navem institoris.

Hujus Tituli gloriam debemus Salomoni, tanquam inventori. Proverb. 31. qui quasi suæ Neptis aliquando futuræ Paranymphus, & Vates sacro prælusit oraculo, dum canit, exclamans: *Mulierem fortem quis inveniet? facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum.* Et quemadmodum Sol parens, & nutritor omnium, pernicibus alis cælum pervolitat, terras suâ luce perfundit, fœcundatque: ita & Virgo maximæ, & excelsæ navis instar, velis explicatis, remis in certamē concitis, Insulas & quidquid oceano alluitur, terrasque penetrabiles circuit, obit, & curiosissimè perlustrat. Per præcones exscensa navi in diversa terrarum missos, oblatas merces generoso vultu adducit venales sine pretio, pretium emptionis definiendum accipientis voluntate. Placent gemmæ, placet Adamas: placent lapilli, orientis oceano petiti: placet, quidquid cæcâ avaritiâ, terræ visceribus, venisque effossum nitet. Dabitur quod optas: adfer inexplicabilem cupiditatem, summam votorum explebit. Nunquam fatigabitur liberalitas, dando, nisi voluntas lassetur, accipiendo, ut infrà dicetur: omnes provocat blādis invitamentis: liberalis est, non ut gratiam exigat, vel beneficium fœneretur: favori tunc dat, cùm gratis dare potest. Navis ergo dicitur institoris de longè portans panem. Ubi Hebræi habent: *fuit sicut navis circumeuns, de longè adducet panē suum.* An non induit formam Imperatoris terrestris, qui ceteris quiescentibus, pervigil, vigilias obit, circuit castra, stationesque perlustrat? Vendicat ergo, Architalassi partes sibi, circuit, & lustrat singula, ut singulis provideatur. Septuaginta sic habent: *Facta est autem navis, mercaturam exercens de longè, congregavit autem hac vitam.* Pulchrè, an non panis, vita hominis? *Vinum lætificat, panis, & cor hominis confortat.* Verùm ut videas opulentiam Regiam Virginis, & ineffabilem donorum apparatum: si ad originalis vocis vim attenderis, sic habetur: *Facta est quasi navis, classis instar magna, omnibus mercibus, & divitiis instructa, totum oceanum, quà patet, hostilibus formidolosa pernavigat.* Et quâ ratione pervolitat indefessa noctuque diuque vectoribus, sive sopitis somno, sive aliud agentibus: illa tempestatum secura, ventosque irrisa, iteratas relegit vias, alatisque velis inauditâ celeritate omnibus adest, nemini ad auxiliū tarda mora. Instar classis ergo adornatæ, spatia ingentia oceani emetiens, omnia maria intuta, tuta atque omni periculo vacua præstabat. Facta est ergo navis, sive ingentis classis, navis Prætoria, sive Imperatoria freta fastigio inexpugnabili, & amplitudine, in altitudinis, & stupendæ molis ostentationem, & quamvis turribus, atque tabulatis allevata castelli, vel Urbium specie foret, expedito tamen cursu mare decurrebat, quamvis magnæ moles non sine gemitu maris, & labore ventorum ferātur. Virgo ergo classis Prætoria, pacem, bella, & mercaturam exercet: pacem, quia ramos olivæ porrigit, & quod Plutarchus Romanis tribuit, est velut anchora fluctuanti mundo. Quæ Numine Dei electa, quæ cælum clarius faceret, sparsaque congregaret imperia sub filij Imperium, ritus molliret efferos hominum, & tot populorum discordes sectas, cultus

tus execrabiles, unuius Fidei commercio contraheret ad veram Religionem sui Creatoris, & una cunctarum Gentium toto orbe fieret Mater, & nos omnes, Gens una, Simus. Domina ergo erit, & Augusta nostra, totius orbis pacifica Imperatrix. Sub illa universus orbis tanquam diem festum, gladios quos exerere solebat, deposuit. Bella exercet, dum hæreticos quasi pyratas, qui oras oceani bello quasi tempestate præludunt, & furiosis, perditisque Latrocinijs rupto fœdere veræ Religionis infestant, Divino apparatu donat, atque profligat. Gaude Maria Virgo: gaude victrix classis, quæ sola universas hæreses interemisti in universo mundo, tua enim opera, quidquid pestium harum fuit, quâdam indagine inclusum, oppressum est. Exercet mercaturam, de longinquo ferens omnia pretiosa cæli munera. Quare hoc? Ut vitam congregaret. Quid est vitam congregare, nisi non solum necessaria ad vitam, verum etiam ad honestas delicias cumulare? Sufficit ergo pacem, omnis felicitatis Matrẽ, & originem. Arma circumfert metuenda partibus adversis: mercaturam exercet, dum omnes opes orbis, cælique secum vehit. An non circumfert infinitas opes, dum panem immortalitatis, panem æternæ vitæ, dum Deum ipsum mercata, plenissimo suæ vovoluntatis assensu, dum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum* ingenti pretio, præmium ingens, & vita mercandum. O verè Mulierem fortem, Deo fortiorem, quæ Deum cælo detraxit, ut docet Ambrosius, & Deum in præsepio collocans, tanquã cibum offert manducandum. *Venite, & comedite panem meum*. Panem quem genui, quem gremio fovi, quem fascijs involvi, quem Maternâ curâ fovi, & tanquam terra benedicta sustentavi. Quem de intemeratæ carnis meæ visceribus genitum, in cibum epulandum proposui. Quare ad Augustinum seraphicũ, vox cælestis intonuit: *Cibus sum grandium: manducabis me, sed non mutabis me in te, verùm mutaberis in me*, quo scilicet pascẽris, & nutrieris, & adolesces, & corroboraberis. Felix qui manducat panem Virginis, quem navis hæc beata beatissimi Institoris, Magni scilicet Dei portat, manducat enim carnẽ, & Filij, & Matris: Matris quidem propter affinitatẽ Filij cum Matre, dum enim Filius suam porrigit carnem, quam ex sola Matre suscepit, sic per participationem sumimus & carnem sanctissimæ Matris: est enim Mater in Filio, nobiliori modo quàm principium in principiato, & semen in arbore nobili. Saginamur ergo utriusque carne sacratissimâ, & epulamur, & deliciamur nectare, & ambrosiâ æternorũ bonorum. Qui manducat Christum, vivet propter Christum, Christo teste: *Qui manducat me, vivet propter me*: sic qui manducat carnem Matris, vivet propter Matrem; dividi enim Filius à Matre non potest. Qui manducat Christum, transit, & provehitur in

A consortium Divinæ naturæ: sic qui manducat Matrem, transit in consortium, commerciumque naturæ Virgineæ propter Matrem. An non fructus arboris trahunt naturam soli sui natalis? pisces, suorum fontium? Vineta, suorum collium? & ceteræ herbæ, frutices, arboresque sentiunt aspectum sui cæli, siderumque vim, & lenitatem, vel rigorem sibi influere percipiunt. Manducãdo ergo Christum, in Christum convertimur, & Christiformes, seu Christophori nuncupamur: sic & Virginis Mariæ carnem manducando, cur non Mariæformes, & Mariæphori diceremur? Desines mirari, si attenderis Christi Filij, & Matris esse unam carnem, & sanguinem esse utrique communem. Quicumque ergo

B manducat hunc panem, vivet in æternũ, & Divinâ Metamorphosi, & Apotheosi, migrat in Divinitatis, quantum homini dari potest, conditionem: sic qui & Virginis carnẽ epulandam sumit, in Virginis nobilissimam substantiam convertitur. An non ea quæ sunt uni tertio identica, inter se quoque sunt idẽtica? Christi ergo fratres sumus Divinâ transmutatione dum sic regeneramur. Regeneramur autem novâ quâdam nativitate, dum in Christum transformamur. Jure ergo suo, sanctissima Virgo potest nos omnes sacris epulis pastos, compellare filios suos, & dicere: Vos caro, de carne meâ, sanguis, de sanguine meo, & os, de ossibus meis, uti olim Adam sceleris purus suæ consorti. Estote

C ergo Divinitate Filij mei, Dij, & meâ felicitate beati, quos dignor utriusque nostrûm intimâ, & arctissimâ Societate. Verè ô sancta Virgo, navis es institoris, de longè portans panem tuum, quem de cælo; non ut ille qui ignem dicitur furatus, inauditâ animi demissione ad terras detraxisti. Panem ergo cæli manducat homo, ut desinat esse homo. Panem Angelorum, ut superior, & melior Angelis efficiatur.

Ingemisco ad lectionem Plutarchi, qui describens Cleopatræ Reginæ ad Marcum Antonium navigationem, testatur Urbes effusas, ad spectandum Regiæ navis admirabilem apparatum. Subvehebatur Cydno fluvio in navigio, auratâ puppi, velis passis purpureis, remigio argenteis ducto remis, ad tibiarum,

D fistularum, & cithararum modos. Recumbebat illa sub tabernaculo auro intexto, eleganter exculta. Pueri pictis cupidinibus assimiles hinc inde astabant, & ventum faciebãt. Ancillæ itidem, quæ forma præcellebant Nereidum, & Gratiarum modo amictæ, partim assistebant gubernaculis, partim rudentibus. Complebant odores ripas ex suffituum copiâ fragrantissimi. Homines autem statim à fluvio ex utraque parte comitabantur, alij ex urbe ad spectandum descendebant. Marcus verò Antonius in cellâ Imperatoriâ purpureus ab omnibus propè desertus fuit: tanta potentia magnifici apparatus. At quantus apparatus, quantusque splendor navis nostræ

Virgineæ?

Virgineæ? hæc navis cælesti manu fabricata, cælesti perpetuoque agitur favonio, gemmis & auro collucet, in quâ ars admista pretio, hîc distincta gravibus smaragdis transtra, & & remi fulgent auro, fulgurantibusque pyropis, & calcatur achates pedibus: hîc carbasa candore vincentia Lilia, plena dulcissimo vento, & choris Virgineis tranquillum exultat mare, & ad numerum aligeri sancti, beatique fratres remigant, & mille pharetrati ludunt in margine fratres, accinuntque Deo, & Deiparæ suas laudes. At cæli Regina in solio residens aureo, radiante undique adamante, & triplici redimita thiarâ (est enim trium regnorum Domina) stipata undique choris cælestibus, serta suarum gratiarum per obstantes catervas spargit, & filium omnibus blando lætoque vultu offert. Tunè audes Christiane contemnere tantum donum? Ipsa Virgo te dignum judicat suo munere: tu te quoque dignum finge Deo. Ingredere hanc navem salutis, perire non potest, quisquis, hâc navigat navi. Si ad Propnanæ. & dementis Reginæ vanos apparatus spectandos tota Ægyptus exardescens sese effundebat, cur non totus deproperat obviâm sertis redimitus orbis Virgini Dominatrici: quæ obviæ ramos, & æternæ pacis bona prætendit? Eia portum tenenti cane celeuma, comporta victoria, quâ fruere & æternùm vive.

§. XXVI.

De supremo, & altissimo liberalitatis Virgineæ gradu. Quando Virgo Mater dedit nobis suum Filium.

Dona si Regia sunt, magnitudinem Regiæ mentis enuntiant: grandes effectus, grandium causarum vim, & potentiam eloquuntur. Fontium capita, profunditate, & alvei vastitate metimur. Non aliter beneficentiæ metimur magnitudinem, nisi magnanimæ voluntatis, & donorum amplitudine. Non est Reguli Provincias, vastasque terras donando dividere, ut supremi Monarchę est, Regna conferre. Sic Alexander Provincias consignabat amicis, Julius Cæsar non inferior, regna. Cyrus regno potitus nullum genus liberalitatis in suos prætermisit, solos amicos dicebat suos thesauros. Ille copia rerum reddebat civitate beatas. Xenophon in παιδεία. Alexander ingentis spiritus vir, quem dotibus supremis, cælo nobilis indoles inseverat, unâ hâc solâ gloriâ lætus exultabat, se à nullo liberalitatis splendore fuisse superatum. Cælius lib. 7. c. 28. Immensitas ergo doni infiniti, pronunciat donatoris animum infinitè liberalem. An non ideò æternis laudibus celebramus æterni Patris infinitam liberalitatem, quia in ostensionem suę

A benignitatis, Filium suum in donum infiniti pretij contulit nostræ ingratæ mortalitati? Et sanè quid dignitate maius? quid nobilitate sublimius? quid bonitate pretiosius? Exhibetur ergo infinita Dei Patris liberalitas, infiniti filij sui unigeniti donatione. Hanc exstaticam donationem, totus attonitus discipulus ille, quem diligebat Jesus, evulgavit, dum intonuit, 3. cap. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Sic dilexit, ut nec amor, nec amoris opus, per omnem Dei potentiam minimo additamento posset crescere vel augeri. Dedit ergo Pater Filium, cui essentiam suam necessitate æternæ generationis dedit, & Filius eam à Patre tanquam sui principium, sine principio quasi aliquando non fuisset, æ-

B ternus ab æterno, & Patri coæternus accepit. Veniamus ad Virginem. Tu suspende Lector censuram, temerarius, si censorium judicium attuleris. Quis SS. Virginis opes, & donum nobis collatum non comparabit magnitudini donationis æterni Patris? Dei Patris, quod nullis finibus circumscribi potest: an Virginis poterit? Ex pari quasi certat Virgo creatura cum Deo infinito. Quis non admiretur Virginis Majestatem? an non in substantiâ doni, Deus Pater, & Virgo æquales? Quid si dicerem, dono Matris accessionem fieri, & Dei Patris excedere? Deus Pater donavit Filium Deum solum, & Virgo Mater dedit Filium Dei, Deum & hominem verè suum, sicut & est Dei Patris. Pater principium Filij

C sui: Virgo principium Filij sui Pater dedit, ut more Philosophico, & contractiùs loquar, Filio suum esse, & Virgo, suum. Pater Filio, sola causa essendi, & Virgo, sola causa, & principium quoad humanæ naturæ participationem. Quo miraculo omnes Patres, Matresq; antecellit. Quare (Attende Hæretice) cùm sit sola causa essendi Filio (ut dixi) sine viro fœcunda, quod maximum esse certum est. Jure naturæ, filij potitur imperio, tanquam Regina, & Domina. Quid amplius quid maius, quid nobilius Deus Pater dare potuit? Planè nihil. Omnia cum filio donavit. Quid grādius SS. Virgo? nihil omninò. Uterque donat infinitum donum, ex omni parte infinitum.

D Ergo Pater, & Mater donatione & munificentiæ magnitudine sunt æquales sano modo ut semper dictum est, intelligendi. Summum ergo, & supremum munificentiæ gradū Virgo attigit, omnem liberalitatem infinitâ liberalitate cumulavit, & explevit. Hoc docuit S. Bonaventura Ser. 1. de Virg. Tom. 3. operum: *Nulla creatura sic per amorem nostrum exardescet, quæ amantissimum Filium suum, & unicū, quem mulier plus seipsâ amavit, nobis dedit, & pro nobis obtulit.* Benè ergo Virgo de se loquitur. Melior est fructus, uteri mei scil. quem hominibus offero, omni auro, & lapide pretioso. Maxima donatio fuit Dei Patris, Filiū dando; verùm omnibus numeris absolutissima, factâ traditione: pro omnibus enim tradidit illum, quem antè dederat. Virgo quoq; sanctissima, quæ

Virginis summum donum.

Virginis donatio summa.

Virginis donatio summa.

quæ jus naturale possidet in Filium, ne Dei Patris liberalitati concederet, & foret inferior, eundem Filium, ut suum, paternæ voluntati consentiens, voluntariâ, nec non generosissimâ mente dedit, & tradidit quasi Matrem exuta in Redemptionis pretium. Hoc præclarissimè docuit Gerson titulo 2. de Canticordio 3. propos. Alphab. *Erige*, inquit, *cordis aures ad voces Spiritus sui, dum proprium Filium suum, dum dilectum oris sui, viscerum quoque suorum, & votorum consensit crucifigi pro nostra Redemptione, dans nobis illum cum gaudio & exultatione, qua summam superabat cordis angustiam. Alioquin quomodo aliter implesset, quod dicitur: Hilarem datorem diligit Deus?* Quæ ergo dedit tantum Filium, quomodo non omnia donavit? an non promptiùs quidquid illi dotale, quàm Filium dare? Et quid illi dotale non est? cui cessit Deus non solùm in partem, sed in decretoriam hæreditatem? Puer itaque natus est, Virgini Deus, & Deus puer: natus est & nobis Deus puer, & puer Deus. Filius datus est Virgini, & nobis datus. Hunc eundem sibi natum, dedit nobis Deus Pater. Ecce ut in Deo Patre, & in unâ Virgine triumphet infiniti doni infinita munificentia.

Deus puer in donum datus à Virgin.

§. XXVII.

Vltimum, & extremum munificentiæ decus. Hîc sistendum: Hic meta scribendi: non plus ultra. Mater Dei dedit Filium ad vitam sicut Eva cibum ad mortem.

POterat Divinitatis opulentia, & ærarium æternarum divitiarum, dum Filius Dei, & Deus donatur, exhaustum videri. An non possesso Deo, omnia bona utenda, fruenda, ac possidenda traduntur? poterant & Virginis opes, & munificentia exinanita videri Filij sui traditione: tradito enim, & possesso Virginis Filio, quid superesse Virgini potest? quæ progressio Virgini & Deo ulterior potest excogitari? ubi ad extrema liberalitatis deventum. At oculatus, & ingeniosus est amor: solers mille artes, mille versat consilia, pervigil, insomnis, mirandorum artifex, nulla in amore quies, actuosus operosusque miraculorũ inauditorum inventor. Aggrediamur, & ordiamur telam immensi operis. Quid supremum decus, & gloria? quæ summa decreta? quisnam titulus supremæ dignitatis, in qua residet summa felicitatis fortuna, quâ nihil celsius dari ab ipso Deo potest? An non esse Matrem Dei? Et quid est esse Dei Matrem? quàm Deum in utero, velut sacro templo gestasse, circumtulisse, ab illâ nutritum, suo proprio sanguine, illius substantiâ crevisse, adolevisse, à Matre in lucem communẽ editum, ac denique cum Filio nato dulcissimè, & amabili societate, vitam beatè, feliciterque traduxisse? Ut igitur Matris instar, Christum in pectore nostro, velut sacro utero, templo-

Quid sit esse Matrẽ Dei.

A que portaremus, consilium stupendum fabricata est. Curavit nobis Filij corpus integrum, & omnibus numeris consummatum, sub specie panis, & vini donari ut, efficeremur sibi similes, & per gratiam, Matres Domini compellaremur, juxta Christi D. promissionem: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, hic meus frater, & soror, & Mater est; & hoc pacto Filius Dei mente*, & corpore conceptus, nostris virtutibus, & nutriretur & cresceret, & adolesceret. Deniq; ut nos sacro ejus convictu ditati, tandem æternæ beatitudinis bonis felicitaremur. Decebat enim, ut mulier, quæ quondam fuerat ministra mortis vetiti cibi donatione, foret & causa vitæ, & extraordinariæ felicitatis, vitalis, scil. cibi oblatione. Eva pellexit virum ad mortiferas esus

Homo Mater Dei quomodo.

Matt. 12. v. 50.

B delicias, ita posterior, mortales reos mortis, ad panem vitæ edendum impelleret. Cibum, inquit Petrus Damian. in Ser. de Nativit. tradidit, & comedit, per quem nos æterni convivij fame multavit: cibum Maria nobis dedit, qui nobis cælestis aditum convivij patefecit. Ut Eva tradidit: sic Maria dedit illa impulit amatorijs fraudibus: hæc invitat Virgineis, & Divinis affatibus. Venite, comedite panem meũ, panem, scil. cælestem, id est, Deum ipsum, quẽ in utero meo portavi, uterus enim meus, tẽplum Dei factus: ut & ipsi, hunc panem comedentes, Deum mente, & pectore, vel ut in sacro templo portare possitis. Mirabile fuit, Christum Deum concipi in utero carnis meæ: non erit inferioris propè dignitatis, deferre in

Mulier vetito cibo perdidit nos: Mulier novo cibo reparavit.

C ergastulo pectoris vestri, ut Christiferi sitis, ut & ego, & Matres, Christo gravidæ, sicut & ego. Venite ergo, & comedite panem meum, nunc post Filij mei discessum, quem & ego manducavi postquam terris excessit. An non ego, tum Filij mei corpus, quod priùs semel in utero novem mensibus gestavi, quotidiè meo pectori inserui, & illum, mihi, ut ita loquar, incorporavi: toties quodammodo Matris officium iterans, quoties novo complexu fovebam? Hunc ergo Filium, quoties vobis addicitis, sumitis, & quodãmodo incorporatis, nomen fertis Matris, & meo beneficio, ad supremam dignitatis gratiam, & altitudinem provehimini. Cessa mirari, & attende. Certum est, uti sæpiùs dictum, unicam Virginem majori pretio, honoribus, & amoribus præstare,

D & antecellere omnibus creaturis, illamq; unicam præ reliquis esse Deo summo in delicijs, cujus impulsus amore, simul, & Filij cuncta creavit, formavitq;. Cujus causa summũ laboriosissimæ Redemptionis opus fuit complexus, & priùs sui corporis epulas sacratas, magnifico instituit apparatu. Primaria ergo, & principalis causa fuit SS. Virgo; reliqua verò generis humani cura proxima, & secundaria fuit. Sicut ergo Filius seipso se pavit, ita & Matrem, & nos, quos Deos ex mortalibus studet efficere. Vehementi ergo dilectionis in nos rapitur impetu, ut nos sibi consociet jungatque; quod est vehementer amantium,

Propter Matrem omnia creata, & redemptionis opus, & Eucharistia instituta.

Parum

Parum dico, dum dico vehementi impetu ferri: melius dixero, quasi impotenter instar æstuantis anhelare, ad animarum nostrarum hospitium. Sic maximo rapiebatur amore (nam omnis longa mora semper amanti) ad regressum primi sui thalami sacrati, in quo novem mensium hospitio jucundissimè, tanquam in Aula Regia, & digna Deo fuerat detentus. *Veniat*, inquit Mater, *dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum*, c.5. Cant. mala enim amantium pronuba. Et sumpto filio exultabat, dicens: dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum ut pascatur in hortis, & Lilia colligat, c. 6. Cant. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter Lilia*. Fruar filio meo quotidie, donec aspiret dies æternitatis scil. & Aurora futuræ beatitudinis meæ, & inclinentur umbræ hujus volatilis fugacisque vitæ. Quomodo ergo donavit SS. Virgo suum Filium? eodem modo sicut donavit in Redemptionis pretium, quod peragi, & absolvi, cum Filius sit in Patria potestate, non potuit nisi Matris voluntario consensu. Triplici itaque consensu suo SS. Virgo orbem uniuersum, velut triplici beatitudine fortunavit.

Triplex beatitudo obvenit hominiâ Matre Dei.

Primus, omnium solemnissimus, qui dedit salutaria primordia nostræ salutis, dum in hæc verba assensit Legato: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Alter, quo subscripsit mortis decreto, quâ genus humanum tyrannide æternæ servitutis solvendum.

Tertius, cùm cognatione naturæ, suo cōsilio, & voluntate summâ, in donationē corporis, & sanguinis sui donando corpus, & sanguinem Filij sui, consensit, & spontaneæ, plenissimâque voluptate descendit. Illi ergo debet orbis, tanquam primariæ causæ corporis, & sanguinis admirabile cōvivium, quò Deus ipse sumitur, qui tunc ostēdit omne bonum, & aperit omnes fontes omnium gratiarum. Quapropter Epiphanius in sermone de laudibus Virginis: *Virginem*, inquit, *appello sacerdotem, pariter & altare, quæ quidem mensam ferens, dedit nobis cælestem panem in remissionem peccatorum*. Voco te, ô sancta Virgo, sacerdotem, perfectiore modo: an non tu donasti victimam? an non datam victimam Deo Patri dedicasti? Voco te sacerdotem, quia cum Filio, qui est verus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, procurasti, donasti, obtulisti hoc sacrificium amoris sub specie panis & vini: tua fuit victima Filius, qui & sacerdos: tuus est hic cibus, & noster Filius tuus, quo pascimur, & sustentamur.

Eia Christiane, sequere, & imitare Virginē SS. quæ inexplebili, quæ insatiabili appetētiâ, & indicibili voluptate ad has sacras epulas, deliciasq; rapiebatur. Unica illi cura, unus amor, morari cum Filio, juncta Filio. Imitare & ipsum Filium Dei, qui exultat, & gloriatur se hunc panem comedisse, quem sua Mater, tanquam navis institoris mundo advexerat: Cant, 5. *Comedi*, inquit, *favum cum melle meo: bi-*

A *bi vinum cum lacte meo*. Ipse, inquit Hieronymus ad Hedibiam, D. Jesus conviva, & convivium: ipse comedens, & qui comeditur. Quid favo mirabilius, qui mel continet? quid mirabilius Christi corpore, quod animam, & Divinitatem? quid purius favo, qui ex Virgineis apibus, & curioso delectu florum conficitur? quid purus Christi corpore, quod ex Virgineo sanguine elaboratum? quid dulcius favo? quid dulcius hoc pane Virgineo, omnia exundans oblectamenta? Quare & septuaginta legunt, quos sequitur Ambr. l. 1. de Sacram. c. 3. *Manducavi*, inquit, *panem cum melle meo. Vides, quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas. Vides huiusmodi esse lætitiam, quæ nullis peccati sordibus polluatur? quotiescumq; enim bibis,*

B *remissionem accipis peccatorum, & inebriaris Spiritu S.* Comedamus hunc panem, Dei carnem, & bibamus ejus sanguinem, quod ipse vocat vinum cum lacte meo, id est, sanguinem cum divinitate meâ. Lac est Deitas verbi, latēs sub sanguine, quod omnibus robur, vires, dulcedinem inspirat bibentibus. Clemens autē, lac dicit sanguinem Christi; quid enim aliud est, quam sanguis bene concoctus, candidus, & dulcis, quem sugendo & bibendo in sanctitatis transimus naturā. Quare & Homerus viros justos vocat, γαλακτοφάγους, id est, lacte vescentes. Hoc candidum lac, quod Filius suxit ab uberibus Matris, sugamus, & inebriemur ab uberibus tantæ liberalitatis, ne frustrà videamur, tam à Matre, quàm Filio invitati:

Locus Scripturæ explicatus.

C *Comedite, & inebriamini amici mei*. Attende, loco, hi sint amici, non vulgares, plebeij, sed summi, quasi diceret: intimi. Imò & quid amplius Hebraicè habetur: *ô amores mei! ô animula mea!* ô dimidium mei & amplius! summè dilecti, & ad ubera pasti. Septuaginta addunt, & vertunt: *Fratres mei*. Et bene; si Virginem sentiamus Matrem, ergo & Filium fratrem nostrum. An non fratres? *Ite, & nunciate fratribus meis*. Matth. ult. An non fratres, qui ejusdem Matris sanguine, & lacte nutrimur, quasi collactanei? Impletum est votum sponsæ, dum sponsum nostro nomine compellat. Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ubera matris meliora vino*. Et resD ponsat mater: vobis dabo ubera mea, ut deosculer vos, & jam nemo vos despiciat. Quis audeat despicere, Filio, Matriq; gratiosum, & oculis chariorem?

Concludamus, & finiamus, nullis finibus terminatam Virginis liberalitatē, quæ cunctis Gentibus lucem suæ bonitatis, & consilij, & dextram porrigit salutarem. Inscribamus: *Non plus ultra*. Illius enim gratiâ, & merito donatur Filius, donatur caro, & sanguis Filij, & per concomitantiam, ut loquuntur Theologi, Divinitas Filij sui. Quidnam amplius facere potuit, & nō fecit? Explevit SS. Mater supremū opus supremi operis, dum Filiū suum unigenitum porrigit in cibum æternæ vitæ, quemadmodum Eva mortiferum in æternæ mortis calamitatem.

§. XXIII.

Exoritur non ignobilis quæstio. Quomodo tanta Majestas potuit inclinare suam magnitudinem, profundendis beneficijs in ingratos, maleficos, & hostes futuros. Duo hic dicenda de indignitate ingratitudinis: alterum ut Virgo etiam ingratos foveat.

De Fœditate ingratitudinis.

Ad primũ. PRopter magnitudinẽ, & difficultatem hujus operis, priùs dilucidanda est nequitia, & indignitas ingratitudinis. Detectâ autem ejus turpitudine, & infamiâ magnanimitas Virginea malis cedere nescia, patebit.

Quàm magnum sit vitium ingratitudo, totus orbis astipulatur, & acclamat esse maximum, *Erunt*, inquit Seneca, *homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores, infra ista omnia, ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus excrevit. Hoc tu cave*, inquit Seneca, *tanquã maximum crimen, ne admittas.* Bene Poeta Publius: *Maledicta cuncta dixeris cum ingratũ hominem dixeris.* Hunc sequitur Ausonius: *Ingrato homine terra peius creat nihil.* Et Plautus: *Pol, quidem meo animo, ingrato homine nihil impensius.* Optimè omnium Crinitus:

Ingratitudo omnium malorum extremum.

Ingratus est vitandus, ut dirum scelus,
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quidquam puto:
Ingratus aut malefacit, aut malè cogitat:
Ingratus est seminarium omnium malorum,
Huic est avara mens, & animus perditus:
Huic est fastus, impotens, & ambitus gravis:
Ingratus hoc unum benefacit, cùm perit,
Portentum id omnium habendum maximum.

Non miror Demosthenem Athenis fugientẽ, sublatis manibus ad Arcem Palladis, dixisse, sicut fertur: *O Pallas Vrbium Domina, cur tribus infestissimis bestijs delectaris, Noctuâ, Dracone, & populo:* Noctuâ inauspicatâ, Palladi sacrâ: Dracone pro gestamine: & populo, Bellua multorum capitum, quæ signat Tragicam pavendæ, ἀχαρισίας, quæ imaginem Sabellico, & Erasmo est ingratitudinis. Quæ gens fœcundior magnis ingenijs, magnisque Imperatoribus, & quæ hostiliùs, & implacabilius suos Duces infestavit, damnavit & ad exilia, & mortem adegit?

Horrida exempla ingratitudinis omnes. Miltiadi, post trecenta millia persarum Marathone, apud montem Aticæ Regionis, pro præmio exilium, vincula, & carcerem dederunt, ibidem mori coëgerunt, & tam diu sepulturâ prohibuerunt, donec Cimon filius fidejussor se ijsdẽ vinculis, & carceri mancipavit. Hanc hæreditatẽ adijt Maximi Ducis filius, Dux & suę ętatis maximus futurus. Aristidẽ & insanus, ingratusq; populus, continẽtiæ specimen, patriâ excedere jussit, cum quo ipsa sanctitas migravit. Quis Themistocle & consilijs, & armis, & rerum successu gloriosior, qui invitis Lacedæmonijs, Patriæ eversa mœnia restituit? Xerxem Regem Persarũ undecies centenis hominum armatum, arte & consilio vicit, qui Patriam ruituram omnibus bonis ditavit, populum tamen adeò inimicum sensit, ut ad Xerxem à se devictum confugere coactus fuerit, si se salvum vellet. Quid dicam de Phocione, & Socrate? quos mori coëgerunt viros & optimos, & sapientissimos? ille non tantum eculeo impositus, sed certè post obitum nullam Atticæ Regionis quæ ossibus injiceretur, glebam invenit, jussusque extra fines projici, intra quos optimus civis vixerat. Alij scribunt cicutam bibere jussum. Sic & Romani & parciùs in Maximos viros exarsẽre: adussit invidia Scipionem Africanum: hic tantus fuit, ut orbis quasi unicum suspiceret virtutis exemplum. Cessit Patria, tanti viri sepultura, & ossibus indigna, cui salutẽ pepererat. Pudeat maximas virtutes quasi gravissima delicta punire, & beneficia injurijs repẽdi. Horribile nomen ingrati, & intolerabile, & maximè Athenis, ubi adversus ingratos actio constituta est: & rectè. An non ingrati, dum commercium dandi & recipiendi tollũt, tollunt humanã societatem, similes mulo; cui Plato Aristot. cõparabat, qui satiatus materno lacte, Matrem calce petit: aut Tigridi, quæ nec imaginem hominis ferre potest.

Quàm portentosa ingrati hominis natura; pulchritudo, & decor, & æstimatio grati hominis manifestabit. Subjice utrumq; oculis: da utriq; suam mercedem, factâ comparatione: comparatio enim æstimationem, & pretium consignat. Cicero pro Plancio: *Gratitudo*, inquit, *est virtus non solùm maxima, sed etiam Mater virtutum omnium reliquarum.* Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives, qui bello, & domi benè de Patriâ merentur? nisi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui sancti, qui Religionem colẽtes, qui meritam Dijs immortalibus gratiã justis honoribus, & memori mente persolvunt? quæ potest esse vitæ jucunditas, sublatis amicitijs? quæ potest esse amicitia inter ingratos? qui liberaliter educatus, non educatori, non magistro statuit remunerationẽ? Nihil tam proprium homini existimo, quàm nõn beneficio modo, sed etiam benevolentiæ significatione alligari. Nihil porrò tamen tam inhumanum, immane, tam ferreum, quàm committere, ut beneficio, non dicam indignus, sed victus esse videar. *Dignitas gratitudinis.*

Procopius Sophista, qui Dijs thure sacrificium faciunt, non pro dignitate gratiam, sed pro virili parte ut grati esse videantur. Ep. 16. Et Plin. l. 8. Ep. 12. tantò turpius gratiam non referre, quanto honestior causa referendæ. Et sanè magna est gloria, ornare per quod orneris;

ris,servare per quod,& ipse servaris. An nō arctat nos ad retributionem dati accepta largitio? omne agreste animal beneficijs mansuescit,tenaci memoriâ prosequitur benefactorem. An non canis,& volucres beneficiū amant?an non ille usque ad mortem æquitatem conservat? Tu ingrate superaris à cane, qui ratiocinatione æquaris hominibus. Quare Xenophon l. Cyropædia, Quem cognoveris posse, & non referre gratiam,& non refert,in hanc incidit ingratitudinem,quam sequitur impudentia,quæ ad omnem turpitudinem dux est. Extremū ergo malorum, beneficiorum oblivio, vel muta gratulatio,quæ parum differt,ut dicit Euodius lib. 2. Ep. Ep. 7. Quare cùm adeò infame sit vitiū ingratitudo, (liceat uti eo verbo) quàm excelsi est animi,ingratis benefacere,excelsioris multò ijs se beneficū exhibere, quos scis futuros ingratos, se Platanum tempore tempestatis præstare,ramorum& frondiū denso tegmine,quasi hospitio suscepto tueri, & discussis imbribus, convitijs defensorem proscindi atq; convelli. Quam placido, & mansueto, quàm magnifico & alto opus est, spiritu,instar Antisthenis,malè audire cùm benefeceris, & ingratitudine hominū non deterreri à bene merendi studio? Laertius l. 6. c. 1. Planè Divinum est, ut nunquam te inhumanus & ingratus offendat,& te dedisse delectet nūquam in has voces te compellat injuria: *vellem non fecisse.* Et beneficij tui etiam infelicitas placeat:esto non sit ille quem sperasti; sis tu,qualis fuisti, & dissimilis ingrato. Quare tu audi Plinium: *Liberalitatem iucundiorem debitor gratus,clariorem ingratus facit: meliores tu fac ferendo,quamvis crebrò habeamus infestissimos, non post beneficia tantum,sed etiam propter beneficia.* Jason ingratissimus,quem omnis Antiquitas detestata est, deserit Medeam Ætæ Colchorū Regis filiam,cujus operâ vellus aureum abstulerat periculo vitæ liberatum,at tanto vinctus amore,amatam repudiat. Alexander Magnus Clytū Principem, immemor nutricationis, & lactis quod ab Hellanice nutrice infans biberat, ejus filium,interfecit. Absiste persequi ingratam indolem hominum in Divinam clementiam oculos verte,cujus si merita perpendamus, nullæ opes, quas aut natura sufficit, aut fortuna circumfert,æquabit. Esto arripiamus omnes officiorum partes,quibus indicatur affectio. Indigni ergo vitâ, qui nunquam Dei salutare nomen precantur: an non meritò in hos insurgit querela Dei & sanctæ Virginis, Isai. 1. *Filios enutrivi,& exaltavi ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum,& asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit?*

Excelsissimi animi benefacere ingratis.

Praeclara Platanus.

§. XXIX.

Exoritur non ignobilis Quæstio, &c.

In proemio diximus, arduum opus, & ferè ineluctabile adversus hostes, ingratos, impios,& deteriores beneficijs futuros exercere munia liberalitatis, nisi sit illa stipata comitatu

A magnanimitatis,& invictæ fortitudinis. Quid enim ita sortem humanam excedit,quàm agere Cæsarem beneficū, & maleficia beneficijs rependere,& ijs hostilitatem omnē sepelire? nullum opere sacrosanctæ Incarnationis grandius opus, verùm ut perageretur, roboravit priùs Deus Magnus suam omnipotentiam. An non opus ingentis potentiæ robore, hominibus ingratissimis,& impijssimis in ostentationem immensæ munificentiæ,omnes suas opes donare? Exclamat Propheta 92 Ps. *Induit Dominus fortitudinem,& præcinxit se virtute.* Tantæ molis,dona non profutura,in perditos, acerrimosq; hostes effundere. Liberalitas Dei, ut emineret, ingēti fortitudine fuit sustentata. Ut docet SS. Virgo: *Fecit potentiam in brachio suo.* Eâdem fortitudine,

Ingratitudo divinā potentiam ostentat.

B tanquam vero liberalitatis fomento, armavit se SS. Virgo,dum docuit nunquam liberalitatem succumbere damnis,injurijsq;. Ingratâ malevolentiâ magnitudinē divinam ostētat. Quid enim admirabilius,quàm adversis esse admirabiliorem,quàm rebus ferè secundis? rarum decus,æqualibi vultu utramque fortunam intueri,ferreque. Quare,ut in malis resurgeret virtus amplius,quo mortales duceret volentes, & traheret invitos, ad æternæ salutis beatū laureatumq; statū studuit improbis amabilis esse. Induit ergo fortitudinē,& præcinxit se virtutē, ut magnanima posset expugnatis insurgentibus impedimentis indulgere suorum bonorū diffusioni. Hoc docuit Salomon, *Prov. ult.* decantans laudes fortissimæ mulieris: *Accinxit fortitudine*

C *lumbos suos,& roboravit brachiū suum,* quasi omnes vires advocasset suæ potentiæ in sui quodammodo victoriā,ne studijs amoris malè collocatis posset exasperari,sed,ut decet Matrem, Dei æmulatricem spargeret radios sui solis benignissimos,in omnes etiam nequissimos. Hoc declarant Septuaginta dum hoc pacto vertunt: *Præcincta fortiter lumbum suum, firmavit brachia sua ad opus.* Et Symmachus, ἐνεγύησεν, roboravit,& instar robusti,& nobilis Ducis,brachia excussit,& exercuit ad opera heroica patranda. Quare & c. 8. Prov. de se loquens, ait: *Mea est fortitudo,* .i. decus fortitudinis, quàm mitto ad opera fortia,dum omnibus provideo,& radios impijs,sacrilegis, nefandisq; meæ munificētiæ dispertio.

Cur Virgo præcinxit lumbos suos.

D Convenit SS. Virgini, quod stulti Gentiles adscribunt famosæ suæ Minervæ. Illam extollunt,deprædicantq; ab illibatâ Virginitate: à prudentiâ, tanquam ex cerebro Jovis nata, unde & Dea sapientiæ dicta,deniq; à fortitudine,quod utrâq; hâc virtute quid validum, potensq; debellet Nostræ Virgini hęc sunt nativa decora. An non illa, Lilium Virginalis candoris? an non Mater ipsius sapientiæ? an nō ipsius est fortitudo? an non fortitudo, & decor, indumentum ejus? *Prov.* 3. Fortitudo, .i. constātia vestit Virginis mentem,& decor modestiæ, quæ est pudicitiæ tessera. Pudicitiæ enim Christianæ,satis non est esse pudicum, verùm & videri, teste Tertulliano de cælibatu feminarum: tanta enim debet esse ejus plenitudo,ut emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in

Fortitudo Virginis stupenda.

Qualis debeat esse pudicitia Christiana.

in superficiem, & ut foris aspiciat supellectilẽ suam. Fortitudinem ergo, teste Ambrosio, hîc & honestatem induit: honestatem, tanquã byssum, fortitudinem, tanquam purpuram, purpura quippè Reges magnanimos vestit, ad magna natos, fortitudinem, ad tolerandam perversorum improbitatem: decorem ad exercendã virtutum gratiam. Decor, qui operatur Justitiam: fortitudo, quia persecutionem patitur, & illam patiendo, à beneficijs dissemin ãdis, & benevolentiæ administratione non vocat, quin immò igneâ virtute stimulatâ suæ magnitudinis memor, immittit imbres aureos, tantò largiores, quò suis obtutibus occurrunt indigniores. Ut verè de Virgine dici possit, quod victrici palmæ datur, *Calcata, insurgo fortius*. O mirabilem Virginis indolem! lacessita, ἰυζξιαν, venustumq; ordinem, & legem præscribit sermoni, præscribit animo irritato, ut irasci nesciat. Quare & adversus hostes, nullis sagittis utitur, nisi telis auratis aurei amoris, Regiosque ostentat animos, ut malitia vinci nesciat. Profunda ergo cupido Imperij dilatandi, servandique, versat Virginis mentem, ne quispiam sibi eripi possit. Unde & omnia plena desperationis, restituit, summa consequitur hâc nobili fortitudine nõ cessura malis, φιλανθρωπία. divinâ manu opus, ne ingratitudine debilitatus animus elanguescat, cum amicitiæ Divinæ decremento. Perstat ergo constans in donis profundendis Virgo, nec facit finem donandi, quamvis improbitas non faciat finem peccandi. Sic succumbunt vitia virtuti, magno paratur honestũ. David heroicis suis artibus in tantam magnitudinẽ, celsus emicuit, & jam tantus erat, ut posset triumphos contemnere. Una tamen vox cæli, omnibus triumphis major, altius illam supra mortalium vota Cælo inseruit, dum auditum: *Inveni hominem secundùm cor meum*. Hîc Procopius l. 2. Reg. in c. 7. *Ingens*, inquit, *laus vocari hominẽ secundùm cor Dei*, nec scio an ulla superaddi possit, quàm etsi varijs factis, & meritis sit consecutus: uno tamen augustiore titulo, fuit Deo cõsecratus, quod φιλόπτωχος, amator pauperum esset. Tibi ô SS. Virgo, hic augustissimus titulus debetur, tanquã Augustę: tu enim illa creatura, quæ non solùm es secundùm cor Dei, verum etiam Deum excordiasti, immò & es cor Dei, imò illa, quæ Deo cor dedisti ex tuo: tu enim non solùm es amatrix pauperũ, verùm & Mater, sicut & Filius tuus Pater, tu enim depicta à Spiritu S. sic laudaris, *quod palmas extendis ad pauperes*. Prov. 8. Ubi Hebræi habent, *misit manũ suam ad pauperes*. Quibus verbis Doctissimus Jansenius docet ultroneam, & nõ quæsitam liberalitatem designari: prævenit enim nõ rogata miseros dulcedine misericordiæ. Quid enim est manum mittere? an solum donare? nequaquam, verùm etiam obligatos debitorum vinculis solvere. Septuaginta habent, *brachium suum extendit inopi*. Tigurina Lectio, *brachia sua misit injuriam patientibus*. Quid hoc est, *mittere brachia sua injuriam patientibus*? an non facinus ingẽtis animi, & validi Gigantis, si objiciãt corpora sua in amantium tutelam, & ictibus irruẽtibus opponant se, & locũ dant vulneri. ô spiritum, sexu feminco altiorem! ô feminam, nõ feminam, quæ cùm sit maxima pro vili sanguine objicit se, & brachia sua. Sufficit illi, servatam animam. Convenit illi, quod Isaiæ 32. scribitur, *Princeps, ea quæ sunt digna Principe, cogitabit, & ipse super Duces stabit*: quasi diceret; Vigilans in Reipublicæ salutẽ excubabit. Vel ut Vatablus ex Hebræo, *Princeps liberalis, liberalia cõsultat*, & inde fama ingenti pompâ sequetur. Quare & hunc Principem εὐεργέτην, vocabimus beneficum, & latissimi cordis. Hanc cordis latitudinem, Philo missus ad Caium Caligulam Imperatorem, explicuit, dum suo periculo, statuã inferendã Templo Jerosolymitano, deprecatur his verbis: *Magis tibi diligendi sunt, Imperator, petentes beneficia abs te sibi præstari, quàm qui tibi munera offerre student. Hi enim debes remunerationem: illi verò tibi debitorem Deum efficiunt, qui in proprijs numerat, quæ in ipsos cõtuleris, qui remuneraturus est optimis donis, humanitatis, & benignitatis institutũ*. Hanc latitudinem Cordis à Philone positam exsuperat Virgo, quæ pronior ad dandum, quàm homines sunt ad accipiendum. Offert dona renitentibus, vultq; suis donis placere, si persona sua displiceat, ut tandem donorum interventu, & artificio ipsa placere possit. Placuit semper venustum antiqui Poetę dictũ apud Tatianum, vetustũ pro Christianis scriptorem, Αὔρα θεῶν, ὄχημα τιμιώτατον: *Aura Deorum pretiosissimum vehiculum*. Tu es illa aura pretiosa: tu vehiculum: tui favores, sunt auræ leves: sunt vehicula placida, quibus in cælum leni spiritus afflatu vehimur, tuæ prospero flatu benignitatis dum utimur, ad optatos exitus provehimur, ut extremum spiritum cælo reddamus: tu es auster, à quo fluunt aromata gratiarum, ita ut nullus sit, nec miser esse possit, nisi qui recusat, non esse miser, atque projectus.

Virgo ingratos talis auris confugit.

Locus Proverb. explicatus palmas extendit ad pauperes.

Nobilis oratio Philonis.

Stupenda Virginis indoles ut salvet homines.

Est aura nostra salutis.

§. XXX
EPILOGUS.

Liberalitatis forma erga suos Darij, & Alexandri exsuperat liberalitatem.

Divus Bonaventura in Ps. 118. *Sicut oculi ancillæ in manibus suæ Dominæ, ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrum donec misereatur nostri*. Ancilla, inquit, Dominæ nostræ est quælibet anima fidelis, immò ipsa Ecclesia universalis. Oculi hujus ancillæ in manibus Dominæ suæ semper esse debent, quia oculi omnium semper debent Mariam respicere, ut per manus ejus, aliquod bonum recipiamus, & quidquid bonũ possidemus, accipimus, attestante Bernardo: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret*. Modicum ergo quod Deo desideras offerre, gratissimis manibus Mariæ prius tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Acclama Virgini, tanquam liberalissimæ Matri,

Quales oculi nostri Virginem intuentes.

Sacerdotis Ægyptij acclamatio.

μεδοτικὸς τῶν ἀγαθῶν, benignus animus suorum bonorum cōmunicator, quod teste Diodoro Siculo, Princeps sacerdotum, Regi Ægyptio sacris operanti, solitus acclamare: laudes Regias in cœtu purpuratorum, & imprimis liberalitatem celebrando, quod esset μεδοτικὸς τῶν ἀγαθῶν, benignus bonorum suorum cōmunicator. Dies æqualiter illuminat, sol radiat, imber rigat, ventus aspirat, splendet stellarum cum Luna chorus: & Virgo semper benefacit. Tu illam cole, si vis ditari. Tunc autem studiosè colueris, si studiosè decora Virginis æmulatus: tum verò æmulatus fueris decora Virginis, si excellens ingenium ad summa armaveris: tum autem te ad summa armaveris, si magnanimitatis, & fortitudinis invictis armis instruxeris, & ijs instructus, tumidas, inflatasq; passionū cervices, & jugo rationis resiliētes, rationi servire docueris. Et quid est rationi servire? nisi ex ratione vivere, & hominibus, quia homines sunt, quia Dei imago sunt, & Deum repræsentant, servire? An non hoc est induere Divinæ naturæ formam? & Virginis SS. habitum circumferre? quanti est proximum esse Deo? quāti Dei Matrem in delicijs habere? Ad illorum societatē nos ardens vehet virtus. Tu interim χαῖρεν τῆς παρθένου χάριν ὀφθαλμοῦ συντήρησον, *Virginis gratiam ut pupillam oculi conserva*. Effunde omnes, quas potes, in Virginis sacrosanctæ opes, advoca quidquid natura circumfert, & dedica Virgini, Virginis æternæ senties inexhaustam liberalitatem, si enim Darius privatæ fortunæ cùm esset, nec adhuc regis filius, Samij Sylophontis amiclo, seu specioso indumento delectatus, curiosâ contemplatione fecit, ut ultrò sibi & cupido daretur. Sylophon ut sensit, puero exuto, donum dedit. Quanti autem æstimarit donū, gratus animus ostendit regno Persarū potitus. Totam urbem & insulam Samiorum Sylophonti fruendam dedit: non enim pretium rei æstimatum, sed occasio liberalitatis est honorata, magisque à quo donum proficisceretur, quàm ad quem promissum perveniret. Vide Valerium Maximū. Non est ideò exile donum, quod non læto vultu, & occursans admittet, & admissum pro sua dignitate, & amplitudine majestatis liberalissimè decorabit. Vitrum in Margaritum, & lutea vasa in aurea, & casas in regiam, & vilia dona in imperatoria permutabit, gaudet se fieri debitricem, ut largiùs profundat sua. Serpillo aliquid petente, cui nōnihil obligatus Alexander Magnus, dedit quinquaginta talenta, in filiæ dotem, & cùm decem sufficere pro sua fortuna Serpillus diceret (quæ monetâ Gallicâ statuunt summam 6. millium aureorum, & quinquaginta talenta quadraginta millia aureorum) hoc tulit responsum: Etsi infra tuam

Sacerdotis Ægiptij acclamatio.

Darij liberalitas.

Regia Alexandri liberalitas.

A fortunam sit donum, non tamen meam. An cæli terrę; domina, & suorum ardens amatrix, & Mater nutricans suis aliquid negabit? cui non læto vultu obvia processit? cujus vota irrita, & non audita rejecit? Mater est, nec se matrem, & quidem potentissimam ignorat.

In rebus ergo desperatissimis, toti orbi trepidanti, hoc consilium dederim, quo Centobricenses, obsessi à Quinto Metello Romanorum duce, proximi supremo excidio, excidium evasere. Admovenda erat Machina muro, qui connulsus viam furenti militi per ruinas dabat. Centobricenses ergo filios Rhetogenis (qui civitatis princeps, & patriæ desertor ad Metellum transierat,) machinæ ictibus objecerunt. Ne ergo, pueri in conspectu patris crudeli mortis genere consumpti perimerentur, Metellus abscessit: maluit enim Romanus B dux hostibus parcere, quàm tantâ atrocitate parere sibi triumphum. Et quamvis ipse Pater Rhetogenes, hoste immitior negaret esse impedimento quò minùs per exitium sanguinis sui expugnationem perageret, nihilominus tamen obsidionem soluit Metellus, indignum ratus suâ magnitudine, imbelli puerorum sanguine, & non armis urbem cepisse. Quanta vis humanitatis & clementiæ? An non illâ humanitate, stetit tota provincia attonita? an non illo clementiæ facto non unius civitatis mœnia, sed omnium Celtiberarum urbium animos cepit? effecitque ut omnes se populo Romano permitterent? non ergo opus fuit multis obsidionibus, quas una sustulit humanitas. Vide Valerium Maximum lib. 5. C 477. Tu peccator si sapis æmulare consilium. Obsideris undique justis terroribus Divinæ vindictæ, clamor sententiæ proferendæ circumsonat aures; teneris undique, nec patet effugij locus, nec ulla spes fulget salutis: oppone filio irato sanctissimā Matrem: illa sit tibi murus aheneus, & antemurale, & quamvis indignus sis vel sacram dextram, vel laciniam sacræ vestis contingere, umbra saltem te tege, ut illa videri sola possit. Quanta potentia matris! ad aspectum ejus, furor Filij languescit moriens. Tanti est interpositio matris, perierat orbis nisi se mediam objecisset inter arma furentis Dei. O liberalitatem Virginis, in prodigam, quæ suo periculo nostra redimit. Illa stat exadverso, atque opponit se tanquam murum in-D vulnerabilem pro filijs populi sui, ut staret in prælio in die Domini. Quanta reverentia Filij in Matrem, ut illâ visâ concidat tempestas armorum crepitantium. Quanta potestas Matris apud filium, ut omnia possit. Quanto ergo cultu, & obsequio tanta Mater est digna, quæ totum orbem sua sustinet liberalitate.

VIGESIMÆ PRIMÆ CONSOCIATIONIS DE FORTITUDINE DEI.

PARS PRIMA.

§. I.

Fortitudo propriè dicta ut virtus moralis, non propriè est in Deo. Deinde quomodo sit in illo.

Etsi fusè lateque sacra pagina Dei fortitudinē deprædicet, *Quis similis*, inquit, *tibi in fortibus Domine?* Exod. 15. & Job. 22. n. 16. *Apud ipsum est fortitudo.* Et Pſ. 2. *Induit Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Verè tamen nec nisi per metaphoram fortitudo consignari aut adscribi Deo debet. Sicuti Deum dicimus mansuetum, attamē mansuetudo Deo competere non potest. Virtutes enim morales nullâ ratione Majestati Divinæ, quippe tantâ Majestate inferiores, possunt adscribi. Et sanè quâ ratione Deo cōvenirent, cum illæ solum ordinentur ad bonū, quatenus conservant bonum, contra impetum passionum ne insurgant in rationis imperium, sed comprimantur, ne dominentur, sed fræno regantur; in Deo autem nullæ sint passiones? Deinde virtutes morales in Patriâ non remanent secundùm eum actum, quem habent in viâ, per comparationem scil. ad bona præsentis vitæ, quæ non permanebunt in Patriâ, sed per comparationem ad finem, qui erit in Patriâ. Nō ergo tanto numini tribuendæ. Sicut justitia nō erit in Patria, circa emptionem, & venditionē, sed in hoc quod est subditum esse Deo. Similiter & patientia non erit, aliqua sustinendo, sed in fruitione bonorum ad quæ pervenire volebamus patiendo. Unde August. l. 4. de Civit. Dei c. 9. tom. 5. *In Patria*, inquit, *non erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi multa sunt toleranda, sed æternum erit id, quò per patientiam pervenitur.* Virtutes ergo morales in Deo esse non possunt: virtutes verò Theologicæ dirigunt, & elevant hominem, quò Deo sociari, & uniri possit, morales pugnant cum duobus extremis, quia vitium repugnat virtuti duobus modis, maximè per excessum & defectum. *Materia ergo moralium virtutum*, juxta D. Th. 2. 2. q. 58. a. 8. *Est omne id quodcumque per rationem rectificari potest, & ideò versantur circa agibile sub ratione boni: bonum autem rectum esse debet, quia omne bonum constat ex integra causa, ut rectum dicatur & bonū*, & hoc ipso virtutes morales infinitis partibus inferiores sunt virtutibus Theologicis, hæ enim directè ordinant hominē in bonum, & sunt boni constitutivæ, morales autem sunt tātum impeditivæ eorum, quæ abducunt à bono. Quantum autem in perfectiori bono constituitur homo per aliquam virtutem, tantò perfectiorem necesse est esse virtutem, sicut sunt Theologicæ. Cùm igitur & morales sint inferiores Theologicis, Deum pro objecto habere nō possunt: nec Deum immediatè ut Theologicæ attingunt. Quomodo ergo in Deo fortitudo esse poterit, quæ est virtus moralis? quare quidem virtutibus intellectualibus comparari potest: inter quas est prudentia. Fortitudinem tamen Deo adscribere necesse est, cùm illi galeam, & scutum, & arma damus juxta Prophetam: Pſ. 34. 2. *Apprehende arma, & scutum & exurge in adjutorium nostrum.* Quemadmodū & cetera bellica instrumenta, quasi pugnaturus esset Deus, proponimus, & ad pugnā & dimicationem, quasi oscitantem & desidem excitamus, hortamurq; dum dicimus Pſ. 24. *Exurge, & apprehende arma, exurge in adjutorium nostrū.* Cujus opem & auxilium nequaquam imploraremus, nisi fortem crederemus: *Non enim est fortis sicut Deus noster* l. 1. Regum c. 2. & Isaiæ 1. n. 24. *Dominus Deus exercituum fortis Israel.* & Job 9. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Et Exod. 15. *Quis similis tibi in fortibus Domine? quis similis tui?* Perpetuum igitur est epithetum Dei: *Quia tu es Deus fortitudo mea, spes mea.*

In Deo ob altitudinē suæ majestatis non sunt, nec esse possunt virtutes morales.

In altera vita non remanent secundum actum.

Discrimen moralium virtutum & Theologicarum.

Fortitudo est in Deo Metaphorice.

§. II.

Quatuor modis aliquis fortis dici potest.

Scio à plerisq; fortitudinem, & bene quidē in duas partes dividi atq; secerni, docentq; aliam esse corporis, aliā animi. Multos esse corporis torosi nervis validissimis fortissimos ideò insuperabiles: alios cōtrà, viribus animi, firmissimis, inexpugnabiles, & corporis colore fluxo mollique. Tertium deniq; genus dixerim ego eorum, quibus validū & corpus, & anima nullis tormentis vulnerabilis contigit, & sibi & aliorum potentia, deorum instar dominatur. His sic positis placuit tamen quatuor modos proponere quibus quis fortis dici possit.

§. III.

§. III.

Primus modus.

A Corporis robore, quales fuerũt Samson, Hercules, Lysimachus, qui jussu Alexandri leoni famelico datus in prædã (quod Callistheni Philosopho venenũ dedisset in remediũ captivitatis) & manum amictam amiculo in os leonis injecit, & linguâ evulsâ mactavit.

Lysimachus objectus Leoni famelico.

Alexandrum itaq; tanti facinoris gloriâ reconciliavit. Trogus l.15. Plin. lib.8.c.16. Simile dedit fortitudinis exemplum Constant. Mag. qui in theatro cum leone pugnans victoriã cęli tulit. Dein à Galerio invidiâ gloriæ ad exitiũ tractus, (sic Cuspianus) omnes robustos vicit. Lucius Priscilianus insignis Athleta, qui claruit temporibus Antonini Caracallæ, cũ urso, pardali, leænâ & leone simul solus pugnavit & occidit. Sic Dionysius, & Xiphilinus. Robur invictum Herculis quis ignorat? quis nõ memorat 12. ejus labores? domuit Centauros, Cleonæo leoni abstulit spoliũ, fixit sagittis Stymphalidas volucres, Erymãtheum orbi metuendum aprũ, Æripidis cervi aurea cornua abstulit, Amazonẽ spoliavit baltheo. Quis non memoret Æugæum Stabulũ, inducto flumine purgatũ, tanto fimi congestu oppletum, quantũ ter mille boves multis annis opplevisset? Gerionem tergeminũ exstinctũ, Mala aurea vigili draconi erecta, Cerberũ extractum triplici catenâ, & præter reliqua, Antæum invictum quàm diu terrã tangeret, quẽ magis arte prudenti, cùm robore non posset & à terra sublevatum, elisumq; confecit. Et cur cęlũ irreflexo cello dicitur tulisse? an non ideò quia omnia ardua Herculeo cederet labori. Prô pudor! cæli Atlas, & mõstrorũ domitor, fœmineâ jacuit domitus catenâ.

Constantinus Leonem domuit.

Labores fortium.

Quis non miretur Polydaniam Scotussæum Pancratiastam maximũ suę ætatis hominẽ, qui leonem in Olympho, nullo telo armatus interfecit? Sic Pausanias l.6 Reginam Semiramidem, Assyriam orbis miratur, quę leonem, pardalim, confectos non mirabatur, si verò leænam nacta domuisset, animos offerre, sibique de victoria gloriari. Placuisseque. Ælianus l.12. variar. hist.

Quanta fortitudinis Semyramis.

Hannibal irâ victus in Gregarium militem Romanum desævijt quod ausus pretio libertatis (captivus enim erat) in arena cum Elephante Afro dimicare & cõficere. Unus Romanus docuit tantam belluam per contemptum vinci posse. Quanta viri virtus. Non omittẽdus David, Samsoni non impar, qui adolescens gigantem, & pastorculus leonẽ, & ursum vicit. Quis Milonis robur omittet, cui robur exitio fuit, qui bovem tulit uno spiritu per stadium, quem & pugno, & stravit, & stratum unico pastu absumpsit. Quem Juvenalis satyra 10. Vocat admirandum lacertis, quibus quercus diffindere consuetus. Visus mihi fortium virorum fortissimus extitisse Godefridus Bullonius, Rex Jerosolymorum, qui suis manibus fortissimum quemq; detinebat, ut illis elabi foret impossibile. Rogatus unde illi tanta fortitudo; respondit: *Has manus impudica mulier non tangit.* Orbis

Romanus miles Elephantum pugnans interemit.

Godefridi Bullonij robur & unde illi.

A ocellus Antuerpia, viros inter robustos genuit civem, qui fortitudine dextræ virum justę molis in ea, consistentẽ sustineret, & attolleret sine noxa. Nationum ferè omnium fortissima gens Polonica, Polonum generosum civem genuit, qui ferreas equorum soleas recentes suis manibus velut chartam fragilem confringeret. Dona hæc sunt naturæ, bestijs non inconcessa, quibus etsi triũphi parentur, fortuita tamẽ sunt, non animi bona, quibus vera felicitas paratur.

§. IV.

Secundus modus.

AB habitu fortitudinis dicitur quis fortis, disponente subjectũm ad ardua quæq; & B terribilia aggredienda. Qualis fuit Mutius Scevola, qui dextram foco lo ardenti injecit in erroris pœnam, quòd purpuratum scribam pro Rege obtrũcasset? O sublimitas animi! sic Empedocles totum sese Catanensium Ætneis incẽdijs donavit. O vigor mentis! sic Carthaginis conditrix se rogo secundum matrimoniũ fugiens, dedit, cùm Regis Hiarbæ nuptias declinans, maluit uri, quàm nubere. O præconiũ castitatis! Qualem exhibuit fortitudo Regulum? an non toto corpore cruces pertulit? & vigil, resectis palpebris mori coactus. An non fortitudo viri calamitatibus approbata? ô pietas, vitæ prô Patria prodiga, ne unus pro multis viveret, tradidit se morti. O fides etiam hosti servata usque ad intentionem! ô virum fortem, & C in captivitate victorem! Qualem formavit fortitudo Atticã meretricẽ in vili corpore. Scortũ fatigato linguam comesam in faciem tyrãni Aippiæ exspuit, ut exspueret & vocem, ne cõjuratos cõfiteri posset, si etiam victa dolore voluisset, ô magnæ mentis indoles superba! Majorem omnibus fortitudinem ostentavit Anaxarchus, qui cùm Ptissanę pilo contunderetur: *Tunde, tunde*, inquit, *Anaxarchi follem: Anaxarchũ enim non tundis.* ô Philosophi magnanimitas! Zeno Eleates per contemptum Dionysij tyrãni flagellis objectus, sententiam ad mortem usq; ne proderet conscios conspirationis in tyrannum, constanter & inconcussus tenuit.

Fortes ab habitu virtutis.

Scutum invincibile.

Carnifice.

Quis cõmemorabit prælia, certamina Christianorum, quorum sanguis orbem inundavit, D quorum sanguis instar fœcundi seminis orbem Christianis implevit? Quid profecit exquisita crudelitas? illecebra fuit sanctæ sectæ propagandę: morte multiplicatã, gloria fuit illustrior, an non plures effecti, quò crudeliùs plures cõfertim demessi? Lanienam fortissimorũ martyrum sub Diocletiano exantlatam quis enarrabit? Constantinus in edicto quod pro Christianis sanxit, apud Euseb. l.2. in vita Constant. *Eo*, inquit, *tempore verè terra lachrymas fudit: mundus res universas uno complexu coercitus tabido cruore inquinatus fletum dedit. Dies etiam ipse pro lugubris prodigij calamitate, obscuratus est.* Ex unius mensis numero, trucidatorum decẽ per annos sub Diocletiano per exquisita tormenta,

Collige numerum trucidatorum martyrum sub Diocletiano per unum mensem. Hinc collige quot millia per 10. annos.

numerum collige. *Uno mense decem, & septē millia Martyrum horribilibus tormentis confecta occubuēre.* Vide l. de Rom. Pont. in Marcellino, Decreverat impius Christianam tollere Religionem, & radicitus convellere: verùm sanguis Martyrum, semen Christianorum.

§. V.

Tertius modus.

QUilibet potest esse fortis virtute sapientiæ, etsi infirmus corpore: juxta illud Salomonis Prov. 24. n. 5. *Vir sapiens, fortis est, & vir doctus, robustus & validus.* Quod Hebræi sic vertunt, *vir sapiens est in fortitudine, & vir scientia roborans potentiam.* Hæc autem fortitudo tantum præstat fortitudini corporis, quantum anima corpori. Quænam tanta felicitas videtur viribus pollere, ut ejus causâ, æstimes naturā homini novercam, brutis autem parentē fuisse? hominibus propria vis in animi ratione consistit, quæ & Elephantes per silvas pedicis capit, frænat equos, subjugat boves, volucres dejicit arūdinibus, & profundo demersa retibus extrahit? Quis non Vlyssem esse mavult, quàm Cyclops? Alexander Magnus rogatus, qua ratione tot hostes superasset, & quidē tam breui tempore: Consilio, & eloquentia, & arte Imperatoriâ, *& sane melior est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Prov. 16. Fortior enim est ille qui cupiditates sapientiâ suâ vincit, domatq; quàm qui hostes. Et sanè quid difficilius, quam seipsū vincere? Vicit iras suas, & vindictę rabiem Cæsar, quam clemētia subegit. Divinum quoddam virtutis opus. Quātus extitisset, nisi luxuriâ, & libidine, & alijs vitijs subactis? fortitudine, qua omnia subegit, caruit, ut se totū vinceret. Fortis qui superat hostes, sed fortior qui voluptatibus superior. Verè sapiens fortis, quē nec secunda evehunt, nec adversa demittunt. Virtus enim perfecta inter adversa, & delectabilia, radiat, quæ nec adversorū incursu, nec delectabilium crescit blandimentis. Sapiens ergo fortis instar gubernatoris classem dirigit, interritus tēpestates domat, & fluctibus occurrit, naufragiumq; vitat, non tam declinando, quàm iras fluctuum domādo. ardua res, vicisse alios, victoria major est, animi fluctus cōposuisse sui. Regem te dixerim, si te, tuosq; affectus rexeris. Fulgentissima victoria, fortiter injurias sustinuisse, summa victoria Josephi, qui magnanimus calcavit injurias, fraternaque odia. Sic Job fortiter omnia tonitrua, fulminaque passus. Jure ergo optimo, Rex est qui potens sui, Regiâ quadam potestate se cohibet, & arbiter sui, sibi leges dicit. quicumq; ergo fortiter & sapienter sustinet, is verè fortis dici potest. Fortius enim est dura pati, quàm fortia agere. Hoc docet D. Th. 2. 2. q. 123. art. 9. ad primum, *quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiore invadēte: qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris: difficilius autem est pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori:* deinde qui sustinet, jam sustinet pericula; qui autem aggreditur,

Hominis fortitudo in animi ratione.

Seipsum vincere est summa fortitudinis.

Rex est qui potens sui.

Fortius est dura pati quàm fortia agere.

A etiam ea ut futura: difficilius autem est nō moveri à præsentibus, quàm à futuris. Deinde qui sustinet, importat diuturnitatem temporis, sed aggredi aliquis potest ex subito motu. Difficilius autem est diu manere immobilē, quàm motu moveri ad aliquod arduū. unde Philosophus 3. docet *quod quidam prævidentes ante pericula, in ipsis autem discedunt. Fortes autem è contra se habēt.* & c. 9. *quod in sustinendo tristia maximè quis fortis dicitur.* Quare & c. 8. 3. Ethic. *in repentinis periculis maximè manifestatur habitus fortitudinis:* habitus enim agit per modum, unde quod aliquis absq; præmeditatione faciat ea quæ sunt virtutis, cùm necessitas imminet, propter vicina pericula, hoc maximè manifestat, quid sit habitualis fortitudo in anima confirmata. Quare etsi B magnum, leones vincere; non tamen eo fortior qui violentam in seipso inclusam feram superat, vindictam videlicet, aut iracundiam gravissimè læsus. An fortior qui bellatricem Amazonem, quàm qui libidinē vincit, pudoris, & famæ debellatricem? an non numeras Herculis duodecim labores, victoriasq; Hercule major, & gloriosior, qui monstra animę vicit, quàm qui mōstra orbis. Quid profuit Herculi victoria tā illustris, qui victus libidine ad dominę sedet pedes, & scuticæ tremefactus habenis fila ducit? Paret prô pudor! dominator orbis, victrici feminæ. Jugum servitij patitur, qui pacē orbi dedit. Quanti est seipsum vicisse, & dura fortiter pati? Hac arte fortitudinis omnes Martyres omnia terribilia toleraverunt, & tolerata vicē-C re: fortes enim honestatis causâ, omnia subierūt & egerunt omnia quę ad fortitudinē pertinēt, & per habitum, & ut ipsa ratio debet tam patiuntur quàm etiam agunt, ut docet Arist. l. 3. Ethic. c. 16. Sapiens ergo fortis cumulatè in se absolvit fortitudinis perfectæ descriptionē ab Aristotele datam, quam martyres in seipsis expresserunt. *Fortitudinis est,* inquit Arist. in libello de virtutibus *inconcussum à mortis metibus, & cōstantem in malis, & intrepidum ad pericula esse, & malle honestè mori quàm turpiter servari, & victoria causam præstare.* Circa quæ igitur terribilia, & formidolosa vir fortis versatur? an circa ea quæ sunt maxima? etenim nemo tolerantior malorum, viro forti. Mors autem maximè omnium D est terribile, est enim ultimū vitæ. Circa quam ergo mortem martyr fortis erit, & circa eam quæ est pulcherrima: talis autem est quę fit in bello sacro, in maximo namq; fit, & pulcherrimo certè periculo, dum pro fide, pro dignitate, pro gloria sui Dei per vitæ contemptum, vitā formidolosè exhaustā, cruciatibus profūditur. Hujus formā dedit Eleasarus Machabæorum *l. 2. c. 6.* qui gloriosissimā mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium. Redeamus ad propositum nostrum. Quamvis Deum sciamus sapientissimum; imò ipsam sapientiam, attamen suâ sapientiâ fortis dici non potest, sicut ut fortē describimus; nihil enim formidolosum Deo potest occurrere, quem omnia formidant: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Ps. 75. & 100. *sanctum*

Pulchra doctrina Philosophi.

Quanta vis & potentia habitus.

Vir sapiens fortis, versatur circa terribilia.

Nihil potest obesse, vel prodesse sapienti.

ctum & terribile nomen tuū: & 46. *Dominus terribilis & excelsus Rex.* Deinde cum tumultus nullus in magni Dei Imperio sentiatur, juxta illud sapientiæ 12. *Qui cum trãquillitate judicas,* qui rebus tranquillitatem inducit, & beatitudinis suæ felicissimo otio, in perpetua, constantiq; suæ infinitæ essentiæ contemplatione perfruatur; fortitudini materia dari non potest, ubi felicitas, est æterna tranquillitas. Quamvis autem nihil nocere sapienti, aut prodesse potuerit, quantum enim datur, per humanos casus, divino incedit animo, nec habet moderator sui, unde accipiat injuriam, per quam sui capit experimentum, & virtutē tentet; attamen necesse est, ut semper in procinctu stet, ne sub jugum missæ passiones, faciles renasci, reviviscant, contrahitur enim facilè animus irruentiū malorū occursu repentino, nisi fortitudinis armis fuerit armatus.

Vita sapiētis semper stat in procinctu.

§. VI.
Quartus modus.

FOrtis dicitur à potentia ad aliquid operandum: sic docet Arist. *Ethico.* 10. *c.* 8. *n.* 10. *Forti opus est potentia, si agit aliquid eorū quæ à virtute proficiscuntur, & potestate etiam temperanti.* Non igitur primo, nec secundo modo magnus ille Deus cùm sit incorporeus, fortis dici potest. Deinde quid arduum & difficile Deo potest objici? cùm igitur sit actus purissimus & simplicissimus, nullus in eo habitus inveniri potest. Fortem ergo dicemus à potentia operandi: subest enim Deo quidlibet, & quodcumq; voluerit: *Omnia quæcumq; voluit fecit.* Ps. 113. & Genes. 18. *Nunquid Deo quidquã difficile?* Et Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Fortem dicimus in propugnatione infirmorū, & ideò dicitur: *Non est fortis sicut Dominus noster.* 1. Regum 2. v. 2. Ubi Hæbraicè habetur: *Non est petra, sicut Deus noster,* ut patet ex Ps. 17. & secundo Regum 22. ubi David ereptus Divinâ manu ab instantibus hostibus dixit: *Deus, petra mea, & robur meum, & salvator meus.* An non ideò petra, quia omnes infirmi in eo solidantur, & cùm animo deficeret dicens: *Defecit caro mea, & cor meum?* An non contabescens exclamavit, *Deus cordis mei?* Ps. 72. ubi in Hebræo est, *Petra cordis mei.* Ad hanc petram confugiunt, imbellis, impotensq;, ut ibidem conquiescât. An non Martyres inde suum invictum robur accipiunt? & tormentis cunctis superiores evadūt? *Stat,* inquit Bern. Ser. 6. in Cant. *Martyr triumphans, & tripudians toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne suâ circumspicit ebullire cruorem.* Ubi tunc anima Martyris? nempè in tuto, nempè in petra, nempè in visceribus, Jesu. In vulneribus nimium patentibus ad introeundum, si in suis esset visceribus, ea scrutans ferrum profectò sentiret: nunc autem in petrâ habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit. Metaphoricè ergo fortitudinem, sicut & mansuetudinem Deo da-

Deus fortis dicitur ab operandi potentia.

Sicut Deus dicitur altissimus ita & fortis.

A mus, & sicut Deum altissimum dicimus altitudine substantiæ, quia omnes rerum essentias in immensum transcendit, & tamē quod illæ sunt, non est, deinde altissimum altitudine scientiæ, & tamen non illa quam nos imaginamur, sed infinita, & non imaginaria, prętereà altitudine potestatis. Quid enim impossibile apud Deum, & altitudine Majestatis, & habitatione in cælo scil. empyreo, cùm tamen sit ubiq;, & nusquam sit tanquam in loco, & Majestate omnia etiam imaginaria impleat: pleni sunt cæli, & terra, & ultrà, à Majestate gloriæ tuæ. Proinde glorificate eum, quantūcumq; potueritis, supervalebit adhuc. Sic dicimus Deum fortissimum, quia omnem fortitudinem transcendit creaturarum, non quia illæ fortes sunt, sed quâ illam conamur exprimere. An non ideò Deo membra tribuimus,
B quibus fortia operamur, & nomina fortium, quibus actus, & facinora fortitudinis declaramus? Hinc dextram affingimus, quia dextra ministra, & exaltatrix fortium operū. Hinc sacra Script. ait: *Dextra tua magnificata est,* Exodi 15. *in fortitudine,* quod Vatablus sic vertit, *Excellenti virtute fulsit dextra tua, quâ in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.* Ubi 70. habent, *Quis similis tui in Dijs Domine?* nomen Dei, est *el,* .i. fortis. Quem versiculum Machabæi in castris, dum prælijs committēdis concertarent, prætulerunt. Quid mirum si parvâ manu ingentes exercitus cōciderint, atq; prostrarint: *Qui confidunt in Domino, assument pennas & volabunt, & non deficient.* Et
C dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Quis similis tui in fortibus, Domine,* cui omnia elementa ad nutum parent? cujus voluntati si obtemperes, ipsa eadem elementa etiam contra naturam suam tibi servire compellet? An non tres nobiles heroes in medijs flammis, quasi inter rosas liliaq; colluserunt? Amiserat quippe ignis vim suam & virtutem. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* Exod. 15. Ubi Chaldæus sic habet: *Deus est victor bellorum, Adonai nomen eius,* Hebraicè est nomen tetragramaton, *Iehova,* (vel potius Jeheva) *id est vir belli,* .i. *maximè bellicosus, Iebeva nomen ejus* alludens ad radicem *bove*, quod contritionem & confractionē significat. Et 70. *Deus conterens bella.* Unde & Pharao illudens Moysi c. 5. *Quis est,* inquit, *Iebeva, ut audiam vocē eius?*
D quasi diceret: Quid potest vester Jeheva, quibus scil. armis coget me ad parendum? An nō exercitum ejus projecit in mare? ubi Hebraicè habetur, *ejaculatus est:* eà scil. facilitate quâ sagittam peritus evibrat, atq; detorquet in magnitudine brachij sui: unde virum brachij dicimus fortem, & lacertosum virū, eò quòd in brachijs resideat præcipuum hominis robur. Deus ergo facit potentiam in brachio suo, dum exerit humano more potestatē suæ voluntatis. Et quid mirum, si *Num.* 23. *v.* 21. Balaam extollens felicitatem populi Israel, magnis eum laudibus sit prosecutus: *Dominus Deus est cum illo, & clangor victoriæ Regis in illo est.* Erāt apud

De altitudine Dei.

Vexillum seu labearum Machabaorū.

Explicatur substantia nominis Iebeva.

Cur brachia Deo manus.

apud populum duæ tubæ argenteæ jussu Domini factæ, quibus sonantibus victoria donabatur c.10. Quare clangor victoriæ Regis est cum illo? An non quia fortissimus Deus? An non quia inexpugnabilis? & ideò inexpugnabiles, & fortissimos suos fecit, qui secum habent Deum ducem, in duce Regē, & in Rege fortem, in forti victoriam, & ideò clangor victoriæ Regis illis est, quæ jussu Regis Dei ubi insonuerint, ad classicum, & sonitum militat cælum, & conjurati venti præsto sunt, præstoq; est cæli militia ad Dei prælium: Baruch.3. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Et Judicum 5. *De cælo dimicatum contra Sisaram.* Et Sap.5. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Indignum enim videtur Majestati tanti Principis, & Monarchæ, ut expeditionem armatus in suos pareti inimicos. Ad nutum stant omnes creaturæ, etiam ipsa insensibilis natura, Deo tamen sensibiles: quare omnes creaturæ Dei serviunt Majestati, ad ultionē procinctæ, si laxaret habenas Deus.

Omnes creaturæ serviunt majestati Dei.

§. VII.

Fortitudo Dei, Rhinoceroti comparata.

FOrtissimus ergo cùm sit, tamen ut fortitudo tanta sub sensum humanum, per aliquam similitudinem illabatur. Scriptura sacra comparat eam fortitudini Rhinocerotis. Est enim (ut ait Plin. l.8.c.21) fera asperrima, reliquo corpore equo similis, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, mediâ fronte ad duos cubitos eminente Hanc feram negant vivam capi. symbolum est fortitudinis Dei, & tardæ iræ, nisi multum irritetur: sed terribilis. Laneos quippè Deus pedes habet, sed ferreas manus, juxta illud: Ps. 38. *A fortitudine manus tuæ ego defeci.* Isidorus l.10. Etymol.2. *Tanta fortitudinis est*, inquit, *illud animal, ut arte nullâ venantiū capi possit.* Fortissimus instar Rhinocerotis spirituū Deus, velut unicornis, id est potentiæ singularis, Deus incomprehensibilis, & invictæ virtutis, qui tamē SS. Virginis pulchritudine attractus, illiusq; utero inclusus, captusque, & ex eo tum comprehendi potuit, & occidi. Hac fortitudine armatus Israel accubans dormiebat ut leo, & quasi leæna, quem suscitare nullus audebat, n.24. Quid terribilius Martyre Laurētio? cum catastis equuleo, numellis, ignibus, flammisq; concertante? An non instar leonis, qui rugitu omnia nemora concutit, ferasq; territat, hostes suos ferociâ constantiæ, & patientiæ facinoribus attonitos percutit? An non Seneca nostrum Laurentium in imagine Herculis describit?

Cur fortitudo Dei, Rhinoceroti comparatur.

Laurentius in flammis territat liflores.

Nullis vulneribus pervia membra sunt
Ferrum sentit hebes, lentior est chalybs:
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum retulit, fataq; negligit
Et mortem indomito corpore provocat.
Nil obstare valet: vincere quod parat,
Iam victum est.

A An non spectaculum indomitæ virtutis, stare adversus stimulos, laminas adentes, compedes, nervos, carceres catenas, numellas, boiasque, & in ipsis flammis triumphali corpore lætoq; mori? Quis fortitudinem S. Fructuoso dedit, ut Galieno Imperatori victrix insultaret, cùm idola venerari, Dijs sacrificare compelleret? Hisce verbis: *Sacrificare Diis Galiene nolo, sed æternum Deum, ac ipsius Cæsaris creatorem colo.* Quod Pulchrè Prudentius expressit:

Fructuosi martyris ingens animus.

Iussum est Cæsaris ore Galieni,
Quod Princeps colit, ut colamus omnes:
Æternum colo Principem dierum
Factorem, dominumq; Galieni.

Audiamus rugitum leænæ, cujus etiamnū vox per totum orbē insonat, vox invictæ feminę, vox viraginis indomitæ quam nullus Augustino luculentiùs depinget: Magnum, inquit spectaculum fratres positum est ante oculos fidei B nostræ audiamus corde vidimus, optantē Matrem ante se servire istam vitam filios suos, longè contrarijs votis cōsuetudinis humanę. Omnes enim homines filios suos ex hac vita migrando præcedere volunt, nō sequi, illa autē optavit posterior mori, non enim amittebat filios sed præmittebat. Nec intuebatur quā vitam finirent, sed quàm inchoarent. Desinebant enim vivere, ubi quandoq; erant morituri, & incipiebāt vivere, sine fine victuri. Parum est fuisse spectatricem, miraati sumus potiùs hortatricē. Fœcundior virtutibus, quàm fœtibus. Videns certantes, in quibus ipsa certabat, & in omnibus vincentibus ipsa vince-C bat. Una mulier, una mater quomodo nobis ante oculos posuit. Unam Matrem sanctā Ecclesiam ubiq; excitantem filios suos, pro illius nomine mori, de quo eos cōcepit, & peperit. Sic sanguine martyrum impletus orbis, præjactis seminibus seges Ecclesię pullulavit. Unde hoc homini? nisi salus justorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Sic serm.2. de Machabæis. An non sese offert stupendæ fortitudinis femina, .i. Machabæa, quæ cum septem liberis tyranno atq; carnifici priùs viscera omnia, quàm unū verbum sacrilegum effudit, cum ejus exhortatione filij roborarentur, in quorum membris ipsa torquebatur, latura tamen etiam proprio corpore, quod eos ferre præceperat. Quid ad D tantam potentiam quæso addi potest? Quid tamen mirum? si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistebat? An non audierat: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius?* An non audierat Prov.16. *Melior est vir patiens viro forti?* An non fortissima mater matrem exuit, & seipsâ, & morte animosior, matris expugnavit amorem? imò armavit se matris amore, dum tubâ insonanti ad prælium cæleste suos filios vocat, ut se Deo devotos, sacratosque in victimam dedant. Tunc enim judicavit se veram matrem, si partus suos immortali Deo, atque immortalitati parturiret. Quid non domabit

Descriptio Machabææ Heroinæ in certamine filiorum.

mabit fortitudo facibus amoris Divini succensa? nihil est tam durum, nihil tam ferreum, quod non amoris igne vincatur, quo cùm se anima rapit in Deum super omnem carnificinam libera, & admiranda volabit pennis pulcherrimis, quibus ad complexum Dei, castus amor innititur. Vide August. *l. de moribus Eccles.* Excedit enim fortis amor in Deum, cuncta supergreditur fortis animus Deo flagrās, quidquid excelsū, atq; sublime. An fortè amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum amatoribus suis sinet esse fortiores Cęlestis amor, cùm ille non castus, non amor, sed congruētiùs cupiditas, vel libido nominetur? in quâ tamē apparet quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur inania, & brevî peritura. Argumento itaque nobis est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum: si tanta illi, ut deserant, perferunt, mihi verò adhærere Deo bonum est; cui si adhæsero, fortis sum, à quo si discedo, infirmus. *Omnia possum in eo qui me confortat* Deus, clamat Paulus. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas: fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod in nobis est, sed Spiritum S. qui datus est nobis? An non vilescit gloriâ mundanæ fortitudinis cùm habetur? vilescit, miraturq́ per tot discrimina, per ipsas mortes, jam victor suos inanes triūphos, non satiat animum, nisi incorruptibilis gaudij futuri vita: aude fortia Christiane, sudorem posuere Dij virtutis ad aras: non datur accessus ad templū Honoris in arduo positū, nisi per transitum templi Laboris: *Pauci quos aequus amavit Iupiter, aut ardens evexit ad ethera virtus*, clamat ille gentilis Poëta: non est è terris mollis ad astra via, tolle oculos in cælū, & arma te fortitudine Dei, ascende clivum, ubi gustabis æterna, amabis, & diliges ardentiùs: æternum enim adeptum, diligitur ardentiùs, & amatur constantiùs: nemo enim de illo plus æstimat, quàm de se habet, ut fiat vilius, quia speratum est amplius, nam tanta est excellentia boni æterni, ut multò plura adeptura sit charitas, quàm vel fides credit, vel spes desideravit. Pulchrè August. sent. lib. sent. 33. *Tota fidelium salus, tota patientia fortitudo ad eum qui in Sanctis suis mirabilis, referenda est*, quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorū fragilitas humana succumberet. Perstāt invicti Martyres, & canentes, quia fortitudo Christi canora. Infirmitas, & summa humilitas, summū robur eorum. Pulchrè hoc decantavit Exod. 15. Maria soror Moysis ad stragem Ægyptiacam in mari rubro, dum dicit: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum: Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. Quis similis tui in fortibus Domine?* An non Samson per miraculum sterilibus datur parentibus in Principē populi futurus? eâ lege educandus, ne novacula transiret caput ejus, nec vinum, nec siceram, & om-

A ne quod inebriare posset, biberet? An nō hoc pacto, juxta Dei imperium nutritus, in septē sui capitis capillis, maximam sortitus est fortitudinem? An non illis spoliatus per fraudem exarmatus fuit, & robore per philtri amatorij venena nudatus? An non victor mōstrorum exitioso cupidine ebrius, fortitudinis suæ secreta mysteria poscenti Dalilæ demens indicavit? Lethale poculum amoris quid non agis? Invictus, victus fuit, & dormiens in sinu lethifero tondetur, raditur, vincitur, ligatusq; cæcatur, & instar mancipij tantus Princeps molam agit: ad epulas hostium canentiū tantus Princeps ut histrionem agat, adducitur, illuditur, lassus ad columnas incubat, utramq; complectitur, & invocato auxilio Divino eas
B concutit, quassatque, & moriens plures occidit, quàm vivens, & epulantes cæcâ ruinâ involvens, suo sepultus est triumpho.

§. VIII.

Fortitudo Christianorum, & firmitas, est infirmitas.

QUorsū hæc? unde quæso cuilibet Christiano robur, & sua fortitudo, quâ Principes tenebrarum mundū, carnem, ac deniq; seipsum de seipso triumphans, millies subigit, atq; debellat? Unde illi pectus tam validū, quo tormenta, quæ sunt illi gaudia, quibus mortē quasi vitam lætus, exultansq; excipit, subditq;?
C An nō fortitudo Dei, ne glorietur omnis caro, dicens: *Manus nostra excelsa fecit hac omnia?* Quis teneras Virgines ad prælia castitatis armat, ut sit dulce pro virginitate, & vulnera, & flammas, & mortem poscere? An non afflatus Spiritus S. & robusta Dei Charitas, quæ flammas suscitat, ut flammæ non sentiantur? quæ tamdiu instar Samsonis invictæ persistunt, quamdiu sui humilitate, & contemptu sustentantur? Invictus Samson, & fortitudo constās, intactis à ferro capillis: tamdiu constans, & invicta Christianorū virtus, quamdiu immunis à superbiæ veneno: nam Christianorum virtus, & firmitas, est illorum infirmitas. An ergo in capillis tanta inerat fortitudo? Nequaquā: non enim in flexibili, fluidoque capillo, non
D in ossibus, non in sanguine tanta vis inesse poterat, sed mandati Divini observatio fortitudinem tantam conferebat. Capillorum ergo intacta prolixitas, juxta De imperium, erat signum præsentis Divini auxilij, quod tollebatur si contra legem Dei violaretur fortitudo capillorum ablatione. Fortitudo, ergo Samsonis Divinitus collata capillamentis designata subsistebat, quamdiu in mandatis Domini, custodia Spiritus sanctis permanebat: sic & tota virtus, & fortitudo Martyrum, non ipsis Martyribus, sed soli Deo adscribenda, cujus gratia collata, fortitudo radiabat, si spiritu humilitatis contineretur. Quâ violatâ, tamquam superbię ferro detonsa non solum effeminabatur, sed exolescens, evanescebat. Quàm multi Martyres suo loco cedētes

Fortitudo Samsonis in capillis emblema fortitudinis Martyrum.

Fortitudo Martyrum humilitas ut fortitudo Samsonis in capillis.

tes jam proximi victoriæ gradum retulere! quàm multi instar Samsonis victi, fugatíq; pugnam repetivêre! An non Samsoni vires deperditæ, per incrementum capillorum renascentium tacitè succrevêre? Planè. Crevit capillus, crevit & fortitudo, non quia robur in capillis, sed quia per pœnitentiã, per reconciliationẽ crescentibus capillis, donum fortitudinis recuperabat: ad quorum mensuram, & incrementum roboris dabatur, sicut ad signũ visibile, virtus invisibilis Sacramentorum cõfertur, sicuti dũ Christus baptizatur, Spiritus S. columbæ specie apparuit, nõ quod colũba esset; conveniens tamen erat, ut Spiritus S. persona per corporalem speciem descenderet, & vox Patris corporalis de nube, per aërẽ corporis auribus audiretur; quia Filij persona corpore carnis humanæ erat induta. Ad signum ergo vocis auditę, persona Patris, sicuti ad speciem columbæ, persona Spiritus S. designabatur. Sicut ergo capillus signum erat præsentis gratiæ, & fortitudinis Divinæ: sic humilitas fortitudinis, & roboris Divini signum, & tessera: quæ veneno superbiæ perdita, per spiritum humilitatis redintegrata refloreścit; juxta Psalm. 27. *Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salvationum Christi sui est.* Unde colligit D. August. argumentum pro gratiæ necessitate, sine qua nihil possimus: *Populum humilem salvum facies*, quia fragilis, & vana est omnis superbia. Et Ps. 43. *Nec in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos, sed dextra tua, & brachium tuum.* Ut rectè dicit Judith 5. *Ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & absq; scuto, & gladio: Deus eorum pugnavit pro eis.* Hinc Moyses Deuteron. 8. monebat populum, *ne diceret in corde suo: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt.* Milites Gedeonis ad ingressum victoriæ clamarunt, primũ *Gladius Domini, deinde Gedeonis*; sed hujus per illum. Hinc benè in Ps. dum dicitur: *Et brachium eorum non salvavit eos.* Paraphrastes ponit: *Fortitudo brachij sui.* Et Aug. *Brachium ipsorum non salvos fecit eos: sed dextra tua, & brachium tuum.* ubi brachio Chaldæa editio addit epitheton *fortitudinis*. Quid enim homines viles, & imbelles, Dei fortitudine destituti possent? Fortitudo Samsonis capillis innixa triumphabat. Et quid capilli, nisi res viles, inertes, fluidæ, inermes, fragiles, nisi summã humilitatem, & fundamentum fortitudinis Christianæ designant? capillorum conservatio, erat conservatio fortitudinis, conservatio humilitatis, conservatio fortitudinis nostrę. Fortitudo ergo nostra, humilitas: venenũ fortitudinis nostræ, sui fiducia; & ideò pro iniquitate hac, erudit Deus animã. Quomodo erudit? Tabescere facit animam, ut vilitatem suam agnoscat, ut homo intueatur infirmitatẽ suam. Quando hæc eruditio infirmum facit, quædam fortitudo animũ armat. Fortitudine quadam displicuit homo, ut erudiretur infirmitate. Fortes esse dicuntur omnes superbi, infirmi humiles; ideò vicerunt multi

Detonsus Samson infirmus, at perimens cum capillis, crescebat robur.

Capilli erant signũ visibile ut in Sacramentis posito signo visibili confertur invisibile.

Sicut & in Baptismo Christi Domini contigit.

Hominis fortitudo omnis à Deo est.

Fluxa omnis humana virtus ut fortitudo in Capillis nulla.

Fiducia sui venenũ fortitudinis

A ab Oriente, & Occidente venientes, ut recũbant cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorũ. Quare vicerunt? Quia fortes esse noluerunt. Quid est, fortes esse noluerunt? De se præsumere timuerunt: justitiã suam non constituerunt. Ipsa est ergo prima gratia, redigere nos ad confessionẽ infirmitatis, ut quicquid boni possumus, quicquid potentes sumus, in illo simus, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quando*, inquit Paulus 2. Cor. 12. *infirmor, tunc potens sum.* Sic Aug. in Ps. 38. *Venantur hypocrita fortitudinis nomen, at nec umbram obtinent: trahunt gloriam, ut tamen non habeant gloriam*, ut loquitur Aug. Serm. 12. ad fratres in eremo; venantur & gentiles, nec non Philosophi suorum facinorum spectaculis. Diogenes fastu, dignitates, & pompas calcabat; majori fastu calcatus. Quis Romanorum, & Græcorũ athletarum non inanis gloriæ cupiditate in pericula sese conjecit? frondes fuerunt sine fructibus, vites steriles, & infœcundæ; sola Christianorum fortitudo, germana est virtus, quâ se pro religione Deo devoventes, nihil periculorum detrectaverunt. Hinc natus est immensus ille ardor patiendi. Trajani Imperatoris anno 6. Plin. 2. Proconsule Asiæ, & Bithyniæ unius civitatis populus cõfecto agmine, ut pro Christo mori possent, liberaliter sese offerebant, & Adriani Imp. 4. an. Christi 123. Arrius Antonius Proconsul Asiæ, cùm in una civitate Provinciæ Asiæ, quæ Christianã religionem fuerat amplexata, omnes Christi fideles videret ad se pro tribunali venisse, palàm se Christianos profitentes, mortem pro fide Christi orantes, rei novitate, & magnitudine perterritus scribitur exclamasse, ut habet Tertull. ad Stapulam c. ult. *O miseri si cupitis perire, præcipitia, aut restes habetis.* Quantũ Christiano solatium, pro tanta innocentia, pro tãta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremari? Crudelitas hostium, est gloria Christianorum: non timet Christianus mortem, sed ultrò vocat: non timet certamina: & cur timeret, cùm majora sequantur præmia? Mori potest Christianus, non tamen religio Christiana: peti cædibus, at non exscindi potest: scias tunc magis ædificari, cùm cædi videtur. Quis enim tantã tolerantiam spectans, non statim aliquo scrupulo perculsus accenditur inquirere quid sit in causa, & ubi veritatem cognoverit, & ipse statim sequitur. Ardebat fortitudo Charitate, nec lassabatur ferendo, quia *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Saviat proinde*, clamat Aug. in senten. l. 6. *& fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis: quicquid fecerit, quantillum erit ad illud quod accepturi sumus?* Appendo quod patitur, contra id quod spero: hoc quidem sentio, illud spero, & tamen incomparabiliter maius est quod speratur, quàm quod infertur. Quicquid est, quod contra nomen Christi sævit, si potest vinci, tolerabile est: si non potest, proficit præmio citiùs conse-

Omnes superbi sunt fortes.

Et omnes infirmi in oculis suis sunt fortes.

Stupendus ardor Christianorum pro Christo moriendi.

B

C

D

Christiana Religio per cædes sumit vires, & ab ipso ferro ducit animos.

consequendo, & finis temporalis mali transit A per perceptionem æterni boni. Pro probitate, pro justitia millies emori, gloria est Christianorum. Non timet Christianus mortem, sed ultrò vocat: non timet certamina; & cur timeret, cùm majora sequantur præmia? Potest Christianus mori, non tamen Religio Christiana: peti cædibus, at non exscindi potest; scias tunc magis ædificari, cùm cædi videtur. Quis enim tantam tolerantiam spectans, non aliquo statim scrupulo percussus, accenditur inquirere quid sit in causa; & ubi veritatem cognoverit, & ipse statim sequitur. Quâ arte sibi hanc peperêre victoriam? an non sanguine? membrorum sectionibus? an non vitæ profusione? Magna & certa sunt hæc fortitudinis testimonia, & voces; attamen non suis viribus, sed capillorum fortitudine, & humilitatis suæ freti præsidiis. Sciebant enim eam esse veram victoriam, quæ humilitatis armis pararetur; quod scire erat summæ Sapientiæ. *Deus enim fortitudo nostra, qui obumbrat nos in die belli, qui nobis est per diem columna nubis.* Vincunt ergo ij qui de se non præsumpserunt. *Deus enim eruet me de laqueo venantium*, ait Propheta, non ego me; *inter scapulas suas obumbrabit tibi.* Sed quando? Quando sub alis ejus sperabis, *scuto circumdabit te veritas ejus.* Ægyptij dum intonante cælo fulmina jaciuntur, & fulguribus intermicantibus aspera tonitrua, & ingentes imbres accederent, ut scribit Josephus, fugientes clamabant: *Fugiamus Israelem, quia Deus pugnat pro illis.* Quomodo pugnabat pro illis, & pro nobis? Pugnat pro nobis, dum nos protegit, dum vires & robur confert, dum illuminat, ut intelligam me infirmum, & ipsum salutis fontem, cujus fortitudine fortes & victores triumphamus; & ideò sub alis ejus speramus, ne tua protectio à te tibi sit, ne putes, quia potes te protegere: ille te protegit, ut eruat te. Si gallina protegit pullos suos sub alis, quanto magis sub alis Dei tutus eris? Confitere infirmitatem tuam, & fugito sub alas Dei, & erit nobis gallina protegens pullos contra accipitris aërias potestates. An non ideò Sapientia Dei infirmam se fecit? An non ideò Verbum caro factum est? Quid fortius Verbo? Quid infirmius carne? An D non ideò & gallinæ se comparat, quæ infirmam se facit, quia pulli infirmi sunt? An non gallinam cognoscimus ex infirmitate vocis, & plumarum relaxatione? An non tota mutatur affectu pullorum? An non Christus clamat, & exclamat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Matth.11. Fatigatus ego, & vos: sitio ego, & vos; nudus & infirmus ego, & vos; fatigatus ego, ut vos fatigatos recreem; esurio & sitio, ut vos pascam & potem; nudus & infirmus, ut vestiam & confortem: mea infirmitas, vestra fortitudo est.

Protectio Dei necessaria, non nostra nobis.

Deus se infirmum fecit, ut nos fortes faceret instar gallinæ.

Concludamus cum Augustino, & illum, & in illo audiamus Christum loquentem, *tract.15. in Ioannem de cap.4.* *Invenimus fortem Iesum, & invenimus infirmum; fortem & infirmum: fortem, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Vis videre, quam iste Filius Dei sit fortis? omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum nihil: & sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Fortitudo Christi creavit, infirmitas Christi te recreavit; fortitudo Christi fecit, ut quod non erat, esset: infirmitas Christi ut quod erat, non periret; condidit nos suâ fortitudine, quæsivit nos infirmitate suâ.* Nutrit ergo infirmos infirmus, tamquam gallina pullos suos. Infirmus ergo in carne Jesus: sed noli tu infirmari, in illius infirmitate tu fortis B esto; quia quod infirmum est Dei, fortius hominibus. Admirare ingentem Martyrum humilitatem, quâ fortissimi, & omnibus superiores domabant omnia. Lege Eusebium *lib.5. cap.2.* *Erant æmuli, & imitatores Christi Domini, qui semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, humiliavit, ut quamvis in tali gloriâ, & splendore locarentur, & non semel, & iterum, sed sæpiùs ut Martyres decet, pro fidei confessione, acerba tormenta perpessi, bestiis objecti, ab iisdem denuò ablati, ignito ferro exusti, vibicibus lividi, vulneribus inflictis excruciati; non tamen se Martyres prædicabant, ne cuiquam nostrûm copiam facerent, illos eo nomine appellandi: sed si quisquam nostrûm, eos vel per literas, vel per sermonem, ut Martyres fortè salutasset, graviter eum C reprehenderent: libenter enim Martyris appellationem, Christo, fideli, & vero Martyri, primogenito mortuorum, & Duci, & auctori vitæ piæ, concesserant. Illi sunt verè Martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus: nos autem tenues solum, & abjecti, Christi nominis confessores atque fratres. Obsecrabant cum lachrymis, ut preces pro illis ardenter, & obnixè Deo funderent; pro ipso decessu è vita: opus quod Deus benignè in illis incepisset, cumulatè expleretur.* Humiliaverunt se sub potenti manu Dei, quia jam satis exaltati sunt: humilitas illis erat fortitudo, & sui contemptio, ingens in Deum fiducia.

Christus infirmus ut nos fortes faciat.

Admirabilis humilitas Martyrum, qui ne præsumerent de se, Martyres nolebant vocari.

Nos amores Martyrum.

§. IX.

Christiana Religio, dum exstincta videtur, reluxit clarius, & resupinavit victorem.

Vide infirmum Jesum: vide & fortem. Anno Christi 304. Diocletiani & Maximiani 20. incumbentibus omnibus Provinciarum præsidibus in Christiani nominis excidium, & toto orbe fluerent rivi Christiani sanguinis; & perinde ac si cum hominibus tantùm, & non cum Deo bellum geri videretur. De Jesu Christi gloria actum videbatur,

batur, infirmus & impotens Jesus videbatur. Creditum est à Gentilibus Christianam fidem subjugatam, extinctamque. Quamobrem velut gloriosus victoriæ titulus, in tantæ laudis præconium in columnis erectus de subactis, deletisque penitus Christianis. Cluniæ in Hispania in nobili columna hæc inscriptio legitur:

Trophæa erecta & inscriptiones victoriæ de deleta Religione Christiana.

Diocletian. Iovius, Maximian. Herculius Cæss. Augg. amplificato per Orientem, & Occidentem Imperio Romano, & nomine Christianorum deleto, qui Rempublicam evertebant.

Rursus ibidem habetur alia inscriptio:

Dioclet. Cæs. Aug. Galieno in Oriente adoptato, superstitione Christi ubique deletâ, cultu Deorum propagato.

Verùm non solùm in Hispaniâ; sed toto orbe fuisse erecta trophæa, de excisâ Christi Religione, omnes testantur. Vidistis infirmitatem Jesu: aspice fortitudinem numerosorum Martyrum, qui invictâ fortitudine, furentibus Imperatoribus ad mortem sese objecêre, facti fortes, dum infirmos se judicant, firmitate Christi. Orbem decoloravit sanguis Martyrum, dixerim melius incrustavit auro, gemmisque. Clamabant pueri, clamabant & teneræ puellæ: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est innocentia nostra, iniquitas vestra: ideò nos hæc pati Deus patitur. Ad hoc morimur, ut vivamus æternum: de prælio non querimur, ut vincatis in prælio, gaudeamus: quia gloriam consequimur, & prædam. Nostra victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum.* Vincunt ergo Martyres, cùm occiduntur, & vivunt mortui: an non Deus, Dominus & morientium, & resurgentium: ubicumque resoluti fuerint, & in nihilum redacti, reddet illos Deus. Ejus est nihilum ipsum, cujus & totum. Quot maluerunt Virgines ad leones damnari, quàm ad lenones? atrociorem illæ labem pudicitiæ omni pœnâ, & morte reputarunt. Quanta vis, & fortitudinis Christianæ potentia, totus orbis jugulum tyrannis præbuit, nec mori detrectavit. Integræ urbes viduatæ suis heris, ad pulchram mortem properabant. Hebr. 11. *Ludibria & verbera experti, insuper vincula, & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Et deerant ignes, & tormenta, quibus non deerant Martyres. Tortor fatigatus languebat cruciando, & Martyr novus recensque, cruciatus advocando. Placuit mihi fortitudo animi in Victoriano Adrumetino Consularis dignitatis viro, qui Hunnerico Regi Arriano percharus, magnis honoribus attollebatur, ut in Regis sententiam descenderet. Cui blandienti, magno animo respondit: *Experire,* inquit, *adversus me omnia tormenta, flammis dona, in cinerem redige, bestiis me objice. Quidquid fingi potest, advoca: pactum cum Deo initum solvam nunquam; vita deserenda potius, quàm fides.* Exarsit tyrannus. Verberibus undique fœdatum toto corpore lacerat, atque omnibus tormentis excarnificatum occidit. Victor *lib. 3. histor. de persecutione VVandalica.* sic in causa gloriæ, & famæ; virtutis, fortitudinis vexillum extulit. Pulcherrimum fortitudinis spectaculum dedit sanctus Edmundus Rex in Anglia Martyrum feracissima terra. Hic ubi se sensit vallatum hostibus, de consilio Episcopi Humberti Helmhamensis in Ecclesiam confugit, ut armis cælestibus se muniret, cùm bellicis non posset. Ab hoste per vim extrahitur: loris dirissimis corpus Regium coarctatur: ad Ducem captivus trahitur: ad arborem, victima futurus, ligatur, cæditur flagellis, & acerbissimis illuditur convitiis. Deinde quia constans, tenaxque suæ fidei, sagittis truculentis petitur, totusque ut ericius suis spinis, sic telis stabat confixus; nullus nec furori, nec telis locus. Vulneribus ergo undique perfossum corpus, invulnerabilis constabat animus Regius. Inardescit carnifex. Hinguar provocatus tantâ virtute, & ni captivus mentem mutet, suprema captanda consilia intonat. Stat Rex inflexibilis, & insistit suis precibus. Avulso ergo de stipite per vim truculentam, corpore, manu media inter verba Christum orantia caput abscindit. Vide Baronium *tom.* 10. *anno Christi* 870.

Voces Martyrum.

Deerant supplicia Martyribus non suppliciis Martyres.

Stupenda viri consularis constantia.

Edmundus Rex occisus.

Banaias 2. *Regum* 23. Davidi intimus quòd tres leones prostraverat. Fortior mihi visus, & audacior Abisai, qui ex rugitu sentiens leonem in fossam prolapsum, solo fuste armatus, ad leonem descendit, victor, occiso leone, spolia tulit. Videtur Herculem prætergressus: hic enim in loco spatioso, clavâ munitus; alter in arcto confecit. An non fortiores his omnibus Martyres, qui tot leones, quot diuturna prælia, carceres, tormenta, belluis immaniores superarunt. Tot de leonibus his referunt laurus, quibus coronantur, Exustulatio, vulnera tabo fluentia, ossium confractio, totius corporis dilaceratio, & prorumpens toto corpore sanguis, est Martyribus victoriæ habitus, vulnera, palmata vestis; tali curru gloriæ triumphant, æternùm victuri. Miraris ingentes animos? Non miror ego; si enim Carolus Quintus, ut refert Franciscus Robertellus in oratione funebri, pugnaturus cum hoste in acie intra vallum, & stationes, intrepidus stetit, quamvis undique instar grandinis circumfunderentur imbres tormentorum & glandium; nec salus nisi in regressu clamantibus amicis: id solum obmurmurabat: Canes qui latrant, non sunt extimescendi. *Non est quod timeatis, cùm Dei præsidio satis vallati simus.* Deus est qui adest pugnantibus Martyribus, qui sufficit animos. Ille est qui præsens ab imo gradu tollit mortale corpus, ut impassibile quodammodo, non sentiat atrocis mortis malum.

Ingens Caroli V. fiducia in Dei præsidio.

lum. Deus protegit suos, non aliter quàm aquila suis alis pullos suos. Age non taceamus pueri facinus peractum anno 1576. ex Thoma Bosio *lib* 11.*cap*.1. Captus à Malavaribus Indicis cis Gangem in ora Comminoriensi puer annorum duodecim, cui nomen Joannes, natione Hispanus. Hic donatus Regulo, cui & formæ mirabilis gratiâ suffragante, in amoribus fuit. Quid egit barbarus, ut à fide, Christique cultu puerum Christi amore incensum abstraheret? Filiam despondet, ornatamque producit, ut blanditiis emolliat obstinatum. Omnia tentamenta incassum cecidere. Versus in furorem amor; furor obtinet, & armat mentem, parantur tormenta. Puer spatio orandi impetrato ubi se collegit, offert se tormentis intrepidum. Summi digiti ergo primum; deinde manus in frusta particulatim dissectæ; itum dein ad lentam insectionem brachiorum, quæ minutatim & concisa; mox crura, pedesque, pari crudelitate.

Stupenda & incredibilis pueri constantia in summis lentisq; cruciatibus.

Bene sensit Aristoteles, cùm rogatus, quid esset fortitudo, respondit esse virtutem animosi, per quam facilis mortis metus migrat. Bene & Socrates, rogatus quid esset fortitudo: & robur, & nodus animæ cum corpore. Sic Stobæus *serm. de fortitudine:*

Dilacerata, & quo tardiùs posset mori, lentum
Ferrum fecit. Toties ergo mori
Compulsus, quoties toto corpore dilaceratus.
Stabat
Nihilominus invicta anima monstruoso in corpore, edebat
Præcepta sapientiæ omnibus captivis Christianis, ut
Pararent se rebus adversis, durisq; suo exemplo
Se firmarent; se nunquam tantâ lætitiâ perfusum
Fuisse, quantâ in hisce tormentis. quibus peroratis cælo se dedit.
Quid mirum si hilaris de infestis carnificibus triumphavit,
Cælum victor adeptus?

Fefellit itaque hæc ostentatio Principes, & universum orbem: fefellit & orbis expectationem ipsorumque Principum præjudicatas spes. Fusus sanguis Martyrum, novum semen fuit Christianorum: *Fides enim Christi*, ut loquitur Horatius, *Virtus ab ipso ducit opes animumq; ferro.*

Religio Christiana, crevit sui exordio.

An non excisi palmites fœcundiore germine propagati? An non extincta, ut videbatur, gloria reluxit? An non ipsi Imperatores præ desperatione rabidi, dementesque, ut viderunt Christianam religionem suis ruinis & excidiis renasci, & morte suâ animosiorem fidem; tandem mente suâ dejecti, pertæsique se imperio abdicarunt, & in seipsos crudeliores extiterunt, quàm hostis crudelissimus sæviret.

Vicit eadem hostes sine telo patiendo.

Fortitudo ergo Christianorum fundatur in infirmitate: Dominus enim custodit nos ab omni malo, non ut nihil patiamur adversi; sed ut ipsis adversitatibus anima non lædatur, & cum bono fine sine vulnere tentatio consummetur. Nisi enim Dominus custodiret, quis fortis foret: *Fortitudinem*, inquit ille, *meam ad te custodiam.* Psalm. 58. id est, ad te mittam: tibi acceptam referam, & auctorem ejus te constituam. & ideò semper seipso robustior fiebat. Dum præclarè agimus & fortia, Gabrielis nomen assumimus, *quod valet fortitudo mea Deus*; aut nomen Eliezer: *Deus meus auxilium*, aut Elizæus: *Deus meus salus.* Quis enim agit fortia, nisi amici Dei, dum in Deo forti manent, non facturi, nisi in Deo manerent.

Martyres creantur Gabrieles Dei fortitudine.

Sunt itaque ut in vite palmites, ut nihil viti conferant; sed inde accipiant, ut vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis, ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmite de vivâ radice, alius pullulare potest; qui autem præcisus est sine radice, non potest vivere. Sic Augustinus *sentent. lib. sentent.* 364. Redeat ad Deum fortitudo nostra quæ ab ipso processit: sic fortitudinem meam ad te custodiam. His armis humilitatis victoria parata, stat, duratque, quam necesse est convelli, cadere, & penitus interire, si vanæ gloriæ blandimentis intumescat: ibi enim ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Hoc venenum, hoc malum, ita exhorrescebat Augustinus, ut in pulverem redigi videretur. Habeat se omnis suspectum, qui alto loco stat, ne cadat altius. Oculus divinus non fert oculos sublimes; dedignatur omnem altitudinem, quia ipse solus altissimus; nemo fortis, nec constans, nisi humilis; & tanto fortior, quo humilior. Audiamus ipsum Augustinum trementem *cap.* 29. Soliloquiorum, cùm agit de illis qui priùs justitiâ florentes, ab illa degenerarunt: *Magna sunt hæc tua judicia Domine Deus, judex juste & fortis; qui judicas æquitatem, & inscrutabilia facis & profunda; quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea, ut serviamus tibi piè, & castè cunctis diebus vitæ nostræ in timore, & exultemus tibi cum tremore; ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore: & non glorietur accinctus æquè ut discinctus; neque glorietur ante te omnis caro, sed pavescat, & contremiscat à facie tua. Vidimus enim multos, Domine, & audivimus à Patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodò usque ad cælos, inter sidera nidum suum collocasse; postmodùm autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse.* Cur autem ista omnia, nisi quia & montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit Angelus, & descendit diabolus. An non totus orbis inhorruit simul & intremuit ad deplorandam Origenis prolapsionem? An non ferè totum orbem suis ruinis involuit. Quis major & illustrior Origene fuit? An non totum

Martyres instar palmitum à vite accipiunt à Christo suū robur, non vitis autem à palmitibus.

Prolapsio magnorum virorum à superbia.

tum Imperium Romanum, nec non ipse Imperator Alexander Severus cum matre sua Mammæa pendebat ab ore docentis? Quantus ille vir fuerit, paucis accipe: Malebat cum Origene totus orbis errare, quàm ab ipsius doctrina deflectere. Vitæ integritatem ornabat summa sapientia, & inaudita doctrina; & doctrinam admirabilis vitæ rigor, & severa castitas: cecidit tamen, & qui Deo plenus videbatur, Diis sacrificavit, factusque senex desertor fidei, qui adolescens fuerat ejusdem confessor.

Lapsus Origenis.

Quis crederet Tertullianum hæreticorum malleum, hæreticum moriturum? quis finxisset illum moturum arma in Ecclesiam Catholicam, quam tam validis suis armis propugnasset? Summi viri interitus magnam tentationem præbuit Ecclesiæ: stat tamen illa inconcussa, quia supra petram fundata.

Casus Tertulliani.

Nemo est qui non ingemiscat ad maximi viri Hosij miserabilem ruinam, qui quondam Princeps sacrosancti Concilij Nicæni A primi, & Legatus Sedis Apostolicæ cum Patribus trecentis & octodecim impiissimum Arrium profligavit, & instar Abrahami cum suis vernaculis trecentis & octodecim, hostiles fidei copias glorioso triumpho prostravit, & tandem (quis non horrescat fragilem humanæ naturæ sortem!) à Constantio, Magni Constantini filio, sceleratissimo Principe corruptus, eversusque, pro Arriana hæresi, quam victor damnaverat, victus dixit atque subscripsit. I nunc, confide, claris vitæ præteritæ facinoribus, confide toleratis tormentis; B an non una hora tot speciosos triumphos evertit? an non ipso portu jam centenarius, dum canendum celeuma, naufragium æternitatis passus? O gemitus! ô lachrymæ! ô spectaculum horroris & tremoris! metuant qui sibi confidunt; oculos superborum humiliabit Deus. Sic laureata ratis vicina terræ, applaudente fundo, demersa periit.

ALTE-

ALTERA PARS XXI. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Fortitudine Virginis.

DEUM omnis fortitudinis auctorem & Principem esse, quam illi non nisi metaphoricè tribui posse, descripsimus. Virginem verò & Principem fortitudinis dicimus, cui omnes titulos veræ fortitudinis convenire demonstrabimus. Hæc est enim, quæ ab orbis cunabulis celebrata, & à Salomone quæsita, dum ait Proverb. ultim. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum.* Videamus Virginem, quam liliis, & floribus coronamus, omnia fortitudinis munia subiisse, nec minus fortibus factis instar veræ Viraginis, veræque Amazonis, quàm pacis studiis eminere. De fortitudine igitur in genere priùs agendum. *Fortitudo* in primis, ut ait Divus Thomas 2.2. *quæst.*123. *art.*3.4.5. *& quæst.*124. *est virtus, quæ tollit impedimenta, quæ repellunt voluntatem ab eo quod est secundùm rationem propter difficultatem:* ideò fortitudo est principaliter circa timores rerum difficilium, quæ retrahere possunt voluntatem à sequelâ rationis: impulsum autem rerum difficilium non oportet solùm fortiter tolerare cohibendo timorem, sed etiam moderatè aggredi, quando scilicet oportet. *Principalis ergo actus fortitudinis est sustinere, secundarius verò aggredi:* & 2.2. *quæst.*128. *art.*3. *Fortitudinis est sustinere pericula mortis; at patientiæ quæque mala.* Fortitudo includit patientiam, & includit insultum in mala secundùm quod oportet; unde quicumque est fortis, est patiens, & non è converso. Unde patientia quædam fortitudinis pars est. Præcipua itaque fortitudinis materia, sunt terrores rerum maximè terribilium; quibus in rebus vir fortis cernitur, ut disputat Aristoteles *lib.*3. *Ethicor. cap.*9. *Vir fortis cernitur in rebus horribilibus, & asperis, nec quisquam eas patientiùs tolerat; mors autem maximè omnium est terribile:* nam omnium rerum extremum est, nihilque reliquum mortuo esse videtur, neque bonum neque malum (at hoc impiè) pergit Philosophus, *at neque circa omne genus mortis, vir fortis cernitur, ut si quis in mari naufragio pereat, vel morbis conficiatur. Circa quam*

Fortitudinis definitio.

Patientia est fortitudinis pars.

Circa quæ versetur fortitudo.

A *igitur mortem vir fortis erit? an circa eam quæ est pulcherrima? Talis autem est quæ in bello appetitur; in maximo enim, & pulcherrimo mors appetitur periculo.* Quocircà fortis propriè dici possit is, qui nec morte honestâ, nec malis impendentibus atque instantibus, quæ mortem afferunt, perterretur. Cujusmodi sunt ea maximè quæ in bello accidunt. Vir ergo fortis, honesti causâ, & omnia quæ fortitudini consentanea sunt, suffert. Fortitudinis virtus ut cognoscatur; sciendum est, virtutes morales inter duo extrema versari, excessum scilicet & defectum; & ponere medium rationis in materiâ, circa quam versantur, ne in unum extremorum cultor virtutis dilabatur.

B Clementia respicit diminutionem pœnarum secundùm rationem. Mansuetudo secundùm rectam rationem moderatur iras. Temperantia, cùm circa concupiscentias & delectationes tactûs versatur, refrænat appetitum, secundùm quod refrænat appetitum, ab his quæ maximè hominem alliciunt. Sic Philosophus *Ethicor.*3. *cap.*10. Continentia circa eas quasi resistens, unde oportet quod sit in aliqua vi, quæ resistentia est alterius ad alterum; fortitudo est mediocritas quæ in formidine, & fiducia seu audacia, quam Græci θάῤῥη, versatur; qui autem in eo modum superat, quod in rebus formidolosis præfidat, audax est; atque audax etiam arrogans fortitudinem tandem sumere videtur, & qui metuendo modum excedit, ignavus,

C timidusque vocatur; in iisdem autem rebus timidus & audax, & fortis versatur; sed fortis servat modum, quem alij deserunt; viri fortes ipsis factis acres sunt, & alacres; ante facta sedati, & quieti, & ea quæ formidolosa & sunt, & videntur; ea, causâ virtutis perferre, quia & perferre honestum sit, & fugere turpe. Viri fortis ergo est, tam repentinis, quàm provisis terroribus interritum, res duras & asperas ferre. Itaque etiam doloris, & molestiæ plena est fortitudo, eaque jure laudatur; difficilius tamen est res molestas toleranter pati, quàm sese à jucundis abstinere; quia perferre, honestum, & non perferre, turpe.

Objecta virtutum moralium.

Vir fortis adversus omnia infractus.

Fortis ergo est agere, & pati fortia: fortitudo dolores affert, & injuria non læditur.

Definitio fortitudinis ex Cicerone.

Fortitudo secundùm Ciceronem est animi affectio legi summæ in perpetiendis rebus obtemperans, vel conservatio stabilis judicij in iis rebus perferendis, quæ formidolosæ videntur. Magna igitur laus, & admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortunâ, retinuisse in adversis dignitatem, & qui dolores, molestias, injurias virtutis suæ magnitudine eludit, similis scilicet ramo palmæ arboris, qui imposito onere, non incurvatur inflexus in terram ceterarum arborum more, sed renititur, & ultrò adversus sarcinæ pondus erigit sese: ita viri fortis animus quo potentiùs negotiis premitur, quòque magis sævit fortuna, hoc est erectior. An non similem virum adamantinum vocamus & aheneum? An non magnum Gubernatorem dicimus, qui & scisso velo navigat, quem etsi fortuna ferox exarmavit, colligit reliquias navigij, & aptat cursum? An non magnus is animus, qui discisso corpore, sibi constat, sibi similis est? O felicem virum illum & fortem cui sic compositus est animus, qui nec oblatum sibi quidquam sentit, nec abjectum; sed eodem habitu est, quocumque res cedunt, sive geruntur. *Nosce*, ex Seneca, ***fortem virum: non mirum est in tranquillitate non concuti; admirare ibi aliquem extolli, ubi omnes deprimuntur; ibi stare, ubi omnes jacent. Sapienti viro nihil potest mali evenire: stat rectus sub quolibet pondere: nulla res illum minorem facit: nihil illi eorum, quæ ferenda sunt displicet. Nam quicquid in hominem cadere potest, in se cecidisse non queritur. Epist. 76.*** Est quippe fortitudo contemptrix tremendorum: vir fortis firmat animum adversus omnia quæ evenire possunt; exilia, tormenta, morbos, bella, naufragium meditatur. Est igitur fortitudo munimentum humanæ fragilitatis inexpugnabile; quod, qui sibi circumdedit, in hac vitæ obsidione perdurat.

Fortitudo ramo palmæ similis.

Nihil virum fortem minorem facit.

§. II.

Definitio fortitudinis Virgini perfectè convenit.

Restat ut videatur quàm perfecto gradu & numero singulæ fortitudinis definitiones sanctæ Virgini conveniant, ut fortitudo solemni & triumphali pompâ possit celebrari ac dici fortium omnium fortissima.

Aristoteles sic definit fortitudinem 3. ***Ethicor. Fortitudo est aggressio terribilium, ubi mors imminet propter bonum commune salvandum.*** An non Virgini debetur illa definitio? tota Bethlehem, & fines ejus clamoribus, fœmineo ejulatu, & sanguine natorum innocentium inundabant. Quæritur & Filius Virginis, Virgo animosa, & morte animosior, oraculo divino per conjugem Joseph monita, subtrahit Filium micantibus gladiis; mortique paratæ quærit exilium, & terras barbaras; ut Filius

A communi bono datus, servetur incolumis: evasit gladios, & medios per hostes tenuit fugam: mulier videri poterat inhabilis, tutela salutis communis habilem fecit: non tremit, non dolet, non expallescit, per casus humanos divino incedit animo.

Macrobius definit hoc pacto: ***Est virtus, quæ animum super periculum metumq. agit, nihilq. nisi turpe timet; tolerat fortiter vel adversa, vel prospera.*** Vides hîc describi Virginis fortitudinem. Par sibi in prosperis; nec erectior, elatiorque magnitudine Nuncij cælestis, dum Mater Dei salutatur futura. Par sibi in adversis, nec animum dejecit malis fractum; omni altior metu, pulcherrimis suæ fortitudinis pennis supervolitabat spectata tormenta Filij sui charissimi.

B Ciceronem audiamus Patrem eloquij. ***Est scientia,*** inquit, ***perferendorum, vel affectio animi in patiendo, ac perferendo, summa legi parens sine timore. Lib. 4. Tuscul.*** An non Virgo imaginem hujus definitionis vivam in se expressit? Non est perfectior cubus, quam hæc definitio Virgini applaudens, non ignara malorum futurarum. Præsciebat luctuosos Filij sui annos, venturamque per conjuratos hostes carnificinam: præviderat damna famæ, dolores, ignominias, & universa quæ circumventura Filium, non mersura tamen: illa innixa voluntati & summæ legi divinæ, sine timore, æquo placidoque animo accepit omnia. Ad iratam potentium tyrannidem, (in quibus fortuna

C summum exercet imperium, fortunæ enim manus sunt) ad flagellorum, malleorumque ictus, acerbosque sonitus stetit intrepida, excelsa, & concordi sensu secura, bono publico nata, & ideò aliis salutaris: feriebant quidem tenerrimum Virginis animum, sed fortitudine, accinctam de gradu non dimovebant: ipsa injuria usui erat, per quam sui, dabat mortalibus experimentum. Sensit quidem acutissimos dolorum mucrones, sensit supremam Filij calamitatem: nec illi lapidis duritiam asserimus, sensit singula in Filium condensata vulnera, sensit ictus, & recepit, sed receptos evicit, sanavit, & sui potens compressit. Nulla virtus est, quæ non sentias. Si enim non sentiuntur mala, quod magnum facinus? Hoc ipsum

D docuit Plato, qui Diogenis Cynici corpori nudo statuam marmoream in frigore applicatam cùm videret, rogabat; num sentiret? negante illo: Quid ergo magnum facis? Filius, fortitudinis verum exemplar, suorũ hostium divina patientia fatigarat immanitatem; & robore perpetiendi omnem lassarat vim inimicam, noverat magnitudinem suã, noverat nulli tantum de se licere, ut perturbari posset. Sic per omnia Mater Filio similis & adversus omnia horribilia mala, solita virtute fortitudinis, dura tolerando, semper usa est: vera ergo fortitudo est, horribilia sustinere honestatis gratiâ. Sustinuit ergo Virgo fortissimè singula, & animi magnitudine se defendit, & injurias omnes inulta, & sine vindicta demisit.

Cum sensu vivit amor, & sine sensu, ita fortitudo Virginis maximè sensibilis & sine sensu.

Filius exemplar fortitudinis, ita & Mater.

Contra-

Contrahet fortassis Lector frontem ad tam prolixam disputationem: verùm quia spectat ad mirabilem gloriam Virginis, & fortitudinis decus inconcessum, prolixiùs ducenda judicavi.

§. III.

Fortitudo in Virgine fuit in summo gradu excellentiæ.

CUm Virtus sit habitus ad rectè operandum, & nullus rectiùs & perfectiùs, (Christo semper excepto) sit Virgine operatus, necesse est in Virgine virtutum moralium in perfectissimo gradu fulgentissima ornamenta fuisse. Et sanè cur non fuisset? quam decuit esse similem per omnia Filio, in quo, velut in summo fastigio gloriæ fulserunt virtutes? Et quas enim tota vita sua non exercuit? An non viduæ plorantis suam orbitatem lachrymis maternis fuit concussus, commotusque, & lachrymas lachrymis pensavit? An non videns Civitatem, singultibus vocem interpellantibus flevit super eam? & quidem per abrupta verba flevit: *Quia si scires & tu.* An non nobilissimos actus obedientiæ, per admirabilia facinora lætus exantlavit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? Et quamvis illi actus virtutum moralium charitati comparati, imperfecti videantur, quia non amant creaturam optimâ illâ ratione, quâ illa petit: petit enim illa amari propter Deum amatum, quæ imperfectio non potest illis adimi: at non propterea Christus imperfectus, qui simul cum illis exercuit charitatem circa eadem objecta: levavit viduam suâ miseriâ propter honestatem objecti ejus: at simul ob amorem in Deum est ejus misertus, ob quod, subjectum eorum actuum fuit perfectum: quia objectum illud amavit, optimâ ratione quâ petit. Fateor quòd repugnet virtuti morali, attingere Deum, quia non est objectum ejus formale, & ideò actus earum virtutum sunt imperfecti, quæ imperfectio etiam Divinitus tolli non potest: verùm quia perfectio amoris Theologici est, attingere Deum immediatè per suum actum, quem communicat animæ: actus autem virtutis moralis non sit solus in Christo, non reddit animam imperfectam, quia simul est cum illo actus Theologicus, qui suum effectum communicat animæ: virtutis autem moralis, cùm non sit, attingere Deum, eam non communicat animæ imperfectionem, quæ alio actu Theologico attingit Deum. Sicut ergo in Christo sunt virtutes morales, quia non dicunt imperfectionem, sed animam juvant ad promptè & delectabiliter operandum: sunt autem virtutes, quas nostri boni actus animæ imprimunt. Cùm ergo Christus creberrimè in gradu heroïco eos exercuerit, cur non imprimerent

Discrimen inter habitus virtutum moralium, & Theologicarum.

Virtutes morales non attingunt.

A habitus ad similes actus? Deinde in Christo fuerunt virtutes morales ab initio Conceptionis per accidens infusæ, quia pertinent ad statum perfectionis; ad quem spectat promptè & delectabiliter operari; nam Christus virtutes nullas acquisivit labore vel exercitio. Ita Suarez *disput.* 19. *sect.* 2. *art.* 3. Valentia *disp.* 1. *quæst.* 7. *punct.* 3. & doctissimus Vasquez *disp.* 42. *cap.* 2. Deinde habuit Christus habitus virtutum per se acquisitos, sicut etiam incontinentiæ; quamvis non habuerit ullam pugnam, vel rebellionem contra virtutem, quæ rebellio compescitur habitibus, qui status continentiæ vocatur. At quando actus virtutum exercentur sine pugna, ita & habitus producuntur sine ulla: ita ut illi sine pugna, B vel eum pugna producantur: sic & B. Virgo habuit omnes virtutum moralium habitus, imò & continentiæ, quamvis in illa, nulla esset pugna, sed planè sana per gratiam; per illos habitus tamen meliùs intelligitur status temperantiæ, quâ delectabiliùs voluntas rationi paret. In Virgine invenimus fortitudinis virtutem in summo gradu, & eminentissimo opere divinæ potentiæ; cui, ipsa voluntatis suæ heroïco actu, supra omnes vires humanas cooperata est; nullum enim opus potentiæ divinæ, & fortitudinis Incarnationis sacrosanctæ majus potuit excogitari; juxta Isaiam 53. v. 1. *Quis credidit auditui nostro, aut brachium Domini cui revelatum?* Et quia summæ fortitudinis mysterium fuit, in quo exhausit Deus C omnem suam potentiam, dum extrema in ultimo gradu arctissimè conjungit, & humanam naturam in divina voluit subsistere, & hypostasim divinum esse terminum humanæ naturæ, & Deus diceretur homo & contrà, summâ fortitudine Virgo sanctissima debuit muniri, in qua tantum opus perfici erat destinatum. Quò autem omnibus creaturis constaret fuisse supremum fortitudinis divinæ mysterium; missus est supremus Angelus Gabriel.

In Christo fuerunt virtutes morales in perfectissimo gradu, ut infusæ.

In Divina Virgine fuerunt habitus virtutum moralium.

Fuit & habitus continentiæ, quamvis nulla esset pugna.

Quid enim Gabriel, nisi fortitudo Dei, qui summum operum omnium nuntiabat? Sic S. Gregorius *hom.* 34. supra *Missus*, ubi sanctus Pater docet unum fuisse ex supremo agmine Seraphinorũ, quos etiam mitti Basilius aperD tè docet; quòd virtus quædam mundo superior sit iniquitatum purgatoria, cujus expiationis administrandæ functio concredita est ipsis Seraphinis, Scripturæ exprimunt: veniunt autem non suâ auctoritate. & paulò pòst: Quod autem serviant hominum conversioni, hæc est illis actio secundaria, & ideò Isaiæ *cap.* 6. missus est ad Isaiam unus è Seraphin, ut accederet, & carbone ardente repurgaret: nam, ut Gregorius suprà, Seraphin ardentes, vel incendentes vocat, qui ex singulari propinquitate sui Conditoris incomparabili amore ardent: quia ita Deo conjuncti sunt, ut inter illos & Deum, nulli alij spiritus intersint, tantoque magis ardent, quantò hunc viciniùs vident; quorum pro-

Gabriel unus ex Seraphinorum choro.

Officium Seraphinorum.

Seraphini ardentes vocantur.

Rectè ergo & sublimi stylo docet hoc Chrysolog. *ser.*117. *Sanguis siluit, soporata sunt membra. Aula Virginis tota est in cælesti commemoratione suspensa, donec auctor carnis, carnis sumeret indumentum, & fieret homo cælestis, qui non solùm terram redderet homini, sed homini donaret cælum. Virgo concipit, Virgo parturit. Ergo virtutis caro conscia, non doloris, quæ magis pariendo, integritatis augmenta suscipit, damna pudoris ignorat.* Sicut ergo summum fortitudinis divinæ fuit opus, Deum unire naturæ humanæ, & hominem fieri Deum; ita & supremum operum, sanctâ Virgine concipi Deum, Virginem gignere, & parere illæsam.

§. IV.

Aggrediamur fortia facta Virginis.

ROmanum est, inquit ille, & agere, & pati fortia. At hoc proprium Filij, & Virginis Matris erit. An non factũ magnanimæ fortitudinis, ad jussa Gentilis Principis, Nazareth patriam patriosque lares deserere, & gravidam comite suo sponso iter tridui, & tria milliaria usque Bethlehem prima suæ gentis & familiæ incunabula decurrere? An non ingentis fortitudinis, cæli terræque Dominatricem, jugum legum, vel Imperatorum subire, quâ lege tenebatur vincta, quæ libera, & omnes leges transcendere posset videri? An supremus, & factor omnium alicui debet obedientiam? An non Deus, & Rex omnium est supra leges? an non & Regina communicatione privilegij, quod Regi debetur excellentiâ suæ Majestatis? *Esto, cùm esset gravida* (teste Augustino *de natali Domini*) *salubri levitate gauderet; lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Esto, instar nubis levis ageretur vento cælesti. Esto, portaretur ab illo, quem portabat? Ascenderat enim Dominus super nubem levem, & sanitas in pennis ejus.* Magnanimi tamen opus fuit, exilium quodammodo pati, hospitalitatis jure excludi: *Non enim erat illi locus in diversorio.* Quam forti animo tulit se, & Filium suum inscribi ut mancipium, & servum quæ erat cum Domino Dominantium, Domina & Dominatrix omnium. Cùm enim descripto orbe profiteretur, & numisma census daret, quid aliud quàm se servam cum Filio, Gentilis Imperatoris protestabatur? erat enim tributum capitis toti orbi impositum, sævum & crudele tributum patribus, quoties filius nasceretur: toties enim cor patris, nati filij incremento, telo tributario sauciabatur. Noxia, & plena acerbitatis erat fœcunditas, & dolor patri filium generasse. Forti ergo animo tulit dejectionis tantæ tractatum. An non grandis dejectio, Deum pendere tributum sui capitis? fateri servum, Filium Dei, & spoliatum libertate? nec non natum redemptum, tanquam non suus esset, qui redempturus orbem venerat ut suus esset. Constantinus itaque Magnus jam Christianus, rei indignitate commotus, orbem tributo lachrymabili, velut sicâ pungente populos levavit, ut canit Panegyricus.

Crudele tributũ capitis.

Constantinus Magnus hoc dolore orbem levavit.

Quàm forti animo Virgo tulit supremam paupertatem, & pudibundam sui puerperij publicam stationem? dum scilicet silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, & sermo de Sede regali Virginis velut Sponsus Sole purior processit; pannis tunc involuit filium, magnũ illum gigantem, æternitatis conditorem, in stabulo inter stramina, inter pecudes, juxta Prophetam, *in medio animalium cognosceris*, conquiescens: ubi Filium Deum Virgineis uberibus, cælesti rore plenis admotum lactavit, & lactatum (ô factum stupendium!) in præsepio collocavit. Quàm forti animo tulit statum abjectissimũ purissima Virgo, in quem propter peccata deciderat peccator cùm in honore fuisset. Aspice, novum Moysem Patrem futuri sæculi in fiscella scirpea jacentem, qui Pharaonem, Luciferum scilicet, domabit, mergetque: aspice in præsepi velut in cunis jacentẽ verum Herculem, qui duos serpentes, infernum scilicet, & mundũ, puerulus illisit. Aspice Cyrum Persicæ Monarchiæ conditorem, quasi à Deo Patre expositum atque rejectum; attamen nova conditurus sæcula: aspice pariter quasi novũ Romulum expositum abjectumque ab Æmulio invasore regni, Fundatorem futurum Romani Imperij; Filiolum scilicet Virginis, Patrem futuri sæculi. Hic puer Virginis, qui vagitu stabulum replet, panniculos lachrymis irrorat, qui in præsepi reclinatus recumbit, orbem occupaturus venit, cujus pedum vestigia lambent purpurei Reges. Macte animo fortissima Virgo, trophæa æterna parant hæc monumenta tuæ fortitudinis, quæ tantùm sunt rudimenta futuræ. Ad majora fortioraque cælum te vocat. Vix enim tibi puerperæ à lege purificationis solutæ, vix in Nazareth reversæ, classicum novarum turbarum cæleste insonat! fuga plena ingentis formidinis inducitur, hostis furibundus necem minatur; in peregrinas ignotasque terras duce Josepho abigeris: *Surge*, inquit Nuncius cælestis, Matt. 2. *& accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi.* Durum sanè & rigidum imperium, de nocte per tenebras desertâ patriâ, terras feras, barbarasque quærere, paternam domũ exilio lachrymabili permutare, & quod gravissimũ videri posset, nec finem, nec terminum exilij significari: ecce tamẽ quàm placido, & imperturbabili vultu decurritur iter, toleratur exilium septem annis, quasi in exiliũ. Augustin. *ser.*68. *de temp.* vehementer laudat Abraham ab animi fortitudine, id est, quod ad nutum Dei patriæ fines desereret, *novum probationis genus: habenti propria, exilia indicere peregrina, indicere laborẽ itineris, imperare penuriam possidenti, & tantarũ facultatũ Domino necessitatẽ imponere peregrinandi.*

Fortitudo SS. Virginis in suo puerperio.

Fuga in Ægyptum, dura & acerba.

Fortiter toleratum exilium.

Cui

Quàm iucunda ortus cunabula.

Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina? & voluntaria casa, quàm digesta prætoria? cui non est durum, illos conscios natalium parietes, dulcia limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta commendant, pati deserta, ubi cunabula illa novi & mox orientis hominis famulabantur, ubi secura alludens infantia inter lucis primordia ad pueriles annos simplicitate felices, quos sibi inter lascivos atque ipsius ætatis lusus vernacula necessitas exhibebat: *Exi*, ait, *de terrâ tuâ.* Quis hæc sine fidei viribus libenter audiret? *An non*, inquit Cicero de oratore, *patria nos omnium maximè delectat?* An non suam Ithacam saxis tamquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati antepofuit (Ulyssem intelligit) qui, ut Ovidius *lib. 1. de Ponto.*

Abrahamo Virgo etsi sexu infirmior animo excelsior.

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat,
Fumum de patriis posse videre focis.

Patriæ fumus igne alieno luculentior. Virgo itaque omnibus altior, etsi Abrahamo, sexu infirmior; excelsior tamen quæ patriæ amoribus peregrinam terram fecit suam. Quemadmodum viri fortes patriam exilio permutant, juxta illud, Omne solum viro forti, viro nobili patria est. Tibi ergo, ô Virgo nobilissima, triste hoc exilium, non supplicium fuit, sed jucundum perfugium; cælum tibi fuit, paruisse Deo, & Deum fuisse secutum. Viro forti & sapienti quælibet terra parvi est. Forti animæ mundus universus patria est. Sic Democritus ex Stobæo *serm. 28.* Privata es tuis civibus ô Virgo, verùm infelicius illi te privati sunt exules, pro angusta Judæa, totus orbis tibi Dominatrici patet. Verè exul est qui à Justitiâ exulat. Chrysostomus exilio suo, de seipso triumphavit, & mortuo quales exilium peperit triumphos? Aristidem nobilitavit exilij splendor, dum invictus & invulnerabilis Deos rogavit ne sui cives, etsi ingrati, suo cōsilio egerent. Quid hoc est aliud quàm suis calamitatibus hostes & inimicos beneficiis provocare, mergere, & saginare? O virtutis nobilis splendor, quæ numquam latet, & latens, nolensque suos radios spargit. Sensit Ægyptus virtutem tuam, ô Virgo, ad tuum, tuique Filij adventum, quem inferebas Ægypto: idola corruerunt: non tulerunt veri Dei potentiam, non tulêre tuam Virginitatis lucem, quâ jam ad futuram sanctitatem parabatur. An non cives Angelici beatique spiritus si per felicitatem licuisset atrato comitatu in pulla veste suam Dominam deduxissent? Omnino. Ipsa sidera nocturnique ignes cum Principe suo Sole luctum & justitium indixissent. Et cur non? Si enim ad unius hominis Ciceronis exilium totus equester ordo vestem mutavit, nec non inventa viginti millia hominum qui pro eo sordidati deprecabantur; deinde si Senatus convenit ad decernendum, ut populus sicut in luctu mutarat vestem, reditum decerneret; cur non pro Dominâ cæli & terræ, cælum terraque lugeret? Fortiter sustine sanctissima Virgo, decreto suo revocabit Deus ab exilio: exilium flores, & festas coronas dabit. Ciceroni omnium municipiorum lætitiâ, & hominū favore obviàm itum, ut quod Cicero jactavit, infra verū jactarit, dum se totius Italiæ humeris reportatū esse dixit. Tibi obviàm procedet cælestis exercitus, & Filio tuo Deo suo mille plausus dabit. Humeros suos cælū & terra dedicabunt, supponentque. Cælum lucis radios, terra suos flores, frondesq; & quicquid odorum terra nutrit, sparget.

Qualesfuerit Virgini exilium, an supplicium? nequaquam sed deliciū.

Ciceronis exilium luctu publico pensatum.

Virgini ab exilio revertenti cæli exercitus ibit obvius.

§. V.

Ad præcipua fortitudinis facinora.

Ceteris prætermissis heroïca fortitudinis facta aggrediamur. Filio crucifixo & in altum sublato, simul confixa, stabat mente inconcussâ, & corpore Mater, & heroina. Et quamvis juxta vaticinium Simeonis *suam ipsius animam gladius doloris pertransiret*; stabat tamen invulnerabilis, & armata adversus omnem naturæ sensum. *Stabat*, & spectabat, ut ait Ambrosius in oratione de funebri obitu Valentiniani Imperatoris, *sancta Mater juxta crucem Filij sui, spectabat unigeniti Filij sui passionem: stantem illam lego, non flentem.* Et B. Augustinus *de institut. Virg. cap. 7. Stabat ante crucem Mater, & fugientibus viris, stabat intrepida: videte utrum pudorem potuit mutare Mater Iesu, quæ animum non mutavit.* Stabat non degeneri spectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in cruce Filius, Mater se persequentibus offerebat. Et Guerricus *serm. de Assumpt. Stabat*, inquit, *juxta crucem Mater ejus; quæ nec terrore mortis Filium deserebat: quomodo enim Mater terreri poterat, cujus charitas fortior quàm mors erat?* Pulchrè P. Salazar *cap. 8. Proverb. v. 14.* magnificè declarat Virginis fortitudinem, ex Astrologorum disciplina. Tradunt, inquit, domum Luciferi seu stellæ matutinæ esse libram; dicitur autem planetæ signum illud, quod cùm planeta ingreditur, totam vim ac robur suum exerit: propterea quàm diu planeta in domo sua est, regnare, præesse, dominari dicitur. Anastasius Sinaita *lib. 4. in Hexameron*, libræ cælestis signo, Christi Domini crucem adumbrari existimat. De hoc enim canit Ecclesia: *Statera facta corporis.* In illa quippe quasi statera Salvatoris corpus libratum, & suspensum est: ergo Maria Virgo, quæ Luciferi & stellæ matutinæ nomine insignitur, tunc cùm stetit juxta crucem, id est, juxta stateram illam mysticam, tamquam Lucifer in domo sua, vim robur, & fortitudinem suam maximè ostentavit. Tunc quidem regnavit, præfuit, dominata est, rexitque animi sui motus; ne quid effœminatè aut muliebriter admitteret. Unde præclarè de Virgine Ildephonsus *serm. 1. de Assumpt. Qui cuncta quasi statera suspensa tenet, quasi in staterâ crucis suspenditur: super quem Virgo multum doluit, multum perpessa est, & gladi*

Qualis fuerit SS. Virginis habitus stantis juxta crucem.

Quæ sit domus planetæ Luciferi, & quæ virtus.

dio doloris multum vulnerata est in animâ. En tibi Mariam, stellam matutinam in libra signo, tamquam in domo suâ existentem, & omnem vim & robur exerentem. Hæc doctissimus Salazar. An non dolor mulieris parturientis extra ordinem summus? Planè. Hinc Deus magnitudinem clamoris sui furentis declarans, comparat clamori parturientis: *Loquar*, inquit, *ut parturiens.* Isa. 42. Parturientis cruciatus in partu Virgo ignoravit, quia Virgo concepit & corpore & mente: at in morte Filij, majores parturientibus dolores sustinuit, vt & ipse Anselmus ait *lib. 4. de fide cap. 15. Ipsa beata & supra naturam digna effecta Mater dolores partus quos effugit pariens, illos tempore Passionis sustinuit, ex materna compassione, viscerum lacerata reparturiens.* Unde & idem *lib. de excellent. Virg. cap. 5.* confert illius dolores non solùm cum parturientis, verùm etiam cum doloribus omnium Martyrum: *Quicquid*, inquit, *crudelitatis fuit inflictum corporibus Martyrum, leve ac potiùs nihil comparatione tuæ passionis fuit.* Quid aliud voluit dicere S. Anselmus, quàm ut conferas accumulatos omnes dolores Martyrum, unius Virginis doloribus? illi omnes inferiores cedent victi. An non quia Martyres in corpore suo tormenta tolerabant? at Virginis dolores in anima peragebantur: illi animis exultabant quasi ebrij, expectatione futuræ dulcedinis: hæc densato dolorum impetu undique petebatur. In illis erat locus vulneribus, & solatio: in Virgine dominabatur plenitudo doloris, cum plenitudine amoris.

Summi dolores SS. Virginis stantis juxta crucem.

§. VI.

Vberior materiæ dilatatio de amore naturali: de triplici causâ dolorum, supremaq; fortitudinis.

NE imaginario stylo Virginis dolores conscribamus, tres dolores summorum non per amplificationem, sed ex vero prægnanti fontes uberrimos, causasque intimas aperiemus. Pretia rebus, & æstimationem imponit amor; amor est judex, & censor valoris; à quo pendet cujusque rei dignitas, valorque: & quamvis plurima, naturæ beneficæ artificiosâ liberalitate, ea sint, ut nullũ pretium adæquare possit eorum dignitatem, jacent tamen sine honore, quia carent judice, & judice amore. An dignitas virtutum in pretio est? nequaquam, illis tamen nullum pretium dignum extra seipsas est? Unde hoc? an non quia caret amatore? Sicut ergo forma, ut Philosophi loquuntur, dat rebus esse; sic amor pretia, & rerum dignitatem. Pro formâ ergo & magnitudine amoris, crescit amatæ rei pretium. Amor ergo ponderat, & librat res ipsas. Hoc pacto Assuerus Rex Persarum, ardens amator Reginæ Esther, prætulit illam omnibus fœminis, cujus & petitioni dimidiam regni partem permiserit, Esther 4. v. 4. Quem

Amor rebus dat pretiũ.

A Herodes tyrannus imitatus in saltatricem insaniens, ipsam innocentiam capite truncari jussit, cum donativo regni medij. Quanta insania pretij homines in unius tulipæ caduci floris, & adamantis lapilli emptione dementantur, cui integra ferè patrimonia vix sufficiunt? Quo igitur rerum amatarum ardentior est acquisitio, possessioque, eò & intolerabilior earũdem amissio. Crediderim ego dolorem suâ sicâ, suis tormentis, suis continuis stimulis altiùs, fortiusque animum perfodere, quàm amor suis delicijs titillabat. Magis ferit boni absentia, quàm ejus præsentia. Quorsum hoc? ut clarè convinci possit, in Virginis sanctissimo pectore, animâque inexplicabiles, & soli Deo notos regnasse dolores, qui ex inexB plicabili amoris oceano, ejusque magnitudine exundarunt. Triplicem ergo amorem, eumque potentissimum in Virgine cognoscimus, ex quo triplicis doloris ineluctabilis magnitudo nata, *naturalem, acquisitum, & supernaturalem.*

Quanta pretij insania in tulipa emptione.

Triplex amor in Virgine.

De amore naturali.

Omnes experiuntur *naturalem amorem* parentum erga suos filios esse maximum. An non parentes diligunt filios ratione sui, tamquam sui partem? Vide Aristotelem *lib. 8. Ethic. cap. 12.* nec tamquam sui partem, verùm tamquam seipsos; imò ardentiùs quàm seipsos. An non ut Nero regnaret, mater Agrippina cùm accepisset ab Augure se à filio periC mendam, parricidium non detrectat: *Modò*, inquit, *regnet.* Vehemens & bestiis in suos fœtus innatus amor, qui imbellibus animalculis ingentes vires sufficit. Sic corvus milvum potentiorem invadit laceratque, dum pullis spoliat nidum: sic glatoni (qui parvus miluus) inermis, innocensque sese objicit turtur, & in mortem præcipiti volatu ruit. Sufficit pro suis mortem pacisci. Vide Albertum Magnum *de animalib. lib. 8. cap. 2.* de quo aliàs dictum. Dignum notatu fœminas, cujuscumque sexus fuerint, ardentiori fœtus amore complecti, tuerique, quàm masculos, quorũ languidior in suos est amoris concitatio. Quare ex sententia Aristotelis *lib. 9. Ethic. cap. 7. Matres sunt* (inquit) *magis amantes suorum filiorum quàm* D *patres: laboriosior est enim generatio matrum, & magis sciunt quinam ipsarũ sint filij; quàm patres.* Deinde, ut ait Bernardinus Senensis *tom. 3. serm. 1. de gloriâ nominis Mariæ art. 1. cap. 2. Similitudo & propinquitas est causa naturalis amoris;* juxta illud Eccli. 13. *Omne animal diligit sibi simile.* Sic omnis homo proximum sibi similem: perfectio inter filium, & aliam quamcumque matrem, tanta propinquitas, & similitudo non fuit; quanta inter Christum Dominum benedictum, & sanctissimam suam Matrem: Christus enim totus fuit de substantiâ Matris. Inter nullos ergo fuit tanta dilectio: intensissimè ergo Filius à Matre diligebatur, ut nullus amor maternus ei possit adæquari.

Omne animal pro suo fœtu mortem appetit.

Cur Mater vehementius amet suum fœtum.

Similitudo causa amoris.

§. VII.

§. VII.

De altero amore, scilicet acquisito.

Nunc si amori naturali accesserit acquisitus, virtute sui motus procedet in immensum: pro materia enim, & amplitudine donorum quæ per ætatem tam in corpore, quàm anima Filij promicabant, sumet incrementa. An sanctissimæ Virgini sui amoris acquisiti, causæ non sunt oblatæ, & nobilissimæ, eæque continuæ? crescebat puer, Lucæ 1. *Proficiebat Iesus ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.* An non seminarium amoris præbebat pulchritudo, & forma insolita, stupenda & nunquam visa Imperatorij corporis primum naturæ invitamentum? An non speciosus forma præ filiis hominum? Psal. 44. Vultu, colore, genis, capite, capillis Matri simillimus, (de cujus pulchritudine suo loco) ac proinde totus desiderabilis. & pulcherrimus; sicut illa est per omnia, talis & mulierum pulcherrima. Acquisitum amorem in dies accendere solent: si sit unicus Filius, & hæres, Matris cultor studiosus, redamansque: si sit precibus à cælo missus, & impetratus. An non Christus unicus suæ genitricis Filius? an non desiderium collium æternorum? ut dictum est Genes. 29. an non cunctis gentibus desideratus? Abacuc 2. Deinde quas vires amoris non amplificavit divinum, & admirabile contubernium omni sanctitate plenum, per tot annos cum admirabili beneficiorum reciprocatione transactum? Nulla Matrū tot beneficiis affecta à Filio, quàm sanctissima Mater; & quàm innumerabilia autem contulerit beneficia, nec supremus Angelorum capere potest; præsertim cùm Filius, Deus esset; & infinita posset, infinitè quasi amatæ Matri, infinitè amans conferre. Si Assuerus dimidiam partem regni Estheri, an non generosior Filius Dei daret Matri integrum; cùm daret sine sui diminutione? Communi omnium sensu statuitur; majorem non posse consurgere voluptatem, nec veriores jucunditatis constantis fructus capi, quàm ex amicitia, quæ fundatur vel in communione sanguinis: qualis solet beato influxu vigere inter proximos parentes, vel virtutum cognitarum, mutuâ societate, & benevolentiâ: hæc enim duæ simul animæ in unam colligantur, non quas utilitas conglutinat, & commutata dissolvit; sed virtutis splendor, & morum similitudo. Inter Virginem, & Filium utriusque amicitiæ perfectio in summo perfectionis gradu cùm intercesserit, quantus amor acquisitus, quantus voluptatis sacræ fructus inde dimanavit, ubi & fuit summa morum similitudo? Quando ergo amicitiam charitate metimur, nihil in rebus est præstantius: quid enim aliud est vera amicitia, quàm rerum divinarum, humanarumque cum benevolentia consensio, à

Amor Virginis crevit in immensum.

Causa tanti amoris acquisiti.

Quæ amorem acquisitum negrant.

Amor acquisitus summis viribus virtuti accedentis.

A qua summa voluptas ex charitate, & virtute nata, separari non potest. Quantus ergo viguit acquisitus amor in Virginis sanctissimo pectore, in quo nascebatur quotidie, & quasi per singula momenta nova radix, & causa, & flos novi amoris. Filius ergo & Mater, inter quos, ut Aristoteles 8. *Ethic. cap.* 7. & 9. & 14. docet, propriè amicitiam posse consistere, expleverunt omne munus, & leges amicitiæ. Fuit itaque amor benevolentiæ erga rem amatam, quo ei bonum volumus. Fuit amor fundatus super communicationem bonorū, sanguinis, & virtutum. Denique amor fuit utrique cognitus: *Est* enim *amicitia, redamatio non latens*, teste Aristotele *lib.* 8. *cap.* 14. Summè ergo perfecta amicitia fuit, in quâ B omnia commoda, studiaque referebantur ad utilitatem amati; ita ut esset continuus fluxus, & refluxus amoris reciproci, plusque studeret amato amans, quàm sibi amanti amans, & amatus quasi uterque amans, alteri alter amans, & amatum, & totus alter in altero perfectiùs quam in se. Erant ergo in Christo omnes conditiones quæ Matrem incitarent ad summos amores. Quis enim Christo sapientior, pulchrior, melior, generosior, & quis alius fons omnis boni, & pulchri? an non summæ Sapientiæ, pulchritudini, bonitati, & generositati summus amor debetur? Christus Matri dicebat abblandiens: Omnia es una mihi. & Virgo Filio: Unicus tu es mihi, uterque sanctè ardemus.

In Christo erant conditiones amorem acquisitum provocantes.

C

§. VIII.

De tertio amore, scilicet supernaturali.

Vehemens, & completus, naturalis, & acquisitus amor Virginis in Filium; at hos amores tantum supergreditur Theologicus amor, quantum Diva Virgo scientiâ rerum divinarum, sanctitate, & amore Dei omnes Sanctos excedit. Excedit autē propè infinitè: quantus ergo amor Dei in una Virgine, qui correspondebat cognitioni summæ? Diligebat ergo Deum ut objectō infinito dignum D amore: diligebat Deum pariter ut hominem ex se natum, tamquam sibi proximum; ubi magis diligendus, qui virtute præstantior est. Et quis Filio Dei præstantior? Diligebat præterea Deum ut suum benefactorem, qui elegerat, se formârat, & seipsum pro Matre tradiderat, eo modo quo diximus in vindiciis immaculatæ Conceptionis. Tantam ergo fecit eam, ut ipse Deus fieret per eam homo, & Virgo dicere posset: *Deus ex genere meo.* Proxima ergo Deo vehementiùs diligebat amore, soli Deo cognito. De quo pro nostra tenuitate actum in Consociatione de Amore.

§. IX.

§. IX.

His sic positis; veniamus ad propositum.

His tribus amoribus obsessus Virginis animus tamquam tribus arietibus, & validissimis machinis in Filii sui tragica, & cruenta passione, & præsertim in crucem acti fatali actione fuit oppugnatus; dum enim tribus horis cum dira morte luctantem, & extrema per summa ludibria, & amarissimam despicationem, patientem coram præsens, & filio astans spectavit; quot sagittis dolorum non fuit Virginis tenerum cor confossum? an non tot, quot vulnera, quot guttas sanguinis diffluentes vidit? quot voces, quot suspiria Filii sui audivit? omnes dolores quasi agmine facto conglobati, irruebant in unum cor tenerrimæ Virginis: omnes ergo dolorum fluctus inundarunt animam ejus. *Inundatio dolorum.* In Christi corpore nihil intactum, integrũque: in Virginis corde quid non laceratum, confixum, & transverberatum? cujus vita pẽdebat à Filii sui unicè dilecti vitâ? Completum fuit vaticinium sācti sacerdotis Simeonis Luc. 2. *Gladius doloris pertransibit animam illius.* Quantæ ergo fuit fortitudinis; tot plagis dolorum sauciatum, non solum non animo deficere; sed invulnerabili pectore, & constanti magnanimitate excipere omnes ictus sagittarum, instar scopi in quem omnia tela collimantur. Verè tu es illa mulier fortis, quam Salomon optabat inventā; *Mulierem*, inquit, *fortem quis inveniet. Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Proverb. ultimo. *Qualis fuerit compositio corporis in tanto luctu.* Fluebant quidem lachrymæ Maternæ; at nō turbidæ: suspiria modesta audiebantur, non immodesta; manus manum sapienter citra jactationem adoptabat: oculi in filium summè amatum conversi, heroicâ magnanimitate pleni: totum denique corpus in supremo luctu ita compositum; ut nihil violentię, nihil feminei, fragilisque gestus, nihil indecentiæ, aut querelæ, nihil impatientię, aut indignitatis infra suæ Majestatis decus fuerit admissum. Stabat ergo juxta crucem sanctissima Virgo; eo animo, quo Filius in cruce pẽdebat inconcusso. Occuparant Christi corpus omnes dolores, qui fingi poterant; at & ii occuparant & animum, & cor Virginis. In Christo totum corpus: in Virgine corculum Virgineum sæva omnia tolerabat; uterque tamen fortitudine heroicâ, firmitudine invictâ, tranquillitate constanti, undique irruẽtes dolores excipiebat. In hoc uno supra omnia Filius admirabilis; quòd omni victo dolore summa patiens, omnẽ decorem dolendi servarit. In hoc una femina naturæ fragilioris; & ideò admirabilior, quòd suæ memor virtutis, in funere sui Filii tot doloribus, A & tristitiæ fluctibus immersa, gravitate servatâ; nec humanitas tamen, nec dignitas defuerit; visa filii invulnerabili constantia. Matth. 27. 14. Mirabatur Præses vehementer Christi Domini præsentem firmitatem. *Admirabilis Virginis compositio in summo luctu.* Et Centurio stupens clamabat: *Verè Filius Dei erat iste.* Quis spectatā Virginis integritate Regiā, non exclamet: Altior est hæc femina cunctis malis, quàm incurvari, inflectique possit: Audacter affirma, Materno, & Divino spiritu regi hanc animam: Materno; dum naturæ obsequitur; dum lachrymæ exeunt oculis compositis, & salvo sapientiæ temperamento: Divino; dum æquo animo excipit necessaria; dum nullâ jactatione, aut stultâ coquestione; desideria sua effusè deflet. B Remotâ ergo lugentium scænâ: nihil erat quod non veris, & sanctis dabatur affectibus. Quāti ergo fuit, naturalem amorem, qui & feris concitatus est, & rabidus; & acquisitum cum amore Divino; eâ fortitudine temperasse; ut Regina, & Domina sui in suo imperio tranquillitate intactâ perstiterit. Admirare Virgineæ fortitudinis, majestatem imperatoriam; & admirando, disce imitari non degener servus.

§. X.

Materiæ uberior prosecutio.

C Summè ergo amans in amata, & corpore & mente lacerabatur, & tanto acrior pũgebat dolor, quo vehemẽtior irruebat amor. Bene Ildephonsus: *Plusquam Martyr tunc fuit, quia in animo non minus amoris quàm mœroris gladio intus vulnerata fuit.* An non anima corpore excellẽtior? Excellentior. An non animæ delectationes corporis voluptatibus rapaciores? Rapaciores. An non quo nobilior est potentia, nobilius & objectum? Nobilius. *Sicut sunt majores delectationes animi quàm corporis, ita & sunt majores dolores quàm corporis.* Tantum quippe excedunt delectationes animi, corporis, quantum magnis intervallis auri natura, plumbi: vel lumen solis, lumina candelarum; conforme, ut docet Aristoteles. D Et Divus Thomas secundâ secundæq. 1. sic etiam dolores animi ægrescentis facile vincunt suâ magnitudine tormenta & dolores corporis. An non Amadeus acutè de Virgine loquens: *Maria*, inquit, *vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultrà humanitatem; torquebatur enim magis, quàm si torqueretur in se; quia suprà se incomparabiliter Deum diligebat, unde dolebat.* Arnoldus Carnotensis verò, assurgebat altius in tractatu de Virginis laudibus to. 1. Biblioth. *Omnino tunc erat una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum: ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis; ille in sanguine carnis: in faciem quippe filii sese opposuerat Mater, & gladio doloris anima ejus infixo, spiritu vulnerabatur, spiritu & crucifigebatur, & quod in carne Christi agebant clavi, & lancea, hoc in mente ejus compassio naturalis & affectionis Materna angustia.*

Stabat ante crucem non minor, quàm Christi Matrem decebat: fortasse autem quia in morte filii intelligebat redemptionem mundi, etiam suâ morte ęstimabat se publico muneri adjuturam. Non miretis ergo si Spiritus sanctus Canticorum 7. assimilet illam palmæ, quę contra omnia obnititur & insurgit, & sumit vires victricis indolis, ab ipso pondere. Stabat proinde juxta crucem, quam filius foris ferebat; illa intus: stabat ipsa sibi ipsamet crux, quam sibi erexerat per affectum. Et quomodo stabat *assimilata palmæ?* quia invicta & invincibili animo ferebat. Unde & Epiphanius in sermone de laudibus Virginis, vocat *Virginem cruciformem*, id est, cum Christo cruce confixam; ut meritò posset dicere: *Crucifixa sum cruci; & vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus crucifixus, cujus stigmata in anima mea porto.* Clavi, lancea, spinæ, corpus Christi, hęc omnia altiùs animum Virginis lacerabant, & pro una filii plaga innumeris sauciabatur. Lancea Christi corpus mortuum, lancea vivacissimam teneræ Virginis animam transverberabat; theatrum denique erat, & spectaculum omnium cruciatuum atque dolorum. Dixerim tamé melius, si scopum omnium acerbitatum, in quem omnes dolorum sagittæ intentissimæ mittebantur. Quis creaturarum par tantis doloribus? Nemo planè. Si enim in creaturas unius Virginis dolores per partes dividerentur, singulas interituras credes. Desine mirari Lector, te convenio. Potestnè amor omnium creaturarum in Deum simul conjunctus æquari sanctæ Virginis amori? Probatum est non posse. Nulla enim creatura perfectiùs cognovit Deum, quàm illa. An non amor exsurgit, nascitur, & crescit pro cognitionis magnitudine? Certum est: nam Deus quo perfectiùs cognoscitur, perfectiùs amatur. An non illa infinitis partibus perfectiùs & cognovit, & amavit Deum, quàm omnes creaturæ simul? Hoc ipsum à vero est. Perfectissimè ergo noverat Virgo dignitatem Filii sui. An non cognitio fluit ex perfecta imaginatione boni præsentati? Fluit. Apprehensio igitur tantum doloris conciliat, quantum apprehensio prę sentat amissi objecti dignitatem. Dolor ergo Virginis proximus ad infinitatis quandam mensuram pertingit. Si vera sit lex amantium, amores impares doloribus ex amore natis; & amantium idem esse lethale vulnus amorem & dolorem: at doloris intolerabilis gladius, est amor Dei; est & gladius dolor, de Deo amisso. Amor animum Mariæ non modò confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam relinqueret. Sic & dolor totam Virginem occupavit, amore validior, & quidem ex amore clamat, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* An non pariter ex dolore clamat; Facta

Sanctissima Virgo palmæ assimilata ante crucem stans.

Christus Crucifixus & Virgo SS. Crucifixa.

Scopus telis hic Virgo omnibus doloribus patebat.

Virginis amor in Deū fuit proximè infinitus; ergo & dolor.

Amor & dolor gladii potentissimi.

A sum quasi Mater sine filio, & ideò *magna est velut mare contritio mea.* Sicut Phœnicis incendium est amor: sic & dolor, interitus amantis. Nullum amore nobilius mortis genus, nullum ex dolore nobilius mortis genus, quamvis amarius ex dolore môri.

Nobilissimum mortis genus ex amore mori.

Prætermitto, quanto impetu Virginis cor dolores acutissimi oppugnarint, quando filium vidit immanissimis flagellis concisum, sacrumque caput densatis spinis coronatum, trabem feralem humeris portantem. An non tunc animum in omnium ærumnarum suarum conspectu collocavit, vix unius patientem, plebeiæ feminæ animum spectes. Spectabis tamen victorem animum, quamvis omnes luctus, omnia lugubria, omnia tormenta Filii, sua faceret. B Gravissima ergo forti & immobili constantiâ perferebat. Cetera turba mulierum, ad injuriarum motus collabebatur, & in gemitus & ejulatus effusa impotentius laxabat fræna dolorum: ad has vox Christi pertinuit, *Nolite flere super me*, Lucæ 23. *sed super filios vestros:* non quod Christus (pius enim erat affectus) eas reprehenderit; reprehendit tamen earum existimationem, eò quòd crederent necessitate se coactum mori. Gravissimum ex omnibus quæ umquam in Virginis animum descenderunt, fuit ultimum vulnus, scilicet Crux Christi. An non Crucifixus Filius, pectus & viscera C ipsius Matris debuisset dividere? attamen stetit etsi lachrymis mersa, modestè tamen fluentibus, nec lamentationes, nec ululatus, & alia per quæ muliebris dolor tumultuatur, auditi, ô invictum malis animum Virginis! Confossa undique illa tot vulneribus dolorum, quot filius percussionibus, patienter ferebat, quamvis omnia coacervata malorum maria ante se posuisset. Inter furentes hostes non se subduxit, sed stabat interrita, territis discipulis, profugisque: stabat illa animosa, & celsior omnibus malis, nec ulli malorum cessit, succubuitque. Et quamvis gravissimè doleret, stupendo tamen fortitudinis fræno, & quasi divino moderamine regebat affectus omnes, ne quippiam indecori, & suâ Majestate D indigni prorumperet. Bene ergo Anton. 4. propos. Theolog. tit. 15. c. 4. *Stabat verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa; ita tamen divina voluntati conformis, quod ut Anselmus ait, si oportuisset ad implendam secundùm rationem Divinam voluntatem Dei, ipsa Filium in cruce posuisset, atque obtulisset.* Neque enim minoris fuit obedientiæ, quàm Abraham. Fortissimus ergo filius, fortissima & Mater. Explevit, ô Salomon, tua vota, sanctissima Virgo, dum exclamasti: *Mulierem fortem quis inveniet?* Ecce producta est in theatrum, montem scilicet Calvariæ. Patitur

Quam diversa ab aliis mulieribus Virginis magnanimitas.

Fortitudo ad hunc gradum pervenit, ut si pater exegisset, ipsa mater filiū crucifixisset.

Patitur Virago Mater, nec tamen sic patitur, ut se miseram dicat, nec gravem esse suam fortunam, quæ tota ex Filii pendebat, judicabat. Quid fortius dici potest istâ muliere, quę etiam inter tumescentes dolorum circumsonantium fluctus, ipsa sibi placebat, & inter res quę alios miseros faciunt, judicabat se beatam, dum filium dedicat in victimam Deo Patri orbi servando. Quanta fortitudo mulieris, & tenerrimæ Matris, cui dulce & decorum pro Patria in filio mori! Quanta mulieris sapientia, quam nec secunda, dum Dei Mater futura prænuntiatur, evehunt; nec adversa demittunt. Video te fortunatissimam, & in vicinam Deo perductam, dum omnes miserias lenis solâ magni Dei voluntate.

§. XI.

Vberior dolorum magnitudo explicata, quâ fortitudo debuit probari.

Christus Dominus nobis passus est sic & Virgo.

QUàm patiens fuerit dolorũ, quibus immensa velut oceano sanctissima Virgo, quis animo, quis cogitatione consequetur? quàm invicta, quàm nunquam lassata mole incubãtium malorum; per omnia similis Filio, qui nec operibus editis, nec doloribus lassatus, cessit. Verè similis Filio, vestigia Filii secuta. Filius nihil sibi passus est, sed nobis; nihil sibi vicit, sed nobis victis vicit orbem suæ gentis, transiit benefaciendo, nihil sibi cõcupiscendo. Quid enim momenti sibi vinceret, qui Deus? malorũ hostis? bonorũ vindex? cæli terræq; pacator? An & Mater sibi passa est? an non nobis nostræ salutis cooperatrix? an non nobis vicit, cùm vicit? an non pacem terræ dedit Dei pacatrix? Incredibilia sunt quæ passus Filius, & supra naturam humanam excurrentia: incredibilia quæ & Mater. An non commune Matris cum Filio periculum, par fortuna? Incredibile, & supra fidem excedens; utrumq; in cruciatibus sũmis positum, dicere se beatum. Et quæ matrũ pronũciavit se beatam in supremis dilectissimi filii tormẽtis, si mater fuit? Ut igitur cognosceret orbis hanc Virginis menti insitam fortitudinem, ad ejus notitiam opus fuit experimento; nemo enim quid quisque possit, nisi in tentamentis didicit. Et sanè Virginis fortitudo ivisset in obscurum, nisi dolorum avida, per dolores enituisset. Gloriæ summæ pars fuit, cum Filio pati suprema. Calamitas ergo, virtutis occasio. Discamus nos cũ Matre Dei, si quando Deo visum, odium, infamiam, cruciatus appetere in causa Dei; & non inter plausus consenescere. Nunc verè

Fortitudo experimẽtis noscitur.

A agnosco Virginem potentissimam, quando suâ fortitudine sub jugum mittit immanitate barbaros dolores; cùm erigit se supra omnia, nec inclinatione femineæ naturę, succumbit. O sanctissima Virgo! visa fuisti digna Deo, ut in te experiretur quid possit humana natura pati. Supra omnia quę contigerunt accerbissima, semper eminens, pulcherrima cum decore, æquo semper animo, blandis, asperisque conjuncta suscipiens, nulli fortunæ se submittens, quam nulla attollere, nulla deprimere potuit. Tu, ô sanctissima Mater, per mediam infamiam, quasi fores latronis mater, cum Filio tendebas ad ultimi supplicii locum; & à latronibus circumsessa, stabas invulnerabilis, undique vulnere confossa.

Virgo in suis cruciatibus Deo digna visa.

B Pluris æstimasti amorem Filii tui, quàm mulieris sanctæ bonam famam, quam perdere maluisti, quàm conscientiam Filii. Nos, quibus vix umbra tantæ fortitudinis concessa, & ad illam non accedimus, nec pervenimus, in nobis consummabilis & in Virgine consummata, magnitudinem fortitudinis Virgineæ ex nostra imbecillitate metimur. Quis dolorum magnitudinem assequetur? Nemo. Soli Deo, qui solus Virginis capit magnitudinem, reservatur. Virgo itaque terræ, cælisque supremum miraculum, transcendit Angelicum intellectum, ut una anima omnium tempestatum inclinatam potentiam exceperit, sustinuerit, & victrix superãrit.

Quàm dissimiles Virgini.

C Permansit illa sibi per omnia similis constansque Solis instar, cujus vis, & lux integra inter opposita; & quamvis nos ab aspectu prohibeat, in opere suo est, & cursu fertur. Quoties inter nubila, lux non est sereno minor. Sic virtus Matris Dei, in medio cruciatuum, & supremi luctus tenebris sibi eadem fuit, more Solis obscuri, in occulto vim suam exercuit, non minor, sed minus fulsit. Dixerim contrà, & retracto mea verba, & major fuit, & major fulsit. Nihil omnia adversa detraxerunt ejus majestati. Stetit ergo semper undique petita telis,

D telis hostium, telis amicorum fugientium, telis amoris in Filium, telis Patris æterni, tot telis quot Filius configebatur. Ingemuit, lacrymata est, indoluit: ita est: hæc naturæ humanę ingenerata conditio; iis legibus nascimur, ut lacrymis amorem testemur. Hoc itaque calamitas, injuriæ, opprobria, adversus virginem potuere, quod adversus Solem potest nebula. Tu si potes, ęmulare umbram tanti decoris, si virtus, animusque in corpore pręsens, ut ait ille. Ut autem magnitudinem virginei doloris tantam in theatro exhibitam spectes, dabimus omnes Patres, qui Deo afflati, suis coloribus eam depingunt, sed non assequuntur. Major fuit cruciatus, quia dignus tanto Filio, quorũ neutrũ

Virgo obsitaundique mater semper lucis radiis virtutum dedit ut sol nubibus oppositis semper lucet.

capi poteſt. Extendit ſe Filii dignitas in infinitum; extendit ſe matris dolor in infinita ſpatia: amori reſpondet ex æquo dolor, cujus eſt officina. Cedat Virgini Heroïna Machabæa, de qua aliis locis, quę ſub oculos ſpectavit ſeptem fortiter occumbentes filios, de qua 7. capite ſecundi. Machabæor. ſcribitur. Femineæ cogitationi maſculum inſerens animum ſeipſam debellavit. Martyr mater, Martyres ſuos natos ante ſe in victimam præmiſit. Noſtra princeps & animâ, & corpore, & in ſe, & in filio millies Martyr. Audiamus Jeronym. ad Euſtoch. de Aſſumpt. *Alii ſancti etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima, quæ immortalis, pati non potuerunt. Beata vero Dei Genitrix, quia in ea parte paſſa quæ impaſſibilis habetur; ideo ut ita fatear, quia ſpiritualiter & caro ejus paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, pluſquam Martyr fuit.* S. Anſelm. lib. de Excell. Virgin. cap. 5. *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum; leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ paſſionis: quæ nimirum ſuâ immenſitate tranſfixit cuncta penetralia tua, tuíque benigniſſimi cordis intima.* Et ſubdit: *Et utique pia Domina, non crediderim te potuiſſe ullo pacto ſtimulationes tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe ſpiritus, vita ſpiritus, pro quo moriente compatiebaris, te confortaſſet.*

Sicut ergo Deus Pater, Filii ſui vitam, continuis, & ſemper novis cruciatibus, ne in ſummis inauditiſque doloribus deficeret, integram ſervavit; ſic Filius ſuæ matris. Ille operabatur noſtram ſalutem; illa & cooperabatur: unum ergo erat utriuſque negotium; uterque ergo ſuperierat malis, vi divinâ ſuſtentatus. Miraberis fortaſſe dici Virginis dolores, miris multiſque modis Martyrum dolores exceſſiſſe. Defines mirari ſi attenderis ad ortum dolorum. An non dolor corporis ex corporis læſione naſcitur? an non ideo ſentitur, quia redundat per ſenſuum attactum in animam? Planè: non enim foret contactus doloris niſi animæ interventu. Verùm compaſſio ferit animam, & pro vehementię ſuę gradu, redundat in corpus; & quanto anima potentior, ait doctiſſimus Lyranus, & magis dominans ſuper corpus & carnem, & caro delicatior, & ſubjecta animæ; tanto fit major redundantia, & major dolor eſt, qui incipit ab anima, quàm ille qui incipit à carne. Amor Martyrum in Chriſtum, omnes dolores mitigabat, & flammas, & lata incendia velut propitio rore mitigabat, quaſi in mediis flammis, ſecuri æſtuantis vaporis, colludentes. Et quid Matrem tanti Filii, in tantum afflixit, niſi amor ſummus tanti Filii? Quod igitur Martyribus ſolatio fuit, hoc idem Matri grandius tormentum. An non ideò pluſquam Martyr fuit? Planè fuit. Gladius enim & doloris pariter & amoris pertranſiit animam ejus, ut docet Ildephonſ. *Pluſquam Martyr fuit, quia in anima non minus amoris, quàm mœroris gladio intus vulnerata fuit.* An non delectationes animę, quia illa nobilior corpore, corporis delectationibus & majores & vehementiores ſunt? Omnino: objecta enim reſpondent dignitati potentiarum. Deinde nónne contrariorum eadem eſt ratio? Eſt eadem. Si voluptas animæ excedit corporis voluptates; ergo & acerbitas dolorum in animo, corporis excedit acerbitates, & tot partibus, & gradibus, quanto anima nobilior corpore; & ſpiritus immortali, vili maſsâ carnis in pulverem ituræ.

Quare ſanctiſſima Virgo excedit omnes Martyres in ſuis cruciatibus.

Dolores ab animo redundantes in corpus ſuum montu.

Dulce & decorum pro amico mori; non tamen dulce, ſpectare oculis amores ſuos in tormentis mori. Quot ergo mortes ſubjiſſe Virginem putas? Si ſancta Clara de Monte Falco, tanta cogitationum vi ferebatur in paſſionis ſacræ memoriam; ut ſingulis momentis videretur occaſura; an non ſingula momenta, Matri Dei ſingulæ mortes peperêre? An non quilibet ictus & plaga feralium plagiariorum Matrem ſuſtuliſſent? Suſtuliſſent delicatiſſimã Virginem. Audiamus Anſelm. *O Domina! quos fontes lachrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes unicum Filium tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter diſſecari!* Abſorbebatur anima oceano amaritudinis ſicut gutta dulcis ab amariſſimo mari. Audiamus Ubertinum libro quarto, capite decimoquinto de dolorib. Virginis. *Sicut omnium fluminum aquæ, in mari in amaritudinem convertuntur, ſic omnes cogitationes, mare cordis Virginis in amarum lamentum abſorbebant: & ideo ipſa eſt ſpeculum, & exemplum omnium lamentantium mortis Chriſti, & arca, & armarium dolorum corporis Ieſu.* Bene vaticinatus fuit Simeon: *Tuam animam doloris gladius pertranſibit*: penetrabit undique ut locus vulneribus ſit defuturus. Quis locus in corpore Chriſti caret ſuo vulnere? & quis locus in corde Virginis? *Quot læſiones in corpore Chriſti, tot vulnera in corde Matris; quot clavi perforantes, quot ictus percutientes, & carnem rumpentes, tot ſagittæ per oculos intrantes, & totum cor & Virginis animam vulnerantes,* prout Jeronymus ſcribit.

§. XII.

§. XII.

De tribus fontibus seu causis Plagarum S. Virginis in corde fixarum.

TRes fuisse in Christo Gratias docent Theologi; gratiam unionis; gratiam capitis; & gratiam singularis personæ. Sanctissima Virgo & tres gratias similiter possedit. Primam, Vnionem maternam, quia proximè concurrit tanquam mater & causa efficiens ad ineffabilis unionis fabricam constituendam: Alteram caput esse à Christo Domino, & principem generis humani: Tertiam fuisse ut talem feminam electam; & in tale individuum. Ex hac triplici gratia, velut primaria origine, & fonte omnes dolores in Virginem emanârunt. Ad primam causam, & fontem tantorum dolorum, quæ est esse matrē, & concurrisse ut causam efficientem, ut sacra humanitas, quæ ex illa fabricacata est, uniri subsistentiæ divinæ id est, divinitati posset, & vide ut fines (ut diximus suo loco) divinitatis attigerit, cùm proximiùs attingere per absolutam Dei potentiam nulla creatura posset. Fateor in sacro sancto mysterio S. Trinitatis vnionem esse majorem, in quo tres unum sunt unitate substantiæ, & ita unum, ut à se invicem nullâ ratione separari possint. Maternitatis ergo dignitas cū ejusmodi sit ut nulla creaturæ major, dari possit, si præsertim gratia huic dignitati debita collata fuerit, sicut Virgini collata fuit. In Virgine ergo summus nexus, arctissima unio cum Deo; primùm in quantum matri, deinde in quantum prę ceteris Deum diligenti. An non summus dolor oritur, si summè unita, à se invicem sejungantur? an non ingens vulnus ex divisione continui? & tanto majus quo copula arctior, strictior, & quo difficilius laxari possit? An non adamantinus nexus corporis & animę, cujus solutione necesse est compositum interire? Adamantinus nexus est, & amicitia firmissima. An non amor causat summum dolorem animę, ubi læsionem, & damna corporis sui vehementer amatis sentit? Quis assequetur magnitudinem amoris regnantis in corde Filii & matris; & corde matris & Filij? Hęc magnitudo cùm soli Deo nota sit; ita & magnitudo doloris soli Deo nota est. Illa illa unio & amicitia, quæ animæ est cum suo corpore, vel continui ad suas partes, etsi ingens sit, collata tamen cum unione animæ Virgineæ cum anima Filii, pro nihilo æstimatur, nec in comparationem venire potest. Hæc enim supernaturalis est, illa verò naturalis: hæc ascendit ad fines divinitatis, illa se finibus continet naturę. Audiamus

Summa unio in mysterio SS. Trinitatis.

Proxima unioni S. Trinitatis est unio SS. Virginis cū verbo ob rationem maternitatis.

Summus dolor nascitur ex arctiori unione.

Inter maximas uniones est unio corporis & animæ.

A Bernardum in Psalm. *Sagitta tua infixa sunt mihi.* serm. 25 in Cantic. *Est etiam sagitta electa amor Christi, quo Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam particulam vacuam in Virginali pectore relinqueret; sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret.* Arctissimè ergo juncta Deo, quia mater Dei, & arctissimè Deo unita per amorem; propter summam unionem summè, & intensissimè omnes persentiebat dolores. Hoc preclarè docuit Ubertinus Doctor. *Et sicut ipsa*, inquit, *sola per gratiam redemptionis ipsum redemptorem genuit, sic per eandem gratiam dolorem sua mentis plenissimè sola participavit. Electrix enim gratia, quæ ipsam ad dignitatem maternam elegerat, totam ad compassionem filii morientis impellebat.* B Unde tunc menti Virgineæ, nulla ratio occurrebat de Filio, nisi in ratione amaritudinis & transfigentis doloris. *Vicit* (inquit Amadęus homil. 5. de D. Virgin. *Vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultra humanitatem: torquebatur enim magis quàm si torqueretur ex se, quia supra se incomparabiliter diligebat id unde dolebat, & quantum doluerit*, dicet Bernardinus tomo 1. serm. 61. articul. 3. cap. 2. *Tantus fuit dolor Virginis; quod si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, divideretur, omnes subitò interirent.*

Cor & anima SS. Virginis tota doloribus confixa.

Omnes creaturæ extinguerentur dolore Virginis.

§. XIII.

C Alter fons seu Scaturigo omnium dolorum.

QUis ignorat Christum esse caput, & Ecclesiam corpus ejus; Matrem verò sanctissimam esse collum Christi Domini? A Christo velut à capite descendunt omnia dona gratiarum, & opes cælestes in Ecclesiam. Sed per Mariam sanctissimā tanquam per collum, ut loquitur S. Bern. Quis ignorat Christum tanta passum quanta, damnata per peccatum Adami humana conditio, sigillatim in unoquoque potuisset & pati debuisset. D Sic me docet famosus Doctor Ubertinus. *Ab aliquibus dicitur, quod illi dolores fuerunt in corde Iesu à divina sapientiâ immissi; & quia divina sapientia videns infinitatem culparū, & offensionum, etiam tantū dolorem, requirebat, ut plena, & abundans, satisfactio earumdem daretur; & quia nulla creatura poterat in tantam dolorum mensuram, nisi per unionem divini suppositi, dilatare in summo: ideo debebat hominem assumere in unitate personæ, & ex tali unione assumptam naturam, ad illius inæstimabilis mensurationis receptandam capturam proveheret.* Et deinde concludit: *Tantū enim dolorē debuit Christus assumere, tanquā caput Ecclesiæ & tantum debuit illi sapientia divina infundere, quantū sufficeret ad prædicta omnia bona conquirenda ex ejus passione.* Pergit ad nostrum propositum idem auctor.

Sicut ergo fuit in Christo homine, sic & in ipsius matre, quod ad illam immensurabilem mensuram dolorum Iesu supra omnem creaturam, Spiritu sancto influente accessit, quantum status maternæ puritatis, dignitas participationis Iesu & naturæ consortium requirebat. Et ideò beatam Virginem tantum replevit in summo Deus, Christi doloribus, quantum omnis creatura non posset capere maternali statu non evecta. Ita & B.V. illis magis condoluit, quia ipsa videbat, quod omnium dolores in se portabat; imò sicut ipse fuit omnium redemptor; ita fuit omnium mediatrix, excusatrix & advocata omnium peccatorum. Et ideò cùm ipsa esset advocata mundi, tantum dolorem Spiritus S. infudit ejus visceribus, quantum sufficiebat ominum electorum genitrici ad excusandam mundi ingratitudinem; quia sic dura morte expellebat de sua fabrica suum auctorem, qui ad ipsos eruendos de faucibus mortis, de sinu patris advenerat servilem assumendo naturam. Unde ipsa pro se, & pro toto mundo dignè Deo morienti, & de se genito exhibebat lamentum. Hæc ille Doctor. Voco hanc plagam inexplicabilem provenientem ex capite Jesu coronato spinis, quæ spinæ tot vulneribus confodiebant cor Virginis, quot eædem sacratissimum caput sui dilecti Filii. Sicut ergo Christus Dominus tanquam caput Ecclesiæ, tanquam princeps causa operabatur salutem humani generis, ebibendo oceanum omnium acerbitatum: sic Virgo tamquam proxima Deo ut collum capiti; futura Cooperatrix nostræ salutis, futura mediatrix nostra ingentibus dolorum aculeis, & patientia malorum concutientium cogebatur emere omnia dona cælestia quæ in homines sibi subditos effunderet; quare & Maria nominata mare amaritudinis, quia eam repleverat Dominus omni amaritudine.

Qualem elegerit Deus fœminam in suam matrem, dictum satis. Si corporis dotes spectes, formositate omni formosiorem. Si nobilitatem indolis, Angelicam dixeris: si complexionem, & Corporis elementa & compositionem carnis, sanguinis invenesis symmetriam admirabilem, & tamen tenerrimam & delicatam instar rosæ vel lilii repandi & amœnissimè ridentis. Erat ergo Corpus hujus nobilissimæ fœminæ ejusmodi ut viraginem masculam, & tamen floream diceres, aptam summis doloribus acerrimo cum sensu tolerandis.

§. XIV.

Tertia origo doloris. Quod talem fœminam & tale individuum Deus elegisset.

QUis ignorat, teneriora corpora, & facillimè, & gravissimè lædi? quid delicatius? quid tenerius? quid mollius in omni genere animalium sexu fœmineo? Mulier à mollitie dicta, quòd instar ceræ omnes formas & impressiones suscipiat; teneriùs suos fœtus ament quàm viri, graviùs doleant adversis, uberiùs gaudeant secundis rebus. Virgo ergo cùm fuerit nobilissimæ constitutionis, tenerrimi Corporis, delicati & exquisiti sanguinis, non est mirabile si omnes Filii dolores in se transformâtit, illos induerit, & cùm sciret Filium suum esse totum suum, non potuit non omnes Filii sui dolores, & totius carnificinæ imaginem in se circumferre. Plorabat luctuosum Filii sui Absalonis exitium rex David, nec clamoribus, nec ejulatu, lachrymabili oppressam mentem relevabat. Clamabat, nec exhauriebat dolorem 2. Reg. 18. *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi dabit mori pro te?* Job ad subitam mortem filiorum 1. cap. scidit vestimenta sua, & tonso capite corruit in terram. Miraris forsan? pater vivit in Filiis, tanquam nobilissima sui parte. Quis non doleat, se eviscerari, sese, ut ita dicam excordiari? Vide 1. Reg. 2. ut se gesserit David in morte sui Jonathæ; an non instar ceræ solis ardore liquatæ fuit liquefactus? *Doleo propter te fili mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut mulier unicum amat Filium suum, ita ego te diligebam.* Si dolor æquatur amori, cùm nemo magnitudinem amoris Virginei cognoverit, sic nemo & doloris. Audiamus tamen Bernardum, qui suo penicillo Virginem lugentem luctuoso depingat. *Videbam mori, quem diligit anima mea, & tota liquefiebam præ doloris angustia. Aspiciebat & ipse benignissimo vultu me plorantem, & voluit me paucis verbis consolari, sed ipsa consolari non poteram*, sed flebam, dicens: *Fili mi, fili mi, quis dabit ut moriar pro te? Moritur Filius, cur tecum non moritur mater? O mors mihi misera noli parcere: tu enim Sola præ cunctis places: exerce vires tuas, trucida matrem cum Filio, occidat simul mater.* O Judæi nolite mihi parcere, qui Crucifigitis natum, Crucifigite & nati matrem; vitam quam dedi nato, mihi tollite, cùm vita nati sit commune fatum, sit & commune idemque sepulchrum, quibus communis & una vita, & anima fuit. An non Filius mihi pater? sponsus? vitæ meæ dator vitæ? educator? An non mihi Deus & Filius, in quo mihi

mihi erant omnia? & nunc orbor patre, viduor sponso, spolior vitâ, exuor animâ, & Deo & Filio privor; quid mihi reliqui est, nisi jucunda mors? omnia enim cum Filio possidebam, omnia cum Filio perdo. Eia sanctissima Virgo, cur mortem oras, cùm nullus sit in te locus vitæ? Filii caput incinctum spinis, sic tuum; manus & pedes clavis terebrati, sic & tui; & tuus Filius Cruci affixus, sic & tu affixa; in uno dispares ut in corde & intus, tuus Filius in corpore. Bene Simeon Metaphrastes: *Hæc omnia profundius illam transverberabant, quàm illi clavi pro una Filii plaga, innumeris sauciabatur plagis.* Mortem oras ô sanctissima mater! dabitur quod optas, mortē Filii tua sequetur. Transverberabitur pectus, & animam tuam lancea crudelis quæ etsi Filii cor perfoderit, & perfossum aperuerit, nullo tamen Filii tui sensu. Hæc tibi reservata est ô tenerrima Virgo ut tuam animam pertransiret, quæ jam in corde Filii mortui vivebat. Anima tua ô Domina erat jam hospes Corporis Filii, & ibi morata vulnus accipis lethale, verùm ne posses citò, sed diu mori, dilata mors est. Bene est actum, bene est cur subitò mundus, & sole, qui jam versus in tenebras, & luna destituetur. Si necessitas suprema Filium abstulit; cur & matrem auferet? omnia elemēta conjurato tumultu permiscent omnia; vindices parant manus, sentiunt rectorem obiisse; unde & ille dæmonum in mari luctuosus clamor auditus, *Magnus pan obiit*, si tibi mors detur, quis machinam jam ruentem levabit? quis supponet se oneri inclinato, si tu Domina mundi te subtraxeris? Eia sanctissima Virgo persta nobiscum, quos Filius tanto labore, & pretio emit. Ecce pater æternus cùm Deus sit, & in Deum nec luctus, nec dolor cadere possit, ut te soletur, voluit totum orbem, & quidquid cælo continetur atratum; indixit communem luctum, ut communibus vocibus & lamentis tuum Filium inter latrones appensum, esse Filiū Dei, & te matrem ejusdem testificaretur. An non luna inverso cursu opposita primùm sibi (plena enim erat) se soli subjecit, tenebras induxit; horror incubuit terræ trepidanti, concussæ rupes, diffissa saxa, monumenta aperta; urbes ruinis oppressæ, velum templi scissum, orbi suprema & fatalis dies sentiebatur? Omnia ergo elementa, cælum & terra, pii & scelerati tam horrifico metu perculsi percutiebant pectora sua, & confessione veritatis clamabant: *Verè Filius Dei erat iste.* Ergo & tu mater. Ne quid luctus in solatium tui luctus deesset, voluit & Deus Pater omnes Angelos lugere, teste Bernardo? August. serm. de lament. & S. Brigitta, & quamvis inconcessum sit beato statui indicere luctum, ex Dei imperio corpora sibi formarunt, ut in aliena natura lachrymas darent cùm non possent in sua, juxta illud, *Et Angeli pacis flebant amarè. Et juxta illud Iudicum, locus flentium* scilicet Angelorum. O Christiane erige animum, compone mentem, ne solus exarescas in communi luctu. Audi magnum Leonem serm. 6. *Pendente in patibulo creatore universa creatura congemuit & Crucis clavos omnia elementa senserunt. Nihil in hoc supplicio liberum fuit; hoc in communionem sui, & terram traxit, & cælum; hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit.* Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu creatoris sui vellent universa finiri. Audis cor, non carneum, sed lapideum, illum magnum Jesum, & optimum in diebus carnis suæ, quam pro redimendo assumpserat, lachrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes? totus orbis concutitur, & obstinatè vivis inconcussus? spectasti (ut redeam ad propositionis factæ initium) doloris magnitudinem; spectasti & fortitudinem, quâ debellatus dolor, cessit fortissimæ heroinæ. An non miraculum gratiæ, spectare inter medios mucrones corpus Virgineum, & undique transverberatum, & tamen illæsum? an non majus miraculum, animam, undique & undique obsessam, & sagittis omnium miseriarum & desolationum tempestatibus appeti, irritari, transfadigi, & summo cum sensu dolores sentire, nec sensui dare experimentum doloris sui: se solem, ut dictum est, inter nubila claris motibus suæ virtutis ostentare. Finio & dico te Virginem sanctissimam esse miraculum miraculorum, & post filium prodigium prodigiorum.

Angeli verè fleverūt in Christi morte in forma assumpta.

§. XV.

Qua fortitudine sancta Virgo tulerit exilium diuturnum. A Filii sui discessu in cælum.

Si sequamur sententiam probabiliorem, quæ affirmat Christum Dominum mortuum expleto tertio & trigesimo vitæ anno, agentem annum trigesimum quartum; & sanctissimam Virginem protraxisse vitam usque ad annum secundum & septuagesimum, quo & finivit, ex bona consecutione necesse est affirmare, Virginem superstitem Filio in cælis regnanti ad Ecclesiæ novellæ solatium in pignus amoris in terris relictam, & ingenti fortitudine exilium proximè ad octo & viginti annos pertulisse. Si diuturnitas temporis, quod acerbissima solet lenire, dolorem temperasset; admirationem fortitudinis non parum diminuisset. Dolor quippè in longinquitate lenis, in gravitate brevis esse solet, ut ejus magnitudinem celeritas,

leritas, diuturnitatem allevatio consoletur. At longè aliter in Virginis animo evenit; nam longinquitas graviores, & gravitas diuturniores effecit, nec ulla dolorum allevatio concessa intervenit: dolores enim, quos minuit tempus, singulis momentis ex nova & continua accessione novi amoris & Divinarum flammarum incendiis, majora continuo sumebant incrementa, ita ut mensuræ amoris responderet magnitudo doloris. Ingentis ergo & Cælestis fortitudinis miraculum fuit, Virginem in hoc suo exilio diuturno, & per tot annos ab amato Filio disjunctam vitam ab omni perturbatione intactam potuisse traducere. Si Gentilium judicio grave exilium æternum, & grave & intolerabile, carere patriâ judicatum; an non Christianorum judicio, quibus totus mundus exilium, & Cælum Patria, exilium gravius, & Patriâ caruisse videri debet intolerabilius? Rectè Euripides: *Et quid? carere Patriâ magnum est malum? vel maximum. Et re gravius est quàm dicitur.* Cicero in Paradoxo 4. *Exilium est terribile iis quibus circumscriptus est locus.* Quare & exilium solet esse scelerum pœna. Scio ex Statio *omne homini natale solum.* 8. Thebaidos. Scio magnificas voces & magnanimas, *omne solum viro forti patriam esse*, & ubique terrarum esse patriam, quæ nos tellus nutrit. Socratis judicium utique notum, *mundanum se civem.* Et Hercules interrogatus, Argivus, an Thebanus esset: Haud unam curo jactare terram, *Græcia omnis est mihi patria. Verum unicuique patria* (ut docet Hierocles in sermone, quales debemus esse in patriâ) *Est per Iovem velut alter quidam Deus, & primus maximúsque parens: quare & qui nomen imposuit, à re ipsa non temerè patriam nominavit, vocabulo quidem à patre deducto*; pronuntiato tamen fœmininâ terminatione, ut ex utroq; parente mixtum esset, quare & præferenda utrius parenti seorsim: omnibus denique judicio communi patria præferenda est. Quare qui & Patriam sibi ipsi præponit, & Diis Charus est, & mente prudentior. Quare & optimè Homerus ait, unum Augurium optimum, pugnandum esse pro Patria; nihil enim est Patriâ suavius atque parentibus. Hoc docet Agesilaus Spartanus, qui in Filium proditorem Patriæ, desævit. Pausanias Dux acceperat à Xerxe quingenta talenta, Patriam Spartam proditurus. Patet ubi ex literis interceptis dolos didicit, Filium usque ad templum Minervæ est persecutus, & quia sacram ædem violare nefandum, templi foribus obstructis, unà cum uxore, Pausaniæ Matre, introitum custodivit, proditorem fame necavit, quem & Mater mortuum sublatum extra fines Spartæ projecit. An non Ulysses saxosam & incultam Ithacam præposuit regnis? ille ad sua saxa; quemadmodum Agamemnon ad Mycenarum nobiles muros properavit. An non

Omnis tellus extra Patriam gravis.

Unde nomẽ Patria, deductum.

Patria utrique parenti præferenda.

Pro Patria pugnare optimum augurium.

Proditor filius à Patre necatur fame in templo clausus.

Patria regnis præponenda.

A Atlantis filiæ immortalitatem pollicenti se negavit & præ Patriæ dulcedine se maluit mortalem, quàm Deorum frui ambrosiâ, immortalem? Quare & mortem optabat viso tantùm Patriæ fumo: nihil (inquit) dulcius videri sibi posse quàm Patriam horridam asperamque. *Quid enim charius Paternâ potest esse tellure?* ait *Euripides.* Meo quidem judicio non rectè sapit,

Qui spretis Patriæ terræ finibus,
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.
Omnibus insitus amor natalis soli.

Dic mihi Lector; ut ait Ovidius lib. 1. de Ponto:

B *Quid melius Româ? Schytico quid frigore pejus?*
Huc tamen ex illa Barbarus Vrbe fugit.
Cùm bene sint clausa caveà Pandione nata
Nititur in silvas quæque redire suas.

Nescio quî fiat, ut amor Patriæ sit omni ratione valentior; & contrà, quàm exilium cunctis formidabile, & ingenti supplicio æquiparandum. Quare & longa exilia, & in exilio mori, veri Martyrii speciem plurimi dixêre, & Martyres in exilio mortuos, magnificis celebrat encomiis Ecclesia. An Chrysostomi exilium maximis calamitatibus exagitatum, expeditæ non prætuleris morti? an non toties mortem, quot barbaras pertulit concussiones? Nemo angustet miserias exulantis, quamvis exul non crimine suo: est enim exilium, ut Philiscus definit
C apud Dionem, dum Ciceronem solatur, φυγὴ ἀποδημία τις ἄτιμος. Exilium peregrinatio quædam ignominiosa, & illam quæ non sequuntur incommoda? paupertas, ignominia, contemptus, solicitudo amicorum. Seponamus à Virginis exilio hæc visa hominibus mala, Virgini tamen non mala, Virgini in pauca necessaria. Paupertas, quam Virgo amavit, gravis non fuit: honesta res læta paupertas; illa verò non est paupertas si læta est. Quis divitiarum modus? Primus, habere quod necesse est. Proximus, quod sat est. Vis scire quàm nihil mali sit in illa? Compara inter se pauperem & divitem vultu; sæpiùs pauper & fideliùs ridet. Solici-
D tudo in alto & imo pectore est. Divitibus non licet palàm esse miseros, verùm inter exedentes cor ipsum ærumnas, necesse est agere felices. Felicitas horum ficta est, aut gravis, aut suppurata tristitia. Animus est qui divites facit: in tutelam corporis pauca necessaria. Quidquid circa te jacet, illa rerum tamquam hospitalis loci sarcinas specta: moriturus quid auferes? non plus quàm intulisti. Quàm faciles vestes dabit exilium, quibus corpus aut pudor defendi potest. Vestem non pigmentis, aut fuco mersam, sed mundam & nativam appetiit Virgo; naturâ enim mundum & elegans est animal, homo. Vestem nativam natura corpori, sicut corpus tanquam velamentum animo circumdedit.

Quis divitiarum modus.

Facile est natura vestem dare.

Natura vestem simplicem amat, non eget

purpura Saturata multo conchylio.

dedit. Non saturata multo conchylio purpurâ auroque intexta, splendorem homini confert; sed virtus. Nulla terra tam inops, quin ministrare corpori nudo sua præsidia possit. Non metimur virtutis magnificentiam vestis apparatu, sed modico cultu cohonestamus: non enim, ut ait Apuleius de Deo sociatis, in emendis equis phaleras consideramus, & balthei polimitæ initio inspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur; sed omnibus exuviis amolitis & motoris, ipsum equum nudum, & solum corpus & animum contuemur. Tenuitas igitur vestis non sanctissimam Virginem, sed Virgo ipsa opibus animæ præstans ornavit. An fortè ignominiam & contemptum in hoc exilio pertulit, verùm ad eam patientiã exercitatione fortitudinis animum perduxerat, ut invictus omnes fortunæ ictus exciperet. Potuit contemni, potuit calcari tanquam perditi hominis, & per leges Crucifixi potuit calcari, at contempta & calcata potuit resurgere, mersa profundo pulchrior, exiit, & resupinabat cum clade victorem. Majestas virtutis illam tuiabatur. Nihil in animo suo quidquam ulli timendum, neque in fortuna concupiscendum reliquit. Contemptu tuta erit, ubi in jure parum præsidii esset. Odium autem etsi omnis virtus exosa, vitabat neminem gratuitò lacessendo, & studiis Charitatis omnes, quasi vinculis injectis devinciendo. Nunquam magis vires ostendit Virginis sapientia & fortitudo, quàm tuta & tranquilla securitas inter lacessentia in terra hostili.

Virtus calcata altior evadit.

§. XVI.

Quænam præ ceteris sanctissimæ Virginis invulnerabilem tranquillamque fortitudinem comprobarunt.

Duo extenuant doloris magnitudinem: tempus, & provisio malorum.

D Uo sunt quæ magnitudinem dolorum acerborum vehementer extenuant; tempus scilicet quod efficacissimum mitigandæ ferociæ, illos enervat; & quasi callum obducit: deinde malorum incubantiũ provisio: quæ enim antè provisa sunt, languidiùs feriunt, languidiùs sauciant. Qui enim supernè volantia saxa, & sagittas, in se vibrata prospexit, leviore vulnere sauciatur. Utrumque, ut suprà dictum, Virginis dolores auxit, & coacervavit. Tempus minutatim eximit, tempus in Virgine ictus conglobatim condensavit, & vulnus vulneri. Sic & provisio futurorum malorum, perpetuò cor Virginis perfodit, atq; acriùs usque ad mortem in animum semper incubuit. Doloris quippè gladius pertransivit animam ipsius. Duo tamen occurrunt quæ supremæ fortitudinis gloriam maximoperè protulerunt: carceris per annos sex & quadraginta tolerati patientia; & Filii tanti, qualem nulla Mater amisit, incitatissimum desiderium, æquali mente sustentatum. Ad primum: Totum Virginis Domicilium quamdiu in mundo fuit, an non carcer fuit? Plato *mundum, vitæ stationem* vocavit. Socrates *totum mundum exiguum carcerem* dixit. David Psal. 141. *custodiam: Educ de custodiâ animam meam: me expectant justi donec retribuas mihi.* Job. 10. cap. vocat *uterum*, cum ait: *Quasi de utero translatus ad tumulum.* Sacra pagina in multis locis, locum peregrinationis Genesis 47. 9. *Dies peregrinationis vitæ* Ecclesiastæ 7. *Quid necesse est homini majora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi numero dierum peregrinationis suæ; & in tempore quod velut umbra præterit.* 2. Corinth. 5. 6. *In corpore peregrinamur à Domino.* Dixerim & ego cum Ezechia Rege *tabernaculum pastorum. Generatio mea ablata est, & convoluta est à me quasi tabernaculum pastorum.* Quid est tabernaculum? Quid est tentorium, nisi casa subitaria, & tumultuario opere structa, & velis vel frondibus ad brevem usum, contexta? quare & frondea casa vocata ab Ovidio. Et quid est mundus universus, nisi breve, brevi homini, in repentinum hospitiolium concessum? Quid mundus, nisi exiguus carcer quo educimur ad sonitum decretoriæ tubæ mortis imperio destinati? Quantæ ergo virtutis fuit, Dominam cæli terræque, Matrẽ æterni & infiniti Dei, Virginem omnis puritatis fontem, servitutem carceris in societate & convictu tot impiorum hominum per tot annos tolerasse? An non intellectus tantam indignitatem refugere videtur? Sordidus, & obsoletus, & fœcundus scelerum carcer tantam dedecet Majestatem. Filii coram conspecta societas, non solùm hujus vitæ miseræ sensum temperabat, verumetiam quandam oblivionem afferebat.

Vita brevis Epitheta.

Vita tabernaculo cõparata.

Grave vivere inter improbos.

§. XVII.

Altera causa doloris erat.

A T filii tã diuturna eclipsis, defectusq;, lamentabilẽ per se carcerẽ, reddebat miserabiliorẽ, judicabatq; eã secundã orbitatẽ lachrymis dignissimã. Coriolanus Romanus à Romanis missus in exilium, etsi felix videretur, exclamavit: Quàm miserum in exilio vivere & mori! Tanto gravior exilii calamitas, quo Patriæ carior felicitas, quo deliciis affluentior, & possessione felicitatis securior; ac denique optabilior, quo notior. Et cui contigit perfectior Patriæ notitia quàm Virgini, cui in suo tristi exilio summæ felicitati per Divinæ essentiæ contemplationem, sæpiùs concessum interesse? Nota ergo voluptas noctes diesque novo continuo accendebat flammarum & incendiorum desiderio,

Patria nobilis ingens dulcedo.

Virgini SS. patria optimè nota.

derio, quibus in immensum utebatur; exclamans: Deficit anima in salutare tuum Domine fili; quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Ite, ite Angeli veloces, ite, & annunciate dilecto meo, quia amore langueo. Quàm mihi sordet exilium, cũ cælum aspicio! *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur quotidie: Ubi est Deus tuus?* Tuus Filius, bene est: & cui amanti patriam, peregrinatio dulcis esse potest? Si dulcis est Patria, amara est peregrinatio; totâ die tribulatio: quando Patriæ non est delectatio: minus dulcis est recordatio Patriæ quæ in terra hostili probatur existere: nam quanto hæc est amarior, tanto fit illa suavior. An tu Lector Patriam dices, in qua non habitas nisi ad breve tempus? Illa, illa verè Patria dicenda est, ubi quisque perpetuò securus atque tranquillus deget. Quæris homo in terris? irrita est inquisitio. Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus in loco peregrinationis nostræ. O admirandam Virginis fortitudinem!, Subducto etiam hoc adminiculo, & tam grandi solatio, non titubavit unquam, nec luctu vel dolore fuit inclinata: quidquid onerum suprà cecidit, sustinuit. Non est magnum, rebus prosperis se fortem gerere, ubi secundo cursu fortuna procedit.

Si amor est patria; odio est exilium & contra, ex amore nascitur odium.

§. XVIII.

Tertia causa doloris.

Filius ex oculis sublatus, qui abstulerat secum dimidium cordis Virginei. Dixi parum: dixerim verius, totum cor surreptum Cælo secum intulit. Detenta ergo in carcere quasi excordiata, nec ullum finem flendi, gemendique fecit; secundam orbitatem judicans, lacrymas omittere. Verè turturis vox gemebundi audita est in terra nostra. Noluit consolari, quia viduata compare. Et quæ voces salutare aliquid afferentes poterant admitti? Erat captiva corpore, & animus totus intentus, affixusque in Filium. Talem crede fuisse per vitæ reliquum, qualis fuit in funere. Imago Filii Crucifixi obversabatur oculis, & in mente volvebatur: occurrebat quidem vivus hilaris, & ut cum gaudio solebat. Et quæ ratio allevare poterat sanctissimam Virginem? voluisset non posse vivere, & videbat se mori non posse. Obstabat quippè Dei placitum. Supremo Deo parendum: ergo & se tractabilem præbuit Deo, & morem gessit fortitudini invictæ; ne quid committeret, quod minus, aliterq; factum vellet infinita Sapientia. Serenâ ergo fronte quidquid erat servitutis, & per contemplationem rerum æternarum Filii tulit desiderium, sua desideria circumscribens legibus Divinæ voluntatis. Mirabi-

A biles in una Virginis anima discretæ, diversæque operationes, tradere se dolori, & illi sic habenas permittere, ut suis malis dominium non daret; susque potens tranquillâ mente frueretur. An non in amissione carissimorum necessarius morsus vulnus infligit? & constantium animorum irruit contractio? Planè. An non animalibus est sui fœtus ingens desiderium? An non illa rabiem, expilatis cubilibus, movent? An non totis silvis affremit ira leonis raptis catulis? An non aquilæ inanes nidos circumfremunt concussis alis? Nemo quantumvis barbarus, non luget suorum supremum diem, extremumque discessum? Barbaris immanior,

Mirabilis in anima Virginis SS. status hyems & æstas, dolor & tranquillitas.

B qui non feritur occasu parentum. Una Anna Tobiæ, cap. 10. impotentes matris explicat affectus. *Cepit Tobias contristari nimis, & Anna uxor cum eo. Flebat autem mater ejus irremediabilibus lacrymis atque dicebat: Heu, heu fili mi! ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? omnia simul in te habentes, te non debuimus dimittere.* Solatur lugentem vir paululum animosior: illa autem nullo modo consolari poterat, *sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset,*

C *venientem.* Et quanti Virgini suus fuit Filius, quem noverat & Deum? quibus affectibus consurgebat in Filium; Filium inquam suum, quem sciebat omnis felicitatis fontem auctoremque; cui adesse, erat omnis felicitatis cumulus, & omnis boni centrum attigisse? An non pluris illi suus Filius, quàm Annæ suus Tobias? An non magni, & perpetui doloris causa, infinito bono ad annos multos destitui? An non dolor oculorum subtrahi oculis unicè & infinitè amatum bonum? Si Fridericus Imperator, pater Maximiliani anno 1488. exardescens infremuit in Brugenses ad famam captivi sui Maximiliani primi ejus nominis Imperatoris; quis tenuit lacrymas, ad lacrymas tanti Imperatoris: cùm pro se funderet preces

Imperator Fridericus ut capto filio infremuerit.

D Dominus servis? An non carcer Imperatorio corpore indignus, ac tandem interposito juramento, & Sacræ Eucharistiæ sumptione oblivionem injuriarum jurans, fuit demissus? An non nefandum & contra jus gentium Maria Stuartia, Scotię Regina, & Anglici diadematis hæres, Francisci Secundi Francorum Regis vidua, & Jacobi Britanniæ Regis Mater, dum ab hæreticis in regno suo affligitur, hortatu Elizabethæ Angliæ Reginæ, juratisque promissis evocata, in carcere ad viginti annos contra jus omne detenta, tandem quia fidei Catholicæ constans, tenaxque cultrix, capite plexa fuit anno 1587. 16. Februarii. Quis tum gemitus & lacrymas tenuit? Quis tum non exarsit in iras vindices? & tamen inulti jacent cineres. Potuisset cælum & terra in gemitus

Regina Maria Stuartia ut decollata pro fide plectitur.

mitus solvi ad carceris diuturni à Virgine toleratas miserias; potuisset & corpus dissolvi tot vehementibus ictum, sauciatumque desideriis videndi filium: pertulit tamen omnes miserias, pertulit & omnia desideria suarum flammarum, tam inusitato fortitudinis more, ut amores lacrymis, & lacrymæ amoribus semper miscerentur, nec animi tranquillitatem tumultu permiscerent. Dolor lacrymas evocabat: amor easdem abstergebat. Pati exilium, est mediâ parte sui mori: *mors* enim *est quædam civilis.* Hanc minutionem capitis, æquè ac mortem per tot annos toleratam, ut pertulit, pertulit nulli cessura ponderi, quantumcumque Deo placuisset imponere. Cessit tamen exusta vi amorum, flammarumque videndi filium, quibus impar instar Phœnicis dissolutionem sui passa, ex se renata, Filio suo redonata cessit.

Exilii miseria, quanta.

Virgo S^a. nulli cedens dolori cessit flammis.

Conclusio.

PAucis & strictim incomprehensibilem Virginis dolorem, incomprehensibili fortitudine debellatum, oculis subjiciemus, & utemur formâ Dialecticâ.

Quo nobilior, quo major, quo dignior persona est, cujus jacturam damnumque patimur; tanto majore dolore obruimur: quanto majus est vulnus quod universitas accipit, tanto digniùs lacrymis lamentabilibus; tanto gravior calamitas, si quando omnes, luctum sibi communem esse duxerint. An non persona filii infinitis mundis nobilior? major? dignior? An non & vita tanti Principis, magnitudine suæ dignitatis, & naturæ Divinæ consortio? Vita Filii Dei infinitè mille mundis nobilior. Ergo & dolor major, quàm qui capi potest aut oriri ex amissione rerum omnium, nobilitata miraculorum infinitis mundis est præstabilior excellentiorque? An non & dolor, luctus, & lamentatio communis jacturæ, & exitio tam pretiosæ vitæ debetur? an non vestis mutatur? justitium indicitur? ignis exstinguitur? tondentur mulieres? & Cameli? lugent Principes? bellatores mœrent? totum regnum est confectum squalore apud Persas in morte Principis? Tanti est esse Regem: tanti est vita Regis, ut publicâ comploratione publicum luctum, publicum squalorem extorqueat. Quem non luctum quando magnus πάν mortuus, extorquebit? An non universalis? An non magnus & dignus tantâ Majestate dolor? dolor scilicet operosissimus debetur; an non infinito Deo tributarius exsolvendus? Hoc ipsum præclarè docuit Aristoteles lib. 3. cap. 9. Atque quò magis, inquit, omni virtute quis pollet & felicior est, eò magis ob mortem sanè dolebit: vir enim talis maximè dignus est vitâ, maximisque bonis privatur, id ipsum sciens quod quidem dolorem affert. Sanctissima ergo Virgo, cùm præ omnibus Dei magnitudinem, Majestatemque infinitam perfectiùs penetraret, & vitam sui Filii infinitis mundis sciret digniorem præstabilioremque, & dignam non mori; quis non credet, omnes qui possunt dolores excogitari, in Virginem irruisse, & omnes luctus animam inundasse? Si vita viri sapientis nullo pretio potest æstimari, an Dei vita poterit? Jacob amissionem & orbitatem filii sui Josephi, quem animo, oculis squalidis, luctuosoque corpore semper planxit, ferre non potuit: si Uladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex Annam uxorem lectissimam fœminam ex puerperio defunctam sic luxit, ut adversus omne solatium aures clauderet, nullius voces salutare aliquid afferentes admitteret, lugubrem vestem non deponeret, adeò pectus & viscera diviserat dolor. Quare Hungari, Bohemi, Moravi Principes Budę congregati remedia doloris afferebant, verùm irrita. Altior in alto pectore dolor, quàm sanari posset. Sic enim lugebat quasi quotidiè funeraret. Vide Dubravium lib. 32. suæ historiæ. An non charior Virgini suus Filius, quàm Jacobo Josephus, & Uladislao sua Anna? tanto charior quo Deus altior hominibus. Mensuram ergo doloris statuet mensura, magnitudo patientis, morientisque.

Dolor debet æquari dignitati personæ amissæ.

Vita sapientis æstimari non potest.

§. XIX.

Superest, ut virum fortissimum proferamus, ejusque memoriam celebremus, qui Virginis fortissimæ singularis exititit cliens & unicus servus.

SUnt qui Colossum Rhodium prodigiosæ vastitatis, sub quo explicatis naves sui securæ velis in portum ferebantur, celebrant. Erat sanè in admiratione quem Chares Lyndius, Lysippi discipulus in Solis honorem 12. annis, pretio CCC. talentorum elaboravit. Septuaginta quippe cubitorum altitudinis erat cujus pollicem pauci amplecterentur, & digiti non minores quàm pleræque statuæ. Vide Plinium lib. 36. cap. 7. Sunt, & alii qui extollunt pontem Trajani Istro impositum, omnium operum à Trajano effectorum, opus maximè admirabile, juxtà ac pulcherrimum; de quo Dion. historicus: Ego, inquit, non dignè quidem habeo admirari. Pilæ sunt viginti è lapide secto & quadrato, quæ altitudinem habent CL. pedum, latitudinem LX. distant inter se CLXX. fornicibus disjunctis, idque in flumine

Virû bellatorum quē sanctissima Virgo, ut pullum & nutricium sua fortitudinis formavit.

Colossus Rhodius quantus.

Pons Trajani nobilissimus.

mine magno & vorticoso & fundo infido & limoso. Quid hæc indicant, nisi fluvii magnitudinem quatuor mille septingentorum septuaginta pedum fuisse, id est, paulò minus unius miliaris. In quantam altitudinem fornices erecti ubi, L. tanta distantia pilarum. Non defuere qui equum moli maximæ impositum cum suo Domino Domitiano tyranno laudibus extulerunt. Hinc Statius prima silvarum admiratur, cùm ait:

Equus Domitiani.

Quæ super imposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum? calone peractum
Fluxit opus.
At sonipes habitus animosq; imitatus equestres
Acrius attollit vultus.
Cum rigidis stant colla jubis.

Et Martialis lib. 1. Epigramm. 7. Epigramm.

Nec te detineat moles radiata Colossi,
Quæ Rodium moles vincere gaudet opus,

Ejusdem tyranni quantà prosequitur laude Amphiteatrum Martialis, dum ait:

Omnis Cæsareo cedat labor Amphiteatro,
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

Quæ debeat esse materia scribendi historiæ.

Sunt qui vitam consumpsêre; ut regna ex infimo coorta; cetera in ipso flore collapsa: populos regnantes ex alto fastigio præcipitatos, nullasque habituros reliquias, posteris darent. Quanto satius, non Regum latrocinia, & illatas populis clades, sed Regias virtutes, & memoratu digna facta in apertum proferre? Non mihi narres, ut Cæsar regnandi rabie, totum orbem civili sanguine inundârit; ingens orbis & generis humani exitium; sed erectas & magnæ mentis dotes. Quanto nobilius Hannibalis virtutes, si quas habuisset; quàm pertinax adversus Romanos odium, quo bella ex bellis serebat, commemorare. Quod præcipuum est in rebus humanis, incuria pertransiit Scriptorum; quos casus, & fulgor armorum, & victoriarum per incertos exitus ad injurias alienas delectat. Et quid est præcipuum? In magna fortuna seipsum domuisse: vitiis jugum, fluentibus rebus imposuisse: erigere animum supra minas, & promissa fortunæ; habere se in potestate; in summo fastigio nihil dignum putare quod speres: non admittere in animum consilia mala: magno æstimata mortalibus sic intueri, ut nihil præter bonam mentem æstimes. Quid præcipuum? Discere, servare homines, esse proprium excellentis fortunæ; injurias, & offensiones supernè despicere, esse exorabilem facilemque; irascendo non exæquare se ei, cui irascitur; sed supra ipsum eminere, cui sufficiat potuisse irasci, & ulcisci; potuisse præmordere, & urgere projectos: at noluisse more generosi, de quo Statius:

Qualis debeat esse scribendi seges, campusque.

Ut Leo Maßili cùm lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat; si decidit hostis,
Ire super satis est, vitamq; relinquere victo.

Instar salutaris sideris est scriptor, qui Heroëm in theatrum producit, supra fortuita spiritus attollentem; qui fortunam, sive felix sit, sive infelix, pari vultu contuetur. Habet antiquitas heroas laudatos, habet & nostra ætas magnarum animarum fœcunda, quas extollat: at, nescio, quo fiat fato; ut gliscente invidiâ, videamur præsentem odisse virtutem, quasi novitati fulgenti, cana præjudicaret antiquitas, & famam sepeliret dignitatis.

Prolixè igitur laudemus heroas, quos in nostro Belgio velut arena campoque Martiali per tot annos cruentatos, tam prospera quàm adversa irradiarunt. Unum præ aliis producam, quem sanctissima Virgo merentem extulit exaltavitque; cujus auspiciis omnia feliciter gessit, perfecit, docuitque magnanimo pectore utramque fortunam pati. Hic erit excellentissimus Dominus Paulus Comes de Fontaine, quem non imaginatio honore verborum, sed vero & solido exornare constitui. Nulla virtus sit sine suo autoramento, & præmio. Sylla Romanorum summus Imperator utinam non sanguinarius, viso Julio Cæsare, miro augurio vaticinatus est in illo puero plures esse Syllas. Dixerim & ego in uno Fontaine plures heroas viguisse. Nestorem etsi non melleo, sed valido, robustoque dicendi genere, sapientibus consiliis, & ingenii altum penetrantis perspicacia sic expressit; ut quocumque vellet suum auditorem, nervosis rationibus impelleret. Hanc potentiam Princeps Ferdinandus & Hispani Monarchæ frater ad maxima natus, expertus; virum summis rebus præfecit. Marium Romanum virum bellatorem, qui virtutis instinctu omnia ardua perrupit, in nostro Heroe conspicies. Marius etsi maximus, qui etsi ignobilis, septies tamen consularibus fascibus, & Cimbricis victoriis clarus; major tamen in hoc seipso quòd adversus aspera toleratu, doloresque acerrimos ita se armârit, ut ingemuerit muliebriter nunquam. Noster Heros multis annis, acerbissimâ calculi carnificinâ conflictatus, nunquam tamen arma demisit. Quanta viri virtus, nunquam succubuisse tam indomito malo? An non acerbissimi dolores in macerrimis corporis partibus? An non in nervos articulosque & quidquid aliud exile est, acerrimè sævit, cùm in arcto vitia concepit? Qui meatus arctiores, quàm vesicæ? quàm renum, quàm uterum? Foris omnia ardua perrupit; domi, in seipso perpetuum hostem, supra patientiam domuit. Hector pro Patria decoro pulvere sordidus vulnera accepit: noster, Hectoris æmulus, cruda juventa ferox, in Martialique audacia tumidus, hostium penetrans aciem, adverso pectore vulnera accepit; non dubitans pro fide in Regem, Patriamque mori. An non illæ cicatrices collatæ vulneribus, visæ sunt promittere viri futuram claritudinem? Julii Cæsaris felicitas stupendâ celeritate stetit: præsens aderat,

Belgium arena & campus magnorum virorum.

Efficacia sermonis in Fontano.

Fontanus virtutis robore promovetur.

Fortissimus adversus morborum continua duella & certamina.

Celeritas Cæsaris in Fontano.

rat, priusquā sentiebatur venire ingentibus decurrebat Provincias itineribus, & præoccupabat famā sui. Noster Heros hac in parte Julio non impar visus. Geldriam 1639. primùm obsessam vallariq; cœptam, per horridas immanesq; pluvias, & ventorū immanes tempestates hoste fuso, fugatoque liberavit. Dein rursus hosti novam obsidionem molienti, & quasi certo suæ spei, subitā & inexpectatā celeritate omnem spem capiendæ urbis ademit. Sterit attonitus hostis, ad famam viri, & signum fugæ dedit; adeo viri, qui sellâ gestatoriâ deferebatur, virtus animosa exercitum perculit hostilem. An nō instar Martis fulminei, adamantinâ tunicâ tectus, curruque aheneo, alatoque vectus, subitò visus adesse? Mirabitur posteritas ingentem exercituum exiguæ manus metu exterritum fuisse: tanti est, exercitus Ducem, esse leonem: tanti est Dux unus forus. Eâdem felici celeritate, anno 1640. Hulstum hostili exercitu circumsessum exiguis copiis instar armigeræ advolantis Aquilæ, non nisi hostibus illatâ clade, servavit. Anno 1631. Auriacum Principem ingenti classe Flandriæ imminentem, noster Heros subitis, festivisque consiliis clarus, Westcappellæ castra metatus, à cervicibus Flandriæ avertit, & moras victoriæ injecit; Marcelli instar, qui primus docuit invictum Hannibalem posse vinci, & victoriarum cursum inhiberi. Sic & Brugas iterum ab hoste tentandas, inauditâ celeritate mœnibus roboravit. Fotis, loricas, vallum, propugnacula struxit, & urbem vinci antè facilem, inexpugnabilem reddidit, & ejus potiundæ, omnes hosti spes ademit. Anno 1633. Hollandus munitionem nomine Stellam Slusis vicinam per fraudem occupârat, ut viam altioribus consiliis aperiret; noster, tumultuariis copiis hostem subactum expulit, locumque sibi vendicavit. Quis memoret anno 1638. hosti, de aggere Calloano triumphanti, & inexpugnabilibus munimentis clauso; clades illatas? Toto Belgio, si unquam, tum temporis trepidatum de supremo exitio. Quis ardor nostrum Heroem cum aliis Ducibus, qui pugnam ardebant, incessit? non aliæ voces auditæ, quàm aut vincendum, aut moriendum. Stimulabat virum dolor inexorabilis, Virgineæ statuæ per sceleratas manus crematæ. Stimulabat & ardor ulciscendi tam barbarum hostem, qui ausus violare regiam Sanctæ Virginis imaginem. Anno 1640. urebat iterum tum dolor Principem Auriacum, tum pudor repulsæ Brugensis, coquebat implacabiles iras; cum validissimis igitur copiis inexpectatus se in Patriam infudit. Ardentem ergo aggredi, noster Heros præoccupat, & suis consiliis eludit. Tunc didicit Belgium consilia, lacertis validis potentiora, pluraque

Quanta viri virtus & celeritas metuenda hosti.

Brugæ nobilissima servata.

Brugæ nobilissima servata.

A ingenio confici, quàm telo. Sic ergo Cæsaris celeritatem ipse æmulatus fuit; ut in uno Fontaine alium Cæsarem spectares; sic Ducem egit, ut ambiguum esset, an fortior miles, vel Imperator fuerit. Idem qui hostibus terrori; suis esset amori, & terrori; rarum in Duce decus; militem suosque, nutu, oculis, exemplo, industriâ, vitâ incorruptâ, & famâ nominis tegere & sustentare. Quanti est horror nominis, & potentia virtutis. O si huic virtuti plenas imperii habenas fortuna permisisset! Ex cineribus Cæsarianis, novum Cæsarem orbis suscitasset. Tanti est rebus dare caput. Hic vir cum Severo Imperatorum propè maximo, podagrâ vehementissime cruciato docuit Imperatorem, non pedibus, non manibus, e-
B gere, sed capite, in quo residet omnis regendi potentia. Quam diversus à Cæsare Cato! quàm dissensit utriusque astrum! In hoc nostro concors utriusque fortuna stetit. Catonem in nostro Heroe spectamus; Cæsaris enim genium vidimus. Audiamus Senecam lib. de constantia sapientis: Cato cum ambitu congressus est, & potentiæ immensa cupiditate: quam totus orbis in tres divisus satiare non poterat (Cæsarem scilicet, Pompeium & Crassum, de quibus Lucanus, *facta tribus Dominis communis Roma*) congressus adversus vitia civitatis degenerantis, & pessum suâ mole sidentis. Sterit solus, & cadentem Rempublicam, quantum modò unâ manu poterat, retinuit, donec abruptus, vel abstra-
C ctus comitem se ruinæ diu sustentatæ dedit. exstincta sunt quæ dividi non poterant; neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Intueberis nostrum Heroem, Catonem in fatali arena Rocroana (Rocroy locus est in finibus Campaniæ cui accessit munitio) distans Marrieburgo 3. leucis, contingens fines Hannoniæ, Luxenburgis, & Namureensis Provinciæ, & luctuoso tandem prostrati Belgii funere, dextra scilicet invicta ante aciem suorum deprælantem, interque cadentium, & fortiter morientium corpora stare erectum; & quamdiu potuit consilio, & voce, & animoso vultu cadentis Belgii fortunam sustentare; qui & tandem telis obrutus, fortunam Belgii irreparabili vulnere procum-
D bentem, secum in ruinam traxit. Maluit ille glorioso mortis triumpho cadere, eoque funerari, quàm hosti supplicanti, ut se dederet, manus dare. Concidit in hoc funesto inconsultoque prælio militiæ fractus vigor, victor Galliæ futurus, si nostri Herois consilio certatum. Exclamo cum Seneca, *Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus: Tanto fortior, quanto felicior. Effugisti casus humanos, livorem, morbum: exiisti ista custodia: non tu dignus malâ fortunâ, Diis, visus es, sed indignus, in quem aliquid mala fortuna posset. Invenisti levi temporis impensa quo modo æternus fieres; ad immortalem*

Catonis invictus animus.

Fortitudo viri, suprema in fortuna.

mortalem Deum moriendo venisti. Nullius rei tantâ inopiâ laborant alta fastigia, quàm ejusmodi heroum. Felix Monarcha cui contigit viri incorrupti bellatrix, & justitiæ tenax virtus. Spectavimus in Catone gentili nostrum, spectemus & eundem Christianũ & religiosum. Catoni, teste Seneca in lib. de constantia sapientis c. 1. toga in foro fuit erepta à rostris usq; ad arcum Fabianum per seditiosæ factionis manus tractus, voces improbas, & sputa, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias pertulit; & quando exemplar sapientis viri dedit? an non cùm se invulnerabilem ostendit, docuitque injuriam posse inferri, sed non accipi? An ingemuit? an indignatus cùm sacrum caput oris purgamentis aspersum? id est, nullâ injuriâ ad Catonem pervenit, stetit suâ solida virtute contentus: est enim omnis injuria, diminutio ejus, in quem incurrit. Nunc accipe nostrum Heroem Catone majorem. Noster Heros non à plebeo, sed magno & potente viro, & alia potente persona contumeliâ atroci percussus fuit, qua fama nisi altior, animus, & labefactari potuisset. Glis cebat indies injuria & vires sermonibus acquirebat, & pronis auribus excepta divulgabatur. Quid agat Fontaine jam exercitus Dux denunciatus? Duello purgare infamiam? Vetat & Deus, & fortuna Ducis. An alienâ manu hostis tollẽdus, vel veneno? Procul à viro bono hæc improba vindicta. Ultio tamen erat in facili, prõptuq;: at omnis ultio rejecta, virtus supra cõtumeliã erectior expugnari non potuit. Quorundã lapidũ duritia inexpugnabilis, inexpugnabilis & hujus viri virtus. In scopulos in altum projectos, incursat violẽtia furentũ undarũ, sed nulla sęvitię suę vestigia relinquũt. Sic & animus hujus Catonis à cõtactu vindictę ita fuit abductus, ut nec vestigiũ vulneris fuerit illatũ. Tangitur Fontaine fortuito morbo, & de supremis deliberat. Periculũ mortis exhibuit vitã sinceram, nõ fictã, non ostentationi paratã. Ecce tibi recursat hostilis injuria, & irreparabilis offensio. Quod ultionis genus molitur? quod suspẽso animo expectas Lector? Decernit ergo nobilissimũ vindictæ genus, extra indignationẽ, & injuriam positus, & supremâ suâ voluntate scribit suũ hostẽ, hæredem sui patrimonii, hostẽ quasi sui sanguinis filium cõplexus. O inauditũ, & novũ pugnandi & vindicandi genus! An nõ hæc victoria, omni potior victoriã, qua nõ hostis, sed animus expugnatur? Placuit cælo vitã tanti viri prorogari, qui sibi restitutus, magnificâ cõdonatione hostiles injurias sepelivit. Hũc heroem ut tãtus esset, sãctissima Virgo educavit, formavit, & ad fortitudinis facinora summa provexit: illa viri continuis obsequiis, cõstanti cultu, & sacris amoribus provocata, ad summos virtutis, & gloriæ gradus deduxit. Visa fuit Virgo cælestibus cum viro certasse favoribus. Visus Fõtaine alter Narses Justini Junioris felicissimus Dux præliorũ & victoriarũ. Hic nõ nisi auspiciis, & cõsiliis Virginis metari castra, cõferre signa, cõferere manus & ferrũ, & deniq; victoriã potiri. Geldria erat liberanda; certabatur sentẽtiis num ferro certandũ? Vicit sententia; periculo super sedendũ. Summo manè dux jubet Deo litari; jubet & Virgini consuetas Litanias persolui: & ecce quasi sacro Virginis afflatu monitus, jubet arma expediri, dariq; signum certamini futuro: aut hostẽ pellendum, aut moriendum. Venit, vidit, & hostem bis fugavit. Hoc pacto sacratissimæ Virginis felicibus auspiciis, sẽper actus suos egregios, sicut exorsus est, ita & iisdem feliciter terminavit. Nunquam Virgo suum cultorem destituit qui novis semper studiis, tactisq; eam arctiùs sibi conciliabat. Duo seligam (plebeia enim, & popularia prætermitto, quamvis nõ plebeium, sed nobile) Rosarium, tanquã tributum quotidie pẽdere, crebrò culpas homologosi diluere; Litanias S. Deiparæ legere, quę viri singularẽ enuntiabant in sacrum illud sidus amorẽ. Brugis in nobili nostro templo S. Francisco Xaverio dicato, voluit primam Aram templi profusis sumptibus, in Virginis gloriã apparari. Jussit ergo exquisita marmora, lapidesque nobiles conquiri, dolari, & artificiosè exornari; & deinde Patribus ad se vocatis, graviter indixit, ne ullas impensas formidarent: Matri enim Dei hoc opus destinari, & quod si regiũ animũ, opes æquarẽt, regias opes in Virginis gloriã, prodigè consumpturum. Nunc pro mea tenuitate, tot testes, & pręcones mei amoris statuã, quot lapides. Hos volo posteritati loqui, testariq;: Fõtein mancipatũ Magnæ Dei Matri, & se beatũ istâ servitute. Aliud accipe non inferioris ordinis quod Antuerpiæ peractũ. Floret in hac urbe nobilissima, nobiles pictores nõ Zeuxe, Polygnoto, Timãte, (qui nõ plus quã quatuor coloribus usi sũt) Apell, Protogene inferiores. Quæsitus ergo studiosè pictorum princeps, qui exquisitis artibus, quã posset curiosissimè amores Fõtein effingeret. Mira viri circũspectio. Priusquã igitur se stipulatione illigaret, voluit sibi de puritate vitæ constare: profanũ enim & nefas cẽsuit, ipsũ puritatis florẽ impuro penicillo violari. Nulla manus, inquit, se jactabit meos amores venereã manu delibatos. Præclarè sanè & dignũ tãto viro elogiũ. Si enim Alexander Magnus à nullo, quã ab Apelle pingi, & à Lysippo fingi volebat, cur Christian. heros Virginẽ castissimã, quã à casta manu pingi patietur? Diva ergo cęlorũ, & terrarũ Domina, Tribunũ, Comitẽ, Gubernatorẽ totius militię per Flandriã Archistrategũ, summũ Brugarũ, & Frãconiæ Prętorẽ: supremũ tormẽtorũ bellicorũ præfectũ: summũ deniq; armorum in Belgio moderatorẽ creavit. Et quia Virginẽ ferventi studio amavit, Marchionibus, Principibus Alberto & Isabellæ, Regibus Philippis III. & IV. charum & amabilem, & admirabilem reddidit.

Qui-

Regum magni inopes à viris magnis probisque.

Catonis status imperturbabilis.

Calumnia probat fortunam.

Ingentis ea omnia victor domicorq; novo pugnandi modo.

Inaudita victoria Fonteiu.

Hostem decernit hæredem.

Consilio B. Virginis hostẽ bis fugavit.

Lectio Rosarii quotidiana.

Nobile altare erectũ, erectio animo.

Noluit pingi Virginẽ, nisi castâ manu.

A B C D

Quicumque (ait Virgo) *glorificaverit me, glorificabo illum: & qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Habes in uno viro vitiis exuto, utriusque fortitudinis, bellicæ scilicet, & religiosæ, pulcherrimum exemplar; illâ de hostibus: hâc de seipso triumphavit. Lector imitare, & dic Heroï: Rexisti casus, nec ullus te rexit; nulla te vis transversum abstulit. Tu in naufragio laudandus, quem obruit mare, clavum tenentem; & obnixum in acie, te militem, & ducem cognovimus. Vicisti & vivens, & moriens: moriens teipsum, vivens hostem: pro tuo rege moriens terram momordisti. Cælo receptus es: cineres placidi quiescant. Te nunc triumphali diademate coronat infinitis triumphis circumflua regina & omnium Domina in cælis, cujus sacrum caput tot coronis quotidianis redimisti in terris, dum te bellantem Flandria spectaret.

VIGESIMÆ SECVNDÆ CONSOCIATIONIS DE IMMENSITATE DEI

PARS PRIMA.

§. I.

Et probatur ex Philosophis, Poëtis, Scriptura sacra & SS. Patribus.

CUM Deus sit infinitus, à nulla creata mente quantus est, potest cō-prehendi: & quia nec à nobis videri potest, quia visu clarior; nec comprehendi, quia tactu purior; nec æstimari, quia sensu major est: ideò eum tùm dignū æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Cùm itaque dicimus infinitum, dicimus ubique esse, nec loco, nec tempore, nec intellectu, nec amore comprehensibilem, propter superessentialem infinitatem. Cùm itaque sit infinitus, necesse est & immensus sit & ubique. Sic Cyprianus 26. *Quòd Idola Dii non sint. Deus unus est, & ubique totus diffusus. Vbique*, id est, per totum mundum, & extra mundum per immensum vacuum; ita tamen ut nec loco, nec terminis, nec finibus, nec Regionibus teneatur inclusus; sed sit super omnem locum, omnes terminos, Regiones, & super omne quod est spatii; qui spatio non eget, sed seipso contentus est, in sua infinitatis essentia residens, fruens omni bono, sicut fuit antequam terra fieret, & abyssi crearentur. Jucundum erit legere, & audire voces sacræ Antiquitatis; uti Divinitatis præsentiam ubique regnantem extulerint, eamque sint humiles veneati. Trismegistus sic ait: *Illum cogita præsentem; semper ita Deus adest, ut nunquam desit; quod est vehementer amantium.* Et alio loco idem: *Neque opus est ut appareat; quandoquidem ipse nunquam defuit, ante oculos quidem reliqua ponit, ipse verò secretiùs manet; omnia enim ipse solus est, ut magnus Præco Paulus clamat: Est omnia in omnibus; omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Ad Hebr. 4. Plinius lib. 2. in principio: *Deus totus est oculus.* Photinius lib. 5. cap. Ænnead. *Deus venit quasi non veniens; apparet enim non-veniens; sed antè super omnia præsens est, priusquam intellectus accesserit.* Plato lib. 10. de legibus: *Singulis*, inquit, *rebus sunt præpositi Principes, qui & actionum passionúmque per singulas etiam universi particulas, distributione ad ultimum usque peractâ curam habeant; ita ut omnia plena sint Deorum.* Ut ille Poëta: *Iovis omnia plena.* Aristoteles primo cæli; *cælum, Dei locum esse*, ex omnium propè consensu docet: *Omnes*, inquit, *qui Deum esse arbitrantur, tam Barbari quam Græci, ipsum supremum locum Deo tribuunt, ut videlicet immortale ad immortale sit accomodatum; quippe cùm alio modo sit impossibile. Si igitur est aliquid Divini, quemadmodum est, cælum colit, sedésque illius reputatur.* Neque enim ut aquæ in vase per æqualitatem; sed potius per manifestissima signa suæ operationis: nullibi enim magis elucet suæ Divinitatis bonitatisque potentia.

Deus ubique est etsi locus nō sit.

Plena omnia Deorū, gentiles dixère.

Plato:

A Plato: *Anima mundi in medio habitat*, id est Deus. Photinus Anead. 6. lib. 9. cap. 6. *Locus illi est nullus*; nullo enim eget fundamento, quasi se sustinere non posset; sanè quod quærit locum, proculdubio est egenum: Deus verò nullius eget: Locus ergo illi tribuendus non est; Deus enim ubique est, & nusquam est; ubique planè, quia nulli loco deest; nusquam, quia nullo loco includitur. Ipse namque supremus existens, subdita habet omnia quæ ad ipsum suspiciunt, ipse intra se æquè per totum quasi perfertur; seipsum amans puram lucem. Deus sibimet exhibet subsistentiam, quia est hoc ipsum quod existit. Simplicius Philosophus: *Deus neque aliquando adest, aliquando abest*; hæc enim corporea sunt, sed ipse semper adest omnibus, ab omnibus segregatus, & prudentia ejus, quia semper ipse ubique est, omnibus rebus infunditur: quemadmodum à lumine solis omnia irradiantur, aliaque vident, aliaque videntur; alia germinant, alia proseminantur; alia albescunt, alia nigrescunt; alia densantur, alia dissolvuntur; unumquodque prout aptum est: dante scilicet Sole cuique suam portionem prout optimum est. Multo magis Deus, qui hunc solem mundo dedit, sine labore, sine distractione omnibus providebit; neque enim vile peculium est homo, ut Deus illum negligere debeat. Epicharmus Pythagoricus: *Nihil Deo clam: omnia videt, nihilque ei impossibile*. Democritus: *Omnia ille auferre, omnia dare potest; Rex omnium solus est*. Xenophon Atheniensis: *Deus magnus poténsque, qui omnibus patet; qualis autem sit forma, nemini patet, nisi sibi soli, qui omnia suâ luce perlustrat.* Menander Comicus: *Deus omnia videt, & propè est*. Quam bene hanc veritatem Gentiles Poëtæ sunt assecuti! Virgilius in primis Ecloga tertia:

Loci egens egenus est.

— Iovis omnia plena.

Deindè Lucanus lib. 4.

Estq́, Dei sedes, nisi terra, & pontus, & æther
Et cælum, & versus superos; quid quærimus ultrà
Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Pulchrè Heraclitus lusit, cùm suos amicos ad humilem domum invitasset; *quia neque huic loco desunt Dii immortales*: ut refert Aristoteles lib. 1. de partib. animal. capite ultimo.

Seneca in Hyppolito; ubi Dei præsentiam cunctis adesse docet ex effectibus suis:

Túque igniferi Rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo,
Cursúsque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas:
Cur tibi tanta est cura, perennes
Agitare vias ætheris alti;
Vt nunc canæ frigora brumæ,
Nunc arbustis redeant umbræ.

Nunc æstivi colla leonis
Cererem magno fervore coquant,
Vires suas temperet annus.

Plautus in Capt.

Et profectò Deus, qui quæ nos
Gerimus audítque & videt.

Et Statius lib. 5. Sylvarum:

— Vidit, qui cuncta suorum
Novit, & inspectis ambit latus omne ministris:
Nec mirum; videt ille ortus obitúsque quid Arctos,
Quid Boreas hybernus agat ferríque togaq́,
Consilia, atque ipsam mentem probat.

Claudet agmen Christianus Boëtius:

Haud sic magni conditor Orbis,
B *Huic ex alto cuncta tuenti*
Nullâ terra mole resistunt,
Quæ sint, quæ fuerint, veniántque.
Vno mentis cernit in ictu,
Quem quia respicit omnia solus,
Verum possit dicere solem.

§. II.

Immensitatis Divinæ probatio ex sacra Scriptura, & sanctis Patribus.

C Audiamus Jeremiam cap. 23. num. 23. *Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus? & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cælum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Et quia cælum & terram implet Deus, Septuaginta, & Theodotius vertunt: *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè.* Ubique ergò quia sum per præsentiam, inspectionem, potentiam; imò & per essentiam, dicor implere omnia essentiali præsentiâ. Non enim potest motus esse sine movente & motore: motum ergò & movens semper simul sunt, 7. Physicorum; ergò Deus verè ubique. Audiamus Magnum D Job, qui Dei præsentiam declarat cap. 11. vers. 7. *Forsitan Dei vestigia comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies? longior terrâ, latior mari, altior cælo, profundior inferno.* In quem locum Gregorius homil. 8. in Ezechielem: *Ipse namque ubique præsens, & vix inveniri potest. Stantem sequimur, & vix inveniri potest: manet intra omnia, & ipse est extra omnia: ipse supra omnia, ipse infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem. sursum regens, deorsum continens: extra circumdans, interius penetrans.* Ergò ubique juxta Gregorium, per potentiam, quia ejus potentiæ subjecta sunt omnia; per præsentiam, quia omnia sunt nuda, & aperta illius conspectibus: per essentiam, quia causa

Quomodo Deus sit ubique.

causa est omnium, undè omnia esse acceperunt. Positis ergo infinitis locis aderit Deus, quia nihil potest esse, nisi per ipsum: & esse ubique, proprium sit Dei omnia continentis, omnia intuentis. Scrutans enim corda, & renes est Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, ut in doctissima Oratione Paulus ad Athenienses dixit: *Non longè est ab unoquoque nostrûm*, Actor. 8. vers. 27. juxta modum loquendi Prophetarum: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. Oculi Domini contemplantur bonos & malos.* vicinior quippè est animæ nostræ, quàm ipsa anima sibi: omnia videt, & à nemine videtur. Quantâ opus est sanctitate stanti, & viventi ob oculos tantæ Majestatis, quam inspectricem testem, & Judicem nostrarum actionum censemus; qui etsi modò sileat, suo tempore clamabit ut parturiens: cùm venerit dies Domini magnus, dies tribulationis. Verùm quomodo Deus sit ubique, difficile est imaginari: non enim est sicuti anima in corpore, est tamen per aliquam similitudinem; non sicut sol per radios suæ lucis, est tamen aliquo modo. Pulchrè hoc disputat Divus Augustinus lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Deo*, inquit, *nullus est latus, aut angustus locus*, quia non minus in angustis, quàm in latis est totus per mũdi partes; partibus suis non est ipse diffusus, omnibusque quæ fecit, operibus adest ineffabiliter, ubique totus, & continet, & implet cælum, inquit. Hieremias & terram, c. 23. v. 24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Alioquin in rebus mutabilibus ordo quidam consilii ac dispositionis, ejus immutabilis non permaneret. Acutè omnia pro suo more; verùm nondum acquiescit intellectus, cùm formã Dei non concipiat, ita nec modum ubique diffusæ præsentiæ potest mente formare. Scimus Deum spiritum, & quomodo ille spiritus sit infinitus, indivisibilis, & simplicissimus sine partitione sui, omnes partes mille mundorũ si forent, impleat, & totus ubique, & nusquã sit ullâ essentiæ parte circumscriptus, non capimus. Augustinus itaq; Epist. 57. ad Dardanum de Dei præsentia sic ait, in libro Sapientiæ capite 8. *Dei sapientia attingit à fine usque in finem propter suam munditiam, nihil inquinatum incurrit in eam.* Cùm dicitur Deus ubique diffusus, carnali non est cogitationi insistendum, ne quasi spatiosâ magnitudine Deũ per cuncta diffundi putes ut humus, humor aut aër, aut lux ista nostra diffunditur: omnis enim ejusmodi magnitudo minor est in sua parte; sed ita potiùs sicuti est magna sapientia etiam in homine, cujus corpus est parvum: & si duo sint sapientes, quorum sit alter corpore grandior, nec neuter sapiẽtior; non est illa in majori, major; minor in minore, aut minor in uno quàm in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo, & tanta in unoquoque, quanta in utroque. *Ergo Deus*

Adest omnibus suis operibus.

Difficile concipere quomodo sit ubiq; Deus.

A *per cuncta diffusus, non ut sit qualitas mundi vel quantitas; sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, sine labore continens mundum; non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in medio corpore mundi sit dimidius, & in altero dimidio dimidius, atque ita totus per totum; sed in cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo, terra solus totus, & in nullo contentus loco; sed in ipso ubique totus.* Hæc Augustinus. Est ergo ubique totus, & intimè existit, & inest rebus omnibus perfectiùs, quàm res sint in seipsis, quamvis per excellentiam naturæ sit super omnia; ut tamen est prima causa rerum omnium, & omnibus suum esse non solùm communicat, verùm etiam illorum esse necessariò conservat; atque ideò conservatio
B rerum creatarum est quodammodò continua nova creatio, per quam ut res habent esse, ita ut illud esse conservetur, necesse est ut Deus intimè rerum essentiæ adsit: qui nisi adesset, subitò interirent, & in nihilum redigerentur. Ut autem illa essentia conservetur, necessariò intimæ rerum essentiæ ut subsistant, debet adesse. Intimè ergo Deus est in animâ, & animæ arctiùs unitur in sui conservatione, quàm ipsa anima sibi. Quod præclarè Anselmus in Menologio capite 21. propè finem probat, cùm ait: *Sed quia aliquid sine eâ (essentiâ scilicet) neque usquam, neque unquam est, necesse est illam esse ubique & semper.* Et Damascenus lib. de fide cap. 16. *Ipse enim*
C *citra ullam permixtionem omnia permeat, rebusq; omnibus efficacitatem impertit.* Et quid profectò clamat aliud Isaias 26. vers. 12. *Omnia opera Domine operatus es in nobis.* Non tamen quia operatur omnia in omnibus, dicimus esse ubique, nec habere scientiam rerum, quia omnibus rebus præsens: non enim operatio est fundamentum præsentiæ, nec præsentia ratio cognoscendi omnia, quamvis rectè dicatur esse in omnibus si in omnibus operetur, & omnia cognoscere, quia præsens est. Verùm ejus immensitas est fundamentũ utriusque, quâ omnia penetrat substãtiâ suâ, & res omnes attingit, ex operatione tamẽ, & potentiâ immensitatem probari videmus. Deus ergo omnia cognoscit, & operatur,
D quia in rebus intimè est & existit, & ita intimè, ut in illis non teneatur, juxta Isidorum de summo bono l. 1. c. 2. his verbis: *Immensitas Divinæ magnitudinis ista est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum, extra omnia, sed non exclusum, & ideò interiorem, ut omnia contineat; ideò exteriorem, ut incircumscriptâ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat.* Per id ergo quod exterior est, ostenditur esse creator; per id quod interior, omnia gubernare demonstratur. Quod uno verbo dixit Philo de confusione linguarum: *Deus omnia implet non contentus, sed continens.*

Ubiq; Deus totus est.

Immensitas est ratio scientiæ divinæ, atque ejus præsentiæ.

§. III.

§. III.

Quomodo omnia Deus implet. Implet substantiali existentiâ.

Videamus quomodo omnia implet per suam existentiam in rebus. Quid est existentia in rebus? nisi propriè substantialis quædam præsentia, quæ absque ulla loci præsentia intelligi potest? locus enim quâcumq; ratione sumitur, sine distantia aliqua esse nequit, atque ideò si non sunt corpora, locus nullâ ratione esse, nec intelligi poterit. In omnibus ergo rebus etiam spiritualibus est Deus suâ immensitate, non locali præsentiâ; quia Angeli secundùm se nullam habent distantiam, sed sunt substantiali existentiâ. Ergo Deus in rebus à præsentia locali separari potest. Hinc fit ut primaria Dei existētia in rebus sit substantialis. Et quia corpora sunt alicubi ratione suæ quantitatis; ipse quoque in illis secundariè in loco esse dicitur, dans omnibus rebus esse, virtutem locativam & operationem. Deinde & esse dicitur sicut locatum; quia omnia implet Deus, sicut locatum suâ circumferentiam, quod accepit esse à Deo, quo repleat locum. Hinc D. Thom. q. 8. a. 2. dixit, Deum esse ubique, sicut virtus loci dicitur esse in loco, & sicut locatum. Hinc illæ sententiæ Veterum: Deus nusquam est, & tamen ubique est. Et Augustinus serm. 8. de verbis Domini, *Deum nullo loco contineri.* Et libro de essentia Divinitatis in principio, *Deum esse illocalem.* Et Basilius, *Deum non esse in aliquo loco.* Sciebant illi Patres scientiam Dei omnibus præsentem, sed negant in loco quasi aliquâ superficie circumscribi. Et Augustinus Epist. 57. *Fatendum est Deum ubique esse per Divinitatis præsentiam, sed non ubiq; per habitationis gratiam.* Propter hâc habitationis gratiam dicimus: *Pater noster qui es in cælis.* Ut templum ejus in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus, & in quantum sumus, in tantum ad ejus societatē, & adoptionis familiam pertinemus. Pulchrè & ad mores objici posset, quomodo Deus sit ubique totus, cùm crebrò in sacra Scriptura dicatur longè abesse, propè esse; longè à renibus eorum, in medio populi habitare: deindè *Cor meum erit ibi cunctis diebus.* Et contrà: *Non veniet in consilium eorum anima mea.* Deindè cùm dicitur *Deus, ibi est,* & contrà cùm dicitur, *Deus ibi non est*; quomodo ergò totus? Prætereà dicitur homo deseri à Deo, & iterum dicitur venire ad hominem, & mansionem apud eum facere. Huc accedunt istæ locutiones: *Dominus non est mecum, & Dominus tecum est fortissime virorum*, Judic. 6. v. 13. cui occurrit Gedeon: *Si Dominus nobiscum, cur apprehenderunt hæc nos omnia,* mala scilicet. Huic quæstioni respondet Divus Aug. serm. in mōte: *Deus quomodo sit ubiq; totus, dicis? quando in aliis est amplius, in aliis minus? sanè ideò ubique est totus, quia nulli parti rerum absens est: ideò totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æqualem æqualibus, minori verò minorem; sed cuilibet parti totus pariter adest. Hique longè ab eo esse dicuntur, qui peccando dissimillimi facti sunt; & hi ei appropinquare, qui ejus similitudinem piè vivendo recipiunt.* Itaque Deus ubique est, quia nusquam est absens: in seipso autem totus, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquam sine eis esse non posset; neque enim ad habitandum dividit se per hominum corda, sicut lux ista per aditus & fenestras domorum; sed potiùs sicuti sonus, quem surdus non capit, surdaster non totum, acutus autē percipit: undè tantò magis alius alio capit, quantò est acutioris auditus: & tantò minus, quantò obtusioris est auditus; cùm ille non variè minusque insonet, sed in eo loco, in quo sunt, omnibus æqualiter præsto sit: sic adest omnibus Deus, ut omnibus insit, & quantum quisque velit, & quantum se disponit, ut capere possit, & quamvis capere nolit, non ideò exit ejus potestate, sed ejus potestate tenetur: Justitia tenetur, ubi misericordia repulsa est. Adest ut Judex terribilis, qui poterat adesse ut Pater, & quem noluisti amicū, reddidisti tibi inimicum: necesse est ergo incidas in manus Domini, quia ubique præsens est. *Quò enim ibo à spiritu tuo?* (ait David Psal. 138.) *& quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in in infernum, ades. Si sumpsero pennas diluculò, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet, & tenebit me dextra tua, &c. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.* Verè terribiliter magnificatus, quia ubique totus, nullus effugii locus. Et ideò Propheta sumit sibi pennas auroræ. Et quare dat pennas auroræ, quibus nihil velocius? istis enim alis aurora repentè ab ortu devolat ad occasum, unoque momento pervadit usque ad extremum occasum. *Pennæ auroræ citissimus per universum decursus.* Si igitur hâc pernicitate utar, ut declinem aspectum tuum, nihil profecero. Et quid profecero? quid? planè nihil. Tantum abest, ut effugiam, ut illuc manus tua deducat me, & teneat me dextera tua.

Deus non locali præsentiâ adest rebus.

Quomodo sit ubique Deus, & non sit.

Quibus Deus propinquus & à quibus remotus.

Tantum Dei capis, quantum vis.

§ IV.

Quomodo sit ubique totus, nec à se diversus.

In prima parte de Dei Immensitate.

In secunda parte quomodo locus tribuitur Deo.

In tertia de 5. modis, quibus Deus dicitur in aliquo loco.

Infinitum & immensum loci, & temporis expers.

ANtequam aggrediamur titulum, nonnulla ratiocinatio est præmittenda. Id quod immensum est & infinitum, habere durationem, nec agnoscere locum; an non ideo, quia omnem loci, & temporis mensuram exhaurit? an non Deus qui est sua immensitas, & sua sibi infinitudo, est futuris ulterior? præteritis prior? an non omnibus unus præsens? tempora sine tempore condens? nullo spatio contentus locorum, qui omni loco, sicut ævo omni prior? ita naturaliter est Deus immensus & ubique totus, sicut sempiternus. Hoc præclarè Photinus intellexit lib. 5. Ænead. 6. cap. 4. *Id omni natura insitum* (inquit) *ut simul esse Deum existimat, etiam esse ubique totum arbitretur.* Si sit ergo immensus, quis locus occupabit, aut definiet infinitam immensitatem, quâ ubique totus est sine loco? Quocumque ergo te flexeris, videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet. *Spiritus enim Domini* (Sapientię 1.) *replevit Orbem terrarum.* Et quomodo implevit? Docebit hoc Philo Judæus lib. 2. Allegoriarum: *Omnia implevit Deus, ac per omnia penetravit, neque se vacuum, quidquam ac destitutum relinquit.* Et quem locum quis occupabit, in quo non est Deus? An non ideo Paulus Act. 17. *Non longe est*, inquit, *ab unoquoque nostrûm.* Qui minimè aspectabilis, aspicit omnia: non comprehensus, comprehendit omnia: & cùm nullo egeat, eo indigent omnia, ac per eum existunt. Acutè Augustinus Epist. 37. *Substantialiter ubique est diffusus Deus: & ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam; sed non ubique per inhabitationis gratiam dicimus.* Ideò autem ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est: *sed non solum universitati creaturæ; verùm etiam cuilibet parti totus pariter adest. Vbique ergo totus est, & nullo includitur loco.* Est ubique totus substantialiter, & potentialiter necessitate entis creati; nihil enim est, ubi ipse non est: ubique ergo est: nam si aliquando esset in cælo, & non in mundo? tunc ibi tantum aliquid est, ubi ipse est: alibi autem nihil; ubi enim Deus non

Ex quo fûit oriatur immensitas.

Deus omni parti & minimæ totus adest.

Si Deus quodam loco abesset, ibi nihil esset.

A est, ibi nihil est. Et sanè quid est sine Deo, sine quo factum est nihil? & si quid per ipsum factum est, sine illo quod factum est, non potest subsistere, nisi factoris intima præsentia; ut clarè docet Anselmus in Monolog. cap. 12. sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem potentiam: ita nihil viget nisi per ejusdem servatricem potentiam. Hæc de primâ parte.

Nunc de secunda parte, in qua oritur alia quæstio, cùm Deus sit ubique totus, nec aliter à seipso diversus esse possit, quomodo sancti Prophetæ vocant eum locum munitum? David Psal. 70. *Eris mihi in locum munitum.* Et Psalm. 3. *Locus spatiosus.* Et Psalm. 102. *Locus dominationis.* Deinde Dei locus cu-

Cur Deus singulariter dicitur esse in quibusdã locis.

B riosè ab Job quæritur. *Quis locus intelligentiæ ejus?* Et Isaiæ ultimo dicitur: *Cælum mihi sedes est.* Et in Exod. *Terra sancta* vocatur locus ubi Deus erat, Exod. 3. Nos sanè sumus locus Dei, quatenus suam in nobis testatam vult bonitatis magnificentiam, & habitando, & tuendo, & magnificando. Deus verò locus noster est, quatenus est quies, & centrum nostrum. Et qui primò erat metus fugæ, factus est locus refugii, locus munitus; quid munitius? cum ad illum confugeris Dic mihi quos adversarios formidabis? Psal. 30. vocatur locus spatiosus: *Et statuisti in loco spatioso pedes meos:* locus planè charitatis latitudine dilatatus, quem tribulationis multitudo, insidiarum acerbitas angustum facere

C non valet. Quamobrem Psalm. 118. ait: *Et ambulabam in latitudine. Mens polluta*, inquit Hilarius, *hospitio Deum non recipit. Patulum enim domicilium inconceptibili Deo opus est, ideò in amplitudine ambulat Propheta, quia in se loquentis habitatio est.* Peccatis arctatur in nobis animi amplitudo; ac omnia, difficilia & angusta sunt, cum Divini verbi habitatione sumus indigni. Latum ambulat, qué affectus carnis non ligat; spatiatur, quem rerum sarcinę non coarctant; ambulat in latitudine, id est, charitate, cujus cor dilatatum est ad Deum & proximum; ambulat in latitudine, cujus cor tanquam aureum Salomonis solium dilatatur, ut ibi resideat Pater, Filius, & Spiritus sanctus, juxta Levitici cap. 26.

Qualis locus est Deo dignus.

D *Quoniam inhabitabo in illis, & ero illorum Deus, & ipsi mihi populus.* Cordis dilatatio, Justitiæ est delectatio; hoc est munus Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustiemur; sed dilectione, & dilatatione Justitiæ dilatemur. Locus dominis, Psalm. 102. *Benedicite Dominum omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus.* Locus ergo Dei est, cui ipse dominatur, in quo benedicitur & magnificatur. *Ne ergo dixeris*, inquit, Augustinus, *Non possum benedicere Dominum in Oriente, quia ad Occidentem profectus est; quia ubique est, ut ubique benedicatur; & undique est, ut illi undique jubiletur. Sic autem undique benedicitur, ut ubique bene vivatur.* Moyses terram sanctam appellat locum sanctũ, ut ait Origenes hom. 5. in Jesu Nave

Exuendus animalis affectus ut sis Deo dignus.

Nave *propter Domini præsentiam, qui locum sanctificavit. Sic etiam nos per Dei præsentiam locus ejus efficimur, si soluamus à pedibus animæ nostræ, vinculum peccati mortalis annexum.* Isti sunt pedes, quos lavit Iesus; quos nisi laverit, non habebimus partem cum eo. Dicitur Moysi: *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Exod. 13. Habebat quippè calceamenta de pellibus mortuis, & erat veluti quâdam mortalitate constrictus. Jubetur ergo indicia mortalitatis abjicere, quæ in calceamentis pelliceis designantur, bestiarum scilicet affectibus; & tunc immortalibus ministeriis ministrare. Imperatur & Apostolis sine calceamentis incedere; quatenus ipsorum pedes, qui currebant ad pacem nuntiandam, omni carerent mortalitatis indicio. Volebat enim illos Christus liberos nudosque ab affectibus terrenis. Itaque dicuntur mortalitatis calceamenta deponenda ei, qui locus Dei effici cupit. Dei locus à Job solicitè quæritur, nec invenitur, cap. 28. *Quis locus intelligentiæ ejus? non invenitur in terrâ suaviter viventium, hoc est, eorum,* inquit Hieronymus, *qui nullo jugo disciplinæ tenentur. Locus sapientiæ est anima justi; juxta* Isaiam: *Cælum mihi, ut dictum, sedes est.* Isa. 66 quæ cælo comparatur. Unde Basilius ad Maximum Theologorum Principem Gregorium: *Dei habitatio est.* Insidet quippè Deus in memoria nostra, templumque sibi efficit, cùm anima perturbationibus intellectus, tumultibusque curarum humanarum vacua est. Si ergo nos præsentiâ Divinâ dignos reddiderimus; Deum præsentem habebimus. Cælum ergo & terram implet Deus: cælum, quia sedes; terram, quia scabellum pedum ejus. Isaiæ cap. 66. & cęlum metitur palmo, & terram pugillo concludit, Isa. cap. 40. quia ipse nimirum interior & exterior, ipse inferior & superior: regendo superior, portando inferior: replendo autem interior, circumdando exterior. Sic antè est intus, ut portet; sic præsidet, ut portet; sic portat, ut præsideat; sic verè circumdat, ut penetret: & cùm tam magnus sit & immensus, sine magnitudine magnus, & immensus sine immensitate. Deinde per hoc quod interior es, ô magne & immense Deus! ostenderis esse creator: per id verò quod exterior es, omnia regere & gubernare demonstraris. Ac ne quæ creata sunt, sine te essent, tu intra omnia es: verùm ne extra te essent, tu exterior es: ut omnia concludantur à te, non locali magnitudine, sed potentiali pręsentiâ, quia ubique es præsens, & omnia tibi præsentia. Et quomodo teneri posset locali magnitudine, qui antequam locus erat, in seipso florebat; & erat sibi locus, & antequam mundus esset, erat sibi mundus. Ne igitur persuaseris Deū ab uno loco ad alium transire, cùm legis aut audis Deum ascendere & descendere, sicut cùm legitur: ambulare super pennas ventorum 103. Psalm. descendit, Genes. 21.

Anima justi sedes sapientiæ.

A Scripturâ referente: ut videret turrim Babylonicam, quam ædificabant filii Adam. Hoc enim humano more scribitur. Quis enim ignorat eum, qui descendit, locum mutare, alium occupando? indignum hoc est de incorporeâ, & ubique totâ sentire substantiâ; sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur, & singulari providentiâ suos tueri, & res Maternâ charitate complecti. Hinc dicitur festinare, obviàm venire, dextram porrigere, quamvis Dei sapientia ubique tota semper præsto sit. Quando autem dicitur, cælum Deo sedes est, cælum solium, vel domus Dei, non significari cæli condendi necessitatem, ad Dei habitaculum, domicilium, vel aulam suæ Majestati necessariam, quæ minimè circumscripta est, ac nullâ re indiget; sed ne ad illius amplitudinem substantiæ, & incorruptam essentiam respicientes, Deū ipsum, aut honore parem esse Deo suspicemur. Deinde dicitur cælum, solium; & terra, scabellum, & Deo cælum tributum, & terra hominibus, ut sublimitas illius ac magnificentia, & hominum humilitas & abjectio ex usu loquendi significaretur. In cælo prętereà dicimus habitare, non quasi circumscriptum in loco; sed veluti lætantem ibidem cælestibus virtutibus, quę cælos incolunt; nempe quod illic Magnum numen suum Palatium, suū capitolium habeat, in quo versantur regni sui Principes, proceres aulæ, & omnes beatæ animę, & infiniti Dei clarâ cognitione perfruuntur. An non in cęlo major est cognitio summę Majestatis, & essentia in Angelis atque beatis animabus, quàm in terra; ibi enim videbitur facie ad faciem sicuti est, & manifestabit se immensitas Dei cum infinitudine omnium bonorum; & omnium animas replebit omnis voluptatis Oceano, qui in se continet infinitum Oceanum infiniti & immensi boni. Deinde cælum dicitur sedes & solium Dei, ibi & dicitur habitare; qui tamen ubique habitat, quia locus est ibi ęternæ pacis, locus æternæ victoriæ, ubi est æternum sabbathum; & Deus in omnibus ibi habitantibus, tanquam in sede, & solio Regio residet, & habitat in suis electis. Terra autem dicitur scabellum Dei, tanquam sit locus inferioris notæ & imparis dignitatis, in quo nondum pacis securæ bonum concessum; sed militandum Deo, ut adoratores homines terra possideat; sicut cælum suos adoratores Angelos; & cognoscatur, Deo cælum terramque repleri. Hoc pręclarè docet Nazianzenus Oration. 9. *Homines, inquit, in eum finem creati sunt, postquam Angeli ut non cælestibus tantummodo domiciliis Dei adoratio circumscriberetur: sed essent inferiores quidam adoratores; ut implerentur omnes gloriâ Dei; quoniam ipso Deo repleta sunt omnia. Ob id creatus est homo divinâ manu & imagine decoratus.* Cui sancto Patri hoc addidero, ut scabellum pedum veneretur homo, ut Ange-

lus

lus solium adorat Dei, qui etsi in utroque pari resideat substantiali potentiâ majestatis, non tamen aspectabili gloriæ suę manifestatione. An non tantam discrepantemque dissimilitudinem & varietatem causat conditio inæqualis status, militâtis & victoris, viatoris & possessoris? Hic in specie: alter in fide Deum videt donec finito peregrinationis tempore detur visio Dei in mercede contemplationis, ad quam non pervenitur, nisi laborioso opere actionis.

Ad tertiam veniamus partem de modis existentiæ divinæ in rebus. Ad horum intelligentiam, necesse est ex Theologorum scholâ proferre in medium quinque modos existentiæ Divinæ in rebus creatis:

Primus modus, per essentiam, quia ejus substantia non est loco dissita; sed rebus conjuncta, sive ratione sui, sive ratione operationis. Hoc modo Rex non dicitur esse in toto regno, nec in tota domo; in quibus tamen dicitur aliquo modo esse; sed in ea parte est, ubi sedet, adstat; licet per synecdochem dicatur esse in tota domo, regnoque. Deus autem, qui sua est immensitas, in toto universo, & singulis ejus partibus intimè est per essentiam; uti dictum est.

Secundus modus, per præsentiam ubique est, vel omnia ei præsentia sunt, vel ipso præsente sunt, & conservantur; quod omnia sciat, & cognoscat. Sicut Rex cum spectaculis publicis adest, præsens esse dicitur iis, qui sunt in foro, & iis quę in ipsius præsentia, vel coram ipso peraguntur; quo pacto non potest esse præsens omnibus, quæ fiunt in regno. Deus autem, quia ejus scientia est infinita, omnibus rebus præsens est. Distinguitur autem à primo modo, quia licet substantia ipsius non esset intima rebus omnibus, nec circa omnes operaretur, si tamen esset scientia infinita, cognitione omnibus rebus præsens esse diceretur.

Tertius modus est: Deus præsens per potentiam in toto universo, quia ad omnia pertingit ejus operatio, sicut Rex in toto suo regno dicitur esse, quia per totum operatio ipsius, saltem per ministros suos se diffundit. Quocirca perfectus est Deus in toto univer- A so, cùm ipse proximè res omnes efficacitate suâ producat, & conservet; & hoc pacto ubique esset, nisi primus modus non esset, si in omnibus operaretur suâ potentiâ, quia operatio illius omnia permearet.

Quartus modus erit, quo dicitur esse in creatura rationali, ut cognitum in cognoscente, sicut in templo, in quo colitur. Est autem hoc modo, generali quâdam ratione in quocumque cognoscente, & ipsum colente; peculiariter verò per dona gratiæ dicitur esse. Et hic modus solâ cognitione, affectu, aut habitu hominem Deo conjungit tanquam regulæ; cùm dicimur justi: vel tanquam amici, cùm dicimur dilecti, & ideò sancti, & B immaculati. Hic autem effectus totus est in affectu, vel per respectum ad ipsum inter absentes, vel secundùm substantiam.

Quintus modus Existentiæ Dei in rebus est, quo Verbum in assumpta humanitate existit. Ea verò unio talis est, ut si Deus suâ immensitate in humanitate non existeret per essentiam, ratione illius esset: hic autem modus includit humanę naturæ sustentationem, ratione cujus in ea Verbum Divinum est directè & per se, & ex vi unionis; reliquæ verò personæ duæ comitantur ratione necessariç cōnexionis cum Verbo. Qui modus existentiæ in humana natura ut est admirabilis, sic inexplicabilis.

C Nobilissimus ergo modus existentiæ Divinæ est, quando in omnia per gratiam & amorem existit, ut Augustinus docet Epist. 57. ad Dardanum: *Fatendum ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc habitationis gratiam dicimus: Pater noster qui es in cælis. Per hanc gratiam efficimur templum Dei, & in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem, & adoptionis familiam pertinemus.* Si enim populus Dei nondum factus æqualis Angelis, adhuc in ista peregrinatione dicitur templum ejus, quantò magis templum ejus in cælis, ubi est populus Angelorum, quibus aggregandi sumus. Qui igitur per dona Spiritus sancti, sancti sunt, per inhabitantem Spiritum sanctum Deo appropinquant, qui similitudinem ejus vivendo recipiunt.

Nobilissimus modus existentiæ divinæ.

ALTE-

ALTERA PARS
XXII. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De immensitate Virginis; Virginem esse ubique.

Immensitas nulla creata vi potest explicari.

PICTORUM instar qui maximos maris anfractus, terrarumq; vastissima spatia; maxima denique regna suis coloribus in exigua tabella repræsentant; nos humi repentes conari sumus per umbram, quasi in punctum immensitatem magni & incomprehensibilis Dei redactam, cõtrahere & ex vestigiis operum ob oculos ponere, & umbratili calamo infinitum Deum depingere; & postquam omnia dixerimus, planè dixerimus nihil. Quomodo enim umbra infinitum & inexhaustum ens repræsentabit? Cùm itaque Deus propter infinitatem naturæ sit immensus; ita & propter immensitatem infinitam est ubique: & quemadmodum nulli creaturæ convenire potest, ut essentiæ magnitudine sit infinitè immensa; ita nec pari modo ut sit ubique: omnes enim creaturę Deo comparatæ sunt quasi momentum stateræ, & quasi nihil. Arduum itaque erit hanc Consociat. partem formare. Esto beatam Virginem omnes creaturas infinitis spatiis antecellere atque præcedere? Esto sit illa instar oceani? At quâ parte sui, Deo comparari potest? Quid enim magnum Magno Deo, cui nihil magnum quidquid de Deo conceperis? cui quidquid comparaveris, parvum est? Esto hoc ita se habeat; nihilominus tamen quem Deus voluerit honorare, magnus est æstimandus, & verè magnus compellandus, quem Deus sibi in societatem gloriæ gratis advocarit; magnus verè is est & maximus, qui Deo maximus, & quem Deus eligit in jus, & partem regnandi; cui Deus jubet omnes adgeniculari & substerni, cui vicariam committit Imperii administrationem, cui suos titulos quantùm natura patitur, communicat. Procedet ergò hęc Consociationis pars in favorem Virginis, quantùm vires humanæ naturæ patiuntur, & quantùm Divinæ essentiæ immensitas, cujus particeps Virgo esse non potest, immensitatis communicaverit. Dicimus ergò eam in suo genere esse immensam, & ubique esse; non tamen sicut Deus per essentiam est, suámque substantiam: qui est primus modus, quo ubique est Deus; est

Quo modo Virgo potest dici esse ubique.

A tamen ubique secundo modo, quo Deus ubiq; per præsentiam, non ratione sui ut Deus, sed suę operationis; sicut Rex adest spectaculis publicis, sicut dicitur is præsens iis qui sunt in foro, & iis quę in ejus præsentia fiunt, instar solis qui suis flammarum oculis omnia collustrat, omnia illuminat; *nec est qui se abscondat à calore ejus.* Et Virgo quidem etsi non habeat scientiam infinitam Dei, qui est sua scientia infinita, quâ rebus omnibus præsens; habet tamen beatissima Virgo tam immensam scientiam visionis in Verbo, & majorem quàm necessaria est, ut ad omnium creaturarum gubernationem sese coëxtendat, circa

Secũdus & tertius existendi modus SS. Virgini convenit.

B omnes operetur, easque dirigat non aliter, quàm si præsens ubique foret. Deindè beatissimæ Virginis immensitas Divinæ existentię in creaturis tertio modo persimilis videtur: sicut enim Divinę existentię operatio ad omnia pertingit; ita & Virginis. Dei operatio, ex vi essentię Divinę; Virginis, ex immensitate gratię collatę producitur. Sicuti Rex in toto suo regno dicitur esse, quia per totum operatio ejus sese extendit sive per se, sive per ministros: sic & beatissima Virgo dicitur esse per omnia regnorum suorum spatia sive per se, sive per ministros Angelos efficacitate suę

Operatione sua est ubique SS. Virgo.

C potentię, qua suos conservat, & impetrat in eis effectus gratię, & dona Spiritus sancti; nõ eo modo, per preces, per intercessionem, quo alii Sãcti; sed dignitate, & merito, & jure imperandi, & Filii sui supremâ voluntate, quâ Matri vult studetque in omnibus gratificari, quantum dignitas ejus & magnificentia deposcit. Quemadmodum Sol Orbis oculus, fons lucis & claritatis, pater omnium, qui totum universum per cæli terræq; remotissima radios fœcũditatis plenos dispergit, omnibus dominatur, omnibus vitam, vires, affluxum,

Sol ad omnium concentum dis se suis radiis & calore.

D qualitatẽ, & rebus vegetantes lætosq; sensus dulcibus arcanisque alimentis inspirat, & in cælo consistens quà Oriens, quà Occidens ubiq; regnat; ita Virgo per universum dispergit radios ubertatis, omnibus dominatur, omnibus vitam, vires, affluxum gratiarũ, arcanis cogitationibus inspirat; & quidem excellentiori modo etsi in cælo cõsistens, Angelis atq; hominibus sua dona, dona vitę, dona gratiarum quę filii sunt dona, tanquã Mater Magni Regis

Regis ubique regnans, impertit & transmittit. Liceat res modicas vilesque summis rebus comparare. An non panthera; an nō cete oceani beluę regnatrices, an non magnes lōgè lateq; suas vires, & odores exspirāt, & per arcana vires quasi amatorias, quas emittunt ad longa spatia, feras, pisces, ferrumq; demulcent trahuntque? Sic Virtus Divina Virginis, occultis mirisque modis permeat pervaditq; omnium mentes, quę priusquā sentiant, dulci afflatu mutantur, & mutatæ in Filii sui transeunt potestaté. Virginis regnum, & regnādi spatia sunt cælum, terra, homines & Angeli; nihil ergò est quod nō sentiat tantæ Virginis Majestatem. Et sanè necesse est, si Reginam cæli terræque compellamus; regnandi jus, & potentiam ubique extendere. An non Reginam Angelorum Virginem esse, totus Orbis acclamat? August. serm. de Assumptione: *Si Reginam vocitem, verè esse comprobaris.* Et Anselmus l. 4. de fide Orthodoxâ c. 15. *Verè,* inquit, *rerum omnium conditarum Domina effecta est.* Pulchrè Niceta, qui ex Saraceno Virginis hoste factus est ejus cultor acerrimus: *Sanctā præterea,* inquit, *Virginem quam Dominā & Reginam omnes creaturæ adorant; ego veneror.* Et sanè cur non esset Domina omnium, cùm per illam omnes creaturæ in novum statum à sua collapsione sunt restitutæ, ut præclarè docet Anselmus de Excellentia Virginis c. 11. Sicut Deus potētiā suā cuncta creando Pater est, ac Dominus omnium: ita beatissima Virgo suis meritis cuncta reparādo Mater est, ac Domina rerū omniū. Deus est Dominus omnium in sua propria natura, justitiæ singula constituendo: Maria est Domina rerum omnium, singula quæque congenitæ dignitati, per eam quam meruit gratiam, restituēdo. Sicut enim oppressâ libertate, eâque per tyrānos ereptâ per liberatorem & Vindicem libertatis, Respublica reflorescit, ut de Cicerone celebratur, quem Roma, ut dicitur, Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit, qui eam à servitute imminente vindicarat: sic Virginem, Matrē Orbis dicimus & nominamus, quia Orbem servitute dæmonis, & peccati catenis, captivum constrictumque liberavit. Benè Damascenus orat. 1. de Assumptione: *Hæc profuit omni creaturæ, quam veluti coëmptam à servitute in libertatem asseruit.* Dicimus ergò regnum Virginis, emptione & donatione paratum. Lege *Princeps* §. de ff. Princeps legibus subditus non est: Augusta autem licet subdita; Princeps tamen eadem privilegia tribuit, quę ipse habet. An non solum coëmptione & donatione, sed jure naturę Domina & Regina est omnium creaturarum? Et profectò si Filium, Dominum, & Regem esse credimus & dicimus, cur non Matrem? An non Rex est, qui ex Virgine natus? cur non propriè & verè Matrem, Reginam, & Dominam vocē? Dignè Damascenus de Virgine l. 4. de fide Orthodoxâ c. 108. *Maria rerum omnium conditarum Domina effecta est, cùm Creatoris Mater ex-*

Quæ spatia regni Virginei.

Totus orbis & cælum, regna sunt Virginis, quia regina omnium.

S. Virgo est Domina emptione & donatione.

A *stitit.* Et Rupertus Canticorum 4. *Hæc in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina regnorum est, quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super omnia opera manuum suarum:* ac proindè Virgo Regina constituta, totum Filii sui regnum jure possidet. Si jure possidet regnum Filii: ergò administratio regni ad Matrem pariter spectat. An non Aristoteles l. 8. Ethic. c. 11. de Patriâ potestate sic loquitur: *Amicitia Paterna magnitudine beneficiorum sic differt; est enim causa essendi Pater, quod maximum esse beneficium, certum est, & enutritionis, & eruditionis. Unde natura Pater imperiū filiorum obtinet: hac autem amicitiâ in excellentia*
B *consistit, & proptereà ipsi honorantur Parentes. Iustum igitur in his non est, sed quod efflagitat dignitas; & benè: nam Pater, non semper Filio est superior, etiamsi Filius summis honoribus crescat, & ideò dignitas & honor Filii semper in Patrem redundat, cùm non sint diversæ personæ; sed pro uno reputentur, & ideò inter Patrem & Filium non intercedit justum, quia non diversi censentur: æqualitas autem & inæqualitas non subsistit nisi inter diversa, non ejusdem ad seipsum.* Cùm ergò pro uno reputentur, bonorum ergò communio, & honorum, & titulorū Patri Filioque naturaliter obveniunt, ac proindè parentem Regis, Regem esse. Quod & Aristoteles eo-
C dem l. c. 10. docet: *Societas,* inquit, *Patris ad Filios regni præsefert effigiem, nati námque Patri sunt curæ.* Cùm ergò Christus Dei Filius naturaliter, non electione, non emptione, non meritis, quamvis etiā meritis esse possit, verè sit Dominus, Rex omnium; juxta Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex super montem Sion:* necesse est & Matrem jure naturæ esse Reginam, & Imperatricem rerum omnium. Quod luculentissimè probat Arnoldus Carnotēsis, cùm ait: *Nec à dominatione, vel potentia Filii Mater potuit esse sejuncta.* Una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus, una charitas; ex eo quo dictum est: *Dominus tecum,* inseparabiliter perseveravit promissum & donum. Et
D Filii tàm gloriam quàm Matris, non tàm cōmunem quàm eandem dico; quemadmodū Prov. 8. Sapientia Divina suam potentiā deprædicat, dum ait: *Per me Reges regnant:* ita & Mater sapientiæ Divinæ eodem jure naturæ sibi vindicat, quod per illam Reges regnent. Undè & ab Ildephōso serm. 3. de Assumptione, *Regina Regū* vocatur. Et Ruperto suprà: *Regina regnorū.* Cùm ergò sit Domina, Regina, Imperatrix, Mater omniū; omnia illius curæ sunt cōmissa: necesse est ergò esse ubique, & ad omnes suę solicitudinis, benevolentię, & amoris radios extēdere; ut nihil sit quod Matris, & Reginę potentiā, & amorē nō sentiat, & agnoscat, & revereatur. Peragra cælū, æthera; percurre omnia regna, insulas, & orbis extrema; videbis regnanté, imperanté, solicitè curanté singula, omnia ut singula, & singula ut omnia; instar *spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, quasi illis incubans, ut illas fæcundaret.* Genes. 1.

Probatur Virgo esse regina.

Inter Patrē & Filium nō intercedit justum.

§. II.

§. II.

Diva interest rebus omnibus, & ideò immensitas suo modo illi convenit.

Præsidet rebus, quia nutrix.

Rationes cur sanctissima Virgo debeat interesse rebus omnibus, iisque præsidere. Prima ratio: quia nutrix & filia. Videamus beatissimam Virginem Præsidem, ac proindè ubique assistere: si enim Divinæ Sapientiæ, cùm omnia creabat, aderat SS. Virgo; multò magis interterit creatis & compaginatis. Audiamus ipsam Virginem: *Quando præparabat cælos, aderam.* Prov. 8. Quæ verba à SS. Patribus SS. Virgini accommodantur. Vel ut Hebraicè: *In parando cælos, ibi ego.* Vel ut Septuaginta: *cùm pararet cælos, aderam*; quasi diceret: cùm cælestes sphæras coagmētabat, & pulcherrimo ordine minores majoribus includendo digerebat, & quando certâ lege vallabat abyssos, id est, quando gyro quodam legitimo juxta naturam rerū, aquis terram undique conclusam metiebatur; sive ut Hebraicè; in describendo eum circulum, aut arcū in faciebus abyssi, id est, cùm aquas, quibus tellurem infuderat, & obvoluerat, circino admetiebatur; rotundæ erāt & globosæ, aderā ego illi, & obversabar ob oculos; ut si quid in cælis magnū & perfectū est, illud in me conferret: *quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Hebraicè: *eram propè ipsum nutricia*, instar nutricis alendo, fovendo, nutriendo. Septuaginta sic habent: *eram penes ipsum componens, vel compingens, vel modulans, quasi singula singulis maritando*; symbola scilicet symbolis, ne sibi mutuâ contrarietate officerent. Aderam ego illi quasi Pandora, omnium perfectionū summam repræsentando; ut in Virgine omnes creaturæ, quasi in compendio viderentur. Sanè hoc Matri Dei debebatur; erat enim, ut ipsa in Deo gloriatur, propè ipsum nutrita, veluti filia deliciosè educata, filia Patris æterni, longè nobiliore modo quàm omnes Sancti, qui & Filii Dei sunt, & dicuntur. Puella enim quæ nupsit tuo Filio, Filia tua est arctiori vinculo, quàm adoptionis. Sic Baldus lege 1. connubiali apud Tiraquellum. Et quemadmodum Christus, in quantum homo, est naturalis Dei Filius, non ex adoptione; sed naturalis: Ita etiam Virgo, quæ eo nomine Filia est, quatenus sponsa, aliquid adoptione majus habet. Quare latiori modo, & significatione appellari Filia Dei Patris posset, quatenus Deo Patri Filium genuit, quo pacto Sancti Patres compellant SS. Deiparam Filiam Dei Patris, & Spōsam Spiritus sancti. Redeamus ad propositionē: Virginem omnibus præsidere. An non nutrix curiosissimo studio parvulū suum gestat,

A ad ubera applicat, vitæ ipsius invigilat, ut suę? Et ideò Virgo se nutricem compellat: & ego eram propè ipsum nutrix, hominum scilicet. Sicut enim Divina Sapiētia gloriosissimè se jactat apud Deum, nutricem; eò quòd cum Deo pariter creaturas foveat, alat, educet atque conservet; sic & Virgo, cui hæc verba accōmodantur, & nutricem omnium creaturarum designant.

Altera ratio; cur Virginem ubique velimus esse; an non ideò solùm quòd rebus omnibus invigilat, & summa curâ vigilantiâque provideat? Ipsius enim est, regni statum curare, tanquam res proprias; sed quia Deus cōditor hanc machinam universi moliturus, Virginem ob oculos posuit, & obtutum defixit
B in illam tanquam præsentem quòd ejus gratiâ universum moliretur & ejus subdi volebat imperio, cui leges, & jura daret; attamē cùm ruinam primi parētis, & totius universi per inversionem pulcherrimi ordinis Deus prævidisset, in gratiam Mariæ perstitit in suo decreto creaturas condendi; quia per Virginem volebat excidium, & ruinas restaurare, & sic ad summi Imperatoris obedientiam revocari. Cùm itaque propter Mariam sit mundus conditus, illaque mundo major in se mundum concludens, & illa præterea sit reparatrix cum Filio; cur non jure & eo titulo, mundo ubique præesset, mundo dominatura; cùm finis & causa sit cum Filio, cur omnia conderentur?

C Tertia ratio: Job prædicans Dei immensitatem, ait cap. 11. v. 9. *Longior terrâ, latior mari, altior cælo, profundior est inferno.* Quàm feliciter hæc verba SS. Virgini coaptantur; cùm scilicet ipsa Sapientiæ Divinæ dicit se astitisse, dum universa conderet: *quando præparabat*, inquit, *cælos*, *aderam*. Quid cælum nobilitat, nisi quod sit Dei sedes, & palatinorum ejus, in quâ singulari modo per sui visionem, sua Majestas infinitos radios suę gloriæ ostentat? An non Maria cælis altior, in cujus utero nobiliori modo exstitit Deus, quàm in cælo? Quod Divus Jacobus ipse testatur in sua Liturgia: *Tuum enim uterum*, inquit, *thronum fecit, & tuum ventrem latiorem & ampliorem cælis ipsis reddidit.* Cui & accinit
D Mater nostra Ecclesia: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Et Damascenus orat. 1. de Nativitate Virginis: *Hodie*, inquit, *ex terrenâ naturâ cælum in terra conditur ille, qui firmamentum ex aquis finxerat, atque in altum extulerat.* At hoc longè illo Divinius: nam qui in hoc solem extulit, in illo Sol Justitiæ ortus est. Et Epiphanius serm. de laudibus Virginis, sic habet: *O impollutum uterum habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehēsum, in te verò comprehensum portasti! ò uterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti!* quasi diceret: Omnia loca coarctant Deum; quia major omnibus locis, & spatiis imaginariis est, excedit omnes terminos, quos immēsitate suâ posset implere. Quapropter infini-

Immensitas SS. Virginis.

tis opus est spatiis, ut infinitus comprehendatur. Vide quantò immensior sit cælo uterus Virginis, ubi immensitas Dei non coarctatur, sed quasi spatiosè regnat; quia, ut dicit S. Bernardus, Virgo fuit specialissimus mundus, quem sibi Deus & suæ immensitati creavit, qui non microcosmos, sed magnus mundus vocaretur, quem in justitiâ & sanctitate fundavit. Sed unde tanta amplitudo in tantis angustiis, & tam ampla est angusta capacitas? Pulchrè pulcherrimis verbis occurrit Guerricus Abbas: *Quod deerat*, inquit, *corporalibus spatiis, mentis compensabat amplitudo*. Et paulò pòst: *O uterum, qui septem es circulis constans, & capacior illis existis! ô uterum septem cælis sublimiorem atque latiorem! ô uterum, qui es octavum cælum, firmamento celsiorem! ô uterum habentem inexstinguibile lumen gratiæ, id est, septem dona Spiritus sancti, quæ septem planetis respondent; qui octo sphæras cælestes in utero Virginis est contemplatus, nec plures ille agnovit.* Cælis ergo præsidet, quibus major est, cujus in honorem conditi sunt. Hæc sic dicta, miraculum magnitudinis Virgineæ manifestàr, ut potuerit is capi, qui à nullo potest, & quē cælum & terra capere non poterant, fuisse clausum Virgineo utero. An non ideo dicitur, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Prosequamur verba Job. Latior denique mari Deus: latior mari est Virgo, quæ & Domina maris vocatur, & ideò quando Deus circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, aderat & ipsa coràm, cuncta cum illo componens, miracula, & opes, & varietates maris. Præsidem proinde maris ac Dominam agnoscant omnes qui maris iras senserunt Virginis imperio compositas. Quot ubique terrarum non videmus tholos gravidos votivis tabulis: & rudentibus communitis omnes ventorum furiis jactati ad Dominam maris velut propitium sidus, & sacram Cynosuram oculos convertunt. Inde desideriis petunt & obtinent Auxiliatricis dextram, quam porrigit piissima Mater. Longior terrâ est Deus per essentiam: & Virgo benedicta longior terrâ; terrâ scilicet benedictâ & sanctâ, in quâ filius Dei ponit gressus humanos: non similis nostræ terræ, quæ proscinditur, seminatur, dando exhauritur; sed quæ spontè generavit florem vitæ & æternitatis, florem pacis & puritatis, florem campi Christum Dominum, juxta Isai. 45. vers. 8. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Aderat Virgo sapientię Divinæ, cùm appendebat fundamenta terræ, & jam Virginem intuebatur, quæ cum filio duo centra Orbi constituit. Filius Dei centrum dicitur universi, ab omnibus Philosophis antiquis: Deus enim creaturarum est centrum, ut illi aiunt, & creaturas in circumferentia collocant. Est igitur totius magnitudinis Filius Dei absolutè centrum: Maria etiam, juxta Bernardum, centrum est: est enim centrum punctū

Filius Dei est centrū, sic & sanctissima mater.

A quoddam defixum in totius mundi mediâ parte; undè æquales lineæ ad cæli superficiem producuntur: seu centrum est terræ medium. Audi Bernardum serm. 2. in Pentecosten: *Tunc, inquit, jam operabatur salutem in medio terræ, in utero videlicet Virginis; qui mirabili proprietate terræ medium appellatur.* Cui accinit Anastasius Synaita Bernardo antiquior, lib. 2. Anagogicæ contemplat. In Hexameron. ubi ait: *Fecit salutem in medio terræ*, utpote quia habitavit in palatio uteri Virginei. Verè Virgo altissima, & supra omnia elevata; est centrum terræ, & infima pars orbis vocatur. Quis enim hominum, qui ab humo homines dicuntur, Virgine humilior? nulla pars terræ illâ inferior, & ideò centrum terræ cum filio vocamus, quo nihil fuit cum

Virgo sanctissima est centrum, & tamen altissima.

B Matre humilius; juxta cap. 4. ad Ephes. *Quod autem ascendit quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* quod juxta Anselmum de priori descensione accipi potest, ex utero Patris in uterum Virginis: descendit enim maximus, & factus est minimus; & junxit se Virgini maximæ, quæ in oculis suis minima, & quasi punctum fuit; imò, si possit dici, nihil. Unde & in Psalm. 138. ipse Christus ait: *Non est occultatum os meum, quod fecisti in occulto; & substantia mea in inferioribus terræ.* Hebræi exponunt: *In utero Matris meæ.* Hunc vocat Christus inferiores partes terræ. Et ideò Bonaventura in Psalt. *Quia ergo Domina humillima fuisti, Verbum Incarnatum, ex te carnem sumere coēgisti*; eo scilicet modo

C quo centrum *gravia corpora ad se trahit, & devenire cogit*. Traxit ergo Filium ad se, tanquam centrum cum omnibus gratiis; nam sponte suâ omnes fontes, & flumina in valles, & in ima suas scaturigines, & aquas devolvunt. Omnes gratiæ in cor humilis descendunt. Jacobi 4. *Deus superbis resistit; humilibus dat gratiam.* Virgo meritò centrum, quia omnes gratiæ in illum confluunt. Virgo est centrum, quia omnia elementa, & corpora in centro conquiescunt: sicut omnes gratiæ in Mariâ; imò & centrum Deus in ipsâ conquiescit; nam Deus in illa nunquam commovebitur. Omnia corpora in centro uniuntur, & conservantur: sic in Virgine omnis plenitudo gratiæ, quæ aliis per partes

Qua ratione SS. Virgo centrum vocetur, & cœlorum centro.

D datur; in Virgine collectæ conservantur. Est denique Virgo, quod summè æstimandum, centrum cordium. Quid corde majus & minus? Quid tamen magnitudine portentosius in tanta parvitate, cui mille mundi non sufficiunt? sufficit tamen unus, qui est omnia Deus cum Matre, quæ imaginem quasi Dei repræsentat. Trahitur cor humanum amore, id est, suo pondere ad centrum suum, ut ibi conquiescat, respiretque. Amator ergo Virginis, ad Virginem velut centrum rapitur, ut in ejus sancto amore cor saucium conquiescat. Videamus ut dilectissima Virgo centri servet cōditiones. In centro quies: Virgo centrum dotat suos animi quiete, tran-

tranquillitatē conscientiæ confert; unde & pacis fons vocatur. Et ipsa de se Cant. 8 profitetur: *Facta sum corā ipso quasi pacem reperiēs.* In centro omnia cōservantur: qui in Virgine quiescit velut in cētro, in gratia Dei, & honestatis diutiùs cōservatur. Cētrū unit arctiùs. An non videmus tot ordines, & sodalitates ex diversis nationibus conflatas inter se unitissimas? Meritò ergo beatissima Virgo gloriatur, quod adesset, cùm appenderet Deus fundamenta terræ, tanquam centrum: Aderam ego ipsa cum Filio Dei, qui simul centrū est mecum universi. Ut autem intelligamus quomodo Virgo sit cum filio centrum, attēde Lector ex Mathematicis & Cosmographis duplex esse centrū; sicut sunt lineæ longitudinis & latitudinis in parallelis: Unū magnitudinis est pūctum in medio universi totius, à quo æquales undique lineæ ad ultimā usque sphæram porriguntur: Alterum est gravitatis punctum, in quo terræ pondus libratis undique momentis æqualis est; ita ut non plus ex una parte, quàm ex altera parte sit onerata.

Explicatur quomodo Virgo SS. cum filio sit centrū.

Hinc dicitur Deus appendere fundaméta terrę; vel ut Septuaginta habent: *quando fortia faciebat fundamenta*; cùm partes illius gravitate donabat, ut omnes momentis suis ad infimum descenderent universi locum, ibique conglobatæ firmissimā efficerent terræ molem. Necesse itaque est ad inconcussam terræ & globi firmitatem, ut duo illa contra se invicem penetrent, & tota machina stet suo pōdere invariata & immobilis, ut nullā parte sui deprimatur; ex quo fit ut si quid ponderis in alteram partem incumbat, & si quis impetus terræ imprimatur, tota contremiscat & concutiatur; nam pondus impositum, vel impetus impressus centrum evariat, & centrum gravitatis pondere injusto deprimit & inclinat.

Vide Patrem Vasquez in primam 2. Divi Thomæ disp. 81. c. 3. Terram ergo Deus suis ponderibus hinc inde librabat, ut illud punctum, in quo momenta gravitatis hinc inde exæquabantur, in medio totius mundi puncto locaret. Virgo ergo aderat, quando appendebat Deus fundamenta terræ, terram fundaturus, quam priùs homo concusserat, & loco suo, infiniti sceleris pondere dimoverat. Necesse est ergo tamdiu terram tremere, & concuti, donec centrum gravitatis, cum centro magnitudinis totius universi copuletur, & ut ita dicam, incorporetur: ubi verò utrumque centrum coivit, & inter se summâ firmitate cohærent; tellus quiescit, & immobilis hæret. Ad eumdem modum antequam Verbum Divinum, quod centrum infinitæ magnitudinis dicimus, cum centro gravitatis sese copularet & incorporaret, hoc est; in utero Virginis corpus & carnē susciperet tota humus, id est, universum genus humanum tremebat terrore suppliciorum, & metu malorum; at postquam centrum utrumque copulatum est; & Dei Verbum in utero Virginis incorporatum; humus quievit; & trepidationi & tremori mox pax, quies, & amor. Quievit Deus; cùm exsurgeret in judicium, ut salvos faceret omnes mā-suetos terræ. Virgo ergo beata, quæ orbem, cujus est centrum, sustentat: ratione sui status cogitur ubique esse; quò gubernatio sit pacifica, ne inæqualitate ponderum & momentorum, loco suo motus orbis contremiscat. Felix terra, & iterum felix tali centro.

Quid causa fuit tremorē terræ? quid quietem?

Ultima consideratio, quæ etsi moralis sit; convincit tamen, & affirmat Virginem ubique esse per præsentiam virtutis: sicut enim Solem dicimus ubique esse, dum radios, & suos ignes spargit per universum, quibus instar opificis summi, tum in visceribus terræ fabricat tot metallorum varietates, tum in mari purpuram, gemmas, uniones in conchyliis, rupes corallinas in aquis lentas, & extra eas, induratas: tum in arboribus silvisque tot delicias, & pabula hominibus pecoribusque: sicut dicimus & Regem ubique per vastitates regnorum, & suâ potentiâ dominari; non enim ignoramus longas Regibus esse manus. Dicimus & Angelos exerere vim suam, potentiamque innatam extendere. Dicimus & aromata in dissita loca suos odores vaporesque diffundere; & esse ibi virtutis diffusione, ubi tamen reipsâ non sunt. Sic Virginem dicimus istis modis ubique esse: unus tamen superest modus nobilior. Quemadmodum enim Deus per gratiam suam animabus nostris inest, tanquam in suo templo, in quo dicitur habitare, & deliciari: sic Virgo peculiari modo regnat ubique in animabus servorum suorum per amorem, & affectus Maternos; diffundit enim se ejus amor vehemens potensque instar flammarum in eorum mentes, qui eam concupiscunt: incendit eos sui amoribus, ut illam cogitent, prædicent, nec quidquam desiderare possint nisi illam, illam vox, lingua, calamus sonat in ore, in corde & animo obversatur; ut dici possit

Variis modis est ubique SS. Virgo.

Tu mihi luce prius, tu mihi nocte venis.

Singulariter adest præsens suis amatoribus.

Adest illiis singulari modo; non solùm sicut cognitum est in cognoscente, quod purè ex se, & nudè sumptum nihil confert utilitatis, vel gratiæ, vel nobilitatis rei cognitæ. Verùm sicut amans est in amato, in quod amans transfert à seipso discedens, seipsum, & vires animę suæ, & pro mensura amoris sui dominium; ita ut amans possideatur à re amata, & transeat in servitutem alterius, & desinat esse suus. Ex quo fit, ut ex vehementia amoris ingentes fiant donationes, & ingentium promissorum stipulationes.

Potentia amoris.

Amans non est suus. nes. Quare & leges amoribus conjugii, ne conjuges se invicem spolient; cautum esse volunt, dum donationes immanes, & nimis officiosas irritant, & rescindunt. Si ergo verũ sit, quod ab omnibus circumfertur, amãtem non esse suum; sed vivere in alio arctiùs, quàm in seipso; & animę regnum majus foris, quàm domi; & minus esse ubi animat, quàm ubi amat: quod sanè verissimum esse judico; bone Deus! quàm suis amatoribus sanctissima Virgo intimè. An non videmus sine vita vivere amãtes, & exuere seipsos, quo alium vestiant; ut in Cõsociatione de amore dicemus? An non Virgo cùm potentissimè, ita & Maternè, liberalissimè amat? Quis non credat illam cum sole suos amores, suasque opes; quæ omnes mortales ad se invitat: *Venite ad me omnes, qui concupiscitis me*, longè latèque dispergere? Summa votorum hæc est; *Virgo SS. omnia in suos amatos effundit.* semper suis amatis adesse, favoribus, profusione munerum, Angelorum custodiâ, continuis gratiis prævenientibus à Filio exoratis, quibus suos amatores complexa tueatur, & ad majorem perfectionem magnis passibus provehat, & extollat.

Finiamus Cõsociationes: ubique Deus est substantialiter cum tota essentia; & ipsum Deum Trinum & Unum circumferimus, ut præsentiùs animæ nostræ inhæreat, eamque suâ Majestate compleat, magisque animet ipsam animam, quàm anima seipsâ vivat. Cum quanta ergo reverentia, & sacro honore infinitam illam Majestatem in anima nostra, velut in templo suo commorantem venerari, colere, suspicere, & sanctificare necesse est? Cum quanto tremore & timore servitutis tantę Majestati, in cujus præsentia sumus, quo spectatore, & Judice, & remuneratore vivimus, si oramus, rẽ divinã facimus, sacrificantes. Bene exclamat S. Bonaventura: *Ne ad celebrandum, nisi senseris te igne succensum, accesseris. Quã cautelâ, & circumspectione tremẽdum hoc opus infiniti honoris peragendum?* Et tu polluto ore, pollutâque sceleribus animâ accedere ad terribilem Deum non reformidas. Pudeat te vinci ab ephebo gentili, qui ne Alexandro Magno sacrificanti, victus impatibili dolore foret interpellator, sustinuit carbones ardentes ex foculo in brachiũ nudum lapsos; steritq; adversus flammam interritus, & immotus quoad sacrificium finitũ, cessit dolor reverẽtiæ sacrificii, nihilq; duxit ustulationem, pro deorum majestate. Revere præterea & suspice præsentiam suo modo SS. Virginis infinitam, ejusque immẽsitatẽ, quam ubiq; senties, & experieris præsentem, propitiam, & consciam tuę mortalis miseriæ; senties dominatricẽ auxiliatricemq; dexteram suæ præsentis potentiæ: illa enim, quia dixit se ancillam, delecta est in matrem. Hinc & mortalibus præsentata est in patronam, ut confugiant ad hoc refugium. Præsens est ope, absens nemini nisi qui absens affectu, refugerit à refugio.

A

§. III.

Fructus qui nascuntur ex consideratione immensitatis Divinæ.

PRimus fructus reverentiam & metũ generat. Cùm Deus ita mundum excedat, ut impleat undequaque quidquid supra ipsũ est, nec ullum locum se vacuum relinquat; sit & in omnibus punctis spatii individuis, & totam essentiam, potẽtiam, sapientiam, omnemque sui ibidem perfectionẽ habeat; ita ut totus sit in infinitis spatiis, sicut in puncto indivisibili per indivisibilem & continuam præsentiam, quâ omnibus locis, spatiis, & rebus omnibus sit præsens; non miretis si tam præsens est animæ nostræ, quã omnibus locis, & omnibus spatiis: sicut ergo ambit omnẽ locũ, ambit ita & animã nostrã: infundit se omnibus spatiis; infundit se totum animæ nostræ: penetrat omnem locum, penetrat & omnes sinus animæ nostræ, & arcana & occulta cogitationum, primosq; motus intimè pervadit oculis suis, qui sunt millies sole lucidiores. Totus ergo ubique præsidendo sustinet omnia, & sustinendo præsidet, & circũdando penetrat, & penetrando circũdat. *Deus anima propinquior quàm ipsa sibi.*

B

Quod cũ ita sit, quantã reverẽtiã exigit tanta divinitatis immensitas, quæ ita verã & reali præsentiã exhibet se cuilibet animæ, sicut se suãq; essentiã exhibet sibi, eáq; adeò perfectè cognoscit, penetratque, sicut ipse suã immẽsitatẽ penetrat atque cognoscit. Cùm igitur immẽso Deo & infinito, immensus & infinitus honor debeatur, quis non optet tanto Deo infinitos honores, cui omnia creata tã ratione, quã sensu prędita, & inanima omnia summo cũ horrore supremę servitutis famulantur, juxta Vatẽ sacrũ: *Ordinatione tua perseverat dies: quoniã omnia serviunt tibi.* Ps. 118. Et cæli lumẽ, ac stellæ cũ tremore ei obediũt, & Baruch. 3. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt; vocatæ sunt & dixerunt: Adsumus: & luxerunt cum jucunditate, qui fecit illas.* Tantæ ergo Majestatis immensitas quã reverẽtiã & timore digna est? Ezechiel vidit, 1. c. Cherubinos subsistere, alasq; demittere, cũ primũ vocẽ audierunt ex firmamento, quod quasi sapphiri specie super capita eorũ erat; vocẽ Dei, ut ait Hieronymus, ferre nõ valẽtes. Serviamus ergo Deo cũ metu & reverentiã: etenim *Deus ignis consumens* ad Hebr. 12. Si vocem ferre non potuerunt Cherubim, quomodo feremus cõtinuã & ocularã præsentiã? sicut intolerabile est, & insignis temeritatis, pręsente Principe peccare, ejus leges violare, & injurias inferre, qui audeat Deo Judice pręsẽte, & pœnas minitãte, præcepta & jussa per omne scelus infringere? *Vt Deus se, sic intima anima cognoscit.* *Cherubim vocem Dei ferre non possunt.*

C

D

Secundus fructus: Immensitatis Divinæ meditatio generat in anima nobilem & admirabilem, & maturam cum inconcussa magnanimitate in Deum fiduciam. Quid timebit is qui scit se stare ante oculos Dei; cujus vitã, mores, verba, facta contemplantur oculi Dei? quãtã maturitate vivet, loquetur, tractabit sua negotia, suaque verba cum pondere libra-

te librabit, qui credit se fixo continuoq; sui Judicis intuitu spectari? cujus potentiā aut vires formidabit, qui novit se muniri, ambiri, tegi, protegi, armari, ipso Deo ambiēte, tegēte, protegente, & armāte? An nō dixeris omnes mortales esse instar spongiarum in vasto pelago natantium, aquis undique perfluentium, vel piscium natantium, vel avium per aërē volantiū, quæ quacūq; ferūtur, ut pisces per maria, per aërē ambientē volant; aëre vivunt; aëre fugunt; aëre sustentantur? An non nobiliori modo in Deo vivimus, movemur, & sumus? ipse enim est in nobis: anima nostra ejus est regnum. Ut dicit Scriptura: *Regnū Dei intra vos est*, Luc. 11. v. 17. Hoc sciens David Ps. 72. v. 26. vocavit Deum, *Deū cordis mei*, quasi in eo regnans, actiones regnatrices exerceat. Fretus ergo Dei oculati, & præsentis, & semper vigilantis præsidio, exclamavit Ps. 15. v. 18. *Providebā Dominū in cōspectu meo sēper, quoniā à dextris mihi est, ne cōmovear.* A dextris Dominus; quia præstò, & expeditus ad ferēdum auxilium. Notat Antonius Nebrissensis in Annotationibus suis olim in usu fuisse, ut cùm duo incederent, senior ac honoratior ad lævam esset, junior latus dextrum clauderet, nōnihil præcedēdo in signum obsequii: indeq; dictos laterones, & per contractionē latrones: Græcè hyperaspistas, qui defensionis causâ tegebant latus nobiliorum hominum. A dextris ergo stat immensus Deus more custodis; astat amore Matris nutricantis filium & continētis: astat diligenti curâ protegentis: astat benevolentiâ amici; & ideo à dextris dicitur esse ei, qui illum aliis rebus præfert; quia Deus omnibus præfertur. Ardēs zelo Elias, hâc Dei spectatoris præsentiâ munitus, crudelem Achab Regem aggressus est, 3. Reg. 17. *Vivit*, inquit, *Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto; si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Regis oculos non formidabat; super quē posuerat Deus oculos suos: hi priùs injuriæ obnoxii, quàm Prophetæ corpus tangi posset. Fortissimum ergo robur animæ cōfertur ex certitudine præsentiæ Divinæ. Elias admittendus ad visionē Dei admirabilē in monte Dei Horeb jubetur egredi speluncâ, & stare in monte corā Domino vt posset securè spectare: *& ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis, subvertēs montes, & conterens petras ante Dominum*, 3. Reg. 19. Eadem consideratio inexpugnabilem reddidit Prophetam Elisæum adversus dona Naaman à lepra curati, 4. Reg. 5. *Vivit*, inquit, *Dominus, ante quem sto: quia non accipiā.* Percussi Bethsamitæ gravi plagâ 1. Reg. 6. eò quòd vidissent arcam Domini, lugentes clamabant. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Quare & Abraham, Gen. 17. v. 1. ut reverentiâ magnâ, & maturâ modestiâ Deo serviat, dicitur ei: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Jubetur ambulare; quia Deus gressus dinumerat, Job 14. quando enim non est Deus in conspectu ambulantis: *inquinatæ sunt viæ hominis omni tempore, & auferuntur judicia à facie ejus*, Ps. 9. v. 16. *Magna nobis*, inquit Boetius, *indicta est necessitas bene vivendi, qui omnia facimus ante oculos Iudicis omnia cernentis. Quare continuâ Dei recordatione turpes animæ passiones recedere instar maleficorū Prætore accedente, docet* Ephrem ser. de virtutibus ca. 10. hâc arte usus Magnus Ephrem adversus meretrices. Vide vitam apud Metaphrastem. Quædam, infamis vitæ, fenestrâ aperta, virum sanctum allocuta, rogabat quidnam deesset domicilio suo: *Parum argillæ*, inquit, *& tres lapides, ut obstruatur fenestra, per quam prospicis.* Et illa, ut solent sine fronte meretrices, eblandiebatur concubitum, quem ille hâc cōditione admisit; si loco urbis medio designato cōgrederetur. Et illa: *Quis non exhorresceret totius populi conspectū? Si*, inquit Sanctus, *homines erubescis; an Dei cōspectum non reformidas?* Victa libido, cessit in partes pudicitiæ: *Serve*, inquit, *Dei duc me in viam salutis*, & ille, imbutam sacris monitis, & sacro ardore pœnitentiæ ad monasterium tanquam sacrum azylum deduxit, animamque perituram potenti Dei aspectu sanavit. Mirantur omnes unum Dositheum Discipulum beati Dorothei Abbatis, adolescentem nobilem, marcidum voluptatibus, & luxu sæculi dissolutum quinquēnii spatio in Religioso habitu ad tantam sāctitatē pervenisse, ut inter SS. Anachoretas in cælo regnātes post mortem fuerit relatus, sicut Divinitus fuit revelatum: tātum potuit unius vis præcepti Dosithei, animæ à beato Dorotheo insculpta. Impressa ergo hæc verba altè hæsēre: *Nunquā cordi tuo excidat Deus; cogita Deum semper tibi præsentem, & te coram illo stare*: in quam laureā excrevit hoc tenue semen. Deus itaque magni æstimans suum amatorem, exhibet se tutelarem Deum per suam præsentiam, & vicissim rependit admirabili amoris pignore, amorem; ut se tanquā pupilli, & per naturam corruptam infirmi tutorem instituat: ô bonitatem Dei! quasi velit lege pupillari obligari. Audi Vaticinia Davidis, ut singula Dei astantis munera & singula curātis elucidet, Ps. 109. ut hostes ferro demoliat: *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ Reges.* Et Ps. 108. ut agat partes benefici miserū tutantis: *Astitit à dextris pauperis, ut salvam faceret à persequentibus animā meā.* Et Ps. 100. exhibet se quasi clypeum: *Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* Et Ps. 33. v. 19. exhibet se servatorem: *Iuxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit; oculi enim Domini super justos, & aures in preces eorum.* Quàm lætabile, quàm homini infirmo, misero, caduco gloriosum, perenni Dei præsentiâ firmari, custodiri, & quasi à sedula nutrice instar alumni foveri! Hanc tantam felicitatem vehementer admirans idem Vates, exclamavit Ps. 15. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua: insuper & caro mea requiescet in spe.* Quasi diceret: Incedo

In Deo sumus ut spongia in aquis, aves in aere.

Quare Deus dicitur à dextris esse.

Elias robustus præsenti Dei oculo.

Luxuria tortor præsentia Dei.

Præsentia Dei animo impressa potentia & virtus.

Mira lætitia accedit animæ ex præsentia Dei.

Incedo omnibus lætitiis, & vivens & moriens, & perpetuum cano pæana victoriæ, fretus custodiâ infiniti & immensi Imperatoris, & ideò cordi & animo tripudianti consonat plectrum linguæ meæ, ut totus quantus sim, in laudes securus mei inter medios exercitus furentium hostium efferescam, & quasi ebrius præ animæ sincera voluptate vivam. Comitatur ergo ex infinita sua bonitate semper præsens Deus non solum viventem, verum & morientem; cùm ait: *& caro mea requiescet in spe*; moriturum enim & mortuum custodiet, nec deseret: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*. Psalm. 33.

Compositio corporis nobilissima ex Dei præsentia.

Tertius fructus est tam hominibus, quàm Angelis admirabilis, qui omnium animos, oculos, & intelligentiam movet, allicit, ferit, & sibi quasi blandâ & aureâ compede injectâ devincit. Est autem hic quod totum interiorem & exteriorem hominem sic componat meditatio præsentiæ Divinæ, ut singula membra sint quasi fides canoræ suavissimæ musicæ, quę omnium animos demulceant rapiántque: omnes sensus dabunt signa temperaméti modesti & inhabitantis Dei, qui verè animæ intimus inquilinus est & habitator. Habitus corporis bene compositi, habitum excellentis animi, & formá eloquetur. Quantâ opus potétiâ, ut proditoris corporis rebellátes impetus frænentur, & patiens jugi rationi subjiciatur. Audi Nazianzenũ Magnum in orat. 16. Cui corpori scilicet quonã modo côjunctus sim, haud equidé scio, quo pacto & imago Dei sim, & cum cœno voluter? Quod & cum pulchrâ est valetudine, bello me lacessit: & cùm bello premitur, mœrore me afficit. Quod utique ut côseruum amo, & veluti inimicum odi: quod & ut vinculum fugio, & ut cohærens vereor. Si illud conficere studeo, jam non habeo quo socio & opitulatore ad res præclarissimas utar; sin contrà, ut cum socio audjutore mitiùs agam, nulla ratio occurret, quâ rebellantis impetum fugiam, atque adeò non excidam compedibus degravatus. Hostis est blandus, & placidus, & insidiosus amicus. O miram conjunctionem & alienationem! quod metuo, amplector: quod amo, pertimesco. Antequam bellum gesserim, in gratiam redeo: antequã pace fruar, ab eo diffideo. Vide, ô Lector quàm arduum, ex jure cum corpore agere, & subdere fræno. Quare cum tale duellum & tam atrox pugna fit, nullâ machinâ validiori puto posse corpus debellari, quàm meditatione præsentiæ Divinæ. Quis Aulicorum præsente Rege, & eo spectante audeat, nisi demens, luxuriari, impotenter se gerere, lascivire, & incompositos motus exercere? Audi quid Magnus Paphnutius ad conversionem famosæ Thaidis sit machinatus. Scortũ hoc ab illecebris corporis, formâque speciosum celebreque: hic simulans amorem, & secreto ad voluptatem secessu impetrato, cum horreret per varia abdita loca ductus videri, & iterum atque iterum percunctans, num oculis congressus venereus posset patere; & illa responderet, nequaquam posse ab ullo videri præterquam à solo Deo, qui omnia sciret & cerneret. *Et tu*, inquit Paphnutius, *Credis Deum inspectorem nihil posse latere, & coram eo peccare Iudice non erubescis? An non ille tua, & omnium scelera vindicaturus?* Hoc ariete concidit collapsa mulieris infamis nequitia: lachrymis se rigat, spoliat se omnibus amatorum spoliis, üsque congestis in foro populo spectante flammis addixit; & Abbatis consilio cella monsterii pane & aquâ vitam sustentans, se clausit. Et quis sermo pœnitentis? Ferè vix ullus; non enim ausa Dei nomen effari clamabat: *Qui plasmasti me, miserere mei. O quàm bonus est Israel Deus his, qui pœnitenti sunt corde!* Triennio itaque sacri carceris exacto, & jam libera quarto & decimo die migravit ad æternam felicitatem. Vide Sabell. lib. 3. Marulum l. 4. c. 10. Quicumque prӕsentiam Dei in præcordia demisit, experimentum sui faciat, animi scilicet firmitate, & cupiditatũ diminutione, & perenni gaudio mentis, quod nisi ex conscientia nascitur virtutum: si ipse ubique par tibi idemque sis: si placida, & non morosa vita: si in altum te miseric fortuna; si longè à plebeio statu rapida felicitas, aut rerum procuratio te tulerit, & non intumueris, non animos te majores advocaris: si altitudine non sis factus impotentior, & spiritus grandiores assumpseris, neminem despexeris, & te clauseris pristinâ parvitate. Grande enim peccatum, horrendum que periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel uni te præferas, quem tibi parem fortè veritas judicat. Præsentia Divinæ Majestatis omnem magnitudinem deprimit, fugat, docetque Deum esse omnia, & hominem nihil. Disce in altitudine animositatis tuę & in altum provectus, terram legere: altitudo enim summa intonat feritque, ut olim Mecœnas in suo Prometheo scribebat. Deinde ingens experimentũ tui dabit adversa fortuna, num dejectiore animo eam exceperis: si enim côtraxeris mœrore vultum, signũ est vacillantis animi. Maximum hoc est officium præsentiæ Divinæ & indicium; si oratio, vultus, animus sæviente fortunâ non dissentiat, & sint unius sine dissensione coloris. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit*. Proverb. 12. vers. 21.

Corporis & animæ admirabile duellum.

Exemplum miri cum ex efficacia præsentiæ divinæ.

Status hominis dat experimentum præsentiæ divinæ.

Præsentia divina effectus in moderationem sermonis.

Quartus fructus: compositus semper sermo viri contemplantis Dei prӕsentiam. An non fortè ejusdem curę & solicitudinis, qualis est Legati acturi sua negotia coram Magno Principe? Et cur non majoris? cùm summo & infinito Monarchæ major cura debeatur? Meditatio præsentiæ Divinæ parum, & pulcherrimum, & azymum format sermonem, & eloquia casta, & igne prudentiæ examinata, nullâ falsitate, aut fermento respersa; qualia sunt Politicorum, & modicè timen-

timentium Deum. De prudentia sermonis dictum suo loco: nunc paucis verbis absoluo. Præsentia Dei reddit hominem versutum, Prov.12.v.23. *Homo versutus celat scientiã & cor insipientium provocat stultitiam.* Juxta Septuaginta, *virum intelligentem*, qui est taciturnis sensus, ac proinde celat scientiam: magni enim sensus est, & ingentis prudentiæ, arcana non evulgare; & is potest dici præditus serpentinâ prudentiâ, quam Christus ipse commendat: *Estote prudentes sicut serpentes; & simplices sicut columbæ*, Matth ca.10. Meditatio ergo Divinæ præsentiæ docet omnes serpentinam prudentiâ triplici imitatione colendã:

Serpentis astutia in vocis usu sequenda.

Prima imitatio: Sibilum, ac vocem clariorem non nisi post multam ætatẽ natura dedit serpentibus. Discant Adolescentes prolixum sermonem ad canos differre: nec instar graculorum insolentes inferre sermones.

Secunda imitatio: Serpentis sibilum, aut vocem non audiri nisi urgente pugnâ, aut imminente tempestate; de reliquo silere. Tu vir si sapis, non effunde sermonem, capta occasionem, si loquendum: *mala enim aurea in lectis argenteis; verbum dictum in tempore suo*, Prov.25.v.11. Attẽde per mala aurea intelligi mala Cydonia, seu melina, aut camusinã, quæ odore suo caput contra ebrietatem firmant. Audi sensum proverbii sublimis, qui dignitatem opportuni sermonis commendat. In usu apud Veteres erat ticliniorum lectulos floribus, omnigenis cõspergere, & inter flores, mala præsertim Cydonia mittere. Putabant enim flores & poma esse secura ebrietatis amuleta, & convivas floribus & malis stiparos temulentiæ obsistere. Ad hoc alludit Athenæus l.3. vbi Stesichorum Poëtam induxit loquentem: Multa mala Cydonia mittebant in torum Regis, multaque myrti folia, rosarum quoque ac violarum elegãtes orbes. Oblectamenta ergo conuivarum in toris considentium erant oblectamenta unguenta, rosæ, & mala aurea, auri speciem referentia; juxta illud Virgilii Egloga 5. *Aurea mala Decem misi tibi.* Sensus ergo erit, Divini sermones à Deo hausti, & in alios effusi, ut sunt à Dei sapientia orti, ita in alios fructus medicos infundunt, & ornant audientes, & roborant adversus omnia vitia: sunt quippe ornamenta, salutaria verba Deo plena, & dicenti, & audienti.

Tertia imitatio, quæ miram sapientiam secum adfert. Serpentes alio artificio, & modo formãt voces, quàm cetera animalia, quæ ex sonitu delato, quasi nuncio misso facilè iuvestigari & deprehendi possunt: serpentes verò conspicati hostem, silent, atque ita vox illis nunquam cedit in exitium; sed si vox mittenda eminùs, illam evibrant. Tu disce maturos formare sermones & circumspectos; stas enim in cõspectu Magni Dei. Ejusmodi ergò adhibe temperamentum, ut nunquam tibi sit exitio, nec causa peccati. Tu explero omnes silentii & modestiæ partes, ut silentio

A arcana, ut serpens caput objectu reliqui corporis contegas, & mentem, & secretũ serves incolume: si loquendum, utere sale. Beatum ergo facit meditatio Divinæ præsentiæ virũ: *Beatus*, enim verè. *qui non est lapsus linguâ, nec peccavit labiis suis.* Si verba sensum produnt; quales ergò sensus produnt loquaces? an nõ lingua perulans onus, & jugũ grave imponit homini? Sicut lingua Justi argentea; ita vani & impudentis lethalis arundo. An non garruli, & graculi indigni omni honore? Quare loquacẽ hominẽ Rebuspublicis moderandis ineptũ, & perniciosum esse tradit Euripides. Quare optimè Prov.10.v.8. *Stultus labiis caditur.* Ubi Septuaginta habent: *Qui non est rectus labiis, obliquans caditur, vel labiis claudicabit.*

B Quintus fructus. Meditatio Divinæ præsentiæ præter sermonis & regnũ linguæ moderatur & stricto jure regnum oculorum. Rebecca ut audivit ex servo comite Isaac sponsum futurum ambulare per viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis & videntis, actutùm descendit de Camelo, & tollens citò pallium, operuit se Genes.24. v. 66. Vetabat Virgineus pudor contrà intueri sponsum. Quantâ verecundiâ nobis standum in conspectu Dei? quantum intervallum inter homines, & Deum! Moyses non ausus intueri contra Dominum præ reverentia Majestatis Divinæ, Exod.3. An non nobiscum Moyse æquã conditio, quâ separamur & dividimur à Deo? An non tenui velo,

Præsentia divina virtus circa oculorum custodiam.

C melius dixerim sipario? an non in illo movemur, vivimus, & sumus? ab illo videmur, tangimur, & in illo spiramus. Si volet Deus, an non quodlibet punctum terræ, beatum cælum erit, & æternum gaudium, si Deus voluerit videri? Visum (docet Philo in vitâ Abrahæ) Regem ceterorum sensuum constituit Deus omnium altissimum, & tanquã in arce collocatũ perquàm familiarẽ fecit animæ, ad effigiem animæ factum. Hunc Regẽ & Dominatorem meditatio Divinę præsentiæ sic regit, temperat, cõprimit, compescit, ut, juxta Prov.4.v.25. *oculi semper recta videãt, & palpebræ præcedant gressus hominis.* Ubi Hebraica Lectio habet: *Oculi tui ad rectum aspiciant, & palpebræ præcedant.* Ubi Septuaginta

Visus rex sensuum.

D habent: *& palpebræ tuæ justa annuant.* Quare Divina præsentia docet oculos recta videre, quia oculus Domini contemplatur nostros, cujus reverẽtiâ nostri oculi se Dei oculo submittunt; & candore puritatis illustrari, candorem induunt puritatis, quales poscit in sponsa, dum ait Cant. 4. ubi sponsus ad pulchritudinem sponsæ exclamat: *Quàm pulchra es amica, quàm pulchra es!* Et quare ita extollitur pulchritudo? an nõ ideò, quia oculos habet columbarũ? *Oculi*, inquit Salom. Cant.4. *tui, oculi colũbarũ, absq; eo quod intrinsecus latet.* Et quid latet intrinsecus? Magnus horror, & honor, & reverẽtia spectatoris Dei, quã velut fræno assuescunt sanctæ servituti, ut recta videant. Et cur dicitur, ut recta videant? Audi

Divina præsentia docet oculos recta videre.

Ambrosium de bono mortis: *Non enim diceretur, ut recta videant, nisi frequenter errarent. Vidisti meretricem, & captus es vultu ejus: decoram putasti, erraverunt oculi tui, perversa viderũt, aliena nuntiaverunt. Nam si vera vidisses, deformem meretricis affectum vidissent, inhorrentem procacitatem, indecentem impudentiam, marcentes libidines, tetram colluvionem, animæ vulnera, cicatrices animæ.* Et sanè quid est lascivorum oculorum aspectus? & quid est, versatilibus oculis intueri? *quàm*, ut dicit Clemens Alexandrinus l.3. Pædag. c.11. *oculis machari, cùm per eos prima cupiditas ineat pugnæ præludia, non antè totũ corpus quàm oculi corrumpuntur.* Et prô dolor! utinam non sera experientia, & infortunata ruina multos misero exitu docuisset! paulatim enim pulchritudine, velut silente fraude & secretissimâ vi naturæ oculi diutius infixi trahunt vel morbum ejus qui videtur, vel radios virtutis. Cùm ergò oculos in voluptatis indicia injicimus; animus voluptate fit saucius; sicut cùm bonis viris intendimus, magna per oculos emolumenta suscipimus. Oculis ergò maximè parcendum: melius enim labi pedibus quàm oculis. Decet te solicitum ambulare cum Deo, Psaltæ instar, qui ludit in organo & chordis, quę nisi extensę, intensæque, harmoniam concentumque non reddunt: inferendus est animo rigor vigilans nec unquam dimittendus metus sui. An non suo fatali malo, David vir tãtus, temisso nonnihil arcu mentis, inflexus in ruinam fuit? Audi vir timens Deum, S. Basiliũ Seleucium orat. 17. de David; ut causam & initiũ ruinæ describat. Cùm enim regiè David epulatus esset, ac pollucibili mensâ emollitus animo, meridianâ sese ambulatione oblectaret (nota,) tunc diabolus animi, curæque nervum remissum conspicatus, & mentem passionum aurigam frænis indilgenter succinctam, (nota rursum) ac parvulâ sui parte nudatum ab armis, optimatem furtim succidit, ipsius justi oculis usus pro telo, & momento à via virtutis, abruptũ in adulterii præcipitium deturbavit, (nota altiùs & pende illud animi curæque nervum remissum conspicatus.) Ecce quàm vitę proxima mors est. Nunc dolosas, & veteratorias artes dæmonis prudenter reformida. Ecce enim priùs destitit vitam justi letere insidiis, quàm cùm animadvertisset ipsum à recto paululum oculis deflexisse, subitò venustate mulieris oblatâ confixit. Ille ille qui de seipso dicebat: *Oculi mei ad Dominũ semper.* Ubi nonnihil deflexit, & locum diabolo dedit, statim oculos sensit confixos. Quare sic tui Imperator; nunquam ita paci crede, ut non semper prępares bellum; quod si non geritur, indictũ crede. Munitio semper tractanda in otio; quia tunc malè quæritur, quando necessaria judicatur. Prudentię munus est, timere etiã quę non putantur emergere. Semper ergo sta in custodia tui. Audiant Religiosi, ut insectetur in primis Divus Basilius mores liberos Religiosorum *lib. de Virginitate.* Nam cùm

Oculus primus pugnæ miles, & ductor.

David minima parte sui inermis aperuit viã dæmoni.

Dæmõ usus oculis in Davidem pro telo.

A haustę luminibus formæ obtutus passivè defixerit, atque anima voluptate mollita ceræ instar, conspectæ speciei imagines presserit: quamvis ille abeat, qui ejusmodi formas impressit, insignita animo conspecta species quod suum est semper operatur, animumque imaginibus ludit. Idcircò Virgini summoperè cavendum est, ne cuipiam infigat obtutus. Audiant Juvenes, senesque viri, & Religiosi Divum Augustinum Epist. 109. de Regulâ Monachorum. Oculus si jaciatur in aliquem, figatur in neminẽ: neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini; sed visum sistendo appetere. Audi Religiose: utinã B possem te sanguine, tuosq; liberos aspectus fixosque curare, dum utrimque oculus oculo repercutitur, & missilibus telis spargitur in utriusq; animum parvus affectus. Audi Augustinum: *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: nã impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Quare tractans cum sexu fragili, & fragiliore quàm credi possit; ne tuus animus, & robur virtutis effeminetur: cogita te percuti oculis Dei vivi, & sic oculi tui ipsis nutibus animi tui prodent Iustitiam, sanctosq. mores. Memineris, per Deum, te rogo,* Tertull. fulmen de velandis Virg. *Tales oculi volunt Virginẽ visam, quales habet Virgo, quæ videri volet: invicem se eadẽ oculorũ genera desiderãt; vel ut alii legunt, conciliant:* C *& ejusdem libidinis est videri, & videre.* Quàm ingeniosus est homo in suum exitium! Attende ad Salomonem Prov. 6. v. 25. *Ne concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius.* Cujusmodi sunt illius nutus? sunt jacula quę ab aspectu voluptuario figuntur: nutus quidem instar volucris avolant; non tamen avolat vulnus. Fugit & cerva jaculis confixa; fixa tamen hæret lateri arundo: fugit quidem manus venatoris; at nõ telum fugâ linquitur. Curiosus aspectus telum vibrat, & accipit vulnus anima, & corrumpitur peritque telo, quod secum trahit. Curiosi oculi se invicẽ ut petũt; ita & vulnerãt, & uterq; capitur oculis suis. Quare & optimè vertunt Septuaginta Interpretes: *Ne capiaris oculis tuis*: quomo- D do tuis capieris, cùm intueris alienos? quia tuus haurit ignem ex alieno, quo tibi struis rogum, quo cremari possis: vel implicas te retibus, quę texis, & teneris irretitus, ut Ulysses cãriunculis. Audi Ambrosium l. 1. de pœnit. c. 14. *Ipsi nobis oculi nostri retia sunt,* & ideò scriptum est: *Neq. capiaris oculis tuis.* Nos ipsi ergò nobis tẽdimus retia, quibus involuimur & implicamur: ipsi nobis vincula nectimus. Quare idẽ monet l. 1. c. 5. de Abel & Cain. Ne vincat te formæ desiderium. Adulterina est fucis illita; nequaquã syncero fulgens decore: ne capiaris oculis tuis; circumfusa enim retia sunt. An non animus anteà liber & immunis, ubi per oculum, speciem & formã placitam admisit, quasi compede vinctus occupatur & tenetur: hærent infixi pectore vultus. Unde Samsonẽ vinculis ligatum; at non tam facilè excussit vincula formæ, quàm rupit nodosos funes.

Oculus mittit fascinos in animam.

Oculi missilia tela.

Oculus oculum ferit & necat.

Oculi sunt retia.

funes. Oculus ergò factus aspectu impudicus, qui antè castus, sibi jam peccati factus est laqueus. Oculus ergò sibi ipsi lena est. Sic captus Holofernes oculis suis juxta votum Virginis Judith. Capiatur inquit laqueo oculorum suorum in me. Quot magnę Aquilæ captæ suo proprio laqueo? quantos leones domuit una mulieris infirmitas delicata? de quantis viris triumphavit miserum cadaver vafrè adornatum? Quis domabit tantæ nequitiæ venena? quis disrumpet vincula tam potentia? nisi

§. IV.

Oculus Dei nos contemplans, & semper apertus, semper astans, semper vigilans.

SExtus fructus, Insignis custodia cordis: cùm enim sciamus in corde nostro esse Dei regnum, cordi pręsidere, ibi verè & realiter in Tribus Personis vivere, ibi omnes res humanas sicut in cælo curare, circumspicere, jura, legesq; dare: quantâ curiositate circumscribendus, quantis custodiis scpiendus? quantis denique excubiis munitus, retinēdus & compescendus est animus, quem oculi, & aures immensi Dei speculantur atque custodiunt. Ad hoc respexit sapientissimus Salomon, quando Prov. 4. v. 23. fortiter inclamat: *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Ubi Hebræi: *Ex omni custodiâ custodi*; quasi diceret opus esse Argi oculis, iisq; lynceis, ut nihil maligni praviq; subintrare possit, quod oculos tantę Majestatis minimâ offensiculâ possit violare. Ex omni ergò custodia serva cor tuum: quid hoc est aliud dicere, quàm nullam non ascende stationem, ad cor tuum asservandum? Quare & Rodolphus sic vertit: *Præ omni custodia.* Ubi & Chaldaica Lectio habet: *Ab omni munitione custodi cor tuum.* Hanc custodiā suo cordi adhibuit Habacuc 2. *Super custodiam meam stabo* instar stationarii militis, qui circumquaq; oculos circumfert, omnia perlustrat, ad omnē motum strepitumq; aures arrigit, singula circumspectè timens; quem tu imitare. Quantâ custodiâ dracones suum lapidem curiosè à natura datum servant? Draconites seu dracūtias pretiosi lapidis species vocatur, quæ ex cerebro trahitur, quæ obtineri non potest, nisi dormiētibus Draconibus caput amputetur. Nota nullum imminere draconibus periculum, nisi priùs sominfero medicamento, & medicatis arte frugibus somnus inducatur. Vide Pliniū l. 37. c. 10. Tu majore custodiâ custodi, nec te patiaris ullâ medicatâ voluptate perstringi, nec blanditiis emolliri ac tandem capi. Cave cordis lubricam licentiam, tu ne pereas. Noli ergò exhibere locum diabolo. Si natura hominis, mater altrix tanto artificio cor munierit, ne lædi facilè possit ullâ injuria in vitę de-

Qualis custodia cordi adhibenda.

Draconum custodia, sequenda.

A trimentum; cur tu non majori curâ cor animæ ne quid damni patiatur. Audi Plinium l. 11. c. 37. Cor ceteris animalibus in pectore est: homini tantum infra lævam papillam. Turbinato mucrone in priora eminens, palpitat certè, & quasi alterum animal movetur, præmolli firmoque operium membranæ involucro, munitum costarum & pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ causam & originem. Tu Lector non costas, non tunicam, quam alii vocant pericardium, circumponas cordi mentis; sed murum aheneum, & obtentas à Deo stationes Angelorum, qui latentes cogitationes bonas muniant, tela immissa pravarum machinationum detorqueant. Verùm in primis, præsentiæ Divinæ, & spectatoribus oculis Divinis cor septum & vallatū volo. B Hæc sunt secura sepimenta, & valla beatæ cōsientiæ tuæ: ne audeas peccare non solùm formidine pœnæ; sed reverentiâ præsentis Dei. Lapides pretiosos arca: filium domi clausæ fores, Virgineum mundum muliebrem, theca: sic præsentia Dei pretiosum viri cor cōservat tueturque. Quare omni custodiâ te custodi: nulla sit ergò intermissio vigiliarū, quę per horarū distribuuntur spatia. Excuba ut miles armatus, ne somnus surripiat, & Magnus Imperator deprehendat dormiantem, vitæ æternę periculo.

Descriptio cordis humani.

§. V.

Beatus ille servus, quem Dominus invenerit vigilantem. Epilogus fructuum descriptorum.

C

INcredibile dictu, quantâ firmitudine & constantiâ meditatio Divinæ præsentię, & semper astantis, totum hominem componat, totum maturum efficit, ut vivat ad unam regulam, quam semel prendit, & ad hanc vitam exequitur. Nunquam nimium dilatat animū, nec contrahit; perseverans vivit eodem vultu, nec transilit, reditque ad ea quę deseruit, ae damnavit, revolvitur. *Risus moderatus sapiētis, qui & vix tacitè ridebit: fatuus enim risu exaltat vocem suam*, Eccli. 21. vers. 23. *Sicut sonitus spinarū ardentiū sub olla, sic risus stulti*, Eccles. 7. v. 7. Ex risu mores disces; risus optima mentis nota: an non ubi risus, licentia; ubi ridicula D dicteria, contingit naufragium honesti moris & magnanimitatis. Quare & ridiculi Magistratibus arcendi, nec digni sapientis nomine. Et quàm cōpositus incessus, quasi coram Deo ambulantis: de quo suo loco dictum. Quàm cōpositus sermo ne multiloquio peccetur, ex quo facilis lapsus, & sanctarū cogitationum interitus, quo graviter animi oculus læditur:

Stultitiæ est index linguaque, voxq; suæ.

Qui autē moderatur labia, sapientissimus est. Quare qui nihil opportunè dicit, longum existima, licet duas tantùm syllabas pronuntiārit:

tiârit: at benè dicentem ne existimes longũ, & si multa dixerit & longo tempore. Talem se exhibuit Cæsarius Arelatensis Episcopus Theodorico Regi Gothorum, qui infesto in sanctum virum animo, calumniis fictis irritatus, iras parabat & irarum damna. Ravennas ergò ubi venit Cæsarius tanquam ad tribunal, eo viso Theodoricus ita fuit commotus immutatusque, ut nudato capite reverenter inclinatus, ad se venientem comiter complexus, salutaret. Percunctatus causam, non aliam reddidit, quàm quòd in ipso, vultum non humanum, sed Angelum spectasset; ex historiâ Ravennatum l. 3. anno Domini 520. Sic vultus Moysis ex consortio Dei radios spargebat, ut nõ possent filii Israël in faciem ejus intendere. Quãta potentia vultus hominis pleni Deo? Rainerus Tusciæ Marchio dicere solitus (ut scribit Petrus Damianus) etsi intumesceret mundi & vanitate, & potentiâ: nullius, nec Imperatoris quidem potentissimi posse terreri conspectu; nisi solius Romoaldi, cujus in conspectu, eloquens lingua mutesceret, neque quid posset effari, veniret in mentem; adeò mens perculsa suspendebatur viri præsentiâ. Quare & gravissimi, iique potentes peccatores ad ejus præsentiam, quasi ad Majestatis Diuinæ vultum territi, commovebantur. Residebat in viro beato virtus Spiritus sancti, quæ ex corpore composito prorumpebat, & fulgorem præsentis Numinis evibrabat. Tu ergò crede Deũ tibi præsentem; loquere Deo summâ cum reverentiâ & tremore, qui te ambit, & vallo suæ Majestatis claudit, & clausus infinitudine tantâ

A undique tenêris, & obsidêris. *Dominus est in circuitu populi sui.*

Si præsentia horum virorum Reges, & Principes ita perculit; non te percellet Divinæ Majestatis horribilis, & metuendus aspectus?

Finio cum sancto Basilio in quæstionibus fusè explicatis; qui interrogatus, *cujus animus temerè evagatur, otioq; se dat? quis frequenter irascitur? quis humanas laudes avidè captat? quis ad opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad Dei gloriam non refert? quis inter orandum mente distrahitur?* Addo ego; Quis ridiculus est? quis dicteriis gaudet? quis effusus in risum & cachinnos? quis effusus in externa ad vitandum otium? quis deditus ventri & discursibus? &c. ad singula hæc, hoc unum respon-

B dit: *Qui non semper cogitat Deum cogitationũ & actionum suarum esse inspectorem. Hæc enim una recordatio si assidua esset; contra omnia vitia sufficiens remedium esse posset.* Quare idem Basilius pluribus locis docet ad tollendam evagationem mentis: ad frænandam iram: ad fovendam charitatem: ad spernendas laudes humanas: ad diligentiam excitandam: ad incendendam orationem: ad comprimendam omnem distractionem: ad peccatum vitandũ nihil esse efficacius meditatione præsentiæ Divinæ; acriterque coarguit eos, qui pluris hominis quàm Dei Magni præsentiam æstiment:

Quare amantissime Lector tu cordi inscribe:

Oculus Dei videt me semper.

VIGE-

VIGESIMÆ TERTIÆ CONSOCIATIONIS DE INFINITATE DEI

PARS PRIMA.

§. I.

Variæ Philosophorum sententiæ. Quomodo dicatur Deus infinitus. Qua ratione Deus se comprehendat ut omnia sint plena Deo.

ORBIS & rerum dominatores, potētiæ suæ fastu tumentes, titulos non hominum, sed homines supergressos intolerabili superbiâ sibi vendicarunt. Quis ignorat divinos honores, in suis literis, inscriptionibus & columnis usurpasse? An non affectabant se maximos, clementissimos, optimos, æternos, divos & semper victores vocari celebrarique? Omnia ergo quæ propria divinitatis æternæ sunt stemmata, arripuerunt, unum tamen summi Dei decus intactum atque illibatū tanquam germanā & reservatam dotem Deo permisere. Nullus adeò insolens, qui ausus se infinitum dicere; omnes huic attributo divinitatis, quasi infinito pondere majestatis forent incurvati succubere: tanta est majestas, tanta potentia, tam ineffabilis & recondita fulgurantis hujus attributi lux, ut quidquid magnum, sublime, & omnia humana excedens; qudiquid ingenio parabile, quidquid denique imaginarium est, & votorum innumerabilitate appetendum, hoc totū ad hujus tituli levissimum aspectū, præsentiamq; concidat, evanescat, & quasi nihil sit fueritq; compareat. Bene Isaias c. 40. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi statera momentum reputata*

Infinitatis consideratio omnem altitudinem debellat frangitq;.

A *sunt: Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.* Quare Deus extollens suam infinitę naturæ supremam magnificentiam, Isaię 49. ait: *Ego primus & novissimus, & absq; me non est Deus. Quis similis mei? vocet, & annuntiet, & ordinem exponat mihi ex quo constitui populum antiquum.* Quare & 42. præmisit, dicit se absolutè Dominum, cùm ait: *Ego Dominus: hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Omnes ergo superbi ad infinitudinis considerationem, velut ad fragorem intolerabilis tonitru concussi, prostratique fuerunt. Prætermittā hîc varias curiosasque quæstiones, v. 9. Platonis, An dētur Ideæ infinitę? Pythagoræ, An detur infinitū supra cæli convexa? Deinde num cælum sit infinitum? at quo modo potest esse infinitum, cùm partibus constet, & per partes

Soli Deo infinitudo relicta.

Platonis sententia de infinito.

B moveatur; infinitum autem nullas partes agnoscat, nec moveatur per partes: quandoquidem sit principium motus. De vero ergo infinito rectè Plato docet in lib. de sanctitate. *Infinitum,* inquit, *est ipsum unum, cùm principio fineq; careat; careat etiam figura, & partibus, quē optimum maximum nos dicimus Deum.* Platonē sequitur Aristoteles textu 30. *Ab omnibus non sine ratione ipsum constituitur infinitum principiū: neque enim frustra esse potest: omne enim quod est, aut principium est, aut ex principio: Sed ipsius infiniti principium non est, quod debet esse incorruptibile, & ingenitum. Deus ergo infinitus, qui Principiū est*

Aristotelis pulchra doctrina.

est universorum, quod debet esse incorruptibile, & ingenitũ. Deus ergò infinitus, qui principium est universorum, immortale, divinum, & omnium denique rector, atque gubernator. Hunc infinitum Nazianzenis vocat orat. 38. τὸ πέλαγος πελὺ τι ἢ ἀόριστον infinitum & intermi nũ essentiæ pelagus. Hoc ipsum indicavit Deus, se Moysi manifestans, dum ait Exod. 3. 14. *Qui est.* Volens innuere, & docere se omnia in se complecti, & à stabili immotaq; sua essentia cuncta creata descendere, & dimanare. Melissus verò affirmat ipsum ens infinitum, esse ipsam unitatem, atque ipsam immensitatem. Bene quidem; at nullus antiquorum felicius attigit infiniti naturam, principe Philosophorum, qui li. 3. Phys. c. 6. textu 62. cùm de infinito disputat, antiquorum sententiam reprehendit, qui infinitum esse volebant. *Cujus extra nihil est*; nimirum quòd universa in se complectatur. Ipse verò ait hoc esse infinitum, *cujus semper aliquid est extra.* Quod scilicet dividendo exhauriri nunquam potest. Porrò cujus extra nihil est, totum id perfectum dicit. Hæc ille. Ex hoc utroque membro consurgit ratio planè temperata infinitati Dei conveniens. Est enim ipse sic infinitus, ut comprehendi nequeat; ac proinde semper aliquid restat illius quod capi, & cognosci nondum potuerit. Ita verò perfectus est, ut nihil extra se reliquerit; nam omnia intra se continet. Quare nihil insolitatum ac novum potest accidere. Ipse enim est qui quod est, nõ aliude est, in sese est, secũ est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis, quia infinitus est. Prosequamur Arist. qui 3. Physicorum c. 2. sic loquitur: *Omnes*, inquit, *antiqui decernũt quoddã rerum principium ipsum infinitum.* Paulò pòst clariùs: *Infiniti*, inquit, *nullum est principium*: Siquidem quod genitum est, necesse est habere finem; finis autem ad corruptionem spectat: ideò quemadmodũ diximus, ipsius principium nullum est; sed ipsum omnium fertur esse principium, & omnia complecti, ac regere. Hoc autem esse veram Divinitatem, immortalem, & incorruptibilem; quod fertur dixisse Anaximãder. Idem ergò infinitum, & Deus. Tria deinde dicit majores de infinito statuisse, quæ soli Deo conveniunt, esse principium; esse incorruptibile & immortale; omnia continere ac regere, quare & à Philosophis τὸ πᾶν dicitur & universum vocatur. Melissus autem affirmat ipsum ens infinitum, esse ipsam unitatem atque immensitatem. Sequitur ergò quod Deus sit omnium generator, & principium, & constitutor; in quo denique vivimus, movemur & sumus. Aristoteles ergo eum, qui caret principio & fine, dicit esset infinitum: Deus talis est: ergò infinitus. Deinde rursus probat primum motorem infinitum; nisi enim esset infinitus, infinitam movendi vim non haberet: si non haberet, non posset infinito tempore movere; nihil habet vim in-

Dei nomen qui est.

Nobilissima doctrina Aristotelis de infinito cui extra nihil est, & semper tamen aliquid est.

Qualis sit infinitudo Dei in se.

Tria de Deo statuerunt antiqui.

A finitam, quod est finitum: posse ergò infinito tempore movere, arguit infinitam virtutem & potentiam: si est infinitæ potentiæ, cur nõ sapientiæ? cur non pulchritudinis? cur non providentiæ? *Levate ergò oculos sursum, & considerate quis hæc creavit?* Isa. 40. num. 2. Si motus æternus, ut placuit Aristoteli, testimonium infinitæ potentiæ Deo tribuit, cur non cetera omnia? *Qui eduxit*, inquit Propheta, Isa. 40. num. 26. *in numero militiam eorum & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis, & roboris virtutisq; ejus neque unum reliquum fuit.* Deus ergò (ut benè Veteres) περιέχει ἅπαντα continet omnia.

Deus est necessario infinitus.

Dicitur prætereà infinitus, quia ipse terminat alia, & à nullo terminatur; quia scilicet est B in omnibus, quia est omnia. Et ideò Dionysius cap. 5. de Divinis nominibus: *Deus non quovis modo est ens, sed simpliciter & infinitè*, totum esse, in se pariter cõplexus & anticipans. Dicitur & infinitus, quia non perficitur ab alio: dicitur infinitæ virtutis, nõ ex eo quòd moveat ab æterno tempore se, à seipso non motus, nec pendens ab alio; sed quod infinitus est virtute, & infinitus actu; eò quòd excedat omnem proportionem in se finitam, non quidem formaliter, sed virtualiter, in se continens eminenter omnes perfectiones: sicut nummus aureus continet in se virtualiter & eminenter nummum ferreum, plumbeum, argenteum; non secundùm esse ferri, plumbi, argenti; sed secundùm esse aureum. Sic omnes perfectiones creaturarum sunt in C Deo secundùm esse actualissimum & independens; quia priusquam habeant esse creaturæ in seipsis, habebant esse in Deo: siquidem, ut ait Dionys. de div. nom. in unitate omnis numerus uniformiter præexstitit, habetque unitas in seipsa singulariter omnem numerum. Dicitur prætereà Deus infinitus, quia nulla res creata & finita Deum potest comprehendere; & ideò dicitur incomprehensibilis, & omni intellectu creato superior; cùm finiti ad infinitum nulla sit comparatio. Solus ergò Deus infinitus, sibi finitus est; quia seipsum infinitum comprehendit, & seipso seipsum claudit, & tamen manet infinitus: quidquid enim cõprehenditur, scientis comprehensione finitur. Deum autem cùm D seipsum per suã scientiam perfectissimè cõprehendat, necesse est infinitã ineffabili quodam modo sibi finitam esse; quia scientiã suã infinitatem comprehendit. Necesse est ergò infinitatem scientiã terminari; alioquin foret imperfecta scientia. Cùm ergo Deum cogitas, cogita maximam & universalẽ essentiam ubique præsentem, omnia videntem audientemque, cuncta continentem, nullâ re cõstrictam: sicuti in mundo cuncta continentur; per omnia sese extendentem: & cùm hoc sic perpẽderis, quid dignum Deo cogitaris? cogitatio semper suberit indignissima Deo; perindè si nescienti leonem, quis muscam aut formicam ostenderet, simile quidem esse di-

Quaratione dicatur infinitus.

Deus infinitus sibi finitus.

compara-

ceret & infinities amplius; sic quæcunq; Deo cōparaveris, semper Deo detraxeris: ut si quis mundū ipsum nō majorē quàm pingi soleat, asserat. An non iiqui Dei providentiā tollūt, Dei infinitatem tollant, necesse est cùm non sentiant Dei potentiam esse regnatricem, nō præsentiam ubique dominantem, & tamen mundo continentur, nec mundum effugere possunt; quâ ratione effugient eum, qui totum mundum continet? Hâc ratione dixerunt Antiqui, *Jovis omnia plena*. Et Aratus, *omnes semitas, ubicumq; sunt hominum concilia, omne mare, omnes portus esse Iove plenos, tanquam mundo invisibili omnia invisibiliter complectente*. Eodē modo dixerunt Deū ire per omnia. Hinc Plato, & Pythagoras dixerunt *Deum, mundum invisibilem, & mundum hunc visibilem; à mundo invisibili creatum: minimum ex maxima*. Et ideò Thimæus Pythagoricus vocat Deū ἰδέαν κοσμοποιόν, id est, mundum exemplarē. Deinde & mundum, Dei imaginē dixerunt; nam isto mundo, præter Deum nihil majus cogitari potest: & immensitas Dei cùm nequeat intelligi, nisi rerum nostrarum indiciis; certè non habet, nisi mundum, cùm sit maximus, magis sibi similem; non quòd Deus corporeus sit; sicuti mundus: nec in hoc imago Dei est; sed rejectâ naturâ corporeâ cùm homo de mundo cogitat, nihil eo majus cogitat: sic cùm magnitudinem Dei, nullius rei visibilis exemplis (quoniam infima & exigua omnia sunt) colligere possis: apparet tamen tibi in toto mundo, ut ex ejus vestigiis, rerumque momentis, infinitatis magnitudinem & colligere, & admirari possis.

Qui tollūt Dei providentiam tollunt infinitatem.

Mūdus qua ratione imago Dei.

§. II.

De infinitate Dei fusior tractatio. Vt sit ens nobilissimu, ut infinitas det infinitatem attributis Divinis.

ID quod infinitum est in ratione entis, sic absolutum est, ut suâ in amplitudine nullos terminos admittat; ac ita in infinitum sese extendat, ut nihil formari, vel concipi intellectu possit, quod non formaliter vel eminenter isto infinito non comprehendatur. Et tale infinitum, est Deus, qui seipsum Exod. 3. his verbis describit: ὁ ὤν, *Qui est*, ut dictum est. quasi diceret; Ego sum is, qui nunquam incepit, nunquam desinet, nunquam mutabitur: sed sempiternè, immensè, & infinitè, & immutabiliter est. Quid dicitur, cùm dicitur *Qui est*? nisi in Deo esse universum ens nunquam inceptum, nunquam desiturum, totum esse ipse complectens, & cōtinens infinitum, & interminatum essentiæ pelagus. Nobilissimum ergò, quòd de Deo dicitur, est, quòd sit ens infinitum simpliciter, & incircumscriptum, & totum esse infinitè complectens, & anticipans omne esse, & quod omnia unicè, secundùm excellentiam unius unitatis per eminentissimā unitatem, seu formam & simplicitatem suæ essentiæ. Quandò ergò dicimus ens transcendens, quod in se continet omnem sapientiam, & potentiam; pulchritudinem, & infinitam bonitatem; misericordiam, & justitiam; ac deniquè omne bonum, &c. non quòd Divina natura sit illis attributis composita, eò quòd in illā tot, tantaque bona reperiantur; nam ita sunt, ut non plura sint: sed sic unū sunt, ut idem sit quodlibet eorum, & omnia simul, quòd singula. Infinitas ergò naturæ Divinæ causat in Deo (nostro modo loquendi) infinitam potentiam, sapientiam, magnitudinem, bonitatem, & cetera attributa; non aliter, quàm si Sol suâ naturâ infinitè clarus effunderet necessitate naturæ radios infinitos, & adæquatos infinitudini corporis solaris. Est ergò infinitè sapiens, & pulcher, & infinitè bonus, & magnus, infinitus in suis attributis, quia natura divinitatis in se est infinita. Quare quidquid de magnitudine, bonitate sapientiaque sentimus, idem per omnia de divinitate sentimus, quia unum in Deo sunt, & cum Deo. Nec enim est aliundè magnus, quàm undè bonus: nec aliundè justus, & sapiens, quàm undè bonus, & magnus; nec aliundè denique hæc simul omnia, quàm undè Deus, & hoc quoque nisi seipso. Infinitas tamen Dei est naturæ Divinæ principium (nostro more loquendi) & totius felicitatis infinitæ, & reliquorum attributorum, quod sint infinitæ Majestatis. Quare, ratione suæ infinitatis, omnia affirmantur de Deo, & omnia negantur: & quidem nobilius; nam quæ affirmamus, finitæ sunt potentiæ, & limitati sunt semina intellectus; quæ verò negantur, à Deo longè removentur, & ducunt intellectum ad deficientem intelligentiam, ita ut rapta vis intelligendi absorbeatur altitudine fugientis essentiæ Divinæ, & recondatur oppressus mersusque pelago animus infinitæ Majestatis. Optimè ergò Magnus Dionysius cap. ultimo de mysticâ Theologiâ dicit, Deum non esse substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non Deitatem; sed quoddam his omnibus eminentius & præstantius. An non quia infinitus? Nihil enim (ut docet Dionysius cap. 13. de Divinis nominibus) eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem & intellectum superans, superdeitatis superessentialiter supra omnia superexistentis. Pulchrè quidem: est enim essentia Dei infinita, seu substantia eminentior omni essentiâ conceptibili à creaturâ. Est ergò omni luce, omni principio, omni perfectione eminentior. Quare omnium possibilium, & specierum, & individuorum perfectiones, quæ creari possunt, sunt in Deo eminenter

Deus est nobilissimū per excellentiā unius unitatis.

Infinitas Dei dat attributis suā infinitatē.

Dei infinitas excludit & se omne ejus possibile.

eminenter secundùm sua prototypa, veluti semina primæva, ex quorum vi pullulant, & infinities sunt perfectiùs in Deo; non quidem secundùm suum esse formale; sed secundùm esse suum eminens & essentiale, quàm si actu existerent. Exclamo cum Propheta Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus.* Laudemus ergò eum in virtutibus ejus: *laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.* O Deus infinite, si nossem te, nossem me; & quia tam parum novi te, tàm parum diligo te. Nosse te (ut Sapientiæ 15. dicitur) consummata justitia est; & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.

Ex notitia Dei oritur notitia nostri.

§. III.

De fructibus, quos parit consideratio Infinitatis Divinæ.

PRimus fructus. Nascitur in anima, Dei infiniti cognitionem sitienti, perennis novusque semper, & inexplicabilis, inexplicabili voluptate major fons omnis voluptatis. Dum enim anima terras exosa, rapitur infinitatem omnis boni, & undique affluentibus gaudiis, novisque semper incrementis se dilatans, coëxtendit potentias suas, ut finem bonorum infinitorum assequatur; ob incomprehensibilem infinitatem cogitur subsistere; ita ut interminatâ magnitudine dulcedinis ebria deficiat hæreatque. An quia semper novum occurrit pabulum novarum delitiarum? nova & incognita materia inexpertæ voluptatis, ita ut una voluptas sit gradus alterius? Planè. Quando enim pervenietur ad comprehensionem infiniti boni, qui est pelagus infinitè profundum, & infinitè latum: profundum, quia ejus perfectio est veluti intensivè infinita: infinitè latum, quatenùs ex vi perfectionis intensivæ extendit se ad infinitam entis latitudinem; quando inquam pervenietur? Nunquam. Infiniti enim restant plures perfectionum gradus, & innumerabilia bona peragranda, perlustranda, concipienda, quibus vires animæ penitus succumbunt. Cùm igitur Deus infinitè elevatus sit super omnia, quibus pennis ad infinita, & altissima infinitatis elevabimur, & provehemur? Quantò igitur ardentiùs se librat anima in contemplationem infiniti boni; tantò vehementior crescit appetitus; & saturatus citra saturitatem, cupido redardescit majori siti, dilatatque omnes vires, ut infinito bono se possit adæquare. Verùm dùm semper nova maria bonorum, & delitiarum cum infinita affluentia voluptatum occurrunt, & videt se circumfluis omnium bonorum voluptatibus immergi; deficit, & se dilatando, in Dei infinitatem se transfert, & translata totâ immergitur & immersa, tota repletur, & tota repleta, tota inebriatur ab ubertate Dei, & inebriata, quasi non potens sui quodammodo Deificatur, ita ut anima quasi una fiat cum Deo, & Dei bonis infinitis perfruatur. An non tum vilescit mundus? sic recondit in interiora gaudia spectatorem suum consideratio infinitatis Divinæ, cogitque exclamare: *Quàm dilecta tabernacula tua* (tuæ infinitatis scilicet) *Domine! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum meum.* Psal. 83.

Ex infinita bonitate infinita gaudia.

Secundus fructus. Oritur hæc consideratio, quæ ponit ob oculos singulorum attributorum infinitatem, V. G. si sapientia placeat; statim occursat infinitum pelagus sapientiæ: si potentia; ingressus datur in incomprehensibiles thesauros omnipotentiæ: si spectaculum pulchritudinis alliciat; ecce tibi sese offert facies infiniti Dei, cum infinitæ pulchritudinis incomprehensibili gloria & formositate, quam Moyses optabat semel spectasse. Abripimur omnes pulchri spectaculo. Et quale erit infiniti pulchri? Peragra, & percurre omnes pulchri species, quæ fuerunt; finge omnes formosissimas creaturas, quæ dementarunt regna & Imperia, Reges Principesque, & congere in unam personam; an non illa tenebit captivos illorum oculos, tuosque rapiet tamdiu, quamdiu illæ singulæ suas vires ejaculabuntur, & fuudus sit exhaustus? Augeatur rursùs illa pulchritudo in immensum; an non sine fastidio in immensum rapiet? Ascende ad pulchritudinem infimi Angeli, quæ omnem pulchritudinem humanam obscurabit; & illam confer cum supremi Angeli pulchritudine; an non infimi Angeli tibi vilescet pulchritudo? Vilescet; & quasi nulla foret, repudiabitur? Non mireris; continet enim omnium Angelorum in se pulchritudinem eminenter, & proximè infinitatem Divinæ pulchritudinis exprimit, & eloquitur. An non dixeris hanc ineffabilem? at errasti; nam adhuc eminentior dari potest, accessione majoris; quàm inter, & Divinam pulchritudinem, infinitus patebit recessus, infinitum intervallum infinita distantia; & quidem tunc dabitur novus ascensus per mille novas novæ pulchritudinis species, quas ubi decurreris, exclamabis: *Satis est, satis est.* non enim fert intellectus creatus immensitatem tanti pulchri, in quo est semper antiqua, semperque nova pulchritudo. Pudeat nos corporeis formis dementari, quæ infinitæ essentiæ comparatæ, sunt fœdis cadaveribus viliores; & tamen illis abripimur

Pulchritudo Dei ineffabilis semper & nova.

absipimur, pascimur, & oblectamur. Quàm dissimilis sibi ipsi Helena flore pulchri formosa, & à vermibus exesa! Ascende ad infinitum pulchrum; quid sunt omnia pulchra, nisi fœtida stercora? ô si quis ad momentum speciem pulchri infiniti spectasset, quibus gaudiis obrueretur? Præ cujus non solùm incorporali; sed etiam incommutabili, & ineffabili pulchritudine omnes Angeli, omnia quæ infrà sunt, & quod ille est, non sunt, seque ipsos inter omnia despiciunt, ut ex toto quo boni sunt, bono perfruantur. O infinita pulchritudo! cui omnis pulchritudo comparata, vix exigua est stilla perennis illius fontis. Quàm parum cognosceris, & multò minùs amaris! qualis, & quanta, & quàm vehemens sacraque concupiscentia tibi per rerum caducarum gloriosum contemptum debetur? Quàm incuriosus est is infinitæ pulchritudinis, qui curiosus est muliebris. Tanquam canes rabidi ad ossa arida nos ferimur; ossa arida sine succo rabiem generatura. Justo Dei judicio tanquam reus infatuatus damnatur ad amores fallacis pulchri, formosarum mulierum, qui infiniti pulchri projecit amores. Quid pascis oculos pabulo sterquilinii vir religiose; quasi desit abblandiens pulchritudo Dei?

Tertius fructus: Consideratio infinitatis omnem fastum, superbiam, & sui fiduciam enervat, perdomat, & quasi penitus emedullat. Quid sunt omnia finita simul conglobata, infinito comparata? arena exigua, & stilla. Et tu homuncio, infinito collatus, quid es? exiguus pulvis, & umbra, & quasi nihil. Job capite ultimo, ubi Dei loquentis Majestatem est contemplatus, qui ante se justificârat, & innocentem probârat; actutum mutato stylo dixit: *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te. Idcircò me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Quid est homo comparatus Deo? Tu vela faciem tuam, quam Seraphini velant præ reverentia tantæ Majestatis: tu confer tuam *οὐδένειαν*, id est, pusillitatem cum infinitate, & in nihilum te rediges.

Infinitas tollit omnem fastum.

Quartus fructus: Infinitatis profundâ consideratione suscitari ardentes veri amoris, & charitatis flammas. Infinitas enim omnis boni, infinitas omnis pulchri, & oceanus infinitæ voluptatis, & infinitum semper speciei novæ, & recentis decus, omnem amorem meretur, deposcit, & exigit quasi tributum. Cujus enim rei est amor tan non boni pulchrique? an non infinitus amor debetur infinito bono pulchroque? ô insanos homines! stillæ capiuntur amore, quo non dignantur infinitum oceanum boni. Infinita ergò excellentia boni infiniti cognita, generat amorem; amor

Infinitas excitat sui amorem.

A fœcundus generat desiderium, Dei tanti gloriam, & notitiam propagandi; ut homines infinitum bonum ament, eoque amato beati evadant.

Desiderium provocat gaudium de bonis infinitis tanti Dei: gaudium verò gratulationem, quâ vehementer exultamus, & insurgimus in Dei laudes, congratulantes Deo tanto, de tanta & infinita sua felicitate. Advocamus deindè omnes, ut animos & vires jungant, triumphis tantæ infinitatis decantandis; ubi nulla materia vel amoris, vel gaudii, vel gratulationis sit defutura.

Quintus fructus: Infinitas Dei generat in homine constantem invictamque animi B fortitudinem, quâ impavidus, etiamsi illabatur orbis, excipit, patitur, & sustentat non inclinatus omnia adversa. Quid metuendum ei, qui infinitâ potentiâ, & si sit infirmus, & inermis, armatur atque protegitur? & cui adest infinita sapientia? quis non erit sapiens, etiamsi puer sit & infans? ipsa dat os & sapientiam: ex ore infantium & lactentium perficit laudem; Psal. 8. ipsa aperit os mutorum, Sapien. 10. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii,* Actor. 5. quod sapientiæ pondere pervicerant. Quis desperatione victus, sese projiciet in exitium, quem circumstat amplexura infinita bonitas, & misericordia? Quis non redamabit Deum; à quo scit se amore infinito vehementer amari? Generat ergò C infinitatis Divinæ consideratio, omnes fructus attributorum Divinorum in homine: generat grandem, & intolerabilem metum infinita justitia, quæ non parcit delinquenti, & minimos peccati pulveres persequitur, suppliciisque castigat; non enim oculi sanctitatis possunt ferre iniquitatem. Terret me horribilis strages, & ruina Angelorum, quos ob unum peccatum, nullâ spe veniæ relictâ, in ipso flagranti delicto, nihil tale suspicantes, sempiternis suppliciis cælo dejectos involuit.

Quanta vis sapientiæ in piscatore.

Quis non provocabitur ad redamandum eum, à quo scit se infinito amore amari, foveri, & sustentari? Quis perturbabitur rerum humanarum confusione, in quâ Deus D tam parcè, & tenuiter rebus humanis se miscere videtur, quasi curam suorum negligat; impiis verò & injustis raptoribus blandiatur; quando fide credit se infinitæ providentiæ oculis gubernari, quæ est *Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.* Ut ait Boëtius lib. 4. de Consol. prosa 6. *Et quomodo disponit? attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sapientiæ 8. An non benè disponit? si omnes capilli capitis numerati sunt. *Nónne quinque passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione apud Deum,* Lucæ 12. Infinitas Divinæ providentiæ singula rerum momenta moderatur,

tur, & tenaci regit imperio. Infinita deindè potentia quos non producit, & concitat motus in anima nostra, quæ uno momento potest res prostratas., vastatas, & in solitudinem redactas pristinæ florentiq; fortunæ restituere? Hæc infinitas erigit elisos; calcatos elevat; de stercore erigit pauperem. Quæ eadem deprimit superbos, exuit & nudat purpuratos, gloriosos abjicit, & ad stivam compellit. Pulcherrimum ergo, & nobilissimum, & fœcundissimum, & id quod in Deo Deum reddit felicissimum, & ex omni parte beatum, est ipsa infinitas. An non enim gratiâ, Deitas ipsa circumfluit infinitis bonis, gaudiis, lætitiis, omnium rerum potentiâ, omni sapientiâ, & suæ felicitatis infinitæ scientiâ, quâ scit se infinitè beatum, quâ se totum infinitum comprehendit finitè, & delectatur suâ infinitudine, & suis infinitis attributis in infinitum, semper idem ab omni æterno, & idem in æternum, nullius rei indigus, seipso beatus futurus? pulcherrimum quoque & nobilissimum, & virtutum fœcundissimum, quo viri magni se solantur, animant, & ad ardua se extendunt, arduis se opponunt, eaque expugnant: quo se erigunt ad Dei gloriam propagandam, ad labores, & contumelias tolerandas, mortemque orant, & omne mortis malum, est infinitas, & infinitatis speratæ præmium: *Leve & momentaneum tribulationis nostræ*, tempus ad futuram gloriam 2. Corinth. 4. Et qualem? infinitam: quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et quare non ascendit in cor hominis? quia supereminet altitudini cordis, infinitas gloriæ. Quis Oceanum pugno clauserit? quis corde Deum? *Aperi os tuum, & implebo illud*, dicit Dominus, Psal. 80. Implebo te quidem; sed non capies me: intrabis quidem in gaudium Dei infinitum; sed totum non intrabit in te, nisi finitum, quia semper superfuturum est tibi infinitum. Ingredietur profundum illud infiniti gaudii mare, capax Dei omnia, & tota immersa; seipsam, & omnia cetera, bona amittet, & Deo similis Deificabitur, totumque Deum, & omnia ejus bona, quantum capere poterit, eminentissimo & possibili modo possidebit. Et quomodo possidebit? Lumine gloriæ illustrata, & adjuta formabit in se vivam imaginem Divinitatis, fietque Deo similis, & per eandem formaliter transibit, & penetrabit in Deum; & Deus in ipsa novo existet modo, & se ipsi cum omnibus bonis communicabit, ut omni voluptate perfruatur. Deinde cùm amor habeat potentiam unitivam, & amâns transeat, à se discedens, in amatum; per visionem & amorem intrabit anima in Divinitatem, & Divinitas in ipsam, evenietque mutua quodammodò penetratio, & intima unio vitalis inter animam & Deum. Undè ex hac unione,

Infinitas reddit Deü beatum; & pulcherrimü Dei est.

Viri magni solantur se Dei infinitate.

A mutuoque contactu nascetur in anima ineffabilis dulcedinis sensus, & omnis voluptatis copia, quia infinitam Dei dulcedinem vitaliter sibi conjunctam degustabit. Erit ergò beatus in Deo; & Deus in beato cum infinitis suis bonis. Felix, si cui sileat tumultus carnis; sileant phantasiæ terræ, & aquarum & aëris; sileant poli, & ipsa anima sibi sileat, & transeat se, non cogitando se, & audiat loquentem eum, qui fecit omnia, & videndo, & amando sentiat, quàm suavis sit Dominus, & rapidâ cogitatione attingat infinitatem Dei omnibus bonis infinitis affluentem. Felix ille clamabit: Quàm sordet terra cum omnibus bonis suis, quæ huic Soli cogitationi comparata, nihil est aliud, quàm B vanitas vanitatum. O vera charitas! ô æterna veritas, & chara æternitas, & chara, & vera, & æterna infinitas! tu es Deus meus, utinam tibi suspiremus die ac nocte!

§. IV.

Ad hanc infinitatem bonorum homo est creatus. Cetera bona accendant sitim, quare in illis non est beatitudo. Ex appetitione summi boni animæ immortalitas. In quo sit summum bonum. C

Mortales omnes, quamvis bene multi, & quidem pessimi fatentur, & agnoscunt Deum infinitè beatum, & frui bonorum suorum infinitorum infinitâ voluptate; hoc enim ipso quo Deus est, una stabilique lętatur beatitudine Divinitatis suæ, quam habuit ab æterno, in qua nulla contingit mutatio aut in melius, aut in deterius; quippè quâ nihil est melius. Quod autem una fruatur læteturque; quid mirum cùm una simplexque sit natura? Agnoscunt prætereà omnes, nullâ re mortali, creatâque absolutam felicitatem, & consummatæ beatitudinis constantem voluptatem, & lætitiam posse prorsus D obtineri. Hinc ebrii, & voluptatibus marcidi voluuntur rapiunturque quasi sitibundi ex una in aliam non expertâ voluptatem; cujus cõquisitio, & possessio nunquam saturat, expletque libidinis insaturabilis famem appetitumque. Et dictu mirum; quod vehementer appetita ipso usu, & sui præsentiâ fastidium generant, & sui dispicientiam: eadem enim non sunt semper nobis dulcia & jucunda, & quæ produxêre hilaritatem aliàs, generent molestiam tristitiamque. Continua ergo ardensque sitis novorum bonorum exagitat mentem, stimulis subigit, & in diversa trahit, rapitque.

Nulla beatitudo sine Deo.

Ex hoc insaturabili novarum cupiditatũ motu,

Appetitio inquieta animæ ad bonum infinitum est nota immortalitatis.

motu, & insatiabili appetione voluptatum; gentilium Philosophorum Schola collegit, docuitque animæ immortalitatem, quam sola Dei contemplatio felicitare, & beare posset. Quare & animam Philo vocavit *abscissum radium à Deo, ita ut sine Deo esse non possit*. Pythagoras, *genus Dei*. Tullius, *decerptam ex mente Divina*. Aristoteles, *affinem Deo* Et pulchrè Aristoteles undecimo Metaphysic. *Hoc quod Deus est semper; hoc sumus nos aliquando futuri*, anima, scilicet, à corpore

De origine animæ.

disjuncta. Nam, ut Tullius de legibus; *quia à supremo Deo generata*. Et Tusculanis quæst. 1. *Animorum in terris nulla origo inveniri potest*; nihil enim animis nostris concretum atque permistum est. Quare major, & excelsior est animus, quàm ullo, nisi bono infinito satiari possit; ut dictum. Quare optimè Philosophi antiqui docuerunt, Deum esse finem hominis. Sic Pythagoras, teste Jamblico, docuit. *Ad cognoscendum, & intelligendum Deum, omnis homo factus à Deo*. Quare & Plato in Phædro docet; *hominem esse possessionem Deorum*. Et in Prothagorâ: *Est*, inquit, *homo Divinæ sortis particeps effectus*. Seneca ad Lucilium: *Animus magnus & sacer, & in hoc corpus demissus*, ut propiùs Divina noscamus; conversatur quidem vobiscum, sed hæret origini suæ, illinc pendet, illuc nititur ac spectat; Deus finis, & desiderium ejus, semper illum respicit animus, recognoscens originem suam. Ho-

In quo homo cum Deo conveniat.

mo ergò cùm Deum finem habeat, cum Deo convenit, quod Deus nullum alium finem habeat, quàm seipsum. Quare in hoc felicitas hominis consistit, ut fini suo conjunctus, tanquàm centrum centro feliciter vivat, & Deo penitus occupatus, in tuto quodam secessu, tranquillo habitu, omnibus gaudiis perfusus agat vivatque. Avidissimè ergò fertur, & summo impetu abripitur in suum finem. *Vt scilicet* (Dionysio cap. 1. *de Divinis nominibus docente*) *animus ineffabiliter Deo copuletur per unionem quandam*. Hanc autem unitatem impressit unum ens animæ nostræ, tanquàm sui characterem, cui tanquàm naturalem infudit primi boni amorē, quo agitatur, donec se Deo reddiderit, qui est finis & meta desideriorum. Quando autem redierit ad Deum factorem suum creatura, tanquàm imago ad exemplar, erit que tum finem itineris sui consecuta, infinito suo bono copulabitur tanquam ultimo fini suo. Deus ergo ultimus finis hominis, & solâ boni infiniti contemplatione homo beatus, quæ eum ineffabilibus gaudiis lætum efficit, quæ tantò majora sunt, quo altiùs perfectiùsque ad infiniti boni contemplationem provehitur: & quia infiniti boni nemo potest assequi, multò minùs comprehendere plenam cognitionē, semper in omnem æternitatem per infinita nova spatia, & quasi novum Oceanū novorū bonorum, & gaudiorum occursātium rapietur, & ideò semper lætabitur & exultabit; semper replebitur perpetuis novisque gau-

A diis. Et quemadmodum Deus est infinitè beatus suis infinitis bonis, & seipso; ita homo beatus felixque Dei infinitis bonis, ad quæ possidenda creatus est. Probè hoc docuit Plutarchus contra Epicurum, ubi docet Epicurum non aperuisse veram viam veræ voluptati; sed avertisse; esse autem veram jucunditatem in Dei infiniti cognitione. Quare & generationis factus particeps est, homo scilicet ad ipsum cognoscendum Deum; omnium autem nobilissima est Dei cognitio: ergò ad eam æquè conditus est. Audiamus Epictetum philosophantem, ut se erigat ad ultimum finem: Ego habeo cui me placere oportet, cui me subjicere, cui obtemperare; nempè Deo. Beati qui attendunt Deum in omni re parva & magna, quia omnia in eum

Cur homo creatus.

Philosophi pulchrè finē hominis describunt.

B tanquàm finem ultimum tendere debent. Et alio loco: Deus hominem sui spectatorem, & operum suorum introduxit: nec solùm spectatorem; sed etiam interpretem. Pressè hoc indicavit Pythagoras Jamblico teste, admonens hominem finis sui. φιλοσόφει τὸν οὐρανὸν ὁρῶν, *Philosophare calū suspectans*. Quàm elegāter Tullius docuit, *hominis finem esse Deū*, cùm ait: *Homines humo excitatos, celsos & erectos constituit Deus; ut Deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent*: & ideò Ἄνθρωπος dictus; ut sui memor, se ad seipsum revocaret ἄνω θρῶν. Hinc sanctum animal vocatur; quia capax altæ mentis; quia altissimam caperet. Et Plato ζῶον θεοσεβέστατον, *animal Dei sanctissimum*. Proindè is finis ejus est; ea cogitatio Dei suprema, ut nasceretur, qui coleret

C opificem, admiraretur sidera, suspiceret solem, lunam: non autem ut Deos; sed ut à Deo sapientissimo creata, ex visibilibus invisibilem cognosceret, & eo cognito vehemēter amaret, & amando, & videndo particeps fieret gaudiorum infinitorum, quibus Deus beatus, æternum oblectatur. Deus ergò, qui dat sibi, qui maximus est, & optimus, & infinitè beatus, felicitatem in sui contemplatione, daturus & se hominibus beatis. Beatus ergò Deus contemplatione infinitæ suæ essentiæ; ita & homo ejusdem contemplatione beatus erit; ita ut nec Deus, nec ullus ratione utens, sit beatus, nec beatus esse potest, nisi infiniti boni contemplatione, qui est Deus, qui est finis, & principium omnium rerum. Unicum ergò habet homo objectum

Deus ut sui contemplatione beatus, ita & homo Dei beatus erit.

D felicitatis; infinitum, scilicet, bonum, infinitam pulchritudinem, infinitam voluptatem, sincera gaudia: quo objecto si fruatur, beatus; quo si destituatur, æternum miser, & infinitè calamitosus. Tu ergò Lector quidquid agis, age propter desiderium finis, quod Deo non competit; omnia enim Deo adsunt, & desiderium est eorum, quæ non habentur. Age, & erige, ut ex desiderio finis agas etiam propter amorem finis, id est, bonitatis Divinæ; cujus gratiâ omnia sunt condita. Illa enim est omnium finis ultimus, cujus gratiâ omnia vult Deus. Vehementer me concussit Pro-

Pulchra Procli Philosophi doctrina de summo bono.

clus Philosophus, in libro quo format Platonis Philosophiam; ubi sic disserit: *Quis sit Rex omnium? vel ὁ ἐν̃ταιος θεὸς, vivificus Deus? Quis fines omnium ad se convertit? ὃ γάρ ἕνεκα τὰ πάντα? cujus causâ sunt cuncta? habet omnium finium finem, metam metarum, primam operandi causam. Quis item omnium pulchrorum bonorumq; auctor in omnia irradians?* Si respondeat Plato: *Est is, quidquid dixeris, de illo quum dixeris, ipsum autem non dixeris: ineffabilis, simplex, egrediens extra omnia.* Cùm igitur adoraveris illum, vocans ineffabilem, quia scilicet infinitus est, primum honorem detuleris. Secundus honos erit; ipsum esse desiderium omnium. Tertius; principium primũ, quo se facit omnium creatorem; qui sic hominem creavit, ut non nisi continuis desideriis, & æstibus cogatur, & rapiatur in Deũ, quo eum comprehendere possit tanquam finem ultimũ. Benè ergò Augustinus: *Creasti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec perveniat ad te Deus.* Diximus jam crebriùs finiti ad infinitum nullam esse comparationem. Quantæ ergò dementiæ, guttæ mellis; stillæ momentaneæ voluptatis; fugitivo & brevi bono, infiniti boni pelago neglecto, adhærescere? & quasi ebrios in perituros creaturarum fallacium amores ebullire? Quid dicam insanis? quid ebriis? quàm multa falsa, illis videntur vera? *Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* An non ingens mendacium? an

A non ingens error in intellectu? an non cæcum judicium corruptumque, infinitum bonum, infinitam pulchritudinem, infinitas voluptates, infinita felicissimæ vitæ gaudia infinitas opes; & quidquid dici, fingi, comprehendi potest beatitudinis, momentaneæ voluptati postponere, futili alacritate gestire, nugis puerilibus inflari, & quasi anilibus somniis beatum se dicere? Verè cogitationes mortalium, sunt somnia vigilantium, & quidem brevia: occupamur istis, & per nova illicia rapimur in alia; sed non satiamur. Et quid ita? major & celsior est animæ nobilitas, quàm repleri, nisi infinito possit; capax solius Dei est, & ideò inexhausta ejus cupiditas, ut nihil sit ei desiderabile, nisi infiniti boni infinita voluptas, quam solam cõcupiscit. Quid B abis ergò post pueriles nugas homo, qui cõsecratus, dicatus, natus es infinito bono? quid insistis amoribus creaturarũ, quæ sunt creatę ad usum, & necessitatis præsentis subsidia? & tu per appetitus longiùs evagando exulrans, perverso ordine justitię, finem tuę creationis pertransis negligisque. Væ tibi Lector, nisi adhæseris infinito bono; perdis quod vivis, nisi ratione retentus illud amâris. Finio cum Oraculo Chaldaico:

Χρὴ σε σπεύδειν πρὸς τὸ φῶς ϗ πατρὸς αὐγάς
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ. πολλὴν ἑσσαμένη νοῦν:
Accelerare opus est ad lucem, & Patris splendorẽ,
Vndè tibi missus est animus, multâ indutus mente.

ALTE-

ALTERA PARS XXIII. CONSOCIATIONIS.

§. I.

An in Virgine sit, darive possit infinitum an potuit matri Dei infinitas gratiarum conferri?

CUriosè & pulchrè hîc in medium adferri posset quęstio, An detur ens infinitum, vel an dari possit præter Deum? Certum est, quòd præter Deum, nullum ens dari potest infinitum actu; cùm infinitum ex nullo principio esse possit, nisi ex seipso. Omnia autem quæ fieri possunt, & produci, non aliunde accipiunt suum esse, nisi ex Deo, sicut primo principio, qui solus ideò est infinitus. Impossibile est ergo aliquid creare quod sit infinitum per essentiam & esse; quod ita Deo proprium simpliciter est per essentiam, & secundum esse, ut alteri communicari non possit. Deinde ut clariùs hoc dicatur: omnis effectus accipit suum esse à sua causa, ac proinde intra ipsius efficacitatem continetur, ut extra illam egredi non possit. Unde fit ut quæcumque res ab alia accipiat esse, dicatur finita & limitata secundùm essentiam, habeatque naturam participatam, ac proinde finitam eò quòd per suam causam, à qua pendet, limitatur & finiatur. Quare omnis creatura finita est secundùm essentiam, eò quòd à Deo conservante dependeat, ut ne ad instans sine ipsius influxu esse possit. Deus autem cum à nullo habeat esse, aut conservetur; sed ex seipso sit, nullo fine aut termino ejus esse, & essentia in genere entis limitari potest. Propriè ergo ratio infinitatis Dei secundùm essentiam in hoc posita est, ut à nulla causa habeat esse. Hinc fit, ut si infinitas communicari posset secundùm durationem; ea tamen alio modo Deo conveniat, quàm creaturis, Nam in Deo æternitas quæ est infinitæ durationis, fundamentum habet in infinitate secundùm essentiam; ita ut æternitas Deo conveniat ab intrinsico & ex seipso: creaturis autem per participationem. Si igitur infinita quantitas vel qualitas dari possit; non ideò hæc infinitas infinitati Divinæ quidquam detrahere potest, nec in minimo puncto infinitas Dei minuitur. Deus enim, ut Dionysius 9. cap. de Divinis nominibus dicit, *Magnus quidem Deus dicitur tum ex suâ magnitudine quæ se*, & cum omnibus quæ magna sunt, cōmunicat, & per omnem magnitudinem effundit

A atque extendit, locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit; tum ex summa vi actionisque magnitudine ac muneribus, quæ ab ipso quasi fonte manant. Si ergo infinitum dari posset, longè aliâ ratione esset hoc infinitū, quàm in Deo, qui illam infinitatem communicat, qui fons infinitè manans; & ideò in monte Sinai, seipsum appellavit nomine *Qui est*, ut indicaret in seipso universum contineri. *Ego*, inquit (dicit Scriptura alio loco Isa. 44.) *sum primus, & postea: & ante non est alius Deus, nec post me futurus.* Tota enim essentia illius, nec principium habens, nec finem habitura, quasi immensissimum quoddam pelagus essentiæ est. Quorsum hęc omnia? Nempè ut ostendam Virgini potuisse

B infinitas gratias conferri, & fortè collatas ratione tituli Maternitatis, qui est infinitæ dignitatis, & suis meritis infinitas gratias ad sui status decentiam necessarias, esse promeritam. Ex qua infinitarum gratiarum collatione nihil Divinæ Majestatis splendori detrahi dicimus, imò maximam accessionem fieri ex infinitæ liberalitatis in Matrem profusione, Deoq; accumulari immensam magnitudinem, quod parvulam creaturam eò provexerit, ut altiùs ire non posset, eaque infinitatis munera, cùm suam essentiam communicare non posset; communicasse, quantum creatura posset, in se recipere: ita tamen, ut ea creatura infinitis honoribus exaltata, nihil inde sibi possit decerpere; sed ex rectitudine rationis, infinitatē suam in Deo, qui

C est fons omnis infinitatis, & omnium bonorum, refunderet, & tanquam primæ causæ & origini, à quo ea profluxerunt, cum summa humilitate restitueret: quod ipsa Virgo jam maxima, & Mater Dei decreta, pronuntiataque exclamans agnoscit, dum ait: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Magnus Deus, magna fecit mihi, & ego omnem acceptam magnitudinem meam illi refundo.

§. III.

De Magnitudine gratiarum SS. Matri collatarū.

NUnc verò cùm sit probabilis opinio, magnórum Doctorum auctoritate firmata, posse creari infinitum; cur negabimus infinitatem excellentissimæ creaturæ potuis- *Cur neganda infinitas Sacratissima Vir-*

gini, cum infinitas possit communicari,

potuisse dari? An ideò fortasse negabitur A tantum decus, quod Deo innatum ratione suæ intrinsecæ magnitudinis, à nulla creatura possit delibari? an quia nihil summo enti potest adæquari? esto. Etiamsi enim infinitum concesseris; nihil tamen assimilabitur Deo; nihil tantæ Majestati derogâris; nihil detraxeris. An illud infinitum in sui principio, suique conservatione non pendebit ab omnipotentia dextræ creatricis? an illud patiabitur suæ origini, & subesse desinet, per se regnatrici potestati? Nequaquam. Hujus enim omnium infiniti creati dominatū, semper comitatur servitus; & in ista servitute semper inest dominatus. In solo quippe Deo plenissimus, absolutissimusque regnat dominatus, quo sicut infinita creari possunt, eodē & destrui. Quare etiāsi infinitatis hæredem institueremus SS. Virginem, dispar foret SS. Virginis, & magni Dei conditio. Si ergo sententiæ plurimorum Doctorum adhæreamus, coronabimus SS. Virginem infinitis gratiarum floribus, infinitâ luce claritatis & gloriæ. *Quantum potes, tantum aude; quia major omni laude, nec laudare sufficis.*

Magnitudinem gratiarum & meritorum quandam infinitatem ut assequamur, causâ claritatis; Virginis ætatem in tria tempora partiemur.

§. III.

Primum tempus.

PRimum tempus sit vitæ primum punctum quo concepta. Deinde tempus à conceptione usque ad felicissimam Annuntiationis horam. Deinde ab ea usque ad supremum vitæ tempus, quo Phœnicis instar suis in ardoribus concremata, ad æternitatis triumphum gloriosâ pompâ fuit deducta. Quantam gratiæ plenitudinem Virgo acceperit in primo puncto Conceptionis, dum anima plenissima liberi arbitrii, juncta D corpori Deum agnovit, vix dici potest; tum enim Dei munificentiâ, tum propriâ dispositione, & ad Deum conversione, qui modus est nobilissimus & excellentissimus, mentibus maximè cælestibus consentaneus, dum per propriam dispositionem quasi heroicam excellentiam, gratiarum collationem meretur. Audiamus Divum Thomam quæst. 27. a. 5. ubi ait; *quòd quantò aliquid magis appropinquat suo principio in quolibet genere; tantò magis participat illius effectum.* Dionysium, qui cap. 4. Cælestis Hierarchiæ docet, quod *Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus Divinis, quàm homines.* Christus autem est principium gratiæ, secundùm Divinitatem quidem auctoritativè; secundùm humanitatem instrumentaliter. Joannis 1. *Gratia & virtus per Iesum Christum facta est.* Beata autem Virgo fuit propinquissima Christo secundùm humanitatem, & ideò præ ceteris majorem debuit à Christo plenitudinem accipere. Comparatio hîc instituitur ex mente sancti Doctoris, respectu hominum & Angelorum. Cùm igitur Virgo fuerit Verbo propinquior, quàm omnes creaturæ simul; ergo tunc intensior gratia data fuit, quia jam ad hanc conjunctionem prædestinata, & velut ad formam disposita, quæ quò nobilior, eò nobiliori fundamento opus erat; nullum proinde puræ creaturæ donum collatum, quod non fuerit Virgini. B Quanta autem fuerit ea gratia tunc collata, hinc colligi potest, quòd omnis propensio ad malum fuerit sublata; & quidem perfectissimè; ita ut Beatorum instar qui in cælo sine ulla repugnantia operantur, fuerit operata, & excellentiores actus, quàm summus Angelorum etiam tunc elicuerit. Undè piè Doctissimus Suarez ait, gratiam tunc collatam intensiorem fuisse, quàm fuerit suprema gratia, in qua consummantur Angeli & homines; juxta illud Psalm. 66. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*: quia fundamenta Virginis ibi posita fuerunt, ubi alii Sancti consummantur: *Mons Domini in vertice montium.* Et juxta mentem Gregorii C libro primo Regum capite primo illud Isaiæ 2. explicans: *Erit præparatus mons Domini in vertice montium.* hujus montis nomine beatissima Virgo designari potest. In vertice autem montium fuisse, intelligi potest, quia gratia, quæ in aliis fuit finis & terminus; illi initium & fundamentum fuit. Et cur non tribuamus hanc gratiæ immensitatem Virgini? An non Verbum infinitis partibus suam Matrem in primo puncto suæ Conceptionis præ omnibus & amplius quàm omnes simul creaturas adamavit? Et cur non adamasset, qui ex debito amabat ut Matrem futuram, cujus gratiâ fecerat omnia, cui omnia superservire atque ancillari ut Dominæ & Reginæ futuræ volebat. An non amori respondet gratiæ magnitudo? & præmium amoris est gratia? & gratiæ consummatæ gloriæ? Unde si Virgo cum illa sola, ad gloriæ immortalitatem transisset, ex vi illius habitura erat majorem quàm ullus Angelorum, vel omnes Angeli simul: gratia enim habitualis, quæ est in essentia animæ intrinsecè, non mutatur in Patria, quia idem numero habitus Charitatis Patriæ manet atque eadem intentio, quantum ad gradus in hac vita receptos. Audi Petrum Damianum: *Attende Seraphim & videbis quod majus est tibi, minus est in Virgine, solumque opificem opus hoc supergredi.* Cum hâc propterea suprema gratia, Virgini datæ sunt omnes virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti; *sanctificavit enim tabernaculum* suum

Quantitas gratiæ datæ in conceptione sua.

Quò Deo propinquior mater, eò major gratia.

Gratia in conceptione collata major gratiis angelorum consummatis.

Ratio tantæ gratiæ collatæ.

suum Altissimus; ut ait Athanasius, qui A descendisse Spiritum sanctum scribit cum omnibus suis virtutibus essentialibus; quibus etiam adjectas omnes virtutes morales esse, valdè probabile est. Cur enim minor & inferior Evâ primâ, secunda Eva foret, corruptæ Evę reparatrix? Decuit præterea Virginem per omnia Filio suo similem esse. Præter ergo has virtutes habuit & justitiæ originalis pręcipuos effectus; cujus præcipuus in hoc positus est, ut sanet naturam, illam constituendo in tali ordine & tam perfecto, ut homo perfectè sit sine repugnantia subjectus Deo, & appetitus, & partes hominis inferiores superioribus subditæ suavissimè obtemperent pareantque, & sic omnia sine tumultu vel rebellionis motu placidè Deo subjecta persistant. Quod donum includit Dei singularem protectionem cũ perpetua custodia. In Virgine itaque summa fuit totius compositi concordia; & summo concentu & voluptate superior pars Deo subjiciebatur, & partes inferiores appetitusque sine ulla discordia parti superiori, id est, rationi militabãt. Reliqua verò quę spectabãt ad statũ innocentię, ut non dolere, tristari, sentire affectus doloris, cũ esset in statu viatorum, & alterius ordinis; non erat conveniens illam ab omnibus hisce motibus vendicari; sed Filii fortunam fortiri, qui ut Rex Martyrum; sic illa Regina Martyrum inauguraretur. Consideret Lector, ut beatissima Virgo in primo instanti habuerit Dei cognitionem, & actum liberum, quo sese in Deũ elevans super omnia amavit: ut ipsa per propriam dispositionem meruerit de condigno gloriam; Christo Domino persimilis, qui secundùm proprium motum liberi arbitrii fuit sãctificatus; qui motus liberi arbitrii est meritorius: & modus sanctificationis perfectior emergit, qui fit per hominis cooperationem, quam per infusionem habitus, qui actus est nobilior habitu, & homo sanctificat seipsum eo modo quo adulti per dispositionem præviam motus liberi arbitrii merentur. Cogita ergo quantâ intentione animæ, quanto ardore Charitatis primo isto puncto se Divinę Majestati ad omnia devoverit; uti & Filius in suo primo puncto Conceptionis Deo Patri se in servum perpetuum mancipârit; cùm diceret: *Sacrificium, & oblationem noluisti; tunc dixi: Ecce venio*. Psal. 39. A primo ergo puncto Conceptionis suæ usque ad tẽpus sacrosanctæ Christi Incarnationis destinatum, quantum singulis actibus instar olivę fructiferę; (ut eam vocat Damascenus lib. 4.) merita sit, perpende: enim eo modo quo ceteri homines augmẽtum charitatis & gratiæ merita est, quorum actus interrupti, pugnacibus naturę corruptę molestiis cõcupiscentiæ pugnis retroacti, & cessatione operis languescunt & corrumpuntur. Et sanè cur singulis actibus non meretur quę nunquam habuit indeliberatos, neque unquam malos

SS. Virgo habuit effectus justitiæ originalis.

SS. Virgo exercuit actum liberi arbitrii.

Quis primus actus liberi arbitrii.

actus? sed constans, & indies singulis momentis crescens. In immensum sine modo, sine mensura procedebat; ut seipsam pariter & pariter anteverteret. Deinde cùm nulla deorsum trahens tardaret affectio, assurgebat continuò in Deum vehementissimâ charitate dilectum, cui nisi imbecillitas corporis aliquid morę conferret, quod rarò cõtingebat; perenni contemplatione adhærescebat Deo, dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi, & ad me conversio ejus*. Cant. 7. Et si quando à rerum æternarum cura cessandum; nonnihil, remisso animo aliquid providentiæ impertiebatur corpori. Cùm enim sine difficul- B tate, ex habitu mille & mille actibus exercitata operaretur; summas contentiones animi in rebus Divinis, quarum erat patiens magis, quàm agens, vix, aut leviter remittebat. *Erat*, teste S. Ambrosio l. 2. de Virgine, *intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem; sed Deum quærere, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis*. Cũ itaque per singulos actus merebatur, quos perfectiùs quàm Angeli in gratia elicuerunt, & Divinæ gratiæ sunt cooperati, formabat; actibus singulis augmentum gratiæ statim conferebatur: augmentum verò gratiæ conferebatur pro efficacia charitatis, quâ operabatur; cùm autem operaretur ex tota effica- C cia charitatis & gratiæ tam habitualis quàm & actualis, statim augmentum pro graduum intensione conferebatur, & se disponebat ad illud obtinendum. Pium ergo & consentaneum Virginis dignitati intensiores elicuisse actus ipso habitu, accedente Spiritus S. motione, cujus erat tẽplũ, in quo velut in throno conquiesceret. Spiritus enim sanctus Virginis erat director, sponsæ suæ cultor, ejus pulchritudinis speciosus amator, puritatis custos, & indies majoris donator, qui eã regebat, & perennibus Divinarum cogitatiõnum deliciis afflabat; ut nunquam aliquid elegerit, (teste Bernardo serm. 50. cap. 3.) nisi quod ei sapientia Divina demonstrabat, tãtumque semper dilexit Deum, quantum à se diligendum existimabat. Diva itaque Virgo D omnium virtutum, quibus erat dotata, merebatur actibus; operando scilicet perfectè, & ex tota efficacia gratiæ, & auxilio; & statim obtinebat quidquid gratiæ merebatur, partim vitę contemplativæ, partim activæ, sublimissimis operationibus filium imitata, qui contemplativam vitæ activæ conjunxit. Quis dicet quantum sit merita in templo vitam agens? ubi manè se totam contemplationi dabat, deinde nonnihil atcu remisso in immensum intenso, operi manuum, & lectioni sacrę incumbebat, quo sactis ardoribus inæstuans anima nonnihil respiraret; atque hic vitæ cursus usque ad tempus Conceptionis Christi annum scilicet decimum quartum.

SS. Virgo ex tota habitus latitudine operabatur.

Quantitas dilectionis Virginea.

§. IV.

§. IV.

Secundum tempus vitæ.

QUis verò assequi cogitatione poterit quantum toto illo tempore in infinitum creverit gratiâ, quo cum Christo Filio suo vixit, quando peperit, lacte suo Virgineo pavit; quando tot annis educavit, quem ut Filium amabat, & ut Deum adorabat; cui Deus erat debitor, cui omnes debent; qui lege & ordine naturæ Matrem in immensum præ omnibus amabat, honorabat, dotabat, & gratiis exornabat. Atque ante omnia, quis gratiarum oceanum metietur collatarum, cùm Legato præbuit assensum in Filii Dei Incarnationem, ab ipsis orbis incunabulis promissum, quem assensum totus Orbis, & cælum, & ipsa sanctissima Trinitas præstolabatur. Si Mariæ secundùm P. Vasquez major fuerit prima gratia sanctificationis, quàm gratia omnium Sanctorum & Angelorum: quanta ergo fuit in Conceptione Filii, dum nobilissimo actu obedientiæ, amoris facibus inflammato sanctissimæ Trinitati in salutẽ generis humani se totã quasi in victimam, & holocaustum æterni servitii donavit? an illo actu quidquã divinius aut fingi, vel confici potuit; quandoquidem ab eo Concilium æternæ sapientiæ, & salus humana felicem suũ exitum præstolaretur? Et quemadmodum plurimi Theologi dicunt in 3. dist. 3. quod in sua Conceptione acceperit primam sanctificationem præter omne meritum ex singulari privilegio; ita in Conceptione Filii pręter omne meritum accepisse singularem perfectionem sanctificationis ob novam & admirabilem præsentiam Verbi Divini, juxta verbum Angeli dicentis: *Spiritus S. superveniet in te.* Et D. Thom. 3. qu. 27. art. 4. docet gratiam Virginis in Conceptione Filii sui fuisse consummatam: & alii, tam perfectam fuisse, ut crescere non potuerit. Et Athanasius serm. de sanctissimâ Virgine ait, *tunc Spiritum S. in Virginem descendisse cum omnibus essentialibus virtutibus imbuentem eam gratiâ & virtute*, ut suprà dictum. Et Eusebius Nicænus homil. super *Missus* in feriam quartã Dominicæ Adventus: *Cùm gratiâ plena fit priusquam concipiat; post Conceptionem quantâ abũdavit?* Albertus verò Magnus, quem imitatur D. Thom. opusc. 60. art. 3. distinguit triplicem plenitudinem gratiæ Virginis: aliã vocant sufficientem, quam habuit à principio: aliam abundantiæ, quam habuit in Filii sui Cõceptione: tertiam singularis excellentiæ, quam toto vitæ discursu consecuta est. Crevit ergo in infinitum cumulus gratiarũ, cùm nunquam, aut rarò (si dicere liceat) actum minorem habitu elicuerit; sed ordinariè ipso habitu potentiorem.

Dignitas consensus dati.

Cumulus gratiarum & meritorum.

A Quantum ergo actibus singulis per ingẽs spatium triginta quatuor annorum est merita, in quo multum passa fuit tenerrima Virgo? Et quid non fuit passa? quę omnes Filii sui dolores passionesque, veluti tela cruentata in suo corde excepit, quæ Filius suo corpore laceratus. Et hoc de secundo tempore.

§. V.

De tertio tempore.

B TErtium verò ætatis tempus à Filii Ascensione usque ad obitum, qui putatur contigisse anno ætatis 72. teste Cedreno in compendio historiæ, Epiphanio serm. de Ascensione; quam sententiam etiam confirmat Illustrissimus Cardinalis Baronius ex Dionysio cap. 3. de Divinis nominibus. Audi verba exstatici Viri: *Nam & apud ipsos Divino spiritu plenos Pontifices nostros; cùm & nos, ut nosti, & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuendum corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deúmque susceperat, convenissemus; aderat autem & frater Domini, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen, ubi* C *post contuitum placuit ut infinitè potentem, & Divinæ infinitatis bonitatem, Pontifices laudarent omnes quisque pro captu suo.* Ubi agit de supremo funeris honore; & quibus laudibus sacratissimæ Virgini parentarint. Dionysius autem ad Christi fidem fuit conversus anno decimo Octavo à luctuosâ Christi morte, qui fuit quinquagesimus secundus ab ejus natali, quo anno Magnus ille Paulus Athenas venit. Ut ergò adesse posset sacro funeri, necesse est Virginem ultra sexaginta sex annos vitam ad totius Orbis solatium protraxisse. Redeamus eò undè sumus exorsi. D A Christi ergò morte quantos cumulos gratiarum & meritorum superarrogârit tot annis, & tam longo vitæ intervallo, annorum scilicet viginti quatuor sibi relicta, quis assequetur? Quis ardores Virginis in Deum explicabit? cui contubernalis erat per adoptionem Filius, Joannes Ephesi (Concilii Ephesini testimonio cap. 27. tom. 2.) Quis flammas ardentis Virginis mente conceperit? Amabatur infinitè; & redamabat quasi infinitè, & desideriis per desideria infinitis, & suos amores novis amoribus & flammis augebat.

Quando supremus exitus Virgini contigerit.

Quo anno Paulus fuerit Athenis.

Verè cæleste prodigium, & sacratissimum spectaculum ab Ignatio in Epistol. 1. ad Joannem nominata. Brevi ergo compendio infinitam quodammodo immensitatem meritorum ponamus ob oculos. A primo puncto & instanti immaculatæ Conceptionis, & usus liberi arbitrii usque ad obitum beatissimum semper fuit in actu merendi. Deinde sunt etiam plurimi

In somno S. Virgo contemplationi dedita.

plurimi qui affirmant Virginē altiore mente Deum fuisse contēplatam, in somno scilicet; juxta illud Cant. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat*. Rupertus l. 5. in Cantica eodem modo (inquit) quo & Jacob dormivit: secundùm scilicet corpus dormire; & secundùm animū cælestia videre. Sed tu, ô cælum Dei, unica sedes Domini in utroq; vigilādi modo cunctis mortalibus longè eminentior extitisti, lōgè studiosior ad contemplandū eū, in quē desiderāt Angeli prospicere. Si in statu innocētiæ, ut ait D. August. 5. contra Julian. ca. 9. tā felicia erant somnia dormientiū, quā in vita vigilantiū? An nō Virgo primis parētibus & major & felicior? An non illa Angelis sublimior? si illi ab actu primo, meriti exordio, nunquā cessarūt à cōtinuo & actuali amore: cur illa cessasset, quę erat Regina Angelorū? Faciamus somno nonnihil impeditā, quę vix somno egebat (ut magnis principibus ea felicitas contigit;) nobilissima enim corporis tēperies, vivendi modestissima sobrietas, cui accedit ex virtute perfectissima corporis sui subjectio, mollitiem somni removebat. Noctes ergo diesque jungebat contemplationi, & tota in Deum rapiebatur, quia sciebat se in Matrem Dei delectā. Infinitos ergo milliones actuum charitatis exercuit. Deinde quis cōprehendet quot augmēta gratiarū & meritorum ex opere operato collata? an non à primo principio vitæ pro originali peccato in veteri lege concessum privilegiū accepit?

Quæ sacramenta susceperit.

Deinde Baptismi gratiā in lege novâ cùm à Christo, cū Petro fuit baptizata, Euthymio teste, & Nicephoro l. 2. c. 3. Deinde quantam gratiā susceperit in Cōfirmationis sacramēto; nā licet illud non receperit quoad signū visibile, in quo sacramenti ratio cōsistit; recepit tamē characterē, gratiā, & abundantiam S. Spiritus, qui sūt effectus hujus Sacramēti; sicut Apostoli in die Pētecostes pręter omne meritū quasi ex opere operato Spiritum S. & perfectissimū Confirmationis effectū. Et cur D. Virgo potiori ex causa nō suscepisset similes effectus? Deinde Christi fidelibus ut præberet humilitatis exemplum SS. Virgo, quāvis nullius peccati esset cōsors, Sacramētum Extremę Unctionis suscepit. Primarius enim effectus cur hoc Sacramentū sit institutū, est, ut homo ad ultimam pugnā roboretur, & cælestibus auxiliis armetur pro eo tēpore quo dæmō solet sævire ferociùs. Capax ergo fuit hujus effectûs & gratiæ ejus Sacramenti & auxilii spiritualis, quamvis Divinitus esset confirmata: simpliciter tamē libertatē habuit qua uti potuisset. Ad verba autē, *Remittat tibi Deus, si quid peccasti*. Conditionatè vel potētialiter, vel in tali casu Virgini concessum fuit privilegium. Hęc omnia ex Doctissimo Patre Suarez. Nunc de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento fonte bonorum omnium; quid dicam? An non in hoc, ipsa Deitas fons bonorum omnium sumitur, & manducatur sub specie panis & vini? quos ardores & flāmas amoris, ipsa tota flāma nō suscitavit, cū

Quo amore & qua Charitate communicaverit.

A eūdem suū filiū quē in suis sacris visceribus, mensibus novē velut sacratissimo tēplo portaverat, quē ipsa vestiverat, sub specie panis vestitū māducabat; & quē iterū atq; iterum, & centies iterū ad ubera sua collocatū presserat, quē in præsepi priùs vagientē posuerat; sub specie panis eūdem iterū quasi ad ubera & in præsepi animæ suę collocabat. Quis ergo assequetur altitudinē gratiarū & meritorū Virginis? Nemo, si Angelorum supremus per unicum actū factâ priùs dispositione ad tantū gratiæ gradū pervenit, qualem nullus Sanctorū præter Dei Matrē & Filiū attinget. Diva verò Virgo in primo instāti suæ conceptionis majorē sit consecuta, quā unico actu supremus Angelorū. An nō beatissima Virgo

B infinitis actibus, quos elicuit, infinitas gratias est merita & consecuta, cū, ut dictū est, actus adæquarent, vel etiā superarent totius habitus naturā. Unde si in primo instāti Conceptionis fuerit infusus habitus mille graduum per actū totius habitus latitudini æqualem; crescebat in duplū gratia, ita ut per singulos actus ita cresceret gratia, ut esset duplo major quā antea; & sic cresceret per reduplicationē in infinitū. Illa enim ex tota intentione habitus & quātum in se erat, operabatur, & ideò dabatur statim augmētum gratiæ, quod etiā de merito actuū remissorum verisimile est; quod meritū est sufficiens causa præmii. Po-

Ex tota latitudine habitus & operabatur.

C tuit ergo D. Virgo in ultimo puncto beatissimæ vitæ unico actu mereri tot gradus gratię, quot toto tēpore vitæ fuerat cōsecuta; quia tota efficacia habitûs toto conatu eliciebatur: ergo paucis ante beatū discessum annis, multiplicādo hujusmodi actus, quos oceanos gratiarū ac meritorū nō coacervavit; ut possit meritò mare meritorum, & gratiarum vocari? Unde rectè colligi potest, si in primo puncto vitæ adæquaverit uno actu omnia merita, & gradus gratiæ Angeli supremi; in fine vitæ exsuperasse omnium Angelorū & hominum gratias, & merita infinitis propè intervallis. Quemadmodū enim gratiā creatā animæ Christi, etsi non fuerit infinita, pu-

D tamus, fuisse tamen hujusmodi quanta esse potuit & proportionatum dignitati capitis & Majestati verbi Dei; & ideò intēsione superari omnium creaturarum gratias simul sumptas; decuit & Virginem Christo simillimā, & Verbo Dei cōjunctissimā ad ejus perfectionē proximè accedere; quia Virgo participat dignitatem & excellentiam capitis. Decet ergò ut & gratiæ illius perfectionem participet. Quod autem participet capitis dignitatem, audiamus priùs sanctos Patres, & deinde quidnam illi senserint de magnitudine gratiarum & meritorum.

§. IV.

Ut participarit dignitatem capitis; deinde de magnitudine gratiarum.

AD primam partem veniamus. Bernardus sermone 2. de Ascensione sic ait: *Per te accessum habemus ad filium, ô benedicta inven-*

inventrix gratiæ, genetrix vitæ. Et ser. 2. Pentecostes: *Tunc operabatur* (Filius scilicet) *salutem nostram in medio terræ*, in utero scilicet Virginis, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illum enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum omnes respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequetur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Hieronymus in Epist. ad Eustochium de custodia Virginis: *Mors per Evam, vita per Mariam.* Irenæus contra hæreses cap. 33. *Sicut Eva inobediens, est sibi & universo generi humano facta causa mortis; sic Maria Virgo obediens, sibi & universo generi humano facta est causa salutis.* August. serm. 35. *Altior cælo est, de quâ loquimur; abysso profundior, cujus laudes dicere conamur; hæc prima Matris damna resolvit, hæc homini perdito redemptionem adduxit: Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit: illa percussit; ista sanavit.* Hinc à sanctis Patribus vocatur mediatrix & reconciliatrix. Et Bonaventura: *Quid Maria, si omnis gratia ad Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad ceteros defluxit?* Et sanè per illam saluatur, quicumque saluatur. Habes lector ut participet de dignitate capitis.

Vt ad salutem nostrã cõcurrerit.

Ad alteram partem, quid senserint Patres de gloria & magnitudine gratiarum, & meritorum immensitate veniamus. Ildephonsus serm. 2. de Assumptione: Sicut est incõparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit; ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit: meritis enim correspondet gloria, cum gloria sit præmium meritorum. Andreas Cretensis de dormitione Virginis; talem & tantum dicit Virginis statum, ut quia nec discerni possit, honoretur silentio, quę excepto Deo solo est omnibus altior, quæ habet cum aliis non comparabilem appellationem. Et concludit: *O sancta sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure!*

Ineffabilia omnia dona Spiritus S. in Virgine.

Petrus Damianus serm. de Assumptione: *Virgo inter animas Sanctorũ, & Angelorum Choros supereminens & erecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit.* Attende Lector ad verba *singulorum* scilicet; *omnium* sicuti sol stellas luce & claritate. Et serm. de Nativitate Virginis: *Gloria quæ eam ex hoc mundo trãseuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere: nisi quia gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Damascenus orat. 1. de dormitione Virginis: *Dei Matris & servorum Dei est infinitum discrimen.* Chrysostomus in Liturgiâ, primùm negat aliquid esse in rerum universitate, quod cum Virgine comparari queat; deinde vocat eam incomparabiliter gloriosiorem quàm Seraphim. Sanctus Ephrem orat. de laudibus: *Nulla compa-*

A *ratione omnibus exercitibus superis gloriosior, præstantissimum orbis miraculum, omnium Sanctorum corona ob fulgorem inaccessa.* Bonaventura: *Vt in mari aquarum, ita in Maria congregationes gratiarum. c. 7.* Ex sententiis Patrum de laudibus Virginis. Quod Hieronymus verbis confirmat, dicens: *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota gratia plenitudo infudit,* juxta Ecclesiast. 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Quod Bernardus sic explicat: *Ideo in plenitudine Sanctorum Maria detentio fuit, quia in mirificâ perfectione suâ, plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi nõ defuit.* Et quid illi defuisset, quę est hortus deliciarum, in quo sunt condita omnium florum genera, & odoramenta virtutum teste Hieronymo. Quid

In plenitudine Sanctorum detentio ejus.

B illi deesse potuit? quam Deus præ ceteris adamavit? An non Dei efficax amor & operatosius? Ubi ille, ibi & premium amoris. An non præmium amoris, gratia? & cur Filius Dei præ ceteris non amaret? An non Filius Matri omnem honorem & gratiam debet? Debet. Anselmus lib. de excellentia Virginis cap. 4. *Potéstne ullus hominum* (inquit) *vel Angelorum illius amoris immensitatem, vel dignitatem honoris illius penetrare? Quidquid cogitatu comparabile est, illa possidet.* Et Bonaventura in speculo, titulo 6. circa finem: *Quid mirum si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus dilecta est?*

C Hactenus de Virginis gratia & meritis, quæ suis actibus, & ex opere operato sibi comparavit, de affluxu & concursu favorum, donatione auxiliorũ, atque infusione habituum, nunc paucis immensitatem gratiarum & meritorum, quæ Virgini debentur ratione sui status & excellentiæ pertractemus.

§. V.

Quæ excellentiæ gratiarum Virgini debitæ ratione sui status.

D IN primis Divina providentia quibusdam temporibus ornavit Virginem donis gratiarum extraordinariis ex decentia; quia ad sublimissimum statum ordinabatur. In Conceptione sua accepit primam sanctificationem, & tot dotes gratiarum, quæ omnium Angelorum & hominum statum excedebant. In Conceptione verò Filii incomparabiliter opulentiores: decebat enim Deum pro sua Majestate in utero Virginis sibi domicilium fabricantem, Virginis animam omni quasi Divinitatis splendore, & gratiarum affluxu incomprehensibiliter replere, ut Dei capax esset, & futura Dei Mater præter omne meritum suum. Fuit ergo tunc perfectissimè sanctificata, non tam ex privilegio, ut in prima

SS. Virgo plenissima omni gratia, quo Dei capax esse debebat.

prima sanctificatione; sed ob novam & admirabilem divini Verbi præsentiam, in cujus conspectu nec cæli mundi sunt, nec Angeli. Quantam ergo puritatem, & quos oceanos gratiarum contulit illi Sapientia, & Dei bonitas infinita, quo digna fieret Deum concipere, portare, lactare, tractare? Quis ambigat, quin Angeli paveant ad tantæ Virginis sublimissimam & quasi divinam affusæ puritatis, & proximè Deo similem dignitatem? Nec est quod mireris: Angelus prænuntius vaticinatur: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Unde & D. Thomas *quæst.* 27. *art.* 3. agnoscit & ait: ***In ipsâ Conceptione carnis Christi, in quâ primò debuit refulgere carnis immunitas, credendum est, quod ex prole redundâris totaliter fomite subtracto sublimissima innocentia puritas.*** Si redundaverit ex prole; ergo nullis meritis, sed ex immensa prolis divinæ redundantia cum subtractione fomitis. Hoc figuratur per Ezechielem 43. ibi dicitur: *Ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam Orientalem*, per beatam scilicet Virginem; *& terra*, id est caro ipsius, *splendebat à Majestate ejus*, id est Christi. Credibile, & valde pium, totaliter fuisse extinctum in Virgine fomitem peccati. Et cur Virgini non daretur justitia originalis, quæ data Adamo, & Angelis? natura enim Angelica & humana ad sui decentiam postulabat, ut originali decentiâ ornarentur; alioquin creaturæ nobilissimæ creatæ prorsus indecenter se habuissent, & in illis condendis & poliendis auctoris sapientiam requisivissemus. Cùm igitur dignitas Matris utramque creaturam infinitis intervallis præcedat; an non ejus decentia originalem justitiam postulasset? Fatetur tamen Doctor Angelicus, quòd vel totaliter, vel quòd si remanserit, fuerit ligatus; in Conceptione tamen Filij fuisse totaliter sublatam propter singularem affinitatem, quam habuit ad Christum. Quantò enim aliquid magis appropinquat suo principio in quolibet genere, tantò magis participat illius principij effectum. Virgo autem beatissima, quæ fuit propinquissima Christo secundùm humanitatem, ex quâ accepit carnem, à Christo debuit plenitudinem gratiæ accipere: *Gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est.* Joan. 1. Hinc idem *art.* 4. *quæst.* 27. docet, ut dictum est; gratiam quodammodo fuisse consummatam; & ut alij dicunt, tam perfectam fuisse, ut amplius crescere non potuerit. quod non sequimur. Doctissimus Vasquez, ut probet in Conceptione, vel supra homines omnes Angelosque gratiam collatam Virgini, hoc fundamento innixam fabricat rationem: ***Decens**, inquit, **ut quæ tunc in Reginam Angelorum & hominum sanctificabatur, eâ tunc gratiâ ornaretur, quæ omnes vel homines, vel Angelos superaret***; imò posteà probabilius in Mariæ regno & imperio, ampliorem gratiam in Virgine fuisse, quàm omnes Angeli & homines simul sint consecuti. Sapientissimus verò Pater Suarez argumentum sumit ex

Omnis fomes exstinctus in SS. Virgine.

A titulo Maternitatis, qui cùm sit dignitatis infinitæ, gratiam ex æquitate postulat infinitam, ita ut nulla gratia satis intendi possit, quæ exæquaret dignitatem Maternitatis. Dignitati autem Matris, nullius creaturæ sive Angelorum sive hominum conferri dignitas potest; ergo nec ulla gratia, cùm gratia quæ debetur Maternitatis titulo, qui est dignitatis infinitæ, debetur gratia infinita. Vide D. Thomam 1. 2. *quæst.* 2. quamvis Theologis multis exploratum videtur, ipsam Maternitatem nudè sumptam, & nudam omni sanctitate & gratiâ in ordine ad rerum spiritualium impetrationem parùm posse, aut nihil; ac proinde nullius meriti esse apud Deum. Verumtamen certum est, immensam gratiam sibi vindicare pro

Titulo Maternitatis debetur gratia infinita.

B dignitatis suæ Majestate, ut iis ornamentis exornetur, totque bonis gratiarum dotetur, ut nulla major excogitari possit; ne quippiam illi fœminæ, quæ futura erat Mater Dei, desit, quod pertineat ad elevationem & extollentiam tanti statûs, qualis erat, esse Dei Matrem, & habitaculum Spiritus sancti. An non cederet Deo in injuriam, & detrimentum suæ infinitæ bonitatis gloriosissimæque naturæ, nasci ex fœminâ vili, projectâ, & Angelis dignitate posteriori? Decuit planè Deum ex creatura perfectissima & proximè sibi simili generari, cui nihil abesset puritatis, verùm omni nitore præcelleret, qui dari, dici, fingique possit. An non decus parentum in filios redundat? An non mater & filius unum

C sunt, & pro uno æstimantur? Et quamvis Christo debeatur quodammodo gratia infinita, vel ea quanta dari potest ratione unionis hypostaticæ quâ homini per communicationem idiomatum attributa divina tribuuntur, ut dicatur homo Deus, & Deus homo; Virgini tamen aliâ ratione & respectu debentur gratiæ & merita, quia scilicet Mater est: dignitas quippe Matris Dei tantam gratiam ex status sublimitate, ex æquitate & justitia, quam debet Filius Matri; & ex amore naturali, qui innascitur filiis, postulat; ut esse Matrem Regis, seu esse Matrem Dei, infinitis propè intervallis excedat, tam hominum quàm Angelorum dignitatem, & dignior sit Mater exaudiri à Deo, quàm omnes Angeli

Filio Dei debentur omnes gratiæ ratione unionis hypostaticæ Virgini SS. titulo Maternitatis.

D & homines simul. Si igitur dignior sit, & dignitas apud Deum non aliunde quàm à gratia, quæ est causa efficiens dignitatis, obveniat; necesse est, Virginem immensitate suæ gratiæ tam hominum, quàm Angelorum gratiam excedere. An non illi omnes tanquam servi famulantur ut Matri? quæ jure naturæ habet & in Filium Deum, imperium.

Ultimum sit hoc argumentum pro summa perfectione Virginis, quâ omnes simul Sanctos, tam Angelos, quàm homines excesserit. Cùm amor Dei sit efficax, & fons, & origo nostræ felicitatis; amor autem sit beneficens, & pro magnitudine amoris, magnitudo beneficiorum & gratiarum profluit. (Et ideò Deus amat, ut beatos & sanctos

Amor divinus fons donorum & gratiarum.

nos efficiat, sciens nos amore suo esse beatos.) Deus autem plus amet Virginem, quàm omnes reliquos Sanctos; cur non plus gratiæ debebitur? Quis enim ignorat amori gratias æquari? & pro mensura dilectionis, gratiarum conferri mensuram? Deinde quis audeat dubitare, Virginem non fuisse summè præ ceteris omnibus æstimatam atque dilectam? Annon Rex plus Matri defert, & debet obsequiorum, quàm reliquæ mulierum turbæ? Hinc Augustinus, ut refert Bonaventura *in Speculo cap.6. Tu ipse Rex Regum ut Matrem verè decoram, & sponsam præ omnibus diligens, amoris amplexu tibi associas.* Et Anselmus *lib.4. de excellent. Virg. Ostendit*, inquit, *amorem erga Matrem, quo nullum putemus esse majorem.* Et infrà: *Quid ergo dicimus? estnè putatis ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare?* Et infrà: *Potestne ullus hominum vel Angelorum illius amoris immensitatem pervadere, vel dignitati honoris illius quidquam cogitare comparabile?* Unde sequitur, Christum plus amasse Virginem, quàm totam Ecclesiam sine Virgine. Unde rectè intulit S. Bernardinus *serm.15. de festivitat. Virg. cap.4. Christum potius venisse pro redimendâ Virgine, quàm pro ceteris omnibus.* quod refert ex Glossa in id Cantic.4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*; & Virgini plus profuisse Christi Incarnationem, quàm reliquis simul hominibus. Fuit illa enim Princeps in decretis salutis, redemptionis humanæ. Quapropter non sine causa Theologi plurimi affirmant, propter unius Mariæ salutem, etiamsi alij deessent, omnia Christi merita, vitam & mortem satis benè locatam & impensam. Quod pulchrè Ambrosius ad verba Cãsam. Quod pulchrè Ambrosius ad verba Canticor.6. declaravit, ubi inducitur sponsus loquens: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Vel ut habent Septuaginta: *Averte oculos tuos à me, quia elevas me, videndo te.* Possumus, inquit, sic accipere: Et si tu perfecta es, aliæ mihi adhuc redimendæ sunt animæ, aliæ fulciendæ: elevas enim me videndo, ego autem ideò descendi, ut alios elevem. Jubet ergo sponsus illam oculos avertere, ne illo intuitu, reliquis posthabitis desertisque, ad cælum ipse elevetur. Tanta enim est Mariæ dignitas & gratia, ut Deo opus sit, mentem, & oculos ab illa avertere, ut illos ad reliquos homines servandos inflectere possit. Maria ergo sola sufficiens Filio Dei triumphus; Maria sola peramplum laborum & mortis præmium; illa sola satis digna Deo materia, ut omnia toleraret, ad extrema supplicia sese projiciendo: illa prima, & ultima cura Filio; illam redemisse satis fuisset, nisi imperium Patris ursisset; atque ideò clamat: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum: in uno crine colli tui.* Et quia tantum amatur, dicit Methodius *serm. de Purificat.* Virginem alloquens: *Habes Deum debitorem, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus: tibi autem ille debet.* Uno verbo absolvero: Deus, unâ solâ Mariâ gloriatur. Concludamus immensitatem gratiæ Virgineæ sanctorum Patrum consono concentu applaudentium. Bernardinus Senensis *tom.2. serm.61. art.3. cap.3.* ad verba Esther 1. *Posuit diadema regni super caput ejus, & voluit eam esse Reginam.* ipse sic addit: *Istud est diadema speciei, & corona gloriæ, quâ Virgo super omnes Angelos coronatur, & intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus beatissimæ Trinitatis gloriam diligat, capiat, sentiat, fruatur, quàm omnes aliæ creaturæ simul sumptæ. De ejus gloria, post Filij, participant universi.* Bonaventura *in Spec. Super omnes intelligentias Angelicas, & super omnes beatas animas in Mariâ est gratia super gratiam omnium Beatorum.* Petrus Damianus *de Assumpt. Electa*, inquit, *sed prælecta ut Sol: quia sicut Sol orbem illuminat, sic sola Virgo lucidiore lumine & Angelos & homines illustrat.* Hieronymus: *Quid mirum si in cælo & in terra ejus plenitudo sit super omnem creaturam, cujus plenitudine omnis terra virescit?* Hieronymi verba hæc adfert Bonaventura *in Specul. cap.7.* quibus & verba Anselmi attexit: *O fœmina*, inquit, *plena & superplena gratiâ, de cujus plenitudinis abundantia respersa virescit omnis creatura.* Et idem *in Specul. Virgo attulit aurum charitatis infinitum.* Damianus *de Nativitat. Virg. Gloria quæ transeuntem ex hoc mundo excepit, principium ignorat & finem.* Anselmus *lib. de excellent. Virg. Gloria tua, & gratia immensitatem considerare cupienti, ô Virgo, sensus deficit.* Damascenus secundâ Oratione *de dormit. Virg. Virgo*, inquit, *vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.* Sophronius *de Assumpt. Mariæ: Se tota plenitudo gratiæ infudit, ceteris per partes datur gratia.* Sic beati Patres infinitum mare gratiæ Marianæ celebrant; non quòd de facto infinitam obstinatè dicamus, sed sicuti dum dicimus guttas maris esse infinitas; infinita pariter grana arenarum per maria terrarumque spatia dispersa, quia scilicet nullus intellectus humanus ea possit dinumerare, quamvis Sapientia divina dinumerarit. Sic vocamus Dei Matris gratiam infinitam, quia scilicet excedit Angelicos humanosque intellectus, & sic splendore radiorum reverberat, ut assequi nequeant. Certum itaque videtur eam gratiæ mensuram Virgini collatam, quæ altitudini status responderet. Æquitas enim divinæ Providentiæ postulat, ut pro dignitate muneris, functionis, vocationis, æqualitas gratiæ donetur; qualem videmus collatam Joanni Baptistæ, quia Christi prænuntius, quia Christi vox, qui Christum baptizaturus. Qualem insuper gratiam collatam videmus Paulo Doctori Gentium; & Francisco Xaverio fratri suo Juniori. Quod idem agnoscit D. Thomas *3.p. quæst.7. art.10.* ubi sic ait: *In Matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata.* Et Augustinus *de naturâ & gratiâ: Unde novimus talem gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit.* Deinde esto dicamus Virgini infinitam plenitudinem gratiarum collatam; quid incommodi inde nasci poterit? Certum est, Deum

Plus amata Virgo à Christo quàm Ecclesia tota sine Virgine.

Sola SS. Virgo digna visa Deo omni labore & morte pati.

Deum potuisse conferre. Deinde nemo negat esse quoddam infinitum positivum comparativè, quod suo modo est infinitum positivè. An non homo melior est bestiâ, quamvis forent bestiæ infinitæ; imò infinitæ species bestiarum? An illud infinitum potest conferri finitæ dignitati hominis, quæ in se etsi sit finita; attamen comparativè est infinita? An non Angelus infinities melior dignior que Solis substantiâ? & quamvis Soles forent infiniti, ad dignitatem Angeli non accederent. Hoc pacto Virginem infinitæ dignitatis dicere quis prohibet, cùm nulla creatura illi possit illius titulo adæquari, quod Deum genuerit; qui titulus cùm sit supremi ordinis, reliqua verò inferioris ordinis, in comparationem venire non possunt.

Una est ergo creatura, in qua sola Deus gloriatur; una est, cui perfectè congratulatur sui, suorumque bonorum omnium etiam infinitorum donatione: *Una est*, inquit, *perfecta mea, una columba mea, una cor meum, una amica mea, una speciosa mea, una Mater mea, cui debeo quod sum homo; & ideo una pulcherrima mulierum*. Quid potui facere Matri, & non feci, cùm possem? Hinc est quod & ipsi cælestis Curiæ Principes, in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* ac si manifestiùs dicant: Quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto, affluentia tanta deliciarum? Non enim pares inveniuntur deliciæ in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloriâ potamur. Ascendens igitur de deserto Regina mundi etiam Angelis sanctis facta est speciosa, & suavis in deliciis suis.

§. VI.

Brevis Epilogus.

Diximus Dei infinitudinem absolutè incomprehensibilem: Virginis verò sanctissimæ non absolutè quidem in se esse incomprehensibilem; sicut nec undequaque infinitam, quamvis à nulla creatura ob suam immensitatem capi possit, quæ soli Deo cognoscenda reservatur. Quare cùm hoc ita sit, utriusque infinitatem aliquâ similitudine delineabo, ex vita S. Ægidij Minoritæ desumpta, 23. *Aprilis* apud Surium, intexam sermocinationem.

Duo Fratres Dominicani inviserunt aliquando Fratrem Ægidium, & instituto de divinis rebus sermone, fluxit oratio ad exordium Joannis Euangelistæ, in quo fulmina & tonitrua Filius tonitrui permiscuit, & instar

A Aquilæ ad sinum Patris ab ima humo volando sese sustulit. Et cùm Dominicanus diceret, adeò sublimia de Deo ibidem scripta ut comprehendi non possent; cui Ægidius: Euge Frater; Joannes nihil de Deo scripsit. Dominicanus ad verba hæc: Quid tu loqueris Pater? Augustinus enim testatur, adeò sublimia de Deo à Joanne scripta, ut ad altiora si addidisset, ab universo orbe capi non posse: ne dixeris ergo nihil eum de Deo scripsisse. Perstitit nihilominus Ægidius in sua sententia, nihil propè de Deo dixisse. Ut igitur pacaret mentem alterius, usus est hâc similitudine. Vides hunc altissimum montem; hic si ex semine milij constaret, & si avicula quotidie ex illo comederet, quantam putares

B inde portionem posse absumi? Cui Dominicanus: Etiamsi mille annos impenderet in esum, nulla foret consumptio, comparatione reliqui montis. Sic se habet, inquit Ægidius, infinitas Dei, quæ adeò ingens est & incomprehensibilis, ut sit similis infinito monti, cui quidquid abstuleris, nullam sentit sui diminutionem. Parvæ ergo instar avis fuit sanctus Joannes; ut ea quæ scripsit, comparata infinitæ Majestatis divinæ magnitudini, sint quasi aliquot grana milij ex monte ad nos delata. Vide Dionysium in Theologiâ Mysticâ. Addo aliud magis mirabile: Quod si omnes omnium fontium, fluminum, & totius oceani guttæ; si omnia arenarum per orbem sparsarum grana; si frondes omnium germinum,

C & arborum; si stellæ, & quod mirabilius; si omnium qui fuerunt, & erunt, & sunt hominum, & Angelorum cogitationes verterentur in linguas, quæ conflarent numerum, & myriades numerorum infinitas, & eæ canerent triumphos infinitatis divinæ, eamque calamo vellent depingere; ubi multis millionibus annorum eam laudassent, deprædicassent, & libris conscriptis celebrassent; vix stillam infinitatis divinæ, & immensitatis attigissent. Tanta est infinitudo bonorum divinorum, ut capi à nulla creatura possit. Quidquid igitur de Deo dicitur, minus est Deo, atque adeò infra Deum, ut vix vestigia ejus Divinitatis cognoscantur. Fateor ad hanc infinitudinem, Virginem non accedere; dicimus ta-

D men excedere suæ dignitatis immensitate omnem intellectum creatum, ut par tantæ Majestati esse non possit.

Habes Lector duplicem oceanum bonorum omnium: unum, Divinitatis increatæ; alterum naturæ creatæ. Divinitatis, nihil addi potest, qui continet omne bonum: in oceano creatæ, nihil est quod requiras. Despice ergo omne bonum creatum, ut perfruaris infinitè eo bono, quo solo bonus esse potes, & beatus.

VIGESIMÆ QVARTÆ CONSOCIATIONIS DE DEI OMNIPOTENTIA

PARS PRIMA.

§. I.

In genere, quomodo sit Deus omnipotens. Cur dicatur omnitenens? cur omnipotens?

DUo sunt attributa divina, quæ summi Dei Majestatem præ ceteris attributis majori claritudinis luce, nostro modo concipiendi, illustrant: infinitudo scilicet, de quâ posteà; & omnipotentia, quâ omnia potest. Quare si Deum nosti, scito illum posse omnia facere. Non enim verè Deus est, qui quod vult non potest; qui verè omnipotens est, nihil est quod ille non potest. Dicimus ergo Deum omnipotentem: Inprimis tum quòd omnia facere possit. Unde παντοδύναμον: deinde quod in omnia habet potestatem; & παντοκράτορα, quod omnibus dominetur, & omnium teneat potentatum, nominamus. Magnificus sanè titulus divinæ Majestatis, esse omnipotentem, juxta illud Genes 18 *vers.*13. *Nunquid Deo est quidquam difficile?* Vel ubi Hebræi legunt: *An mirificum erit quidquam à Domino?* hoc est, ita ut eò pertingere non valeat. Quod rectè Septuaginta verterunt μὴ ἀδυνατήσει παρὰ κυρίῳ ῥῆμα: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. I. Satis enim est Deo ad omnia, tantummodo velle: atque uti voluntas nullum nobis adfert laborem; ita nec illi, tot ac tantas condidisse virtutes. *Omnino* enim *omnia quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terrâ.* Psal. 113. Quid autem de Deo desperandum est, cui difficile nihil est? qui sic facit magna, quomodo parva. Et sanè quid difficile facit, qui verbo facit? quâ facilitate creat cælos, eâdem & terram, & quâ Angelos, eâ & homines; & nisi omnipotens esset, non unâ eâdemque facilitate summa, atque ima fecisset: itaque sic est artifex magnus in magnis, ut non sit minor in parvis: quæ parva, non suâ granditate, quæ nulla est; sed artificis sapientiâ metienda sunt. Et quemadmodum omnipotens est, ita & omnitenens. *Creatoris namque potentia,* ait Augustinus *lib.* 4. *de Genes. ad literam cap.* 12. *& omnipotentis, atque omnitenentis virtus, causa est subsistendi omni creaturæ; quæ virtus, ab eis quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & eorum cessaret species, omnisq; natura concideret.* In illius ergo omnipotentia, & omnitenentia vivimus, movemur, & sumus. Præclarè hoc docet Dionysius *cap.* 10. *de divin. Nominib. Omnitenens quidem dicitur, quod sit omnium sedes, omnia continens atque complectens, & cuncta stabiliens, fundans, atque constringens, & universum, insolubile in seipso præstans, & ex se, veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se tanquam ad fundum omnitenens, universa convertens, & continens, ut omnium sedes omnicapax, &c. neque sinens ea sibi excidere, ne tanquam perfecta domo mota dispereant.* Hæc sanctus Pater. Dicitur autem omnitenens, quasi dominatu suo omnia tenens. Dicitur autem omnipotens, quia omnibus imperat, & dominatur,. & sufficit potestas ejus omnibus, qui ab ipso gubernantur; quod in Regibus terrenis locum non habet, quoniam viris præstantibus opus habent ad gubernandum. Dicitur etiam omnipotens, ut omnibus amabilis, & desiderabilis; quoniam ab ipso omnia voluntariè gubernantur, & erga ipsum divino amore feruntur. Quid enim præcepti celeritate non perfecit? cuncta quæ antè non erant, tanquàm

Quid sit esse omnipotentem.

Omnipotentia par ad omnia, nihil illi difficilius pra altero.

In Dei omnipotentia, & omnitenentia vivimus.

Omnitenens & omnipotens, cur dicitur.

sub-

A subitò aliunde producta ante nurum ejus velociter astiterunt nullâ apparente materiâ: origo enim rerum efficax omnipotentis Dei est imperium: propterea in illo digna plena potestas creditur, cui tantum posse, quantum velle, & tantum velle, quantum posse naturaliter suffragatur; & quis voluntati Dei resistet, qui quidquid voluerit, potest? & si quod vult, non posset; Deus non esset. Quare Deus ut mortalium animos ad ardua patranda, perferendaque corroboraret; semper se vocat Deum Omnipotentem, Genes.17. *Ego Dominus Omnipotens*, Genes.35. *Ego Deus Omnipotens*. Exod.15.v.3. *Dominus Omnipotens nomen ejus*. Plena est sacra Pagina hoc titulo Omnipotentiæ divinæ, qua sustentati omnia possumus, juxta Paulum ad Philipp.4. *Omnia possum in eo, qui me confortat Deus*. Et Vatem sacrum: *In Deo faciemus virtutem*. Psal.59.

Omnipotentia respondet voluntati.

Solus ergo Deus omnipotens, quia actu est quidquid esse potest, adeoque omnem τὸ ὄν, id est, essentiæ amplitudinem exhaurit. Pulchrè hoc docet August. *lib.26. contra Faustum cap.5. Ille planè omnipotens verè solus dicitur, qui verè est, & à quo solo est quidquid aliquo modo est, vel spirituale, vel corporale*. Et Cassiodorus *lib. de anima cap.9. Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse, quod sapere: hoc est posse quod vivere: hoc est velle quod facere*. Est autem infinita ejus omnipotentia, quia infinita est essentia. Si infinita essentia, ergo omnia attributa & quidquid in Deo est, necesse est esse infinitum. Infinitæ ergo sapientiæ est, invenire infinitas rerum species: ergo & infinitæ potentiæ, easdem producere. Infinita ergo facere potest, nec ulla ratione ad operandum potest coarctari, si volūtas adsit. *Omnia* quippe *quæ voluit, fecit*. Psal.115. Quid ergo tam rationale, nisi ut Deus quidquid voluerit, possit? An ille Deus dicendus, qui quod vult, non potest? an ignoras mensuram potentiæ esse voluntatem? an non pari quodammodo passu progrediuntur potentia & voluntas? Bene ergo Ambrosius *lib.5. Commentar. in Luc. Voluntas Dei potestas est*; Si ergo voluntas Dei, ejus potestas est, qui unius voluntatis Trinitatem asserunt, unius utique asserunt potestatem. Deus ergo cùm nullam necessitatem patiatur, neque necessitate facit, quæ facit, sed summâ & ineffabili voluntate ac potestate: & quamvis in Deo sit beata necessitas, ut malum velle non possit, nec peccare; non tamen desinit in Deo esse libera voluntas ut possit creare, vel non creare. Est ergo omnipotens, & infinitè liber, sicut fuit ab æterno ante mundi creationem αὐτεξούσιος φύσει, naturâ liber; nec ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest. Plenissima ergo potestas in Deo, quia tantum potest, quantum vult, & tantum vult, quantum potest.

§. II.

His præmissis, Quomodo potentia in Deo ponatur. Tria in Deo ponuntur ad rerum productionem assignamus potentiam scientiæ & voluntati: potest omnipotentia sine Creaturis concipi. Deinde quid sit esse omnipotentem.

POtentia in Deo ponitur, non ut aliquid differens à scientia, & voluntate secundùm rem, sed solùm secundùm rationem, in B quantum scilicet potentia imperat rationi principij exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod scientiam dirigit; quæ tria in Deo secundùm idem conveniunt. Potentiæ ergo rationem exequendi; voluntati rationem imperandi; scientiæ rationem dirigendi tribuimus. Ex scientia Dei non prodit opus, nisi mediante voluntate imperante, & potentia exequente; est tamen potentia Dei ad intellectum reducenda, & voluntatem; non tamen ut sit ipsemet intellectus, & voluntas in actu primo, vel in actu secundo cum scientia nimirum, & voluntate. Nam ipsa in Deo primo est, & necessario, & ex natura rei non potuit aliquo modo non esse, & ipsa est propinquius principium operationis quod esse possit; C assignamus tamen eam scientiæ rerum possibilium, quantum practica est, & voluntati, quæ est facultas volendi, in quâ multi Patres dicunt sitam omnipotentiam. Clemens Alexandrinus *in Protreptico propos.31. Quanta autem Dei est potentia, ipsius Dei sola voluntas, est mundi productio. Solus enim Deus fecit, quoniam ipse quoque solus est reverà Deus. Solâ voluntate operatur, & ejus solùm velle, factum esse consequitur*. Et Chrysostomus *orat.2. de incomprehensib. natur. Satis illi fuit ad omnia velle. Atque uti nobis voluntas nullum affert laborem: ita nec illi, tot, tantasq; procreasse virtutes. Omnia enim quæcumque voluit, fecit*. Hunc sequitur Theodoretus *serm.4.* contra Græcos *propos.65. Et quod* D *ceteris artificibus est materia, & instrumenta, nec non tempus, & labor, & scientia, & diligentia; hoc universorum Deo est voluntas*. Hos corroborat Augustinus *3. de Trinitate cap.4. Voluntas Dei prima est, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum*. Et Auctor *lib.2. de Speculo*, cui Augustini nomen inscribitur: *Voluntas tua opus est, cui velle, est posse: qui omnia ex nihilo creasti, solâ voluntate fecisti*. Et Paschasius Radbertus *in lib. de corpore & sanguine Domini; Voluntas Dei tam efficax est, & omnipotens, ut ejus velle solùm, fieri sit, ac per hoc voluisse illum, fecisse est*.

Tria in Deo conveniunt ad rerum productionem.

Nota omnipotentiam, ut à nobis concipitur, & nominatur, non posse intelligi sine creaturis, quia relativè concipitur: at verò ut

 est

est in Deo, est absoluta, & rectè intelligitur quidditativa, & comprehensiva notitia sine tali ordine; sic enim nihil aliud est, quàm ipse Deus in se absolutè perfectus. Potest ergo omnipotentia Dei in se absolutè cognosci, absque ullo respectu ad creaturas. Quid prohibet, quin Deum apprehendam? Primum, in sua Majestate omnipotenti, hoc est activum ipsius Dei primum, intelligere, quatenus in se, & virtutem habet operandi ex seipso; deinde quatenus actu refertur, ut potens ad objectum: deinde relativè ad aliud, ut potentem mille mundos creare. Activum ergo Dei in se prius est, quia est perfectio primi entis, quod suapte naturâ nihil aliud supponit, nec postulat secum, ut sit; ac proinde naturâ suâ absolutum est absque omni priori, aut comitante, alioquin non esset summum, & primum ens. Color quidem dicitur visibilis, ex eo quod visus suapte naturâ ad illum refertur: at verò res non dicuntur possibiles, quia potentia reipsâ, & naturâ suâ refertur ad illas; refertur enim ad illas extrinsecâ denominatione: sicut etiam res referuntur ad potentiam. Sicut enim consideramus in tribus Personis æqualem omnipotentiam, quia æqualiter possunt producere creaturas, tamen potentiam infinitam, generativam præscindere possumus in tribus Personis; quia non convenit illis æqualiter producere personam. *Cùm autem*, ut docet D. Thomas *1. p. quæst. 25. art. 3. Deus omnia posse dicitur, nihil rectiùs intelligitur, quàm quod possit omnia possibilia absolutè, & ob hoc omnipotens dicitur.* Omnipotentia ergo est virtus, quæ potest producere quidquid non implicat contradictionem, ut sit. Si autem non posset producere omnia, esset valdè mirabile; quandoquidem omnipotentia fundatur super immensitatem infinitæ essentiæ divinæ, quæ se extendit ad omne genus entis possibilis, præhabens in se totius entis perfectionem. Unde quidquid habet rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur Omnipotens. Potentia ergo Dei infinita est, quia fundatur super essentiam infinitam. In omnibus enim agentibus invenitur, quod quantò aliquod agens est perfectius, tantò est major ejus potentia in agendo. Unde si calor esset infinitus, haberet potentiam infinitã calefaciendi. Cùm ergo Deus agat per essentiam, quæ est infinita, cur non sequeretur, potentiam esse infinitam? Non tamen ita fundatur super essentiam infinitam, ut non sit perfectio, & attributum per se in Deo, ut sint cetera attributa distincta nostro modo concipiendi. Scientiam Dei dicimus infinitam, quia se extendit ad omne scibile, & quia infinita cognoscit: & duratio, & æternitas ejus non ideò est infinita, quia alias perfectiones, & attributa in se continet, sed quia est sine initio, & fine; sic Dei Omnipotentiam dicimus infinitam, non quia habet scientiam, justitiam, sanctitatem infinitam, sed quia infinita est in genere potentiæ ut omnia possit. Convenit ergo potentiæ suæ infinitas, sicut sapientiæ, & veritati, & justitiæ. Quare & Dionysius *cap. 8. de divin. Nom.* vocat Deum ἀπειροδύναμον, id est, *infinitæ potentiæ.* Παντοδύναμος *omnipotens*, quia est auctor omnis potentiæ: & potentia, & vigor qui est in rebus creatis, ab ipso est. Vocatur &, ut dictum est παντοκράτωρ *omnipotens*, quod omnia producta contineat.

Potest omnipotentia concipi absque creaturis.

Omnipotentia refertur extrinseca denominatione ad creaturas.

Omnipotentia est proprium attributum.

A

B

C

D

§. III.

Potentia ab effectibus cognoscitur. Omnipotentia Dei ex cælestium corporum magnitudine. Terræ parvitas comparata cælo, prodigium Solis stantis, & suum iter relegentis.

EFfectus monstrant potentiam causarum: & quantò effectus magnitudine, & ceteris qualitatibus sunt præstantiores, tanto Architecti virtus, & nobilitas clarius cognoscitur. Perambulemus pernicibus intellectus oculis mirabilia opera cæli. Qualia, & quanta, & quàm vasta, & quantâ altitudine supra terram elevata, nemo est qui possit mente concipere. An non secundùm Clavium Principem matheseos, cælum Lunæ à terræ centro distat milliaribus 120630. Cælum autem Solis quatuor millionibus. Stellæ fixæ plusquàm 80. millionibus milliarium. Convexum ergo cæli 160. millionibus milliarium. Milliare voco mille passus, id est, spatium quoque mille pedum. Hinc collige quantos oporteat esse orbes cæli, quantâ vastitate arctos, Ex Solis magnitudine collige altitudinem corporum cælestium, Sol qui nobis instar exiguæ rotæ lucidę, vel aurei, & comati vultus apparet, centies, & sexagesies totâ terrâ major esse defenditur. Quis incredibilem pernicitatem animo concipiat? Nemo planè: deficit quippe intellectus, & attonitus stat victus. An non Sol unũ millionem, & centum & sexaginta millia milliarium singulis horis decurrit? An non stellæ circa æquinoctialem partem, ut quæ in cingulo Orionis, an non singulis horis plusquàm 42. milliones milliarium evolvunt. Quis tantam celeritatem attendens, non stupeat potentiam tanti Creatoris? Quis credat tantæ celeritatis rapidæ motum condi posse, quem nec imaginariè assequi intellectus potest? Quare non sine causa motum Solis, cælorumque dicunt multi causari ab ipso Deo immediatè, & illam concitationem intelligentiis impossibilem, nec iis pares vires tam prodigiosis motibus creandis. An non illæ stellæ rapidiùs spatio salutationis Angelicæ septies totam terram circuire[illegible]? Quid de sede Beatorum dicemus, Cęlo [illegible] et Empyreo? An non longiùs illud a[illegible] a firmamento, quàm firmamentum à terra? Quanta poten-

Altitudo cælorum.

Pernicitas cælorum Solisq; incredibilis.

Angelica virtus non sufficit motui calorũ.

potentia supremi illius entis, qui uno Verbo voluntatis suæ tantas moles condidit!

Adesto Lector, & introeas in potentias Domini, qui infinitos in infinitum perniciores motus, & mundos, & cælos ampliores, vastioresque potest creare. Quid est totus orbis terrarum aliud, quàm gutta roris antelucani? quid vastitates cælorum, nisi parvæ pilæ? quid sunt omnes creaturæ, nisi aliquot grana milij? quid sunt omnia creata, iis collata quæ omnipotentis Dei dexterâ possunt creari, & ex nihilo educi, nisi velut exiguum nihil? Hujus mundi nobilem apparatum, qui dedit aliquod specimen divinæ artis, sapientiæ, potentiæ, & relictus disputationibus hominum, nemo sapientum penetrare potuit; quis penetrabit centuplo perfectiores? Terræ amplitudinem, & profundum abyssi quis dimensus est? certatur etiam nunc, nec certamen pugnantium argumentis definitur. Aristoteles *lib.2. de Cælo* ex Mathematicorum sententia, quos ipse secutus est, docet ambitum terræ continere quadraginta millia stadiorum, hoc est, quinquaginta millia millium Italicorum; secundum Hyparcham verò, teste Plinio, triginta quatuor millia, mille sexcenta vinginti quinque. At secundùm Eratosthenem, ut refert Macrobius in somno Scipionis, unum & octingenta mille, & quinquaginta milliaria. Ex Ptolemæi autem sententia, viginti duo mille, & quingenta. Pharnelius viginti quatuor millia, & quingenta quatuordecim. Secundùm recentiores Astronomiæ peritos, qui totum orbem ferè perlustrarunt; quales fuerunt quatuor Heroes, Thetidis Paranymphi, & in primis Hollandi gens imperiis maritimis digna, & æternâ laude; si pro fide Petri tanta virtus staret, milliaria novies, & decies mille super octoginta toti orbi assignant. Tanta autem hæc magnitudo terræ si cum octava sphæra, in qua sunt inerrantia sidera, comparetur, vix puncti magnitudinem obtinebit. Ambitus enim octavi cæli, continet ambitum globi, qui ex terra, & aqua constat, vicies, & bis millies, superque sexcenties, & duodecies, eoque amplius. I nunc, gloriare de magnitudine regnorum, imò & terræ totius, pro quo puncto orbis, tanto fuso sanguine humano dimicatur. Hæret tibi aqua, & attonitus admiraris. At quanta erit parvitas terræ si cum cælo empyreo conferatur? Verè Magnus, & admirabilis, & potens Deus. Inhorruit orbis ad potentiam invisibilis Dei, dum ad vocem Josue Sol fixus, & immobilis stetit, voci hominis Deo obediente, & una dies facta est quasi duo: nec fuit anteà, nec posteà tam longa dies. Josue 10. *Sol* (inquit Josue) *non movearis, & Luna contra vallem Aialon.* Pulchrè hoc ipsum describit Ecclesiasticus 46. *An non in iracundia ejus impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo?* Invocavit (Josue scilicet) Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, &

Tota terra respectu cælorum granum milij.

Magnitudo octavi cæli.

Quàm longus dies Josue & Ezechiæ datus.

A audivit illum Magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, ut sciant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Stetit ergo vastissima cæli machina, cum sua globorum immensitate, & Dei potentiam venerata est. An non totus orbis fuit concussus tempore Regis Ezechiæ? stupenda potentia Dei miraculo in horologio Achaz (quod fuit primum horologium sciotericum, per umbram horas demonstrans) quando umbra, quæ jam ad meridiem progressa fuerat, cum Sole suo fuit retroacta; regressio etenim umbræ, ex Solis regressione processit, ut Isai.38. docetur: cùm dici-

B tur: *Reversus est Sol decem lineis, per gradus quos descenderat*, vel motu Solis ordinario, ut sensit S. Dionysius *Epist. ad Polycarpum*, & auctor mirabilium S. Scripturæ, ita ut dies sit auctus ad viginti horas, fueritque universim triginta quatuor horarum. Admirabile sanè opus, totum cæli corpus immensum, & orbium volutiones cum ipso Sole, in momento vel summa pernicitate recessisse, ac ortum repetivisse, & quinque horas impendisse in regressione, ita ut cum decem aliis, quindecim horæ fuerint, quibus hic dies, aliis major fuerit. Tot ergo anni vitæ accesserunt Ezechiæ quot horæ diei fuerunt. Spectavit ergo Ezechias, spectavit & orbis umbræ, & Solis reductionem, tanquam clarum, & ocu-

C lare prodigium quod in meridie contigit, nec quemquam latere potuit; quandoquidem umbra erat in puncto medio ascensus, & descensus, nec minor esse posset, in horologio præsertim decem horas notante, quale fuit horologium Achaz ex omnium sententia, in Palæstina præsertim quæ subjacet circiter 33. gradui elevationis Poli, ubi longissimus dies quatuordecim paulò amplius horarum, & brevissimus paulò minus horarum decem. Quis stupor non tenuit orbem, ad regressum vasis tam admirabilis?

Nota Lector, Dei amorem adversus suos amicos; quanti illos æstimet, ut studio complacendi, totum cælum invertat, moveatque. Hoc miraculum, teste Dionysio, sic

D Babylonios terruit, ut absque pugnâ sese Ezechiæ subjecerint. Putarunt illi Ezechiam mortalibus majorem, Deoque æqualem. Addit Dionysius. Hinc Persas triplicis mitri id est Solis (Solem quippe mitrum vocant) memoriam celebrare; progredientis, videlicet, regredientis, & rursum progredientis; vel potius quia triplex fuit hic dies, ut ipsi autumant. Non prætermittam Nazianzeni summi Doctoris sensum. Ad vocem Ezechiæ cùm in morbum incidisset, Deus vitæ incrementa donavit, idque per retroactam, prout is qui salutem accepit, postulaverat) graduum umbram indicavit; Regem scilicet gratiâ simul, & signo honorans, atque per diei augmentum, dierum augmentum confir-

Sol religit iter peractum.

Nota in India diem esse 12. horarum.

Quantum fuerit dies tempore Ezechiæ.

 mans,

mans. Quanti est in oculis Magni Dei, fidelis servus Dei! vult Deus omnia elementa suo amico subservire. Sol ad summitatem cursus supervenerat, & ad occasum procinctus, in diei initium reducitur, & Rex in expectatione mortis constitutus, quasi ad incipientis vitæ nova gaudia vocatur. Regi ergo, Sol militiæ cælestis Rex ancillatur; & reviviscentem Principem, per novum diei sui natalem denuntiat universis. Accurrunt Legati Babylonij, & tanti ostenti sciscitantur originem: Dei triumphans potentia honoratur, dum creaturæ divino parent imperio.

Tu Lector, dum umbram contemplaris, memineris brevis ævi. Hoc tibi sit ænigma oculis præludens: Est res quæ circa ortum, & occasum maxima; circa consistentiam, & vigorem minima. Symbolum tui hoc esto tibi. Stupendam Dei potentiam in horribili, & metuenda Eclipsi, quæ contigit, Christo Domino in Cruce pendente, testificatus est Divus Dionysius Areopagita *Epist.* 7. ad Polycarpum, quâ Apollophanem virum doctissimum, socium suum, & spectatorem istius prodigij vult per Polycarpum deduci ad Christi notitiam. *Tunc enim ambo (ego scilicet & Apollophanes) juxta Heliopolim præsentes, simul & adstantes, mirabili ratione Soli Lunam coincidere cernebamus (neque tamen tempus conjunctionis erat) ipsam rursus sub horam nonam respectivam Diametro Soli opposito supernaturaliter restitui. Quin etiam in memoriam revoca quiddam aliud: scit enim quomodo viderimus, illum Lunæ occursum ab Oriente cœpisse, & usque ad Solis extremitatem pervenisse, ac tum demùm resiliisse, & rursum non ex eadem potestate occursum illum, & recessum exstitisse, sed ex adverso Diametri. Ista sunt quæ supra naturam, omninò contigerunt, & à solo Conditore omnium Christo fieri possunt, qui facit magna, & stupenda, quorum non est numerus. Hæc si fas est ei dicito, tuq; Apollophanes refelle, si potes, idq; adversum me, qui tunc præsens unà tecum adfui, & simul aspexi, & observavi omnia cum admiratione. Denique tunc nescio quo spiritu afflatus in divinationem Apollophanes prorupit, & ad me conversus: Istæ, inquiebat, ò præclare Dionysi, divinarum sunt vicissitudines rerum.* Optimè ergo Euangelistæ, Marcus 15. *vers.* 33. *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, usque ad horam nonam.* Et Lucas 23. *vers.* 44. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram, usque in horam nonam, & obscuratus est Sol.* Visâ autem hac Solis prodigiosâ obscuratione, oculatus testis dicitur Dionysius adhuc Ethnicus exclamasse: *Aut Auctor naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur;* ut habet Breviarium Romanum. Attribuuntur tamen & alia verba digna tanto viro, quæ in tanta orbis perturbatione pronuntiavit. Michaël itaque Syngelus sic habet: *Præ rei inopinatâ admodum obstupefactus* (Dionysius) *& humanam cognitionem supergressus, eo quod factum erat perpenso. Ignotus*, inquit, *in carne patitur Deus, propter quod universum hoc concussum est, & obtenebratum.* Suidas verò nonnihil mutatis verbis scribit Dionysium Apollophani dicenti: *Hæ sunt vices rerum divinarum*; respondisse: *Aut Deus patitur, aut vicem patientis dolet.* Ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. Quam paucis sacrum os verbis elogium Deo dedit, cùm tantum id temporis, esset viginti quinque annos natus. Potuit ergo Dionysius pro temporis opportunitate eamdem rem variasse aliis sententiis.

De Eclipsi Solis Christo in Cruce pendente.

Dionysij Areopagitæ sententia de Eclipsi.

Nota Lector stupenda Eclipseos miracula.

Primum miraculum. Secundùm Astrologorum numeros certum est, Solem, quando Luna plena est, non posse deficere. Quando ergo visus est Sol sic obscuratus, cùm lumen mundi pependit in ligno.

Secundum; quòd Luna ab Oriente tracta Solem subierit: res prorsus inaudita.

Tertium; quòd eadem tegere ad tres horas Solem potuit, quod erat impossibile, & iterum ad plagam Orientalem recurrere.


Quartum; quòd obumbrata fuerit tota terra; quod naturaliter fieri non potest, nisi maximo miraculo; quandoquidem sit multis partibus minor Sole.

Quintum; quòd ad tres horas protracta tenebrarum duratio, cùm sit horum corporum pernicissimus cursus. Hanc deflexionem Solis describit inter Gentiles Phlegon Libertus Adriani Imperatoris egregius Historicus. Cujus verba Græca interpretatur Hieronymus ex Phlegone *lib.* 13. *Quarto autem anno Olympiadis ducentesimæ secundæ, magna & excellens inter omnes quæ acciderant, defectio Solis est facta. Dies horâ sextâ, id est, nostra duodecima, versa est in tenebras, ut stellæ in cælo visæ sint: terræq; motus in Bithyniâ multas urbes subvertit.* Ita Phlegon apud Eusebium ad annum Domini 33.

Ecce Lector, & specta oculis laborem utriusque Planetæ. Subjicio Eclipsim, subjicio & diem lucidum, pasce oculos mentemque, & obstupesce ad Dei magni potentiam & tunde pectus.

Accipe

Accipe Lector descriptam claritatis gratiâ conspicuam imaginem Eclipsis futuræ. Aspice literam B, quæ signat Lunam relicto suo Diametri loco, tendere ad Solem, ut illi sese subjiciat, & rapi contrario motu.




Sit ergo in figura præsenti A, terra; B, Luna; C, Sol; D, Oriens; E, Occidens; F, G, Diameter ab ipso Sole, ad Solis oppositum: H, pars Solis Orientem

rientem ſpectans: I, pars Solis Occidentem ſpectans: Linea verò ab H, ad I, Diameter corporis Solaris. Tempore Paſſionis Luna erat in G, ſive ex Diametro Soli oppoſita, proptereaque plena, & radiis Solaribus tota collucens, ut aſſolet in Plenilunio. Horâ itaque ſextâ, quâ Chriſtus in Cruce pendebat, ſubitò tranſiit Luna ab G, ſive ex loco, Soli ex diametro oppoſito ad H, ſive ad partem Solis Orientalem, ibique Solem ſubiens, ex ea parte inchoavit Eclipſim; indeque ad I, progreſſa, totum Solem caligine ſuâ, velut pullâ veſte obduxit. Deinde ab I, parte Solis occidua, ad H, reſiliit, ita ut pars Solis ultimò obtenebrata, primò inclaruerit, mundoque ſuos radios diffuderit, contra quam aliàs factum fuerit, aut fieri ſolitum ſit. Progreſſio igitur ab H, ad I: & regreſſio ab I, ad H, ad tres horas duravit, à ſexta ſcilicet uſque ad horam nonam, id eſt, à duodecima, ad tertiam pomeridianam quâ Chriſtus Dominus exſpiravit. Finito ergo luctu, Luna ſubitò ab H, ad G, id eſt, locum ſuum naturalem rediit; ita ut veſperi in ſua eſſent ſtatione Sol in occaſu, & Luna in oppoſito, plena & lucida; perinde quaſi loco mota non fuiſſet. Sic ſuis motibus, ſuaque Eclipſi & defectione docuerunt maxima illa cæli lumina Deum ignotum in carne pati, propter quod, concuſſa & obtenebrata Orbis machina eſt. O Ἄγνωστος ἔφη (Dionyſius ſcilicet) ἐν σαρκὶ πάσχει Θεός.

Ecce tibi

Ecce tibi facies Eclipsis Solis & Lunæ, quæ Soli subjecta, & obtenebrata quasi pullo amictu lugens, ad tres horas luctum publicum indixit Orbi.



§. IV.

§. IV.

Ad Oceani magna spectacula properemus. De magnitudine belluarum.

A

CÆlo relicto, ad mare immanissimorum partuum officinam transeamus. Tam loquitur mare Dei potentiam, quàm cælum, terraque. Varietas, & magnitudo incolarum extollit Dei potentiam. Quis crederet balenarum, & cætuum stupendam immanitatem in aquis regnare? Theodoretus facit fidem: *Cùm*, inquit, *super aquas dorsum efferunt, ingentis insulæ speciem exhibent*. Plinius *lib.9.* balenas maris Indici quaternum jugerum dicit: Pristes ducenum cubitorum: anguillas verò in Gange tricenum pedum. Et *lib.32.cap.1.* citat Jubam Regem Mauritaniæ, qui in volumine ad Caium Cæsarem, Augusti filium scriptis tradit, cætos sexcentorum sexaginta pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in Arabicum flumen intrare. Ælianus rerum arcanarum indagator *lib.16.cap.12. In mari Indico*, inquit, *cete, cujus costa viginti cubitorum longitudine procedunt*.

Monstrorū marinorum magnitudo.

B

In vita S. Maclovij Britannorum Episcopi, admirabilis narratur eventus. Exscenderat navem, ut Deo sacrificaret, & cætum ingentem, quem collem ratus, securè cum suis perambulabat, & dum operam Deo daret, ecce ubi ad orationem Dominicam perventum, cùm collis, cui multum pulveris aggestus erat, enatæque herbæ prati speciem dabant, commoveri, omnes pavidi fugere; sancti verò, omnes confirmare, metum pellere, jubere, subsisterent, nihil damni passuros dicere, ac proinde Deo pensum solverent. Quanta viri virtus animos, ferumque monstrum tenuit. Promissis respondit eventus: peracto enim sacrificio unusquisque securus navem repetiit. Sic Sigibertus Gemblacensis. In vita Maclovij *cap.7.* res spectata, comprobataque à centum & octoginta viris. Sub Justiniano Imperatore, ut scribit Procopius Cæsariensis *lib.2. belli Goth. cap.1.* feram longitudine triginta cubitorum, latitudine decem, captam, quæ quinquaginta annis mare totum infestasse, & tandem delphinorum incautâ, rapidaque persecutione in uliginem, & arenam projectam, detentamque fuisse, quam securibus, & bipennibus necesse fuit confici, & dissecari. Strabo *lib.16.* narrat à se visum cætum juxta mare rubrum cubitorum quinquaginta, ostreis, herbisque desuper enatis contectum. Quamvis immania cæte, & stupendæ magnitudinis marina monstra, quæ maximas triremes solo motu corporis per ludificationem evertunt, Dei potentiam ostentent, irradientque; attamen Dei potentia in pisciculo vix pedali, & crassitudine quinque digitorum magis elucet. Non enim tam mirabile, maxima magna perpetrare: sed minima, & vilissima, maxima posse. Pisciculus petris assuetus, Echeneis appellatur, Latinis remora. Audi Plinium *lib.32.cap.1.* tu illum consule. *Paucis ego expedio naturæ potentis miraculū. Quamvis venti, & procellæ sæviant; imperat tamen sævo furori, & ventos quasi captivos compescit, & cogit ad nutum stare navigia, quæ non poterant vincula, nec anchorarum pondera sustinere. Infrænat impetus, & domat Oceani rabiem, nullo suo labore, non retinendo, non sese opponendo, quàm adhærendo.* An non admirandæ potentiæ divinum opus? Navem plenis velis præcipitem horridus ventus agat, rapiatque secum, momento potentiæ suæ stare jubet, quasi cum imperio diceret: *Vlteriùs ne tende.* Turritæ ergo naves, & propugnaculis formidabiles imperiosâ suâ spinâ, quasi victas, & debellatas tenet. Narrat Plinius ibidem, Actiaco Marte Prætoriam navim Marci Antonij properantis circuire hostem, & suos exhortari ab hoc Domitore fuisse detentam, & ideò Cæsarianam Classem majori impetu proruisse. Idem Caij Principis ab Astura Antium remigantis, quinqueremem tenuit. Admirari omnes, & stupere, ad stuporem in mare desilientes hostem sustulêre, dum gubernaculo auctorem moræ adhærentem, & quadringentorum remigum labores eludentem, deprehenderunt. Exarsit fremens, indignatusque Caius quòd tantilla res avocaret à cursu, auxitque miraculum, quòd captus, & in navim receptus non tantum polleret, quantum adhærens. Divus Basilius *in Hexameron homil.7.* docet: *Invictissimas, & secundo vento volantes, quasi in mari radices egissent, tenet.* I nunc, tolle animos Cæsar: te mundi Dominum in medio mari captivum tenet pisciculus. Docet autem Ælianus *lib...cap.24.* remoram vocari, eò quòd naves remoretur quibus adhæret. Aristoteles *lib.2. animalium cap.14. de animalibus: Sunt qui dicunt remoram habere pedes; verùm expers est, nec in cibos admittendus, & nomen à remorandis navibus adepta.* Cetera maris portenta prætermitto, torpedinis vires suo loco dabo. Quis potentiam maris æstuantis, furentis non miratur, & exhorrescit? Verè dixit Vates *Psal.92. Mirabiles elationes maris; mirabilis in altis Dominus. Ipse est qui circumdedit mari terminum suum, & legem posuit aquis, ne transirent fines suos.* Et quæ repagula objecit? quibus ostiis conclusit mare? an non barbari elementi furias, & tumidos montes aquarum objectu levis arenæ compescit? quasi diceret Magnus Deus apud Job 38. *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Mirabilis, & omnipotens in mari Deus. Ecce Jonas in ventre cæti navigat, vivit, sustentatur, ex domicilio cæco clamat ad Deum, exauditur, & vivus, & redux redonatur terræ. Omnipotens in aëre Deus. Contemplare potentiam ventorum, potentiam invisibilis creaturæ quæ non mutat? vertit? domat? confringit? & exsuperat ventus? Ecce tibi flammato curru, & equis ardentibus

In dorso balenæ sacrificatur.

C

D

Potentia Dei elucet in parvis.

Remoræ potentia.

Imperat navibus jubetq; stare.

Potentia Dei in mari.

In aëre.

bus rapitur per aërem; quasi aëris Dominus A Elias. Omnipotens in terra, in qua quæcumque voluit, fecit, tantâ rerum varietate terram exornans. Omnipotens infrà, cùm mortuos, & sibi oppigneratos terra dedit vivos. Omnipotens in feris. An non Daniel cum leonibus, quasi cum agnis lusit? Omnipotens in flammis. An non tres pueri, & sancta Thecla, & innumeri Martyres in mediis flammis, flammarum victores, laudes Deo cecinêre? Quanta potentia in bestiis? Numer.22. Ecce aperit os asinæ, qui linguas infantium fecit esse disertas. Quanta potentia Dei adversus serpentes? Populi Ophiogenes sic venena serpentum contemnunt, ut etiam ab iis læsos sanent. Sic Strabo *lib.* 17. Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. quod ipsum Marsis, & B Psyllis commune est. Et Plutarchus in Catone: *Secum*, inquit, *duxit Psyllos per deserta Libyæ, qui venenis mederentur.* Et quod omnium mirabilissimum est, scribunt odore Psyllorum serpentes necari, quorum etiam venena corporibus infusa penitus exsugunt. Hucusque lustravimus admirabilia opera naturæ.

In terra circa serpentes & Psyllos.

§. V.

De primo, & summo opere divinæ omnipotentiæ, quæ circa se Deus operatus est.

QUandoquidem nihil ita sit contrarium, repugnansque naturæ spirituali, quàm corpus terrenum, mortaleque, & in partes divisibile; quâ fieri potuit ratione, ut Deus omnipotentiæ suæ robore efficeret hominem Deum, & Deum hominem? Quid invenit Alcimiæ (si ita loquendum) divina omnipotentia, quo contrariæ naturæ in unum sociabili, & imperturbata utraque natura in unum compositum coalescerent, & unus ex Verbo & humanitate Christus, Verbum & homo resultaret Θεάνθρωπος, ὁμόθεος. Ut igitur humanitas Divinitati conjungi posset, invenit divina omnipotentia modum creatum, quo posito in Christi humanitate prodigiosum, & admirabile compositum exsurrexit; magnus scilicet Pan homo Deus. Mirabilis omnipotentis Dei fabrica, talem modum invenisse, qui etsi in ratione entis sit imperfectissimus, cùm per se non potuit existere, nec per se conservari, quatenus tamen unit alienissima, & tota infinitate distantia, eaque connectit, non est quippiam nobilius, perfectiusque. Non enim est possibilis perfectior unio animæ, & corporis ad constituendum unum hominem, quàm sit ille modus, quo anima reipsâ informat corpus. Modus itaque unionis hypostaticæ, etsi minimus sit in ratione entis, maximi tamen est momenti; quid enim elevat humanam naturam, & eam unit Verbo; ut ex illis una persona constituatur, nisi ille modus sublimissimus? Mirabilis sanè modus unionis, sine quo nemo potest esse sanctus, nemo beatus, nemo videre Deum. Hic tamen modus, de quo agimus, quâ parte afficit corpus, aliquo modo corpori identificetur, & sic aliquo modo posset dici corporalis, nempe materialiter, formaliter summo spiritui proportionatus, & adeò subtilis, & summè spiritualis, ut ab intellectu creato videri non possit. De hoc mysterio quia actum in Consociatione de Dei humilitate; hic concludam cum sanctissima Virgine, applaudensque acclamabo: *Fecit tibi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Fecit potentiam in brachio suo, & exaltavit humiles.* Et quos humiles, nisi miseros, & despicabiles Adami nepotes; dum illos facit Deos, naturam illorum sibi infinitâ potentiâ copulando?

Mirabilis Alcimia divina omnipotentia.

Modi inventio quo anima & corpus unita Verbo, res admirabilis.

§. VI.

De secundo opere divinæ omnipotentiæ.

Quod est in Consecratione Corporis Dominici. De miraculis quæ fiunt.

C SEcundum locum omnipotentiæ divinæ sibi vendicat Corporis Christi sub speciebus panis, & vini productio, quæ per verba scilicet Consecrationis adeò efficax est, ut si Christi Corpus non existeret secundùm esse naturale, stante hoc Mysterio producendum foret ex nihilo: quare & hoc Mysterium potuisset institui ante sacram Incarnationem, & tunc verè Corpus in Sacramento habuisset esse substantiale, cùm nondum haberet modum essendi naturalem: mirabilis potentia in Incarnationis sacro Mysterio, stupenda & in Eucharistiæ Sacramento, quod universim totum constat miraculis. An non stupendum miraculum, verum Christum sub speciebus panis, & vini verè, & realiter poni, & D permanere in cælo? an non stupendum, per actionem productivam, seu replicationem, vel collationem ejusdem esse substantialis, per quam idem esse quod habet in cælo, confertur, & quodammodo producitur sub speciebus, etsi cum alio modo essendi? Cur non posset eumdem hominem millies replicare, & ex uno exercitum conflare, & ejusdem individui infinitas replicare species? & quamvis res hoc modo replicata in seipsa, actu sit una, eademque; virtute tamen esset multiplex, & pro diversitate locorum, circumstantiarum diversimodè afficeretur; verbi gratiâ desinere esse in uno loco, & persistere in alio: in uno calescere, & alio frigescere. An non omni-

Eucharistia ingens opus omnipotentia ante Incarnationem potuit institui.

omnipotentiæ summum opus, Christum ibi collocari cum tota sua sanctitate, gloria, & visione beatifica, vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui à mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur? ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. Ponitur ergo totus Christus quà homo, quà Deus hypostaticè unitus. Verbum ergo divinum cùm ab humanitate separari non possit, adest Verbum ipsum divinum; quare & si Verbum adsit, necesse est & adesse Deum Patrem, & Spiritum sanctum, quia à se invicem separari non possunt, cùm Pater sit in Filio, & Filius in Patre, quorum nexus indivisibilis est Spiritus sanctus. Stupenda Dei potentia, quæ totam Trinitatem per concomitantiam adducit in hoc admirabili Mysterio, quod Divus Thomas vocat omnium miraculorum maximum, quod Christus Dominus fecit.

§. VII.

De admirabili adinventione divinæ potentiæ in hoc secundo opere. Vt infinitum, quasi puncto capiatur. Vt totum corpus sit sub quolibet puncto indivisibili.

Corpus puncto simile.

Stupendum miraculorum miraculum, quomodo omnipotentiâ Dei, infinitum fieri potuit quasi punctum; & corpus quod habet partes extra partes cum tota sua mole, suisque qualitatibus divinâ virtute supra conditionem corporalem elevari, & modum spiritualem induere, quo veluti in punctum contrahatur, & instar substantiæ spiritualis sit corpus totum sub tota specie panis, & totum sub singulis ejus partibus: sicut anima rationalis tota est in toto corpore, & tota scilicet in singulis ejus partibus? An non induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute? An non Angelum dicimus esse in tota loci magnitudine quam occupat, & totum in singulis loci partibus? Tota ergo natura spiritualis est tota in puncto, & tota extra: sic Christi corpus totum est sub quolibet puncto indivisibili; & totum est continuum absque intercisione diffusum per totam specierum quantitatem instar Angeli, ut dictum est; ita tamen ut Christi corpus sit sine partium commistione, aut confusione; & quælibet partes retineant suum temperamentum, suum ordinem, & omnem internam dispositionem, quæ à loci commensione non pendet. Quanta itaque potentia Dei in suam infinitam omnipotentiam, quâ potuit suam infinitudinem puncti parvitate concludere. Verùm cùm non posset suæ Majestatis magnitudinem in sua natura per infinita spatiantem concludere, terminavit eam in naturæ

Quomodo corpus Christi sit sub singulis partibus.

nostræ parvitate, ejus dimensiones ad punctum sic redigendo, ut stupendo miraculo omnes partes corporis contractæ obtinerent suas perfectas dimensiones. At cur in puncto, cur in parva mica panis, quæ vix oculis videtur, voluit latere? An ut ostenderet orbi superbo quanti æstimaret humilitatem? Bene est. An ut ostenderet virtutem Eucharistiæ, & panis consecrationem in suum Corpus tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur; & totam potentiam Sacramenti admirabilis, parvâ micâ contineri? & micâ Eucharistiæ suscipi veritatem? Accedit ad Jesum (Matth. 15.) Chananæa, orat, instat precibus, non terretur repulsa: *Non est bonum*, inquit Christus, *sumere panem filiorum, & mittere canibus. Etiam*, inquit, *Domine: nam & catelli* (qualem me agnosco) *edunt de micis, quæ cadunt de mensis dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.*

Nota cur non totum postulat panem? An quia qui micam comedit, qui stillam Calicis consecrati bibit, totũ panem comedit, & totũ calicem bibit; bibit & dulcem ebrietatem, & blandientem saturitatem. Audi Chrysologum: *Meritò quæ se canem professa est, in hominem commutatur. Meritò adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam: justè toto nunc epulatur micas tollens ex pane.* Nota duo; particulas toto ex pane, & epulatur. An non sufficienter dixisset; justè nunc epulatur micas ex pane, cur addit ex pane toto? quia non potest micam absumere, nisi ex toto pane accipiat, quippe cùm totus panis sit in mica. Usus est autem verbo *epulatur*, quia epulari, abundantissimam mensam designat, quia in mica cælestis gaudij, voluptas desiderata, & jucundissima satietatis ubertas continetur. Est ergo mica similis ligno vitæ, cujus folium non defluit, in cujus folio totus fructus arboris continetur; & ut dicit Ambrosius in 18. Genes. *Qui biberit ex hâc, non sitiet in æternum, quia in eo totus fructus exuberans, id est, Christus Dominus.*

Totus panis in mica, & mica in toto pane.

§. VIII.

Aliud Omnipotentiæ opus.

Quod virtute Eucharistiæ in carne nostra, ex Christi Domini carne, corruptis etiam speciebus peculiaris unio maneat.

Hoc docet Chrysostomus *homil.* 46. *Quare necessariò dicendum quàm admiranda Mysteria, & cur data sunt, & quænam eorum utilitas? Vnum corpus sumus, & membra ex carne, & ossibus ejus.* Et infrà: *Vt autem non solùm per dilectionem, sed reipsâ in illam carnem conver-*

convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per Corpus suum se nobis immiscuit, & in unum, nos, ut corpus cum capite uniretur: hoc enim amantium maximè est. Et homil. 61. ad populum Antiochenum in principio idem docuit: *Ut itaque non tantum per charitatem hoc fiamus* (nempe unum corpus cum Christo, & membra ex carne, & ossibus ejus, sicut dixerat) *verùm etiam ipsâ re in illam misceamur carnem; hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet; propterea seipsum nobis immiscuit, & Corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam Corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est.*

Per sacram Eucharistiam unimur Filio Dei.

Habes hîc Lector potentiam carnis vivificæ Filij Dei, quomodo per peculiarem unionem carnis Christi, cum carne nostra unum quid efficiamur nos cum Christo; nempe, ut jam deinceps etiam ratione illius dicamur unum corpus cum Christo, & membra ex ossibus, & carne illius. Quare sanctus Pater pronuntiat absolutè, hanc unionem in nobis perseverare, quamdiu effectus Sacramenti per peccatum non interrumpitur. Sancto Chrysostomo accedit Cyrillus *lib.4. in Ioann. cap.*17. ubi explicat quo modo cum Christo in hoc Sacramento maneamus. *Sicut enim*, inquit, *qui liquefacta cera aliam infuderit, alteram cum altera, per totum commisceat necesse est: sic qui carnem Domini recipit, cum ipso ita conjungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.* Deinde idem Cyrillus comparat carnem Christi fermento, quod totam massam pervadit, pertransitque. Efficimur ergo toti divini tanti Mysterij participatione. Optimè ergo concludit idem sanctus Pater. Unde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali. Sublimiore modo, & ratiocinio Hilarius 8. *lib.* hanc unionem est prosecutus: Si igitur verè carnem Corporis nostri Christus assumpsit, & verè ille homo qui ex materia natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem Corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ipse in nobis; quomodo voluntatis unitas asseritur, cùm naturalis per Sacramentum proprietas, perfectè Sacramentum sit unitatis? Si enim voluntatis unitatem tantum intelligi vellet, cur gradum quemdam, atque ordinem consummandæ unitatis expressit, nisi ut cùm ille in Patre, per naturam Divinitatis esset: nos contrà in eo per corporalem ejus Nativitatem, & ille rursus in nobis per sacramentorum Mysterium inesse crederetur? ac si perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cùm nobis in se manentibus, ipse maneret in Patre; & in Patre manens, maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus; qui in eo naturaliter secundùm nativitatem est: nos quoque naturaliter in eo inessemus; ipso in nobis naturaliter permanente. Quòd autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse ita testatus est: *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ut autem Dei potentiam hoc Mysterio agnoscas, attende non diffundi carnem Christi per omnia membra carnis nostræ, sicut de cera infusa ceræ possit intelligi; deinde non sicuti unionem Physicam, sed Moralem, quæ non fiat per solum affectum charitatis, qualis est inter animam Christi; originem tamen habet ex affectu charitatis per proprium affectum consummationis. Amor enim contendit ad unionem realem amantium inter se eo modo quo fieri potest. Unio ergo nobis cum Christo fit, ut reali præsentiâ fruamur: solet enim amor conjungere amantes. Ut autem sit nobis præsentior, sub specie cibi, & potus intra carnem nostram admitti vult, ut eo spiritualiter alamur; unde fit, ut per affectum ardentissimum unitus nobis Christus, per modum cibi intra nos operetur, & ex charitate intra viscera sumptus, intra quæ recipitur, æstimet, & tractet ut sua membra ex sua carne, & ossibus suis. Hinc patet hanc unionem moralem, seu mysticam esse, eò quòd amor, & charitas eo modo consummata, efficiat, ut Christus novo titulo nostra corpora tanquam propria æstimet. Sicut ergo Adamus ante consummationem matrimonij verè dixit conjugi: *Hoc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Genes.2. sic & consummato matrimonio illud vaticinium implevit. Sic Christus Dominus per sumptionem Corporis, & Sanguinis sui voluit (ut Patres docent) realem substantialem, & naturalem unionem, non quia ex utraque carne una fit res, una substantia, & una natura; sed quia caro nostra cum Christo, non cogitatione, non affectu tantùm, sed reipsâ conjungitur: sicut etiam unio duarum naturarum in Christo essentialis, vel secundùm essentiam vocata est; non quod ex duabus naturis una fieret natura, sed quia utraque reipsâ ad compositionem veniret, & unionem. Quare sicut inter conjuges ad amoris certi, & efficacis testimonium, pignora, & arrhæ interponuntur, & consignantur; sic & Christus sumptus dat se in arrham, & pignus immortalitatis, & vitæ æternæ. Et sanè cùm caro nostra carne Christi sicut membrum nutriatur, augeatur, consistat, & vivat, quis negabit eam capacem vitæ æternæ, & immortalitatis. Nutritur autem, dum opera bona virtute gratiæ per hoc Sacramentum communicatæ exercet, & tanquam membrum Christi factum, & caro una cum Christo ad Christū pertinens, quem intra se habet, dignâ immortalitate judicatur. Et cur non judicaretur digna, quandoquidem manducatione carnis Christi, fit caro facta Christi? Si caro Christi; quis carnem suam odio habuit? ut dixit Paulus *ad Ephes.*5. Pulchrè Irenæus *c.*34.

Sicut cera cera infusa coalescit.

Nostra membra fiunt membra quodammodo Christi Domini.

Qualis fiat unio hominis cum Deo per sacram Eucharistiam.

Sic corpora nostra percipientia Eucharistiam, non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

A Finiamus potentiæ hujus admirandum commercium. Sicut Adamus consummato matrimonio, Evam suam conjugem agnovit ut suam carnem, ut sua ossa, eamque summis amoribus est complexus, ut alterum se: sic Christus Dominus consummatâ manducatione Corporis sui, & speciebus jam consumptis, dicit, & profitetur corpus, & carnem manducantis esse suum corpus, & carnem suam, à qua non recedit, nisi peccato mortali compulsus, fugatusque. Quare tanto potentior est amor Christi, carnalis amoris potentiâ, quanto amor purior, divinior, constantior, & suis incrementis, & auctibus recentibus grandior.

B *Christus præsens sanctificat.* Christus ergo Dominus dum corporali adest præsentiâ, sanctificat, sacrat, dicatque animam, & corpus sicut templum suum uberrimis sanctitatis privilegiis. Consumptis verò speciebus etsi præsens corpore non compareat, sanctitatis vigor non solùm perseverat, verùm continuis gratiæ suæ uberibus lactatur, atque confirmatur; sicut sumptus, digestusque cibus permeat omnes venas corporis, & vires alimenti per totum corpus pro cujusque membri exigentia, & necessitate dispensat. Et quemadmodum factâ per Chrismatis sacri Unctionem, crucis frequentis signationem, & multas alias mysticas cæremonias templi consecratione, ipsa templi sanctitas, nisi violetur, perseverat: sicut Salomoni apparens Deus hanc testatus est sanctitatem: *Sanctificavi*, inquit 3. Regum *cap. 9. domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi, & cor meum cunctis diebus: tu quoque si ambulaveris coram me, &c. & judicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum.*

Christus & absens servat sanctitatê in homine.

C Anima ergo per sumptionem Corporis Dominici dedicatur, & consecratur Deo, & manet instar templi consecrata, tanquam asylum inviolabile. Et consumptis quidem speciebus, sicut templum peractâ semel consecratione, Deus tuetur, fovet, alit, sanctificat membra, & ossa post manducationem: sicut religiosè, sanctè, & summâ curâ tuetur parietes, saxa templi aliquando consecrati: at majori & ardentiori curâ, quo corpus hominis vivum saxis insensibilibus est nobilius, & grandiori procuratione dignius.

Vt homo Eucharistia speciebus consumptis sanctificatus maneat.

D Concludamus ergo, dicamusque peculiarem unionem carnis nostræ cum Christo Domino etiam speciebus consumptis perseverare, quia corpus nostrum Christo cohærens, factum est Corpus Christi, & nostra ossa, ossa Christi, & fiunt quodammodo, ut dictum est, duo in carne una.

§. IX.

De tertio opere divinæ Omnipotentiæ. Christus Crucifixus domitor orbis, non armis, sed Crucis miraculis.

AN quidquam grandius potest excogitari, quàm hominem summè sordidatum inter latrones velut Regem latronum suspensum, orbem domare nõ ferro, sed ligno? Quis audivit latronem judicatum, judicari Deum, & ut Deum adorari? quem unquam conjurato obsequio omnia elementa per suos fragores, & lugubres trepidationes Deum Crucifixum sunt confessa? nisi quando ad Crucifixi aspectũ horrentia diffugêre? quando unquam totus orbis, consonâ voce, cultuq; divino unũ Crucifixum hominem adoravit ut Deum? An non prodigiorum summum prodigium, per Crucis infamis prædicationem, toti orbi dari salutem? Ad quas oras universi, Crucis victoria non pervenit? Quota pars terrarũ non succubuit armis inermis Crucifixi? An non Christi Crucifixi nomen & regnũ ubiq; porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gẽtibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur; omnibus Dominus & Deus est? Hanc potentiam, quâ mundus erat subigendus, prędixit Filius Dei, priusquam in Crucẽ daretur; Joan. scilicet 12. *v.31. Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum:* quasi diceret: Stultitiâ Crucis, & infirmitate carnis meæ, in Cruce moriens, omnipotentia virtutis meæ omnes mortales ad me traham, cogã, efficiamque, quia non cognoverunt Deum in sapientia suâ, in fabrica scilicet universi; ut per stultitiam Crucis eum cognoscant. An non hoc est perdere sapientiam sapientum, & prudentiam prudentũ abscõdere? An non admirabile, dicere, & credere Crucifixũ summam sapientiam, quam Philosophi ut stultitiam, & Judęi scandalum detestabantur? Stultam ergo fecit Deus sapientiã hujus mundi, dum docuit Deũ posse mori, nec ullam nisi in Crucifixo spem esse salutis. *An non quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus? 1. Cor. 1. v. 25.* Audi Tertull. *advers. Marcion. Quid est autẽ stultum Dei, sapientius omnibus hominibus, nisi Crux, & mors Christi? quid infirmum Dei, fortius homine, nisi Nativitas, & caro Dei? Cæterùm si nec natus ex Virgine Christus, nec carne constructus, ac per hæc, neque Crucẽ, neque mortem verè perpessus est, nihil fuit in illo stultum, & infirmum, nec jam stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam, nec infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, nec inhonesta & minima, & contemptibilia quæ non sunt, id est, quæ verè non sunt, ut confundat quæ sunt, id est, quæ verè sunt.*

Concludo: At verè elegit Deus, quæ stulta sunt & infirma, ut per stultitiam & imbecillitatem confunderet mundi sapientiam & fortitudinem. Prædicatio ergo Crucifixi debellantis omnem sapientiam & fortitudinem fuit gentibus stultitia, & Judæis scandalum.

Et

Et quia Judæi signa, & Græci sapientiam A quærebant, quam in deliciis habebant; auditâ Christi morte, quæ erat infamis, tantum abest, ut Judæi fidem divinam conciperent, & Gentiles aures præberent rebus, quas fabulas putabant, sed illi scandalum passi sint; hi stultissimas inventiones esse dijudicarint. Crux enim Christi non modò non est signum; sed signi peremptio: & non solùm non videtur esse ostensio virtutis ac potentiæ, sed etiam probatio imbecillitatis. Deus ergo, qui in suæ sapientiæ gloria non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitia repercutere, salvos faciendo credentes in stultam Crucis prædicationem. Altissima ergo Dei omnipotentia ita irradiavit scandalum Crucis; ita confudit sapientiam sapientum, B ut abjectâ nocte suæ sapientiæ, quam lucem putabant, virtuti Crucis ejusque luci sese subjecerint. Demisit se Deus ad nostram imbecillitatem, ut fortes redderet. Quid novum, si se demisit ad nostram stultitiam, ut ex stultis redderet sapientes?

§. X.

Videamus, quibus subsidiis, quo apparatu & ducibus Crucifixus Dominus subegerit orbem.

AN non duodecim Apostoli illiterati, rudes armorum & sapientiæ, piscatores ferè omnes pauperes, exosi, & quasi miserorũ C ultimi, paucos per annos tantum operum gesserunt, ut in omnem terram exiverit sonus eorum? An non ita latè per orbem circumtulerunt Christum Crucifixum, ut non duodecim virorum inermium, sed generis humani facta possit quisque admirari? An non Reges, & orbis Domini subjecerunt se doctrinæ præceptisque piscatorum carni repugnantibus? An non scientia piscatorum stultam fecit scientiam Philosophorum? Quis hæc operatus est? an non potentia Crucifixi, qui victus vicit orbem, & Crucifixus mundi vanitatem, & infernas crucifixit potestates? Crucifixus Deus armavit infirmos virtute suæ omnipotentiæ, quibus non resistere valebat totus universus. Reddidit & eos omnipoten- D tes portentosis rerum gerendarum miraculis, dum Crucis gloriam cælo terrâque coruscantem deprædicarent. An non ad Crucifixi advocati nomen claudis gressum, cæcis visum, languidis ægrisque sanitatem, mortuis & sepultis vitam donabant? *Actor.* 3. An non claudus ex utero matris, in nomine Jesu Christi Nazareni jubetur surgere & ambulare? An non Petrus apprehensâ manu ejus dexterâ allevavit eum, & protinus solidatæ bases ejus? An non omnes impleti sunt stupore & exstasi? An non per manus inermes Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe? An non in plateas ejiciebantur infirmi, & ob miraculorum multitudinem & ægrorum ad Apostolos undiq; concurrebatur? *Actor.* 5. v. 15. Quid imbecillius umbrâ? quid tam inane? & quid nisi privatio lucis, & meta corporis? & tamen Crucifixi omnipotentiâ, umbra Petri medica, morborumque curatrix, & salutaris ægris efficiebatur. Res stupenda: certatim homines concurrere, ambire umbram Petri, cui si se insererent, sanari. *Actor.* 5. v. 15. An non hęc omnipotens thaumaturgia? Lege *cap.* 19. *Act.* Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Cur non tremerent potentiam Jesu Crucifixi, dæmones, qui à Christo Crucifixo victi stratique? Pulchrè Prudentius: ——— *torquetur Apollo*

Nomine percussus Christi nec fulmina Verbi
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Impertiebatur ergo Christus Crucifixus suâ omnipotentiam suæ Crucis cultoribus, ita ut ad imitationem Dei, qui verbo omnia ex nihilo condidit; verbis, Dei operationes tanquam filij Altissimi exercerent. Singulæ ætates loquuntur coruscantibus signis & portentis Dei Omnipotentiam; verùm ut eorum machinator & effector Crucifixus Deus nosceretur, vilia abjectaque præsidia, quibus nihil inesset humanæ aut auctoritatis, aut splendoris adhibuit admovitque. Quandò admirabilius suæ potentiæ dedit experimentum noster Crucifixus, quàm cùm per vulgares obscurosque milites Christianos Imperium Romanum à præsentissimo servavit exitio? nunquam victoriâ vulgatiore per orbem universum, fama, & communibus trophæis celebratior. Historiam porriget Imperator Marcus Aurelius anno Christi 176. & sui Imperij 14. literis ad Senatum Romanum datis:

Imperator Cęsar M. Aurelius Antoninus, Augustus, Parthicus, Germanicus, Sarmaticus, Pont. Maximus, &c. Pater patriæ, &c.

S. P. Q. R. S. D.

CErtiores vos feci, de consilij propositique mei magnitudine, & quæ in Germania in discrimine atque obsidione alia ex aliis acciderunt, cùm in ejus medio labore, atque æstu confectus fuissem. Sanè cùm Carunty essem, speculatores nobis indicarunt septuaginta quatuor hostium dranes (signa erant militaria barbarorum) prope nos novem millibus adesse. Cumque in nostrorum militum exercitu haberemus tantum legiones, Primam, Decimam, Geminam & Fretensem:

tensem: hostium verò nongentorum septuaginta septem millia; measque ipsius copias cum ingenti barbarorum atque hostium exercitu comparassent, Deos patrios votis susceptis rogavi. Sed cùm ab eis negligerer, meque ab hostibus premi animadverterem, paucitatem mearum copiarum contemplatus, eos, qui apud nos Christiani dicuntur, accersivi, & rogavi, invenique magnam eorum multitudinem: illosque minis compuli, quod minimè decuerat, propterea quod posteà illorum vim & potentiam cognovi. Itaque non ad telorum præparationem, non ad armorum, & tubarum usum se contulerunt: hoc enim facere illis Dei causâ, & nomine, quem in conscientia gestant, gratum non est. Æquum ergo est, ut quos impios esse, & à Deo alienos opinabamur, eos existimemus Deo munitos esse. Cùm enim se humi projecissent, non solùm precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis, & sitis, quâ urgebamur, remedium aliquod afferretur: quinque enim diebus aquam non sumpseramus, quod ea non suppeteret. Eramus enim in media Germania, montibus undique conclusi. Simul autem atque sese humi abjecerunt, atque Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam, statim è cælo pluvia delapsa est; in nos quidem frigidissima; in Romanorum verò hostes grando ignis specie ac similitudine, & fulmina. Eorum quoque orationibus ac precibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci, nec expugnari potest. Quamobrem illinc exorsi concedamus talibus, ut sint Christiani, ne qua arma ejus generis contra nos petant, & impetrent. Censeo autem neminem, quòd Christianus sit, esse in crimen vocandum, &c. Deinde eum, qui accusat Christianum (quia Christianus est) vivum comburi, &c.

A *Hæc autem S.C. etiam sanciri volo, atque hîc meum edictum in foro D. Trajani proponi, ut legi possit, &c.*

Harum literarum meminit Tertullianus *Apolog. cap. 5.* & apud Euseb. *lib. 5. cap. 5.* & apud Justinum ad calcem *Apolog. ad Antoninum Pium.*

Pie Lector velim nunc te attentum; & tacitus mecum suspice divinæ virtutis admirabilem providentiam pro Christianorum incolumitate solicitis curis excubantem, dum crudelissimi Neronis legem exscindit, abrogatque, quâ jubebatur ut quilibet hoc ipso quo erat Christianus, esset & reus criminis B læsæ Majestatis. Admirabile fuit divinæ Omnipotentiæ miraculum, quod Romanis barbarisque incussit formidabilem Christi Crucifixi reverentiam. Romanis enim, qui calore & siti perituri, circumjectis montibus conclusi, & hostibus undique obsessi inexpectata victoria data: hostibus verò, quibus sine vulneribus & sanguine victoria jam parta credebatur, interitus obvenit: ad preces enim Christianorum nubes derepentè ita coactæ sunt, ut maximus imber decideret non sine Dei beneficio. Prosequitur Dio in Marcum Aurelium. *Cùm autem primùm pluvia cadere cœpit, Romani in cælum suspicientes, eam in ora recipiebant: deinde scutis galeisq; subjectis inde largiter absorbuerunt, equis* C *quoque aquâ rejectâ. Cumq; barbari in ipsos impetum facerent, bibentes simul pugnabant, & complures saucij sanguinem infusum in galeas simul cum aqua absorbuerunt. Cùm autem gravia damna, propterea quòd magna ex parte in bibendo erant occupati, acciperent, vehemens grando, compluraq; fulmina in hostes ceciderunt. Itaque licebat videre in eodem loco aquam ignemq; simul de cælo cadere: atque ob eam causam valere alij & bibere; exuri alij, ac prorsus interire videbantur: non enim ignis Romanos attingebat. Quòd si fortè eum eis interdum misceretur, extinguebatur subitò, neque imber juvabat barbaros, sed non secus ac oleum inflammabat, ita ut aquam requirerent pluviâ perfusi, infligerentq; sibi vulnera, quo sanguine ignem restinguere quirent: pars* D *autem confugiebat ad Romanos, quasi illis tantummodo esset salutaris. Quare & hi milites κεραυνοβόλοι fulminantes dicti, quasi fulmina jaculantes in hostes. Et ob tam egregium atque mirandum facinus Fulminantium nomine nobilitati.*

Habes Lector in uno miraculo plura miracula Omnipotentiæ divinæ à militibus impetrata, non lacertorum, aut armorum potentiâ, at precibus ad Deum Crucifixum missis; cujus potentiam Urbs Imperatrix etiam invita agnoscere coacta est. Semper egit Deus, ut divina ipsius vis, & efficacitas perspicuè innotesceret, nec quidquam ingenij celsitudini, nec magnitudini doctrinæ, nec eloquij facultati quidquam tribueretur; ut

non

non glorietur omnis caro. Omnem ergo superbiam aufert potentia Crucis, dum & sapientia, & fortitudo, & opes eorum reputantur in nihilum; eaque sola statuatur gloriatio, ut scias & intelligas, quòd sit Deus Omnipotens, qui hæc ineffabilia operatur. Stulta ergo & infirma eligit Deus, ut confundat fortes & sapientes. En Romæ datur Urbi salus à Crucifixo, qui vocavit ea quæ non sunt, ut destrueret ea quæ sunt. Lege vitam sancti Antonij, & vitam sancti Hilarionis; an hi sibi confidentes, & humanis præsidiis tumidi, ea quæ stupet orbis, facinora perpetrârunt? An non hi, & quamplurimi alij diversis orbis regionibus, factis illustres, & imperio in ipsa elementa, & effera animalia clari fuêre? illiterati tamen, & humanæ sapientiæ rudes & imperiti? Vicit ergo Deus Crucifixus coruscantibus potentiæ suæ radiis per indoctos doctos, & per pauperes divites, & per piscatores Imperatores, & totum orbem sine hasta, sine armis, Crucis Victrice gloriâ subegit. Quale imperium horum virorum in dæmones toto orbe dominantes! An non Divus Joannes superato veneno per signum Crucis dæmonem in Dianæ templo 249. annos commorantem solis hisce verbis expulit: *Interdico tibi in nomine Iesu Nazareni ne ultrà hîc habites.* & confestim decessit? Quocirca à Domitiano in Pathmon Insulam est deportatus. Sic Abdias. Gregorius Ponticus dæmonem in Apollinis ædem suâ præsentiâ fugatum per epistolam redire coëgit. Ruffinus. Vide D. August. *lib. 22. de civit. cap. 8. Vir Tribunitius Hesperius in territorio Fussalensi cùm comperisset fundum Cubedi appellatum, vexatione dæmonum vim noxiam perpeti, rogatus Presbyter Hipponensis eò venit, obtulit sacrificium Corporis Christi, & exorato Deo subitò cessavit malum.*

Nota Lector: Acceperat autem ab amico terram sanctam Hierosolymis allatam, ubi Christus fuerat sepultus, eamque suspendit in cubiculo suo, ne quid mali ipse etiam pateretur. Quantus fuit Gregorius Neocæsariensis, qui & Thaumaturgus dictus? an non miraculis orbem implevit? an ei similis Divus Bernardus, qui se non auctorem miraculorum, sed ministrum indignum dicebat? Unius simplicissimi viri potentiam producam, quâ furias oceani compescuit. Post Juliani Apostatæ mortem, maria suos terminos egressa, quasi Deus novum minaretur diluvium, & in antiquum chaos essent omnia, adeò ut naves ad prærupta montium penderent; Epidauritani exanimes, & quasi ultimâ desperatione victi, ad D. Hilarionem quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in litore.

Ecce tibi victoria Crucis: qui cùm tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem mare, antè enim steterit diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc prodigiosum miraculum Epidaurus, & tota Regio personat. Vide Hieronymum in vita Hilarionis. Ejusdem viri potentiam agnosces contra draconem ad Epidaurum oppidum Dalmatiæ, omnia latè longeque vastantem, hic boves virosque vi spiritûs attractos integros deglutiebat. Ecce tibi domitorem draconis Hilarionem: jubet pyram parari, & oratione ad Christum missâ, evocato populo præcepit immanem bestiam struem lignorum scandere, quam, supposito igne, spectante plebe, concremavit. Quid memorem Antonium Magnum, cujus solo nomine territi dæmones, domicilia possessa fugientes deserebant? Quis implevit virum indoctum tantâ sapientiâ, quâ Gentiles Philosophos; quâ subtilissimos Arrianos quasi fulmine tactos refutabat, confundebatque? Prædicabat ille Dei multiformem sapientiam, ut Deus homo factus, hominem se & Deum exhibuerit, ut beatissimus Divinitatis infinitæ possessione, & calamitosissimus fuerit in naturæ humanæ Crucifixæ summo despectu. Respicite, ô mortales! ut hanc multiformem sapientiam suam Deus incredibilem ita credibilem fecerit & indubitatam, ut totus orbis pro veritatis firmitate velit mortem pacisci. Si respicis cunas, vides puerulum vagientem: si cælum, eundem cæli fabricatorem Deum vides: in stabulo vilem, & adoratum à Magis Regibus. Baptizatur ut peccator à servo, & Dei Patris intonantis voce Filius Dei declaratur. Venit ad passionem tremens, & sanguine ex agoniæ angustiis purpureus ille, ille, qui bases orbis firmavit, & sustinet molem universi tribus digitis. Capitur, deinde ligatur, raptatur, totus laceratus, & verberibus flagellisque confectus, qui invulnerabilis, qui tangi, capique non potest. Deinde vides Deum mori posse, qui mori non potest. Quid hâc stultitiâ prudentius, varietate distinctius, sapientiâ obscurius, quam fecit Deus in Christo Jesu Crucifixo? an non opus, ut hæc inconcussè crederentur infinita Dei potentia?

§. XI.


De necessitate miraculorum, quæ solius Dei potentiam quotidie extollunt.

QUandoquidem stulta mundi, in expugnationem omnis sapientiæ humanæ delegit Deus, & ad ea comprehendenda imbecilla esset anima; quippe quæ omnem fidem humanam transgrederentur; necesse fuit, ut ea quæ incredibilia videbantur, incredibilioribus sancirentur probarenturque argumentis credibilia; & quæ indigna Deo, & stulta videbantur, inauditis prodigiis in-

clarescerent. An non hoc pacto sapientia hujus mundi, cæcitas facta est? nec per illam sapientes hujus mundi potuerunt ad Dei notitiam pervenire? Deficientibus ergo præsumptionibus hominum, potentiâ miraculorum suorum revelavit Deus veram sapientiam in testimonium sui, ut se Deum inexplicabilem, & ubique præsentem agnoscerent. An non ideò totus orbis hanc stultitiam Dei laudat, & admiratur, dum id quod in ea rationi contrarium est, absurdum videtur, ad veritatem ipsam, quæ verbis exprimi non potest, omniq̀ue ratione est antiquior, refert, eiq̀ue adhærescit? Sic stultitiam Dei, Deus docet mortuorum suscitatione esse summam sapientiam, quâ falsum à vero damnatur. Quid stultius dici fingiq̀ue potest, quandoquidem suscitatio mortuorum sit solius potentiæ divinæ opus ineffabile, quàm patibulo Crucis non inesse victricem potentiam? ad cujus sonitum citatim mortui revivíscunt & maxima suscitantur prodigia? Quàm profligatæ Passioni Dominicæ non inditam gloriam ineffabilem? Quis in illa, tribunal Domini, judicium mundi, potestatemq̀ue doceret esse Crucifixi? Quis crediturus lignum à Christo Domino tanquam latrone portatum, in sceptrum supremæ potestatis convertendum? An non hoc miraculorum summum, Crucem detestabilem cunctis, figendam in frontibus Regum, tanquam fontem omnis felicitatis, & quæ sceleratis oculis grande ludibrium, magnis Monarchis, & universo orbi futura grande mysterium? An non grande mysterium, cæcum luto curatum? Planè: grandius, orbem Cruce penitus exosâ sanatum. An non stupes furibundum oceanum, molli arenâ frænari? Stupes: altiùs stupeas omnes dæmonum vires frangi, unius Crucis levissimo signo. Datur ergo de infirmitate Crucis, suprema victoria, suprema gloria de supremo opprobrio, & vita de morte infami, & scandalo omnimodo cooperta. An non magnæ virtutis, & sapientiæ argumentum, hæc incredibilia omni dubitatione depulsâ, manifestari certa & indubitata per ea quæ sunt multo magis incredibilia? Quis auguratus fuisset Crucis signo debellandam idololatriam? & Romanum Imperium, Crucis auspiciis sub disciplinam Christianam subjugandum? Quis Christum Crucifixum Romanis arcibus, & triumphanti Capitolio sperasset tanquam Dominatorem orbis inferendum? An non eadem Crucis potentia antiquam legem abolevit, templum evertit, & proditores suos mille calamitatibus, toto orbe extorres vagosq̀ue damnavit? Hoc si cognovissent, nec Gentiles, nec Judæi Dominum gloriæ crucifixissent, 1. *Corinth.* 2. *vers.* 8. Plus ergo terrarum subdidit Crux victrix Romano Imperio, quàm bellicus sudor, dum labarum seu vexillum Crucis cœpit præire Romanos exercitus. An non Constantinus Magnus, Ma-

A xentium Tyrannum fretum Deorum falsorum auspiciis vicit Crucis signo, & Romam sibi Cruciq̀ue sacræ subjecit? Crux Imperatorem in certo belli exitu suspensum roboravit: meridiano enim tempore iter cum exercitu facienti, Sole jam Occidentem versus vergente, miraculum majus quàm dici possit, oblatum est: Ignea scilicet columna, & lucis fulgor in aëre Crucis formam referens, quæ stellis æqualibus in Latinarum literarum figuram expressis Constantino clarè, *In hoc † signo vince*, ostendebat. Quâ re consternatus, amicos, qui secum aderant, an ipsi quoque viderent, percunctatus est. Quod illi cùm affirmassent, nocte proximâ Christus ei unà cum horrendo illo signo apparens, tale quiddam eum facere, atque in bel-

B lis præferre jussit; fore enim ut per id omnes vinceret hostes. Et statim exortâ die visioni obsequens, ex auro tale signum fieri curavit: hasta scilicet longa ex auro elaborata cornu obliquum habet, in Crucis formam compacta, in cujus summitate corona mediam Græcam literam



decussatam continens, Christi nomen obscurè refert. Hujusmodi tunc pro tempore, tum repentè factum sanxit, ut in bello præferretur. Hæc Nicephor. *lib.* 7. *cap.* 29. *lib. verò octavo cap.* 3. addit: Devicto Maxentio, simulachra Deorum comminuens in cinerem redegit, eorundem delubra solo æquavit: mox manibus ipse suis Servatori in

C Palatioq̀ue Romæ templum sarculo descripsit, & excitavit, legesq̀ue pro Christianis tulit: tulit & legem ne quisquam in Crucem ageretur. Deinde cum Maximino implacabili Christianorum hoste congressus, trophæum Crucis inferri in hostem jubet: adversus quod quum ille jacula emittere juberet, victus succubuit. Quis tibi tunc sensus Roma fuit, Martyrum pro Christo Crucifixo morientium purpurata, cùm Diis tuis sublatis radiantem Christi Domini Crucem spectares? Vicisti omnia ferro, & armatâ dextrâ; tu victrix orbis ab inermi & infami ligno victa, ligno succubuisti. Rectè de te dici potest:

Quippe triumphatum frænasti legibus orbem:
Paruit imperio terra fretumq̀, tuo.
D *Ecce triumphali ligno frænaris, & orbis*
In Christi properans regia jura venit.

Ut igitur Crucifixus Deus crederetur, opus erat summis miraculis, juxta illud *ad Hebr. cap.* 2. illam scilicet veritatem contestante Deo signis & miraculis. Deinde *Matth.* 10. datur miraculorum potestas Apostolis & Discipulis: *Euntes prædicate dicentes: Appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia ejicite.* Et *Marc. ult. Illi verò profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Sic & ipse Dei Filius ut suam Divinitatem probaret mortuorum suscitatione, & infinitis signis, & miraculorum magnitudine, quæ nemo nisi Deus posset patrare,

trare, est contestatus: *Si opera*, inquit, *non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, Joann.15. Sic & Moysi dedit Deus potentiam patrandi miracula in probationem missionis suæ, Exod.4. *Vt credant quod apparuerit tibi Dominus*: signa facies, quibus extorquebis fidem certam & infallibilem. Optimè ergo Augustin. 22.*de Civit.cap.*8. dicit miracula fuisse necessaria ut mundus crederet; an non ideo quia solius ineffabili Dei potentiâ absolvuntur, & omnes vires superant creaturarum, & ideò mirabilia cunctis existunt & habentur; qualia sunt, virtute Dei mortuos ad vitam revocare; aperire oculos cæci nati, claudos & surdos sanare, ventis & tempestatibus imperare. Quare & in sacris Scripturis testimonia Dei dicuntur; quare quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur; non enim Deus testis, nisi veritatis, cùm ipse sit summa veritas. Miracula ergo vocabimus fulgura, coruscationes, tonitrua Dei, quibus orbis terretur, & commovetur, & suscitatur, & à falsitate penitus avocatur, & ad veri Dei cognitionem, qui est Auctor mirabilium, convertitur: effectus enim semper respicit causam & originem sui. Quare impossibile est ullam hæresim sectamque posse vero miraculo confirmari, nisi dicamus Deum falsitatis testem, quod esset seipsum negare. Sicut enim literæ regiæ sigillo regio consignatæ, sigilli probatione literæ regiæ & censentur, & ut tales acceptantur, in honore sunt & gloria populorum: sic ea doctrina, quæ miraculis stat corroborata, veritatis certitudine stat inconcussa; an non ideò quia supremâ Dei veritate subnixa, & sigillo divinæ Majestatis semper duraturo confirmata? Optimè ergo Augustinus *lib. de utilitate credendi cap.*17. & *lib. contra epistolam fundamenti cap.*4. dicit se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum. & Richardus de S.Victore *lib.*1. *de Trinitate cap.* 2. audet dicere: *Si error est quod credimus, à te decepti sumus; ista enim in nobis iis signis & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Quod ergo pauci Apostoli, ut dictum est, solâ verbi Dei efficaciâ, nullis eloquij viribus totum mundum subegerint; an non opus divinæ potentiæ? quare & illud opus D.Augustinus *lib.*22.*de Civit.Dei cap.*5. ponit inter cetera miracula. An non ingens miraculum noster Xaverius? qui miraculis, & mortuorum septem & viginti resuscitatione bonam partem Indiarum cum sua Japonia ad Christum traduxit? *Dextera Dei fecit virtutem, dextra Omnipotentis facit mirabilia magna solus.* Perlustra totam Ecclesiæ S. ætatem, & singulos annos percense, ut cœperit, utque adoleverit, & quasi ad florentissimum pervenerit statum, omnes gradus, & progressus divinæ potentiæ viribus invenies elaboratos.

Ecce qualis est Deus noster, cui Omnipotens nomen ejus, qui miraculorum magnificâ multitudine suam potentiam mortalibus cunctis manifestavit, orbem domuit, & ad sui notitiam pertraxit; domuitque non ferro, sed ligno.

§. XII.

De quarto opere divinæ potentiæ.

Quod est condonatio peccati mortalis, cum tanta benignitatis significatione.

HÆc opera Omnipotentiæ divinæ, quæ jam celebrata, sunt quidem admirabilia, stupenda, & omnem vim intelligendi exsuperantia, & quasi tubæ, & præcones omnipotentis bonitatis, & misericordiæ divinæ, & viscera infinitæ benignitatis loquentia, ut loquitur Apostolus ad Titum *cap.*3. *Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* At in hoc, quod peccatum naturâ suâ irremissibile est, ut loquuntur Theologi, & cum Deo bellat, & in ipsum Deum, omnes furores nequitiæ suæ, in Dei perniciem conglomerans insurgit, Deum calcat, creaturam vilissimam summo, & infinito bono præponit, nihil æstimat eum, qui est omnia, & illud quod nihil est, imò omni nihilo infelicius, tanquam Deum alium suo suffragio deligit, creatque: quod hoc, inquam, infinitum malum, æternis pœnis dignissimum possit, velitque infinitæ magnanimitatis altitudine non solùm destruere, & destructi reliquias obliterare, & obliteratas perpetuæ oblivionis interventu ex animo seponere, verùm etiam juratum hostem obsequiis demulcere; beneficiis cumulare, & in numerum familiaris amici blandissimis gratiæ præmissis amplexibus admittere, sibique sociare. An non hoc opus omnipotentiæ, infinitæ malitiæ injurias infinitis beneficiis permutare? an non omnipotentiæ est, suam omnipotentiam sic cohibere, frænare, componere, &c. ut omnipotentia ipsa, omnipotentiæ suæ fræna injiciat, sibi dominans imperat, & ne proruat in ultionem, potentiæ dextrâ placat, tranquillatque pietatis occursu? At parum est semel condonasse, at centies, & millies novis flagitiis, & immanibus sceleribus irritatum, accensum, & furioso duello provocatum, placidâ suâ omnipotentiâ, impunita scelera ferre, dilatione pœnæ affectare regressum ad pœnitentiam, & mutationem flagitiorum? Addo, nec finem parcendi facere, si peccator aliquando fecerit peccandi. Pone ob oculos Omnipotentiæ divinæ miraculum: inter fœminas, unam Magdalenam; inter viros, Paulum. Quàm benè canit Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam*

Remissio peccati mortalis omnipotentia divina opus.

Omnipotentia divina est infinita scelera condonare.

nipotentiam tuam parcendo maximè manifestas. Hoc est, esse Deum omnipotentem, qui possit infinita mala dissimulare, infinitas injurias ferre, sævitiam suorum hostium præterire, habere seipsum in sua potestate, & ad unum gemitum hostis sui, uni lachrymæ, omnes iras paratas concedere, & memoriam infinitorum malorum sepelire. ***Fidelis**, inquit Paulus **ad Timoth. 1. cap. 1.** sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Sed ideo misericordiam consecutus, ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Unde Deo tanta patientia? an non ex omnipotentiæ magnificentissimo apparatu, gloriâque, quæ supereminens etiam malitiæ infinitæ, nullâ malitiâ lædi, aut violari potest? Mirabile Numen hoc æternum, semper velle prodesse, & nocere nemini. Discant hoc ij quicumque magnam potentiam inter homines sunt adepti, sine consilio nec fulmen quidem mitti debere: advocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, ubi aliquid percuti debet. Magnis viris decori, gloriæque sunt virtutes, si illis salutaris potentia est: pestifera vis, valere ad nocendum. Maximam ergo Dei potentiam decet Imperatorius animus, cujus cura, & potentia excubat pro singulorum salute; ad cujus omnipotentiam, tanquam ad clarum, ac beneficum sidus certa-

Summa potentia salutaris.

A tim advolamus. Magni ergo Dei proprium est, eritque, placidum, tranquillumque esse, & injurias, atque offensiones supernè despicere: dare vitam, meritis amittere, dignitatem hostibus dare. Facit ergo Deus quod nulli licet, nisi *παντοκράτορι*, id est, omnium rerum potienti. Vita per peccatum peccatori eripitur. Quis potest suscitare mortuos, nisi is cui Omnipotens nomen est. Deus enim solus per suam omnipotentiam ut creat, sic & solus suscitat mortuos. Beneficio ergo Dei omnipotentis, qui peccatis eramus mortui, iterum in lucem edimur, & quasi de novo renascimur; juxta illud Petri 1. *cap. 1. Quasi modò geniti infantes.*

B Verè Magnus es Deus, Deus Omnipotens, qui omnipotentiam parcendo maximè manifestas; non enim te decet sæva, & inexorabilis ira: omnes servare præsidio tuæ potentiæ, tibi proprium est. Tota hæc universitas spiritu tuæ potentiæ circumdata regitur, illius ratione flectitur pressura se, ac fractura viribus, & peccatis suis, nisi magnanimâ omnipotentiæ virtute sustineretur. Laudamus ergo omnipotentiam tuam, ô Deus Omnipotens! quod mite exerceas imperium, nec delicta statim fulmine persequaris: & quamvis nonnunquam orbem fragoribus terreas; hoc agis ut trementes ad repentinum sonitum tuæ omnipotentiæ expavescamus. Hoc unum tamen scio, quòd nunquam dolor ab injuriâ veniat, ut noceas, sed ut prosis semper.

A. L. T. F.

ALTERA PARS
XXIV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Virginis potentia. Quidquid vult Deus naturali Omnipotentiâ suâ, facit Sanctißima Virgo gratuitâ.

POTENTIAM Dei diximus A infinitam, quia immensitati infinitæ essentiæ commensuratur. Regnatricem Virginis potentiam qualem asseremus? infinitam? hanc soli Deo damus. Verùm cur non proximè infinitam, cùm ad infinitam dignitatem, cui potentia adæquari debet, proximè accedat? Divina potentia ad omne possibile sese coëxtendit, etiamsi nunquam futurum. Cur non Virginis potentiam ad omne possibile, si ipsum actu existeret, cùm sit Domina omnium rerum quæ sunt? Umbram tamen divinæ potentiæ dixerim Virginis potentiam, quæ quantum creatura potest, exprimit in se imaginem omnipotentiæ divinæ. B An non Deus facit omnia quæ vult? Planè; & omninò nihil patitur, quia purissimus actus. An non ideò dicitur omnipotens, quia naturali potentiâ potest, quidquid vult fieri? & quidquid vult se posse? & nihil velit se posse quod non possit, & omne quod vult fieri, velit se posse; sed non omne quod vult se posse, velit fieri; si enim vellet, fieret. Quis voluntati ejus potest resistere? Hinc Augustinus *in Enchirid. cap.* 90. *Non ob aliud Deus vocatur veraciter Omnipotens, nisi quantum quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et Chrysostomus *in exposit. Symbol. Omnipotens dicitur, quia posse illius, non potest invenire non posse*: juxta illud Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Cetera verò quæ infirmitatis sunt, ut mori, posse falli, ei appropinquare non possunt. An non isto modo adumbratur in Virgine ista potentia? Deus quidem naturali potentiâ omnipotens; at Virgo gratuitâ. An non Deus facit omnia quæ vult? An non Virgo omnia quæ vult? Planè. Audi Damascenum: *Potes*, inquit, *quidquid lubet ut Dei Mater: an non regnum Filij, regnum Matris?* Planè. Quæ creaturarum Matris Dei voluntatem impedivit? Nulla. Posse illius quando invenit non posse? Nunquam. *Quis loquetur potentias Domini?* Psalm. 105. Quis loquetur potentias Virginis? An non fecit

Dei potentia qualis.

S. Virginis qualis potentia.

Deus potentiam in brachio suo? Magna Dei potentia, quâ mors à morte vincitur, & superbia humilitate debellatur. An non fecit potentiam in Virgine, dum illa conterit caput serpentis? & fecit illi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus? Introivimus in potentias Domini, introeamus in potentias Virginis. Potentia Dei rebus in omnibus, in cælo, terrâ, in omnibus elementis, ut dictum est, inclarescit. Virginis potentia pariter in cælo terrâque, & omnibus creaturis. Toto orbe diffusa Dei potentia: toto orbe diffusa potentia Virginis. Potentia Dei Regibus sceptra & diademata confert, quia universorum Dominus: *Per me Reges*, inquit Sapientia *cap.* 4 Proverb. *regnant, & legum Conditores justa decernunt: per me Principes imperant, & Potentes decernunt justitiam.* Videamus an non hæreditario jure hæc potentia Virgini obveniat. Quis audeat Filio Virginis negare hanc supremam potentiam, jurisdictionem, & imperium in omnes Reges? An non Divinitas humanitatem Christi unxit oleo supremæ & indicibilis dignitatis, quo non solùm in summum Sacerdotem, verùm etiam in Regum omnium Dominum supremum initiavit? An non Divinitas ipsam humanitatem deificavit? eò sublimitatis evexit, ut jure naturæ universi Reges tanquam C Vasalli subdere sua colla debeant? An non Deus Pater omnium supremus Dominus? An non Rex Regum & Dominus Dominantium? an non Patris æterni est condere leges & justa decernere? Quis audeat dubitare? An non Filius Dei & Filius Virginis dicit Patri suo Deo: *Omnia tua mea sunt, & mea tua?* Dicit: quia Pater constituit eum Dominum universorum, quia Patris hæres, & non servus. An non perinde ut per Patrem Reges regnant, ita & per Filium?

Potentia Virginis.

Reges ergo Dei Patris Vicarij & Vasalli, ita & Christi; *quia*, ut Augustinus *tractat.* 14. *in Ioann. erat quidem Rex non talis, qualis ab hominibus fit: sed talis, ut homines Reges faceret, & loco suo regnarent. Divinitas enim sociata humanitati, supremum Dominum omnium creatu-*

rarum

rarum addixit in arrham, & despondit illi rerum omnium supremam potestatem, & dominium; ut si voluisset, liberè regnare, & dominari potuisset; nullius enim potestati, cùm esset filius, subesse debebat. Habuit ergo Christus Dominus, ut homo erat, supremi Regis potestatem in homines, Angelos, dæmones, & ceteras creaturas, ut omnia creata illi tanquam vero suo Domino, ut mancipia deservirent, poscebat id dignitas ejus, qui Deo secundùm humanam naturam sociatus in una persona Divinitatis subsistebat. An non ideò in vestimento ipsius & femore inscriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium?* Apocalyps.19. An non per vestimentum humanitas Christi Domini designatur, quo vestivit illum Mater sua, dum in utero sanctissimo & inviolato conquiescit? In vestimento ergo inscribitur Rex Regum, & Dominus Dominantium, quia operibus suis se Deum tantum, & Dei Filium esse demonstravit, cui omne imperium, Regum potentia, honor debebatur.

Ex summa potestate Filij noscitur Matri potestas summa.

Quorsum hæc omnia? an non Matri cum Filio omnia jure naturæ communia? an non jure naturæ Pater & Filius unum sunt, & Filius pro una persona æstimatur? Nascitur Filius ex Matre tot Regum & Principum Filius: nascitur ex Matre Filius Dei Patris æterni, per quem Reges regnant. Cur non & per illam & Reges regnarent? An non ideò omnium nationum consensu Domina vocatur? Si Domina, ergo & potentissima, in cujus nomine, ut ait Idiota, omne genu flectitur, cælestium, terrestrium & infernorum. Pulchra verba Nicetæ in confessione suâ, cùm à Saracenismo ad fidem Catholicam felix desertor se recepit: *Sanctam,* inquit, *præterea Virginem Dominam & Reginam omnis creaturæ adoro & veneror. An non qui ex illâ natus est, Rex est? Rex est. An non Rex & idem Dominus, est Deus? Est Dominus & Deus. Cur Mater quæ Regem genuit, Regina non esset? Reginam adoro. Cur non & Dominam, quæ Dominum, & Deiparam, quæ Deum genuit? Verè Domina, & Deipara est. Dominam & Deiparam adoro. An non qui ex illa natus est, Rex est omnium, potentissimus? Omnino. Sit ergo & potentissima quæ peperit. Idem forum potentia sortitur & Mater & Filius, quia tanquam una persona Pater & Filius judicatur. quod intimè Virgini convenit, quæ Patris & Matris personam sustentat.* Sit ergo, & celebretur rerum creatarum potentissima Domina, quæ Creatoris potentissimi effecta est Mater; possideat regnum potentiæ Filij sui; præsideat jure Materno, cælis; & terræ sit Mater potentissima, quia Dominus Filius secum potentissimus, & quia Filius ex ipsa, & in ipsa, & per ipsam, & semper secum non potest non esse potentissima; quia omnis potentia ex ipso Filio, & in ipso Filio, & per ipsum Filium Matri obtigit, & à Filio in Matrem devolvitur, quamquam à natura aliter sit compara-

A patribus descendit in filios magnitudo in Christo & Virgine longè aliter.

A tum, ut à Parentibus omnis potentia, & gloriæ splendor descendat ad liberos. Hîc autem longè aliter evenit; ut fluminum fontes sursum fluant, & Filius omnem potentiam suam in Matrem, quantùm mortalitas capere potest, transfundat. Cùm igitur Filio Dei infinita potentia competat; cur non competeret & Matri? cur non ad Matrem inundaret? imò ita redundaret, ut quodammodò una esse videatur, juxta principia naturæ? ut præclarè argumentatur Arnoldus Carnotensis *tractat. de laudib. Virgin. Nec à dominatione vel potentiâ Filij Mater potest esse sejuncta: una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus, una charitas; & ex quo dictum est ei: Dominus tecum. inseparabiliter perseverat promissum & donum.*

B Quid aliud significat, *Dominus tecum?* quasi diceret: Unitas divisionem non recipit. Dico ergo & ego gloriam & potentiam Filij cum Matre non tam communem, quàm eandem esse, nec divisionem recipere.

§. II.

Qualis sit potentia sanctissimæ Virginis.

RAtione Dictatrice nemo ignorat, quantâ innocentiâ, quantâ fide, quantâ humanitate, quantâ pietate & modestiâ debeant esse Imperatores, & ij qui rebus præsident

C humanis. Consideremus summa omnia esse in Virgine potentissima, quæ clavum tanti imperij tenet, & gubernacula orbis tractat universi. Summæ potentiæ decus, omnia posse, & tamen summâ moderatione nosse uti potentiâ, quâ prosis cunctis, noceas autem nemini. Sit potentia solatium, & medela, quâ bonis providetur, & malis fræna injiciantur: sit ensis ad defensionem, & terrorem. Virginis igitur num est fastuosa, num nubila, num turbida, num severitate condita, num difficilis accessu, num sui retinens, num horrida, & tenebris obscura? num oculis spirans pavorem? Absit, absit. Utar verbis Salomonis Proverb.16. *In hilaritate vultûs Regis vita, & clementia ejus quasi imber serotinus.*

D Quam pulchrè, quàm divinè Virgini, & Filio Dei hæc laus debetur! Spirabat Filius, etsi cum potestate docens, amores sui suavissimos: spirabat & Mater, & inspirabat amores cæli: tegebat mirifico temperamento clementiæ, suam potentiam Filius; temperabat & Mater facillimâ accessione suâ. Benè Hebraïcè: *In luce facierum Regis vita, & benevolentia ejus ut nubes serotinæ pluviæ.* An non Christi facies, lux facierum? an non & Matris? Benè & Chaldæus: *In luce vultûs Regis vita, & voluntas ejus quasi nubes in serenitate.* Septuaginta aliter: *In lumine vitæ Regis Filius: qui autem valde accepti sunt ei quasi nubilum serotinum.* Quid Regis vultu potentius, qui serenitate lucidus? an non instar auroræ appe-

tentis

tentis nubila profligat? Solis instar Regum facies totum serenat imperium. An non facies clementis, ac moderati imperij simillima sereno cælo? Talis est Matris nostræ potentissimæ facies, quæ Solis instar fovet propitiis orbem radiis, omnibus vitam & amœnitatem inspirans: nunquam illa non intromittit radios suæ benevolentiæ, nunquam patitur ut Sol eclipsim, causam multorum malorum prænuntiam: ac semper spargit velut in meridie exundantes suæ benevolentiæ flammas, & incendia rore Favonij temperata. Quemadmodum pulcherrimum sui simulachrum Deus in cælo constituit Solem: ita inter homines vivam collocavit sui imaginem, Matrem suam potentissimam; attamen & clementissimam. Et sicut Solis aspectus est jucundissimus his qui illum possunt intueri oculis non malè affectis: sic & Matris Dei aspectus omnibus salutaris atque jucundus; & ut Solis est, orbem illuminare: ita Virginis partes sunt, egenorum potenter misereri. An non clemens potentia quasi serotinus imber qui verni temporis est pluvia, & cælo frugibus alendis missa? an non serotinus hic imber tellurem frigore contractam exhilarat? detonsam herbis convestit? tristem floribus ridere facit? an & non sterilem fœcundo rore maritat, auget & opulentat? Hæc clemens facies potentissimæ Matris, cui suspiramus, cui acclamamus & accinimus: O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!

§. III.

Sanctissimæ Virginis potentia ex effectibus cognoscenda, ex statuis, ut Petri ex umbra.

Magnarum causarum virtus ex effectibus noscitur.

MAgnarum & excellentium causarum potentiam designant & eloquuntur effectus producti, qui trahunt sui originem, natalesque suas vires ab ipsis causis. Quis nosset vim stupendam Solis? qui instar cunctorum generator pro potentia suæ nobilitatis generosos producit effectus; nisi vim & efficaciam sui per rerum generationes exereret? Cursus Athleticas vires, gladiatoris validos lacertos; crudum & validum certamen manifestat, picturæ nobiles & penicilli accurati Magistrum; Oratorem, elegans Oratio; victoriæ ingentes, ingentem Ducem declarant. Efficacitas ergo & efficientia rebus ingenita non nisi actibus & operationibus earum cognosci potest. Sic Virgini à Deo datam debitamque potentiam assequi quis poterit, nisi inexpectatis & portentosis miraculis, & ter maximis operibus ac grandibus actibus comprobaretur? Cùm igitur sanctissima Virgo continuò, & actuosa rebus humanis intendat; totusque orbis, ore, calamo, scriptis tam antiquis quàm novis deprædicet, celebret, decantet victorias, triumphos, miracula Dominatricis Divæ; laboris foret inexhausti, & inenarrabilis industriæ, ire per singula rerum gestarum monumenta. Quis enim angulus terræ tam desertus, ad quem non pervenit Virginis piæ famosa potentia? Quæ Regio in terris non plena gloriâ Majestatis ejus? Quis adeò barbarus, qui vocatæ Divæ auxiliatricem dexteram non sensit? Ideò beatam illam dicunt omnes generationes, præter perfidos hæreticos, qui filij serpentis (cujus caput Virgo contrivit) more serpentum sibilis, conviciis & maledictis Virginem incessunt, explodunt, despiciuntque.

Statuæ Virginis implent orbem.

Unicâ ergo propositione atque argumento per historias deducto, impudentia hæreticorum ora obserabo. Quicumque per suam imaginem vel statuam inanimatam, stupenda & inaudita patrat miracula: quanta poterit is patrare suo contactu, suis verbis, suoque imperio? Sanctissima Virgo replet suæ statuæ & imaginis miraculis & portentosis operationibus orbem. Quanta ergo per seipsam suo nutu, suis literis & mandato poterit patrare? An non Petrus replet orbem exstasi, dum legitur solâ umbrâ curasse exposita ad adventum ipsius corpora morbosa, *Actor. 5.* ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum? Quid dicis hæretice? si umbra tantæ virtutis fuit, cur non sacra Petri ossa? cur reliquias corporis despicis, qui veneraris umbram? Paulus *Actor. 19. vers. 12.* *A corpore Pauli sudaria & semicinctia super languidos deferebantur, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Et vos scelerati, flammis crudelibus sacra ossa Sanctorum traditis concremanda, quæ dæmon fugatus exhorret. Vos immanes barbari, & sepulchrorum effossores, & ideò jure legum puniendi; sacra Spiritus sancti pignora in cineres redacta, in ventos, à vestris Majoribus tam religiosè servata, & miraculis clara dispergitis. Quanta Petri in umbræ suæ sipario? & Pauli in sudariolis & semicinctiis potens efficacia? An non plus sancta Virgo & Mater Dei, quàm Petrus & Paulus, qui servi Dei? Tota Italia, Hispania, Germania, & Belgium nostrum coruscat miraculis sacrarum imaginum & statuarum. Et tu Majorum, & fidei priscæ degener dices totum orbem delirare, & te sapere?

Petri in umbra, quanta efficacia.

§. IV.

Potentiam Virginis in sua imagine uno plebeio argumento contenti probemus.

Quid Dionysius Rovillardus in sua Parthenica Historia dicat, audiamus: Obsidebatur ab hæreticis Canutum in Gallia, Indusij Virginei dote & custodiâ nobile; irridebant amarè Canutensium vanam & irritam spem & fiduciam in Virginis solius præsidio defixam, arrogantes hæretici, freti armorum potentiâ. In Virginis ergo potentiam, quam dicebant futilem, & inanem & anilem, convitia horrenda jactabant: non plus posse Virginem Canuti, quàm Dianam Ephesi. Pudeat nebulones Turcis deteriores, qui Virgini tanquam Christi Matri summam dicant venerationem, voluntque Virginis obtrectatorem perditum. Fervet itaque obsidio, & contra eam portam maximè, supra quam spectabatur imago sacratissimæ Virginis, insaniebant. In hanc ergo ardentes odio, & furibundi tormenta vibrant, concutiunt omnia, universa quæ circa imaginem erant, cōteruntur. Quid dicis hæretice? frustrà insanis in Virginis imaginem. Manet illæsa, statque integra, vallata Divæ potentiâ ad 42. spatium circumquaque digitorum. Vi tormentorum, & fulgure eversa erant omnia. Et quid deinde? Potentiam suam explicuit Virgo. Vi divinâ solvitur obsidio, & quasi in fugam acti magnâ suorum jacturâ, & internecione, scelerati signa retrò converterunt. A qua fuga, secundò iteratâ, in tantæ memoriam victoriæ, prato, ubi tentoria erant fixa, nomen Gallicum est inditum: *Les prés des reculez*, id est, Prata fugientium. Quare & Canutenses Virginis amatores non ingrati in gratiarum actionem, festum & justitium indixêre. Horribiliori casu fuit percussus Princeps Saracenorum, maledicus convitiator potentiæ Virgineæ. Hic ausus in Virginis potentiam insultare, probris lacerare, & omnibus convitiis proscindere Virginis dignitatem. Audiamus Curopalatem, ex quo Baronius in annum Christi 886. *num. 7. Regnabant Tarsis Saraceni: eorum ergo Princeps ad Ducem Andream pium virum misit literas superbia & maledictorum plenas, & hæc indicantes: Nunc videbo an Mariæ Filius, ejusq; Parens tibi proderit, cùm contra te cum meo exercitu progrediar. Quas literas Andreas Basilij Macedonis Imperatoris Dux acceptas, imagini Virginis appendit, hæc locutus: Vide, ô Mater Dei, qui es ipsius Filius, & Deus, qualia exprobravit, & superbè dixit contra tuum superstitem populum, barbarus iste arrogans.* Quibus dictis, assumptis Romanis copiis contra Tarsum proficiscebatur, & cùm ad Dodandum venisset, ibi cum hostibus congressus, multâ cæde fundit, & fugat

Canutum in Gallia obsessum Virginis potentiâ liberatum.

Saraceni casi fugatiq.

A Barbarorum multitudinem, cùm priùs eorum Dominus occubuisset, pauci verò incolumes se Tarsum recipiunt. Hanc victoriam Basilius Imperator columnâ erectâ Posteris transmisit. Habes ultricem Virginis potentis dextram, quâ suos hostes debellat. Non inferior fuit Tornacensis urbis rebus desperatissimis conclamatisque victoria 1340. ex archivis Eccles. Cathedralis. Arctissimâ obsidione clausa urbs, cùm nihil præsidij reliquum esset, Clerus populusque votis, precibus, lachrymis Virginem solicitant, & claves, tanquam urbis Patronæ Dominæ, deferunt Nerviæ urbis, ei sui defensionem committentes. Audiit Virgo in misericordiam prona: & ecce panicus terror invadit hostes, fugam arri-B piunt, spolia collecta projiciunt, & urbs liberatur. Nec hîc substitit ultio; igne pestilenti, & ardore ignito corrupti fuêre. Verùm ut miraculum miraculo probaretur; hostes ægri ad templum Virginis deducti, senserunt visibilem opem, pallio scilicet Virginis exstinguente horrendos & inexpiabiles, & inexstinctos ardores.

Tornacum insperato miraculo liberatum obsidione.

§. V.

Oleum ex picturâ portentosum.

Narrat Arnoldus Abbas Lubetensis testis oculatus. Vide Baronium ad annum 870. Propè Damascum tribus tantum ab eo milliaribus visitur Ecclesia rure Virgini dica-C ta, in quâ est pictura ejusdem, ex quâ jugiter emanat oleum fragrantissimũ, quo tam Christiani, quàm Saraceni Judęique ex variis morbis consanescunt; & quamvis largiter inde asportetur, non sentit ullam sui diminutionem. Nunquam major nec ardentior Barbarorum concursus quàm in festo Assumptæ, & Natæ Virginis, sua munera assignata Virgini studiosè deferentium. Accipe ingens miraculum quod accidit anno 1203. ex Westmonasteriensi in floribus historiarum. Soldanus Damascenorum cæcus effectus, auxilio Deiparæ invocato, infusione olei visum recepit, ac sexaginta metretas olei in annuũ reditum dedit, ut lumen lumini dato redderet: D qui primum quod vidit, fuit lampadis sacræ lumen, ex illo tempore ad natale sequens cœpit oleum uberius à dictâ imagine fluere, & illud oleum in carnem anno sequenti solidari. Fama curati Soldani magnam ubique terrarum venerationem imaginis disseminavit dispersitque. Quantò sceleratis hæreticis meliores Saraceni & Turcæ! hi imaginem tantæ Principis venerantur, illi in odium tantæ puritatis flammis sacrilegis addicunt. Audiant Hæretici veteratores Patrem Petrum Joric, qui *lib. 1. 2.* scribit anno 1590. celebrem Virginis sacræ Imagini cultum exhibitum in regno Mogor. Magnus Rex Mogor etsi Ethnicus adhuc, superbum ac magnificum thronum erigi curavit, in quo Deiparæ Imaginem

Oleum ex pictura fluens.

à Patre

à Patre Rodolpho Aquaviva Societatis Jesu acceptam collocavit: voluit prætereà eam à suis Principibus, Aulicis, belli Ducibus summos honores deferri, & osculo à Principe Filio, Duce tanti facinoris imaginem dissuaviari. Et ne deesset remunerationis præmium, promptissimumque quemque ad obsequium, Equites creavit. Viri Turcæ, & Saraceni, & Ethnici in die Judicij surgent contra generationem hæreticam. Persequar ulteriùs juratos hostes Virginis totius orbis comitiis, factis & veneratione nunquam intermissâ.

Imago à Barbaro Rege culta.

Quis non admirabitur Ludovici Pij Imperatoris in sacram Virginem, indefessam observantiam, & infatigabiles amores? Hic Caroli Magni, generosus filius, hæres & Imperij, & pietatis in Matrem Dei, hujus imaginem sui itineris semper sociam circumferebat. Venationis studio captus, imaginem Virginis spectatricis in arbore positam volebat, illis oculis placuisse adgaudebat, illam inter venatus, latratusque canum alacres, cursus recursusque, oculos in amatam Divam dirigebat ægrè divellendos; adeò cordi defixus amor, eminus & cominus amatorio salutabat carmine. Placuit Divæ locus, cujus monitu ad arboris truncum jussus templum construere, & Virgini sacrare. Idem in suburbio Wormatiensi ædem Virgini beatæ dicavit, voluitque Matris Mariæ cœnobium nuncupari. Vide Albertum Crantzium in Metropoli. Anno Christi 641. narrat Theophanes & Cedrenus Heraclium Imperatorem undique à Chosroë Persarum Rege victoriis insolentissimo oppressum, ad Virginis opem confugisse, & jejuniis, & continuis supplicationibus gratiam Virginis exorasse. Itaque ipso die Paschatis Constantinopoli scribunt egressum, manuque dextrâ imaginem Virginis pulcherrimam tulisse, & fiduciâ Virginis nixam, variis præliis hostem fugasse, vicisse, & ad extrema redegisse. Tanta potentia Virginis in sua imagine. Si Christus in sua; cur non Mater & in sua imagine posset? Quare & nonnulli Reges Angliæ gestare in suis insignibus imaginem beatæ Mariæ Virginis consueti, ut qui ab ea expectabant de suis hostibus victoriam. Hoc ut facerent Regij Principes, Edelredi Regis Angliæ clara victoria docuerat: cùm enim à Dacis arctâ obsidione Londinum premeretur; Rex diffisus humanis opibus, in Virginis gratiam & favorem, omnem spem transtulit. Solvitur obsidio, hostis re infectâ subitò & insperatò discedit, & urbs defessa redditur suæ libertati. Vide Historiâ Anglicanam Malmosburiensem. Quare non sine causâ multis triumphis auctus Jacobus I. Aragoniæ Rex, cognomento victor seu expugnator; postquam tria nobilissima Regna è manibus Saracenorum eripuisset, bis mille templa Divæ Virgini exstructa dedicavit. Vide Gomesium Blancâ, & Paulum Barcinonensem. Ingens prodigium in Virginis imagine, quæ nullâ vi hæreticorum potuit tenentis manibus extorqueri. Vide Ribadeneiram *lib. 4. cap. 4.* In vita Divi Borgiæ. Strictim historiam dabo. Pater Ignatius Azebedus 38. sociis stipatus in Brasiliam tendebat anno 1570. Ferebat secum amatam sacræ Virginis imaginem ad exemplar imaginis à felici Virginis Secretario depictam. Navigantes ergo incidêre in Calvinistas Prædones, cum summo & præsentissimo vitæ periculo. Sacrâ ergo imagine Azebedus prehensâ tanquam ductor missionis, & Viceprovincialis socios ad præsentis animi officium & pietatem hortatur; deinde hostibus interritus obviàm pergit, armatus sacro Palladio, contestaturque se cum suis esse Catholicos, & paratos mortem pro fide Catholica pacisci. Lacessiti tantâ fortitudine hæretici, caput uno, & pectus tribus vulneribus fœdè sauciant; & nequidquam imaginem avellere conantes, in mare cum sacra sarcina, ceteris sanguine suo purpuratis, & laureâ Martyrij donatis, præcipitem furiosè disjiciunt. Accipe miraculum: corpus Athletæ non subsidere, non mergi, non more consueto ima petere: verùm brachiis in formam crucis expansis, quàm longissimè oculi sequi potuêre, super aquas ferri visum. Felix vectura tam felici domitu maris, à Dominâ maris gubernata. Cymba & vectrix erat imago, felix natator maris tali duce, quæ viventem nec morientem deseruit. Quàm fabulosum Romanis ancile seu scutum, quod cælo delapsum putabant Romani, & Vestalium custodiis servabatur: quo salvo, se salvos credebant Romani. Quàm fabulosum & Palladiû, quo custodito stabat Priami regnû. At imago Virginis, sacrû & verum ancile scutumque, quo totus orbis munitus custoditur. Omnia regna Hispaniæ in Montisferrati Virgineâ imagine sentiunt certa subsidia, curationes morborum, & summorum periculorum effugia. Tota Italia Lauretanæ Virginis celebrat certissima mentis & corporis auxilia. Et nostra Flandria orbis ocellus quot prodigiosis Virgineis statuis & imaginibus non inclarescit? Lege Lipsium egregium Virginis cultorem, qui Virginem Asperi collis, & Hallensis oppiduli (quod nequaquam minimû miraculorum claritudine) tutelarem nuncupabat & honorabat. Decurre singulas urbes, multas celebres Virginis reperies aut statuis aut imaginibus claras. Quidnon Trajectû ad Mosam infinitis miraculis claruit, statuâ sacræ Virginis? Quid Antuerpiam toties insidiis & conjurationibus, & classibus victoriæ certis petitam, tutatum est; nisi sola Virgo, Præses, præsidium, scutum, verum palladium & decus Antuerpiensis urbis. Conjuro ergo omnes Provinciarum urbes: si vos ulla beneficiorum accepta cura detineat, ut Regem Galliæ Philippum Valesium vobis ad æmulationis imaginem proponatis. Hic Rex cùm toto suo exercitu ab hostibus subitò cùm cinctus esset, nec spes ulla vel fugæ, vel salutis affulgeret, vertit animû an Virginis patrocinium: & ecce Regi, totique

Ludovici Pij Imperatoris cultus amatorius in imaginem Virginis.

Heraclius Imperator Virginis imaginem ut sociam & ducem belli manu ferebat.

Rex Angliæ victoriam impetrat.

Statua vel imago in medio mari triumphum agit.

Philippi Valesij magni Regis Galliæ in Virginem fiducia.

totique exercitui tantum animorũ & virium immissum, ut novo robore Rex cum suis firmatus, in ipso loco 20. circiter hostium millia prostraverit. An non gratissimum se Virgini exhibuit, quę Lauream dederat? Ingressus Parisios eo ipso die & momento non Aulam regiam, non theatrorum, non plausus sonantes, sed Virginis Cathedrale templũ petivit. Hoc sacrum Capitoliũ equo in victore sedens per totam navim usq; ad Crucifixũ ingressus est. Nunc attende Lector magnanimi Principis nobile facinus, desiliens equo, & equum & arma victricia auxiliatrici suæ Patronæ cõsecravit, magnanimâ voce pronuntians Virginem unicam victoriæ insperatæ causam. Et ne tantæ felicitatis periret memoria, effigies Regis equo insidentis ad columnam Meridionalem spectatur, & loquitur effigies. Vide Gallicos historicos, & ex iis historiam Parthenicam. Sic Italia & totus ferè orbis Virginis statuam Laureti sua per orbem ostenta explicantem, donis magnificis extollit, quæ trium millionũ aureorũ pretium adæquant. Haud aliter Virginem Montisferrati Pręsidem tota Hispania: & Virginem Hallensem omnes Belgicæ Provinciæ, de quâ mihi præmium est ingens; paucis agere. Halla oppidulum vile opere & ædificiis, at grande sanctimoniâ, & portentis clarum: ubi Diva posthabitis aliis terris se coli per ostenta gaudet jubetque. Hîc visuntur magnorũ Principum dona, & votivæ statuæ. Philippus in primis Bonus, quàm Divæ fuerit addictus, docent monumenta. Statuam ex puro auro donavit, in quâ Virgo uno brachio filium præfert, altero florem Lilij inauratum. In pectore vice monilis uniones sex puri grãdes, & in medio carbunculus seu pyropus, quem nos Rubinum à colore vocamus. Deinde insigni comitatu duodecim Apostoli ex argento pulchrè elaborati Virginẽ adornant.

Stupẽdare- ligio Maximiliani Imperatoris.

Cõspicitur hoc Augusto loco, Augustus Cæsar Maximilianus ingeniculatus (qui connubio Mariæ Burgundicæ potentiam Belgicam in Austriacam gẽtem transmisit) optimis Imperatoribus, & virtutum choro, & felicitate fortunæ, & admirabili mentis magnitudine par, qui sceptro regio junxit Philosophiam, & docuit mortales omnes, etiam Reges meditatione mortis perẽni beatè vivere: Hic circumtulit toto biennio ante mortem, plumbeam arcam ligno tectam, funeris sui & mortis monitricem; fefellit omnium divinationes mortis locus, qui putabatur ingentis thesauri, quia & in cubiculum dormitorium deferebatur. Sciebat etenim verum Philosophię studium esse, meditationem mortis. Hic gnarus potentiæ Marianæ, arborem seu fruticem rosæ bipedalem ex auro puro factam, circũfluam aureis ramis, floribusque Dædaleâ manu elaboratis, à Pontifice sibi missam, Virgini tantùm amatæ sacravit, & cui optima quæque inaugurasset quàm unicis suis amoribus? & quo auctoramento coluit? quo præmio? Admirabili sanè rerum successu. An non regna regnis adjecit? Qui avidus est sciendi, vitam legat. Avum Maximilianum æmulatus Carolus V. orbis Phœnix. Ille crebrò ad Divam ventitare, consilia arcana cõmendare, exitus prosperos solicitare. Et quibus tanta confecit auspiciis? instar fulminis omnia perlustravit, & in quem victorias retulit? Audi loquentem: *Veni, vidi, vicit Deus.* Et quâ arte reddidit sibi, ut ita loquar, Deum non tantùm propitium, verùm etiam obnoxium? An non unius Virginis ope? Hic statuam argenteam viri armati genibus nixi, manibus in cælum sublatis, supplici habitu dedit dedicavitque. An non lævum intonuit cælum? an non votis annuit Diva? an non mari terrâque depræliantem fovit, sustentavit, & victoriis auxit? An non ideò militari formâ chlamydem villoso serico, auro intertextam, insignibus Imperij & gentis Austriæ decoratam Divæ sacravit? Quid in ea, nisi suam Divæ militiam, aut victorias consecrans, aut referens acceptas? Et ut memoria Cæsarei affectus, & vehementis amoris in Posterorum animis viveret, singulos per annos primâ Dominicâ Septembris; cives Virginis Imperatricis statuam dum solemni supplicatione templo elatam per oppidum circumferunt, hâc chlamyde ornant Imperatoriâ. Hos primos Principes orbis: Principes tanto sanguine propagati Albertus Austriacus, cum Isabellâ conjuge egregiè sunt æmulati. Quoties ad Divam itum? quoties dona grandia transmissa? quæ preces ibi non fusæ? Ille donum suspendit, lampadem argenteam pondere & opere insignem, & in perpetui luminis conservationem, additum annuum vectigal. Isabella verò chlamydem auro argentoque intertextam Divæ sacravit. Dolemus, magnorum Principum dona, & causas donorum, & inscriptiones cum suis monumentis interiisse. Unum tamen addidero ex Lipsio, qui memorat à Toparcho Montmorencio Virgini statuam argenteam, coronâ & capillis inauratam dicatam. An sine mercede coluit? an non extulit ad summum, & primis orbis Principibus æquavit, stemma familiæ, quæ etiamnum apud Belgas stat suâ mole, & potentiâ fundata? Queror annos donationis factæ periisse, qui per temporum gradus lucem dedissent. Finiam ubi Justo Lipsio justa persolvero. An non ille ardentissimus Virginis amator (quem ut Alexander Magnus rerum suarum scriptores habebat, Virgo scriptorem sibi delegit) ore, scriptis, & argenteâ suspensâ pennâ æquavit opes Regum. Suspensa illa penna ante Aram Divæ ad omnes orbis partes transmittit literas amatorias sui Domini; & quàm diu stabit orbis, scribet nomen, & amores teneros in Virginem Justi Lipsij. Audi loquentem:

Caroli V pietas in Virginem.

Albertus & Isabella Virginis cultores.

Iustus Lipsius clarior Virginis laudibus, quàm civilibus scriptis.

Hanc Diva Pennam interpretem mentis meæ
Per alta spatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit, & terræ, & maris:
Scientiæ, prudentiæ, sapientiæ
Operata semper: ausa quæ constantiam

Descri-

Describere, & vulgare: quæ civilia,
Quæ militaria, atque Poliorcetica:
Quæ Roma magnitudinem adsliuxit tuam
Variâ luce scripta Prisci sæculi
Afficit, & perfudit. Hanc Pennam tibi
Nunc Diva meritò consecravit Lipsius;
Nam Numine isthæc inchoata sunt tuo,
Et Numine isthæc absoluta sunt tuo:
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hac spiret; & famæ fugacis in vicem
Quam Penna peperit. Tu perenne gaudium
Vitamq; Diva Lipsio pares tuo.

Quæ omnia per te vis ô bona, per Filium autem potes ô magna, ô admiranda in æternum. Peregi. Verè peregisti Juste Lipsi, & dic cum Horatio:

Exegi monumentum ære perennius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens.
Possit diruere, non innumerabilis annorũ series:

Clarior luxisti orbi scriptor Divæ, quàm rerum humanarum: illa peperit tibi indelebile nomen terris, & cælis te receptum beavit auctoramento æternæ gloriæ. I nunc, liveant, & impij in Deum hæretici allatrent. O Principes, & orbis scriptores an non ij, qui statuas & imagines Virginis almæ, donis, templis Regiis, columnis, pyramidibus, mausoleis, & immensis jactibus molibus honorant, colunt, & in cælum attollunt beati? An non sacrilegus in Deum, qui in Dei Matrem sacrilegus? An tu hæretice non defers Regum statuis justos & debitos honores? Defers. & benè. Quis negârit illis reverentiam? quis audeat ferro, aut impiâ manu violare, Dei summi sacrosanctos oculos unctosq; & quodammodo à Deo nutritos filios, ut vocat Homerus? Et tu statuam Matris Dei barbaricâ & crudeli dextrâ proscindere non exhorrescis? In statuis Reges ipsos tremendos veneraris, & bene: in statua Virginis sanctæ, Virginem Dei Matrem cur non agnoscis? cur negas illi venerationem? Quam sacratissimæ Virginis sit salutaris potentia, Provincia Stiriæ mirabili & felici successu docebit. Clari stemmatis nobilis, voluptatibus & conviviis dies absumptos ad mediam noctem protrahebat, ac demum quieti se dabat, ut corpus marcidis voluptatibus fatigatum in alterum diem secuturis somno recreatum adaptaret. Hæ sunt artes ebullientiũ in delicias, ut novi & quasi recentes hauriant voluptates. Lætis ergo festivisque successibus convivia, hilares compotationes, & cetera voluptatum obsequia continuabantur. Persicos dixisses apparatus, ad luxuriam & irritamenta deliciarum inventos. At rarò non intervenit rebus affluentibus aliquis tristior exitus: nescimus quid serior hora vehat. quem sæpè transit casus, aliquando invenit. Dum credis cuncta permitti, parciùs crede tibi; nulli enim velox fortuna servat fidem. Et ecce dum mediâ nocte se donat placido somno securus sui, irrumpit aulam turba nigrorum dæmonum facibus ardentibus armata: suscitatur à somno, circumspicit se undique obsessum, clau-

A sam spem effugij: circumspicit librum rationum, & seriem vitæ, flagitiorumque digestorum ex ordine citari legique. Quid agat in tale punctum temporis conjectus, pavescens, tremulus, & tantũ non animo deficiens? In summa ergo desperatione e sponda prosiliens per medium dæmonũ prorumpens ad Christi Crucifixi imaginem, quę in extremo aulæ posita erat, cui imago sanctissimæ Virginis more ordinario astabat, confugit. Prostratus ergo ingentibus clamoribus, largo profluvio lachrymarum, horrendis pectoris sui tunsionibus Christi Domini solicitare misericordiã. At frustrà. Christus enim tot criminibus irritatus, vultũ aversari, vultu averso gratiam negare, nihil pacati; sed multum irarum demon-

B strare. An igitur pereundum misero, clamabat miser: Flectere si nequeo Christum Judicem, Judicis Matrem forsitan lachrymis flectam, quam Matrem potentissimam, & misericordiæ novi. Quod si pereundum, ante pedes misericordiæ juvabit cecidisse; misero solamen hoc mortis erit. Audebo ergo supplex ultimas lachrymas & voces dare. Ecce, ô sanctissima Virgo, circumstant undique rugientes ad prædam jurati hostes: actum est, nisi dextram porrexeris; porrige ergo indigno, & omnibus pœnis & suppliciis digno: vocem tuæ potentiæ dona; in tua est potestate Filius, cujus iram ego demereor; in tua tamen est potestate: potes enim quidquid vis, si misero subveneris, orbi dabis me in theatrũ tuæ po-

C tentiæ Ego ego ero præco, & tuba per orbem tuæ benignissimæ potentiæ. Flexa sanctissima Mater: flexit & Filium, qui his vocibus affatus est Matrem: Accipe, quem poscis vi, meâ amâtissima Mater; accipe sceleratum, quem tuis precibus salvum dono. Quid æquius, quàm ut Filius suæ sanctissimæ Matri studeat placuisse? Et ecce Matris imperio diffugit larvata turba, & reus sibi donatus jubetur cũ gravi imperio vitam & mores, ni se perditum velit, castigare; & misericordiæ collatæ æternam memoriam insigni pietate tueri. Repetitur ergo torus, & pulsata nola domestici vocantur, ordo rei gestæ narratur: omnes defixi stare, attoniti pavere, præ horrore muti omnes, nemo loqui. Stupendus in omnium animis sen-

D sus, commotusque intonuit. Exitum rerũ probavit insignis vitæ mutatio, quam à peractâ apud Collegij Rectorem cõfessione cũ mille lachrymis est orsus. Felix nobilis potẽtiâ sanctissimæ Virginis Matris Dei. Loci, & personæ nomen, quia rei recentis extat memoria, prætermittimus. Verè dixit August. *lib.* 9. *Confess.* miracula esse introitũ ad fidem: dixero & ego introitũ ad vitæ sanctitatem. Dant nunc hæretici, quos voco σκληρόβολας, id est, præfractos; & mitigẽtur Virginis sanctissimæ supremâ potẽtiâ. Evolvite omnem antiquitatẽ, & nostri ævi per orbem totũ dispersos libros miraculis gravidos, quibus si fidẽ negatis, dedicabo vobis illud Homeri, vobis aures quidẽ tantum esse, mentem & pudorem periisse.

VIGESIMÆ QVINTÆ CONSOCIATIONIS DE SVMMA NOBILITATE MAGNI DEI.

PARS PRIMA.

§. I.

Qui optimus, est & nobilissimus.

SICUTI optimum esse Deum, tum luce naturæ, tum rationibus tota schola Gentilium conclamavit, ita & nobilissimum: optimus quippe & nobilissimus judicatur. Primam ergo causam laudamus, superextollimus nobilissimam, ut fontem & oceanum omnis nobilitatis. Cetera verò quæ creata, si quid nobilitatis sortiantur, primo rerum principio, & primæ sanctæ Monadi eam debent acceptam. Quare cùm Gentilis antiquitas dignitatem præstantiamque tum nobilitatis ipsius, tum nobilium excellentiam declarat; haustam cælo nobilitatem, & nobiles Diis genitos ambitiosè docebat. An non sparsim legimus apud varios; *Diis geniti potuêre?* Et Virgilius *lib.6. Æneid.*

Nobiles Diis geniti.

Quid memorem Alcidem, & mi genus ab Iove summo?

Et Ovidius II. *Epist. Heroid.*

Quid juvat admota per avorum nomina cælo,
Inter cognatos posse referre Iovem?

Et Hesiodus in Theogoniâ: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, quasi ex bono genere, & summo Jove Reges virtutum omnium Auctore proveniant, ad quarum consecutionem nobiles, necessitudine sanguinis, ejusque impulsu coacti stimulantur. Sic Romani Publium Nasicam nobilissimum, quia optimum judicarunt, & Græci suum Aristidem.

De Dei summi nobilitate non est quod fusè disputemus, quum omnia quæ facta sunt in omnibus providentiæ numeris loquuntur. Et animositatis, ut ita loquar, invictę incomprehensibilem amplitudinem testentur. An non summæ nobilitatis, infinita scelera, & inexpiabiles impietates ad minimum pœnitentiæ dolorem perpetuâ amnistiâ, & oblivione sempiternâ sepelire, & semel abolitas nunquam retractare? An non summæ nobilitatis, minas sui doloris ultrices jamjam vibrandas, ad gemitum peccatoris contrahere, rescindere, & irarum fluctus immanes subitâ serenitate mitigare? hostes inexpectatis beneficiis prævenire? & in filiorum familiam adoptare? Hanc nobilitatis tesseram exprimit Ecclesia Sponsa, dum canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè manifestas, &c.* Et quare parcit, quia nobilitas animosa & magnanima placidis pennis supervolitat omnem nequitiam: summæ & omnipotentis nobilitatis, non posse vulnerari. An non spargit infinitæ nobilitatis opes, cùm infinitæ læsus, parricidas & perduellionis reos infinitis gratiis circumvenit? In hoc extollitur magnanima Julij Cæsaris nobilitas: quòd diceretur nullius oblivisci præterquam injuriarum. Deus infinitis conjurationibus provocatus, cruentis mucronibus petitus, uno suspirio, unâ lachrymulâ mollitus fractusque, totus quantus est, positâ scelerum memoriâ, placatur. Parum dico, dum dico placari: imò hosti venienti procedit obviàm; amplius hosti, quàm sibi condolescens, amplexus & oscula largitur inveteratæ amicitiæ. O ingens pelagus nobilitatis divinæ!

Antigonus Macedoniæ Prorex, Alexandro Magno in Persiâ militanti Matris insolescentem

lescentem perscripserat Dominatum. Et A quid ille Ephestioni? *Omnes*, inquit, *has querelas una Matris lachryma diluerit*. An non Deus impunitatem scelerum solo supplicis voluntatis motu, ubi injuriosum peccator deposuerit errorem, donat; & quid majus dici potest, quàm quòd grandi quasi vinctus sponsione, scelera beneficiis adæquat? Circumfertur multorum clarorum Principum stupenda ingentis spiritûs nobilitas. Mirabilis in Phocione, qui destinatus innocens morti, & calicem fatalis cicutæ hausturus, rogatus; num quid ad filium vellet? *Hoc unum*, inquit, *ne qua in nos admiserunt Athenienses, memoriam renovet*. Plutarchus *in Apopht*. Major mihi in barbaro Azan Sultano visa nobilitas, qui insperatâ felicitate Imperatorem Romanum Diogenem captum cùm vidisset, de throno prorsus attonitus exiliit, positumque humi de more calcans, sustulit, & amplexus est: *Ne doleas*, inquit, *Imperator; hæc humana sunt: Ego te non ut mancipium, sed ut Imperatorem tractabo*. Imperatoriè ergo & Regaliter tractavit, communi mensæ socium lætus adhibuit; deinde mitis pacis conditionibus, omni honore & satellitio stipatum dimisit: & quod rarum in Barbarô, proprias vestes, curato manus vulnere, donavit. Sic Cuspin. ex Zonarâ.

Imperatoris barbari nobilis animus.

§. II.

Quis sit lapis Lydius veræ nobilitatis?

NUllæ dotes animi liquidiùs, vivaciùs eloquentiusque effantur nobilitatis naturam, quàm clementia, & regia liberalitas. Hæ virtutes speculi vice funguntur, & hominem sibi ipsi ostendunt. Princeps quantò nobilior, tantò clementior, & in suos liberalior: quantò nobilior, tantò nobiliùs se legibus humanitatis subjicit, quas nemo Principi scripsit; summa illi parsimonia sanguinis etiam vilissimi. Severitatem abditam, clementiam in procinctu habet: sola clementia cum liberalitate Principis nobilitatem monstrat. Nullum enim clementia ex omnibus magis, quàm Regem & Principem decet: ita magnæ vires decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia; nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Magnanimitatis nobilitas decet quemlibet mortalium, etiam illum, infra quem nihil est; proprium tamen Regum est, & magnarum mentium paludamentum: magni enim animi est proprium, placidum tranquillumque esse, & injurias & offensiones despicere; ferarum nec generosarum quidem est, remordere & urgere. Generosiùs jacentes transeunt, ut pulcherrimè Statius:

Ut leo Massyli cùm lux stetit obvia ferri
Tunc iras, tunc arma citat. Si decidat hostis,
Ire super satis est, vitamq; relinquere victo.

Et sanè ut Seneca sapienter docet: *Cui ultio in facili est, is omissâ eâ, certam laudem nobilis animi consequitur.* An non ingens servitus, subitò exercere manum, litigare, in rixam procurrere, morem iræ suæ gerere? Ingens servitus est.

Non sic Aquilo tyrannicè exercet undas, ut potentium animos, indomitos affectus: nulla Regibus ex crudelitate securitas: vindicta quidem paucorum odium reprimit, omnium irritat. Quod pulchrâ similitudine Seneca docet: *Quemadmodum*, inquit, *præcisæ arbores plurimis ramis pullulant; & multa satorum genera, ut densiora surgant, resciduntur:* B *ita crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Nemo ultimum sanguinis hæredem sustulit: singulorum Posteri in locum cæsorum succedunt.* Hoc ardenti telo verborum Mutius Scævola Regem Porsenam perterruit, cùm manus ignibus foci castigaret, frustrato circa Purpuratum ictu, quem Regem crediderat; terrorem ingeminans, trecentos superesse exclamabat, qui idem jurassent, & si unum effugisset. Meminerint crudeles etiam mortuos mordere, & iras à fuso sanguine resurgere. Sola ergo securitas, & certior ex clementia nascitur.

Subjiciamus ex Senecâ cunctorum oculis jucundum nobilis clementiæ spectaculum, & duellum ultoris animi cum nobili clementia, C quam velim diffundi per omnia regna, & familias, & in similitudinem firmari. *Delatum est*, inquit Seneca ad Octavianum Augustum lib. 1. *de clementiâ Iudicum, L. Cinnam stolidi ingenij virum insidias ei instruere: dictum est & ubi, & quando, & quemadmodum aggredi vellet. Unus ex consciis deferebat: constituit se ab eo vindicare. Consilium amicorum advocari jussit; nox illi inquieta erat, cùm cogitaret adolescentem nobilem: hoc detracto, integrum Cinnam Pompeij nepotem damnandum. Iam unum hominem occidere non poterat: cum M. Antonio proscriptionis edictum inter cœnam dictârat. Gemens subinde voces emittebat varias, & inter se contrarias. Quid ergo? Ego percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito? ergo non* D *dabit pœnas, qui tot civilibus bellis frustrà petitum caput, tot navalibus, tot pedestribus prælijs incolume: postquam terrâ mariq; pax parta est, non occidere constituat; sed immolare? nam sacrificantem placuerat adoriri? Rursus silentio interposito, majore multò voce sibi, quàm Cinnæ irascebatur. Quid vivis, si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant: non est tanti vita; si ut ego non peream, tam multa perdenda sunt. Interpellavit tandem illum Livia uxor: Et admittis, inquit, muliebre consilium? Fac quod Medici solent, qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti: Salvidienum Lepidus secutus est, Lepidum Murænâ,*

Cinna nobilis Romanus, at parricida admissus in gratiam, ostentat nobilitatem Augusti.

Nobilis matrona nobile consilium.

Murenā Capio, Capionem Egnatium; ut alios taceā, quos tantum ausos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinna, deprehensus est: jam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest. Gavisus sibi quod Advocatum invenerat, uxori quidem gratias egit: renunciari autem extemplò amicis; quos in consilium rogaverat, imperari: ; & Cinnam unum ad se accersit, dimissisq; omnibus, egressus est è cubiculo, cùm alteram Cinnæ poni Cathedram jussisset: Hoc, inquit, *primum à te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio sermone proclames, dabitur tibi loquendi liberum tempus: ego te Cinna cùm in hostium castris invenissem, non factum tantùm mihi inimicum; sed natum servavi: patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es, & tam dives; ut victo victores invideant Sacerdotium tibi petenti, præteritis quamplurimis, quorum Parentes mecum irritaverant, dedi. Cùm sic de te meruerim; occidere me constituisti. Cùm ad hanc vocem exclamasset, procul hanc à se abesse dementiam: Non præstas,* inquit, *fidem; Cinna convenerat, ne interloquereris: Occidere,* inquam, *me paras: adjecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et cùm defixum videret, nec ex conventione jam; sed ex conscientiâ tacentem: Quo,* inquit, *hoc animo facis? ut ipse sis Princeps? Malè me herclè cum Republica agitur, si tibi ad imperandum, nihil præter me obstat. Domum tueri tuam non potes: nuper libertini hominis gratia in privato judicio superatus es; adeò nihil facilius potes, quàm contra Cæsarem advocare: cedo: si spes tuas solus impedio. Diutiùs quàm duabus horis locutum esse constat: cùm hanc pœnam, quâ solâ erat contentus futurus; extenderet. Vitam tibi,* inquit, *Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ: ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus utrum ego meliori fide vitam tibi dederim; an tu debeas? Post hæc detulit ultrò Consulatum, questus quod non auderet petere: amicissimum nobilissimumq; habuit: hæres solus fuit illi, nullis amplius insidiis ab illo petitus.* Hæc est victoria nobilis Clementiæ.

Victoria nobilis clementiæ ab Augusto parta.

His manubiis, his spoliis Augustalis domus ornatur gloriosiùs, quàm armis hostilibus, quàm curribus Barbarorum cruentatis, quàm partis bello spoliis Asiaticis. Has victorias loquetur omnis posteritas, dignas non mori. Nobilissimos Imperatores non Tribus Centuriatæ, non populi voces, non Senatus suffragia declarant; sed clementiæ voces. Quid Trajanum supra omnes victorias nobilitavit? an non clementiæ nobilitas? hic cùm ab ejus excessu culparetur; respondit se talem esse Imperatorem privatis, quales esse sibi Imperator privatos vellet. Rodophum Austriacum altiùs nobilitas clementiæ extulit, quàm ingens fortunæ progressus. Hic clementior factus, quàm in exordio imperij, dignam tanto Principe, & tantæ familiæ Auctore sententiam dedit: *Severum, & immitem fuisse, me aliquando pœnituit;*

Nobilitas animi quam fructus nobiles parit.

Rodolphi primi Austriaci nobilitas à clementia.

A *lenem & placabilem numquam.* Hanc clementiæ nobilitatem, & omnium Imperatorum Theodosius Junior clementiæ suæ nobilitate longo intervallo superavit, & tanto intervallo post se omnes reliquit, ut Moyses ceteros mortales, teste Nicephoro *lib.* 14. *cap.* 38. qui sic ait: *Mansuetudine apertè Episcopos ejus temporis omnes longè superavit.* Et quod de Moyse dictum est, eum supra omnes homines in terrâ longè mitissimum fuisse; id de Theodosio dicimus, quâ nobilitate clementiæ etiam Deum delectatum fuisse, ita ut extra bellorum certamina hostes ei imminentes aboleret. An non stupenda & admirabilis hujus placidissimi Imperatoris; nec solùm stupenda & admirabilis, sed proximè ad B Divinitatem accedens? Hic à populo Antiocheno reo lege Majestatis; quippe qui Theodosij Præfectum levi de causa peremerat, justissimo dolore gravissimè læsus, omnes iræ suæ fluctus ad adventum Flaviani Episcopi, quem civitas summo metu & periculo consternata, Legatum ad Imperatorem miserat, lachrymis omnium commotus, Regiâ condonatione clementissimè cunctis pepercit. Nec hîc stetit clementiæ modus, at vehementer ursit Episcopi ad suos reditum, ne reditus sui tardatione, tristitia protenderetur; sed à summo quo sciebat tabescere metu, afflatu suæ clementiæ respirarent.

Nobilissima clementia factum admirabile.

Attende Lector ad potentiam clementiæ: hoc facinore omnium, qui imperio ejus parebant, animos ad sui amorem pellexit. Et C ut alij Principes nomina à se victarum gentium, tanquam hæreditaria ad se transferunt; ita hîc clementissimi & magnanimi Imperatoris totius orbis acclamationibus est consecutus. Idem legem sancivit promulgavitque dignam suâ fortunâ, & nobilissimæ mentis suæ magnitudine, quam omnibus ovationibus maximisque triumphis prætulerim, quâ non gentes feroces barbarasque militum lacertis atque armis subegit; sed seipsum, quæ summa est victoria. Hostes enim subigimus alieno ferro, quo maxima laus decerpitur: at nos proprio. Audiamus legem: *Si quis modestia nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina nostra* D *crediderit lacessenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporu fuerit: eum penè nolim subjugari, neque durum aliquid, neque asperum sustinere. Quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insaniâ, miseratione dignissimum: si ab injuriâ, remittendum. Unde integris omnibus ad nostram sententiam referantur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeat, censeamus.* Hæc legis verba digna clementissimo Imperatore, quæ habentur lege novâ *tit.* 4. *l. Si quis Imperat.*

Lex nobilissimi animi, qua nulla major fuit.

Stupenda sanè & admirabilis nobilitas hujus placidissimi Imperatoris. Rogatus cur se lædentes morte non condemnaret: *Utinam,* inquit, *mortuis vitam dare possem!* Verè ferina

Silvestris animi & ignobilis sanguine gaudere.

ferina rabies, sanguine gaudere, à vulneribus, & abjecto homine in silvestre animal transire. An nôn dices Calvinianos & hæreticos feris ipsis crudeliores, qui in homines Catholicos crudeliùs, quàm in feras desæviunt? an non illorum crudelitas ad insaniam pervenit; tunc enim pervenit, cùm crudelitas versa est in voluptatem, & jam occidere hominem juvat. Bene Theodosi judicasti. Hæc profectò in maxima potestate divina nobilitas hominem Deo similem reddit: hæc divina nobilitas est summa animi temperantia, & humani generis incomprehensibilis amor. An non summus triumphus, & triumphorum summorum maximus, quòd tu potissimùm suprà omnes Imperatores gloriari potuisti? Præstitisse imperium incruentum annis 40. præterquam in uno Paulino viro Consulari ob thori vehementem suspicionem violati; nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse. Sciebas humanum animum naturâ contumacem sequi paratiorem, quàm duci: sciebas nobilem Imperatorem securiùs clementiâ regere, quàm armis: amari felicius, quàm timeri. Timor quippe malus custos securitatis. Multis periculis exemptus vivit, qui periculum nulli creat. An non tam multis periculis petitur, quàm multorum ipse periculum est? Hanc regiam & divinam nobilitatem felicissimè per tot cruenta pericula æmulatus es Ferdinande Secunde, qui per strages hostiles, tuorumque semper te ipso major extitisti, nec minor in adversis, nec prosperis insolentior. Cui hæc unica cura fuit, ut nullam aliam curares, quàm hostibus in te conjuratis parcere.

Inaudita Theodosij Iunioris nobilitas atque generositas.

Ferdinandi II. nobilissimus animus.

Infinitæ ergo clementiæ cùm sit Deus, & omnipotentiam suam parcendo maximè manifestet; necesse est esse nobilissimum, & omnem malitiam alatis suæ clementiæ curribus supervolare. Et quæ malitia attinget Deum, nisi obstinatæ vindictæ? & tamen non attinget; supergreditur enim innata nobilitas, & superfluit ingenita magnificæ indoles, & infinita gloriæ suæ cupido.

ALTERA PARS
XXV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

Virginem Matrem esse nobilissimam.

DEum nobilissimum dicimus, adoramus atque extollimus, quia optimum scimus & credimus. Divam verò Virginem quis non asserat nobilissimam omnium, quam optimam à Deo, & omnis bonitatis compendium dicimus? Verùm priusquam caput rerum aggrediamur, non pauca præmittenda quæ splendorem intelligentiæ non exiguum conferent & ministrabunt.

§. II.

Quid sit nobilitas.

DIcamus nobilitatem esse notam decoris, & honestæ laudis vulgi serpentis conditionem excedentem. Unde nobilis is dicitur, qui notus, clarus, eminentior plebeiâ fortunâ, hominum sermone celebris. Quare quidquid eminet virtute singulari, scientiâ, aut bellicis artibus, aut coronis armorum felicitate partis, aut majorum sanguine claro, nobile dicitur & notum famâ, & sermone celebre. Nobili verò sicut adest fama & claritudo & notitia, sic ignobili obscuritas. Sic Virgil. *lib. 7. Æneid. de Hippolyto.*

Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum

exigeret, quem Græci vocant ἀνώνυμον sine nomine. Et nobilis clarus, quasi in aperto vivens virtute comite notus. Ut Virgil. docet:

C

Troianoq; à sanguine clarus Acestes.

Et Horat. *ode 6.*

Virginum prima puerią; claris patribus orti.

Quare sæpè hæc duo copulantur, nobilis & clarus. Sic pro Rabirio Tullius *clarus & nobilis vir.* & claritudo pro nobilitate. Non ita apposite nobilis dicitur generosus. Aristoteles enim *lib. 1. in histor. animalium cap. 1. Leones* vocat *nobiles; lupos verò generosos. Nobile enim id esse vult, quod prodiit ex genere: generosum quod non degenerat à sua natura.* Cornelius verò Fronto, dicit *nobilem à rerum nobilitate; generosum,* qui Græcè εὐγενὴς, *à felici ortu vocari.* Sic & Ovidius *in epist. Hispsipyla:*

Si te nobilitas, generosaq; nomina tangunt.

Et Juvenalis *Satyra 7.*

A

Felix & sapiens nobilis & generosus.

& 8.

Quis generosa putet nisi fortia?

Et de Fabiis *lib. 2.* Fastorum Ovidius:

Quò ruitis generosa domus? malè creditis hosti
Simplex nobilitas, perfida tela cave.

Alij malunt generosum dici, qui ex genere est: nobilem verò latiùs ut qui ex genere est, & quæ ad nobilitatem pertinent comprehendit. Sic enim Ovidius *lib. Tristium 4. eleg. 3.*

O qui nominibus cùm sis generosus avorum
Exuperas morum nobilitate, genus.

§. III.

In quo ponenda nobilitas, & quotuplex.

B

IUrisperiti ponunt nobilitatem in genere, origine, & natalibus parentum, qui virtute, factis, periculorum susceptorum pro patria titulo, scientiæ claritudine suæ posteris præluxere, & familiis, suisque posteris nomen & famam procrearunt. Philosophi verò nobilitatem in virtutis claritudine positam volunt. Cicero irrisus ab Appio novitatis suæ causa *lib. 3. epist.* pulchrè Appio, monetque ut diligentiùs verbis Athenodori attendat, de nobilitate differentis. Posse quemquam ἰυγενειας habere, non tamen esse nobilem, ut sæpè solent esse filij nobilium qui flagitiosi, & ex virtute nasci nobilem. Optimè ergo Demosth. *1. Olympica,* licet à patre Jove nobiliore genus ducat, si justus non sit, ignobilis mihi videtur: unde & Seneca *epist. 44. Quis generosus?* inquit & respondet: *Qui ad virtutem à natura compositus.* Nazianzenus triplex ponit genus nobilitatis: Primum *superna originis,* quâ à cælo trahimus primordia vitæ, dum ad imaginem Dei creati, magni Dei repræsentamus, & quantum fieri potest, circumferimus naturam. Alterum, *à sanguinis humani conditione,* quod an nobilitatis nomen mereatur dicit se Pater sanctus ignorare. Tertium, *quod à virtute profectum,* in quo sola gloria fulget nobilitatis: *Alia verò nobilitas an in pretio habenda sit, dubitari potest; quandoquidem & pictam pulchritudinem laudandam quoque dixero; & simiam, quæ leo jussa esse sit.* Hæc sanctus Pater ex suo sensu.

Verùm

Verùm si communem cum Gentilium judicio sententiam sequamur: cum Platone quatuor species nobilitatis definiemus. Primam dicemus eam, quam posteri claris parentibus orti à suis majoribus per gradus deductam acceperunt. Secunda melior & augustior videtur eorum esse, quorum parentes nobiles Principes fuerunt. Tertiam quorum majores sunt famâ & opinione celebres, vel ex rebus bellicis præclarè gestis, vel coronis certaminum gloriâ partis, aut rebus extra ordinem administratis; unde rarum fama solet cum laude comparari. Quartum genus nobilitatis præstantissimum, cùm quis per se magnitudine animi excellit, & veris virtutibus multis modis ceteros mortales supergreditur; tutissima enim generis laus est, virum collaudare, qui justus fuerit, & moribus optimum, ac eundem vocare nobilem, ut docet Aristidamus apud Stobæũ *de nobilit.* Hominis quippe nobilitas in bonitate morum sita est, sicut pecudum in bono validoque corporis bene compositi habitu. Rogatus Diogenes, quinam essent hominum pretiosissimi: *Qui* (inquit) *divitias, gloriam, voluptatem contemnunt, & qui istis adversantia vincunt.* Et sanè quis dixerit divitias Midæ, justissimi Principis Aristidæ fuisse nobiliores? Fateor nobili patre natum magnam occupare auctoritatem, suis si moribus proficiat, & non degeneret; non solent enim aquilæ, degeneres columbas generare. Fortes quippe creantur fortibus. De hoc latiùs in proximo titulo.

§. IV.

An nobilitas in se sit æstimanda? An in pretio habenda?

Apud Ægyptios nullus eminentiæ titulus, qui discriminaret familias; ut ortu & incunabulis: ita & in vita pares; Diodoro teste *lib. 2. cap. 5.* Sic & Chinensibus nullus locus est nobilitati. Claritudo scientiæ, quâ quisque ceteris præstat claros facit. Et sanè si primordia generis humani repetantur; an aliquis illustriori præ aliis pompâ præcelluit? Omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu. Unus enim rerum Pater est, unus cuncta ministrat; ut canit Boëtius *lib. 3. de consort. & addit.*

Omnium idem ortus.

Quid genus strepitis?
Si primordia vestra.
Auctoremq́ Deum spectes:
Nullus degener extat.

Et Prudentius:

Si prima nostris quæ sit incunabulis
Origo textum stemmatis recenseas
Dei parentis, esse ab ore cepimus:
Cui quisque servit, ille verè est nobilis.

An non unum hominum genus, & ab una Matre? cuncti unum Patrem, Creatorem summum, atque optimum Artificem habemus. An non constamus iisdem elementis? An non omnibus Regibus hoc idem dici potest? An non ortui par exitus? Pulvis & umbra sumus. Cui consonat illud Thespidis apud Antonium Monachum *lib. 2. Melissæ serm. 79. Ob majorem*, inquit, *nobilitatem nemo glorietur; latum enim habemus omnes generis principium: & qui purpurâ & bysso nutriuntur, & qui in abysso paupertatis consumuntur.* His verbis penè iisdem Pontifex Agapetus Justinianum Imperatorem lancinat: *Vt quid qui diademate redimit ferociùs insurgunt, jactent luculentum suum genus? An non omnes lateres ex eodem luto. Mittitur Ieremias ad domum figuli: specta principium tui generis, & Samia testa agnoscunt originem ex luto trahi.* Nunc quibus à natura nihil est boni, ad monumenta confugiunt, ut inde ducant Avos Atavosque, ut umbris glorientur, & iis se pascant, & tamen non suis. Hinc illa vehemens multorum in nobilitatis gloriam oblatratio, qui nihil genituræ, nihil prosapiæ, nihil sanguini parentum, præter propriam virtutem, quæ sola nobilitat natos, addicunt. Audi Chrysostomum *homil. 59. in Matth.* acclamantem: *Dic quæso, quid genus est? nihil aliud certè quàm verbi sonitus ab omni re destitutus; quod in extremo die scietis.* Verùm hæc vox Chrysostomi, quibus haud placita, quia spiritum redolet; Aristotelem conveniant, qui luce naturæ compulsus apud Stobæum *serm. 84.* sic ait: *Omnino de nobilitate dubito, quos nobiles vocare oporteat; neque enim abs re, me de hâc re dubitare dixi: an sit ex his quæ magnifacienda sunt?* An, ut Lycophron Sophista scripsit, aliquid omninò inane: is enim dicit eam in speciem tantum, ac verbo tenus gravem esse & venerandam; ita gloriosum sit eam consequi; sed reipsâ ignobiles à nobilibus nihil differre. Ut porrò quàm magnum bonum ea sit, dubitatur: sic etiam quos nobiles appellare oporteat. An non probum & bonum aliquid dicimus, quod suâ ipsius virtute tale est? Hinc illæ voces sapientum, & in primis Poëtarum. Juvenalis *satyr. 8.*

An nobilitas sit dicenda aliquod bonum.

Aristoteles dubius.

Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros
Si coràm lepidis malè vivitur ———
Stemmata quid faciunt? quid prodest tempore longo
Sanguine censeri? pictos ostendere vultus?
Tota licet veteres exornent undique cera
Atria: nobilitas sola est atque unica virtus.

Sola nobilitas in virtute est.

Et sanè veram causam nobilitatis generat veritas in se: cetera non efficiunt generosum pectus; non ebur, non purpura, non gemmæ; sed sola virtus. An ille nobilis, cui laus omnis in origine? Theopompus illos nobiles dicebat, non qui procreati à bonis; sed, qui profitentur bonitatem. Benè ille Poëta:

Aliena jactat, qui genus jactat suum:
Multi satis sunt nobiles, pauci indole.
Nobilitas animi major est quàm corporis.

Audiant

Audiant nobiles fictâ larvâ tecti, quam spirent:

Pulchrius multò parari, quàm creari nobiles.

Aristophanes in Ranis:

Nemo improbus nobilis. *Næ per Iovem servatorem, vir nobilis*
Tuus est herus; quomodo enim sit nobilis?
Quia scortari, & potare novit unicè.

Plautus in Trinummo:

Itáne tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Vt virtute eorũ ante partâ, per flagitiũ perderes,
Atque honori posterorum tuorũ, ut vindex fieres?

Et sanè ita est: quid enim nobiles virtutis inopes, nisi simulachrum fori? quibus si nihil adfuerit boni proprij, ad monumenta fugiunt, & quærunt capita suorum; instar Diogenis, qui rogatus ab Alexandro, quid inter ossa cadaverum quæreret; acutè ille: *Caput tui Patris Philippi.*

Virtus in rebus quærenda, non externus apparatus. Nobilis is, etiamsi ab Æthiope genitus, si virtutis cultor. Et quis Regum indigens sagittario, genus sagittarum explorabit? scopum objiciet, & artem explorabit? sic venator, non genus canis; sed canem quærit: & bellator non fœtum equi, sed equum: num lupati patiens, periculorum avidus, num audax & interritus: sic nobilem volunt Philosophi virtute stipatum, non inanibus titulis. Unde & Cicero 2. actione in Verrem, inania nobilitatis nomina vocat. Splendidum te aliena claritudo non facit, si tuam non habeas:

Malo Venusinam quàm te Cornelia Mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Dedecorant sanè bene nata culpæ. Cicero ignobilis, virtute stravit sibi nomen ad summam nobilitatem: *Ego*, inquit, *initium dedi, & præluxi majoribus meis; in te destruxisti: ego initium dedi, tu finem: in me incepit, in te desiit.* Appius Pulcher nullam putabat nobilitatem, nisi εὐγένεια claram natalibus. Contrà Cicero, posse quemquam ingenuè natum esse, & clarum, nullâ sanguinis nobilitate: cùm multi nobiles non sint nobiles, sed virtutum profligatores. Pulchrius multò parari, quàm creari nobiles. Benè Urbanus III. *Summa apud Deum nobilitas, clarum esse virtutè. Magni viri non nascuntur, sed fiunt.* Necesse est ergo nobilitatem suis facinoribus sustentari: splendidum te, si non habeas tuam, aliena claritudo non efficit:

Sola virtus causa nobilitatis. Quòd si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror, ut imposita sit nobilibus necessitudo, ne à majoribus virtute degenerent. Nobiles non sunt tibi Avi, nec altis inclytum titulis genus; sed clara virtus: tituli majorum bona sunt, ut scias quod non sit vir in genere, quin de inferioribus fiant Reges ascendendo, & ex Regibus Comites descendendo: sic etiam & ex rusticis fiunt milites, & ex militibus rustici. Quid ergo mundana nobilitas, quàm rota? & qui tumescit de nobiliore sanguine, dici potest, quod de nobiliore stercore intumescat. Sic Host. *in cap. Tua nos, de consang. & affin.* Sic

A Primislaus patre rustico natus, à Bohemis uno ore in Regem adscitus fuit. Quis æstimavit umquam σῖτον ἄριστον ἐκ τῆ καλλίστε πεδίε χελύδαι: optimum frumentum ex pulchritudine agri? Pulchrè Demosthenes pro Ctesiphonte: *Nemo ex nobilitate laudandus, nec ex ignobilitate culpandus.* Lancinatio pulchra Iphicratis in Harmodium fastu tumentem, qui ignobilitatem generis objiciebat: (nam sutoris filius putabatur;) Meum genus à me incipit, sed tuum in te desinit. Et sanè qui magnificis verbis majores suos extollunt, eorum facta memorando, clariores volunt æstimari, errant. Si vita laudatoris, & socordia sit flagitiosior, quanto illa illorum facinoribus clarior? An non turpe ab his superari virtute, *Basilij Imperatoris documentum.*
B quos dignitate præstas? Claudat hæc Basilius Imperator, qui filium his stimulis ad virtutis claritudinem provocat: *Summam*, inquit, *injuriam facit nobilitati corporis, qui animam negligit. Tu ergo cum Regiâ generositate corporis quam habes, fac ut acquiras & animi, quæ summa est. Illa à natura est, & sine premio habetur: ista verò, consultâ voluntate, & cum magno præmio acquiritur.*

§. V.

Quidnam judicio Antiquorum, hominem magnum & nobilem faciat.

C Quemadmodum fructus nobiles arboris, arbori pretium conciliant: ita facinora generosæ mentis homini. Frondes & rami exspatiantes ad oblectamenta quæruntur: totus honor arboris est in proventus felicitate. Bonitatem terræ felix ubertas, & opes latentes loquuntur: sic est sine luce genus, nisi fulgeat animus: officit famæ pravus animus, & splendori offundit tenebras alto sanguini. Quomodo potest ad dignitatem consurgere distorta mens? *Beata terra cujus Rex nobilis.* Ecclesiast. 10. cujus illustris anima: & ut ad verbum plana currat oratio, filius nobilium nobili sanguine natus, & experimento virtutum clarus. *Anima nobilis clarum hominem facit.* Quintilianus *lib. 5 cap. 11. Quis generosissimus? nónne qui optimus? non qui claritate nascendi, sed qui virtute maximè excellit.* Seneca *in*
D *lib. de morib. Nobilitas animi generosus sensus: nobilitas corporis generosus animus. An non videntur iniqui, qui ex alienâ virtute sibi arrogant, cùm natura sit una atque communis, cui si supervenerit inclyta virtus, & fortitudo, hæc verè nobilem fabricat, & extra ordinem levat. Natura communis nullas imagines circumfert: commune omnibus stemma adnascitur; amplitudinem nominis, & aditum ad summa virtus aperit. Omnis nobilitas quondam nova fuit, & lux ex virtute nata. Si libera foret sors nascendi, quotusquisque non felicem domum invaderet. Quodcumque sumus ex nostro est; hinc sumus æstimandi, cùm sumus nostri.* *Ex nobis nobilitas omnis.* *Quem hæreditariæ elevant imagines, magnus dici non potest: omnia magna ex parvis surrexerunt. Quàm multi ab aratro ad purpuram adsciti*

Servius

Servius Tullius matre servâ creatus; an non indoles ad sceptrum duxit; flammâ caput lambente, regnum promittente, quem obscuritas deprimebat: in quo fortuna vires suas ostendit? Et Juvenalis Satyra 7. *Quid Tullius? annè aliud quàm sidus, & occulti miranda potentia fati, ancillâ natus trabeam & diadema Quirini, & infulam meruit?* Tarquinius priscus Romanis Rex celebratissimus, Mercatore patre, eoque exule natus. Dionysius Helicarnassæus lib. 3. Et Valerius Maximus lib. 3. cap. 41. Magnus ille Augustus an non Avum habuit Argentarium, patrem Astipulatorem? teste Cicerone in quâdam Epistolâ, quæ est in fine Epistolarum ad Q. Fratrem. Undè & statua ipsius tẽpore proscriptionis, teste Suetonio fidem fecit cap. 87. Deindè Argentarius Martius Septimius Imperator Faber Ferrarius fuit; ut ipse in Oratione ad milites fatetur: Ars, inquit, mihi objiciatur Ferraria, dum meę & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italiâ. Ut omnis Alemannia, omnisque Germania cum ceteris quæ adjacent gentibus, populum Roman. ferratam gentem putent: vos tamen cogitetis velim fecisse vos Principem, qui numquam quidquam sciverit tractare, quàm ferrum. Philippus Arabs humillimo loco natus, ut tradit Aurelius Victor. Aurelius Imperator laudatissimus modicis parentibus, & familiâ obscuriore, ut scribit Vopiscus. Et famosus Diocletianus Imperatorum Imperator obscurissimè natus; imò patre Scribâ, Aurelius Victor, libertinum fuisse tradit. Valentinianus, patre funario natus. An non ex purpuræ carminatore Sardanapalus tantus Rex? teste Plutarcho in libro de fortunâ Alexandri. Et Agathocles patre figulo, de quo illud Ausonij:

Agatocles figulus Rex.

Fama est fictilibus canasse Agathoclea Regem
Atque abacum Samio sæpè onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemq́; simul:
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.

Antipater Rex Macedonia ex matre mima.

Quid dices de Antipatro Alexandri successore? Seneca ad Lucilium Epistolâ 108, mulieris Mimæ nepotem dicit. Memorabile est quod Gellius Atticarum noctium cap. 4. lib. 15. narrat; Ventidium Bassum, qui victum fricandis mulis miserè conquisierat, Consulem Romanum factum. Undè & per compita Romana versus ambularunt:

Concurrite omnes Augures, Haruspices
Portentum inusitatum, conflatum est recens:
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Portentum fortunæ Bassi.

Portentum sanè virtutis & fortunæ: hic Orientalibus Provincijs Præpositus, Parthos in Syriam irrumpentes, tribus prælijs vicit, & primus omnium de Parthis triumphavit. Et sanè:

Malo Pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

A Placebit fortè Lectori festivus Codrus Poëta recentioris ævi, qui sic lusit:

Sint tibi Gallorum Rex & Regina parentes
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quàm tibi rustica Mater
Si sit, & ignaris rusticus ipse Pater.

Quis non prætulerit hominis fortis virtutem inertiæ nobilitatis? magna & vera claritudo ubi non divitijs, aut superbiâ; sed bonâ famâ, factisque fortibus nobilis ignobilem antecedit. Huic nostro dicto adstipulatur Justinus libr. 15. *Erat*, inquit, *Lysimachus illustri quidem Macedonia loco natus; sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior.* Hunc itaque verè compello nobilem, cui non aliena; sed sua virtus ad nobilitatem opitulatur.

Lysimachus sanguine & factis nobilis.

Claudam clarissimi Nazianzeni paucis B distychis totum negotium.

Mulis quidem pater quando asinus est, opprobrium nullum.
Quid verò asinis gloria à mulis?
Melius est optimum esse malum genere; quàm pessimum
Esse nobilem: & rosa ex aspera
Nascitur planta, rosa quidem. Si autem à terra
Venisti spina tenera, igne dignus es.
Quo pacto tu pessimus existens, tantùm tu intumescis Majoribus.
O asine molaris, equinam superbiam habens.

Virtutem semper natalibus magnificis præferendam docuit Bellator Pyrrhus, Rex sanè C sapientissimus. Hic à filijs interrogatus, cui regnum ex ijs relinqueret: *Quicumque*, inquit, *vestrûm acutiorem ensem habuerit*, significans se nòn ætati, sed virtuti successionem principatus daturum. *Sic Plutarchus in ejus vitâ.* Sic & Pharnaces ille Parthorum Rex, qui Medos validam gentem domuit. Cùm moreretur prætermissis multis parvulis filijs, Mithridati fratri se juniori insignis virtutis viro Imperium reliquit, plus regno quàm patrio nomini deferendum, & virtuti quàm nativitati ratus. Sic Justinus libr. 41. Et Galeacius Dux Mediolanensis dolebat non posse præferri secundùm primo, animi viribus potiorem. Vide Cranzium lib. 2. Vandal. hist. cap. 24. ubi aliud narrat.

Cui filiorum, regnum tradendum.

D His sic præmissis, cogimur omnium mortalium consensu, & dilucidissimis suffragijs sanctissimam Virginem, verè dicere, & celebrare præ omnibus mortalibus esse nobilissimam, clarissimamque. Si jurisperitorum comprobatam, judicatamque auctoritatem sequamur, quis mortalium à tam longo ordine Regum, Ducum, magnorumque virorum suum genus duxit? An non S. Matthæus seriem, & admirabilem quandam continuationem regiæ, & magnificæ Nobilitatis, ut alia ex alia, & omnes inter se aptæ, colligatæque videantur, mundo credendam proposuit? & quamvis nobilitas fortè, (omnia enim humana quæ summa, facilè concidunt)

cidunt) fabrilis obscuritate conjugij collapsa videri posset; privilegio tamen gentis Judaicæ (ut infrà dicetur) stetit inconcussa, quia semper virtutis firmitate stabilita permansit.

Si Philosophorũ sententiam sequimur, quid nobilius Dei Matre dici potest, quæ virtutum claritudine omnes mortales, angelosq; superavit? Si Nazianz. primi inter omnes doctos facilè Principis doctrinam audimus; cælestis an non originis suæ primordia, nobiliori modo præ ceteris à Deo deducit. præ cunctis dilecta? An non reges avos, atavosque per secula numerat & nobilem prosapiam clarâ luce fulgentem pulchrè recenset? An non tota virtutum coruscantibus fulgoribus circumflua irradiatur? Nazianzeni ergo sententia transeat in rem judicatam. Superest Platonis non illaudabilis opinio, quæ sanctissimæ Virginis eximiè nobilitatem extollit, in quam totum elogium veræ Nobilitatis confectum à Platone cõsentit. An non vltimus gradus elogij docet illum præstãtissimæ Nobilitatis, qui magnitudine animi, & virtutum claritudine ceteros anteiret? Necesse est ergo exclamemus: Ter summè Nobilis SS. Virgo, quia ter summè sancta: ter summè Nobilis, SS. Virgo, quia ter summè justa: ter summè Nobilis SS. Virgo, quia ter & amplius, omnibus creaturis excelsior, animo & corpore generosissima. Generositatem ejus in sequentibus spectabimus.

§. V I.

An Nobilitas Virginis incrementa sumpserit à Filij sui Nobilitate.

Bastardis obvenit felicitas ratione Patris.

Certius nihil esse potest, quàm nobilitatem Parentum descendere in suos filios, qui suos Parentes repræsentant. Undè & illegitimis & bastardis, quamvis à legibus infames habeantur, parentis Nobilitas obtingit, & veniunt appellatione in multis casibus filiorum nobilium, qui viuaciùs nobilitatem parentum sæpiùs adæquant, quàm ipsi legitimi; juxta Euripidem. At quid boni cum offensâ Dei? An verò Nobilitas filiorum, parentum fortunam illustret, & ad parentes ascendat? Dubitari posset. Aquæ fontium non repetunt ortus suos: fructus suis arboribus per maturitatem fluẽtes secedunt. Nonnè radij in vmbelico crystallino collecti densiores revibrant in lucis auctorem suos fulgores? An non eunt omnia undè originem sumpserunt? Nonnè à mari omnia flumina? an non eodem præcipiti feruntur agmine in sinum? An non parentum & filiorum una causa, una persona, una quodammodo unius vitæ cõspiratio? an non proscriptio Patris redundat in filium? An non filij Adæ pendunt pœnas conjurationis in Deum factæ? Benè Seneca lib. 5. de Bene-

Filiorum virtus extollit parentum obscuritatem.

A fic. *Sunt qui parentes suos ex infimo ad summum protulerunt, & ex plebe acervóque ignobili nunquam tacendos seculis dederunt.* Audiamus Julium lib. 12. Olympiad. Alexandri Magni Materni Æacidarum gentem ab vltima seculorum memoria, & regnum Patris, Fratris, Mariti, ac deinceps omnium Majorum illustrasse, nullius tamen nomine, quàm filij clariorem fuisse. Quàm benè Ptolemæus primus Ægypti Rex: Omni regno pulchrius Regis esse Patrem. Vide Julium lib. 6. Vide Ecclesiast. 5. *Deus enim honorávit patrem in filijs.* Ubi Tigurina vertit: *Dominus enim glorificavit patrem in filijs.* Redundat quippè filiorum felicitas in patrem: ita ut Pater rusticus filij, ad diadema provecti, Pater Regis dici debeat.

Diadema filij est Patris diadema.

B Scribit & pariter Plinius lib. 16. cap. 4. Antiquis Romanorum legibus cautum, si cui corona civica data fuisset, ipsi, Patrique & Avo omnium munerum vocatio foret: cur privilegium dignitatis filiorum non transiret ad parentes? An non Cicero lib. 3. Offic. extulit Marcum Catonem Patrem à filij Catonis absolutissimis virtutibus, cùm ait: *Vt enim ceteri ex Patribus, sic hic qui illud lumen progenuit, ex filio nominandus.* An non optimus textus probans filij nobilitatem, aliquid adijcere ad Patris nobilitatem in §. *Generaliter.* ibi nobiliores adhuc Patres ostẽdat, & rursum in verbis *multò major Patribus laus erit,* in Auth. *constitutio quæ de digni.* ubi *glor. in verbo nobil.* notat nobiliorem esse Patrem per filium? &

C rursum in verbo occasionem not. quòd dignitas filij gloria est, & laus patri. An non Cretenses Castorem Hylacis filium ob nobiles & gloriosos liberos pro Deo coluerũt? Sicut Homerus 8. Jliados Agamemnonem alloquitur. ubi vehementer extollit felicitatem patris Telamonis, quòd Teucrum filium genuisset, etsi nothum, qui plurimos Trojanorum occidisset. Vide ut lucem Patri ingentem creavit:

Agamemnon illustravit Patrem.

Sic quidem lumen Danais fies,
Patrique Telamoni, qui te educavit parvulum existentem
Et te Nothum quamvis existentem suscepit propriâ domo,
Hunc & longè existentem gloriosum ascendere
D *fac.*

Adde his: Dedecora filiorum vulnerant gloriam Patris; ita gloria filij, Patris decora sublimat.

Filius Dei illustravit Matrem, & nobilitavit.

Cùm itaque gloria filiorum dignitasque ad parentum gloriam magnificis passibus transcendat; & pro magnitudine filij, parentum status nova magnitudinis sumat incrementa: in quantam ergo sanctissimæ Virginis gloria sublata est altitudinem, quæ filium, non regem purum hominem, sed Deum hominem, & omnium regem Virgo generavit?

Quid Deo Nobilius? Nihil: an non quia nihil Deo meliùs? Matris ergo magnitudinem, & nobilitatem divini stematis ignoras, si Deum,

si Deum. At Deum amoris, & ejus celsitudinem penetras, & Matris Dei penetrasti magnitudinem.

Verùm cum Dei infinitudo omniũ transcendat scientiam, & caligine suæ Majestatis omnium creaturarum obtundat ingenia, totus impenetrabilis persistit; tota & impenetrabilis perstat Virginis sanctissimæ magnitudo & nobilitas, quæ supremo dignitatis titulo, quia θεοτόκος, id est, magni & infiniti Dei mater vocatur. Infinita nobilitas Dei, infinita & Matris, quâ nihil maius, aut dignius potest fingi, aut excogitari.

§. VII.

An Nobilitas Iosephi ad Virginem Dei Matrem transilierit.

Lege naturæ certum est, maritum esse caput uxoris, quamvis longo intervallo vir sit ortu & parentelâ inferior: hic infimæ; illa supremæ sortis; conjugij tamen titulo fortunam uxoris transire in viri fortunam.

Hinc claritudo viri transilit in conjugis conditionem, eamque afficit: ut Sol suæ lucis radijs lunam, quæ Solis aspectu crescit decrescitque, & pro aspectibus variat, alteratque suos aspectus. Hinc leges Civiles volunt statuuntque clarissimas feminas, quæ clarissimos viros nactæ sunt, illis maritorum dignitatem impartiri. l. *Femina*. ff. *de Senatu*. & l. *cum te*. *& l. vltima* ibi, *Et sentiat ejus fulgorem*, & l. vltima c. de inco. libr. 10. ubi ita scribitur: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus. Et sanè videtur hoc ijs deberi; quandoquidem Societate vitæ, & corporum unum sint, ut debeant frui claritate virorum.* in Auth. de Consularib. & alibi quoque: *Quæ reverentia debetur marito; eadem & uxori debetur.* Et quod plus est, capacitas viri ad uxorem porrigitur: vsque adeò (quod videtur tamen cum ratione pugnare) ut si mulier naturalis nubat viro legitimo, ea legitima efficiatur, uti ejus maritus est, iisdemque gaudeat privilegijs favoribusque.

Maritus illustrat feminam etiam ignobilem.

In tantum verò erigitur conditio mulieris, ut nobili juncta viro ignobilis, luce veritatis illustretur ex conditarum legum institutis, & quod nobilius est; viro mortuo, viduæ adhærescit nobilitatis decus; uti & Reginæ titulus maritis extinctis: censetur enim stare & persistere in eo ipso matrimonio in l. ultima. & esse in servitio mariti.

Quemadmodum Valeria Messalarum soror, ut refert Hieronymus libr. 1. in Jovinian. vidua præcelsæ mentis testata est, quæ cùm post mortem Servij mariti sui à propinquis solicitaretur ad nuptias: negavit se velle alteri nubere: & interrogata causam, respondit semper maritum Servium vivere.

A Non minùs generosè filia Demotionis Areopagitarum Principis, quæ mortuo Leosthene Principe, negavit se alteri nupturam: adeò primus amor dominans animo, primum maritum tuebatur & vindex primorum amorum omnem alienum excludebat.

Tota igitur nobilitas viri quanta est, effundit sese in sociam connubij, etsi ignobilis conditio non parem fecerit: subitò igitur attollitur, & exuta quasi dispari cultu, in similitudinem viri coloribus nobilitatis adornatur. Longè alia ratio viri; si nobilem ignobilis ducat; non enim ille altior nobili sanguine conjugis assurgit, quamvis non pauci ingentes spiritus ducant, uxorum nobilitate,

Vxor transit in fortunam viri.

B & earum opibus accenduntur, & sibi pares multum infra se despectent.

Hinc filij hoc matrimonio procreati, cùm mater nobilis, ignobili conjuncta viro, suâ sit nobilitate spoliata, ignobiles habeantur. Et sanè nihil æquius, quàm ut mulier viri conditionem sequatur, prioremque dignitatem amittat l. d. l. *Femina*. de Sen. Et adde huic textum l. *ingenua*. cap. de mulie. Vide textum libr. 11. ex quo no. Bald. in d. l. *Cum quedam*. ff. de Jurisd. ind. quòd mulier ingenua, quæ se vilibus maritis sociat, perdit splendorem generis.

Vxor ignobili juncta marito spoliatur nobilitate.

Undè & filij nativum decus quasi naufragæ suæ matris amittunt. Cùm enim nobilitas sit dignitas, & eminentia, quâ alijs præ-

C ferimur, à potentiori causa suam trahat denominationem: Forma verò agens potentior, & nobilior sit, materiâ patiente: & hanc mulier, illam vir repræsentet; necesse ergo dicimus primas partes viro, non mulieri deferendas, qui imprimit formam & causam instar agentis nobilioris vitæ. Omnis enim effectus sequitur naturam suæ causæ principalis. Quare filius non arma gentilitia Matris, sed Patris circumferre debet. Patrem enim; & Ægyptij, teste Diodoro lib. 1. esse generis Auctorem dicebant.

Causa spoliationis.

Quamvis teste Plutarcho lib. de claris mulieribus cap. 9. apud Xanthios (hi sunt Lyciorum populi) lege cautum, ut à Matribus, non à Patribus filij, generis nomen sortirentur.

D Quod fortè hinc prodibat, quòd apud eosdem, viri uxorum imperijs parebant. Herodotus lib. 1. hoc unum peculiare (Lycissij) pro lege, quod à matribus filij sibi nomina induant.

Apud Xanthios filij à matribus feminæ ducunt.

Et si quis obvium percunctetur, quisnam sit, quâ familiâ ortus: à matribus, avijsque repetit genus suum. Et ingenua si servo nupserit; proles indè nata, ingenua & nobilis habebitur.

Nihilominùs tamen à viro nobilitatis originem trahit, eam firmat, & transmittit in Posteros, quamvis accessione nobilis uxoris in immensum excrescat pro nobilitatis splendore graduque.

A Nobilitas ergo viri tenuis modicaque, seipsâ grandior exsurgit genere superbo nobilitatis vxoriæ, quæ viri supplet complemento, & compendio suæ. Quod præclarè cecinit Magnus Statius in libr. Sylvar. in lachrymis Hetrusci:

Sed quidquid Patrio cessatum est sanguine, Mater
Reddidit, obscurúmque latus clarescere vidit
Connubio, gavisa domus ———

Et Virgilius lib. 11. Æneid.

——— *genus huic Materna superbum*
Nobilitas dabat; incertum de Patre ferebat.

Hinc Helena apud Theodoctem gloriatur. quod refert Aristoteles lib. 1. cap. 4.

B *Cujus Parens vterque magnus prodijt*
E stirpe Divûm; num quis ancillam vocet?

Nobilitas etiam à matribus in pretio. Quare non sine causa & Aristoteles lib. Rhetor. 1. cap. 5. censet nobilitatem ex Matribus etiam esse, dum ait; nobilitatem legitimam esse, aut à viris, aut à mulieribus procreatam. Et Plinius Junior Epist. libr. 8. ad Fabatum Prosocerum: Neque tu ardentiùs Pronepotes, quàm ego liberos cupio, quibus video à meo tuoque latere pronum ad honores iter: & audita latiùs nomina, & non subitas imagines relicturus. Cerne Plinium utrumq; latus & Patris & Matris ad filiorum nobilitatẽ considerasse. Undè & apud Athenienses Lex, ut narrat Ælianus libr. 6. de variâ Histor. solos Athenienses haberi, qui ex duobus nati essent Atheniensibus, tanquam non paternum genus; sed etiam maternum genus esset aspiciendum.

C *Mariti nobilitas extollit vxoris decus.* Quemadmodum igitur modica viri nobilitas splendido genere conjugis inclarescit; ita & mulieris, claritudine viri magis & magis intumescit, & supra seipsam extollitur. Divus ergo Josephus sanctissimæ Virginis sponsus & maritus, quamvis ex eadem nobilissima Tribu, & tot Regum Ducumque prosapia, & longissima serie per tot annos, parem originis, & nobilitatis gradum duxerit, Virginis tamen splendorem auxit per connubium suum: geminatâ non solùm nobilitate, sed quia clarior in Marito radiat, velut diadema in capite Regis, nobilitate auctæ gloriæ, & Majestas vxoris, Majestate viri lætior & magnificentior extollitur, tantò magis, quantò vir dignior & excellentior feminâ. Verùm de hac infrà latiùs agemus: num Virginis nobilitas admiserit incrementum ex Josephi conjugio.

§. VIII.

An Iosephus non amiserit gentilitia signa Nobilitatis, & nobilitatis privilegijs fuerit exauctoratus propter artis fabrilis exercitium.

Tam acres habet Nobilitas, pugnacesque sui defensores, ut omnem ijs nobilitatem detrahant, quos nobili genere natos fortuna ad artes mechanicas dejecit. Excludit prætereà nobilium Senatu, alto sanguine progenitos, quos in Apellis, vel præstantiũ pictorum Scholam fortuna transtulerit. Nolunt cum Senecâ Epist. 88. ad Lucilium, in numerum liberalium artium pictores recipere, non magis quàm statuarios, aut marmorarios, aut ceteros luxuriæ ministros. An non, teste Plinio lib. 35. cap. 1. ars nobilis, & expetita à Regibus populisque? Deindè & cap. 4. Fuit (inquit) & Principum virorũ non omittendum de picturâ celebre concilium. Deindè apud Romanos: Honos huic arti contigit; siquidem cognomina ex ea pictorum dignitate traxerunt: Fabij Clarissimæ gentis, Princepsque ejus cognominis ipsi ædem salutis pinxerunt. An non Adrianus Imperator, teste Spartiano, picturæ peritissimus? An non Antoninus Philosophus Imperator laudatissimus, operam picturæ dedit, Julio Capitolino teste? An non Ælius Lampridius scribit Alexandrum Severum mirè pinxisse? Eâdem ferocia Mercatores proscribunt nobilium choro, & eos exarmant imaginibus & signis Majorum, si ad mercaturæ studium sese converterint, & mercimonia exerceant. Citant leges l. *nobilium. cap. de mercimon. & mercat.* tanquam si mercatura sit ars mechanica. Citant Joannem Fabium n. l. *fasso cap. de diversis rescript.* Quod si, inquit Burgensis (sic loquitur) qui à Principe nobilitatem impetravit, posteà mercaturam exerceat, amittit privilegium nobilitatis. Deindè apud Romanos: Quæstus omnis, patribus visus indecorus. Deindè Valerius Maximus rerum memorab. lib. 3. cap. 7. Inter cetera quæ Tarquinium Priscum, antequam Rex Romanus crearetur, humilem & depressum tenebant: illud dicit fastidiendum fuisse, quod esset Mercatore genitus. Et Cicero libr. 1. offic. Illiberales & sordidi sunt quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Verùm, an non mercatura amica populis, quia mundus non potest sine mercatoribus vivere? Vide Baldum. An non Aristoteles lib. 4. Politicorum, sejunxit mercaturam à vilibus & sordidis artibus?

Pictores an excludendi nobilium choro.

D *An mercatura exauthoret choro nobilium.*

Ex plebe, inquit, partem agrorum culturę deditam videmus, partem mercaturæ, partem opificijs ac sordidis ministerijs. An non Solon, unus ex septem Sapientibus, & legum Scriptoribus, mercaturam exercuit? non tam, inquit Cicero ad Brutum, lucri cupiditate impulsus, quàm periclitandi videndique? An non Vespasianus, ex Suetonio, etiam adepto Imperio, negotiationes propalàm exercuit? An non Pertinax & Romanus Imperator, ut scribit Julius Capitolinus, mercaturas exercuit per suos homines, ut privatus? An non Joannis Apocalyps. 18. Principes vocantur Mercatores? *Mercatores tui erant Principes terræ.* An non Dionysio teste libr. 8. Mercurius Rex & Philosophus, mercaturæ inventor? undè & à mercibus, Mercurius dictus, Festo Pompeio teste; & tandem inter Deos relatus. Undè & Christus Dominus Matthæi 13. *Simile fecit regnum cælorum homini negotiatori.* An tot famosæ Genuensium familiæ, antiquissimâ suæ nobilitatis spoliabuntur dote; quia mercaturæ commercijs totum orbem illustrant? Stat ergo nobilitas cum mercatura, non illa vili & tenui, sed copiosa magnaque: qualis est eorum, qui Principes & Regulos potentiâ proximè adæquant, & per suos eam exercent, Regumque instar præsideant rebus ingentium negotiorum. An non, teste Plutarcho, Marcum Crassum Romanorum nobilissimum, servorum operâ divitem factum legimus, qui ut Imperator militibus; sic præerat suis? Qui enim per alios facit, per se facere videtur. Quare rectè Alciatus in d. l. *Mercis*, de verborum significatione, consuetudinem loci esse servandā dicit. An is ignobilis censendus, qui per alios viles artes exercet? An verò mercatura donet nobilitatem; & opes ingentes eā pariant; diversa est quæstio. Certùm est, opes aperire viam ad nobilitatis decus, juxta Horatium Sermo. 2. Satyr. 2. omnis enim res divitijs paret, quas qui construxerit, ille clarus erit, fortis, justus, Sapiens, etiam Rex, juxta illud Aristophanis in Pluto: omnia enim diviti sunt morigera seu obedientia. Aristoteles tamen libr. perlit. 4. cap. 8. docet non sufficere opulentiam, sed necesse ingentes opes maritare virtuti, quas junctas si à Majoribus acceperis, nobilitatis primogenitus in tuâ familiâ dici poteris. Nobilitatē nuncupatam definit hoc pacto: ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή: *Nobilitas enim est vetus opulentia & virtus.* id quod declaret lib. 15. ejusdem operis cap. 1. εὐγενεῖς γὰρ εἶναι δοκοῦσιν οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος. *Nobiles ij existimantur, quibus adest primogenitorum virtus & opulentia.* Et sanè apud Romanos semper discriminata fuerunt nobilitas & opulentia;, nec dives statim nobilis exstitit. Hoc ipsum docet Semptonius Asello Scriptor Roman. histor. dum tradit Publium Crassum Mutianum quinque habuisse rerum bonarum maxima & præcipua: quòd esset ditissimus, quòd nobilissimus, quòd eloquentissimus, quod Jurisconsultissimus, quòd Pontifex Maximus. Undè & Plautus in Captivis: *Ego Patri meo esse fateor summas divitias domi, méque summo genere esse natum.* Et Tacitus libr. 17. *Maligna cura in omnes, quos nobilitas, aut opes, aut aliqua insignis claritudo rumoribus objecerat.* Attendat Lector: ut vir tantus interpungat secernatque gradus, ut nobilitatem ab opulentia, ab opulentia claritudinem insignem sejungat, & unumquodque eorum per se stare doceat posse. Nunc reliquum est, ut dispiciamus, num paupertas partam acceptamque à Majoribus nobilitatem, quam divitiæ solitariæ conferre nequeunt, possit adimere. Videtur causam pauperis nobilis, vilitas ipsa perorasse. quid enim tristius paupertate? nam ut ait Menander,

Mercatura non exuit nobilitate nobiles.

Romani nobilissimi quique & mercatores.

An opes nobilitatem pariant.

An potens opibus dicendus nobilis.

> *Paupertas autem vilem, sive inglorium facit.*

An non Imperator in libr. 2. cap. *quando & quibus quart.* par. 6. lib. 10. appellat paupertatis vilitatem, quasi ipsa paupertas sit vilis, & ignobilis. Fateor quidem opulentiam esse quodammodo nobilitatis cum virtute parentem: nego tamen paupertatem esse nobilitatis novercam & profligatricem, quasi cum paupertate stare non possit. Scio scribi dicique eum esse tum nobilem, si tribus titulis confluentibus ornetur, si prosapiâ nobili, si honore, si divitijs. Vide textum, hæc tria commemorantem in l. *Nobiliores.* c. de commercio & mercatura. Faciamus hæc tria nobilitatis condendæ fundamenta necessaria, non tamen sequitur conditam concidere & instingi, nisi præsidijs divitiarum sustenetur. Scio illud Horatij lib. 2. Sar. 2.

> *Et genus & virtus nisi cum re vilior algâ est.*

Et illud Plauti:

> *Præstat divitem esse & popularem,*
> *Quàm nobilem & mendicum.*

Scio nobilitatem sine divitijs sæpè mancam debilitari, & quasi mancipatam; attamen necesse est fateri, si ex vero loquendum: fulgentem avis antiquis nobilitatem in posteris, per paupertatem non concidere, non obliterari posse: verùm temporum injuriâ, naufragio bonorum, calamitatibus adversis, fortunæ denique conflictationibus magis efflorescere, atque nitere si virtutum adminiculis, & invulnerabili mente cuncta patiatur. An non nobilis animus crudis hisce tyrocinijs imbuitur? An non sicut cos ferrum, sic adversa virtutem generosi viri exacuit? Non itaque exarmat paupertas nobilem suis imaginibus; verùm sæpiùs congerit novas. Pulchrè ex sententia Bart. in l. 1. col. 3. de dignit. dicit: *Quam divitia non possunt dare, nec paupertas eamdem auferre.* Et ad hoc allegari potest l. *humilem.* c. de incest. nupt. ubi in eam rem est optimus textus, *in quo cavetur humilem & abjectam feminam, non eam esse, quæ licet pauper sit, ab ingenuis tamen parentibus nata est:* ideò licere Senatoribus ita natas, quamvis pauperes, in matrimonium sibi accipere; nullamque hæc

An paupertas adimat nobilitatem.

Paupertas nobilitatem clarificat.

Paupertas non reddit vilem, at origo.

hâc in re inter egenos, & opulentos esse differentiam. Paupertas ergo non reddit vilem; sed origo, & mali mores. Undè & illud Cornelij Taciti lib. 5.

Quo non aliud honorificentius Cotta evenit qui nobilis quidem, sed egens.

Undè & illud Euripidis apud Stobæum sermone 86.

Pecunia domestica quidem deficiunt:
Nobilitas verò, & generositas manet.

Quis dixerit Vlyssen in saxosis rupibus Regem pauperem, esse ignobilem? Quis Romanos, qui ab aratro ad Consulatum? à stivâ ad purpuram, & tubas ad debellandos Reges evocabantur, dixerit ignobiles? An Ælia familia ignobilis? at quàm locuples? Sedecim eodem tempore erant, quibus una domuncula fuerat eodem loci, quo fuerunt Mariana monumenta, & unus fundus. An ignobilis Quintius Cincinnatus? qui septem tantum agri jugera possedit, cui aranti dictatura nunciata? An non ornamenta veræ nobilitatis, virtus, & sui dominium? Bonæ mentis gloria; nullis fortunæ casibus objicitur. Quorsùm ergo divitias in primâ felicitatis parte, aut per paupertatem in vltimo miseriarum ponimus? hujus horridior tristiorque aspectus, illarum frons hilaris, at quot stimulis fruentes lancinat perfoditque? Quanti viri uterque Attilius? de quo Plinius lib. 18. ca. 4. Et Valerius Maximus lib. 4. An ignobilis Attilius Calatinus, quia *cùm semina spargeret, ad Imperium populi Romani fuit evocatus?* An non illæ attritæ manus cæsis ingentibus hostibus publicam salutem pepererunt? An illas manus dextramque, quæ juga boum rexerant, audeas obscuras, & vilis sanguinis scribere, quibus victoribus currus triumphales commisit habenas fortuna? quæ eburneum scipionem, quæ stivam rexerant, circumtulerunt. Et ille alter Attilius Regulus (qui anno Vrbis 408. vixit) vilis sanguinis, terror olim Carthaginis, & fortunæ victor, qui Carthaginis insolentis opes contudit, compellabatur: quia Victor Africæ petebat successorem, ne deserto agro non esset undè & uxor, & liberi sui alerentur. An non omnis ætas Romana Attilianæ virtutis splendore gloriatur? Quis Curium, qui sua fictilia auro Sammitico prætulit, dixerit inglorium, cum Fabricio, qui Pyrrhum Regem invictissimum bellatorem devicerit, & sic oblatam sibi à Rege Imperij partem repudiavit? An ignobilis Fabricius, quòd rus suum, quando à Republicâ vacavit, fodit? quod ad focum deferat illas ipsas herbas & radices, quas in agro repurgando triumphalis senex vulsit? Utrum dixeris nobiliorẽ, Alexãdrum Magnum, an Xenocratem? Tentavit hujus viri continentiam Alexander Orbis Dominus, missis per Legatos aliquot talentis. Hos in Academiam perductos, solito sibi apparatu, & admodũ parco excepit Xenocrates. Postero die illis interrogantibus, cuinam annumerari pecuniam vellet: Quid vos (inquit) hesternâ cæna non intellexistis, eâ me nõ indigere? Ita Rex Philosophi amicitiam emere voluit: Philosophus eam vendere noluit. Utrum nobilioris mentis dixeris? An non generosa tenuitas majorem lauream meretur, quàm Alexandri magnifica ex alienis opibus parta donatio?

Nobilium pauperum Chorus.

Stupenda magnorum virorum, at pauperum nobilitas.

A

Huc vsque per varia exspatiati, præludimus propositæ quæstioni: Num sanctus Josephus Virginis sanctissimæ sponsus, Virgineusque Maritus, stemmati suo, & priscæ Majorum luci, vili artis ministerio tenebras offuderit? Fateor nobilitatem alis destitui, quibus sese in altum libret, & assurgens emineat: nam haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi: fateor apud populum vulgaresque animas esse despicatui, & sine honore, attamen nec paupertate, nec arte mechanicâ partam nobilitatem tolli: verùm sanguinem posterorum, sanguini Majorum per cõtinuam successionem adhærescere, nec posse aboleri, nisi naturam ipsam sustuleris, vel per scelera infamemque vitam dedecorans exstirparis, sicut nobilitas non subitò emergit, sed per gradus adolescit, juxta illud Virgilij lib. 1.

B

Fortia facta virum, series longissima rerum
Per tot ducta viros Antiqua ab origine gentis.

Et libr. 7. *Turnus avis atavisque potens.* ita ubi adolevit, stat inconcussa pertinaxque sui. An nõ nobilitas sancti Josephi Antiquissima per tot Reges Ducesque ducta? ut infrà dicetur. An non appositè per omnia familiæ sancti Josephi convenit, quod scribit Aristoteles libr. 1. Rhetor. cap. 5. *Nobilitatem gentis ac civitatis esse indigenas, aut vetustissimos, & primos Duces illustres, multos quoque ex eâ gente in rebus quæ expetuntur, præclaros extitisse: privatam aut nobilitatem esse, aut virtute & dignitate, aut aliâ re laudata primos claros fuisse.* Undè & Idem l. 4. Polit. c. 8. *nobilitatem* dicit *antiquas divitias.* An non omnia abundè adsunt sancto Josepho? præter vetustatem familiæ vetus nobilitas, Majorum facta fortia, tot Ducum Victoriæ, cognatorum & affinium opes per tot sæcula propagatæ? deindè cum ipsa nobilitate virtus & Justitia. *Ioseph autem cùm esset vir justus*: Justitia ergo emicabat sanguine antiquo perillustris, quem innocentia tutabatur. Ab antiquitate ergo ingenuorũ eam gentilitatem seu nobilitatem duxit, & inter longa decora tantæ indolis natùra cùm eniteat, non potuit innata nobilitas tolli, vel eradicari mechanico opere, tam altè radicata. Quis nisi impotens ex familia nobilis ad paupertatis officinã redacti sustulerit arma & imagines gentilitias? nemo audeat eas infringere, nisi sceleratus. Fortuna opes, non nobilitatem donat. Persistent ergo in familia nobilitatis indices, imagines, statuæ, & gentilitia signa: non enim paupertate, & operis mechanici vilitate nobilitas amittitur, nisi per infamiam, & vitæ turpitudinem. per textum in l. *si qua ibi honesta nobilisque persona decore privetur.* cap. de

C

D

Nunquam ars mechanica tollit nobilitatem radicatam.

de Sec. nupt. & ibi Baldus no. redditque rationem ex ipso textu, quia nulla sine honestate potest esse nobilitas. & in Canon. nobil. 2. quæst. 4. ubi homo nobilis vel ingenuus, si in furto, aut falso testimonio fuerit deprehensus, ferventi aquâ, vel candenti ferro se purgare debet, ac si non esset ingenuus aut nobilis, quia scilicet suis sceleribus nobilitatis privilegium amisit; quam nobilitatem amissam, ita naufragam fecit, ut redintegrari, nisi Regis potentiâ vel Principis, non possit: quamvis pœnitentiâ ductus integræ & inculpatæ vitæ sese reddonet. Undè & mulier quæ in suū corpus peccavit, nobilitatem perdit. Nobilitatem ergo rerum sustentat tenuis officina sancti Josephi, tot laureatis Majorum redimita triumphis sustentat inclyta Majorum, & propria virtus. Illæ illæ manus callosæ attritæque omnium Regum & Principum totius Orbis dextris tum nobiliores, tum beatiores, quas cælum suspicit, veneratur & exosculatur. Ille in statione vitæ, qua positus erat, non erat immemor esse se tantorum avorum abnepotem, decorè se gerebat. Et quod nobilius exemplum Orbi potuit dari, quàm virum tot sæculis nobilitatum, fortunæ proscriptione ad vilia munera redactū? quid pulchrius quàm regio vultu fortunæ conditionem depressam spectare & ferre, & excelsa mente complecti? Sciebat nobilem, non cui atrium plenum fumosis imaginibus; sed quem nobilem animus facit: cùm ex quacumque conditione supra fortunam liceat surgere. Sciebat, hoc acroama Urbanus Quintus quo crebrò mentem obfirmabat. *Summa*, inquit, *est nobilitas, clarum esse virtutibus.* Bonus vir, nobilis. Et sanè quid gloriaris, plumis alienis vestitus? An ideò simia, leo dici poterit, quia jubetur esse leo? quis æstimarit simiam in purpura, si simia esse perstiterit? Cùm itaque sanctus Josephus sciret se nobilium Majorum longa serie propagatum, humanam tamen nobilitatem in nulla alia re, quàm in ipsa virtute positā censebat, & quòd optimum esset, esse nobilissimum. Deindè cùm videret acceptam à Majoribus lucem in tenebras cōversam, & splendorem natalium obscuratum ad se devenisse, nobilissimo modestiæ temperamento casum tulit, & virtute sua velut Imperator suo paludamento, quasi fortunæ victor sese involvit: siquidem fortunæ munera, ut ait Herodianus in Macrino, etiam parùm dignos exornant: animi virtus propriam cuique gloriam conciliat. Inerat viro nobilissimo summa & nobilissima virtus, qua Deo in tantum placuit, ut in sponsum, Maritum Matris Dei, & Patrem ejusdem Magni Dei adoptaretur. O vis mirabilis virtutis in viro moderatissimo, qui modestiæ experimento ad imperium cæli, & orbis universi adscitus, admiratione summâ nec magnitudinem in superbiam vertit, nec felicitaté passus insolescere! Felix & nimium felix, qui sui potens, sibi leges ponit. O Josephum nobilem stemmate, virtute, & fortu-

Iosephus retinuit suam nobilitatem.

Non ideo simia est leo, cùm esse dicitur leo.

In quo posita nobilitas Iosephi.

A næ victoria! Conservamus ergo sancto Josepho suæ nobilitatis floridum, intactumque diadema; nam Judaïcæ nobilitati nec ars mechanica, nec opificij exercitium derogat.

§. IX.

An Iosephus fabrilis operis exercitio, si exutus nobilitate fuisset; sacratissimæ Virginis Virgineo & Angelico conjugio potuerit nobilitari?

Superiùs dictū; mulieris fortem viri con-
B ditione stare, crescere, minui, & obscurari secus autem viri. Et quamvis mulier, ut virtutis heroicæ particeps capaxque est, ita & nobilitatis: attamen conjugio transit in familiam sui mariti, non aliter quàm si fieret exsortis suæ. Undè si nobilis nupserit ignobili, cùm desinat esse de familiâ Patris nobilis, mariti fortunam sortitur, & ignobilis habetur. Quare si res prohibita alienari extra familiam possit, etiam in fœminā nuptam alienari: si tamen prohibitio fiat, ut res non alienetur, quàm nobilibus è familia, non poterit fieri in mulierem nuptam ignobili alienatio: ne amittit familiæ nobilitatem, ubi nupsit marito ignobili. in 1. l. *connubiali*. Sic exhaurit, & exinanitam afficit familiam ignobilis
C sanguinis communio: nihilominus tamen heroino stemmati, leges & cōsuetudo reverentiam studiosissimè consecrant; & adversus suprema fastigia adhibent respectum, & religionem. Regina quippè si plebeio, vel non vulgaris dignitatis matrona vili sese conjunxerit, perstabit illa in suo gradu; & vir obscurus, radijs uxoris coruscabit, & comitatu lateris Reginæ suæ totus irradiatur *libr. 1. c. de prop. libr. 12. Et nulla*, inquit Baldus, *major est lateralitas, quàm viri & uxoris, qui divino consortio una caro efficiuntur.* Quare Ducissa vel Comitissa, vel similis notæ vel symboli mulier virum humilis, & obscuræ sortis ad se communione sanguinis, & ad consortium titulorum tollet rapietque, & profligatā obscurita-
D te natalium, imagine suæ claritudinis illustrabit. Sic lutum artifice dignitate inauguratur inauraturque: & quidem tunc id maximè contingit, si ea dignitas in dotem collata processerit, ut Juristæ docuerunt, voluntque id potius facti, & consuetudinis vigore, quàm beneplacito Juris introductum. Nunc subsiste aliquantum benigne Lector.

Mulier nobilis nupta viro ignobili, sua decidit nobilitate.

Alia tamen fastigia vel ut regina Comitissa virum ignobilem attollunt nobilitantque.

§. X.

Quantæ fuerit nobilitatis sanctissima Virgo.

ANtequam quæstioni propositæ fiat satis, altitudo nobilitatis Virgineæ per tot sæculorum contextum, seriemque Regum, Principum Ducumque propagatâ priùs demonstranda; deinde ut ex omni parte, quâ quis nobilis dici, cõpellariq; debeat, omnes titulos, & ornamenta possideri à Sanctissima Virgine probabimus. Laërtius libr. 3. ait, à Platone musicam in tria secari; quamdam enim solâ voce constare, ut cantum: aliam voce simul, & manu; ut citharæ cantus: tertiam solis manibus perfici; ut cum silenti oris organo citharam percutimus. Sic & nobilitatem in quatuor partes dividit. nã qui claris, bonis, justisque fuerint parentibus nati, eos nobiles vocari: quorum item parentes Principes, ac potentes fuère: Item vocari nobiles, quorum sint majores famâ, & opinione celebres: quàm vel ex bellicis rebus præclarè gestis, vel etiam coronis reportaverint. Alterum esse nobilitatis genus, idque præstantissimum, cùm quis per se animi magnitudine excellit. Hæc Plato. Et quis negabit magnitudinem constare splendore virtutum, quibus quis illustris, quasi coronis virtutum & stellis sit redimitus.

An non totus hic ordo, & series patrium, tota simul conglobata, in Matris Dei nobilitatem fabricandam per omnem excellẽtiam, pulcherrimè quasi perfecto musicæ concentu conspirat cùm unus solus ex quatuor dictis titulis sufficeret? Quid sanctius proximis parentibus Joachimo & Annâ Beatissimâ? Dein an non majores per sæcula sceptra tenuère? Deinde quorum Regum fama per omnes orbis partes sic divulgata? adhuc in dies, quasi positis exuvijs senectæ, sumpta nova juventa magis efflorescit. An non quâ Sol oritur, caditque & fama Majorum; celebritas victoriarum vivit, celebratur & canitur? Cui vltimam partem nobilitatis ex Justitia & merito debemus, quàm Virgini sanctissimæ? An non ipsa Microcosmus: imò, ut melius dicam, immensus mundus immensæ magnitudinis; imò ipsam heroicam & quasi Divinam possidens animi magnitudinem? An non ipsa incedit stellata rosis, & lilijs & floribus omnium virtutum? An non Regina & Domina Principum dotalis per Filium; qui Rex Regum, & Dominus Dominantium? Psalm. 2. *Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Et nunc Reges intelligite, & erudimini qui judicatis terram, apprehendite disciplinam.* Quid hoc est, nisi osculamini

Omnes nobilitatis gradus in Virginis nobilitatem confluunt.

Cœlum & terra Dei Virgini data.

A Filium Magni Dei Patris, quem constituit Dominum universorum, & Regem Regum, & Dominum Dominantium? Per Filium ergo sanctissima Virgo est, imò & dotali jure Regina & Domina universorum, & Domina Dominantium. Et *ut Filius regnabit in Domo Iacob in æternum.* Lucæ 1. ita & Mater tanti Principis: cùm Mater & Filius, ut dictum est, unum sint, & pro unâ personâ computentur.

Nunc ad nobilitatem veniamus sancti Josephi: Faciamus exercitio mechanici operis nobilitatem interemptam concidisse; quam stare semper suis virtutibus diximus; an non per nobilissimi connubij altissimum consortium ad altitudinẽ summæ nobilitatis ascendit? An non universis nobilitatis radijs, Virginis B nobilissimis radijs quasi ostro, & purpurâ circumfluus totus Orbi prætuxit? Planè: sicut enim Filius & Mater unũ sunt, sic & cõjuges. An non bona & mala, omnisque casus, & periculum fortunæ utriusque utrique commune? Virgo ergo nobilissima cùm sit omnium creaturarum, necesse est maritum esse nobilissimum, & per faces maritales iterum pristinæ prælucere nobilitati.

O nobile par conjugum, & Majorum virtutibus, Regio stemmate, sceptro, victorijs, manubijs, spolijsque: proprijs denique virtutibus, quibus vera nobilitas velut ingenti pretio comparatur, collucens. Dicamus ergo Josephum tum per se nobilem cum sua sanctissima conjuge, & paribus incessibus C gradibusque nobilitatis procedere. Joseph ex Tribu Juda, Tribuum omnium Principe. Ille sanguine Regio Davidico: & Virgo. Ille per tot Regum stemmata ducit signatque suum sanguinem: sic & Virgo. Vbi à Regibus ad Duces diadema delapsum, per Ducum uterque communem propaginem continuavit: at in hoc, Virgo Josepho major, quod & Sacerdotalis sanguinis claritudine, quæ apud Judæos primaria, & Regias curas & Imperium suscepit, fuerit illustris. Paternò ergo sanguine Virgo Regia, Materno verò Sacerdotalis. Vnde & cognata Elizabeth Matris Divi Joannis. Vis contemplari eximiam nobilitatem Josephi? accuratiùs expẽde hanc regulâ juris: Quidquid nascitur in solo alieno, D soli esse perhibetur. An non Virgo sanctissima sancti Josephi hæreditas? An non Virgo ad Josephum pertinet? An non debet Josepho servitutem conjugalem? An non Virgo est fundus Iosephi? An non in hoc fundo natus est Iesvs, qui vocatur Christvs Filius Dei? Ad Iosephum ergo pertinet: fundi est sui, sui soli est. Deindè ut jam dictum est: si vero plebeio Regina societur, uxoris titulis in maritum derivari leges volunt. Cur non Iosepho tituli uxorij legitimo jure obvenirent? Deindè cùm Virgo per Filium sit Regina, & Domina omnium, cur Regium nomen, & dignitatem in Iosephum virum non transfunderet uxor?

Iosephus regnatricis cõjugis splendore nobilis.

Iosephus, & sua nobilitate & Virginis potens.

Virginis nobilitas eminentior Iosephi.

Sanctissima Virgo ad Iosephum pertinet sicut & Filius unde & nobilissimus.

Quis

Ex Christi Domini in quantum hominis nobilitate, oritur Virginis nobilitas.

Quis negabit Domino, in quantum homini, summum imperium, & potestatem in omnes Reges & Monarchas; cùm ipsa humanitas Christi ipsâ Deificatione ad eam dignitatem evecta sit, ut ad nutum voluntatemque ejus jure naturali fingere & accommodare subditi se debeant universi? Divinitas enim per unionem sociata humanitati, quasi delibata & vncta sacro Divinitatis oleo, non solùm Christum Dominum Sacerdotem; sed etiam Regem inunxit, & summum consecravit ab omni servitute liberum: ita ut nefas sit, Christum vocare servum; ut dictum est.

Christus verus Rex & Sacerdos.

Nulli ergo subditus, in omnes exercere poterat Regiam potestatem: cujus proindè esset imperare in rebus politicis; jura & leges condere, & decidere dubia, & controversa. Et quamvis Regiâ (cùm tamen posset, si voluisset) potestate non fuerit usus; sunt tamen Reges, Christi Vicarij: quandoquidem jure naturali supremus est omnium Imperator, qua de causa omnes Reges & Principes vicariam operam & potestatem exercent, non solùm Dei vices, verùm etiam Christi Domini. *Erat quidem Rex non talis, qualis fit ab hominibus* (ut Augustinus tract. 14. in Joannem,) *sed talis, ut homines Reges faceret.* Cùm igitur dicitur, *Per me Reges regnant*, id est loco mei, per me non demandantem illis potestatem, & regnum temporale, sed dimittentem.

Cæteri reges Christi Domini Vicarij.

Undè non exiguus error, & ideò damnatus à Joanne XXII. in quâdam Extravagante, eorum qui docuerunt Christum, sui sæculi Regibus jure ipso subditum fuisse.

Et sanè cur esset, qui erat Dominus omnium in quantum homo, cùm ut talis sit Filius Dei naturalis, & hæres universorum? cùm enim Humanitas sit juncta Divinitati, creatur illa Domina rerum omnium, & nulli subdita supra omnes creatos spiritus cœlestes altiùs provecta substitit, ut omnes Dominam, Dominumque omnium adorent, juxta illud ad Hebræos 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* ita ut omnes creaturæ, Angeli, dæmones cum hominibus instar mancipiorum Christo Domino ut homini plenè & omninò subijciantur.

Christus ergo jure naturæ cùm sit Dominus omnium, Diva & Virgo jure naturæ Domina & Regina omnium, ut clarè Anselmus libr. 4. de Fide Orthodoxâ: *Verè omnium rerum conditarum Domina effecta es, & quidem in dotem omnia dominia collata, ut Matri summi Imperatoris.* & juxta illud Epiphanij in Sermo. de laudibus Mariæ: *Invenitur*, inquit, *esse cœlestis Sponsa & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratiâ cœlum & terram.*

Augusta lege soluta Principis beneficio.

An non in lege, *Princeps. ff. de legibus*, sic legimus: *Princeps legibus solutus*: Augusta autem licet legibus soluta non est, A Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.

Materno itaque jure debetur Virgini imperium, ut ait Divus Athanasius in Sermo. in Evangel. quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus est Deus: eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina & Domina, & Deipara verè & propriè censetur. Quæ cùm ita se habeant, quantæ nobilitatis fuerit Divus Josephus, ex dicta ratiocinatione colligi debet: quandoquidem marito omnia suæ conjugis privilegia obveniant, etiamsi foret ignobilis.

Quantus ergo splendor ex fulgore nobilissimæ uxoris accessit tanto Marito, qui proprio & nativo fulgurabat splendore Majestatis? Nobilis ergo per se, & suorum Majorum claris imaginibus: nobilior ex Virgine, quia ex illa natus est Jesus. Hic titulus B hæc nobilitas, transcendit quidquid dici cogitarique potest. Natus ergo Jesus in fundo & solo Josephi: ergo & Josephi est Jesus, natus de Virgine & Conjuge Josepho.

Christus Dominus natus est in solo Iosephi.

Huic tantæ nobilitatis magnitudini cedunt omnia, non solùm stemmata, & magnifici Regiarum domorum tituli, verùm etiam quidquid cœlo clauditur & possidetur.

Quemadmodum stellæ minores fugiunt, præmissis auroræ radijs, Sole adventante: ita quidquid grande creatum est, ad hujus tituli granditatem fugit & evanescit. Ingentes possidet per longam seriem sanctissima Virgo titulos nobilitatis: at hic tantum præminet ex- C cellitque, quantùm adamas: Sol, cœlum, cetera elementa, ac longo intervallo quasi nullius sint æstimationis, post se relinquit. hic enim ad suam magnitudinem sibi sufficit.

Quid enim majus dici potest, quàm esse Matrem Dei, & Matris Dei verum conjugem? quandoquidem nec Divina potentia crescere, vel amplificari vllâ parte sui, in quantum conjux, possit.

Nobilissimus ergo Deus cùm sit, necesse est, Virginem esse nobilissimam, de quâ natus est Jesus, Dei Filius, verus Deus & Filius Virginis.

Nobilissimus & sanctus Josephus, cui lege naturæ, & civili jus erat in Matrem Dei, D ejusque Filium.

§. XI.

§. XI.

Quæstio latißimi vultus: Quare Deus Matrem suam nasci ex tantâ nobilitate progenitorum voluerit; cùm supra modum omnem humilitatem dilexerit, & hâc solâ sibi congratuletur: Cùm essem, *inquit*, parvula, genui Deum.

AN quia illa erat futura summa, & compendium universi? Et quemadmodum in auro cetera metalla per eminentiam, sicut in nobiliori essentia clauduntur: ita etiam in illa quidquid esset nobilitatis, & claritudinis, inveniretur. An non Reges per illam regnant? Quid æquius quàm ut stemmata nobilitatis, & Regium sanguinem circumferat? An ideò, quia nobilitas est instar cælaturæ aureæ, cui virtutes velut pretiosi lapides inseruntur? & quantò cælatura opulentior, tantò pretiosior gemma postulatur. indignaretur enim cælatura, si infra suam dignitatem ad vilioris pretij lapidem jugaretur.

Calatura digna pretioso lapide.

An non adamas vendicat sibi auream cælaturam? cupreâ dedecorandus? Si dedecorant benè nata culpæ, & nobilios sanguis vitiatur; si virtutis face careat, & honesti flore:

Nobilitas vacua flore virtutis, obscurias carcer.

Pulchrior est pulchro veniens ex corpore virtus.

Eminet enim, & emicat omne quòd alto sanguine, si virtutibus fulguret nobilitas, nobilis cælatura virtutibus. Nobilis seges in fertili campo nobilitatis; est gemma in auro.

An non Angeli nobilius & perfectius se ad gratiæ infusionem acquirendam disposuerunt, qui nobilioris, altioris, & excellentioris naturæ fuerunt? An non natura, subjectum gratiæ? Si gratiæ subjectum; quò natura ergo sublimior, sublimius & efficacius, & ardentioribus conatibus ad gratiam disponit. Ardentioribus enim effectibus supremi ordinis Princeps in Divinæ Majestatis amorem librávit, quàm minimus ejusdem ordinis.

Subjectum quò nobilius operationes nobiliores.

An non incitatior ad cursum equus Hispanicus, quàm vulgaris: & gigas aliter ad stadij cursum se librat jactatque, quàm gregarius miles? & quò quis altioris spiritus, majorum avidior certaminum.

An non Alexander Magnus ad certamen appellatus, plebeium certamen detrectavit? *Si pugnandum*, inquit, *cùm Regibus certandum.* leones, viles despiciũt prædas. Felices nobiles animo, si suam fortunam norint; quibus nobilitas data calcariũ instar, ut ad altitudinem virtutum comparandarum per sudores, per ardua, per contemptum voluptatum se subigant. Intolerabilis nævus, magna nobilitas vi-

Nobilitas calcar est ad magna.

A tijs nobilis. Quemadmodum Aquila volucrum, Regina, suos pullos ad Solis aspectum provocat; ut judicio solis, ejusque exploratoribus ignibus, vel hæredes sui sanguinis, vel degeneres decernat.

An non projicitur nido, quisquis non exceperit flammas oculo irretorto? an non itâ paternâ, ut degener feritur? & contrà qui adversis fixisque oculis Solem tulerit; hæres fulminis, & volucrum potens nutritur. Sic virtus nobilitatem probat, quâ destitutâ nobilitatis regno proscribitur, nec nisi degener illustrium virorum choro deijcitur. Eia nobilitas erigere; & quantò altior sanguine, tantò altiùs insurge ad virtutis decus. Pigeat humi inter scorta, & fœdas voluptatum, & mortis victimas dilitescere: pudeat animas nobiles

Aquila pullos, & virtus nobilitatem probat.

B proijcere, quæ ad maxima quæque natæ: pudeat notari te degenerem tuorum avorum, & avitæ virtutis: pudeat in domicilium virtutum introducere vitiorum spurcissimam turbam. Aspice tuorum Majorum imagines: defige in illos obtutus pudibundos, & vide quod proprio tuæ conscientiæ judicio mutâque picturâ non tanquam hæres, sed degener condemneris. Decuit ergo Virginem clarissimis Regibus nasci, quò claritudo sanguinis instar cælaturæ subserviret claritudini virtutum, & summa & Divina quodámodo sanctitas, summo & Regio sanguine, & quodammodo Divino jungeretur. Quod & Homerus intellexit, dum Reges διοτρεφῆς vocat à Deo nutritos, Deoq; proximos. Supereminebat ergo cunctis Virgo nobilissima tot

C Patriarcharum & Regum sanguine, atque inclyto stemmate: ut virtus ejus velut gemma in palâ, vel in auro tantæ nobilitatis magis eniteret. Nobilitas enim est claritas generis, nec non instar facis prælucentis; quidquid ambit vestitque, illustres familias in apertum profert: nobilem enim & vestigia & passus detegunt, & etiam nolentem, sortemque suam mentientem secernunt à rustico.

An non vitia, & virtutes se ostentant? ut ignes in alta pharo clariùs emicant; sic & in nobili sanguine. An non omnium oculi in orientem Solem versi? Sic quoties magna nobilitas prodit, omnium oculos ad se vertit, trahitque ut Magnes ferrum. Meritò ergo sa-

Nobilitas etiam Latens seipsam prodit.

D cratissima Virgo gloriari potest (quamvis omnia mortalia minimum æstimavit) se tot sanctis progenitoribus, clarisq; Regibus procreatam, ut sibi conveniat illud Ecclesiastici 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Ubi Hebræi habent: *In calaturâ Sanctorum*, scilicet & Regum, est detentio mea, ut sim quasi lapis pretiosus inclusus in Aulâ Sanctorum meorum progenitorum: nec eorum solùm, sed omnium Sanctorum, tam Angelorum quàm hominum. Deinde quia nobilitas Majorum illustrat Nepotes, & facinora, eorumque virtutes tribuunt lucem, famam, claritudinem nascituris: descendit enim virtus Patrum

trum in suos alumnos, ut Leonis & Aquilæ in suam stirpem: non enim leones lepores, nec columbas Aquilæ progenerant? An non ingens portentum, ubi hoc evenerit? quid aliud quàm excidium familiæ portenditur? Clamat Ecclesiast. 9. v. 17. cap. *Gloria filiorum, patres eorum*, & contrà. Decebat denique ex Regibus nasci, quam totus Orbis erat adoraturus, ut supremam Reginam & Dominam, cujus hæredes erant futuri Vasalli subditique, & per quam Reges erant regnaturi.

Cur decuit matrem Dei ex regibus nasci.

An non decebat illam ex Regio sanguine creari, cujus filius erat futurus Rex Regum, & Dominus Dominantium, & recturus Reges in virgâ ferreâ, cujus terra scabellum pedum esset, & cœlum thronus?

B An non decebat eum nasci Matre nobilissimâ, cujus Pater est ipsa vera nobilitas & æterna? Nullus non libens, & voluntariè ibit in obsequia tantæ Dominæ, cujus caput tot Principes, Duces & Reges suis coronis, sceptris & imperijs illustratum coronarunt.

An non Abraham primus & illustris Princeps, cui Nepotem Deum cœlum promisit, Princeps Dei vocatur; & ab indè usque ad Virginis Nativitatem, tanti sanguinis series ad annorum tria millia, per tot gradus Regum & Principum duct: est magna dos virtutis nobilitas. Inclarescit illa magis & magis ancillatrice potentiâ. Voluit ergo Deus suam Matrem, etsi humillimam, nobilitate & virtutibus suorum Majorum inclarescere, ne qua dos naturæ tantæ Virgini, quæ erat universæ naturæ complementum, deesse videretur, lux Majorum, lux Nepotum, quæ tantò major, quò claritudine magnorum facinorum magis irradiatur. Salue ergo virtutibus, & sanguine nobilissima Virgo, cujus vultum terra desiderat. Si terra felix, cujus Rex nobilis, quantò felicius hoc universum, cujus Regina, fons, & Oceanus nobilitatis? Finiam quæstionem læti auspicij hujus acroamatis dedicatione. Ego Virgo humillima illustro meos luce novâ.

§. XII.

Cur providentia Divina permiserit tot pravorum, tum virorum, quàm mulierum tot sanctis Progenitoribus Beatissimæ Virginis inseri, & vitiorum sordibus maculari.

CVriosa quæstio. An non dedecora parentum stemma commaculant? An non interventu Nepotis scelerati Majestas familiæ fœdatur, vastaturque, etsi non tota concidat? Ciceronis familiam; Africani Majestatem; Davidis Monarchiam an non obscurârunt, perdiderunt pessimi filij? Percurramus omnium regnorum Principes. An non crimen unius in omnem redundat familiam? An non unius scelus evertit integram prosapiam? Imperatoris Mauritij tantâ sobole fundatam domum, an non unius avaritiæ causâ Deus per vilissimum mancipium Phocam lictoris ense constravit? An non Valens, cui prima virtus imperium paravit; fidei Catholicæ desertor, vivus in casâ rusticâ côcrematus? Quis Justiniano Imperatore felicior, quamdiu fidei protector? à quâ desciscês, datus in exemplum toti Orbi infelicitatis, mortuusque Hæreticus, qui Hæreticorum profligator.

Familiarum regiarum dedecora ex scriptorum consensu de quibus in parallelo de justitia.

Jeroboam primus Politicorum pater fundatorque fungatur vice speculi apud omnes Principes. Huic collatæ decem Tribus Israël, rescisso regno Davidico; huic collatû regnum novum à Deo munifico; at ingrato, & Religionis sacræ desertori. An non tota domus subitò concidit penitus eversa; ita ut non sit relictus canis mingês ad parietem: cui, si cultor Religionis perstitisset, Deus regni perpetuam securitatem promiserat. Terreant Reges, terribiles manus Magni Dei. Quàm multorum Principum familiæ sunt deletæ de superficie terræ, instar perfidæ domus Jeroboam! Exscindit Deus familias, quas suscitavit: & iterùm de medio tollit, ubi à virtute degenerât. Deus est, qui familias fundat, fundatas conservat, & hæredes instituit, ut cognoscant viventes, ut Daniel cap. 4. Nabuchodonosori: *Quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.* & humillimum constituet super illud. Timeant Reges, Deum vigilem & sanctum: ne clamet: *Succidite arborem.*

Familias Deus evertit, & inscitat.

C

Lustret Lector veri amator, Magnorum familias, ortas interire non sine Numine Divûm ob secreta, privata, publicaque in cœlum admissa consilia, factaque, & ijsdem artibus secûdas familias, & regna, quibus nascuntur. An non Romanus populus tamdiu pulcher, egregius, purus, atque magnificus, qui bonâ fide adoleverat, viguit, & inconcussus constitit, quamdiu in vestigijs Majorum stetit? at crescentibus cum regimine imperij vitijs, an non cruentum beluino more in se sævijt? Indubitatû est infumari familias sceleribus, splêdorem obsolescere, virtutis & disciplinæ neglectu. Quid causæ ergo, cur Divina providentia Virginis curiosissima, non exiguum sceleratorum Progenitorum numerum passa est suæ stirpi intervenire? An non intervenit Salomon initijs clarus, exitu plusquam infelix? An non Roboam, Achaz impijssimus & tyrannus? Manasses sanguine innocentum totus purpuratus? An non infames vitâ, & impudicitiâ mulieres intervenêre? Æquissimum quidem fuit sanctis Progenitoribus nasci, quæ paritura erat Sanctum Sanctorum. Cùm ergo summus honor, & summa glória in oculis Dei sit sanctitas: an non postulabat honesta necessitas, ut impolluto sanguine Majorum, & sanctâ stirpe nasceretur? cur ergo infames, & omni scelere imbutos

Romanus populus tam diu pulcher quamdiu bonus.

D

tos non dedignatur Divina providentia in tot Sanctorum virorum societatem admittere? cur sanctæ radici venena & toxica aspergit? cur sancto sanguini impium, & conjuratum consociat? cur soli tenebras offundit? cur lilijs cruentas, & vulnificas spinas adjungit? Dignum altâ cõsideratione mysterium: alta sunt & profunda Divinæ providentiæ cõsilia. Novit ex summo malo distillare infinitum bonum: novit venena venenis pellere; & scorpionem scorpione conficere, & damnare peccatum de peccato. Hic ludus Divinæ sapientiæ potentiæque, cujus tantum est odium in peccatum; ut illud nullâ ratione permitteret, nisi ad ostentationem suæ bonitatis, sapientiæque procederet. Divinæ ergo providentiæ placuit, pessimos & maculosos criminibus progenitores prosapiæ Virginis commisceri. An non ideò, ut cognato sanguine viscera Divinæ pietatis victa, in peccatores proniùs oculos converteret? An non experientia mali domestici, conciliatrix auxilij submittendi? Facilè tangitur malis alienis, qui suos, malis premi videt. Benè illa apud Virgilium:

Ex malis Deus elicit bona.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Accurrit incendio restinguendo, qui videt proximum sibi parietem conflagrare. Cùm ergo Christus, & sanctissima ejus Mater in gratia confirmata, horribilem peccati malitiam, vulnera insanabilia, tyrannidem intolerabilem, æternis lachrymis dignam per experientiam sentire non possent:

Aliæ rationes dandæ: cur Deus passus fuerit in genealogia & serie suorum Majorum tot infandis sceleribus Principes infames, & Matronas vitiatas inscribi. Si dicamus hoc cedere in supremum privilegium supremæ potestatis, & ostentamentum prærogativæ potentiæ, quâ Deus illam sequestrem Judicem causarum nostrarum esse declarat atque ideò Deus hoc fieri permisit: ingens sanè favor, ingens Mariæ privilegium, quod ipsa causas nostras componat, culpas excuset: per illam accessum habeamus ad Filium; per illam nos suscipiat Deus, tanquam gratiæ inventricem, & vitæ Matrem. Venit ergo Maria suis progenitoribus in remedium, quod & omnibus peccatoribus cõmune: venit in gloriam, & honorem suorum progenitorum Sanctorum, quò omnes simul in Virgine irradientur, & tanquam in securitatis portu cõquiescant. Deindè cùm non ignoraret infernalis hostis, orbem scelere perduellis Adami collapsum, per Virginem restaurandum; quo hoc decretum Divinum sagaciùs everteret, per scelera, & rabiem, in Virginis prosapiam est grassatus, ut Deus impietate progenitorum graviter accensus, spes sub conditione datas rescinderet. Sicut enim speraverat per peccatum Adami, dum totam speciem in ruinam protraxit; consilia Dei de felicitate

Prima ratio.

Altera ratio.

A hominis frustrata penitus prosternere, & hominem ad exemplum Angelorum, quos Deus sine spe liberationis, nullo relicto remedio, projecerat, desertum iri, dum pluribus progenitorum sceleribus sperabat posse rescindi contractum, & aboleri. At longè aliter cecidit, dum in summâ desperatione generis humani, & hostis exultantis victoriâ, summum omnium operum, quo scilicet Deus homo factus est, orbi præsentavit, quo per Virgineum hominem, hominibus prostratis subveniretur, ita & nunc eâdem providentiâ Deus homini per Virginem liberando subvenit, dum ex tanta nequitia multorum progenitorum educit spem & solamen totius generis humani Virginem, quâ natâ stabit, quâ B negatâ caderet salus humani generis. Redundavit ergo malitia Architecti dæmonis in propriũ caput, & consilia vafra in propriam ruinam, conversa cesserunt.

Quemadmodum Medici carne serpentis in Theriaca cõficienda soleter utuntur, quæ omnia ingredientia prono impetu ad cor deducat, & veneni artificio venenum depellatur; sic ex illis peccatis major gloria Virginis effulsit, dum talis & tanta ex tot tantisque malis, incontaminata processit. Verè lilium inter spinas.

Tertia ratio.

Verùm an non ideò ut perditi orbis Filius liberator, & Mater liberatrix esse nosceretur, & peccatores Patri reduceret per Matrem, quæ foret azylum & refugium peccatorum. Quare & absque peccati macula in similitu- C dinem carnis peccati fratribus suis peccatoribus cum sua benedicta Matre per omnia assimilari voluit. Annumeratur ergo Regum Ducumque Rex Regum Dei Filius corruptæ per diversos gradus suæ propagationi, ut ostenderet quod per Matrem suam Filius hominis misericorditer esse dignatus fuit, & cum peccatoribus & iniquis deputatus, ut se fidejussorem Patri pro peccatoribus exhiberet, & carnis suæ victima, carnem nostram corruptam medicaretur atque sanaret, & per orbem Jesus Christus Dei Filius suâ morte, & Matris intercessione, ex qua genitus, servator peccatorum prædicaretur. Et propter hoc ipsum maximè mirare: quia cùm verus, & D dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam filius David peccatoris esse dignatus, ut tibi servo, patrem faceret ipsum Deum. Placet & ista ratio.

Quarta ratio.

Verùm nõ inferior videtur hæc esse, Deum voluisse Dei Filium cum sua sanctissima Matre in album peccatorum referri, ut docti suorum Progenitorum malis luctuosis, & visâ tyrannide peccati, quâ sibi propinqui opprimebantur, ad suorum aliorumque salutem procurandam, per misericordiam incurvati flexique properarent. Placuit ergo Deo progenitores malè utentes liberò arbitrio, hisce luctuosis malis involui: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnia peccata deleret.

Magna

A Magna est sociatio legum Juris, & domicilij: at nulla major vis, quàm communio sanguinis, quâ homines inter se quasi in unitatem coalescunt. inardescit sanguis, & ebullit in iras ex ferino suorum tractatu. nemo suorum dira funera illachrymabilis spectavit. Quis amicorum siccis oculis spectabit ab Agamemnone filiam Jphigeniam sacrificari? quis vultum non compressit deduxitque in suspiria? naturam exuerit, cujus animus suorum ruinâ, & vulneribus non emollesceret? An non Brutus, cùm suos ad pœnam pro pulchra libertate vocaret, naturam vicit; dum domus suæ clade, & parricidio, favori libertatis assertæ, vilificatus est? An non patrem exuit, naturamque proscripsit; dum filios securi in foro protractos percussit, & in locum filiorum, fremente sanguine publicus parens populum Romanum adoptavit. Judicum 11. filia Jepthe, Patris sui triumpho infelix, dum immaturâ gratulatione victoriam fœdavit.

Hæc ubi sensit se morti in victimam à patre datam, luctum & ejulatum communio fortunæ & sanguinis indixit, & omnes ad commiserationem sui provocavit? Qualis verò tunc luctus clamorque cum lachrymabili ejulatum concitatus; cùm nudato niveo collo, Virgineâque cervice mucronis paterni, speciosissima Virgo adactum vulnus accepit? Omnes Tribus vulnus illud tanquam omnibus commune sensêre, quod à Patre communi, & unico Reipublicæ Duce in unicam hæredem librabatur.

Alto igitur Divinæ providentiæ consilio in salutem totius Orbis pessimi quique familiæ & stirpi sacræ Virginis inserti, ut dum jure, & lege naturæ, & amoris suos ab exitio vendicaret, in totum orbem commiseratio & pietas in salutis bonum redundaret, & malorum domesticorum experientia, communi calamitati prodesset.

Totus quisque incumbit medelæ, dum vulnus & strages in suis sentitur.

Virgo ergo & Mater misericordiæ, facta est excusatrix culparum generis humani, quas etiam sui progenitores incurrerant: quibus ut opitularetur, sanguine propinquo postulante omnibus & mortalibus subvenit. Hunc suum favorem, Proverbiorum 8. jucundè multis antè sæculis prælusit, cùm ait: *Quando appendebat fundamenta terræ, eram cum eo cuncta componens*: pacem scilicet inveniens, & mundo donans.

§. XIII.

Quare Deus tot bellatores pugnacesque Principes, Virginis stemmati insertos voluit.

ATtende ad consilium vaferrimi hostis. Sciebat humani generis salutem, stirpi Davidicæ & familiæ Judæ promissam: hinc ob insignem fiduciam in Deum; dum Principes tribuum vexillo arrepto primus, cæteris trepidantibus fidens Deo intravit: Davidi *Horrent mare rubrum calcare.*
B verò ob insignem pietatem, & admirabilis mansuetudinis stupenda facinora. Sciebat remedium damnationis æternæ per Mariam, nec aliâ viâ posse donari, quæ à stirpe Judâ, & sanguine Davidico traheret originem. Quid agat furiosa belua? advocat itaque omnes irarum artes furiasque, easque armat in exitium stirpis Davidicæ, bellatores populos concitat variorum regnorum, commovet prælia in stirpem Regiam, quò seriem generationis Marianæ rescindat; sperans scilicet Divini consilij turbulentis artibus posse rationes everti. At Divina providentia altiori consilio, furentis consilia fregit; dum bellatores, Reges Ducesque instar leonum suscitat, qui pro sanguine, & Virginis stirpe decertarent:
C erant hi ad bella doctissimi; quia cur bellarent, inquit Rupertus, causam præ oculis habebant; & ideò Proverbiorum 8. secundùm textum Hebræum, Maria vaticinatur, & dicit: *Per me Reges regnant*, & Principes, vel Duces habebunt principatum. Bis ergo mille annis decertatū est pro Virginis gloria; dum per Assyrios, dum per Medos, Persas, Græcosque cruentissima belua bellorum faces accendit; quibus omne conflagraret, quidquid Mariam spiraret: ideò Deus tot claras Machabæis victorias cælitùs dedit, ideò sceptrum in domo, & stirpe Judæ per tot sæcula non interruptâ propagine continuatum, juxta Scripturam Genesis vltimo: *Non auferetur sceptrum de Iudâ, & Dux de femore ejus*; donec
D *veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Audiamus Rupertum in lib. 3. Canticorum: *Vt lectum Salomonis custodiant sexaginta fortes. Magnum mysterium, & scitu dignum: quia*, inquit, *radicem, sive arborem bonum, quod erat genus Abrahæ, ad quem primum beati seminis repromissio facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium, vel Regum impiorum gladios exscindere, atque extirpare volebat: idcircò tempus illud, tempus belli erat; atque ideò ferreis gladijs tunc opus, ut genus Abrahæ propugnaretur: radix Iesse; genusque Davidicum cum totâ serie protegeretur, donec beata hæc Domina nasceretur, quæ contereret caput serpentis, & bellis finem daret: & portæ Iani clauderentur, & mundus positis armis, tandem pace datâ*

ce datâ respiraret: sicut enim nidificante Halcyone iras, & furores pelagus ad arburium volucris ponit, metuitq; fluctus attollere, donec suos natos juxta litus compositum ira excluserit. Sic ad adventum Virginis totus orbis, qui antè in seipsum micantibus armis concurrebat, pacatis vndiq; efferatis gentibus, bono pacis, jucundissimè conquievit. Attamen quia Draco semper æterna bella gerit cum muliere, quam scit mortalium arcem, præsidium, spem, Matrem denique salutis, conatur Virginis memoriam, cultúmque delere atque profligare.

§. XIV.

Cur prætereà ex Sacerdotali sanguine duxerit originem.

HOstis Virginis juratus Draco infernalis, cùm armis gloriam Virginis vinci, evertique desperaret, suscitavit impios, & sceleratos Sacerdotes, & Ecclesiæ filios: quales fuerunt Arrius, Nestorius, Eutyches, Lutherus, Calvinus, & cetera turba fanatica nebulonum, qui furore dæmoniaco perciti, omnes artes, & scientiam in Virginis decus, & famam abolendam converterunt, ut quod armis non possent, subdolis perfidiæ incantamentis Majestatem Virginis obscurarent: & si illud assequi non possent, amorem saltem, & ardentia populorum in Virginem studia extinguerent. Contra has orbis pestes, dedit orbi Deus primos Ecclesiæ sãctæ Principes: Augustinum in Africâ, qui unó verbo, tractatu 14. super *Magnificat* Tom. 9. ita extulit Virginis excellentiam, ut quasi uno ictu omnes hæreticos conficiat. *Audacter pronuncio, quod neque ipsa beata Virgo plenè explicare potuit, quod capere potuit.* Cyrillum Alexandrinum in Ægypto, quem crebrò citamus: & Romæ Magnum Leonem, verè leonem rugientem, qui tonitru, & fulmine suæ Majestatis, & potentiâ virtutis duos hæresiarchas Aulæ favoribus subnixos, Nestorium scilicet & Eutychetem, prostravit. An non undavit toto Orbe victrix opulentia linguæ, quâ Virginem tutatus est? In Hispanijs præ reliquis Ildefonsus, quibus lucubrationibus sanctissimæ Virginis gloriam, quasi totus tripudians, non extulit? Audi Hæretice, quo in pretio fuerit illi cæleste illud sidus libr. de perpetuâ Virginitate: *Domina mea, Dominatrix mea, da mihi spiritum Filij tui, ut possim de te digna loqui* Damascenus in media Zaracenorum barbariâ, quos fervores animi, quem stylum non advocet, ut saltem per vmbram tantam Majestatem celebraret? Audi verba lib. 4. cap. 15. de fide Orthodoxa. *Beata creatura quæ Virginem unà cum corpore animam conservavit, quæ Deum sinu suo esset exceptura.* Bonaventura cum Scoto subtilissimo, duo oculi, & soles Ordinis Seraphici, in speculo cap. 8. sic loquitur: *Virgo*, inquit, *est Mater, quâ majorem Deus facere non potest: Majorem mundum facere potest Deus, majus cælum: majorem Matrem, quam Matrem Dei facere non potest; quæ Majoris Filij Mater sit.* Damascenus Oratione de Nativitate, sic Virginem alloquitur: *O digna Deo filia, humanæ naturæ venustas, mulierum ornamentum!* Jgnatius in Epistolâ ad Joannem vocat *sacratissimum monstrum, & cæleste prodigium.* insuper vocat *animatum Dei templum, anchoram, portúmque tutissimum.* Cyrillus homiliâ 6. contra Nestorium vocat *templum inviolatum, Ecclesiæ fundatricem.* A Damasceno in Oratione de dormitione Virginis nominatur *verbi Mater, Paradisi reseratrix, paradisi delicia.* A Cyrillo Jerolosymitano, *Solis ortus, qui nullum potest ferre occasum, fons lucis, armarium vitæ, vitis uvas pulchras producens, radix omnium bonorum.* Ab Andrea Jerolosymitano, *Sancta tellus, ex qua novus Adam formatus est: sacrum Dei fermentum, ex quo Christi corpus, tanquam panis conficitur: domicilium cælo præstantius.* Ab Andrea Cretensi in Encomio de dormitione Virginis, *Christianorũ propugnatrix: omnis sanctitatis thesaurus: declaratio occultorũ & profundorum Divinæ incomprehẽsibilitatis: summa Divinorum oraculorum, Divini archetypi imago.* Super sedeo citandis omnibus Patribus & Theologis, qui omnes suis scriptis concordi stylo fatentur se impares in tantæ Majestatis laudationem, & illam majorem, quàm cogitatione assequi posset, non solùm hominum, verùm & Angelorum intellectus: sicut enim nihil potest Dei magnitudinem æquare, sic nec magnitudinem Dei Matris. Nostro hoc sæculo, prætermissis aliorum sæculorum Doctissimorum virorum choris, quos passim toto nostro opere in aciem stylo & calamo armatam produximus. Tota Universitas Parisiensis in Gallia, & Universitates Hispanicæ, totius Orbis alteræ Athenæ pro Virginis magnitudine, & sacræ suæ Majestatis imperio, contra omnes hæreses stant in suis stationibus vigiles, aut dimicare, vel ante pedes Dominæ cadere paratæ. Sciunt docentque Maximi quique viri, futuros illos beatos, qui Virginem sunt calamo, voce, & pulchris facinoribus illustraturi. Exclamat universus orbis cum sacra illa muliere, quæ plena Deo, infernales furias, & omnes Hæreticos confecit, altissimo præconio, & voce magnificâ intonans: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Deus ergo Virginis Matris suæ studiosissimus, per omnia sæcula Reges, Duces, bellatorésque, qui ferro & armis, & suæ vitæ periculo gloriam Virginis tutarentur, suscitavit. Longum foret Magnos Imperatores contexere, qui demeriti Virginis favores, se defensores sacræ Virginis præstitẽre. Constantinus Magnus suam Constantinopolim, quam nouam Romam vocavit, ejectâ nobili columnâ, in quâ

Acies Sanctorum Patrum.

quâ eminebat Virginis statua cum suo filio, Virgini sacravit, & Virginis urbem dixit. Magnus Marcianus, Magnæ Pulcheriæ conjux, Nestorianos & Eutychetes debellatos Patrum concilijs urbe ejecit. Justinianus verò, nisi primordia felicitatis misero exitu fœdasset, Imperatorum Maximus sanctæ Sapientiæ Matri scilicet Dei templum toto orbe famosum fabricavit: quantus ille in Virginis delicijs, studijs; quantus in cultu, & obsequijs impensis! Omitto ceteros Maximos Reges & Principes, qui Virginis Majestatem suis armis protexêre. Ad hæc nostra tempora veniamus. Philippus Tertius Hispaniarum Rex, de quo mentio suprà tacta est, quas curas & impensas non exhausit, ut oraculo Summi Pontificis Pauli Quinti immaculata Conceptio Virginis pronunciaretur. Verba pijssimi Regis suprà citata prætermitto: & quo stipendio militavit Virgini? an non totius Monarchiæ incolumitate? Quantus Serenissimus Rex Poloniæ Monarcha Stanislaus? hic ut amorem in Virginis Immaculatæ Cōceptionem heroïco facinore testaretur, se voluit scribi Præfectum tutelarem Sodalitatis Immaculatæ Conceptionis; quam primaria totius regni nobilitas, & nobilissimus quisq; Principum maximorum sanguis complexus est. Stat ergo tota Monarchia Polonica armis, & victorijs irradiata, pro Virgine aut dimicare, aut mori parata. Floruit etiam Monarchia Hungarica regnāte Stephano eximio cultore sanctissimæ Virginis: & quâ mercede? regni amplificatione, pacis tranquillitate, & gloria bellicæ laude, hostibus formidabili. Ferdinandi Secundi cultum, venerationem, & amores in sanctam Virginem constantes si protulerim; Jliadem confecero.

§. XV.

Disce Lector ex hâc genealogiâ summam rerum vanitatem.

QVicumque attentâ mente legit contextum familiæ Virgineæ, clarissimè leget oculis summam rerum humanarum inconstantiam: & Reges ex Pastoribus ortos, & Reges in Pastores, vilesque operas degenerasse. Exclamo ubi tot Regum Ducumque sanguine fundata domus? concidit inclyta domus, & sceptra ad malleum, ad securim, ad serræ stridorem, ad sarmenta redacta. Verè dictum est: Omnia orta cadunt; nihil sub Sole diuturnum: omnia minuit teritque vetustas. Agathoclem à luto ad regnum fortuna traxit: quare & gloriari solitus in mensâ, ostentans fictilia vasa: *Hæc ego*, inquit, *aurea feci*. An non eadem fortuna à purpurâ ad crucem traxit? Primislai Regis Bohemiæ calcei lignei Regibus inauguratis præferuntur; qui à stiva ad purpuram translatus. Dionysius Junior à regno ad magisterium, & ludum literarum devolutus: *Pater*, inquit, *mihi regnum reliquit, non suam fortunam: non enim omnia omnibus feliciter cedunt. Quare & tantùm potuit in me fortuna insolens.* Porus Rex Indiæ à Magno Alexandro victus, ac deindè rogatus, quid ipse victorem statuere debere censeret; regiè non quasi victus respondit: *Quod hic dies tibi suadet; quo in me expertus es, quàm esset caduca felicitas.* Vide Curtium; quicumque volet videre ludum fortunæ insolentem, evoluat tum Imperatorum Constantinopolitanorum tragicos exitus; tum Antiquorum Romanorum: fabulam dixeris. Julius Cæsar in summo apice rerum datur in terram viginti quinque vulneribus confossus. Pompeius, qui tres Orbis domuerat partes, vix tumulum invenit, à semiviro trucidatus. Benè Zachariæ 7. omnia imperia ventis comparantur. Et Danielis 1. somno: quando Nabuchodosor in somno vidit statuam omnia regna delineantem. Et cur tam inconstans, lubrica, fragilis, perfida fortuna Regum, quæ nunc clarificat, quos desertos premit? An ideò, ut Lucanus lib. 1. de Bello civili canit: Curtius lib. 9.

Sive nihil positum est, seu sors incerta vagatur
Fertque refertq; vices, & habens mortalia casum.

Seneca in Hyppolito fortunæ hanc vim tribuit, quasi illa possit, cùm fortuna nihil sit. Audi illum:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit spargitq; manu
Munera cæca, pejora favens.

Et Ovidius, Epistolâ ad Liviam:

Semper per hos etiam fortuna injuria mores
Regnat, & incerta est, hic quoque nixa rota.

Et lib. 4. de Ponto:

Hæc Dea non stabilis, quàm sit levis, Orbe fatetur
Et summum, dubio sub pede semper habet.

Hanc fortunam & Seneca in Octaviâ agnovit:

Quid me potens (inquit) fortuna fallaci mihi

Blandita vultu: forte contentum meâ
Altè extulisti, graviùs ut ruerem, editâ
Receptus arce, totq; prospicerem metus.

Verùm sapientiùs Satyricus Juvenalis, Satyra 10.

Nullum Numen abest, si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortuna Deam, cœloq; locamus.

Discant Reges ex Philone de pœnis & premijs, tria esse, quæ regna cõservant perennantque: *Majestas* scilicet, *quæ reverentiæ*; *gravitas, quæ timoris*; *beneficientia, quæ amoris conciliatrix*. Discant ex Salomone Proverbiorum 20. vers. 23. documentum: *Iustitia*, inquit, *ac veritas custodiunt Regem*; *& clementiâ roboratur thronus ejus*. Regem nasci non magnum est, at regno se dignum præstitisse. Da mihi Regem egregium, pium, sanctum atque magnificum: dabo fundatum regnum constansque.

Verùm ubi crescentibus vitijs cũ magnitudine imperij, & incognitâ felicitate opes, & luxuriæ libertas depulso timore Dei subintrant, necesse esse magnitudinem mole suâ concidere, quæ solo Deo sustentatur: ille est, per quem Reges regnant, & quibus regna aufert propter injustitiam & scelerum immunitatem. Quare & Virginis magnifica prosapia tot victorijs & magnitudine rerum illustris, in cineres versa est; quia reliquit Deum regni fabricatorem. Pastor ovium sceptrum fundavit, & fundatum stetit per annos quamplurimos; nam ab vnctione regis Davidis, quæ contigit anno mundi 2979. vsque ad Sedechiam vltimum regem Judæ intercesserunt 437. tolerato carcere infami Nabuchodonosoris 37. annis, & tandem Faber lignarius inanitatem sceptrorum demonstravit. Quare ijs quibus parantur artibus, regna conservanda.

§. XVI.

Tesseræ gentilitiæ bujus Nobilitatis.

Egimus huc vsque de Virginis Sacrosanctæ Regia nobilitate; superest ut debita nobilitati sua jura persolvamus. Antiquitas ergo quo Majorum gloria in Posterorum memoriam altiùs descenderet, & cotis instar, virtutes ad æmulationem accenderet, familijs famâ rerum gestarum gravidis imagines & statuas donari voluit; ut eorum aspectu quotidiano graviter moverentur. Tesseræ deinde gentilitiæ inventæ, quibus familiæ nobilium, discriminatæ secernerentur, & aliorum varietate tinctæ statim cunctis innotescerent. Tesseræ ergo ab omni memoriâ, seu signa Regibus vel viris rerum gestarum gloriâ claris; vel à populo oblata, vel arrepta. Sic docet Seneca in Theb. aurea clarum nota.

Tessera gentilitia cur inventa.

Nomen Ducum vexillâ præscriptum ferunt.

Et Suetonius in Vespasiano: *Assensère cuncti nomenq; ejus in vexillis omnibus sine morâ inscripserunt: inscribebatur & cum titulis: Hic Cæsar & Augustus.* Sic Numer. 2. cap. 2. versiculo 2. singulis Tribubus sua vexilla data, tanquam tesseræ gentilitiæ. Quare & tunc Tribui magnanimæ Judæ obvenit tessera gentilitia nobilis leonis; ad Jacob morituri augurium: *Catulus*, inquit, *leonis Iuda*, quæ cunctis trepidantibus, Deo fidens prima posuit gressus in pulvere marino, & iter stravit per mare divisum, utrimque frementibus & minantibus instar montium gravidorum undis. Sic & Argonautæ devicto vigili dracone, spolium suæ victoriæ domum reportantes, spolio, tanquam opimo, vellere scilicet aureo sese exornarunt. Hoc idem in familiam suam Philippus Bonus Burgundiæ Dux transtulit, & per connubia Domus Austriaca utrumque orbem complexa, hæreditario jure possedit. Aquilam volucrum Dominam, tanquam victoriæ omen, Roma Orbis Domina sibi in tesseram gentilitiam sumpsit. Alexander Magnus, Aristotelis consilio, cuique Macedonum Tribuno fortissimo vexilla distribuit in fortitudinis præmium: *Honos alit artes, & Martem.* Babylonij tres Elephantes tribus coronis insistentes. Sicut & Asiæ populi cœtum pusione insessum elegerunt. Quàm plurimæ familiæ rosas varijs areolis, & coloribus distinctas. Sata sine numero (nunc tria) aurea Lilia in areolâ coloris Saphirini, vetus Regum Galliæ tessera cœlo missa. Sunt qui virentes arbusculas, & prominentes ex collibus senis argenteolis intra scuti areolam conchyliatam: sunt qui & arborem morum prasinam in argentei metalli alueolo: nonnulli cupressos prasinas in truncis astrictas puniceo loro, cujus nodum extremum excipit anchora, delegerunt. Arma itaque & tesseræ gentilitiæ sunt institutæ vel ad significandam actionem, vel conditionem deferentis, vel ut bellicam virtutem significarent. Ut Agamemnon cùm caput leonis rugientis, vel Heroïcam felicitatem virtuti adjunctam; ut Demosthenes, cùm inscripsit Græca Epigraphe ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. Et Theodosius Magnus vexillo inscriptum nomen: *Salus parta victoria.* Felix qui non degeneri vitâ circumfert Majorum virtutes, aut ferro, aut marmori incisas, sed vivens est suorum simulacrum: qui enim genus

Aurei velleris initium.

Varia tessera & symbola.

Inscriptiones tesserarum.

genus jactat suum, aliena laudat. Perit omnis in illo nobilitas, cujus laus est in origine sola, sed qui partem tituli non summam ponit in illa. Quorsum hæc omnia? Ut ostendam nihil defuisse laudis sanctissimæ Virgini in hoc genere magnificentiæ, & præmij. Voluit Deus varijs gentilitijs tesseris Matrem suam exornatam. Poterat illi Pentagonum Antiochi dedicari cum inscriptione ὑγιεία: seu tres triangulos implexos, aut Demosthenis bona fortuna, aut Theodosij, *In vexillo salus*. Ipsa enim est orbis sanitas, bona fortuna, & salus totius orbis. Poterat & optimè accommodari pro certa tessera gentilitia hieroglyphicū Constantini Magni, de quo Eusebius in vita Constantini libr. 3. Imago Constantini picta, cruce super caput sita, & sub pedibus draco confossus. Et quo telo confossus draco infernus? nisi à Maria per crucem Filij, qui est imago Matris? Poterat & pulchrè stemma gentilitium summi nostri Pontificis Innocentij Decimi sumi, qui in totius generis humani spem vltimam in supremo exitio, prostrato tot annis per strages orbe, datur: videtur, columba scilicet argentea, post tot ferreos annos, ferens ore ramusculum prasinum cum ternis auratis Lilijs, instar columbæ Noëmicæ, ramum oleæ. O utinam pacis, qui fera, & Christianorum per fraterna vulnera, bella sanguine inundantia compescat, & furias clauso Jano, toto depellat orbe! Liber & Canticorum poterat offerre materiam, qui & amorum redundat gentilitijs signis, quibus Virginis librum, & animam Deus exornat. Verùm hisce supersedebimus, & utemur coronatis arboribus, & scutis, & areolis, & colotibus quibus seipsam exornat, & extollit, atque deprædicat. Diximus enim tesseras gentilitias ea de causa institutas, ut actionem, conditionem ferentis, gestantis, vel Heroicam virtutem significent. Heroicas suas ergo virtutes ipsa dabit in suis gentilitijs, quas assumpsit, tesseris.

§. XVII.

Prima tessera gentilitia, est arbor Oliva.

PRinceps & Regina arborum sui fœcunda nobilitate, & nobilis fructus excellentia affert, & semper inter omnes arbores extulit caput Oliva. Et sanè cur non omnibus præmineret, quæ sola parit fructum generi humano non solùm necessarium, non solùm utilem, non solùm jucundum, *Oliva dignitas.*

sed qui instar Pandoræ, plurimarum virtutum thesaurum continere plenè videatur. Non itaque humano satu, & congestu bonorum admirabilium, sed Angelico totius donativo terris collata cum fructu salutifero arbor videri posset. Introspiciamus opulentiam: si continuam vis juventam? Folia non decidunt, semper virore lætatur suo. Quare & Chrysostomus verisimile putat, cùm aquæ Diluvij in orbem detonuissent, illam arborum solum comâ integrâ in medijs illatrantibus undis viguisse, & securam damni superstitisse. Oleæ liquor membra recreat, ut vini potus, vires, corpus astrictum tepefacit, mollitque, contra algorem munit, fervores capitis refrigerat, membra agonistarum rigida lubricat, & agilitate ad certamina mollit Olympica, vel gladiatoriam arenam. Unde & Magnus Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 7. proposi. 3. docet *Baptizatos oleo inungi ad certamen ineundum, quasi Christi Athletas*, atque tunc quidem olei unctio baptizandum avocabat ad sacra certamina. Quare & Christianorum corpora mortua oleo perungi consuetum. Audi eundem Sanctum: Nunc autem infusum oleum, designat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum. Tanto præterea in honore erat olea; ut ea, teste Aristotele in Pantheo, victores coronarentur. *Olea*, inquit, *Callistephanos vocatur, cujus ramis in Olympico certamine victorum caput incingebatur.* Deinde Dionysius in oleæ laudibus illud recenset, veteribus inde constitui trophæa, nam & olea victoriæ symbolum. Eadem, quæ victoris erat decus, & supplicis erat signum & sacra tessera. Sic Poëta varij Thebaidos libr. 12.

Diluvio in superstes Oliva.

Virtutes olei.

Cur Christiani mortuos ungebant.

Victoriæ signum.

Mitte nemus circa, cultúque insigne verendo
Vittatæ Laurus, & supplicis arbor olivæ:

Supplicis arbor, per quam petitur aliquid supplicando. Est præterea & pacis, & misericordiæ, & mansuetudinis symbolum: quid enim lenius, & oleo tranquillius? Quare Joannes Sinæ Monachus scribit, oleo rabiem maris poni, utre scilicet in mare misso. Quis non mirabitur, olivam vocari speciosam? cur speciosa? an non ideò, quia dicata Virginitati, apud veteres Palladi Deæ Virginitatis, cujus est etiam inventrix? Merito ergo Pallas, quæ innupta Virgo prohibetur, oleam sibi adscivit, quòd hæc non minùs puritate delectetur, quàm ipsa Pallas. Græci enim, ut Rutilius Taurus ait, *jubent Olivam, cùm plantatur, ejúsque fructus leguntur, à pueris, & Virginibus operandum. Credo*, inquit, *eos recordatos, huic arbori castitatem præsidere.* Florentinus quoque de re rustica, tradit

Pacis symbolum.

Oliva cur speciosa vocetur. Palladi sacra.

Castitati præsidet Oliva, & quæ à puris manibus vult tractari.

tradit adeò puram esse, ut collectores non puros indignari videatur, & solùm puros amet, atque ideò qui ad collectionem fructuum accedunt, jurant se non aliundè, quàm ab uxore suâ venire. Dignum prodigium legi: atque ita fieri, ut sequens annus uberiore proventu redundet, & lætiùs proveniant fructus.

Præcipuè verò ajunt Anazarbi, quæ est Ciliciæ civitas, oleas esse fœcundissimas, quoniam à castis pueris tantummodo leguntur. Vide Pierium 53. Hieroglyp. cap. 16. undè & vox communis; oleam puram à puris quoque olivantibus præcerpendam, jurejurando etiam adactis, cum uxore tantùm sibi rem fuisse, nec alienam attigisse. Supersunt nonnulla dicta mira, & fide tamen certa, teste Florentino, undecimo Georgicorum teneri; viti insitam oleam, non uvas tantùm; sed & olivas ferre; de quo posteà.

Olea quando uvas ferat.

Haberi quoque id genus arborum in Lybia; & vocari gentium istarum vocabulo, *Vbolima.* Alterum est: oleam magnis incrementis crescere, & luxuriari inexpectatâ ubertate fructuum; & lætiùs adolescere, si grandioribus caloribus feriatur, & æstuet. Calor ergo, vita oleæ, & è contrà, frigus, sterelitatis causa. Tutela verò oleæ, rigor terræ & austeritas. Undè si glycyrrhizam, circa truncum & circa stipitem radices agat; oleam sensim rabescere. Deinde si agrestis sit & insipida; sale & aceto macerari, & mausuescere, quæ rigida sit. Vltimum; nisi pistillis olea contundatur, oleum non dare; sed pertinaciter clausum tenere. Hæc de naturâ olivæ.

Caloribus gaudet olea.

Nunc proferendum est Orbis & cæli judicium de Olivæ dignitate. *Romana Majestas*, ait Plinius, *magnum oleæ honorem præbuit; turmas equitum Idibus Iulijs ex eâ coronando; item minoribus triumphis ovantes.* Atheniensium verò Duces ad bellum profecturi ex oleâ sacrâ coronari solitos.

Honor oleæ delatus.

Vide Alexandrum ab Alexandro cap. 3. Spectemus & audiamus censuram cœli. Legitur apud Auctorem, *ἐκλογῶν περὶ γεωργίας* libr. 9. terram initio obrutam aquis; primùm, Atticam emersisse: ejus amore ducti Neptunus, & Minerva, de Civitatis constituendæ nomine litem intendêre: Jovi complacitum ejus esse vrbis Pontificium, qui pulcherrimum excogitasset munus. Tunc portubus & navalibus ab Neptuno Vrbem excultam (quamvis alij addant; præter hæc & equum excogitasse) Minervâ oleam producente, in Acropoli: quo munere tam nobili Superiorem extitisse. Undè & institutum; oleastro victores coronare. Quare & clava Herculis ex oleastro fabricata; quasi clementiâ & robore omnia paterent victoriæ. Alio argumento ingenio Gentilitas oleam decoravit. Nemo ignorat arborum genera Numinibus dicata perpetuò servari: Jovi Æsciuis: Apollini Laurus: Veneri Myrtus: Herculi populus: ac denique Baccho viris sacra. Mirum dictu, ut Sapientiæ Deæ, oleam inauguravit, quasi tesseram sapientiæ propriam. Et quid aliud voluit, quàm summam sapientiam ex Jovis cerebro natam, non nisi misericordiâ, & clementiâ, & virore Justitiæ regnare, & optimum illud Regnum, quod hisce virtutibus constat: sicut & oleum optimum, quod ex acerbissimâ olivâ? Quare & Jovem ipsum oleâ coronari à veteribus proditum, perpetui viroris ratione, & emolumenti: vel ob glauci coloris cum cœlo similitudinem.

Cur clava Herculis ex oleastro fabricata.

Cur olea Sapientiæ dicata.

Clementiâ & virore justitiæ stat regnum.

Quorsùm hæc tam longa Oratio, & laus olivæ, nisi ut pateat, quàm alto consilio Virgo in summum gentilitiæ tesseræ decus sibi desponderit, dum ait: *Ego quasi oliva speciosa in campis.* Ecclesiast. 24. v. 19. Vide Lector, ut singulæ olivæ dotes, singulas Virginis virtutes eloquantur. Excedit omnes arbores oliva cum suo fructu: excedit Virgo cum suo Filio benedicto omnia creata. *Vna est*, inquit, *amica mea, una columba.* Olivæ juventa perpetua folijs virentibus: in Virgine æternus flos puritatis, & innocentiæ.

Virtutes olivæ in Virgine affluunt.

Olivæ coma viridis, in medijs Diluvij undis perstitit: & Virginis Justitia intacta in diluvio peccati originalis. Oleum corpus mollit, munit, roborat, aptat ad certamina. Cujus peccatoris pectus non mollit Virgo, roborat & armat in futuros Athletas, quin & mortuos peccatis, ungit rore pietatis, ut vitam redonet? Olea coronat victores: Virgo procurat suis & victoriam, coronasque. Olea supplex: Virgo dextram prætendit supplicem irato Filio. Olea sedat iras maris furentis: & Virgo iratum Filium. Illa in medijs ipsius Justitiæ fragoribus, & vindicta diluvij, nullâ potuit aquarum, id est, iratum Divinarum eluvie absorberi, instar columbæ Noëmiticæ semper virentem ramum suæ misericordiæ prætendit. Olea puritatis Virgineæ symbolum: an non Virgo & inventrix, quæ vexillum Virginitatis intulit orbi, nec nisi à puris vult, aut amat tractari? Placuit Theophrasto causam olei, esse calorem (ut dictum suprà,) quare & in torcularibus, & in cellis multo igne quæritur. An non Virginis exæstuans in genus humanum charitas, causa tantæ pietatis & misericordiæ, ut dicatur, Canticorum 6. *Oleum effusum, nomen tuum?* Mirum dictu: rigore, & austeritate oleum servari.

Applicatio virtutum SS. Virgini facta.

An non Virginea castitas à Virgine concessa,

cessa, austeritate & duritie, quæ mollitie A soluitur, conservanda? Luxus, & lautitia emorientis symbola castitatis. Pistillis adacta fundit oleum, libr. 16. cap. 19. Ita & castitas sui maceratione & cilicijs. *Falsus*, ait Plinius, *hominum error, existimantium, oleum crescere, oliva carne; cùm succus omnis in corpus abeat, lignúmque intus grandescat. Falsus hominum error, existimantium puritatem animi, & Virgineum florem inter delicias servari posse; & cùm in carnem, ventrémque spiritus degenerat, spiritui posse vivere.*

Tessera ergo gentilitia Virginis, est oliva; quæ utique & Filij sui tessera: Filius & Virgo sunt duæ olivæ in cælis, & in terris; quales vidit Joannes in Apocalyps. cap. II. vers. 4. *In terris hi*, inquit, *sunt duæ olivæ; & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Mater ergo & Filius ramis suarum olearum coronati, mortales coronant in misericordia, & miserationibus; ut in æternum triumphent. Verùm tanquam Athletas nos priùs ungit Filius natos, ungit robustiores, ungit & morituros: ungit & Mater, quos lactavit, toto vitæ decursu, oleo suæ misericordiæ. B

Christus Dominus & S. Mater duæ olivæ.

Quid est ungi à Filio? & quid est à Matre? nisi fieri participem virtutis utriusque, omnia valentis? omnia bona præstantis? omnia instar olei penetrantis? An non oleum lumen auget, fessos sublevat? labores lenit? hilares facit? nitidos splendidósque facit? an non eadem præstat gratia, & Divina utriusque virtus?

An non ideò Reges, & Prophetæ, & nostri Hierarchi sacro oleo imbuuntur, ut innotescat eos imbui virtute Divinâ? & hoc fine, ut eamdem in populum diffundant, ut oleum sese diffundit? Sicut ergo Christus Dominus unctus est, & sanctissima Mater uncta oleo exultationis: ille, quia à primo sacræ Incarnationis suæ puncto fuit repletus ex debito Justitiæ Spiritu sancto, ut scilicet diligeret Justitiam, & odio haberet iniquitatem: & hæc, repleta Spiritu sancto, eodem momento quo corpori unita anima, ut tanquam Mater Messiæ exstirparet omnem iniquitatem, & omnem diligeret Justitiam: ita & nos ungimur, ut odijs persequamur improbitatem, & ambiamus Justitiam, & repleamur Spiritus sancti gratiâ.

Cur Christus Dominus cum Matre uncti oleo.

Deindè sicut Christus Dominus, & Mater uncti oleo gratiæ per suam Justitiam, & sanctitatem sunt adepti gloriam: Christus gloriam corporis, Mater animæ & corporis, & thronum & regnum utriusque machinæ: sic & nos uncti gratiæ oleo; mereamur ungi oleo exultationis. Tu ergo Christiane, vigila, & pervigila: pugna tanquam Christi miles sub uncto capite, & ideò ab uncto Christianus vocaris.

Perge, age, vince omnem miles virtute laborem, & quantum humani possunt se tendere gressus, arduus accelera. *Labora*, ut ait Paulus. 2. Timoth. 2. *tanquam bonus miles*: luceas unctus, luceant uncta arma, luceat mens uncta virtutibus, & sta in arena, nec unquam arduis deficias rebus.

§. XVIII.

Ad Mores.

Cum sanctissima Virgo sit speciosa oliva, & eadem primaria sit ejus tessera gentilitia? vis ergo & tu nomen, tesseram, & arma tantæ Matris gestare, esto filius olei: sicut Josue filius Josedech, & Zorobabel, Zachariæ 4. vers. 14. *Filij* dicuntur *olei*. Quid oleum, nisi misericordiam designat? hæc sit tibi vitæ comes, & viventi & morienti, & viro & seni, ut sit tibi senectus in misericordia uberi, juxta Psalm. Hebraicè olei. Unde Hieronymus vertit: *& senectus mea in oleo* C *uberi.* Tres apud Hebræos inaugurati ungebantur: Pontifices, & Sacerdotes tanquam Deo sancti, & secreti à populo, ut Deo litarent: deinde Reges, ut misericorditer regnarent: ultimi erant Prophetæ, quia tanquam intimi Divinorum consiliorum Secretarij, in quibus tanquam domicilio Deus dicebatur residere. Christus Dominus hanc triplicem dignitatem cum sua Matre obtinuit: ille Sacerdos semel secundùm ordinem Aaronicum, dum se in victimam, & holocaustum dedit: Sacerdos indè in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

Apud Hebræos tres personæ ungebantur & cur.

Deindè inauguratus Rex Regum, à D Patre suo æterno unctus. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Undè & Isaiæ 5. vers. 1. *Filius olei* vocatur. vel ut alij interpretantur, *vir olei*, quasi totus ex oleo, id est, misericordia conflatus.

Propheta dein, imò Prophetarum Princeps delectus à Deo, juxta illud Deuteronom. 18. vers. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* & ibidem numero. 18. ejusdem dignitatis titulos adepta est Virgo: Sacerdos, quia Filium litavit: Regina, quia peperit Regem: deindè prophetissa, Prophetarum Regina, quæ Regium & celsissimum

Christus Sacerdos Rex Propheta sic & Mater.

mysteriorum omnium consilium peractum promulgavit. Tu te Deo lita, ut Sacerdos in victimam: esto Rex, tu tibi impera, & tanquam vir olei proximo misericors: esto Propheta plenus Deo, non tam alijs, quàm tibi, & tãquam sapiens unum cogita, unum cura, ut possis tibi vaticinari æternæ salutis certam fiduciam. Symbolum sit, & tessera gentilitia Oliva; tanquam fortunatus Matris tuæ Olivæ surculus.

Dute talem exhibe.

§. XIX.

De secunda tessera gentilitia, quæ est Vitis.

ALteram Tesserã sibi ipsa Virgo definivit, & arrogavit, cùm ait, Eccl. 24. *Ego*, inquit, *quasi vitis fructificavi*, id est germinavi *suavitatem odoris*, & flores mei, flores honoris & honestatis. Græcia verò, & Romana sic habent: *Ego similis viti germinanti gratiam, & flores mei, fructus sunt gloriæ & divitiarum.* Complutenses legunt pro gratiâ, εὐωδίαν, id est suavem odorẽ. Tigurina verò Lectio: *Ego quasi vitis odora emisi gratiam, & flores mei, fructus gloriæ sunt & divitiarum.* Magnam admirabilitatem parit hæc tessera in priorem inserta. Quid Olivæ Virgineæ cum luxurioso vino? *Nolite bibere vinum, in quo est luxuria*, Proverbiorum 23. Quid Palladi, id est, Deæ Sapientiæ, cum Baccho, Deo dementiæ? Audi sensum cujusdam Epigrammatis:

Vinum inimicum Sapientiæ.

Quid me stringitis palmites Bromij?
Ite, recedite. Virgo sum,
Ne Virgo dicar ebria.

Prohibet Regibus vinum Spiritus sanctus Proverbiorum vltimo. *Nolite vinum dare Regibus, ne fortè obliviscantur judiciorum.* vinum quippe obliviosum, in metropolis vitiorum, malorumque. Res plena periculis est vinum, & tumultuosa ebrietas. quicumque eâ delectatur, non est sapiens. Quare & Homerus apud Stobæum, virum quamvis sapientissimum cantare, molliter ridere, & tripudiare compellit. Quare & alij vocant naufragium castitatis, quam vincit, & regit vini potens furor. An non totâ mente Bacchus dominatur potens; nec regi potest, qui frænos indomitus non patitur? ventris obscœni, & Veneris fœdæ causa, & cibus est & vinum, & luxus & otium: his alimentis nutriuntur inter læta fortunæ bona. Vis exstinctum amorem? Vis exstinctas sine luce faces? Vis vires maceratas cupidinis? tolle, quæ faciunt ut ames.

Naufragium castitatis, vinũ.

Benè Aristophanes dixit, Ἀφροδίτης γάλα τὸν οἶνον. Omnis ergo excessus & senibus declinandus, & velis remisque fugiendus. adultis enim citra noxam nõ ingeritur, ad iram enim & libidinem agit præcipites, ac rationis vim hebetat, obturbatque gradu dejectam. Optimè ergo Plato docuit, *Vinum hominibus datum à Deo, quasi remedium adversus senectutem, ut redire ad juventutem videantur, & tollant inductã lætitiã mœrorem.* Quàm infiniti dant tributa metuenda, & inexorabilia sui excessus? An non, ut Poëta canit,

Ennius ipse Pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores?

articulari scilicet morbo consumptus. Ille, ille de quo apud Silium, Apollinis oraculum

Hic canet illustri primus bella Itala versu
Attolletque Duces cœlo. tunc mersit acerbo
Funere, dum vino mergit.

Pudeat Christianos, & Religiosos meracius bibere, & illud in aures insusurrare, quod scribit Herodotus à Scythis fieri, dum magnis præliantur culullis ad insaniam, ἐπισκυθίζειν, Scythissare. An hujusmodi venter non spumat in libidinem? Optimè ergo vinum naufragium castitatis vocatur; quia sine Cerere & Baccho friget Venus. Verùm regnis, & magnis consilijs, & rebus agendis infestum malum. An non regnorum, & rerum agendarum unicum robur, arcana secretorum tutela? an non vinum omnia retegit? seclusa pandit, publicatque? Hoc Rex Regum docuit, Proverbiorum 31. *Nullum secretum, ubi regnat ebrietas.* Quare & præcipitur, nè detur Regibus vinum: *Noli Regibus ô Lamuel dare vinum.* Proverbiorum vltimo. An non ideò, quia exuunt vim regnatricis potentiæ? Quare & Chaldaicè fortius imperatur: observa te à Regibus ô Lamuel dare vinum: observa te à Regibus, qui bibunt vinum, & à potentibus, qui bibunt siceram. Bene dixit ille, qui dixit, οἶνον πηδάλια οὐκ ἔχειν, vinum carere gubernaculo. Pulchrè Chrysostomus de ebrietate: *Quemadmodum*, inquit, *in navibus plurimùm onustis, vel quæ aquam per rimas bibunt, non maris tranquillitas, non multitudo nautarum, non instrumentorum apparatus, non scientia gubernatoris, non tempus anni commodum, nec aliud quidquam ita navi se habenti prodest, ita & his, qui luxu affluunt, & vini plurimum hauriunt; non scientia, non doctrina, non exhortatio, non institutio, non consilium, non metus futurorum, non pudor, non aliud denique quippiam prodest,*

Vini horrẽda mala.

prodest, quo servare animum ita fluctuantem prodest. Verùm ad hanc vitam præsentem inutilis est is, qui talis est. Vini ergo amator similis navigio pertuso, & bibulo undarum. Et Seneca Epist. 28. *Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante; ita nec secretum; & quod suum est, & quod alienum effundunt.* & addit: *Quemadmodum ipsa dolia musto rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat: sic vino æstuante, quidquid in imo jacet abditorum, effertur & prodit in medium* Hinc illud Prochori apud Athenęum libr. 2. non solùm seipsos, ἐμφανίζειν, sed & alios ἀνακαταλύειν, detegunt, & sæpè in ruinam trahunt. Undè & paræmia nata, *In vino veritas.* Quare & Reges solent explorare non ferro, non minis, sed leni tormento, id est vino, quos suâ judicant dignos amicitiâ, juxta illud Horatij: *Tu lene tormentum ingenio admoves plerumque duro: tu sapientum curas, & arcanum recluso retegis Lyæo.* Quare & Plato lib. 8. de Republicâ: *Vir ebrius tyrannicum gerit animum. Vinum enim mentis arcem, quasi tyrannus occupat, & ipsam redigit in servitutem. Quid aget animal rationale, læsâ ratione? nullum merum, juxta Maandri sententiam potest pauca sapere, anima sicca sapientissima, & optima.* Pulchrè Eubulus apud Athenæum, Bacchum sic inducit loquentem: Viris prudentibus tres pateras misceo, primam, quam sanitatis, secundam, quam amoris, tertiam, quam somni voco. Tu sapienter utere gladio. Nota paucis illud dictum Æschinis. *Speculum est formæ, vinum est mentis.* Ingens mentis custodia, vini abstinentia. Magnum elogium cœlo missum Joanni, *Vinum & siceram non bibet.* Quare & Arnob. libr. 22. disputat. contra gentes, magnificè laudat Matronas Romanas, quod vini potionibus abstinerent. & lege 12. Tabularum. *Si vinum biberit uxor, domi, ut adultera puniatur.* Quid enim vinum, nisi vi expugnās castimoniam. Et quid vino sumpto, vinum, nisi Venus in venis, ignis in igne fuit? Miscet incendia vinum, dum mentem solvit. Undè & Lyæus dictus à verbo λύω, quòd solvere significat. *Benè solvit mentem, dum innumerabiles,* ait Augustin. ad Virgines, *qui diu dominationis jugum recusantes, vinolentia in alienum redegit arbitrium.*

Vini amator similis navi pertusæ.

Proditor secreti vinū.

Vinum mentem instar tyranni occupat.

Laus sobrietatis à vino.

An non Clitum sibi charissimū transfodit ebrius Alexander Magnus? Quo facinore ubi sobrietas mentem reddidit, ita fuit exterritus, ut easdem manus sibi pararet, nisi prohibitus fuisset. Et quem tot itinera, tot prælia, tot flumina ex alto cadentia, & maria securum demiserant, Herculeanus Scyphus submersit. Pulchrè & scitè dignum: *Ignem in gremio gestat, qui sæpè utitur vino:*

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas:
Vino sæpè suum nescit amica virum.

Ignis est devorans mentem, & rationem absorbens. Huc usque vini vitia; quæ vini non sunt, retexuimus. Vitia sunt hominum, qui rei nobilissimas dotes admirabiles, in pravum sine consilio vertunt abusum. Quid nobilius Dei gratiâ, quæ quodammodo ex ore Dei procedit, & dotalis est felicitatis nostræ pars maxima, quæ homines participes facit Divinæ substantiæ, Deiqueformes? an non summam gratiam, & primus Angelorum in cœlo, & primus parens in terris verterunt in suum exitium? Hæc est potentia liberi arbitrij, ut optima quæque corrumpat vasterque. Ad institutum veniamus.

Vinum ex se bonum verum abusus malum.

§. XX.

Quare se viti comparet Virgo sanctissima, & eam sibi in Tesseram gentilitiam assumat.

AN non vitis omnium terrarum pars optima; gloria & voluptas Orbis vitis? an non Deum, & homines exhilarat lætificatque? Deum; quia Deo sacra, & sacrificijs dicata vina, in libamenta; homines, dum vivaci spiritu, novam quandam inspirat vitam & juventam: nubila enim mentis dispergit; Solem serenitatis reducit, lætitiæ dator mœrorem pellit, & addit pauperi cornua, Regemque facit. Pulchrè Alcæus monet: Nullam aliam arborum prius vite severis. An non electissimam optimamque terræ partem dixeris vitem? Audi Poëtam:

Dignitas vitis.

Vinea terrarum pars optima; rurū ocellus;
Autumni es prima gloria, ruris honos.
Cœlum te dicam? nam quot cœlo astra refulgent,
Tot nitidis astris æmula poma tenes.

Undè & Græci χαριτοδότην vocarunt, id est, gratiæ donatorem. Plutarchus lib. 7. Symposia c. Problem. 9. εὔβουλον vocat, id est, bonum consiliarium. Modicè enim sumptum acuit ingenium: immodicè obtundit, & linguam suspendit; alioquin fœcundi calices ex temperantia sumpti, disertum faciunt. Apud Athenæum libr. 2. Chæremon Tragœdus: vinum rectè utentibus σοφίαν, εὐμάθειαν, εὐβουλίαν, sapientiam, docilitatem, prudentiam conciliare docet; quod & vocarunt πανσίπνον; quia

Effectus vini mirabiles.

quia eo præsente, fugit, & diluitur cura. Unde & Bacchus, alatus juvenis depingitur apud Adrianum Junium. Erat Apud Antiquos, amoris symbolum; in symposijs enim amatores, in gratiam sui amati aliquot cyathos libabant terræ infundentes. Narrat in hujus fidem, Athenæus libr. 17. Alexandrum Magnum unguento pretiosissimo, vinoque flagrantissimo solitum fuisse, solum aspergere? unde & illud:

Vinum amoris symbolum.

Et mero tanget pavimentum superbo.

Deinde sine vino nulla pulchra diu carmina vivere possunt. Vino quippe firmatur corpus, & ingenium submissis spiritibus roboratur moderato vini usu. Quare & Euripides vocat vinum ἀρκεσίγυιον, corporis confirmationem. & ideò Lacedæmonij, teste Eustatio, bibendo armabantur, ut simul concitarentur spiritus Martiales: vinum enim parat animos acceditque. Est ergo mirabilis εὐωδία, mirabilis flos, & suavitas odoris; quantam necesse est exspirare vim odoris; flos pendulus repandusque: quandoquidem serpentes, & quidquid vibrat, spargitque venenum, celerrimè fuget. Finiam uno verbo: vinum Solis instar, est gaudium universæ terræ. & ex mente Ecclesiastici 31. exultatio animæ & cordis, moderatè sumptum. Quæ cùm ita sint; potuit aliquid melius, aliquid nobilius, aliquid pretiosius in rebus humanis reperiri, cui se assimilaret sanctissima Virgo; quàm vinum? Vitis ergo quantum fieri potest; est quasi parva tabella ingentium virtutum Virginearum, & quasi breve compendium sphæræ Arithmedis, immensissimam cœlorum vastitatem suis gyris & ambitu exiguo, complectentis simile; incomprehensibilem quippe Virginis magnitudinem, & Majestatem comprehendens, quasi per umbram demonstrat. Spectemus paucis, in collatione similitudinem, & rem cum re ex similitudine conferamus. Vinea, terrarum pars optima: sanctissima Virgo, pars terræ cœlique optima. An non Judice Deo, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ?* Et quis, Matri auferet Filium? Vinea, optima dos terræ: optima sors cœli & terræ, & ipsius Dei dos optima. Quid eâ meliùs, quæ Deum, omne bonum nobis dedit? Unicus in terris Phœnix: Sol unicus in cœlo: Virgo unica. Deus unicus, unius in gremio Virginis. Unus Deus: una Mater & Virgo, una & Virgo Mater: una Virginitas, simul & una Maternitas discordes in uno Virginis corde æternùm concordes florent. Flores hujus sacræ Vitis, sunt fructus honoris & honestatis, quia in ea æternus flos, simul & æternus fructus, & fructus cum flore perennis. Æternus regnat vitor Virginitatis, cum lœto fructu Maternitatis. Dicimus

Vitalium spirituum artifex.

Institutio comparationis, vitis cum sanctiss. Virgine.

Odor vineæ pellit omne venenosum.

A cum læto fructu: quos enim fructus non operatur in nobis suis sacris odoribus? Vineæ purus odor abigit pellitque serpentes: Virginis odor, & potentia fugatum contrerit serpentem. Depulso veneno inducit vitam, juxta illud Ecclesiast. 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum.* Tigurina Lectio, loco virtutis, ponit *præsidij*: alij, *vigoris*, & *roboris*: alij, pro viæ, legunt *vitæ*. ut Jansenius Rabanus, & intelligunt vitam gratiæ. quasi diceret: Per me obtinetur omnis gratia, quæ in bonâ vitâ consistit, & in veritatis cognitione sita est. Palacius verò sic expli-

B cat: *Ego in me habeo omnes gratias viæ, veritatis, & vitæ, ut nemo eas possit habere, nisi per me.* Quare & Divus Thomas opusculo octavo probans Virginem plenam gratiâ, dicit: *Potes habere Virginem in omni opere virtutis in adjutorium.* ideò dicit ipsa, *In me omnis spes vitæ, & virtutis.* Quid dulcius fructu vitis maturo? an non ideò vinum, pro ligno vitæ datum hominibus? an non ideò, ut cor exhilaret, spiritus reficiat, mentem excitet, vitam, ut oleum lampadis ignem, foveat? *Date*, inquit Scriptura, Proverbiorum 31. *siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo, bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Quid Virginis fructibus dulcius? *Fru-*

C *ctus*, inquit, *meus super mel dulcis.* Quare & Ambrosius in Psalm. 21. vocat Virginem Manna, quin imò meliùs ipsam Mariam Mannâ dixero, cœlo missam, & in terras omnes rore mellifluo defluit; ut omnes repleat omnis gustus dulcedine, omnis gaudij ubertate, & constanti mentis sanitate: ipsâ Mannâ præstantior, quod corpus à morbis solùm, & vestimenta ab attritione tutebatur: illa corpus & animam. Audiamus Damascenum Orat. 2. de Assumptione: *Virgo Dei Mater inexhaustum pelagus gaudij, unica mœroris obliteratio, Pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans. Quare & ipsa nobis data est, ut sit lignum vitæ, & ejus vires,*

D *& potentiam in nobis exerceret. Et ideò dum filij ejus carnem manducamus, manducamus & Virginis, & dum Filij sanguinem bibimus, & Virginis bibimus sanguinem, qui germinat Virgines; omne enim quod generat, sibi simile generat*, & alimentum sugit arbor sui soli. Pastus itaque epulis sanguinis & carnis cùm filij, tùm Matris; an non transmutaris in sacros Virginis amores, in salutares immortalitatis affectus? & quid aliud potest? Sic in hanc formam novam mutatus, suspirare, cogitare, & amare, quàm unum Deum Filium Virginis, & Matrem tanti Filij. Dic mihi, tu ne durior ferro? an non ferrum induit ignis naturam, flammis accensum?

Virgo Manna dulcior.

Virgo fugat omnem mœrorem.

Vinum transmutat homines, ita & Virgo suo succo.

accensum? & tu tantis ignibus undique, & undique cinctus, glacie frigidius pectus gestabis? moriar, si te hominem judicârim. An non fructus vineæ, hominem sibi abripit? de suo statu dimovet? non patitur esse suum? Vinea uberrima, ait Damascenus orat. 1. de Nativitate, ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundêtem in vitam æternam. Venite ergo, & bibite, & inebriamini ab uberibus hujus vineæ. Hæc sancta ebrietas, sit spoliatrix tui; hæc ebrietas in pectore, & corde faciat incendium, & mutes habitum impatiens tui. Tuas medullas, tuasque venas pererrer hic sacer ignis. Benè Ildefonsus Serm. de Assumptione: *Mater Domini quasi vitis fructificavit suavitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis & gratiæ.* Qui fructus? fructus veri vini, datores lætitiæ; fructus veri amoris castique. Fructum πανζίλικον, quo sublato, nihil sit reliquum. An non solem sustuleris mundo, si Mariam sustuleris? ô utinam ebrius Virginis amore possis dicere: Quàm mihi sordet terra, quando te & Filium suspiro? quàm sordent mihi munera rerum omnium creatarum? ut canere illud Poëtæ cujusdam meritò possim:

Te sine nunc misero mihi Lilia nigra videntur:
Nec sapiunt fontes, & acescunt vina bibenti.
At si tu venias, & candida Lilia fient,
Et sapient fontes, & dulcia vina bibentur.

Nunc precor, Lector, attige mentem. Cùm Filius Dei non haberet cui se compararet; occurrit amata vitis, quam ceteris arboribus posthabitis coluit, dixitque se vitem: *Ego sum*, inquit, *vitis; vos palmites.* Joannis 15. Sic & Mater Filium æmulata, dixit se vitem. Filius extendit palmites suos vsque ad mare, & vltimas oras terræ: & Mater extendit propagatos suos palmites. Palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec tu feres fructum, nisi in Christo manseris, & sacrâ Virgine. Sine Christo nihil potes facere; nec Christus in te quippiam faciet, nisi te Christus viderit in vite Matris. ille enim, suos tùm electos vocat; nec alios, quàm in quorum animabus, Mater suas plantaverit radices; juxta illud Ecclesiast. 24. vers. 15. *Et in electis meis mitte radices.* non enim est Filius sine Mâtre, qui enim illam accipit, Christum accipit. Hunc locum Joannis, explicans Augustinus tractatu 81. sic ait: *Ligna vitis tantò contemptibiliora sunt, si in vite non manserint, quantò gloriosiora si manserint. Vnum de duobus, palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit.* Idem Augustinus in Sentent. Sent. 364. sic ait: *Sunt palmites in vite, ut viti nihil conferunt, sed accipiunt, ut vivant: sic quippè est vitis in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis: ac per hoc, manentem in se Christum habere, & manere in Christo, prodest Discipulis, non Christo. nam præciso palmite, potest de radice alius pullulare; qui autem præcisus est palmes, sine radice vivere non potest.*

Sine Matre non es palmes vitis.

Electus est ille apud Deum qui Virginis est electus palmes,

A *Vis scire, num tu, velut palmes, sis in Filio tanquam vite, excute mentem, & vide num sis palmes vitis Maternæ. Si viti Matris sis insertus, ut palmes ab ipsâ hauries vitam, & salutem à Domino. Quàm vilis & contemptibilis, si resectus, ab illius cultu desciveris, aresces instar palmitis recisi. Si in vite non fueris, in igne eris. non illi prodest, quod in amore illius vivas, sed tibi, cùm velut palmiti vitis alimentum præbet. non enim vitis eget palmite, sed palmes vite; nam & ex vite fructus sine palmite,* teste Plinio lib. 17. cap. 25. ubi ait, vitem, &

B malum punicum stirpe fructum tulisse, non palmite, non ramis. Esto ergo palmes, esto in vite, & fructibus, id est, operibus exorna vitem, ut vivas in vite: qui elucidant illam, sunt in vite, sicut palmites: *& qui illam elucidant, habebunt vitam æternam.* Ecclesiast. 24. Vivas ergo in illa, & per illam, sine quâ nulli datur benè vivere; qui illam contemnunt, erunt ignobiles: quid enim ignobilius palmite, si à vite præcisus? & quid nobilius, si in vite perstiterit? Quocirca sancta Agnes apparens sanctæ Brigidæ, ut habetur lib. 4. revelat. cap. 11. Sicut Sole illuminantur, & inflammantur cœlestia, & terrestria: sic ex dulcedine Mariæ nullus est, qui non per eam, si petitur, sentiet pietatem. & cur non sentiret?

C subministrat palmiti vitam, & spiritus cœlestes vitis amabilis. Unius te monitum volo, ut scilicet vitis conditionem introspicias. Disce ex Plinio libr. 17. Vineam frigoris impatientem, & frigore, veluti letali vulnere sauciari, eoque emori: disce, & lædi raphano, ebrietatis medicina. lædi etiam, quod dictu mirum, Lauro triumphali, & semper virenti (quàm ignota mortalibus sors rerum) quod verò lædatur caulibus, & corylo, non mirandum: quare ni procul absint, ægrescit, & languere videtur. odit ergo caulem, brassicam, & omne olus. nitrum verò & alumen, marina aqua calida, & fabæ putamina, vltima venena sunt. Vis tu Virginis tesseram circumferre, & vitem, terræ gaudium, plantatam in

D horto animæ tuæ, fuge torporem, & execrare languidum, ejus servitium languidum cultum, fuge otium, & inertiam, tanquam omnium scelerum fontem. Odit Virgo frigus, & torporem mentis: nitrum & alumen iræ: amaritudinem marinæ aquæ: læditur raphano, luxuriæ nuncio: Lauro ostentationis: oleribus vanitatis: corylo æmulationis pronuba. Audi Plinium lib. septimo, & decimo. etsi horum natura non nocet quidem, sed lędit odore, aut succi mixtura: ut raphanus, & Laurus vitem. Olfatrix enim intelligitur, & tangitur mirum in modum odore. Quare cùm juxta sit, aversari, & recedere, saporemque inimicum fugere. Quod autem brassica

Vitis frigoris impatiens.

Hostilia quæ vitis.

Quæ Virgini odiosa.

sica sit inimica, docet Plinius lib. vicesimo, & Theophrastus lib. 4. de plantarum historiâ in fine, qui pariter docet, vino adversari, & inimicam vitibus: ita ut ante cibum sumpta, ebrietatem impediat; & à cibo discutiat. Remove à Virgineo cultu, quidquid vitis sacra fugit, & horret. Virgo est, quam colis, cincta est, non distincta, odit quæcumque ebulliunt in olera, & graves effundunt odores. Virgo lactucâ gaudet, quâ Venereus calor hebescit.

Quare & Callimachus cecinit in lactuca occultatum à Venere Adonim. & Eubulus, tanquam mortuorum cibum describit. & Pythagorei lactucam vocabant Eunuchon, & Eviratam. Quibus addit Cratinus, Phaona inter pulchras lactucas ab amatâ Venere fuisse absconditum.

CONCLVSIO.

CHristus Dominus, & sanctissima Virgo, se viti assimilarunt, quia nihil in terris, ut dictum, est meliùs, cùm sit optima pars orbis, vita, & vitæ jucunditas, in qua natura videtur omnia voluptatum suarum semina, & dotes locasse: quia nihil purius, & excellentius; ex cujus fonte Dij gentium finguntur suum nectar deprompsisse: quia nihil corpori accommodatius, cujus virtute senectus reviviscit, & vires emortuæ reviviscunt, & sanguis effusus revocatur. Ex vite sacra Virginea Corpus Christi à Deo formatum: ex vite sacra Christi, ejusque vino sanguis Christi, nobis quotidie confectus, in cælestibus epulis propinatur. Quid nobilius sanguine Virginis? quid purius? quid divinius, ex quo sanctissimum Filio Dei corpus fabricatum? Poscebat Sacrosancta humanitas ejusmodi materiam, quæ omnem puritatem excederet, quæ omnem nitore suo dignitatem Angelorum obscuraret; qua nihil infra Deum condi posset excellentius, cui summa excellentia debebatur. Quanta ergo nobilitas vini, quanta excellentia, quanta dignitas hujus creaturæ, quæ sola inter omnes creaturas visa digna fuit, qui Deo libaretur in supremo & sanctissimo sacrificio, in sanguinem summi Dei conversa. Sicut Virgo sanctissima, sola ad tantam altitudinem provecta, ut mereretur suam carnem, & sanguinem conferre in fabricam corporis Divini: sic & vinum eò nobilitatis promotum, ut altiùs ire non posset. Hoc est vinum generans Virgines, introducens Angelicum nitorem, & transmutans hominem in Deum. Hoc pota, & te inebria nectare, Deus eris? Joannis 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. & sicut vivo propter Patrem*, sine quo non essem Filius, nec vitam haberem: *sic qui manducat me*, & bibit hoc vinum immortalitatis, *vivet propter me*, & accipiet vitam à me, sicut ego eam accipio à Patre. O utinam Dulcissima Virgo, te possim adeò arctè inscribere cordi meo, quàm arctè insitus palmes suæ viti! utinam adeò altè in corde meo, velut ungue Adamantino valeam tuos amores inscribere, ut nulla posset abolere vetustas, nulla innumerabilis annorum series, non Aquilo tentationis; ab Aquilone enim animæ frigore omne malum, possit evellere. Cur profanem animam alienis, & falsis amoribus? quid reliqui nobis ex illis, nisi conscientiæ relictum vulnus? Da mihi vinum sacræ tuæ vitis, ut non sitiam amplius in æternum: implear à generationibus tuis. Et quæ sunt generationes tuæ, nisi odores, & fructus tui amoris, quos producis in montibus tuorum electorum? Pota me tuo vino, ut perpetuâ Virginitate fruar; & antè moriar, quàm pudor violetur: abeam totus in flammas, & toto pectore urar; nec modus sit amandi te, nisi modus sine modo. Finiam ex Senecâ, in Hercule furente:

Gravent catenæ corpus, & longâ fame
Mors protrahatur lenta, non vincat fidem
Vis ulla nostram. moriar ô Virgo tuus.

Virtutes vini.

Ex vino Libamen Sacrosanctum Deo & sacrificium.

A B C D

§. XXI.

Tertia tessera gentilitia, est Palma.

PAlmam esse suam tesseram, profitetur ipsa Virgo, cùm ait: *Quasi palma exaltata sum in Cades*. Eccles. 24.

Tertiam ponimus tesseram Palmam; nam à vino, & oleo, proxima & nobilitas illi, atque auctoritas, teste Plinio lib. 23. cap. 3. fœcundissima sui generis; quadraginta enim novem genera sunt Palmarum. Judæa inclyta est, vel magis Palmis. Palma in Syria, & Ægypto gignit balanos, tantâ aspectus jucunditate, ac suavitate gustus; ut omnia bellaria antecellat. (balanus, & Græcis dactylus dicitur.) Xenophon docet balanos selectas dominis fuisse, tùm pulchritudine admirabili, tùm magnitudine, ut aspectu ab electro non differrent. Scribit Athenæus, Augustum balanis ex Syriâ missis maximè delectatum. Clarissimæ omnium balani, quas Regiæ ab honore vocantur; quoniam Regibus tantum Persidis servabantur Babylone, in horto Regio natæ. In meridiano orbe præcipuam obtinent nobilitatem, Syagri, & proximam margarides. eæ breves, candidæ, rotundæ, acinis, quàm balanis similiores; quare & nomen à margaritis accepêre. Mira arboris hujus natura in genere Palmarum, quod Phœnicis naturam imitetur,

De Balano seu dactyli Laudes.

Palma Phœnicis symbolum.

imitetur; undè & ex se renascitur mortua. A Inter omnium Palmarum fructus, excellunt ij, quos *Nicolaos* vocamus, teste Plinio: *Sicciores*, inquit, *in hoc genere Nicolai, amplitudinis præcipua, quaterni enim cubitorum longitudinem efficiunt.* Sic dicti quasi victores eriperent alijs Palmam.

Plinius aliam affert rationem, cum Plutarcho. Hæc arbor, palma unica inter omnes arbores vocatur ἐμπεδόφυλλος, καὶ ἀείφυλλος, quòd firmis & virentibus folijs semper regnet.

Scio multis alijs arboribus sua folia non decidere: Abjeti, Lauro, Oleæ, Myrtho, Cupresso, Hederæ, Pinastro, Junipero, Taxo, Cedro. & quod stupendum, circa Memphim Ægypti, & in Eleplantine Thebaidis, B nulli arbori folia decidere, ne viribus quidem. Tanta locorum vis, cœlique potentia: quod tamen sempiternum stet suis comis viridibus. Et ideò, ἀείφυλλος, Palma debeat vocari præ ceteris, Principis tituli causam, sibi ipsa natura dedit. Ceteris arboribus est quidem æternus viror, verùm decussis frondibus succrescunt aliæ. At Palma, suorum foliorum tenacissima, sui nihil abijcit, constantiâque admirabili supereminet omnibus, quare & tesseræ scuto inscribamus ἀείφυλλος. Mirum in hâc arbore cum cœlo fœdus, & consensio. Sola arborum per lunæ ortus singulos, ramos singulos progenerat, ut per singulos Palmæ surculos, totidem menses adnumerentur.

Undè & Diana apud Homerum, mensis, C & anni arbitros paritura dicitur amplexata Palmam. Aliam causam hujus fœderis dat Plutarchus: quòd Palma tot utilitates mortalibus elargiatur, quot sunt dies in anno, ideoque anni simulachrum præferre.

Babylonij enim trecentas & sexaginta dotes in se continere, quas liberaliter effundit, constantissimè docent. tot enim diebus annus constat intercalaribus quinque subductis. Inter alias dotes à natura inditas, non infima est, ætatem ferre, nec ætatis damna sentire, ac proindè non senescere.

Palmæ admirabiles dotes à natura conditæ mirandæ.

Ad hoc allusit Orpheus: Animal æquale longicomis Palmæ ramis. Quale & victoribus datur, tanquam magnificum documentum, Nicephororum victoriam gloriamque, D oblivionis expertem, decere esse perennem, & ex se renasci. Victoribus ergo & elaboratis artibus datur Palma, quòd ea adversus pondera nitatur, & seipsam vigeat, & in contraria insurgat. Felix ideò augurium Augusto fuit, ut habet Suetonius in Augusto cap. 94. Palma inter juncturas enata ante domum suam, & in compluvium Deorum penatium translata. & Julio Cæsari, contra Pompeium, enata ad basim Cæsarianæ statuæ, quæ in templo Victoriæ dicata erat: quamvis omnis locus circa statuam solidus, & durissimo lapide instratus erat. Palma inter ardua, virtutis comes.

Dactilis ergo fœcunda palma, victoriæ nuncia. Undè & Græci νίκην, victoriam, ἀπὸ τοῦ μὴ εἴκειν, à non cedendo deducere videntur: quòd victoria ardua sit, in arduo posita, nec nisi labore, & sudore ematur. Robur, Abies, Olea, Lorix, pondus sustinent, verum ponderi incurvatæ cedunt: Palma contrà, incurvata pondere, insurgit contra pondus ardentior: quare & gaudet arenosis, sitientibus, & æstuantibus locis.

Palma victoria datur, cur.

Gignitur præterea, ut ait Plinius libr. 13. cap. 4. levi sabulosaque terra, majore in parte nitrosa. quare & nulla in Italia sponte genita, nec in alia parte terrarum, nisi in calida: ideò ob exuberantiam caloris, Arabes vinum exprimunt, & ex fructibus optimè concoctis panem conficiunt.

Audi Plinium libr. 13. cap. 4. *In Oriente ex his, vina gentium, aliquibus panis.* Unum, fidem humanam excederet, nisi nube Doctorum, & experientiâ rerum exploratâ firmaretur: Palmas sentire pulcherrimi conjugij faces, fœdus amorum, & conjugalia jura servare non aliter, quàm si sensu tactuque pollerent, quis credat? Plinius lib. 13. cap. 4. *Ceterò*, inquit, *non sine maribus fœminas gignere, spontè edito nemore confirmant: circaq; singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, afflatu, visuq; ipso, & pulvere etiam reliquas maritare: marito arbore excisâ, viduas pòst sterilescere, adeòque est Veneris intellectus, ut coitus sit excogitatus ab hominibus, ex maribus, flore ac lanugine, interim verò tantùm pulvere insperso feminis*, Philostratus, imaginem nuptiarum, & conjugalis amoris hieroglyphicum cum venustate descripsit: mares attrahunt ad se feminas, & quamvis longè inter se dissitus sit mas & femina, & latissimis campis divisi, vltrò inclinatis exporrectisque ramis oscula petunt in mutui desiderij signum: sin verò tantis intervallis diffideant, ut nec pulvis maris, ventorum flatibus in feminæ folia, nec odor, nec aura, quæ sola & sterilitatem curant, deferri possint, aliud excogitavit industria colonorum, funem à mare ad feminam religatum deducunt, & sic arcano contactu, quasi maritali spiritu sterilem fœcundant.

Conjugalis amor in Palmis.

Mutuum quærunt contactum.

Quod ni fiat, desiderio maris, radicibus priùs ad eum porrectis, & inclinatione verticis exhibita contabescere, & fructum pernegare.

Fœcunditas unde ibi nascitur.

Dicam aliquid grandius: Ne pereat penitus amans, colonus marem complexu fovet attrectatque, & flores priùs mari impositos secum ad amatam defert, velut munus amoris, cujus attactu respirat. Quis dicat arbores in Venerem vivere? quis sic suspirare amantes nutibus? quis ad solum conspectum reviviscere? Celebrat Palmæ amores Pontanus: Brundusij marem, Hydrunti feminam, diu sterilespermansisse, ut uxor arduo in solo, utrimque sterilitas, cunctis admirationi esset. adolevitq; tandē, utraque in eam altitudinē, ut multorum

Solo aspectu, quāvis dissito nascitur ubertas.

multorum stadiorum, quamvis dissitæ intervallo sese possent contueri, & utraque fœtûs fœcunditate per aspectum mutui amoris fuerit ditata.

Audiamus ipsum Poëtam, sui temporis miraculum scribentem:

Non uno crevêre solo distantibus agris
Nulla loci facies, nec socialis amor
Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor;
Vtraque frondosis sed sine fruge, comis.
At postquam patulos fuderunt brachia ramos,
Cœpere & cœlo liberiore frui,
Frondosiq; apices se conspexêre, viriq;
Illa sui vultus, conjugis ille sua.
Hausêre & blandum venis sitientibus ignem,
Optatos fœtus sponte tulêre sua;
Ornarunt gemmis ramos: mirabile dictu.
Implevêre suos melle liquente favos.

Vide Diophanem Græcum, & Florentinum in suis Georgicis, qui multa scribit de Palmarum amoribus.

§. XXII.

Ad Virginem veniamus, quam diximus Palmam exaltatam in Cades, Ecclesiastici 24. vers. 18.

Proprietates Palmæ Virgini accommodata.

INclyta Judæa Palmis: inclytum desertum Sin, quod dictum alio nomine Cades, famosum excellentiâ Palmarum; in quo una excellentior, & alijs celebrior, quæ nomen loco dedit; ut vocaretur Palma in Cades, ut hîc vocat Siracides. Testis est Adrichomius in theatro Terræ sanctæ. Sanctissima ergo Virgo, terræ sanctæ Princeps, instar Palmæ Regiæ, omnibus creaturis præeminet, exaltata supra omnes: & ideò Tigurina Lectio: *quasi circa litora extuli verticem.* Quàm benè laudatur à Palma; quæ omnes opes Palmæ circumfert! Regum deliciosus fructus, & Regibus servatus! Quid fructu Virgineo Christo Jesu dulcius? fructus selectus, simillimus margaritis, & margaritis purior, id est, qui sumptus, edentes vertit in margaritas. Verè Palma sanctissima Virgo, quia semper ἀείφυλλος virens; & quando frondes illi deciderunt virtutum, sicut alijs Sanctis contingit? æternus illi viror, & vigor sanctitatis; & ideò sola est Palma exaltata, & illa (ut diximus) quæ signat annum. Sic & Virgo quæ coronę anni impetravit benedictionem, & sanguine Filij sui auspicium inauguratum sacravit; juxta illud Psalm. 64. vers. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, non solum 365. benedictionibus seu utilitatibus, ut Palma continet, verùm continuo rore benedictionis: in illâ enim benedicuntur omnes nationes, nec est qui se abscondat à calore ejus.

A Palma non senescit, nec vlla sentit ætatis damna. An Virgo, Mater vitæ posset senescere, quæ vitam peperit, & vitam vitæ dedit? & ideò Palma, & Græcè Phœnix dicitur, æternitatis symbolum. quod ipsum Job intellexit, cùm ait: *In nidulo meo moriar, & sicut Palma multiplicabo dies meos.* Ubi Græcè habetur φοῖνιξ, avis, scilicet, æterna. de quâ ille Poëta:

Qualiter Assyrios revocant incendia nidos
Vna decem quoties sæcula vixit avis,

Illa renascitur ex seipsâ. An non laus Virginis ex seipsâ renascitur, & semper crescit laude recens? *Beatam*, inquit, *me dicent omnes generationes: Memoria mea in generationes sæculorum.* Ecclesiast. 24. immortalis enim memoria Virginis apud Deum & homines. Victoriam Virginis quis non memorabit: in memoriâ æternâ erit Virgo.

B

Si memoria in compositione odoris facta, opus pigmentarij; in omni ore quasi mel indulcorabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini. Palma ergo Virgo; quia æternus ejus vigor, & viror sui nominis. Quantò jucundior memoria ejus, quàm Josiæ: cujus memoria instar mellis dulcis, & ideò æterna: mellis enim natura, teste Plinio lib. 22. cap. 24 corpora non sinit putrescere. Quare & Palma fugit, horretque fimum, & omnem putrefactionem, ætatem vitiantem. Palma est sanctissima Virgo, symbolum victoriæ.

An non Virgo Parens, & procuratrix victoriæ? imò cui & ipsum nomen victoriæ debetur, & ipsissima sit victoria? Venit in mundum, vidit mundum, & vicit mundum; & ideò Canticorum 7. dicitur: *Quàm pulchra es, & decora charissima in delicijs! statura tua assimilata est Palmæ, & ubera tua botris.* Assimilata est Palmæ statura, quia tota victoria es: omnibus debellatis, nihil in te potuit inimica manus, nulli oneri cessisti, contra omnia tonitrua & fulmina fortiùs insurrexisti victrix.

C

Augusto, & Cæsari enata Palma est inter saxa, in omen victoriæ. An non Orbi enata est in monte Calvariæ Palma, in omen victoriæ perpetuæ, & pacis æternæ inter saxa, asperaque certamina; quando Filius Virginis ascendit Palmam, id est, Crucem, quâ victor omnia subjugavit? sicut scriptum est Canticorum 7. *Ascendam in Palmam, & apprehendam fructum ejus.* Assimilata quidem est Palmę: cur ubera ejus sicut botri vineę? cur hoc? ô nobile encomium Virginis! ô blanda, & Maternę pietatis ubera! Palma etsi invicta, & in sublime consurgat, fructus tamen suos in imum inclinat: non invidet quęrenti suas opes, verùm vltrò procurrit obvia, ut instar exundantis radicis fructus suos, id est, filios enutriat: & quamvis omnibus sit celsior, & Deo proxima; nullius tamen, quamvis vilissimi fortunam aversatur; nulla anima vilis tantæ Matri. Verissima Palma es, quæ fructus deorsum pendentes offert: hoc

D

Virgo assimilata Palmæ cur dicitur habere ubera instar botrorum.

hoc enim Virgini proprium, esse maximam & minimam; Deo proximam & peccatoribus. Pulchrè hoc Theodoretus in locum hunc Canticorum: *Cùm enim excelsa sis adeò, ut cœlo fastigium attingas; attamen submittis te infimis, quibus vbera prabes doctrinæ tuæ.* Palma est symbolum victoriæ. An non ingenti paratu laboriosa victoria?

Sudorem posuêre Dij, virtutis ad aras.

Vide literam Pythagoræ:

Ignea virtus parit triumphos:
Non venit victoria, nisi desudata;
Per ferrum, & ignes animosa surgit.

Viri fortis conditio. Ambis laureatam palmam? læto animo tolera adversa. quidquid acciderit, sic feras, quasi tibi voluisses accidere: debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto vel fieri, vel permitti: contra calamitates esto fortis & contumax: adversus fortunam vtramque intrepidus prodeas; ut nec illius tumultu, nec hujus fulgore percutiaris.

Non est è terris mollis ad astra via.

Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Suscipe choreas, & triumphos Sanctorum. Palmæ sunt in manibus eorum. Palma nobilis, terrarum Dominos evehit ad Deos. Vltima Palmæ dos, ceteris omissis, est nobilissimi conjugij, & amoris connubialis symbolum: ingens utriusque amor, ingens mutuæ desiderium præsentiæ: luctus, & dolor tabificus absentiæ. *Christus Dominus & Mater vera Palma.* Palma Christus Dominus: Palma sanctissima Virgo. Cor unum, anima una, & simul & semper; voluptas summa præsentiæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Dolor absentiæ: *ego & Pater tuus dolentes, quærebamus te. Ite, renunciate dilecto, quia amore langueo.* Palma Virgo: Palma & anima Christiana. Sterilis es ô anima, nisi obumbreris vmbrâ Virgineæ Palmæ: contabesces, & sterilitate peribis, nisi vel floribus, vel pulvere, vel præsentiâ vultûs Virginei fœcunderis. Imitare Palmarios: planta tuam Palmam juxta Palmam exaltatam in Cades; indè trahes succum immortalitatis, virorem virtutum, & coronas triumphales accipies. Non est quòd formides Majestatem nec Filij, nec Matris. Sicut Palmæ, ut dictum est, non gignuntur, nec fructuosæ vivunt, nisi in summis caloribus, & æstuantibus locis: sic nec Palma Christi, nec Matris; nisi in summis ignibus æstuantis charitatis: quid enim est Christus, nisi ipsa charitas, ipse amor? Deus ignis est, qui adeò ardens amator diligit; ut nusquam beatissimus Deus sibi videatur, cùm tamen infinitè beatus sit: si in cœlo sit; foris tamen & cum homine est amor, & animus: si in terris, hominem vult inferre cœlo.

Tale incendium facit in corde Dei sanctus amor, nec conquiescit amor, nisi amatam naturam transferat in suam; adeò amor facit Deum quodammodo immemorem sui: sic Deus in flammas abijt.

An non flagrat & Palma Matris? æstuat, & saucia vulnere gerit in corde indomitos Matris amores. Non mireris; ordinavit in illâ Deus charitatem, quæ nata in medijs fervoribus Divinæ charitatis, porrigit suos fructus, & amores non alio fine, quàm ut redametur: uritur toto pectore, plena tota Deo, qui charitas est, ut ijsdem uraris ignibus. Hanc legem do tibi, ut lex maxima tibi, sit ejus amor.

§. XXIII.

Quarta tessera gentilitia, est Platanus.

Hanc arborem Virgini placuisse, miramur: placuit tamen, fatetur ipsa Ecclesiast. 24. *Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas in Plateis.* Ubi Syrus sic vertit: *Nutrita fui sicut Platanus super aquas.* Desines mirari hanc arborem delectam dilectamque, ubi didiceris, quanto in honore sit apud varias gentes, Principes, Regesque. Quis non miretur arborem vmbræ gratiâ ex alieno Orbe peti ab ijs, qui σκιατραφήμενοι vocantur? *Vbi prima origo Platani.* Platanus hæc est per mare Ionium in Diomedis Insulam, ejusdem tumuli gratiâ primùm invecta, indè in Siciliam transgressa, & in primis, donata Italiæ. Quis dicat hanc arborem tributariam, ut gentes pro ejus vmbra pendant vectigal? Dionysius Prior, Tyrannus Siciliæ, Rhegium in vrbem eam transtulit, domus suæ miraculum, ubi posteà factum Gymnasium.

Apud Romanos rerum Dominos, tantum ijs arboribus increvit honos, ut mero infuso enutriantur. Compertum id maximè prodesse radicibus. Vide Plinium lib. 12. cap. 1. & Theophrastum lib. 4. hospitalis vmbra, cui non gratissima Sole ignito. Lydi viridaria ob delicias parant, ut in umbra nutriantur. Sic Clearchus lib. 2. vitarum. Alexander Magnus in Carmania arborum recentium virentiumque ramis curru vectis vmbram captabat. Sic Plutarchus in Alexandro. Xerxes Rex Persarum in expeditione cõtra Græcos, in Lydiâ compertam Platanum, captus ejus pulchritudine, aureo monili donavit, eamque tuendam uni ex immortalibus Equitibus dedit. *Honor Platano habitus.* Sic Herodotus libr. 7. Immortales (vocat Curtius in Alexandro libr. 3.) proximi ibant, quos Persæ immortales vocant ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat, illi aureos torques, illi auro distinctam vestem habebant. Erant hi electissimi, & ἀθάνατοι vocabantur, quia uno deficiente, alius statim substituebatur. Quintus Hortensius

æmulus Ciceronis, vino irrigare consuevit, tantâ cupidine victus, ut actionis tempus precariò à Cicerone impetrârit, ut Platanum, ne damnum sentiret, vino irrigaret. Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 13. Tantæ auctoritatis, & pretij exstitit illa arbor, ut Pythius Atygis filius habitans Celenis Phrygiæ urbe, Dario dederit auream Platanum dono. Sabellicus lib. 2. Ennead. 3. Platanus prætereà dicta ob vim innatam, est Hieroglyficum securitatis: ut dici possit munimentum ab insidijs atque veneficijs. Sicut Leopardus allium horret, fugitque locum etiam amatum, si allium redoleat. Lupus herbam gillam aversatur, quæ dat securitatem pullis turturum, adversus Lupos. Sic sanctus Ambrosius. Ciconia serpentes exitiali bello persequitur, quæ si vulnus acceperit, origanum vulneri imponit: sic Ciconiam noctua profligat, & insidiatur natis; ea naturæ ductu, metata sua castra munit ramis ex Platano decerptis. Sic Ælianus. Platanus ergo securitas. Non ergo sine causa Virgo sanctissima, hanc sibi in tesseram, arborem delegit. Arbor vocatur hospitalis: vocatur & genialis; & πλατύφυλλος, à diffusa ramorum lata Majestate. An non Virgo hospitalis? Quem unquam à se rejecit? quem non excepit? cui non aperuit sinum suæ misericordiæ? nemo est, qui non possit dicere: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.* Canticorum 2. *Ille qui habitat in adjutorio illius; in protectione Dei cœli commorabitur*, juxta illud Psalm. Et sicut cœlum ambit terram: sic & illa suos ambit, & illorum castra metatur vallatque. Themistocles sæpè in ore versabat indignatus ingratis civibus; se Platano esse consimilem, ad quam decurrerent, quos imber infestaret, mox redditâ serenitate ab ijsdem convitijs proscinderetur. Nemo tam infelix, qui tempore nubilo, infestoque ad Virginem non confugiat, tanquam ad portum securitatis. Ipsa est publica securitas, & munimen miserorum: illa temperat iras Filij; cohibet vibratum sagittas, & se medium opponit incensæ Justitiæ; ut Platanus incensum solem ramorum frigore temperat, sic illa lachrymis. Arbor est Regia toto orbe petita. An non Virgo tot Regum filia? tot Principum inclytus sanguis? an non unicum Orbis desiderium, & unum omnium miraculorum supremũ miraculum? Tu muni animam tuam ramis hujus Platani adversus noctuas, & Principes harum tenebrarum; peribit omnis vis veneni, & fascinorum per attactum: illa scutum peltasque suggeret: illa dabit arma invicta, quibus omnes hostes profligabis. Quis mihi dabit opes, ut platanum auream dedicem sacro tuo nomini, magnificentiâ majori, majorique pretij jactantia, quàm Pythius, Aygis filius habitans Celenis Phrygiæ urbe, dedit platanum auream in donum Dario Persarum Regi? Sic Sabellicus libr. 2. Ennead. 3.

Securitatis symbolum.

Hospitalis arbor Hospitalis & Virgo.

Platanus hostis fascini, & veneris sit & Virgo.

A Diximus Virginem esse vitem. Quis Crœsi, imò Orbis suggesserit opes, ut auream vitem, tanquam insigne & Regium donum, suæ Regiæ Majestati possim consecrare? tu enim es vera vitis, quæ τέρπωλη vocanda est, id est, delectamentum & gaudium universi Orbis.

Aristobulus Rex Judæorum, non habuit quod dignius posset offerre Cneo Pompeio Cælesyriam obeunti, quàm vitem auream? munus Regium, Regum Domitori. Vide Strabonem Cappadocem, qui hujus meminit. Ex Judæâ sive vitis, sive hortus, quòd τέρπωλη vocabatur, dedicatum Jovi Capitolino. Hoc donum se vidisse scripsit Josephus lib. 4. cap. 5. Verùm cùm nec platanum, nec

B vitem auream habeam, offeram divitem ex tua gratia voluntatem: offeram, & dedicabo quidquid est mei, atque tot laudes & encomia, quot sidera cœlo fulgent, quot frondes in sylvis vigent, quot guttas Oceanus volvit, quot tellus flores, & arenas sustentat. Nec hæc sufficiunt: quis statuet modum tui amandi? quæ omnem amorem excedis; & major, quàm possis digno amore coli?

Diximus & te Olivam; & Olivæ insitam vitem, uvas & oleas simul generasse. Tu ais te Olivam: *Ego quasi Oliva fructifera in domo Dei.* Psalm. 51. Vitem tibi insitam dicit se Filius Dei: *Ego sum*, inquit, *vitis vera*; Joannis 15. hanc nobis protulisti, qui oleum & vinum

C tanquam Samaritanus infundit in vulnera, vulnera nostra curaturus.

Diximus Virginem esse Palmæ assimilatam; ut se nostri sanguinis probaret esse sororem, nec degeneres in tanto fastigio induisse affectus; juxta illud: *Soror nostra parvula est.* Et benè. Palma enim ut simulachrum hominis semper multis de causis fuit existimata. Primùm, quia sicut Palma connubiali producitur amore, & illigata vinculis indissociabilis conjugij faces sentit amoris, quibus per violentiam exstinctis, sterilescit: sic Virgo perfectissimũ humanæ simulachrum, instar primæ Evæ Princeps, & infinitis modis ea perfectior; nos per amorem, sicut filios producit, & generat Deo; nec se æstimat Matrem fœcundam, si pereamus: periturí, si Matris amor intereat. Deindè quia

Cantico ultimo.

D Palma instar hominis in parte superiori, cerebro dominante vegetatur. quod Hebræi vocant *Halabad.* & Arabes *Chedar.* quod milites, ut ait Xenophon lib. 2. Ἀναβάσεως Græcos Cyro interempto, cum quo expeditionem adversus Artaxerxem inierant, tunc primùm gustasse, ac demiratos insuetam dulcedinem. Galenus Palmæ cerebrum, ἐγκέφαλον. Dioscorides ἐγκάρδιον vocat, quo corrupto, ut homo statim emoritur, quia cerebrum sedes vitæ, & sapientiæ: Virgo verissima Palma, in qua velut cerebro totius universi residet Sapientia, atque ideò Mater

Mater vocatur Sapientiæ: quâ qui caret, an non proximus est suo exitio? quod enim homo sine cerebro, hoc idem sine Sapientiâ. Huc accedit, quod comam habeat in capite, & ramos in modum manuum protensos, & fructus in modum digitorum. Quare & fructus dactylos vocamus. Congratulamur ô Virgo tuæ Majestati; quod consors nostræ naturæ, palmæ assimileris, tanquam tesseræ gentilitiæ generis humani; quam ideò circumfers, ut doceas spem victoriæ in te solâ, per Filium repositam. & ideò palmam præferre, ut illecebram laborum; quibus ardua victoria paratur: ut justè & piè viventes expectemus adventum gloriæ Magni Dei, qui per te Olivam, & ex te factus est nobis surculus Olivæ; ut nos vngat oleo salutis ad certandum Athletarum more, tanquam in agone supremo: qui & factus vitis; ut nos potentiâ sui nectaris firmaret, & quodammodo ebrios ejus dulcedine ad sonitum tubæ compararet ad pugnam. Per te Palmam humanæ naturæ symbolum, factus est homo; ut homo excerberatus, ut sic dicam, & amissâ sapientiâ sibi restitueretur. Factus & Platanus; ut nos vmbrâ suâ protegeret, & in ejus vmbrâ viveremus.

§. XXIV.

De reliquis tesseris gentilitijs.

HÆc sunt arma, & gẽtilitiæ tesseræ Matris Dei, quæ ipsius magnitudinem vmbratili lumine, & bonitate testantur; non quod non sint plurimæ aliæ; quæ enim abesse possunt Virgini, quæ à tot Regibus, Ducibus; Magnisque viris per tot sæcula suam duxit originem? possemus ad imitationem Principum, qui longam seriem deducũt suas tesseras ab ipsis primis incunabulis; ut splendorem suo nomini concilient, & jactantiùs extollant: verùm labor ingens, & magnitudo Virginis priùs conantẽ oppirmeret, quàm materia rerum deficeret. Illa ipsa comparat se Balsamo. An non, teste Plinio libr. 12. cap. 25. omnibus odoribus præfertur; uni terræ Judææ concessum, quondam in duobus tantùm hortis, utroque scilicet Regio.

Balsamum tessera alia gentilitia.

Viti similior est, quam Myrto: folium proximum rutæ, perpetua coma; inciditur vitro, osseisvè cultellis: succus è plagâ manat, quem Opobalsamum vocant, eximiæ suavitatis, sed tenui guttâ. *(ὀπὸς)* enim succum, quasi diceres succum Balsami. An non dixeris Virginem ipsissimum Balsamum, quæ primum Judææ concessa, unica filia tot Regum; quæ deindè per totum Orbem dispersit cum Sole suos sacros odores? Hic frutex non effundit suas opes, nisi ad Solis Orientis aspectum rupturam, & vulnus intuleris: hic frutex Virginem designat, quæ omnem suam felicitatem Soli Deo redonat Filio, cujus nomen *Oriens* inscribitur: *vocans ab Oriente Iustum.* Jsaiæ 40. à quo accipit; vult illa omnes suas opes redire ad suam originem. Undè & illa vox: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Narrat Pausanias libr. 9. in Bæoticis, in Arabia plurimas viperas sub Balsami arboribus latitare; pastuque venenum amittere, atq; ideò morsus innoxios esse. An non Balsamum, nobilis Virginis tessera? an non peccator imbutus veneno; Virginis misericordiâ, venena despumat, evomit, & libet ex animo projicit? Sub hâc arbore suscitantur peccatores, & læsi mortiferâ plagâ, convalescunt: hujus odore dæmonis vires eliduntur, & tentationes veneficæ exstinguuntur. Quid accommodari poterit beatiùs Virgini, quàm Balsami puritas? *Ego quasi Balsamum non mixtum: odor meus*; *succi probatio*, ait Dioscorides, libr. 1. cap. 18. *ut sit recens, validè odorus, sincerus, non ad acorem vergens, dilui facilis, levis, astringens, ac modicè mordens gustu.* Altera probatio meri Balsami, quod merus in laneam vestem fusus, maculam non facit, neque si eluatur, notam relinquit. Contra serpentum ictus, contra aconita: vlcera sordida curat, horrores illitu discutit, & cruda concoquit. Quid potius Virgine, cui nulla affusa mixtura mali? Solis instar, in quo macula nulla est: electa scilicet ut Sol: aurum optimum atque probatum; quod ideò æternum? Nihil feminei in Balsamo; mascula illi virtus, generosos spirans animos; quosque vngit, robustos validosque facit. Cetera vnguenta effeminant animos suâ mollitie. Bene Martialis lib. 4. Epigram. Epig. 54.

Quare Balsamo Virgo comparata.

Serpentes pastu Balsami venena amittunt.

Balsamum masculæ virtutis.

Balsama me capiunt, hæc sunt vnguenta virorum:
Delicias Nini vos redolete Nurus.

Nihil in Virgine verâ, & Virgine Amazone molle; nihil fractum, nihil effeminatum. Indurat illa suos, quos fovet alumnos: adversis probat, & in prima acie benè meritos ponit.

Vile latens virtus; quid enim submersa tenebris
Proderit? obscurò veluti sine remige puppis;
Vel lyra quæ reticet.———

Cos virtutis, bellans fortuna. Pulchrè Adrichomius in voce *Engaddi*. Herodes puerum Jesum persequebatur, Jesus fugiens in Ægyptum, post se traxit Balsami hortum. ingens virtutis odor sequitur Athletam duris pressum.

A

§. XXV.

De alia tessera Virginis, quæ Myrrha.

PRæter ceteras tesseras alias; mirùm videri posset, Virgini Myrrham, Symbolum amaritudinis consignari. quid enim acrimoniæ? quid amaritudinis in Virgine potest deprehendi? an non est ipsa dulcis super mel & favum? vox enim ejus dulcis, & facies decora. Verùm, quæ species amaritudinis non invenitur in Virgine? *Facta est velut mare contritio tua.* Threnor. 2. *Omnia excelsa tua* poterat gemens Virgo dicere, *& fluctus tui transierunt super me*; Psalm. 41. Quare & optimè comparatur monti Myrrhæ: unde inquit Scriptura Cantic. *Vadam ad montem Myrrhæ & Thuris.* & Canticorum 4. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ?* & cap. 5. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui Myrrham.* Non mireris in scuto suo poni Myrrham, cùm ipsum nomen Virginis sonet amaritudinem à nomine *marar*, id est amarus. Quare vocate illam non Noëmi, id est, pulchram, sed *mara*, quia Myrrhâ, id est, amaritudine replevit eam Dominus. Vita Christi tota plena Myrrhâ, & quidem optimâ, quæ lachryma Myrrhæ nominatur. Sudat hanc Myrrha nondum incisa: sudat Christus aquam & sanguinem, & sanguineas lachrymas, nõdum captivus. Primam vocem lachrymans, & vltimam pariter lachrymis dedit, ut verè posset dici de Christo:

Virgo tota myrrha.

Vita Christi & S. Virginis exundat myrrha.

De lachrymis, & pro lachrymis mea cepit origo.

Qualis vita Filij talis est Matris plena Myrrhâ, & doloribus. Vis à corruptionis vitio servari incolumis? condias mentem Myrrhâ, id est, mortificatione: hæc virtutum tutela, illa corporum. Utraque servat, quæ possidet æternitati. *In Myrrhâ*, ait Damianus, in Assumptione Virginis, *Virginis continentiam, in Thure devotionem intellige. Hæ sunt, quæ Virginalem totam substantiam circumdedêre: continentia scilicet & devotio, quorum alterum carnem, alterum mentem ita possidet, ut caro mundissima, mens purissima genitricem Dei singularis Deo consecrarent.*

§. XXVI.

Septimam, & Octavam tesseram ceteris transmissis dabimus: Rosam scilicet & lilia; uterque enim flos, flos florum, quibus insignia Regni debentur, & fastigium in hortis.

QVid æquius, quàm ut Domina mundi, mundum, & ornatum totius naturæ, & Dominam florum sibi dicatam velit, cùm ait Ecclesiast. 24. *Ego sum quasi plantatio Rosæ in Iericho.* Hanc hoc in loco depingit excellentissimè flos virorum, & floridus hortus omnium scientiarum, & instar Julij Cæsaris utrâque manu victor, eruditione scilicet admirabili, & rarissimâ pietate, Pater Cornelius à Lapide totus exspirans odores Rosarum. Audi Magni in exiguo corpore gigantis selecta verba, qualem se exhibet in omnibus evigilatis operibus: *Rosa*, inquit, *Regina florum, & veris purpura; candicat enim ut Adamas, rubet ut Pyropus.* Addit ex Josepho Stephano, in defensione Rosarij cap. 3. apud veteres lætitiæ, & pulchritudinis signum. Sappho apud Achillem Tacium vocat eam Reginam florum, ornamentum terræ, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, & amœnissimum terræ risum. Quare & Musas Rosis coronari solitas, Sappho cecinit, teste Clemente Alexandrino 2. Pædag. cap. 8. Audi ut Anacreon in illius laudem prosiliat:

B

Rosa mirificum encomium.

C

Folijs Rosa decoris,
Rosa singularis, ô flos,
Rosa prima cura veris,
Rosa cælitum voluptas.
Cum vere Patre florum
Socianda laus Rosarum.
Rosa flos odórque Divûm,
Rosa omnium voluptas,
Decus illa gratiarum.

Quare & Pausanias lib. 6. ob insignem venustatem olim gratijs sacram fuisse: quid enim non gratiarum in Rosa? atque ideò & καλλίφυλλος dicta, id est, foliorum cor, decor, & vivæ pulchritudinis vox grata. Poëtis verò, cùm non occurreret vox quâ pulchritudinem adventantis Auroræ depingerent, vocarit illis nomen ῥοδοδάκτυλος, id est, quasi Roseis digitis novam lucem mundo depingeret, & sole reduce flores Rosarum, & hilaritatis plenâ manu dispergeret. Huc allusit Poëta non ignobilis:

D

Rosa gratijs sacra.

Ambigeres, raperetnè Rosis Aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies,
Ros unus, color unus, & unum mane duorum
Sideris, & floris est Domina una Venus
Forsan & unus odor, sed celsior ille per auras
Difflatur,

Aurora & Rosa certamen.

Difflatur, spirat proximus, iste magis
Communis Paphia Dea sideris, & Dea floris
Praecipit unius muricis esse habitum.

Hanc arbitror causam, cur Constãtinus Cæsar lib. 11. cap. 18. de agricultura, scripserit Rosam è Divino nectare in terram effuso dimanasse, attamen non caret admiratione, Rosam adeò eximiæ Majestatis ex spinis productam natamque, quid enim cognatum Rosæ cum spinis? hæ sauciant mordentque: illa blandiens sanat, recreatque. Spinis ignis debetur, Rosis Regum & Principum sacrum caput: hæ sunt in delicijs, illæ in metu. An non simile generat sibi simile? Ex spinis nasci docet Plinius lib.21.cap.4. cùm ait: Rosa nascitur ex spina veriùs, quàm ex frutice, in rubo quoque proveniens, illic etiã læti odoris, quamvis angusti, id est, non latè se spargentis. Audi ex illo naturæ miraculum; Germinat primò inclusa granoso cortice, id est, veluti granis asperso & scabro. quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato (quos papillatos corymbos vocat Sanctus Hieronymus) paulatim rubescens dehiscit, ac se pandit in calycis medio sui stãtis, complexa luteos apices. Usus quoque ejus in coronis nimius est. Præterea in unguenta transit, per se medicas artes præbet. refert & cœli temperies: quibusdam enim annis minùs odorata provenit. Præterea locis, omnibus siccis, quàm humidis odoratior. Tu Lector vide, quàm hæc Rosæ Encomia in rem præsentem faciant; quàm propria Virgini, & quidem majori debita sint aptitudine. tu singula libra: ut Virgo risus, ut prima cura cœli terræque: ut hominum, ut Dei voluptas: ut decus terræ, flos Sanctorum, fastigium gloriæ, gerens insigne regni: aurora Solis prænuncia, Solem Justitiæ, Solem novæ lucis reducẽs. *Per hanc enim*, ut scribit beatus Cyrillus contra Nestorium, *Unigenitus Dei Filius ijs, qui in tenebris, & umbrâ mortis sedebant, lux resplenduit. Magnum naturæ Opificis miraculum, Rosam ex spinis nasci. An non grandius, Virginem ex corrupto stemmate corrupta Eva nasci Virginem? & à peccatrice immaculatam provenire? innocentissimam à nocentissima sine ullius contagione culpæ manasse?* Quare & Rosa apud Veteres, teste Columellâ libr. 10. flos pudicitiæ vocatur. An non Virgo ipsissimæ pudicitiæ flos, & corona pudoris Angelici? an non officina medicinarum? an non subministrat omnia unguenta adversus venena, morsusque tentationum? *Oleum effusum nomen tuum*, Cantic. 1. O Rosa sanctissima! deliciæ terrarum, & deliciæ cœlorum!

Quid rosa cum spinis, & ex spinis orta.

Rosa cum Virgine comparatio.

Rosa ex spinis: S. Virgo intacta manens ex spinis peccatricis.

A

§. XXVII.

De ultima tessera, & nunquam ultimâ: De Lilio.

PRoximum nobilitate (ait Plinius lib.21. cap. 5.) *Lilium Rosæ; & quâdam cognatione unguenti oleique, quod Lirinum appellatur. nec florum excelsitas major, caule cubitorum trium, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri: candor ejus eximius, folijs foris striatis, & ab angustijs in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie calathi resupinis per ambitum labris, tenuique filo & stamine, stantibus in medio crocijs: ita odor, colorque duplex, & alius calycis, alius staminis, differentiâ angustâ.* Sanct. Virgo dixit se Rosam; B sic & Lilium se dixit; *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias hominum.* Similis filio, qui se florem vocat, & Lilium convallium, Cantic. 2. Nunc paucis attentum te volo Lector. Vide, ut singulas dotes Lilij sibi in tesseram gentilitiam despondeat Virgo beatissima. Lilium apud Romanos in numis Imperatorum significabat spem Publicam. In numis Claudij, Pij, Adriani Imperatoris, Dea in manu prætendebat Lilium cum inscriptione: *Spei publicæ*. An non sanctissima Virgo, unica spes Orbis per Filium? Salve Regina, & spes nostra! Salve. quæ spes ulli sine te: tu sidus proprium, & portus omnium; C prærogativa Lilij gloria: symbolum prætereà pudicitiæ & Virginitatis, & inimicum Veneri. Quare & Gentilium Sacerdotes, suis Nymphis Lilia consecrare soliti, & offerre. Quare & Propertius cecinit:

Sæpè tulit blandis argentea Lilia Nymphis
Romula, ne faciem læderet hasta Tati.

Quantus candor in Lilio: quantus candor Virginitatis in Virgine inimicus veneri: quãta puritas? in qua nulla macula residere potest, Cantic. 2. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quid candidius Lilio? quid Virgine purius? ipsa scilicet puritas, & Virginea puritas. Quid Lilio fœcũdius? Plinius lib. 21. cap. 5. scribit nihil fœcundius esse D Lilio; siquidem unâ radice quinquagenos sæpè emittere bulbos. Quid fœcundius Virgine sanctissimâ, quæ Deum peperit infinitum; & infinita millia mortalium peperit Deo. Quis flos excelsior Lilio? effert caput inter omnes flores, ut dictum est ex Plinio suprà. Quid excelsius Virgine? Psalm. 96. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Omnes excedit Sanctos, quia plus in illâ sanctitatis solâ, quàm alijs simul Sanctis collectis. nemo capit illam: illa omnium virtutes collectas tenet, & superaffluit. Oceanus est, omnia in illum flumina fluunt, quibus omnes cùm donet suas opes, nullâ parte sui fit minor: sed dando fit ditior. Rosa, ut medica: ita & Lilium. Plinius ait libr. 2. cap. 19. Radices multis

Lilij proprietates Virgini aptantur.

Lilium medicum & Virgo S. medica.

multis modis florem suum nobilitare contra serpentium ictus ex vino, & contra fungorum venena. Dioscorides verò libr. 3. cap. 90. *Folia*, ait, *herba illita, serpentium morsibus subveniunt: eadem cocta in aquâ, ignis adustionibus, & cum aceto condita vulneribus.* Deindè Dioscorides libr. 5. cap. 1. de alia specie Lilij, quæ Latinis Jris, Jtalis cœleste Lilium, radicem cum aceto potam, venatorum animaliū morsibus mederi docet Matthiolus; in pulverem contusum radicem cum aceto potam, adversus omnia venena prodesse.

Virginis nomen salutare.

Nunc ad Virginem. Quid Orbi salutatius, adversus omnia venena, sanctissimâ, Virgine, ad cujus solius nomen, incantamenta carminum, & dolores latentes mitigantur? quantò magis potestas Virginis serpenti infernò, cujus caput contrivit, erit infestior? Virgo Lilium inter spinas: sicut & Christus. Verùm, ut ipse eas pertulit, & exsuperavit, ita & de Virgine prædicabitur, quia cunctas spinas Hæreticorum, & incantamenta, sola superavit interemitque. Tu Christiane versaris in mundo: plenus est mundus spinis: in aëre sunt, in terrâ sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minimè lædi, Divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Confidite: Lilium Virginis per Filium suum vicit mundum. Considera Lilia agri, quomodo inter spinas vigent, & nitent. Si fœnum quod est hodie, & cras mittitur in clibanum, sic Deus custodit; quantò magis Virgo suos servos? Sicut Deus custodit Lilium inter spinas, id est, Virginem Matrem suam: sic & Virgo suos amicos in medio spinarum. Christus se dicit Lilium, & Mater se Lilium. omnes quippè actiones, colloquia, ortus, & occasus Lilia sunt; denique cum omnibus affectionibus Lilia sunt. Quid horum non candidum, & non suavissimè redolens? In Conceptione sua Filius Lilium, & Mater in sua. Ortum candidavit Virginitas Filij; Matris ortum candidavit gratia Immaculatæ Conceptionis, ut quæ concepta sine macula, instar Lilij prodiret.

Tu absque Lilijs nunquam es, si absque vitijs es. Tu ergo qui hæc legis audisque, sint in corde, sint in ore, sint in oculis Lilia: si vis Dominum, & Liliorum Matrem, in horto animæ tuæ residere. Uterque enim pascitur inter Lilia, inter Virgineos castitatis amores, inter sanctas puras que animas carpit oblectamenta sibi. Nota Virginem pro tesseris gestare rosas purpureas; & Lilia candida?

Rosa & lilia diversa habent castra.

Quid candori cum purpurâ? Decor utriusque, sunt Lilia, sunt Rosæ. Rosæ, purpuratum Martyrium: Lilia, candidam Virginitatem consignant. Rex Martyrum Christus: & Regina Martyrum Virgo sanctissima. utriusque paludamentum & purpura, & candor. Candor, quia uterque corona Virginem, suptus choreis Virginum, quæ coronatæ sertis

A Roseis: nam & Virginitas Martyres facit non sparso sanguine, & coronatæ coronis Liliatis, quæ raptæ de prælio debellatæ carnis, Virginitate servatâ. Hujus sacri commercij, & admirandæ Societatis fœdus, Rosa Chinensis, quæ Romam delata anno 1625. in Decembri sub Natalem Domini, rosas protulit, prælusisse in uno suo flore videtur. Erat videre frōdibus magnitudine, ac formâ pampinos imitantibus convestitam, è Smaragdino dehiscentis calycis conclavi, multiplici foliorum syrmate regaliter explicato in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina quotidie sic æmulantem, ut initio quidem eam candidam, deindè ex candida rubentem, postremò saturo colore pur-

Rosa Chinensis descriptio.

B puream, hoc est, simul aliam; & simul eamdem admireris, & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florum Reginam, quæ tanquam Sol alter, vario fuco lucis, diem coloret, colorum Principes vicissim accedere tributarios. Hæc ex Joanne Baptista Ferrario Senensi, Hebraicæ linguæ Professore in Collegio Romano. Hanc naturæ pompam spectavit & doctissimus juxtà, ac pijssimus Pater Cornelius à Lapide, dignus non mori, nisi mori esset vivere. Ecce quàm benè jugati hi flores: quàm benè candor cum purpura conspiret: in uno flore habes candorem, & purpuram: Virginem, & Martyrem Virginem.

Certemus ergo singuli, ut ad utramque,

C certantes dignitatem perveniamus. Coronas porrigit, & ostentat Deus; vel de Virginitate candidas, vel de Passione purpureas. In cœlestibus castris Pax & acies habent flores suos, quibus Christi milites coronantur.

Tu Lector, imitare decus apis Virgineæ, quæ dum dulci melle distendit cellas, fortuitò mersa per suos perijt amores, quos Martialis acutè depinxit:

Apis mersa suo nectare.

> *Et latet, & lucet Phaëtontide condita gutta,*
> *Vt videatur apis, nectare clausa suo.*
> *Dignum tantorum pretium tulit illa laborum;*
> *Credibile est ipsam sic voluisse mori.*

D

Felicem oppetis mortem? continget si mors digna Lilijs, si Virgineæ instar apis, te amoribus Divinis saturum, mersumque in cœlum transmiseris. an non proprio gaudebis felicis mortis triumpho?

§. XXVIII.

§. XXVIII.

An sanctissima Virgo absolutis numeris sit acclamanda perfectissimè nobilis & omnis servitutis immunis? Et an possit vocari serva?

CAput & Summa hujus Propositionis est: An sanctissima Virgo debeat, & possit serva vocari, & creatura servilis conditionis, quemadmodum ex summa humilitate seipsam ancillam nominavit? Antequam curioso & amico Lectori satisfaciam, nonnullæ Propositiones anteponendæ.

§. XXIX.

Prima erit: An Christus Dominus Filius Virginis possit vocari servus.

NOn est hic quæstio, An Christus secundùm humanitatem non sit minor, & inferior, Deo Patre, quâ sanè inferior est, secundùm illud Joannis: *Pater major me est*. Deindè non quæritur, an non debeat Christus Dominus, Deo Patri subjectus esse secundùm eamdem humanitatem, quâ & subjectus est. Erat ergo subjectus Patri in corpore: quo erat Matri; subditus cùm erat Matri, hoc erat pietatis: cùm Patri, erat potestatis. Quæritur ergo, an Christus conditionem servi sic retineat, ut debeat dici servus, & mancipium in rigore acceptum, qui sui juris non sit, sive bello ut mancipium, sive emptione, sive alio jure sit sub dominatu alieno, ita ut nec liber, nec ingenuus, nec sui juris dici possit?

Dicendum ergo, Christum, quamvis secundùm humanitatem creatura dici debeat, non tamen servus, nec cum ulla servili conditione concipi, aut nasci potuisse. Esto sit creatura dicendus, creaturæ enim ratio, non est fundamentum relationis servitutis. Servitus enim excludit communicationem bonorum, quam humanitas Christi in bonis Deitatis habet: & quamvis sit Deus Dominus, & jure creationis habeat summum dominium in creaturas, ita ut possit eas destruere: non ideò indè oritur relatio domini ad servum, ut Christus ratione istius Dominij possit dici servus. nam etsi pater jure naturæ, filium posset occidere, vendere, & se instituere hæredem, non tamen pater esset dominus, nec filius servus, aut mancipium, quia in honore, & bonis communicationem haberet. Quare Adrianus Papa, & Concilium Fran-

Aliud est esse subditū, & esse servum.

A cofordiense detestantur, & profligant hanc propositionem Elipandi tanquam Hæretici, *Christum Dominum servum esse*. Audiamus verba Pontificis: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, ut adoptivum tum Filium, quasi purum hominem calamitati humanæ subjectum, & (quod pudet dicere) servum eum impij, & ingrati tantis beneficijs, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosâ voce susurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare?* Audiamus Concilium: *Vos gentibus, inter quas habitatis, Christianæ fidei munera intercluditis, dum & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus, adoramus, servum prædicatis, & adoptivum.*

Damnat Pontifex Adrianus hanc vocem: Christus Dominus est servus.

Damnat & Concilium.

B Damnantur ergò Elipandus, & Felix, hujus Auctores erroris, & damnatę hæresis, quâ docebatur nos adoptivos cum Christo secundùm humanitatem adoptivo, & parvulos cum parvulo, & servulos cum servulo generari. Hanc hæresim damnat Adrianus Pontifex, cujus verba proferemus: *In ipso articulo Passionis, in quo servilis forma pati parata erat, ubi omnis humanæ conditionis infirmitas monstrabatur: non eum Dominum appellavit, sed Patrem: Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste, quoniam magnum pietatis Sacramentum, quod apparuit mundo, juxta Pauli vocem, assumptum est in gloriâ.* Nullus unquam Euangelistarum, nemo Apostolorum, servum commemorat, sed Dominum, & Salvatorem. Quàm pulchrè anticipavit hanc doctrinam Leo Papa Primus, Sermo. 1. de Nativitate: *Assumpta est*

Nullus Euangelistarū, nullus Apostolorum Christum servum vocavit.

C *de Matre hominis Domini natura, non culpa: creata est forma servi, sine conditione servili, quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut veritatem susciperet generis, & vitam excluderet vetustatis.* Attende ad hæc verba: *Assumpta est de Matre, hominis Domini natura*, in quo planè convincit non esse servum, sed Dominum. His Pontificibus prælusit sanctus Augustinus, Homiliâ 46. *Dominus etiam noster in forma servi, non servus, sed in forma servi, Dominus fuit*. Pro Christi libertate, sic loquitur Eusebius Emissenus, Homil. 6. de Pasch. *Ex alia Regione venturus erat, ut offerri absolutus pro debitoribus: pro iniquis, Iustus: pro peccatoribus, innocens: pro hædis, agnus, quo esset exterius ejusdem generis, at*

Leo Christum Dominum non servum vocat.

Idem firmat & Augustinus.

D *longe alterius libertatis.* Vide, ut contraria contrarijs opponat: peccatori innocentem: hædis agnum, exterius ejusdem conditionis, generis scilicet, sed longè alterius libertatis.

Cyrillus denique Alexandrinus in expositione Symboli: *Accepit* (scilicet Christus) *formam servi, ut liberi, non servus existens, ad libertatis transijt gloriam. In similitudinem hominum factus est, qui in forma, & in Patris æqualitate non homo existens, ut fieret in similitudinem Dei, secundùm participium locupletatus est.* ac si diceret: Formam servi accepit, sed liberi manentis: & ideò dixit: *ad libertatis transijt gloriam*, quod secundùm humanitatem est intelligendum.

Quare absolutè liber, quia homo dicendus est Christus, nec servus dicendus secundùm

dùm humanitatem, nec quidem cum additamento ex Adriano Pontifice convincitur: cùm enim dicitur, *Pater major me est* secũdùm humanitatem; non dicitur Dominus meus est. Quare hoc quià Pontifex non vult Christum dici servum. Deinde Adrianus vult hæc verba (*Hic est Filius meus dilectus*) dicta secundùm humanitatem: ipse enim unus, & proprius, & dilectus est Filius, & non servus, nec adoptivus. Validiùs Concilium Francofordiense confirmat veritatem. *Quid est aliud dicere, eandem Virginem servum, vel adoptivum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed Filius* (naturalis scilicet, de quo inferiùs dicẽdum) *quia alia est persona proprij filij, alia adoptivi, vel servi*. Psal. 13. Addit Concilium: *Credamus ergo Dominum, & non servum, ipso dicente: Vos vocatis me, Magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim, qui verè sum Deus, verusque Dei Filius in vtraq; natura, Divina scilicet & humana.* Sociavit ergo sibi mediator Dei, & hominum, naturam nostram nobiliore modo, quatenùs gloriosâ, & propriâ nobilitate, nostræ servitutis redimeret ignobilitatem. Nihil efficacius Damasceni de Fide cap. 21. sentẽtiâ, ubi probat Christum Dominum nec ignoratione laborasse, nec naturam servam assumpsisse. & paulò pòst addit: *Quin illud quoque sciendum est, cum nec servum quidem dicere, nobis licere.* & probat: *Sanè enim servilis ordinis esset caro, nisi Deo Verbo copulata fuisset; at cùm semel personaliter unita est, quónam pacto in servilem classem redigetur?* ex hâc ratione debent solui Prophetarum voces, quales sunt Jsaiæ, 42. & alijs locis ubi Christum vocat servum. Audi Damascenum, ex quo perspicuè constat cum appellatione dumtaxat, ac nomine servum dici, cum nostrâ causâ formam servi susceperit, ac servus nobiscum vocatus sit. Quare si in Christo aliqua ratio servitutis existeret, nõ solâ voce servus diceretur, sed reipsâ esset: cùm tamen Damascenus dicat, appellatione tantùm servum dici. Deindè ex Damasceno nullâ ratione Christum posse dici verum servum secundùm humanitatem, cum additamento scilicet, quod si dici posset, ipsi humanitati servilis conditio inesset. Cõtra quod pugnat Damascenus, ut suprà: *Servilis enim*, inquit, *ordinis esset caro, nisi Deo Verbo copulata esset; at cùm personaliter unita sit, quónam pacto in servilem classem redigetur?* Assumptione ergo ipsâ ingenuitatis statum caro est consecuta, propter personalem cum Deo Verbo unionem, ita ut nec serva esset, nec in vlla ignoratione versaretur. Quare & factum est, ut Patrem Deum etiam suum vocaret, quasi diceremus: Deum vocavit Patrem suum, non Dominum.

Efficax probatio Christum non posse dici servum.

Christi caro ingenua, non servilis.

§. XXX.

Nunc ex conditionibus servi convincamus Christum Dominum non esse servum.

Quis servus dici debeat.

SErvus is dicitur, qui ita sub alterius dominio est constitutus, ut cum eo nec in bonis, nec in honore, nec in sede communicet. Sic & definit Aristoteles servum, 1. Politic. 3. dum dicit esse alterius. Quomodo ergo admittemus illam Propositionem, *Christus quantum ad humanitatem est servus*, quandoquidem definitio servi accommodari Christo non possit? An non humanitas Christi venit in communionem bonorum divinorum, quia unione Deificata, & sanctificata, quamvis humanitas sit naturâ inferior, & subjecta manserit Deitati? An non jure, filius est patri subjectus, & tamen servus vocari non potest. Et dic mihi, cujúsnam igitur servus erit? Patrísnè? An non omnia bona quæ pater habet, filij quoque sunt, si quidem patris est filius, juxta illud Joan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* & 16. *Quæcumque habet Pater, mea sunt.* 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Christi sunt verba quatenus hominis. Christus ergo etiam secundùm humanitatem communicat in omnibus bonis cum Patre; ergo servus Patris esse non potest. atque eadem ratione, neque secundùm humanitatem potest esse servus sui secundùm Divinitatem, quia sicut humanitas habet communicationem cum Patre in bonis, habet etiam cum Filio secundùm Deitatem.

An non admirabilis communicatio humanitatis in Christi bonis? an non admirabile, quòd plenitudo Divinitatis habitet in Christo corporaliter, id est, verè, & secundùm essentiam, non solo affectu, & participatione, ipsaque sit vnctio, quâ delibata ipsa humanitas à Verbo Deificetur, & sanctificetur. Undè & Christus dicitur vnctus, quem Pater sanctificavit.

An non ingens communicatio humanitatis in bonis Dei, quòd illa sic Deificata digna sede Majestatis Divinæ reddatur, & eodem cultu quo Deus adoretur? an non quia humanitas juncta Divinitati? An non serva Viro nobili tradita, servile amittit nomen, & transit in ingenuæ, & liberæ conditionem? An non arctiùs sibi copulavit humanitatem Divinitas, quàm fœdus conjugij conjuges? Planè arctiùs. Si inter conjuges sit bonorum intima communicatio, cur non inter naturam humanam, & Divinam intimè sibi unitas? An non ideò Christi humanitas æterni Patris est recepta sinu? An non ideò illius gloriæ sociatur in throno, cujus natura copulabatur in filio? An non ideò sedet ad dextram Dei Patris?

Humanitas juncta Divinitati nequit esse serva.

Serva juncta nobili, fit ingenua.

tris? An non eadem est sedes Dei, & agni? A

Hanc humanitatis sessionem Damascenus lib. 4. de Fide cap. 2. explicans, sic scribit: Per Paternæ dextræ sessionem nihil aliud significamus, quàm Divinitatis honorem atq; gloriam, in qua cùm Dei Filius, ut Deus, ejusdemq; cum Patre substantiæ ante sæcula esset, ad extremum incarnatus corporeo modo considet, in eamdem nimirùm gloriam asscitâ ipsius carne: una enim eademque cum sua carne adoratione, ab omnibus rebus conditis afficitur. Uxor intimè juncta marito, non in eâdem sede cum marito sedet, quamvis sub eodem thalamo collocata. Christi ergo humanitas altiùs copulata Divinitati, in eadē sede qua Deus considet, præ omnibus creaturis est collocata. Non mireris ergo, si B humanitas, Deitatis nomen sit consecuta, nam ille homo non Divinus, sed Deus θεάνθρωπος, id est, Deus homo. & ex doctrinâ Nazianzeni in Oratione 2. de Pasch. quæst. 42. ὁμόθεος simul Deus. & Damascenus lib. 4. de Fide cap. 19. Qualiter autem ille homo potuit habere nomen Dei, docet Fulgentius lib. ad Trasimundum: *An non ideò quia à Deo susceptus, cum eo possidet nominis dignitatem, sicut vinculo conjugij uxor serva, dignitatem & mariti, & nominis consequitur, & transit in gentilitia domus stemmata: & si maritus Rex, vel Dux vocetur, obsoleto nomine servili, Regina, vel Ducissa vocatur,* ut dicitur in Authentico §. de Consulib. *si autem uxor:* multò magis intimè humanitas ad Deitatem elevata, à quâ ex toto, C ut ferrum igne candenti penetratur, & evehetur ad titulos, & honores ipsius Divinitatis, quæ infinitis modis curiosiùs suam humanitatem fovebit, custodiet, honorabit, & ossa, & carnem humanitatis suam faciet, quàm vir suæ uxoris carnem, & ossa, quæ tanquam sua facit, & æstimat. Sicut ergo uxor & maritus sunt duo in carne unâ, sic humana natura & Divina, unus Christus, qui ὁμόθεος vocatur, Deus simul & homo. Christus ergo est indivisus & unus. Quare optimè Damascenus lib. 3. de Fide cap. 22. contra eos, qui Christum servum dicunt: *Ij autem, qui servum cum dicunt, unum Christum instar Nestorij in duos dividunt. nam in una persona ejus humanitas sub conditione servili non potuit manere,* D *cùm habeat communicationem in bonis, honore, & nomine, quod statui, & servili conditioni repugnat.* Felix ergo, & Elipandus, quòd Christum servum dicendum esse, docerent, ab Adriano Pontifice, & Concilio Francofordiensi bis habito, tanquam Hæretici condemnati sub annum Christi 792. sicut & condemnatus uterque hæreseos, quòd dicerent Christum esse filium adoptivum, in quantum homo est.

Uxor titulis conjugij beneficio transit in familiam mariti.

§. XXXI.

De quâ propositione nunc tractandum.

NOtandum Primò. Adoptari convenit soli creaturæ rationali habenti charitatem, quamvis in adoptato nulla præcesserit culpa. Deinde ut sit extraneus adoptanti, ac proinde non sit filius naturalis, verùm solo affectu, & desiderio jungatur adoptanti, qui externum & alienum sibi, in jus hæreditatis discernit legum suffragio admittere.

Conditiones adoptati.

Notandum Secundò. Quamvis Deus habeat filium unicum sibi æqualem, cum quo beatissimè vivit, tamen ex bonitate sua infinitâ decrevit plures producere filios; non quidem naturales communicatione naturæ suæ, qualis unicus ipsius filius productus, sed infusione sanctitatis & gratiæ, & donorum cælestium, quibus elevantur ad jus hæreditatis æternæ acquirendæ. Quare etiamsi creatura rationalis sit à Deo creata, & ideò sua, non tamen filij nomen, vel jus ad hæreditatem æternam consequitur, nisi gratiâ sanctitatis quodammodo Deificetur, quâ peculiari ratione dicitur transire in Dei adoptantis, tanquam Patris amicitiam. Hoc ipsum præclarè docuit Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 46. *Adoptamur in Regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti, & creati, hoc est, conditi, ut unum beneficium sit, quo nos fecit esse per omnipotentiam suam: alterum, quo adoptavit, ut cum eo tanquam filij, vitâ æternâ pro nostra participatione frueremur.* Et sanè ita est, nam per creationem non obvenit nobis jus ad æternam beatitudinem, quę solis destinatur filijs, quos per sanctitatis infusionem adoptavit: poterat enim Deus ad beatitudinem naturalem destinare, nec amicos, aut suæ naturæ consortes facere, sed permittere rebus cursum, vel ad beatitudinem naturalem destinare.

Gratia sanctificans adoptationibus causat.

Notandum Tertiò. Homines & Angelos propriè in filios adoptari: formalis enim ratio adoptionis adæquatè in illis reperitur, quæ in hoc posita est, ut sit assumptio alicujus extranei in filium ex gratuita voluntate. Ecce habes totam substantiam veræ adoptionis. Adoptio ergo Divina est justificatio, quam Augustinus vocat generationem spiritualem lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 64. *Dedit enim illis potestatem filios Dei fieri.* Joannis 1. & Petri 1. Epist. 1. *regeneravit nos in spem vitæ æternæ.* & cap. 3. *ut filij Dei nominemur, & simus.* Priusquam itaque justificemur, non sumus filij etiamsi creati, sed gratuitâ Dei voluntate, & desiderio sua bona communicandi. Justificat ergo sibi extraneos, id est, non amicos, quamvis suos, ut dictum est, & justificatos, & sanctos generat per gratiam

Substantia adoptionis in quo posita.

gratiam filios, quemadmodum generatione naturali filium pater.

§. XXXII.

His positis, ad quæstionem propositam, Num Christus in quantum homo, possit dici filius adoptivus.

Prima filiationis natura.

QVadruplicem invenimus filiationem: Prima & æterna, quâ Pater infinitâ fœcunditate naturæ Divinæ, & intellectûs infiniti immensitate seipsum cognoscens, & contemplans, gignit Filium per omnia sibi æqualem, communicans necessitate naturæ, plenitudinem suæ essentiæ Filio genito.

Secunda filiationis conditio.

Hanc filiationem natura in rebus humanis imitatur, dum Pater per generationem carnalem generat sibi filium, qui sibi naturaliter, & substantialiter unitur, & per veram germanamque relationem ad patrem, dicitur filius generantis, à quo vitam, & naturæ, & substantiæ suæ principium accepit.

Tertia filiationis conditio.

Tertia filiatio est, quando quis extraneus affectu & voluntario amore ab alio in filium adoptatur, & dicitur filius adoptivus, quia gratia, & amore intercedente, transit in familiam adoptantis. & hæc est filiatio per adoptionem.

Quarta filiationis essentia.

Quarta filiatio est ea, quæ Christo Domino, tanquam homini advenit, & constituit Christum Dominum, in quantum homo, Filium Dei naturalem, non quidem per generationem naturalē, quâ natura communicatur, sed per generationem gratiæ, quæ fit communicato naturalis. Quando enim humanitas Christi ita arctè, ita intimè unita fuit Divinitati per unionem Hypostaticam gratiæ humanitati debitæ, facta est Christo naturalis, & dicetur naturalis Dei filius, non eâ generatione, qua Filius Dei gignitur à Patre æterno, nec ea qua Pater in terris generat Filium per transfusionem suæ essentiæ, nec ea qua quis adoptatur in filium adventitia charitate, & affectu voluntario.

Quo pacto dictus Christus Dominus verè filius Dei naturalis quà homo.

Verùm ratione unionis personalis, qua substantialiter, & naturaliter unitur alteri (ut postea dicemus) non per cōmunicationem naturæ, sed per generationem gratiæ: cumque talis gratia, qua quis hoc modo gignitur in filium, sit illi naturalis, verè filius dicitur naturalis, quia sanctificatur per naturam Deitatis, cui per unionem penitus conjunctus est, atque ita conjunctus, ut ignis suo candore non altiùs penetret ferrum ignitum, ita ut & ferrum ipsum, ignis videatur, non ferrum, manente tamen utriusque elementi materiâ in suo integro. Sic Deitas per unionem, humanam naturam sibi copulatam transfudit, & penetravit Majestatis suæ infinitę immensitate, ut tota Deificata sit, & una persona, perseverantibus integrè naturis constituatur, & utrique per communicationem idiomatum fiant communia. Undè & illæ propositiones sunt verissimæ: *Deus nascitur; Deus moritur; Deus quasi ad nihilum redactus.* quo pacto Christus in quantum homo, est filius Dei naturalis, qui ut homo jam elevatus, subsistit per unionem Verbi subsistentiâ Divinâ, & ὁμόθεος vocatur, homo simul Deus, ut suprà dictum.

§. XXXIII.

Ad majorem claritatem.

ADdam ex Alberto Magno in 3. dispur. 10. artic. 13. qui clarè ostendit, quâ ratione Christus, quà homo, sit dicendus filius Dei naturalis.

Dupliciter quis potest esse filius naturalis.

Bifariàm potest esse aliquis filius naturalis. Primùm: per donum aliquod; intelligit ipse per gratiam amoris & charitatis: quem modum dicit esse adoptionis & similitudinis tantum. Deinde per esse naturale patris sibi communicatum; quod licet dono & beneficio communicetur in creaturis, ratione cujus dicitur, Parentibus parem gratiam referri non posse pro beneficio generationis; nihilominùs non constituit filium similitudine, seu amore solùm, sed naturalem. Hoc autem & dupliciter contingit; ut dicit Albertus: tum per naturalem generationis productionem, per quam filius de substantiâ patris accipit naturam ab eo: tum etiam per substantialem vnionem cum illo in eadem persona. Priori modo: Verbum secundùm Divinam naturam, est naturalis Filius Patris; & vnus homo, est naturalis alterius hominis filius. Posteriori modo: Christus secundùm humanitatem est filius naturalis Dei; sic enim non similitudine, & effectu est filius, sed vnione substantiali. nam qui est alterius filius, ratione vnionis personalis, & ei substantialiter, & naturaliter vnitur; non adoptivus, sed naturalis ejus filius est. Atque hoc genus filiationis non est per generationem naturalem, quâ communicatur natura; sed per generationem gratiæ: cumque talis sit gratia, quâ gignitur aliquis hoc modo in filium, ut dicatur ipsi naturalis, necesse est sanctificetur per naturam Deitatis. Quo pacto Christo Domino dicebatur, gratiâ vnionis naturalis; & ideò filius hoc modo etiam dicitur naturalis, & non potest adoptivus dici; quia adoptio est per gratiam, quæ non conjungit reipsâ, sed solo affectu. Sicut ergo Christus natura ipsa Deitatis, & sanctitatis sanctus est; ita etiam naturalis filius Dei sanctificantis dici debet; eò quòd sanctificatio per naturam, non per effectum, filium eum facit.

Hanc doctrinam confirmat Ildefonsus lib. adversus eos, qui disputant de Virginitate sāctæ Mariæ, ubi de Christo dixit, *Non illum, ut*

ut cetteros adoptio filios, Dei Filium fecit; sed Divinitatis natura in proprium Dei Filium exaltavit. Nota illud verbum *Proprium*, non extraneum, prout Paulus ad Roman. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit*: ubi expressè loquitur de Christo, in quantum homo est.

Adoptivus ergo filius, Christus esse non potest; quandoquidem humanitas sit juncta Divinitati mediâ unione hypostaticâ, non solo affectu, & charitate, quâ perficitur adoptio. Ad hoc autem, ut gratia habitualis faciat filium adoptivum, tanquam necessaria conditio requiritur *negatio unionis realis & substantialis*; ita ut sola maneat conjunctio charitatis & affectus, quæ est adoptatio: gratia verò habitualis facit homines adoptivos filios, quia nos conjungit Deo per amorem & affectum. Humanitas Christi autem habens claritatem habitualem ratione illius; in Christo non est adoptata, quia adoptio unione substantiali impeditur.

Discrimen filiationis inter nostram & Christi Domini.

Faciamus ergo conclusionem: Christum dici naturalem Dei Filium, non ratione filiationis æternæ, sed generatione gratiæ, quæ confertur humanitati, intimè Deitati unitæ: à quâ sanctificatur, ex cujus sanctificationis vi, præcisè jus ad gloriam habet; non quia terminatur filiatione Verbi, sed quia Deitate sanctificatur; ac proinde unitus filiationi divinæ, si non esset sanctus, non haberet jus ad gloriam. Ex Patrum etiam auctoritate constat, non posse dici Filium adoptivum. Damascenus *lib. 4. de fide cap. 8.* cum Christus dicit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; non dixit, Patrem nostrum, sed Patrem meum, naturâ videlicet: & Patrem vestrum, beneficio & gratiâ; Deum meum, & Deum vestrum; non dixit Deum nostrum, sed Deum meum. Nota nunquam à Christo Patrem, Dominum vocatum, ut rectè Augustinus *lib. contra secundum Manichæum cap. 5. Lege Scripturas, nunquam invenies de Christo dictum, quod adoptione Filius.* Adrianus Papa probat *ex cap. ad Roman. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit*: si proprius, quomodo adoptivus? *Scimus*, inquit Adrianus, *quod non sit traditus secundùm Divinitatem, sed secundùm quod erat homo.* Et Matthæi 16. ubi à Petro vocatus Filius Dei vivi: *Tu es Filius Dei*, qui propter nos es factus Filius hominis. Probat præterea Adrianus Papa ex illo Matthæi 3. & 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui*: in quo scilicet naturali, non adoptivo. Nam ut aliqua persona adoptetur, oportet non esse naturalem filium, sed extraneum esse adoptanti: ergo ut à Deo aliquis adoptetur in Filium; debet esse extraneus, & aliàs non naturalis. Christus non fuit extraneus; ergo non potest esse adoptivus. Et hæc est ratio Adriani Pontificis in Epistolâ, ubi reprehendit eos, qui dicebant Christum esse adoptivum: quasi, inquit, alienus aliquando à Patre fuerit, aut per

Deus Pater naturâ suâ est Pater Christi Domini.

A carnis assumptionem factus ab eo extraneus; ex quâ definitione concludit: & eos valdè, inquit, execramur, qui eum, scilicet Christum, adoptivum impio grunniunt ore; quia sicut præfati sumus, adoptivus dici non potest, nisi is, qui priùs est alienus ab eo, à quo adoptari desiderat.

Argumento ergo duplici totam materiam absolvamus.

Primum argumentum. Ille qui adoptatur in filium, non secundùm naturam; sed solo affectu, desiderio, charitate; ut dictum est, conjungitur adoptanti (hoc enim verbum *adopto* significat; est enim desiderantis velle aliquem in filium substitui, qui sibi extraneus est.) Sed humanitas Christi non fuit

B conjuncta Deo, solo affectu; verùm reipsâ: Ergo per Assumptionem carnis non potuit adoptari: Ergo Christus nullâ ratione potest esse filius adoptivus.

Alterum argumentum. Quicumque adoptatur, semper naturâ suâ ita est adoptanti extraneus; ut post adoptionem semper maneat extraneus, nec ullâ naturali conjunctione propinquus: Sed Christi humanitas naturâ suâ etiamsi sit extranea, post Assumptionem naturaliter mansit unita, hoc est, reipsâ secundùm veritatem naturæ: Ergo non potest intervenire adoptionis modus.

Dicamus ergo de Christo: Tu es verus naturalis Dei Filius, non servus, non filius adoptivus, sed verus Dei Filius naturalis. De

C quo dixit Pater, Matthæi 3. & 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui.* Si Filius: Ergo nequaquàm servus. His præmissis, relegamus iter, & ad propositam Thesim redeamus, quæ erat:

§. XXXIV.

An sanctissima Virgo possit vocari serva.

OBservatum volo ex Juristis, & ex Petro Gregorio de Repub. tria esse hominum genera. Quidam liberi atque ingenui, qui nunquam servierunt: Alij liberti, qui ser-

D vierunt, id est, qui aliquando servitutis pœnæ fuerunt obnoxij; sed tamen per manumissionem libertatem sunt adepti: Alij servi, qui in ipsâ servitute semper manent. De Libertis ergo dicit Marcianus Imperator: Libertatis nota & macula quædam inter ingenuos remanet, utpote ob receptum beneficium ab illis, à quibus acceperunt.

Diximus autem piè in disputatione vindicias Immaculatæ Conceptionis antecedente: sicut & ipsis vindiciis Virginem non fuisse obnoxiam peccato originali, nec obligatam ad debitum incurrendi; sed extraordinario modo gratiæ divinæ per merita Filij permansisse liberam, ut nulla macula, vel nota potuerit adhærescere. Quare nec servam asserimus,

rimus, sed liberam & omnem notam infamiæ à tantæ Matris Majestate propulsamus. A Nam, teste Aristotele, in Problematibus *sect.29.quæst.13.* etsi iniquum etiam fuerit, liberam asseruisse eam, quæ serva est, longè tamen iniquius servam utcumque servisse eam, quæ libera est. Cùm enim dicis servam, quid existimas dici? nisi quod dici solet in materia servitutis; majoris esse, scilicet, infamiæ, nasci Matre servâ, quàm esse Matrem servam: omnis enim gravitas sceleris & infamiæ descendens per gradus, proximum quemque magis afficit dedecoratque. Quare si Matre servâ natus est Christus, gravissima nota servitutis inuritur Christo: quandoquidem servitus morti comparetur; quod pugnat contra definitionem Adriani Pontificis, & Concilij Francofordiensis, & Patrum B auctoritatem.

Si Dei Mater dicatur serva Christo nota inuritur.

Voluit quidem Filius Dei à Majoribus & Antecessoribus trahere originem à peccatoribus; ut in similitudinem carnis peccati, quasi peccator nos redimeret: & servitutem servire voluit, ut filios Dei crearet. Quod ipsum vehementer extulit Chrysostomus, *homil. 2. in Matth. Sed propter hoc ipsum maximè mirare, quia cùm verus & dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam filius David peccatoris, scilicet, esse dignatus; modò ut te faceret Filium Dei. Servum Patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum: ut ostenderet ardorem sui amoris adversus homines, & vinculis arctissima obligationis sibi constringeret; homo fieri voluit, & Patrem habere servum: at ut ostenderet, quanti Matrem æstimaret; decuit omni auctoramento, & servitute liberare eam, quæ in suam Majestatem redundaret.* C

Quis credet Dominum cæli & terræ, & Reginam Angelorum atque hominum, vitam infaustâ morte infeliciorem transegisse? Transegit autem, si servam eam faciamus. Cùm Pontifice ergo Adriano, & Concilio Francofordiensi evicimus, Christum Dominum non posse dici servum: quomodo enim is, qui absolutum & perfectissimum in omnia habet Imperium atque Dominium, potest esse servus? An forte Christus, qui unus est, potest esse divisus? divisus autem erit, & non unus, si idem sit supremus omnium Dominus, & servus. Si ergo Christus, qui Filius est D Virginis, servus dici non possit: quo ore, & linguâ, & calamo Matrem servam affirmabimus? Omnes leges contestantur, Matre servâ natum, esse servum, & filium, Matris sectari conditionem. Dicamus Matrem liberam, qui dicimus Filium liberum; quomodo ergo liber & ingenuus erit filius, Matre serva? Dicamus ergo liberâ & ingenuâ Matre natum Christum Dominum. Hujus materiæ prosecutionem differam in ultimum hujus materiæ locum.

Si Mater serva, ergo & Christus servus.

§. XXXV.

Pulchrè & fructuosè quæri potest, quâ ratione sanctissima Deipara vocaverit se ancillam & servam.

Certum est, Christum Dominum Virginis Filium, in quantum homo, nullâ ratione servum vocari posse, nec unquam potuisse, cùm nullum tempus intercesserit, quo humanitas non fuerit unita Divinitati, ut dictum est. Nam anima non priùs fuit unita corpori, quàm utriusque partes compositi fuerint unitæ Divinitati. Si enim priùs fuissent unitæ inter se, illud compositum potuisset dici servus pro illo tempore quo substitissent. Cùm verò hoc ita non acciderit; sed utraque pars compositi priùs naturâ, non tempore, divinâ subsistentiâ substiterint, quàm inter se; nullâ ratione nomen servi intervenire potuit. Et quamvis apud Isaiam, voce Patris, Filius servus vocatur: *Ecce*, inquit, *servus meus*; illud nomen servi, metaphoricè, & per similitudinem accipiendum est. Non enim Filius Dei etiam secundùm naturam humanam servus esse potuit, quæ in Dei natura subsistebat. An autem Virgo, quæ purè erat creatura, vocare potuerit se servam, jucundum erit paucis explorare.

Servitutis ergo inprimis natura inspicienda, quæ sanè ejusmodi est, ut sit infimus & vilissimus gradus, qui dari possit: qui & ideò summam inæqualitatem, si cum Domini conditione, atque eminentiâ conferatur, importat. Unde & Aristoteles luce naturæ ait, 1.*Polit. cap.*8. *Servus non habet deliberandi arbitrium.* quasi diceret: Ita est alterius, ita mancipatus, & obnoxius alienæ voluntati, quasi translatus in Domini arbitrium, arbitrio careret. Amicitia verò per amoris potentiam, quæ duorum animos vincit, pariat, & similes sibi facit, in æqualitate consistit, ut idem 3.*Polit. cap.*10. docet, dum ait: *Par & similis.* & 9. *Ethicor.* vocat *quemlibet amicorum, alterum se.* Et Marsilius Ficinus in Platonem, docet amicum, esse speculum amici, in quo imaginem sui contemplatur. Servitus ergo naturalis trahens secum, & importans subjectionem naturalem ad Deum, non potest stare cum debito naturalis amicitiæ inducenti quamdam æqualitatem, & quasi identitatem cum Deo, quæ fit per communicationem divinæ gratiæ, quâ homo elevatus supra conditionem servilem, & libertate donatus, transit in libertatem Filij Dei; sublimiori modo, quàm servi apud Romanos libertate donabantur. Quod explicans Divus Petrus *Epistol. 2. cap.1.* dicit

Miserrima servi conditio.

nos

nos fieri per gratiam Divinæ consortes naturæ, & fieri filios regni. Quod patet ex favore Principum, si vilissimum mancipium, Regis favore extrinseco elevatur ad intimam Regis amicitiam, multò tamen magis videtur repugnare ex Principijs essentialibus naturam creatam servam in infimo excogitabili gradu elevari per gratiam, & ad summam, & intimam amicitiam summi Dei. Et sicut Rex potest se dimittere ad amicitiam servi, elevando illum ad statum amici; non potest tamen servus, quâ talis est, ex se ascendere ad amicitiam Regis; sed tantùm ex favore, & elevatione Regis super omne debitum. Ita dicendum de qualibet creatura in ordine ad amicitiam Dei, respectu cujus dicit servitutem incomparabiliter majorem, quàm quilibet subditus, respectu Regis. Quando autem creatura serva dicitur adoptari in Filium Dei, hoc fit dono gratiæ Divinæ, quâ homo exutus servitute; potentiâ Divinæ gratiæ in Divinam naturam transit; juxta Joannem 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri* per elargitionem gratiæ Divinæ. Et hâc consideratione sanctissima Virgo explorans ortûs sui principia, & vilissimam naturæ suæ conditionem, clarè perspiciebat se servam, & gratuito favore, & solâ gratiâ per gratiæ dignitatem ad eum statum elevatam, quo major in suo genere nec dari, nec excogitari posset. Dum itaque suæ naturæ, & verissimæ servitutis perspicacissimis oculis rimatur, ex vero exclamat: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*, qui ex serva, scilicet futura, fecit liberam, qui servam fecit Matrem, & ideo *Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Serva ergo, & ancilla verè sum, & dicor ex principijs naturæ: libera, & Mater ex principijs gratiæ.

Quaratione homo elevatur ad Dei amicitiam.

Deinde Sanctissima Virgo, sicut in Conceptione sua, ita & in sacra Annuntiatione, dum summo operi Divino cooperatur, Deum vidisse credimus, sicut dictum est. In hac autem visione & contemplatione Deum perfectissimè, quantum fas fuit, contemplans cognoscensque, clarissimè perspiciebat, hanc scientiam, & cognitionem Divinæ naturæ sibi non esse connaturalem, ex eo quòd ex naturæ suæ principijs serva esset, & ideò profundiùs sese humiliando, & deprimendo, rapiebatur in amorem Dei vehementiùs, quàm ex consideratione gratiæ, de quâ dictum est, per quam erat elevata ad amicitiam Dei: Visio enim, est multò perfectior sanctitas, & amicitia Dei, quàm sit ipsa gratia, quia per visionem intellectio est objecti, quod per intellectionem ponitur inter potentiam secundo de anima. sic intellectio Dei, ut in se, est quædam Dei possessio, & ideò in ea consistit beatitudo, tanquam possessio summi boni; ut patet ex Divo Thoma p. 2.

Virgo sanctissima quando Deum viderit.

Visio Dei nobilior gratiâ Dei.

A quæst. 3. art. 4. *Videtur autem repugnare, deberi servo possessionem Domini, & multo magis videtur repugnare deberi possessionem summi boni, qui sumus servi naturâ: alij verò servi ex lege, & violentiâ*, 1. Polit. cap. 4. *Servitus autem creaturarum, respectu Dei, est ex principiis naturalibus, & natura intrinsecus, ideò creatura non potest per suas vires naturales pervenire ad visionem Dei, quæ quædam est possessio, Dei possessio autem Domini transcendit naturam servi.* Quod præclarè tangit sanctus Maximus 2. Centuriâ Theologiæ cap. 2. ubi dicit: *Deum non esse aliquid eorum, quæ naturaliter intelliguntur; sed super ista, quia naturaliter subjiceretur intelligenti.* Et Aristoteles 1. Metaphysic. cap. 2. hanc rationem mirificè insinuat, Divinam

B scientiam, & quæ Divinorum sit. Natura hominum multipliciter in plerisque serva est. Quapropter secundùm Simonidem: Deus utique solus hanc habet dignitatem, & ab hac scientia removet omnem creaturam. Et Xenophon in Epist. ad Æschinem ait, quod res Divinæ supra nos sint, & quod ipsarum excellentiam venari sufficiat ex creaturis scilicet: quinam verò sunt Dij, nec inveniri facile est, quippè servorum non interest, scire naturam Dominorum suorum, ut quibus nihil aliud conveniat, quàm servire.

Servorum non est cognoscere suorum dominorum arcana.

Cognoscebat ergo primùm, ex principijs naturæ Sanctissima Virgo naturâ suâ, & origine se servam, sed per gratiam non so-

C lùm ad Dei amicitiam, verùm etiam ad jus Maternitatis esse provectam: cognoscebat prætereà visionem, & scientiam Divinæ naturæ non esse connaturalem suæ conditioni, sed ex Dei munificentiâ in alterâ vitâ tanquam auctoramentum, & præmium laborum conferri.

Res Divinæ transcendunt hominum conditionem, quia servi sunt.

Cùm itaque extraordinario privilegio, & singulari Dei bonitate videret in hac vitâ, & in statu viatoris visionem beatificam concessam, donatamque scientiâ rerum Divinarum, exclamabat: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus, quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, cui ex principijs naturæ nihil debebatur eorum; quæ

D munificentiæ Divinæ beneficio collatæ erant, cùm serva esset, & ideò ex abundantia exuberantis cognitionis propriæ, vocabat se servam, quia talis futura, nisi manus Altissimi tot gratijs, & privilegijs prævenisset.

Quare S. Virgo vocavit se ancillam.

Si itaque in rigore, & ex lege naturæ, & lege civili loquendum sit: Mater Dei, hoc ipso quo Mater est, serva esse non potest, imò nec dici: si enim Pater in Filium Regem rebellans, deindè filij captivus; jure belli captivus Pater Filij servus esse non potest, quia jus naturæ ipsi insitum est, ut Patria potestas nullo casu tolli, nisi naturâ violatâ possit: naturaliter enim causa causati, & lux solis dum subsistunt, permanent, unde ducunt originem intrinsecam, sine

quibus esse desinent. Relatio ergo Patris ad Filium æterna est, & nunquam quamdiu filius, est Filius, Pater esse desinet, ut aqua ab ipso capite fontis emanans. Mater ergo Dei ab æterno electa à Deo Patre in Filiam, & in Matrem sui Filij, qui nunquam servus esse potest, ut dictum est, quo titulo dicetur, Mater serva, nisi Filium Dei Patris, Filium servæ decernamus, vel Filium liberum natum Matre servâ? quod sanè dici qui poterit non video.

Filius ingenuus dici non potest qui Matre servanatus.

Quando ergo sanctissima Virgo vocat se ancillam, consideravit non suum præsentem suæ felicitatis statum, sed eum, in quem incidere ex principijs naturæ potuisset, & debuisset, nisi sanctissima Trinitas eam omnibus privilegijs, gratijs, & omnis libertatis donatione prævenisset. Dicam ergo sanctissima Virgo, iterum & iterum te beatissimam, & nullo servitutis jure, vel lege depressam, verùm omni libertate liberiorem, liberrimam in Conceptione, in vita, in morte, & omni sanctitatis, & libertatis flore coronatam, quia Filia, & sponsa sanctissimæ Trinitatis, & Mater Unigeniti Filij, Dei Patris.

Qua ratione dixit se servam Mater Dei.

§. XXXVI.

Probatio ex Cantico Canticorum, Virginem non esse servam.

RESTAT probandum, primum ex Cantico Canticorum, Divam nostram non posse nominari servam. Deinde ex Lege Civili, omnium consensu Doctorum, cum Veteribus Hebræis hoc nuptiale Canticum ex primo sancti Spiritus decreto in laudem connubij inter Messiam & Ecclesiam compositum dicimus.

Nota tamen duplex Christi connubium: Physicum unum cum sacra humanitate, alterum in genere moris cum Ecclesia. Ex vi ergo prioris connubij, quo Christus humanitatem sibi univit, & Ecclesiam sibi despondit. Finis enim Incarnationis Verbi, ex Dignitate fuit institutio & sanctificatio Ecclesiæ.

Infinitis ergo partibus conjugium Verbi cum humanitate, est altero conjugio nobilius: humanitas enim Christi citra ullam comparationem est pulchrior, dignior, sanctior totâ Ecclesia, quia Verbo unita proximè Deum attingit, ac proinde omni virtute & gloriâ excellit omne creatum, debentur enim humanitati omnes dotes, & quidquid dari, & conferri potest, decet enim ut à Verbo hauriat quidquid naturę hypostaticè unitæ, Verbo congruum est atque consentaneum.

A Prima ergo sponsa Verbi, est sacra ipsius humanitas.

Secunda Ecclesia, de qua nobis hîc non erit sermo.

Tertia sponsa, sancta Deipara. Causam primæ desponsationis dat Theodoretus, dum ait: Hoc est bonorum caput, Divinæ largitatis summa, ineffabilis bonitas, incredibilis misericordia, immensa clementia, inenarrabilis charitas, quòd Auctor ipse, est affector, & procreator, & Dominus, & Deus, & Princeps, atque idem semper luteum hoc animal, mortale atque corruptibile, & ingratum atque inutile à morte, & servitute diabolica eripuerit, atque ita libertatem largitus sit, ut non solùm nos liberos constituerit, sed & in filios adoptârit:
B neque solum attribuerit adoptionis munus, verùm etiam sponsam vocârit & fecerit.

Deinde hoc Epithalamium sacrum congruit Christo, & sanctissimæ Virgini, quia caro Christi assumpta à Verbo, fuit caro beatissimæ Virginis. Quare cùm carnem sibi despondit Christus, quasi beatam Virginem sibi despondit, per quam Christus factus est homo, ut homo fieret Deus.

His sic positis, quis piè credet carnem servilem Deo fuisse unitam, & à vera serva desumptam. An Deus infinitè nobilis despondit sibi naturam conditionis servilem, quæ careret nobilis ingenuitatis stemmate?
C formam quidem servi, at non servi substantiam assumpsit. Ille qui in similitudinem carnis peccati venit, non peccatricem carnem sibi unitam voluit. Apud omnes mortales luce naturæ exosa imparium connubia, quasi immaturis amoribus sanguis nobilis fœdaretur. Claudius Cæsar adeò liberarum mulierum, quæ servis nubunt, conjugium fuit odio prosecutus; ut præter legem ingenuitatis, præterque instituta Majorum, Filios inde genitos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos, juraque Libertinorum nancisci, & ingenuitatem amittere, lege sancivit Alexander libro quarto capite vigesimosecundo, Et lege Juliâ cautum, ne senator Libertinam duceret, & senatorio
D viro Libertinam admisceri, gravi pœnâ interdixit idem Alexander. Albertus, Ernesti filius, Bavariæ Dux puellam Balnei custodem adeò perditè amavit, ut eam loco justæ Uxoris habiturus fuerit, nisi Pater dolore victus, in Danubio mersisset. Ita Ludovicus Vives.

Caro Christi non potest dici Caro verè servilis.

Exosum connubium servæ cum nobili & legibus damnatum.

Quare rationi semper conforme visum, degeneres haberi, & nobilitate, & tesseris gentilitijs dimovêre, qui ingẽtis familię, probro plebeio, vel longè impari sãguini se commiscuissent. Non igitur congruum infinitæ sapientiæ videtur sacram humanitatem ex vili servilique conditione productam, Divinitati conjunxisse. Non sine causa superiori disputatione ex decreto & mente

mente Pontificis Adriani, & Concilij Francofordiensis docuimus Christum Dominum non posse dici servum, sed ingenuum. Et quomodo posset dici servus, qui Matre ingenuâ natus est? sicut totus Liber Canticorum clarissimè testatur capite primo, versus decimoquinto, Filius Dei vocat Matrem totam pulchram: *Ecce*, inquit, *tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*. Ubi Virgo laudata rependit Filio suam ingeneratæ pulchritudinis laudem, dum ait: *Ecce tu pulcher es dilecte mi*. Quasi diceret: Ille in me veraciter veneratur, quod sim Mater & Virgo: ego in illo adoro, quod sit Deus & homo. Filius dicat Matri: *Ecce tu pulchra*. Et ego dico tibi: *Tu pulcher*. Pulchra ergo Mater, nota ingenuitatis, & pulcher Filius ingenuitate Matris, ut postea dicemus. Deinde capite secundo pulchritudo ingenuitatis, pulchritudini Lilij comparatur: *Ego flos campi, & Lilium convallium: sicut Lilium inter spinas*, id est, inter servas; *sic amica mea inter filias*. Et capite quarto *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in Diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius*. Quomodo Virgo coronasset Filium Diademate, sine stola, & fascia candidissima humanitatis, nisi ipsa candida, & ingenua prius ante fuisset? Servili foret inustus notâ, nisi de Matre nobili genitus fuisset.

Probatio ex Cantico Canticorum Matrem Dei liberam.

Quare quarto capite vers. septimo vocat Filius Matrem suam totam pulchram, cùm ait: *Tota pulchra es, & macula non est in te*. Et quomodo tota pulchra, & sine maculâ, si maculâ servili foret ustulata? & ideò versu primo, filius tactus pulchritudinis perfectæ gratiâ & decore exclamat: *Quam pulchra es amica, quam pulchra es!* non est pulchra, cui contigit aliquando fuisse servam. Deinde capite quinto Filius docet, Matrem non potuisse esse servam, cum eam vocet sororem: *Veni*, inquit, *in hortum meum soror mea sponsa*. Eodem jure ac, privilegio gaudemus, quos natura unitate non dissolubili junxit: & ideò capite quinto, Filius vocat illam filiam Hierusalem, quæ perpetuâ fruitur visione pacis, & æterno exultat tanquam libera libertatis bono, visione scilicet Divinæ Majestatis: simul enim ac anima juncta corpori fuit, exercuit in contemplatione summi Dei, perfectissimæ charitatis nobilissimos actus, quæ tunc voces audiri poterant, nisi nuptiales, quales sunt: *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius, & dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter Lilia*. Quasi diceretur: Communicasti mihi, quòd sum homo, & ego communicabo tibi, quòd Deus sum. Habitat Dominus in Virgine, cum quâ habet unius naturæ identitatem, quia idem est cum illâ.

An non ille totus liber, totus ingenuus, omnis servitutis incapax? cur non & Mater ejusdem cum filio naturæ tota libera, tota ingenua, & omnis esset incapax servitutis, cum quo unius naturæ, humanæ, scilicet habet identitatem? Quam ob causam Divus Thomas opusculo 8. ex Hugone de sancto Victore docet: *Quia in corde Virginis specialiter amor Spiritus sancti ardebat, ideò in carne mirabilia faciebat. In tantum quod de ea nasceretur Deus & homo*. Lucæ 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et quando, sancte Doctor, specialiter ardebat in corde Virginis amor Spiritus Sancti? An non in primo momento suæ Conceptionis Immaculatæ, quando illa beata anima, gravida sublissimis amoris Divini flammis atque ardoribus, Deum Patrem tanquam Filia, & Deum Filium tanquam Mater, & Deum Spiritum sanctum tanquam sponsa, adoravit? Non igitur poterat dici serva, quæ Filia Dei Patris, nec ea, quæ esset Mater Dei futura, nec ea, quæ erat, jam in sponsam à Spiritu sancto delecta. Et cujus servam dicemus? non dæmonis, qui nihil juris in Virginem potuit obtendere; cujus potentiâ, & virtutis magnitudine caput dæmonis erat conterendum.

An fortè serva sanctissimæ Trinitatis? An poterat esse serva Dei Patris, quæ paritura erat Deo Patri Filium? Ipse Pater æternus agnoscit Filium Virginis, Filium suum. Matth. 3. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Hic scilicet, qui vestitus carne Virgineâ, qui ex Virgine natus homo Deus, qui in sinu meo pariter genitus, & ab æterno per omnia mihi similis verus Deus; ille scilicet Filius, qui nec æternitate posterior, nec omnipotentia minor, nec gloriâ Majestatis inferior; non servus est, sed Filius: ita & ille Filius Virginis, humanæ carnis trabeâ etsi mortalis factus, & infirmitate Nativitatis fragilis, & arbitrio suo passibilis, factus non servus, sed Filius dicendus est. Quare nec Mater tanti Filij, serva dicenda, sed Filia. Sicut ergo nova relatio per sacram Incarnationem Filij Dei, Deo Patri advenit, ita & nova relatio Deo Patri accessit ob partum Virgineum, ut Matrem Filij sui, Filiam suam compellaret, non servam. Hoc triumphale Virginis Epinicion non prætermisit Spiritus sanctus, Cantic. capite septimo versu primo. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis*, Hebraicè *Filia Nadib*. ut Sept. *Nadab*. Sanctus Hieronymus libro primo contra Jovinianum, *Nadib*. accipit quasi decurtatum Aminadab. Censent nonnulli hanc filiam, verè fuisse filiam Salomonis, Salomonis enim filium fuisse Aminadab, cujus hic cum sua sponsa, quasi cum filia, id est nuru suâ Epithalamium celebrat Pater utriusque Salomon. Pater ergo æternus, verus Salomon toto hoc Canticorum libro celebrat Virginis

Non potest dici serva, quæ Dei Patris filia, quæ Mater æterni Filij & sponsa Dei Spiritus sancti.

Nova relatio accessit Deo Patri ob partum Virgineum.

nis beatæ, tanquam filiæ suæ laudes. Alij verò accipiunt *Nadab* tanquam appellativum, vertuntque, *Principis*. Aquila, *spontè dantis, & munifici*. Symmachus, *Ducis*. Ambrosius in Psalm. 118. Sermone 27. *Beneplaciti*. Scholiastes Vaticinianus, *liberalis*. Optimè in laudes Virginis, hæ versiones conspirant: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Virgo enim est filia summi, & æterni Ducis, spontè dantis munifici, liberalis, & beneplaciti. Has versiones omnes includit unico versiculo beatissima Virgo in suo Cantico, dum canit: *Fecit mihi magna qui potens est*, qui sponte suâ, nullis meis præcedentibus meritis me exaltavit, delegitque in filiam, & filij sui Matrem. Ad hoc allusit Rupertus, ut ostendat Virginis ingenuitatem, cùm ait; nudipedes incedere servos, calceatos verò ingenuos & nobiles, unde ait: Idcircò ancillæ Evæ calcaneum serpens momordit. Tu autem filia Principis benè calceata, caput serpentis contrivisti, & ideò non serva tu maxima ô Princeps, & Domina singularis, & dilecta, & sicut jam dixi: *Vna columba mea, una genitrix*, videlicet generationi liberæ, generationi non carnis, sed fidei, quæ virum, non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepit Patrem, vel Principem filiorum, non carnis, sed fidei, vel repromissionis. Finiam hoc ratiocinium cum Alano: *Gressus tui*, inquit, *gloriosa Virgo, sunt nobilitas generis, integritas carnis, & mentis, fæcunditas prolis. Calcamenta sunt affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desiderijs, excessus in gaudijs. Tu enim es principalis filia Principis, Dei videlicet, qui est princeps Principum, & Dominus Dominantium qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit: Ita tamen Dei Filia, quod & Mater intacta.* Recensuimus præcipuos titulos, libertatis gloriam loquentes, ut amica sit, & dilecta ut sponsa, ut soror, ut filia, tandem Mater, qui excludunt omnis servitutis etiam umbram, & suspicionem, nec possunt in servilis animæ conditionem admitti.

Quinam sint gressus S. Virginis

Probatio ex jure Civili Dei Matrem non esse servam.

Superest ut ex jure Civili probemus, Matrem Dei non esse servam, nec servam compellandam. Docuimus Christum non vocari servum: ergo nec Matrem Christi, servam vocabimus, illa enim Christum, verum scilicet Deum & hominem genuit: quare & Θεοτόκος vocata. Si serva est Mater: ergo & Filius servus, partus enim sequitur conditionem Matris, ut & sit ejusdem Domini, cujus est & Mater: fructus

A enim secundùm illud Juliani de fundi fructibus, fructum non jure seminis, sed fundi percipi.

Optimè ergo Leges definiunt, ex ancillâ natum, servum nasci, ex libera liberum, ac proindè ingenuum. Natura ergo ingenuus est, qui liber natus, nec unquam postcà servitutem servivit. Liber nascitur, qui Matre liberâ nascitur, neque hic distinguitur, an Pater liber fuerit, vel servus. Titul. de ingenuis. Quare in libertate, similiter & in servitute partus Matris conditionem spectari docetur. Unde duco claram consecutionem, Christum Dominum nunquam potuisse dici servum, si Matre fuerit natus, quæ vel in conceptu filij, vel in partu, vel certe medio tempore libera, nam ceteris temporibus ancillam

Semper ingenuus, & liber filius dicitur qui nascitur Matre libera, etiamsi ante fuisset serva.

B fuisse, partui non nocebit.

Age; lege annos Virginis, & ostende quo anno vitæ sit vocanda ancilla vel serva. Non in sua Conceptione, quia visio Dei, ut dictum est, exemit illam tenebris peccati originalis, & jugo servitutis. Non in conceptu Filij sui, quando Deus Pater adoptavit illam in filiam suam, filijque sui Matrem. Deinde nec post partum ullam servitutem servivit, quæ omni peccato libera, templum, & sponsa Spiritus sancti fuit publicata. Appositè ergo hîc sanctissimæ Triadis inserenda, more humano facta deliberatio. Canticor. 8. *Soror*, inquit, *nostra parvula est, & ubera non habet, Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* An non sororis Regiæ, & Matris

Diva ergo exsors peccati nunquam servivit.

C Regiæ, sponsæ Regiæ nomen? Nunc inquisitionis causâ, faciamus Virginem fuisse natam servam: nemo tamen, qui amator Virginis, Virginem in Matrem, servam perstitisse piè & non nisi inverecundè credet.

Tunc enim quando Legatus cæli ad Virginem pro pace orbi restituenda, missus, ut Virginis voluntatem, & consensum in Divinæ prolis conceptum exploraret, purissimæ libertati fuit donata, & manumissa.

Qua ratione servus liber reddebatur.

Duobus modis manumissio fieri consueta: verbis scil., & factis, Verbis, si quis dixerit se manumittere, aut libertatem dare. Vel apud Magistratum, vel Consulem, vel in Provincijs apud Præsidem in publico consistentem. §. servi. institut de lib. id genus erat,

D quòd dicebatur fieri vindicta, ut docet *Vlpianus* in frag. titul. 1. de Libertis. De quo, titulo de manumiss. vindicta D. & C. vindictam Boetius in topica Ciceron. virgulam fuisse scribit, quâ capiti manumittendi à Lictore imposita, jubente Magistratu Lictor servum in libertatem vindicabat. Unde manumissionis nomen.

Dictis & factis libertas dabatur

Factis quoque, voluntas manumittendi declaratur, ex Justiniani constitutione. Si quis homini libero, ancillam suam in Matrimonium collocârit, & dotem pro eâ dederit: si Dominus apud acta servum, filium suum nominârit, instrumenta, quibus servus declarabatur, vel seruo dederit, vel corruperit, idque

idque testibus præsentibus non minus, quam quinque L. *Vni.* §. *sed etsi quis hommi & duobus.* & §. sequentibus C. de Late. libro Toll. Commemoratur hæc institutio in §. ult. institut. de adoptio.

Verbis ergo & factis Virgo declaratur libera: dum declaratur non consux liberi, sed Mater summi Dei, summi Monarchæ, qui Dominus omnium & Dominantium, & servorum: *Hic enim erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Deinde Pater æternus apud acta, senatumque cælestem, Virginem in Filiam delegit, & tabulas nuptiales cum pollicitatione dotalis regni conscripsit, dum dicitur: *Ecce concipies, & paries filium, cui dabit Deus sedem Patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quando & tabulæ servitutis, quibus orbis subjugatus

Quando Virgo Libera facta si aliquando serva fuisset quod non concedimus.

A tenebatur, fuerunt corruptæ destructæque, dum dicitur: *Ipse enim filius tuus scilicet salvum faciet populum à peccatis eorum.* Matthæi 1. vers. 7. Quare & Jesus, id est Salvator vocabitur, Salvator orbis scilicet, & libertatis perditæ restitutor. Cùm igitur maximus thesaurus sit, ortum ducere à claris parentibus; quantæ ergo claritudinis te Divam esse dicemus, quæ tot Regibus, & Ducibus orta, & quę tandem omni nobilitate grandior excelsiorq; Deum genuisti, Deũ lactasti, Deum Maternis & Virgineis obsequijs educasti? ô quàm te memorem Virgo, quæ nobilitate mortali, & immortali irradiaris, fulges, & radijs & fulgoribus purissimi sanguinis nec non purissimæ libertatis stemmate supra omnia mortalia à Deo spirituum purissimo conditore donaris.

ALTERA PARS XXV. CONSOCIATIONIS.

§. I.

De Adoratione Filij Dei.

Cum nulla sit gens adeò effera, quin aliquid ex creaturarum magnitudine lucis ad aliquod numen cognoscendum, adorandumque susceperit, eique cultum, vel corporis inflexione, vel altarium molitione, nec non munusculorum, velut florum, & fructuum jucundâ donatione, per inconditas voces, clamoresque deferre testetur, superfluum videtur de adoratione summo Deo debita tractare. Paucutis ergo præmissis ad adorationem sacratissimæ Virgini debitam properabimus.

§. VII.

Qua adoratio Virgini debeatur.

Certum est, adorationem veram, quam Theologi vocant Latriam, soli Deo propter infinitam supremi Numinis Majestatem deberi, cui omnis honor, & gloria debita est, quam sibi soli deberi ipse testatur, dum ait, Esai. 42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo*, cujus adeò Zelotypus est, ut ne corrivalis umbram ferre possit. Et ideò solum Deum victimis, & sacrificijs, juramentis, votisque ab orbis exordio venerata est Antiquitas, quam Gentilium inanis superstitio ad cultum suorum Idolorum obstinatè secuta est. Solus ergo Deus cultu Religionis, & absolutâ Latriâ est adorandus. Cùm ergo componatur homo duabus partibus sibi planè dissentaneis, corpore scilicet & animâ: necesse est, ut homo utriusque partis Auctorem agnoscat suum, ut suum summum Principem, & Dominum, & utriusque partis officijs, & duplici adoratione, animæ scilicet, & corporis, veneretur. Voluntatis ergo interno affectu, & intellectus indagine Deum adoramus, cùm intellectum applicamus ad recognoscendam Divinam excellentiam, quæ cognitio Divinæ Majestatis & excellentiæ, animam quasi

Duplex Adoratio quia duabus diversis partibus homo fabricatus.

Adoratio interna.

A suspendit, ut suspensa quiescit in conspectu Dei: qui actus admirationis est in voluntate, ex quo nascitur reverentia & veneratio summi & infiniti Dei. Est enim genus complacentiæ, & gaudij de infinitis bonis Dei, quo aliquis in stuporem rapitur ex contemplatione Divinæ excellentiæ supra omnia amatæ, vel quoddam genus timoris reverentialis, quo quis reformidat ad Deum accedere. Hoc docebant Seraphini, ut significat Isaias 6. qui velabant caput, & pedes suos percussi sacro horrore tantæ Majestatis: *Velabant duabus alis faciem*, & excludebant radium è throno procedentem, eò quòd ferre non possent immensam Dei gloriam; simul autem suam religionem, & reverentiam significabant, quam

Stupenda seraphinorum adoratio.

B Deo deferebant. Tu imitare Seraphinos, qui faciem velabant propter metuendum spectaculum, quodque non possent inaccessam gloriam intueri. Velabant & pedes, dum inexplebilem erga conditorem, reverentiam exhibere student. Et cum Moyse vela faciem tuam, nec audeas contra Deum intueri. Exod. 2. Illas supernas virtutes obtinet tremor, & obtineat & te, admiratio percellit, & te quoque percellat. Intremuêre tam nobiles spiritus, & tu pulvis & cinis contremisce.

Adoramus ergo Deum mente per actus voluntatis, & intellectus, sicut & Angeli.

C Adoramus Deum actibus corporis ex affectu, & reverentiâ submissi animi procedentibus. Ad utramque hanc obligationem, quia homo constat corpore & anima, obligatur homo præcepto tam Divino, quàm lege naturali, præcepto Divino, dum imperatur: *Deum solum adorabis, quia ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me*: lege naturali, quæ jubet parentibus omnem honorem, officium, pietatem, reverentiam deferendam, multo magis præcipit summo Principi, & Patri omnium rerum, summam reverentiam, & cultum deferendum. Externâ adoratione colitur Deus, prostratione in terram, utriusque genu flexione, manuum elevatione, pectoris tunsione, qui omnes actus externi sumunt suam vim, & intentionem ab actûs interni

Homo obligatur ad duplicem obligationem.

Qualis sit forma adorationis externa.

intentionem ab actûs interni intentione. Nota tamen adorationem publicam, seu cõmunem, duobus tantum modis esse, & in usu fuisse inter homines.

Adoratio publica duobus modis peragitur.

Primus, qui sacrificij, & secundus, orationis publicæ, quibus Deus summè honoratur & colitur. In veteri lege, varijs modis, varijs victimis, oblationibus, ut fructuum, ut Decimarum farris, thure panibus propositionum, ac deniquè holocausto summo sacrificio, quod totum cedebat in Dei gloriam, & Divinæ protestationẽ excellentię colebatur. In lege verò novâ, Deum infinito honore dũ sacrificamus hostiam incruentã, in Missæ sacrificio prosequimur, quæ tantæ est dignitatis, ut nihil dignius Deo consecrari possit, nec offerri. Quare & hoc sacrificium tremendum vocatur, in quo unigenitus Dei Filius, ad Imperium vocis sacerdotalis se vivum, & præsentem exhibet contrectandum, adorandum, & in exquisitissimas delicias ad epulandum præbet.

Qualis adoratio legis antiquæ & novæ.

Soli Deo omnis honor, gloriâ, adoratio voveatur, dedicetur, & deferatur, cujus adoratione Angeli, hominesque in melius transformantur, & Divinæ fiunt consortes naturæ, dum Divinæ Majestatis, & infinitæ excellentiæ contemplatione, & infiniti boni, lucisque radijs illustrati, se satiant complentque. Adoramus Deum, dum silentio, & stupore oppressi, infinitum Numen veneramur: adoratur Deus, dum ut similis omnibus (omnia enim in Deo consistunt,) aut tanquam dissimilis, (nihil enim est eorum quæ sunt) prædicatur. Et quomodo similis omnibus, qui est super omne quod est? laudamus tamẽ tanquam solem, qui solis est architectus, quia nihil est pulchrius, cui assimilari per imaginationem potest. Laudamus & ut verbum, ut mentem, qui est supra omne verbum, & mentem: similis est deniquè omnibus, quæ de Deo affirmamus, ut docet Dionys. c. 2. cęlestis Hierarchiæ, *Aliquando Divinitatem ipsam à luminibus speciosis concelebramus, quasi solem Iustitiæ*, Malachiæ 2. quasi stellam matutinam menti sacratius oborientem, quasi lucem apertè, & intelligibiliter radiantem, aliquando ut ignem innoxiè micantem. Exodi 3. aliquando quasi aquam, vitalis plenitudinis collatricem. Joan. 3. v. 38. nonnunquam ut unguentum fragrans Cantic. 2. Adoramus, & laudamus, dum dissimilem omnibus prædicamus, & per negationem auferimus Deo omnia, quæ excogitari possunt, dum dicimus non esse solem, non esse lumen, non esse bonum, non esse sapientem, non esse pulchrum, sed sole, omni luce clariorem, omni bonitate, sapientiâ, & pulchritudine nobiliorem, & excellentiorem.

Adoratio quæ silentio summa.

Duobus denique modis adoratur Deus, vel per affirmationẽ vel per negationem.

§. III.

Quis cultus, quæ veneratio, ô quæ gloria, quæ laus, quæ Dulia, quæ hyperdulia, quæ Latria, quæ adoratio Virgini sanctissimæ debetur.

PRiùs voces omnis cultus judicavi definiendas, quàm rem ipsam aggrediamur. agnoscimus enim non exiguam differentiam inter honorem, & laudem, gloriam, Duliam, hyperduliam, & adorationem. Notavit hoc Divus Thomas Secunda secundę quęstione 13. art. 1. ad 3. *Multum*, inquit, *interest inter honorem & laudem. Laus solùm in verbis, honor verò & in alijs signis consistit. Deinde honor, qui alijs defertur, est testimonium excellentiæ, & bonitatis ipsius, & propter se bonitas est. Laus reddit testimonium bonitatis alicuius ad aliquem finem.* Idem docet Aristoteles 1. Ethicor. capite 12. *Omne laudabile ex eo laudari videtur, quia affectum est aliquâ qualitate, & aliquo modo se habet ad aliquid. Hinc eminentes viros laudamus, quòd magnis facinoribus exantlandis sint idonei, & à natura ad virtutes, & heroicas operationes facti, Deos autem hominesq; quia felices, non laudamus, sed honoramus. Nemo, inquit, laudat beatitudinem, & Iustitiam, sed aliquid maius eis exhibet, scilicet honorem: ait ergo honorem esse optimum, & eorum qui in se perfecti, & beati sunt: quamvis hæc differentia non videatur usu recepta. Gloria verò differt à laude, & honore, quod illa est clara notitia bonitatis alicuius, quæ ex laude ortum habet: quare & difinitur clara cum laude notitia.* Vox *Dulia*, non solùm servitutem, qualis debetur Dominis, Regibus, & Imperantibus, verùm etiam honorariam submissionem significat, & reverentiam: Hyperdulia verò dicitur, Duliâ eminentior, & excellentiorem Duliam Personæ eminentiori addicit. Et quamvis tam externi actus Duliæ, & Hyperduliæ, quàm interni ejusdem sint rationis, notabilis tamen excessus reperitur in Hyperdulia, quò distinguitur à Dulia: consistit in æstimatione, à quâ procedit hæc adoratio, quæ de persona, cui defertur, fit altior & excellentior. Deinde in actibus voluntatis, dum appretiatione pluris æstimamus personam, & digniorem adoratione præ alijs, quorum judicamus cultum postponendum præ alijs. Deinde ex Hyperdulia majores animi significationes, & cultus, & exter-

Ob eminentes actus laudamus viros.

Deum verò non laudamus sed honoramus.

Dulia significatio.

Dulia excellentior hyperdulia.

Latria dignitas.

& externorum signorum, & verborum elegantiorum, quæ alijs convenire non possunt, procedunt. Latria est cultus soli Deo debitus, quo confitemur ipsius increatam essentiam, dignã omni honore, & submissione, ac proinde votis, victimis, & holocaustis in protestationem tantæ Majestatis celebramus, ac illum solùm omnis fontem boni, & beneficum Patrem collaudamus ac proindè illum solùm adoramus. Verùm quia adoratio ad homines excellentes extenditur, nulli tamen Latriam, quæ est Religionis veræ cultus, deferimus, nisi soli Deo: quod vero hominibus cultus adorationis deferatur, docet sacra Pagina. Davidem adorat Bersabee, pro regno Filij solicita. Et 2. Regum 14. Mulier Thecuitis adorat Regem, & dixit. *Serva me Rex.* Et multis antè sæculis Patriarcha Abraham. Sic & Deus adoratur cultu religionis, & perfectissimæ submissionis affectu, ut dicitur ad Hebræos 1. *Adorent illum omnes Angeli eius, & adorate Dominum in aula sancta eius.* Et Apocalyp. 2. *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum.* Adorationis in universum actus, est affectus exhibendi signa submissionis cuilibet in dignitate constituto, sive Deo, sive homini. Quarè optimè quàm plurimi docent affectum adorationis circa actus externos, tanquam circa proprium objectum occupari: quamvis nonnulli doceant, non solum signa externa esse objectum, qualia, sunt inclinationes, thurificationes, &c. verùm etiam cultum internum, qui Fide, Spe, & Charitate exhibentur, Sicut docet Damascenus lib. 4. de Fide: *Quia*, inquit, *constamus naturâ visibili, & invisibili, Deum summum opificem, Deum duplici adorationis genere afficimus*, interiore scilicet cultu, & exteriore quem cultum Divus Augustinus in Enchiridio cap. 2. & 3. vocat Θεόζεβειαν, Docetque virtutem, quæ Deo suum cultum tribuit.

Nulli Latria nisi soli Deo Adoratio vero multis debita.

Ad cultum adorationis possunt referri ageniculationes, hilares, ovantes, & triumphales acclamationes, publici & celebres applausus, honorificæ congratulationes, festivique dies indicti, quibus eminentes virtutes extollimus, & publicamus: qui actus omnes, ut civiles sunt; sic religiosi cultus speciem formamque præseferunt externi, circa quem adoratio versatur. Quare passim ab adoratione oratio, quæ procedit ab interiori affectu, distinguitur, & suis actibus discriminatur, ut videre est Matthæi 20. *Accessit Mater Filiorum Zebedæi primum adorans*, deinde *petens aliquid*. Adoratio ergo Latriæ, quæ est actus Religionis, tendit in Dei excellentiam, quam omni submissionis, genere colimus, & veneramur ut dignissimam omni supremo cultu Majestatem, supremam omnium rerum essentiam, à qua omnium bonorum fontes, veluti à pelago infinito descendunt.

A Hanc ergo doctrinam ut testemur, varijs utimur signis externis, ut olim in antiquâ lege, varijs sacrificijs, & oblationibus, ut sale, farre, pane, dicimus, denique nobilissimo sacrificio, quod Holocaustum vocabatur. Quibus testificationibus & Gentiles sua Idola colebant, farre, thuris acerrâ, victimis. His sic præmissis, certum est, & de fide: sicut Deum verâ Latriâ colendum confitemur, sic Sanctos velut Dei amicos, & Majestatis infinitæ Palatinos, cultu aliquo sacro, & plusquam civili colendos esse contestamur. Cujus autem virtutis sit, non levis est difficultas. Marsilius in 3. quæst. 13. art. 1. existimat eandem virtutem, reipsâ etiam Latriam, quam dicit versari circa cultum Dei, & Duliam circa cultum, & B honorem Sanctorum, solùm autem differre circa diversa connotata, ac si diceret eundem esse habitum Religionis, qui Latria vocatur ex ordine ad cultum Dei, & Dulia respectu ad cultum Sanctorum, & sanè sic esse videtur.

Deus Latria colendus & sancti suo cultu.

An non eodem charitatis habitu diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum? cur non eodem Religionis habitu poterit Deus coli, & adorari propter se, & sancti propter Deum? Quidquid sit, dicamus esse peculiarem virtutem à Latria, & Religione distinctam, ac proindè specialem esse habitum virtutis, & cultum sacerdotum excellentiorem, quàm sit civilis cultus, qui defertur ijs, qui in dignitate sunt C constituti. Quare adoratio Deo debita, & Sanctis exhibita, sub genere moris non est univoca. Quare & ad diversam virtutem pertinet, ad observantiam Duliæ cultus, ad quam pertinet adoratio Sanctis exhibita, ac proidè una adorationis ratio communis esse non potest.

Multò certiùs sacro cultu, & plusquam civili Sanctissimam Dei Matrem semper colendam. Si Reges suis Parentibus omnem cultum Regium, sibique parem addixerunt, cur Deus Rex Regum, qui solus habet immortalitatem, suæ charissimæ Matri omnes imaginarios, & excogitandos honores non addicet, curabitque. Si Sanctis eminentis causâ sanctitatis honores, dies Festos, & D templa dicamus, cur non Sanctissimæ Matri, quæ omnes cælites Sanctitate præcedit, ampliores dicamus honores, cui præter Sanctitatem, dignitas Maternitatis Divinæ conjuncta est? Quocirca si Sancti Duliâ colantur, quæ inferior est Religione: cur illa non Hyperduliâ, quæ est excellens, & extraordinariâ Duliâ coletur, & adorabitur, quæ tanto Sanctis est sublimior, quantò Mater Regis, servis nobilior. Divus Thomas 2. 2. quæstione 1102. docet Virginem Hyperduliâ adorandam. & Joannes Cantacuzanus contra Mahumetanos in Apolog. 3. & 9. *Credimus, & confitemur, quod Maria similis homo, nec natus sit, nec posthac*

Sanctissima Virgo hyperdulia colenda.

hac ex viro & muliere usque ad consummationem seculi, & secundùm humanitatem, naturâ eam Angelis inferiorem esse judicamus tanquam hominem: honore autem & sanctimoniâ ipsam omnibus Angelis indubiè praeferimus, eò quòd Verbum, & Filium Dei secundùm carnem peperit. Accedit Epiphanius *haeres.* 79. qui dicit Virginem ceteris honoratiorem, propter mysterium Incarnationis. Si honoratior est, ergo excellentius genus adorationis tantae excellentiae debetur. Sublimius hoc genus adorationis admittit Magnus Gregorius Nazianzenus in Tragoediâ de Christo patiente, his verbis:

Admitte ô Virgo inclyta hîc quando tibi verbi Parenti,
Sed super modum tuum, legemq; solùm inter omnes contingit honor.

Ex quibus constat optimè Scholast. docuisse cum Divo Thoma hîc *quaest.* 25. *in* 3. *part.* peculiari ratione Hyperduliae Virginem esse adorandam, quae est excellens, & eminens Dulia propter eximiam sanctitatem, quâ omnes tam Sanctos, quàm Angelos antecedit, & omnium sanctitatem infinitis propè intervallis post se relinquit.

§. IV.

Superest alia quaestio, quae proximè Majestatem Virginis contingit.

Sectio prima.

AN Virgo cultu Latriae, seu Religionis, quo Deus adoratur, sit adoranda; quandoquidem Virginem tanquam Matrem proximam Deo esse cognoscamus. Videamus quid senserint Doctores, qui sic argumentantur: Si infami Crucis patibulo cultum Latriae, propter Corporis Christi contactum, ad tres horas protractum, deferimus; cur Virgineo Corpori illum negabimus, cujus intimus inquilinus, & habitator, & Matri concorporatus fuit Christus Dominus; in cujus utero, velut castissimo toro ad novem spatium mensium domicilium fundavit; ubi & vitam accepit Filius Dei: potuítne contactus fuisse arctior, quàm Filij, in Matris Virgineo utero; quando ex flore purissimi sanguinis Spiritus sanctus, summus Architectus Filio Dei Corpus nobilissimum fabricatus est? An non tunc Filius & Mater pro una Persona computabantur? Si res inanima ob contactum Sancti Dei, Latriae honorem adepta est; cur Virgo sanctissima cultum Latriae ob intimum contactum in Conceptione Filij, non merebitur? O admirabilem Virginis cum Deo propinquitatem! ô admirabilis, & divinus contactus, quando Deus in utero fit homo Deus! Si Filio in utero mo- A ranti, cum Matre sunt omnia communia; si eadem sit laetitia, idem moeror, vulnus, percussio, appetitus, respiratio, fastidium, luctus, trepidatio, horror; cur non honor erit utrique communis? Coronârunt Persae gravidum uterum Reginae, & parvulum nondum natum, ut Regem adorârunt, dixeruntque & matrem Reginam, & ut matrem adorârunt. Judicârunt viri sapientes nihil deferendum filio, quod non matri. Lege deinde civili, & regnorum usu sacrosancto, Reginae & matri Regius honor consecratur.

Stupenda coronatio nondum nati Regis.

Virgini ergo, quae Regina & Mater summi Dei incedit, Filij honorem deferamus. Si plebeia & rustica mulier ex consortio Regis, absoleto suo nomine Regiam induit dignitatem, & felix in stemmatis, & Regij sanguinis B venit communionem; cur sanctissima Virgo non veniet in consortium Filij? Hoc argumentum impulit Cajetanum, dum explicat mentem sancti Doctoris *in* 3. *propos. quaest.* 25. *art.* 5. ut fateatur sanctissimam Virginem posse adorari adoratione Latriae, ratione contactus; non quidem absolutè & simpliciter; sed sine scandalo ejusque periculo. Audent aliud recentiores, docentque non solùm ratione contactus; sed ratione maternitatis propter sanguinis conjunctionem, & proximum accessum ad unionem hypostaticam, Latriae cultum mereri. De quâ re infrà. Unde fit ut Virgo sanctissima, tanquam Mater sic possit affari Filium:

C *Projice tela irae sanguis mi,*
Fili viscerum meorum audi me,
Quia tu caro mea, & os meum es.

Quam adorationem ideò vocant adorationem Latriae, eò quòd ab eodem habitu Religionis, quo Deum colimus, proficiscatur. Et sanè quis negat Deum, & proximum propter Deum eodem habitu charitatis amari; ita ut Deus sit causa, cur proximus diligatur? Colimus ergo ex illorum sententiâ Deum ex habitu Religionis verâque Latriâ: colimus & Virginem propter Deum eodem habitu, ita tamen ut cultus in Virginem redundans, ex cultu Dei proveniat, & tota causa cultus sit Deus, qui à Virgine, factus homo vitam accepit. Et quamvis dignitas Matris sit crea-D ta, nec res ulla creata Latriae cultu coli possit; proximè tamen ad fines Divinitatis accedit, ut altiùs ire non possit; habet enim ordinem ad increatam Dei dignitatem, & excellentiam in eodem ordine cùm ea, & cum unione humanitatis constituenda est. Sicut ergo Christi humanitas ex virtute Religionis adoratur, & Latriae colitur; eâdem quoque ratione Mater, cujus sanguis & caro, humana natura in Christo adoratur.

Verùm quò haec stabiliantur, non tendam ulteriùs; sed doctrinam primorum Theologorum, Patris scilicet Suarez, & Patris Vasquez compendiosè inseram; ut secure dici possit, quod illi securè duo orbis Phoenices docuère.

Accipe

A Accipe pie Lector, doctrinam P. Suarez brevibus couclusionibus astrictam *tom.2.numer.3.* D. Thom. *disp.22. sect.1.* docet Virginem adorandam, probatque ex 7. Synodo, *Act.6.* & 7. & Trident. *sess.25.* In decreto de reliquiis. Addit deinde Virginem ab initio sæculi, tam in Ecclesia militante, quàm triumphante fuisse adoratam. Docet enim Christum ab Angelis fuisse & adoratum; juxta illud ad Hebræos 1. *Et adorent illum omnes Angeli ejus*: cumque in initio suæ beatitudinis fuisse visum, tum quia visio Dei respondet, tum quia ad statum beatitudinis pertinet, caput suum, & Regem suum agnoscere. Pari ex ratione decens erat, fœminam illam beatissimam, de qua nasciturus erat Deus, vel communi conceptu, vel proprio cognoscere, quæ erat futura eorum Regina, & rerum omnium Dominatrix. Et sanè valdè mirabile videri potuisset, à nullo Angelorum tam prodigiosum, & inusitatum, tam stupendum, & exquisitum opus, quale erat futura sanctissima Virgo Deum gestans, non fuisse revelatum monstratumque, in qua abyssi divinæ Sapientiæ radiabant. Quemadmodum ergo Christus vel fide creditus, vel clarè visus fuit ab Angelis adoratus; ita & sanctissima Virgo fuit adorata. *Decebat* enim *Matrem Dei* (ut docet Damascenus *orat.1. de Nativit. Beatæ Mariæ, & orat.2. de Assumpt.*) *ea quæ sunt filij, possidere.* In Ecclesia verò militante ab orbis incunabulis fuit monstrata cognitaque est, ut dictum est sua Consociatione.

Sicut Christus Dominus ab Angelis fuit adoratus, ita & sanctissima Virgo.

Sectio secunda.

Dignitas Matris altior gratiæ dignitate.

Docet tantus Doctor, posse Virginem adorari ob rationes extrinsecas; ut suprà dictum est, ratione sacri contactus: deinde propter intrinsecam sanctitatem, ob quam alij Sancti adorantur: tum tertiâ ratione, ob dignitatem Matris, quæ distincta est à dignitate gratiæ, & multò altioris ordinis, quàm sit gratia, & ideò mereri adorationem: *quia fecit illi magna qui potens est*; ut tantæ Virgini non incommodè possint accommodari illa verba ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*; nomen scilicet Matris Dei, *ut in hoc nomine omne genu flectatur congruenti & accommodatâ adoratione.* Decet enim Matrem, omnia quæ Filij sunt, possidere, & ab omnibus adorari. Et sanè cur non conveniat illam adorari, quæ sit Mater summi Regis, & singulare jus, & Dominium habeat in omnes creaturas; si habet Dominium, & jus in omnes creaturas? quis audeat debitam negare adorationem, & quis non videt hoc jus, & Dominium fundatum in conjunctione & affinitate inter Deum & Virginem? Pulchrè docuit hoc Athanasius *serm. de Assumpt. Quia ipse est Rex & Dominus, Mater quæ eum genuit, Regina & Domina verè censetur.*

Sectio tertia.

Idem Doctor docet Virginem non posse adorari propriâ & verâ Latriâ; hæc enim Deo debetur propter infinitam, & increatam naturam, quam Virgini tribuere, foret idololatria. Quare Collyridiani ab Epiphanio, Damasceno hæreseos damnantur, quia Virginem verâ Latriâ, soli Deo debitâ, colebant. Quare si Virgo communi cultu propter sanctitatem gratiæ, & gratiæ eminentiam communi cultu adoratur, quo omnes Sancti, erit ejusdem speciei cum adoratione Sanctorum: attamen quia dignitas Matris, multis partibus exsuperat dignitatem Sanctorum; adoratio, quæ Virgini exhibetur, B nobilioris & perfectioris erit speciei, quàm sit adoratio Sanctorum. Quapropter ut Theologi hunc excessum aperiant; vocant hunc cultum, Hyperduliam, quæ vox excellentem Duliam significat, quæ tamen sit inferior perfectâ Latriâ.

Docet prætereà adorationem, quæ Virgini tribuitur propter specialem dignitatem Matris, quamvis lato modo, Hyperdulia vocetur; videtur tamen esse diversæ naturæ, & speciei à Dulia, seu Hyperdulia, quæ in dignitate gratiæ fundatur. Hæc videtur esse sententia Divi Thomæ 2.2. *quæst.103. art.4. ad 2.* ubi dicit *Hyperduliam, quæ debetur Virgini propter affinitatem ad Deum, esse potissimam speciem Duliæ communiter sumptæ.* Ubi doctè C advertit Cajetanus, *Virginem habere consanguinitatem cum Christo ut homine; affinitatem verò cum Christo ut Deo, & ideò deberi illi specialem adorationem: quia propriâ,* inquit, *operatione attigit fines Divinitatis*; id est, quia concepit, peperit ac nutrivit Deum. Et ratione probatur, quia dignitas, in qua fundatur hæc adoratio, est specie distincta à dignitate gratiæ habitualis, & ad alium ordinem spectat; ad ordinem scilicet unionis Hypostaticæ: ergo adoratio in illa fundata, est diversæ rationis, quia habet objectum formale diversum. Quæri potest, num hæc adoratio sit perfectior adoratione, quæ in gratia fundatur; nam dignitas gratiæ, ut diximus in Consociatione de dignitate gratiæ, est excellentior D dignitate Matris nudè in se spectatâ. Verum id quidem est, si per se nudè spectentur: at hîc in contrarium est, quia dignitas Matris, considerando omnia, quæ formaliter, & in virtute, vel quasi in radice concludit, excellentior est; ergo etiam adoratio, quæ in illa nititur, erit perfectior: nam propter hanc causam, Ecclesia potissimùm Virginem veneratur, ut Matrem Dei; & hanc rationem maximè prædicat, & omnibus præponit: ergo intelligit ob hanc causam illi deberi potissimùm cultum.

Specialis Hyperdulia forma debetur Virgini.

§. V.

§. V.

Vltimùm, tantus Doctor inquirit, à quo habitu hæc adoratio oriatur.

DOcet ergo oriri ab eodem habitu religionis, quo oritur Dei, & Christi Domini adoratio.

Adoratio Virgini debita ab habitu religionis oritur.

Primò, etsi hæc dignitas Matris creata sit, tamen respicit excellentiam increatam,& indè sumit valorem suum, quod videtur sufficere ad unitatem habitus. Unde in humanis idem habitus, qui inclinat ad honorandum Regem, inclinat etiam ad honorandam Matrem Regis, ut sic: videntur enim hæc esse quasi correlativa, & ideo consequutionem quandam inter se habere, quæ satis est, ut eodem habitu, seu principio radicentur: tandem, quia hæc dignitas, ut suprà dictum est, pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ: ergo adoratio, quæ in illa nititur, pertinet ad illam virtutem, quæ unionem hypostaticam veneratur. Sicut enim Dulia, quæ respicit gratiam creatam, complectitur omnia, quæ sunt illius ordinis; ita Religio, quæ respicit excellentiam increatam, & consequenter gratiam unionis, comprehendet omnia, quæ sunt in eodem ordine.

Finit deinde Doctor, posse hoc genus adorationis constituere propriam virtutem, & habitum distinctum à ceteris, quia fundatur in singulari quâdam dignitate propria, & intrinseca creaturæ. Quod satis esse videtur, ut distinguatur à virtute Religionis.

Quid miraris, si Sanctissimæ Virgini, summo operum Dei singularem virtutem dedicemus, cùm illa singularis sit unica, & felicissima creatura, ac præ omnibus amata.

Hactenus Doctor Suarez. Nunc proferamus sublimissimi Doctoris Vasquezd octrinam ex disput. 99. in tertiam partem; si sanctitatem Virginis spectemus, in ea est dignitas ejusdem rationis,major tamen quàm in reliquis Sanctis, ut ipsam adoremus: si verò dignitatem eximiam Matris, cum sanctitate conjunctam spectemus, est etiam in ea peculiaris ratio dignitatis, quæ in alijs non reperitur,ut ipsam veneremur.

Quocirca cùm ceteri Sancti dicuntur coli Duliâ, quæ inferior est religione, & Latriâ; beata Virgo dicitur adorari Hyperduliâ, quæ idem est quod excellens, & eximia Dulia.

Quare & Divus Thomas docet Virginem peculiari ratione Hyperduliâ adorari; quod scilicet sit Mater Dei, atque ideo inter ipsam & Deum sit quædam species conjunctionis, & sanguinitatis secundùm carnem.

Adjungit disput. 100. Hanc quæst. An adoratio, quæ beatæ Virgini tribuitur, sit opus Religionis?

In secundo disputationis capite ponit Auctor suam sententiam.

Primùm quidem, si in beata Virgine non consideremus excellentiam propriam, quam habet; sed eam, ut aliquid Dei apprehendamus, solùm ad ipsius Dei dignitatem attendentes, ipsam simul cum Deo adorandam esse adoratione, quæ est opus Latriæ, & veræ Religionis, sicut universim de omni creatura rationali dici potest. Est tamen in beatâ Virgine peculiaris quædam ratio, ob quam cum Deo adorari possit, quæ in omnibus creaturis rationalibus dari non potest. In Virgine fuit singularis quidam, & sacer contactus, & magis peculiari modo, quàm sit in alijs reliquijs, quæ Christum tetigerunt.

Si ergo cogitatione nostrâ Virginem cum Christo conjungamus, & in ipsa Virgine Christum consideremus, nec ad excellentiam Virginis, sed solum ipsius Dei in ipsa respiciamus, possumus eam eâdem adoratione, quâ Christum adorare, suo proportionato modo.

Deindè in beata Virgine consideremus dignitatem sanctitatis, vel etiam Maternitatis, & consanguinitatis, quam habet cum Christo secundùm humanitatem,& affinitatem, quam secundùm Divinitatem illius sortita est; non possumus adorationem, & honorem Latriæ, aut Religionis ei deferre. Verùm cùm Virgini cultum adhibemus, & honorem, tum propter dignitatem sanctitatis, & Maternitatis, & conjunctionis cum Deo simpliciter, absolutam Hyperdulia, id est maxima Dulia ipsi debetur.

Habes doctorum Virorum sententiam, & opinionem. Tu elige, cujus sequaris doctrinam. Uno verbo absolvero, filium ijs honoribus, cultu, plausibus, acclamationibus, triumphalibus congratulationibus, & sublimibus gloriæ datæ laudibus Matrem suam extulisse, honorasse, & ejus dignitatem prædicasse, quantum creaturæ concedi potest: sic enim honorabitur Mater quam Deus omnibus prælatam voluit honorari. Et quandoquidem tota gloriæ Maternæ magnitudo redundet in filium, is non existimat se satis honoratū, nisi exquisitissimis Matrem unicè delectam, laudum & gloriæ incrementis affluenter cumulârit

§. VI.

Respondeamus tandem ad quæstionem propositam.

QUo cultu, quâ adoratione, quâ gloriâ, quâ laude, quibus acclamationibus, quibus plausibus, quibus ovantibus, & triumphalibus vocibus, quibus inclinationibus, & aggeniculationibus Sanctissima Virgo sit veneranda.

Legimus ex Divo Thoma, & alijs, Virginem in opere Incarnationis, in quo caro, & sanguis ejus cum natura humana fuerunt unita Divinitati, & illud compositum vocetur ὁμόθεος, homo Deus, & Deus homo, adeò altè elevatam, ut operatione sua fines Divinitatis attigerit. Testamur omnes honores, omnem gloriam, cultum, laudes, applausus, & adorationem excogitandam deberi, quæ citra Divinæ Majestatis præjudicium deferri potest. Excelsior enim, major est Virginis dignitas, quàm ulla laus eam possit adæquare. Clauseris facilius pugillo totius Oceani orbi circumfluas aquas, quam animo dignitatem Maternitatis comprehendes.

Omnis honor Virgini debitus citra Dei lesioni.

Si ergo Imperatoribus Romanis, virtutum, Victoriarum causâ, milites laureati, populusque Romanus acclamabat in theatris, in processu triumphi, in purpuræ collatione: *Dij te servent Imperator.* Quis negabit Virgini salutares acclamationes? Imperatori Probo, verè probo, cum de more esset ornatus pallio purpureo, pulcherrima intonuit acclamatio: *Probe Dij te servent cum titulis speciosis*, Francici scilicet, & Gothici, Sarmatici, Parthici. Intonuit nomen Cæsareum, nomen Augustum, & pulcherrimum nomen; Pater Patriæ. Julianum Apostatam mediocritate; & mansuetudine vitæ, gratum strictis ensibus coegerunt milites nomen Augusti suscipere, & in scutis elevato acclamatur: *Auguste Iuliane Dij te servent, Dij te sospitent.* Severum verò Alexandrum, victo Artaxerxe Persarum Rege, tota Roma faustis acclamationibus fatigavit, & succollatum humeris in aërem præ gaudio attollebant, acclamantes: *Salve & sospite Alexãdro, salva Roma: Alexãder Severe Dij te servent, verè Parthicus, trophæa tua nos videmus, victorias & nos videmus.* Quales acclamationes faustas, festivasq; non debet Orbis Virgini? acclamemus illi cum Patribus, cum Concilijs: Tu verè Mater Magni Dei, Θεοτόκος, Deus te servet, gaude Maria Virgo, cũctas hæreses sola interemisti: verè cælestis, supra homines, supra Angelos exaltata, verè Domitrix inferni, orbis servatrix, & Ange-

A lorum Regina, trophæa tuâ nos videmus, victorias & nos videmus.

Christo, Virginis Filio sedenti super asinam, acclamatum est: *O sanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*, Matthæi 20. Acclamamus Virgini: O sanna filiæ David: benedicta quæ venit in nomine Domini, gloria Jerusalem: tu contrivisti caput serpentis, te salva, salvus est orbis; cui pacem attulisti. Filius, Pater Patriæ, & orbis: tu Mater Patriæ, & orbis.

Vos pueri, innuptæque puellæ concinnate triumphales voces, quales Christo pueri templum ingresso cum modulis aptarunt: *Osanna Filio David.* Ex ore infantium perfecit Deus laudem Christo.

B Qui Virginis Majestatem contemplatur, Deum verum ignorans, an non Deum diceret, ut dixit Dionysius Areopagita? Planè, si Divo Paulo, Lystris, ubi curavit claudum ex utero natum, turbæ levarunt voces: *Dii similes facti hominibus ad nos venerunt.*

Quas voces effunderent turbæ, ad intuitum Virgineæ Majestatis? Aggeniculetur ergo totus orbis Virgini in curru triumphali considenti, & clamet: Vivat Mater teneri Regis, Mater Magni Dei: sic honorabitur, quam voluit Deus esse Matrem suam. Sicut tota Ægyptus ante Iosephum genu flexit, acclamans: Vivat tener Pater Regis. Pergat orbis aggeniculatus, &

C Virginis genua cum summa reverentia, contingere, eò quòd genua sunt misericordiæ dicata. Et Gentiles vota facientes, genua Deorum tenebant, teste Iuvenale Satyr. 10.

Fas genua incerare Deorum.

Quare & antiquitas docet, Episcoporum salutatores consuevisse, eorum genua contingere, ut Pij in Concilijs. Flexi ergo genibus adora Virginem, ut auctore Tertulliano. Christiani solebant cultu Latriæ Deum adorare. *Quia*, inquit, *genuum inclinatio in precationibus magis Deo peccatores commendat, quàm si stantes orent, magisque Deum permovet ad misericordiam.* Hoc & Vir-

D gilius docuit, cùm ait:

Et genua amplexans genibusq; volutus.

Quare & illam in theatris, in pulpitis, in publico conventu lauda, & extolle quantum potes infinitis laudibus, & illam post Deum, præ ceteris omnibus creaturis æstima solam dignam omni pretio. Hâc in parte esto æmulus Magni Platonis, qui tantum Aristidi Iusto tribuit, ut præ ceteris, qui Athenis floruerunt, solum cum existimaret laude dignum, & admiratione. Scimus omnes Sanctos laude, & ingenti pretio dignos; verùm stellæ, etsi pulcherrimi cælorum

lorum

lorum oculi, & fulgurantes Adamantes, Solis pulchritudini non comparantur. Cato Senior, ubi Iunioris Scipionis ante Carthaginem virtutes, sedulos labores, modestiam, continentiamque introspexit, hoc præconio collaudavit:

Ille sapit solus, reliqui velut umbra vagantur.

Non quod velim Magnorum Sanctorum virtutes umbratiles, quæ sunt admiratione dignissimæ, quibus Divina potentia, & Majestas irradiatur; sed initâ comparatione, in tantum Virgo omnium creaturarum gloriam, ut corpus umbram antecedat.

§. VII.

De plausu sacræ Virgini debito.

Cum plausu Virgini applaudentes finiemus, si usum, & dignitatem plausus docuerimus. Sicut assurgere viro virtutibus conspicuo, ita & eidem applaudere, semper apud Romanos in magno honore, & pretio fuit. Plausus itaque non dabitur, nisi summis viris, & principibus, vel ijs qui locum primarium apud Principes possidebant. Sic Mecœnati Augusti Cæsaris intimo Consiliario in theatro plausus datus, teste Horatio:

Datus in theatro cum tibi plausus
Clare Mecœnas Eques, est
Tum populus frequens lætum theatris
Ter crepuit sonum.

Sic & Virgilio tanquam Poëtarum Principi assurrectum: Populus (inquit Fabius in Libello de causis corruptæ eloquentiæ) auditis in theatro Virgilij versibus surrexit universus, & forte præsentem spectantemque Virgilium sic veneratus est quasi Augustum. Debitus ergo summis viris, & Regibus honor erat assurgere, & plausum dare; adeò ut ipse Augustus, teste Tranquillo, Nepotibus suis prætextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro, & à stantibus plausum, gravissimè sit questus, ne scilicet adulatio præcipites daret in superbiam. Plausus ergo rarum, & Augustum decus summis Principibus reservatum, docuit Procopius lib. 1. de bello Gothico: ubi pax à Principe Iustiniano data in hanc legem, ut populus pro more, in plausu, & acclamationibus Imperatoris in primis nomen, Theodati deinceps: idque sive in theatris, sive in trivijs, sive alibi locorum. Observa quantæ dignitatis fuerit acclamatio, ut fuerit qua-

A si nota, & insigne imperij: nam Iustinianus Romam Theodato relinquens, vindicavit tamen sibi primum acclamationis locum, tanquam vero & legitimo imperij Principi. Plausum comitabantur acclamationes quasi miro artificio, & modis compositæ, ut asserit Tacitus Annalium 16. Plebs personabat certis modis, plausuque composito, & solemne erat adjungere has voces, εἰς αἰῶνας. Ut Tertullianus docet in libello de spectaculo; quale est, inquit, εἰς αἰῶνας alij omnino dicere, nisi Deo Christo.

Cui ergo justius persolvemus cum Imperatoris acclamationibus plausus Regios, quàm Christo summo Principi, & Matri B ejusdem principatus consorti? Applaudamus utriusque felicitati, & utamur hisce vocibus, εἰς αἰῶνας, in æternum & ultrà. Optemus congratulando tanti filij tantæ Matri: de nostris annis, si fieri posset, augeantur ipsius anni. Acclamemus utrique: Vita & victoria, uti acclamatum est Carolo Magno, dum Leo Papa coronam capiti imponeret; & ter acclamatum à populo Romano: Carolo Augusto, Magno, & pacifico Imperatori Romano: vita & victoria. Ut scribit Regino.

Acclamemus Virgini Matri semper Augustæ: Salus & victoria, te salvâ salvi omnes.

Miraberis fortè cur omnes mortales ad C plausum provocem? Desines mirari, si puri, & sinceri plausus vim, & potentiam penetraris. Discas, amabo, plausus publicos privatosque, & à natura ipsa, deindè hominum instituto, tum amoris, tum summi honoris causa fuisse inventos frequentatosque.

Quare & Cicero lib. 1. Epistolarum ad Atticum vocat plausus, & acclamationes ἐπισημασίας, quibus populus bonum suum testari solebat, & lætitiam quam ex aspectu virtutis magnæ, & spectatæ hauriebat. Sic populus Romanus ad Paulum Æmilium Censorem in theatro crebras voces emittebat, ejus conspectum desiderans, quem in D Patriam reversum, & sacrificium peragentem summis gratulationibus, & plausibus excepit.

An non hi plausus, testes ingentis animæ, & spiritus in Paulo, quibus supereminebat omnes Romanos? Plausus ergo magnum bonum indicat magnâ gratulatione dignum, indicat magnos honores, magnam dignitatem tantis lætitiæ signis, ut Regi fieri solet, vel Magno Principi inaugurato, vel cum pompâ procedenti, quando bombardarum fragoribus, & trepudiantium, saltantium, clamantium, congratulantium lætis acclamationibus tota se civitas, & Regnum in favorem Principis effundit. Hi plausus lætantium, & exultantium sacræ Arcæ, cùm ad bellum produceretur, vel partâ vi-

ctoriâ reduceretur, effundebantur. Plausus ergo significat ingentem lætitiam, partis ingentibus bonis provocatam. Omnes ergo plausus omnibus congratulantionum cumulis adjunctis, omnium exultationum completis gaudijs, & unitis omnis lætitiæ signis, obviàm Virgini procedentes, excitemus, ut publicis acclamationibus publicis lætitiæ signis testemur magnitudinem bonorum, quæ per Virginem nobis collata sunt. Omnes ergo Gentes plaudite manibus, jubilate Virgini in voce exultationis: exhibite lætitiam, quæ manibus significatur. Quare nomine manuum bona omnia, opera volo comprehendi ex mente Didymi, &

A Augustini, ut non sit oris inane gaudium, nec cessent ab operibus manus, quibus puræ mentis vera lætitia manifestatur. Quantum autem gaudeat nostris congratulationibus, satis ostendit, dum nos ad eas invitat: *Congratulamini*, inquit, *mihi, quia cùm essem parvula, de meis visceribus genui Deum, & hominem*, Plaudamus ergo manibus Dominæ, & jubilemus ei, quia soli Deo tanquam Imperatori, & Virgini tanquam summi Imperatoris Matri purus plausus reservatus debetur, cum omni gloria, tanquam clara notitia bonitatis illius. Soli ergo Deo gloria, & ab ipso soli gloria Virgini Matri Dei.

VIGE-

VIGESIMÆ SEXTÆ CONSOCIATIONIS DE IUSTITIA.

PARS PRIMA.

§. I.

Quid sit, & de ejus dignitate.

Necessitas iustitiæ.

AUGUSTINUS lib. 19. de Civit. cap. 21. Sic eam definit; *Est Virtus suum cuique tribuens.* Nyssen. Orat. 4. ait *nonnullos, qui hujusmodi res scrutati sunt, asserere, Iustitiam esse habitum tribuentem unicuique quod æquum est, & quo quisque dignus est.* Ulpianus. leg. Iust. tit. de Iust. & Iure, *est constans*, inquit, *voluntas ius suum cuique reddendi.* Tantæ verò dignitatis, & fulgoris omnes asserunt esse Iustitiam, ut Solem universo sustuleris, si Iustitiam. Quare & Aristotel. 5. Ethic. cap. 1. *Scribit tanto loco esse Iustitiam legalem, ut neque Hesperus, neque Lucifer æquè sit admirabilis.* Addamus nos Iustitiam Solem esse. An non remoto Sole, lucis & totius lætitiæ Parente, totus orbis atrato, pulloque amictu luget, ut tota Persia Rege exstincto? An non tenebris omnia quasi funebribus obducuntur, ridentium terrarum hilaritate sublatâ? Sic & societas humani generis, quasi dissolutâ compage formosi corporis disrumpitur, & in tenebris scelerum, & atra caligine volutatur, orbata Iustitiæ pulcherrimâ, Divinâque luce; est enim Iustitia quod Sol orbi, oculus, corpori, & intellectus animæ, vinculum pariter, & coagulum Societatis humanæ.

Quare Iustitia non solùm, lumen unum, sed tota lumen, & totus Sol vocari debet. Sic & Persæ suum Regem, & Cyrum, à Iustitia Solem vocarunt, quasi totus Sol, quia totus Iustitia. Hoc & intellexit Cicero lib. 1. de officijs, cùm dicit: *Iustitia est splendor maximus, ex quo viri boni nominantur.* Et

Iustitia est quod sol orbi.

A Aristotel. 6. Ethicor. ait Iustitiam, non solùm esse omnium virtutum præclarissimam; *imò*, inquit, *est omnis virtus.*

Quare & eam vocat omnium virtutum complexionem; sic ut quævis virtus sit Iustitia. Præclarè ergo dixeris Iustitiam esse, matrem, & nutricem ceterarum virtutum, eamque principatum inter omnes tenere, imò & harmoniam quasi concordibus fidibus compositam efficere, & esse æternam generis humani pacem. Hoc docuit Tull. lib. 1. de officijs, ubi Iustitiam vocat Dominam & Reginam omnium virtutum, quâ B societas hominum inter ipsos, & quasi vitæ communitas continetur. Ceteras ergo virtutes sidera, Iustitiam verò ipsum Solem, fontem lucis omnis, compellemus, quâ mortales sanctitatis habitum, & virtutum fulgorem acquirunt.

Iustitia domina.

Hoc testatur Plato in Prothagorâ, ubi docet: *Idem*, inquit, *est Iustitia, quod sanctitas, aut invicem quàm simillima, ut maximè omnium qualis Iustitia, talis sit sanctitas, & qualis sanctitas, talis Iustitia; unde & Iusti sancti vocantur.* Et Aristides quia Iustissimus, habebatur & sanctus. Et Iob quia C vir justus, & simplex, ubi Iustitia primatum laudum suarum sibi vendicavit, & præ ceteris virtutibus tanquam eminentissima, caput quasi rosis coronatum extulit. Quare & ceteris virtutibus moralibus excellentior, exceptâ unâ prudentiâ, quæ est auriga virtutum. Ceterùm Iustitia, ceterarum virtutum objecta refert ad suum objectum commune, quo Deo, superioribus, æqualibus, & deinde cuilibet, nec non & sibi suum tribuit; idcircò & suprà Iustitiam vocavimus omnem virtutem. Agesilaus proinde

Iustitia & sanctitas sorores.

Scelestissimi amant Iustitiæ imaginem.

inde magnus, rogatus, utra virtus esset præstantior, Fortitudo an Justitia? graviter respondit, fortitudinis nullum esse usum nisi absit Justitia, quid enim opus est fortitudine, si omnes essent Justi? Tanta est ergo hujus virtutis vis, ut nec ij quidem, qui scelere ac maleficio pascuntur, possint sine aliqua particula Justitiæ vivere. Et quomodo coitione factâ possent inter se vivere, si crescerent mutuis damnis? si illorum magnitudo infringeretur proprijs ruinis? si illorum scelera sceleribus extinguerentur, & se mutuo, malè partis defraudarent? Inimicos ergo virtutis, ne in seipsos sæviant, continet nonnulla religio Justitiæ, & Justitiæ forma.

Iustitia præses regnorum.

Quamobrem Justitia tanquam fundatrix Regnorum, gentiumque Dea, rebus præsidet, & ijs firmitatem tribuit, juxta illud Proverb. 16. versu 12. *Quoniam Iustitiâ firmatur Solium.* Ubi 70. habent, *Cum Iustitia paratur solium principatus*, qui & Justitiæ tuendæ causâ fuit inventus, & ab ipso Deo, qui est Princeps Regum terræ, ad Regem, qui est viva Dei in terris imago, descendit. Felix Regnum Justitiâ florente, quæ ut Salomon. 14. Proverb. *elevat gentes*; nec solùm elevat, sed & elevatur, & quasi firma columna, suâ firmitudine sustentat. Quare non sine causa vocârim Justitiam Atlantem Regnorum, qui ut fingitur humeris cælum, sic illa Regnorum molem portare.

Regna stât Iustitia

An non incurvato Atlante, succumbit moles cælorum? Sic & Regnorum moles, ut incolumi Justitiâ stat, & corruit funditus Justitiæ collapsione. Quare putamus solium Salomonis 12. Leunculis auratis gradatim fuisse sustentatum? An non Leo symbolum invictæ Fortitudinis, robustæque Justitiæ, & in impios vindictæ? Ascendit Salomon solium principatus, comite Justitiâ, cujus luce & splendoribus irradiatus, famam sui per Orbem dispersit. Vindex enim *Iustitiæ gladius dissipat impios*, Proverbior. 20. numer. 26. *& incurvat super eos fornicem.* Ubi Chaldæus habet, *dispergit cœtus solvendo, & disiungendo*, qui coitione conjuratorum in factiones solent accendi, Unde & antiqua paremia, *Vis regnare? divide.* Rex ergo Justitiâ armatus, terribilis improbis, & nullis armis est expugnabilis. Et sanè, quomodo esset expugnabilis? qui ut ibidem versu 8. non hastis, sagittis, armisque, minacibus, *Sed solo intuitu dissipat omne malum, dum sedet in solio Iudicij?* Oculi enim Regij militant Regi, tanquam sagittæ acutæ in corda hostium vibratæ. Unde non dubitavit Augustus Cæsar, Principum maximus, Principem æquare Dijs, dum apud Senecam in ludo dixit, Principes pietate, Justitiâ Deos fieri.

Atlas regnorum.

Rex Iustitia, pietate Deus.

Quid enim est (ait Ptolemæus Philadelphus) Justitia, nisi Dei potentia? & ubi A Justitia, & ibi potentia. Potentissimus Deus, potentissima & Justitia. Et cur non esset, cùm filia sit & hæres paternæ potentiæ? An non omnes antiqui Philosophi dixerunt Justitiam assistricem Jovis? & Hesiodus, *Ipsa*, inquit, *Iustitia, est Virgo ex Iove nata.*

Castaque veneranda Dijs qui Olympum habitant. Seneca verò vocat illam *cælorum decus*, cùm ait in Octavia: *Altera Virgo siderum decus.* Et David Psalm. 44. *Virgam directionis* vocat *virgam regni Dei*. Virgâ ergo Divinâ armatus Rex, est invulnerabilis, atque inconcussus. *Induet enim pro thorace Iustitiam*, Sapient. 5. *& accipiet prò galea judicium.* Ponitur autem Justitia Dei pro thorace sive lorica, qua Rex iujurias viris bonis illatas ab impijs, justè vindicabit. B Sicut enim pectus, in quo est Regnum cordis, loricâ firmâ contectum, nullis vulneribus patet; adversus sic Regis animus quia in tutela Dei est, & Justitiæ loricâ firmatus, impavidus, lachrymas inflexibilis, adversus precum potentiam, & adversus populi favores stabit, & ut Proverbio dicitur, *Lineam non movebit.*

Iustitia thorax pectoris regij.

Iustum enim & tenacem Propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ: neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iovis manus
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ. Sic Horat. lib. 3. Oda 3.

C Cui succinit Claudianus de consulatu Manlij Theodori:

——— *Quisquis te sensibus hausit,*
Irruet intrepidus flammis, Hyberna secabit
Æquora, confertos hostes superabit inermis.

Vos ergo Reges, qui delectamini sedibus & coronis, quibus dulce est regnare, exercete Justitiam, & Justitiæ facinora: qui enim Iustitiam colit, *Pulchrè litat Deo*, juxta antiquorum Parœmias. Iustitia sola, maximus est cultus Dei. Pinguior victima, mactari Deo nequit, quàm homo sceleratus. Avidus servandi imperij, ergo Ptolemæus Philadelphus, qui 70. interpretes miracula orbis convocarat, cùm varias viris D sapientissimis proposuisset quæstiones, ex decimoquinto (teste Aristeâ) sciscitatus est, quæ potissima cura Regem deceret; Conservare se (inquit) à muneribus incorruptum; magnam partem bono publico invigilare: Iustitiamque ante omnia colere: Deus enim Iustos amat. Non sine causa Principes socordes, luxu marcidos, ebrijs assimilamus, quos ratio, & lux mentis deseruit, qui non consilijs sanis, sed impetu unius, vel aulicorum inexpertorum dolosis ventis reguntur, & totos se patiuntur auferri in Regnorum lamentabiles ruinas. An non hujusmodi rectores similes ijs qui morbo comitiali laborant, caduntque? An non

Summa victima impius.

Væ terris ubi unus princeps ignaro regit.

tum

tum scelera regnant? sævit impietas furens? turpis libido dominatur potens Venerer Luxuria victrix orbis immensas opes, jam pridem avaris manibus ut perdat, rapit? Sic Seneca in Octavia. An non ad occasum Iustitiæ, dominatrix Roma vitijs concidit suis?

Romam condidit Iustitia perdidit injusta Venus.

Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumq; genus
Martis in illis, sanguisq; viris.

At ubi Astræa virgo terras pollutas fugit Romanas, incubuere cuncta orbi crimina, & inde cuncta per orbem exorta mala pulcherrimum dissolverunt imperium.

§. I I.

Veritas dictorum, probata factis.

Dignè suo ingenio Alfonsus sapientissimus Princeps est philosophatus, cùm dixit, *nutrimentum animæ esse Iustitiam, quâ à Principe sublatâ, nihil ei superesse ad vitam.* Sic Æneas Sylvius de dictis Alphonsi. Ego dixerim, Iustitiam esse nutrimentum, & altricem imperij; quâ si spolietur, necesse sit penitus interire.

Iustitia altrix imperij.

Optimè ergo Augustinus lib. 4. de Civit. *Regna sine Iustitia, vel eâ remotâ, non esse nisi latrocinia*, dixit. Hoc Gothus Totilas docuit, vir bellator, consilijs validus, & quamvis barbarus, Iustitiâ tamen clarus. Accisæ erant ferocissimæ gentis vires, & inclinabant in præcipitem ruinam. Unus vir labantes sustentavit opes. Advocatis reliquijs Gothorum, (gens robore, & marte clara, digna imperio si pro vera fide pugnaret) sic est philosophatus. (Concionem quam habuit, vide apud Procopium lib. 3. de bello Gothico, & apud Baron. anno Christi 547.) Fuêre quondam Gothi centum millia militum bellicosissimorum, veteranorum, & prudentissimorum virorum vis ingens: summus rerum apparatus. Et omnes has vires septem Græcorum militum millia profligarunt. Deinde nos, qui reliqui sumus, & tantâ præsertim paucitate, nudi & calamitosi, & ignavissimi omnium, hostium ultra viginti millia confecimus; deinde quæ parvâ manu gessimus, ea sunt ut fidem excedant. Causas, cur hæc nobis contigerunt, aperiam, inquit Totilas. Gothi tunc primùm præ ceteris omnibus æquitate posthabitâ, ut inter se invicem ira & in Romanos tum subditos indigna quædam patrabant, quibus (uti par erat) permotus & irâ accensus Deus, pro hostibus & contra nos depugnabat; quo factum est, ut etsi multitudine, & virtute, ceteroque apparatu hostibus essemus maximo intervallo superiores, vi quadam tamen occultiore, ac planè Diuinâ devicti sumus. Bene exclamavit ille Poëta, Ignarus Divinæ providentiæ:

Gothos Iustitia extulit.

Oratio Totila digna justo principe.

Sidus, & occulti miranda potentia fati.

Vestra itaque nunc reor interesse, quæ rectiora sunt, ut servetis id est, æquitate de cetero tueamini: nam hanc pervertentibus vobis, vel Divina quidem subsidia infestiora mox erunt. Non sine delectu ullo, vel temerè, vel humano generi, vel privatæ cuiquam rationi, ferre præsidium consuevit, sed his quam maximè favet Deus, apud quos æquitatis ratio habeatur. Et illi quidem haudquaquam difficile est ad alios bona transferre, ut qui rerum omnium habeat potestatem. Illud ergo vobis pernecessarium fore asseveraverim, Justitiam ut invicem, & in subditos serveris. Audiant Christiani Duces Regem Totilam, quamvis barbarũ, pulcherrimè philosophantẽ, quàm bene docuit ex Justitiæ cultu à Deo rependi victoriam. Hinc Deus utitur hæreticis, tanquam virgâ furoris sui in Catholicorum scelera castiganda, ut olim Isa. 10. *Virga furoris mei Assur*, ut loquitur Dominus ad infligenda verbera Judæis depravatis. Cogitur, ut ita dicam, Deus nequiores Turcis Christianos, & Catholicos, suum populum, hæreticis tradere plectendum, qua Justitiæ suæ fiat satis. Hâc viâ Justitiæ magnus Belisarius anno Christi 533. Justiniani Imperatoris 7. paravit sibi robur, atque ingentes animos ad perdomãdos invictos hostes, Wandalos qui 95. annis Africam possederant. Stringam paucis cõcionem, quam habuit ad exercitum Vos ergo manibus temperare. ab injuriaque abstinere opus est, cùm frustrà sit fortitudo, ubi Justitia defuerit. Fructus ergo milites attingentes ignominia notavit, vim afferre & alienis, turpe monstravit, agros pacatos reddidit, & Afri spontaneam annonam obtulerunt. Lege ex Procopio l. 1. de Wandalico bello accipe exemplum severitatis, & Justitię servatæ Duo Massagetæ quendam è socijs, ut ebrios irridẽtem interfecerunt. Belisarius hos in quodam Promontorio, palo infixit. Oritur seditio, & maximè Massagetarum, qui voluntariam militiam Romanis navari objiciebant, nec se velle subjici legibus Romanis testabantur. Oratione ergo totum exercitum format, castigatque; Imperitorum esse qui existimant aut finem pugnæ, aut fortunam in dextris cõsistere. Corporis inquit prosperitas, armorũ diligentia, belli apparatus; observantiâ in Deum, & Justitiâ esse inferiora. Prima ergo cura Justitiæ sit, &c. Quis non videt opus esse hodie Belisarijs qui milites rapinis assuetos compescat, qui majori ferociâ suis, quàm hostibus insultant? It clamor cælo Deus bone! formidabilior est amicorum adventus, quàm hostium: Affricam, Wandalos, & Regem eorum non tam armis quàm Iustitiâ domuit Belisarius. Insigne documentum posteris Ducibus dedit Narses Dux Justiniani anno Christi 555. prout narrat Agathias.

Iustitia exercita Deum demeretur.

Belisarius & Narses barbarorum victores Iustitia.

Agathias. Junxerat se Francis quidam Dux Bucellinus cum suo exercitu apud Capuam. Narses priusquam armis cum hoste decerneret, more suo purgavit exercitum, & inventum Herulorum nobilem, qui servum occiderat, pari pœnâ plecti voluit. Attende Lector ad fiduciam Ducis. Non magni fecit, si ingens multitudo Herulorum, in tantis angustijs, & articulo rerum, cùm hostis instaret ab exercitu, mortem sui gentilis indignata secederet. Justitiâ armatus Narses congreditur. Victus, stratusque ingens hostium exercitus & ad eam internecionem sic deletus, ut tantum quinque reperti, qui forent nuncij suæ cladis. Tanta potentia Justitiæ, quâ domatur omnis potentia. Martinus ergo Quintus Pontifex Deo plenus crebrò has voces iterabat: *Diligite Iustitiam, qui judicatis terram*, suosque literis ad Justitiæ exactæ cultum urgebat, si Rempub. salvam esse vellent. Factis illustremus dicta.

Pulchra vox Tyberij (utinam & re in tanto tyranno) quâ Principem depinxit, dum in pleno senatu testatus est. *Dixi*, (inquit,) *nunc, & sæpè aliàs, P.P. conscripti, bonum & salutarem principem, quem vos tantâ, & tam liberâ potestate instruxistis, senatui servire debere, & universis civibus: sæpè ac plerumque etiam singulis; neque id dixisse me pœnitet.* Et sanè nisi hæc præstiterit, Principis nomine haud dignus est. Præstabit autem in Justitia administranda, & injuria arcenda. Hoc est, admittere in animum, totius Reipub. curam, & populi facta suscipere, & oblitum quodammodo sui, gentibus vivere, & pro salute omnium cogitare, &c. Hoc, insigni facto præstitit Zaleucus, dum Justitiam asseruit. Tulerat legem Locrensibus, ut adulter oculis orbaretur. Et bene, ij scil. puniantur, qui in amore duces. Violat legem filius: reo pœna paratur. Populus unico Regis hæredi, legis rigorem remittit. An ille Caligulæ, vel Memmij apud Salustiū vocibus usus, impunè quidlibet facere, id est Regem esse? Stetit recti amans, & tantùm sibi, per se licere dixit, quantum per leges, antè licebat. Lex (inquit) sancta, & pœna etiam in nobis esto: sed viam reperi, quâ, illâ salvâ, humanitati indulgeamus. Filius, & ego unū sumus. Mihi ergo unus oculus, alter ipsi eruatur. Magnanimâ liberalitate Artaxarxes injustitiā vitavit. Obtundebatur hic à Satibarzane gratioso Satrapa, in re quapiam injusta impetranda. Didicit Rex hunc emptum triginta millibus Daricorum. Vocatur hic, vocatur & quæstor Regius. Heus tu triginta millia Daricorum huic ilicò annumera. Tu autem hæc cape, & tibi habe: cùm dedero, nihilo pauperior ero, at si tuum illud concessero, multo injustior, nam injusta ab justis impetrari non decet, sicut & justa ab injustis petere, insipientia est. Deo Justitiæ sidera dabit aula Turcica. Mahumeti secundo ejus nominis Imperatori erat filius Mustafa, imperio destinatus. Hic Achmetis Bassæ uxo-

Exemplum insignis Iustitia.

Iustitia Persica.

Iustitia Turcica stupenda.

A rem adamans, indomitâ flammâ deperibat. At frustrà; inexorabilis stetit matrona, marito fida. Tandem in balneo se lavantem, renitentemque compressit juvenis furor. Ardens dolore mulier, ad maritum, ille ad Imperatorem, flagitium retulit: expiationem sceleris poposcit. Pater, primò cunctari: deinde verbis acribus Bassam invadere. Quid (inquit) si meam, & non tuam fuerit amplexus? an non illa, tuque pariter mea mancipia? quid, si me jubente, morem animo suo gessit? secede hinc. Satagam rerum mearum. Æger ergo & saucius animo, sæva volutans consilia, filium jam scelus confitentem, minisque castigatum dimittit. Verùm trido pòst, cùm filius in corde patris, & Justitia diu pugnassent; tandem victrix Justitiæ causa placuit, & nervo fauces elidi jussit, & morte filij, pudicitiæ litavit. Abeant adulatores ex aula Regum, qui omnia Regibus, & in omnes licere censent. Pareto legi, quisquis legem sanxeris. Quid leges sine moribus, vanæ proficiunt? Horat. lib. 2. odar. 24. Alterum Turcicum. Judæus Christiano pecuniam, iniquo fœnore mediæ libræ scilicet carnis ex corpore exscindendæ dederat. Quantum odium in Christianum sanguinem! Appetente die solutionis, Christianus cunctari, tempus ducere, ac tandem procrastinare. Judæus impatiens adit Imperatorem. Visa improbo res digna appellatione. Et ecce fertur inexspectata sententia, damnato Christiano, eâ tamen lege, ut fœnerator ad eam æqualitatem, portionem carnis debitam exscindat, ut nec levi momento statera in ullam partem propendat, idque capitis sui periculo. Territus Judæus tanto discrimine, judicium declinat. Imperatorem fama judicij, & gloria artificis inventionis illustravit.

B

Aliud genus Iustitiæ Turcicæ.

C

Admirabilem Justitiæ lucem, Carolus Audax, Burgundiæ Dux, eximius Justitiæ cultor attulit. Erat in flagranti gratia vir nobilis, Præfectus oppidi in Zelandia. Hic potentiâ sævi amoris victus, cùm matronam undique munitam firmâ castitate, nec promissis, nec amoris illecebris expugnare posset; facinori locum dedit, ut obnoxiam sibi redderet. Claudit maritum carcere, ut necessitas evinceret obfirmatam mentem. Illa ad carcerem, & inde ad Præfectum, aut deprecatura Præfectum, aut maritum liberatura.

Iustitia Burgundica domus.

D

Quid non cogit amor? O mulier (inquit) nescis quantum habes imperij in amantem. Da veniam fasso, impotenter nec patienter amo. Dulce nutrivi malum, nec fero quod subij jugum, tu sola potes nostro mederi malo. Tuus in meo carcere maritus, ego in tuo. Si vis, utrumque solve, reddam te marito, si te mihi.

Aspice ut soluto labar quasi moriens gradu. Vis perire amatorem corpore, & animo simul, pereat. Si per ignes ire jubes, & infesta agmina, cūcter paratus ensibus pectus dare?

dare? dabo. Quid renuis? amans peto, per mariti vitam, meamq;. Utraque agitur, utrique, si vis, dare potes. Miserere, & mulierem te, & conjugem ostende. Conscia virtus molliri, rubere, pro marito solicitare. Trepidam, & vacillantē impulit amator: fruitur carpitq; pudoris fructum, at pœnitendum. Cumulat impius scelus scelere, ut viam speratis sceleribus aperiat. Maritum in carcere obtruncat, & inclusum ligneâ arcâ remittit ad solicitam, quem sperabat vivum. Eia (inquit) tolle speratum maritum quem quæris, habebis. Illa dolis illusa, labitur in corpus exanime, exanimis: viribus defecta jacet. Ut ad se redijt, & collecto spiritu animos resumpsit, ut fera tigris raptis catulis sævit suritq; Estnè hoc reddere maritum! sentics improbe, quid possit violatus pudor. Aperit amicis suum, & Præfecti facinus. Censent omnes adeundū Principem. Hic intendit sceleri, vix fidem adhibet, aliquem suorum tantum sceleris patrasse. O providentia Divina ut rebus humanis invigilas! Fortè præsens coràm aderat sceleris architectus impius. Arguitur sceleris. Tandē agnoscit, ad genua Principis sese objicere, gratiam orare, se in gratia Principis solatium & spem ponere, matrimonium offerre, in delicti stipendium. Princeps mitior, Et tu, inquit, mulier, quoniam huc ventum est, placet hic maritus? Vix victa, dat manus, nuptura vix marito. Conficiuntur tabulæ: solemnibus verbis firmatur matrimonium. O quàm inanes spes humanæ! Quis non sperasset lætum exitum rebus? Tu, inquit Princeps, nove marite, hoc jam nunc largire, ut si prior sine liberis abeas, hæc conjux hæres bonorum tuorum sit. Fit stipulatio, firmatur donatio, Et Carolus ad feminam: Tuo animo jam factum satis? Satis, inquit mulier. At nondum meo. Audiat Orbis Justitiæ vindicis nobile facinus. Præfectus ad eundem carcerem ducitur & plectitur capite, in quo primus maritus plexus. Mulier ignara, eò mittitur, quæ fatali territa casu, impotens ferendo, in morbum lapsa, finivit. Stupendum tragœdiæ exemplum. O si terris omnibus tales Justitiæ vindices forent! quàm felices irent dies sæculi! Quare cùm secundùm Salomon. Prover. 16. *Divinatio sit in labiis Regis, in Iudicio non errabit os eius*, necesse est ad bonum Reipub. causas tractet, & libellos accipiat legatq;, non ut Poliorcetes, qui omnium libellos benignè accipiens, nunquam eos lecturus projiciebat in fluvium Axij excusso chlamydis sinu. An non ideò Macedones irritati, regnum in Pyrrhum transtulerunt? Carolus Magnus in omni hebdomadâ unum diem causis audiendis dabat, prout lex ab eò lata docet. *Nos unum diem ad causas audiendas sedere volumus.* Augustus Cæsar nonnunquàm jus dicebat. Hinc illa vox Mecœnatis libera, internuncia ad illum missâ scedulâ, quàm diu sedebis Carnifex. Meminerint Reges Justitiæ, præbeantq; partibus aures, serveturque illud oraculum,

A *Audiatur altera pars.* Quis enim innocēs erit, si sufficit accusasse? Justitia in reum pronior, temperatur miseriæ consideratione, ne fiat homo homini lupus, sed Deus. Ut dictū est in Consociatione de clementia, ut Seneca docet l. II. de Clement. c. 3. lenitas superioris in inferiorem in constituendis pœnis, imò & remittendis. Estnè aliquid pulchrius in fastigio collocatis, quàm multarū rerum veniam dare, nullius petere? Pulchra & ferè supra hominem vox Periclis morituri. Quem cùm amici à victorijs, ab eloquentia, alijsq; dotibus extollerent; Quid hoc est? inquit: aut parva, aut fortuita laudatis: at illud maximū omittitis, quòd nemo meâ operâ pullam vestem sumpserit. Non inferior fuit vox cygnea B Nostri admodum R. Patris P. Generalis Mutij Vitellesci, qui ferè triginta annis Nostro Ordini per totum terrarum diffuso, eà prudenti comitate, & clementiâ sanctâ præsedit, ut Regio spiritu moriturus collachrymantes sic fuerit affatus, A se neminem mœrore vel tristitiâ affectum; imò multo minus, verbo, vultuq; sauciatum. O virum dignum immortali memoriâ, cujus verissima Trophæa æternū victura, omnis posteritas semper celebrabit imagines veræ virtutis, erunt quodammodo templa in posterorū animis, in quibus prostabunt magnanima clementia, & Divinum gratificandi studium, anticipatione benevolentiæ. Gloriosum semper sibi C judicavit, neminem perditum perdere, sed ab exitio revocare, vacillantes sustentare, & omni opum vi, & præsidijs suos conservare. Malebat unum civem servasse, quàm mille hostes sustulisse. Hæ sunt coronæ civicæ, quibus coronatus æternum cæli Capitolium, triumphansq; ut justum est sperare intravit. Hæc sunt spolia opima, quæ summo Deo suspensa, omnis ætas semper est admiratura. *Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt.*

Mors etiam saxis, nominibusq; venit. Canit Ausonius I. Epigrammatum. At theatrū gloriæ tam nobilis nulla evertet ætas. Nova fuit regendi ratio, misericordiâ, & liberalitate invita, quâ omnium voluntates recuperantur. Receptus ergo cælo inter sanctos, & in terris D inter Heroas Olympi nomen ferens, cujus mentem nulla asperitas obnubilavit, referatur. Ingentis & admirandæ virtutis videtur, Rempub. vel gubernationem magni imperij eo temperamento consilij moderari, ut accurata legum custodia, & Justitiæ vigor incolumis servetur, & tamen solius clementiæ dulcedine, famâ, & vinculis amoris omnes sibi astrictos tenere. Justitiæ exempla, si requiras, eximia theatrum vitæ dabit. Hinc migremus in Chinam. *Sicut confidimus.*

§. III.

§. III.

Inflexibilis rigor & amor Iustitiæ.

MIra & stupenda apud Chinenses judices supremos, qui Mandarini vocantur, justitiæ auctoritas, quæ incurvari nescia, suo vigore secura periculi se sustêtat. Insolescebat in palatio urbis Regiæ cujusdẽ servus, filiæ Regis percharus, potens vitijs, & proinde scelerum & mortis reus. Huic Mandarini, qui primi regni judices manum injicere, quia aulæ præsidijs tutus verebantur: & ille conscius sibi nunquam nisi Principis suæ comitatu aulâ secedere, & scelera scelere cumulare. Mandarinus ergo quacumque arte & viâ posset, hominem invadere intrepidus decrevit. Fortuna opportunitatem dedit. Principi ergo palatio egredienti, Mandarinus stipatus suis, se rhedæ Principis objecit, eamque stare jubet, & manum & vincula quæsitæ prædæ injicit. Non tulit mulier hoc dedecus: furiatâ ergo mente ad Regem intentum publicis curis deproperat, & impatiens moræ, insanis clamoribus interpellat. Dixisses unam furiarum. Advocatur jussu Regio Mandarinus, providus futuri & non imparatus. Sistit se Regi increpanti. Et ille memor suæ dignitatis. Explevit, inquit, Regiæ Majestatis & legum mandata. Cui Rex: Tuæ erat prudentiæ, uti molliori tempore, & tempori servire. Et ille: Nunquam toties quæsitæ opportunitati felicior commoditas obvenit. Quid Rex agat? Reatus (inquit) veniam faciet filia, si veniam & ignoscentiam cum capitis inflexione poposceris. At ille fidens animi, negare ibi locum veniæ, ubi nullus fuisset sceleri locus. Id quod feci mei muneris, præstabo; & quandoquidem magnum theatrum habuerit Provincia mea, nil actum cujus pœnitere possit, ac proinde nemini supplex ero. Imperat ergo Rex duobus Mandarinis, ut omnibus viribus cervicem ad terram incurvẽt: at ille adeò rigidam continuit, ut inflecti non potuerit. Rex ergo victus virũ justi tenacem dimisit. Paucis verò pòst diebus virum ad se vocatum altioris fastigij curationi præfecit. Quanta vis & potentia Iustitiæ in corde Regio? jucundum spectaculum, & victoriæ præmium penes Justitiam fuit, maluit enim Rex sibi, quàm Justitiæ derogatum, & se curvari quàm justum judicem. Vide Historiam editam 1645. Patris Alvaris Semedo, qui duobus & viginti annis Chinam perlustravit.

Mandarini firmitas adversus regem pro Iustitiæ incolumitate.

A

§. IV.

De divisione Iustitiæ.

CUm Justitia totius generis humani societatem complectatur, & omnibus publicis, quàm privatis actionibus, functionibusque præsideat, necesse est Justitiam in varias formas subsidiarias dividi, ut omnibus rebus etiam minutatim interveniat. Arist. l. 5. Ethic. & 3. Politicor, duplicem in primis Iustitiam statuit, *Generalem unam, quam & legalem vocat, quæ suum cuiq; tribuit, habito respectu ad commune bonum, Principis vel Regni, vel Reipub. quam definit esse habitum animi cõmunitati utilitate conservata suam cuiq; tribuens dignitatem.* Legalis etiam vocatur, quia conforme est legibus, agere ea quæ conducibilia sunt cõmunitati. Particularis verò tribuit suum jus cuique. Deinde Philosophus l. 5. Ethic. c. 4. ponit duas species Justitiæ, quarum una est Iustitia cõmutativa, quæ consistit in mutua donatione, & acceptione, quæ est directiva cõmutationum, vel cõmunicationum. Alia cõsistit in distribuendo, & dicitur Iustitia distributiva, cum Princeps v. g. bona Reipub. distribuit, secundùm dignitates utriusque. Quemadmodum ergo ceteræ virtutes mediũ rationis, cùm inter duo extrema virtutes morales consistant, ita Iustitia spectat, & attingit medium rei, nec spectat quidnam cõmensuretur suo subjecto secundùm regulam rectæ rationis, sed quid commensuretur rei, vel juri alterius ut æquale præstetur. Versatur ergo Justitiæ virtus in servanda æqualitate, vel secundùm rationem Arithmeticam quæ est æqualitas unius rei cum alia tantùm, vel dati cum accepto: aut secundùm Geometricam, quæ est circa æqualitatem non rei, cum re, sed unius proportione inter duas res, cum alia proportione aliarum duarum ut minimum. Omnis ergo Iustitia respicit Iustum, & æquale tanquam proprium objectum; & cùm duplex tantùm æqualitatis genus possit excogitari, necesse est tantum duplex genus esse Iustitiæ, ac proinde cùm est inter duas res, dicitur æqualitas ab Aristotele Arithmetica sive unius ad unum, quam respicit Iustitia commutativa in commercijs, & damni reparatione. Alia est æqualitas, quam vocant proportionem Geometricam, quia non est rei cum re, sed proportionum inter se. Hanc servat Iustitia distributiva, cùm omnia bona distribuit, ut minimum inter duas personas, ut dictum est ex Arist. lib. 5. cap. 3. in quo inter quatuor terminos Iustum constituit. Inter Ajacem, & munus ejus: & Achillem, & munus illius. Ut scilicet eandem habeat proportionem pars bonorũ, quę tribuitur Ajaci, cum parte, quæ tribuitur Achilli, quam habet dignitas Ajacis cum dignitate Achillis, ut si in prælio dentur duci cum spolia dividuntur 1000. & minori 500. cùm una persona sit dignior alterâ.

Species Iustitiæ.

B

Iustitia cõmutativa, & distributiva.

C

Munus Iustitiæ cõmutativa.

Munus Iustitiæ distributiva.

D

In distributiva Iustitia quid spectandũ.

Quare

Quare distributiva Justitia, non respicit aliam æqualitatem quàm proportionis. Non enim attendit quantum quisque secundùm se mereatur, sed quam habeat cum alijs proportionem. Quo fit, ut dum bona pluribus distribuuntur, minus singulis obveniat, quàm si inter pauciores dividenda forent. Superest Justitia vindicativa, & criminum ultrix, de qua latiùs infrà, quæ nec Justitiæ commutativæ, nec distributivæ, sed Justitiæ legali subjicitur, quamvis in utriusque veniat communionem, dum pœnæ ad æqualitatem scelerum exiguntur, & proportio, in sceleratorum proportione servetur. Sub legali tamen Justitia continetur, quia conforme, est legibus, ut ad utilitatem Reipub. criminosi pro meritis ad æqualitatem justa pœna castigentur. Qui enim parcit sceleratis, nocet bonis, nec est locus virtuti in regno nequitiæ. Tam necessaria est ergo ad generis humani incolumitatem Justitia vindex, quàm Sol, & sal ad vitæ conservationem: Sol ad rerum generationem, sal ad corruptionis metuendæ depulsionem.

Iustitia vindicativa necessitas.

Quare Imperator Maximilianus primus Justitiæ cultor, prætergrediens exercitæ Justitię theatrum, solitus exclamare cum magna reverentia: ***Benedictum lignum, in quo fit Iustitia***: Justitia instar Solis Sapientiæ 14. qui ut omnia generat. Sic hæc generat & urbes, & imperia, & nata conservat, & amplificat, juxta oraculum Salomonis Proverb. 25. *Iustitia firmabitur thronus*, & illâ fugatâ, concidunt dissoluta, *Propter injustitias suas humiliati sunt*. Psalm. 106.

Iustitia vindicativa salus regnorum.

§. V.

Vtrum in Deo sit Iustitia.

Omnes mortales agnoscunt in Deo Iustitiam.

GEntiles docuerunt Palladem Deam Sapientiæ natam ex cerebro Jovis, ijdem & docuerunt, ut dictum, Justitiam natam Deo, & in Deo perfectissimam regnare Justitiam; & quasi unicam filiam diligi, juxta illud Psal. *Deus Iustitiam dilexit: æquitatem vidit vultus ejus*. Unde & illæ voces, *Discite Iustitiam moniti, & nō temnere Divos*, quorum filia est Justitia. Et Deum socco laneo ad vindictam venire. Et illa vox Senecæ in octavia:

Omnes agnoscunt in Deo justitiam.

——— *Nunc adest dies*
Supremus ille qui premat genus impium,
Cæli ruina, rursus ut stirpem novam
Generet, renascens melior ut quondam tulit
Iuvenis. ———

Et illa Manilij.

Quæsitor scelerum veniet, scilicet dies, *vindexq; reorum*,

Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemq; trahet:

Omnes deinde orbis sapientissimi docuerunt Deum Justissimum, nec ferre iniquitatem. Nos verò Christiani dicimus, non solùm in Deo esse Justitiam, sed ipsum Deum esse Justitiam. An non ideò Propheta David Ps. 118. exclamat: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* ubi Hæbraicè habetur: *Iustus tu Domine*, pro verbo pronomen positum, ut docet S. Hieronym. tanquam essentiâ, suâque substantiâ Justus ac semper talis, Justus simul, & justificans alios. Et sicut Deus est æternus, ita & Salomon, Sapientiæ 1. vocat Justitiam perpetuam, & immortalem. Et sicut in homine Justitia est rectitudo voluntatis legi mentis conformiter operantis, quæ rectitudo & virtutum omnium genus in voluntate cōmorantis: ita Justitia in Deo quâ ipse Justus est, imò ipsa Justitia, & Divinæ rectitudo voluntatis, legi suæ veritatis conformiter operantis, quam in omnibus inplēdis promissis, atq; remunerandis castigandisq; singulorum opibus inviolabiliter servat, (ut docebit famosa historia in calce huius tituli,) & ab hac Justitia vocatur Justus, verax, fidelis in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et sanè, qui magni Dei opera, per universum dispersa orbem, ad trutinam appenderit, an nō in singulis opera Justitiæ semper vigilantis spectabit? Sicut ordo familiæ congruus, Justitiam præsefert rectè gubernantis, ita profectò pulcherrimus ordo universi, Justitiam Dei omnia legitimè dispensantis & distribuentis, quasi testudo fidibus ad numerum compositis, & quasi præco fatidicus Deo plenus eloquitur. Hoc ipsum præclarè docet magna proles magni Pauli Dionys. c. 8. de divinis nomin. *A Iustitia*, inquit, *laudatur Deus, quòd omnibus secundùm merita tribuens, dicitur mensuram, & pulchritudinem, & ordinem, ac dispositionem, omnes distributiones, atq; ordinationes, juxta verissimam definitionem singulis segregans, cuncta enim Divina Iustitia legibus ordinat atq; determinat.* Unde in Deo judicium, & Justitia se invicem comitātur, & sibi mutuo coalescunt, quamvis hoc intersit. *Iudicium* est discretio boni, & mali; *Iustitia* verò prosecutio boni, & fuga mali. Facimus judicium discernentes bonum à malo, Justitiam, facientes bonum, & declinantes à malo. In judicio, veritatis custodia, in Justitia, fructus æquitatis. Deus autem cùm sit Iustus, ubiq; etiamsi res humanæ videantur fortuitis casibus rotari, exercet judicium, juxta Ps. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* In Deo ergo est Iustitia, quæ est *virga directionis, virga regni sui*, Ps. 47. *cuius dextera plena est Iustitiâ*, cujus os loquitur Iustitiam. *Ego*, inquit, apud Isai: 93. *Qui loquitur Iustitiam, ante cuius faciem ambulat Iustitia.* Iuxta Psalm. 48. Verùm nec solum est in Deo Iustitia, sed Deus est sua Iustitia, & ea Iustitia, ut

Iustitia dicitur de substantia.

Ordo universi loquitur Dei iustitiam.

Deus est sua justitia

ut ait Augustin. Epist. 85. *Quæ vivit in seipsa & procul dubio Deus est; sicut autem quæ vivit in seipsa vita, etiam nobis fiet vita, cùm eius participes efficimur, ita cum in seipsa sit Iustitia, etiam nobis fit Iustitia, cum ei adhærendo vivimus, & tanto magis, minusq; Iusti sumus, quanto magis minusq; ei adhærescimus.* Cùm enim sit Justus Dominus, diligit Justitiam, Psalm. 10. & similitudo sit conciliatrix amoris, tanto Christo, & Deo similiores sumus, quo sumus Justitiæ fulgoribus illustriores. Hoc docet Aug. l. de natura & gratia, c. 42. *Charitas est plenissima Iustitia. Charitas inchoata, Iustitia, inchoata charitas provecta, provecta Iustitia, Charitas magna, magna Iustitia, perfecta Charitas, perfecta Iustitia.* Per hanc Justitiã dicitur Christus Oseæ 2. *desponsasse sibi Ecclesiam in Iustitia*, & per hanc Justitiam sive Charitatem facti sumus mẽbra unigeniti Filij Dei. Et sponsabo te mihi in judicio, in quo Princeps hujus mundi judicatus est: in justitia, quâ te vestio, ut ex inimica facerem amicam: in misericordia, quia zelus meus non recedet à te. Sicut ergo Deus totus Justus est, & ipsamet Justitiã sic Christus quatenus homo Justitiæ plenitudo, ceteri verò mortales de plenitudine ejus acceperunt gratiam, pro gratia, quam ipse nobis meritus est, quæ nostra Justitia vocatur, & sua. Subjiciamus oculis spectaculum dilectæ justitiæ. Auctor hujus erit Procopius, qui res Belisarij Wandalicas cognitu dignas mirificè exequitur; nos strictim dabimus. Wandali Africâ occupatâ, Carthagine regiam sedem statuerant, ubi sævire ut solebant Arriani in Catholicos, innumeris afficere suplicijs, linguas ferro exscindere, nec tamen sermonẽ exscindere. Deus quippe linguâ excisâ copiam loquẽdi faciebat, quam diu castè vivebant; quæ illos tum deserebat, ubi impudicitiâ contaminati. Dedignabatur quippe gloria martyrij luxuriosis servire. Wandali parant bellum adversus Gabaonem Maurorum Ducem paganum. Quid agat contra tam potentes hostes, & victores Romanorum? Decrevit itaque non tam armis, quàm virtute justitiæ bellare; præcepit ut ab omni iniquitate, cibis, delitijs, rapinis, quæ virtutem enervant, & congressu mulierum capitis periculo abstinerent. Viros ergo secũ suis castris, & feminas alijs castris clausit. Quanta vis virtutis? Audierat Deum Christianorum fortem, potentemq;, qui sui contemptores ulcisceretur, cultores verò sui nominis coleret, tuereturque. Facta hostiũ explorat: jubet templa Catholicorũ à Wandalis, libidine & per injuriã fœdis sordibus cõtaminata, violataq; restitui, purgariq;. Exploratores jussa explent. Vestigijs deinde hostiũ insistere, & desolata iterum templa restaurare, spurcitias tollere, lucernas accendere, sacerdotes colaphis & verberibus efferè tractatos venerari, summâ diligentiâ, curâque singula disponere; in pauperes, mendicosq; largiter argentum effundere; contraria facta

Tanto justior homo, quo Deo coniunctior.

Iustitia vindex injustitiæ stupendum theatrum victoriæ.

A impiè factis reponere. Quem expectas eventum Christiane Lector? Wandali Christiani, at impij & Arriani: Gabaon gentilis, & factis in Deum religiosus cultor, at justitiæ tenax. A quo stabit victoria? an non ab illo, à quo justitia stetit? Victrix sit causa, quæ justa, sit victa, quæ rea. Erat videre regionum templa per summas injurias prophanata, & sacris exuta, subitò pristino nitori restituta. Perge Gabaon, & mactè animo, habes Deum spectatorem, sentiés & judicẽ. Instruitur acies, concurritur. Assueti victorijs Wandali, victi, cæsique, capti quamplurimi, pauci ex eo exercitu, domum, qui nuncij cladis, sunt reversi. Transamundus autem Rex Wandalorum, qui 220. Episcopos Catholicos in Sardiniam relegart, tædio versæ fortunæ haud diu superstes fuit. Vide prolixora apud Nicephorum lib. 17. cap. 11. Legite hoc sacri Principes, & videte justitiã & virtute, non armis victoriæ coronas parari. Verè justus es Domine, & rectum judicium tuum, qui reddis unicuique secundùm opera sua.

B

§. VI.

Qualis sit Iustitia in Deo.

C *Qualis in operibus nostris, & Christi Domini inveniatur justitia. Inter Deum, & homines non potest esse stricta justitia. Quales formæ justitiæ sint in Deo.*

Dicimus Justitiam in Deo, quando rebus tribuit propria, juxta naturæ suæ conditionem, atq; dignitatem, vires, pulchritudinẽ, figuram, prout cujusq; natura postulat, largiter copioseque sufficit atque subministrat. Hanc Justitiam vocamus generalem, etsi indebitam creaturis, & in Deo perfectissimè conquiescit, quia est voluntas cõferendi singulis, quod eis secundùm naturam competit, idq; ad exactam æqualitatem. Vocamus verò indebitam creaturis; quid enim figulus testæ? aut pictor imagini debet? quid infinitus Deus debet suæ creaturæ? quid ille mortalitati, qui solus habet immortalitem? Quid infinitudo puncto? Sit ergo in Deo, respectu creaturæ, latiori modo sumpta justitia, ut dictum est antè, quatenus nihil imperfectionis in se claudit, & quidem perfectissimè. Vulgò enim justitia dicitur, cùm merces congrua, & operi debita integrè redditur, sive is qui reddit, sit obstrictus jure Justitiæ, sive vinculo fidelitatis, sive is cui redditur; sit sui juris, sive in potestate reddentis. Non enim vulgò spectatur vis obligationis, quam æqualitas, & congruentia

D

Qualis sit in Deo justitia respectu hominis.

congruentia rerum, quam Justitia efficit. Ex hoc, sensus Apostoli ad Roman. aperitur, cùm ait, *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Et 2. ad Timoth.5.*Reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Iustus iudex.* Et Jacob 1. *Corona vitæ.* & 1.Corinth. 9. *bravium.* Et Concil. Trident.sess.6.cap.16. *Bene operanti in finē, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Iesum Christum fideliter promissa, & tanquam merces ex ipsius promissione, bonis operibus, & meritis fideliter reddenda, & hoc quidem non ex rigore Iustitiæ, sed usu Iustitiæ liberè sumpta: unde & Christi satisfactio non potuit esse ex rigore Iustitiæ, & propria Iustitia per opera sacrata humanitatis, eò quòd totus valor proveniebat ab ipsa Deitate, humanitatem sanctificante, & dignitatem operibus præstante: quomodo enim potuit intercedere inter Christum, & Divinitatem stricta Iustitia, seu debitum stricti iuris, cùm Christus ut homo totus erat in Dominio Dei, & Deus de omni iure poterat de illo disponere, & quod Christo Domino per omnes suas actiones, & merita poterat competere, erat in dominio Divinitatis, sicut & ipsa humanitas.* Rectè tamen dicitur satisfecisse, secundùm rigorem Justitiæ, quia obtulit pretium, secundùm rigorem Justitiæ sufficiens imò, & superabundans, quod Divinitas acceptavit, unde & verè nos redemit, & pro nobis satisfecit. Hinc nonnulli dicunt in operibus Christi secundùm se esse æqualitatem dignitatis, & valoris, non tamen Justitiæ, seclusâ scilicet promissione & pacto Dei, quod pactum est conditio necessaria ad obligandum Deum ex Justitia, & ideò secundùm eam rationem dici potest nō habere æqualitatem Justitiæ, si tamen pactum intercedat, jam nihil deesse potest. Pactum tamen non facit æqualitatem rerum, sed tantum facit, ut illa rerum commutatio, jam ex Justitia fiat. Verùm inter Christum, & Divinitatem proprij nominis pactum non intervenit, alioqui lege Justitiæ Patri obstrictus fuisset subire mortem, nunc autem non ex Justitiæ, sed obedientiæ virtute mortem toleravit, *Factus obediens usque ad mortem.* Ad Philipp. 2. Non ergo inter nostra opera, & merita intervonit stricta Justitia, quia in Deo non potest esse stricta obligatio ad aliquem, nisi qui sit sui juris, & cum perfecta Justitia obligationem supponat ad alterum. Et quænam potest esse obligatio Magno Deo, ad suam creaturam? an non omne quod subjectum est, pendet ab ipsius dominio? an non omne quod est, in Deo subsistit perfectius, quàm in seipso sit? & quid Deus accipit à nobis, nisi quod suum est. Isai.16.v.12. *Omnia opera operatus est in nobis.* An non opera nostra bona sunt ipsius dona? an non suam dignitatem pretiumque, à gratia, & ejus exuberantia mutuantur, & accipiunt? esto, intercedere promissionem! at in Deo non parturit obligationem Justitiæ, cùm promissio contingat homini, qui pleno jure, & ex integro subest supremæ Divinitati. Deinde, nec est reciprocus contractus, vel pactum inter Deum, & hominem, sed Deus constituit dare bene operantibus præmia, & impijs pœnam. Hæc tamen ordinatio Dei, non inducit cum pacto, aut fœdere Justitiam, sed similitudinem, & affinitatem cum veris pactis. Deus ergo remuneratur nostra bona opera, ratione promissionis, sicut dominus, qui promisit suo servo mercedem aliquam pro opere aliàs debito, non solvit quasi mercedem ex vi promissionis, sed fidelitatis. Si quando ergo intercedit promissio remuneratoria sub conditione operis exhibendi, strictæ Justitiæ est similior, quàm ea quæ planè est gratuita, nec ullum opus deposcit. Minor tamen est obligatio quàm sit strictæ Iustitiæ, & major quàm sit liberalis promissionis. Unde in Deo est mediæ quædam obligatio Iustitiæ, inter strictam Justitiam, & fidelitatem gratuitæ promissionis, quæ reddet unicuique quod debitum est operibus ex vi istius promissionis. Perfectio enim Justitiæ in eo posita est, ut cuique reddat quod ei aliquo modo debitum est, & minima quælibet ad æqualitatem reducit, sicut pijssimus noster Salvator dixit: *Quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Matth.10.v. 42. Generalem ergo Iustitiæ rationem, quæ omnem Justitiam complectitur, dicit Dionys. esse in Deo, ut suprà locum citavimus de Divi. nominib. cap. 8. dum enim statuit æqualitatem inter merita & præmia, & præmijs adæquans compensat. Ecce tibi dignitas Justitiæ commutativæ, ejusque forma. Ut verò constituit æqualitatem inter proportionem præmiorum, & meritorum proportionem, efficiendo ut ea sit proportio inter præmia quæ est inter merita, hoc ad pulchritudinem regni Cælestis pertinet, deinde cùm tribuit cuilibet creaturæ, & rerum naturæ ornamenta, & qualitates, pro ut cuique congruit: ecce tibi Regia nobilitas Iustitiæ distributivæ. Hàc ergò ratione perfectissimæ formæ sunt in Deo. Iustitia commutativa dum ad æqualitatem Arithmeticam: & Iustitia distributiva, dum ad æqualitatem Geometricam, & decentiam rebus debitam distribuit. Iustitia autem vindicativa dum iratus crimina propter eversum ordinem universi, gravissimè ulciscitur, & ingentibus supplicijs violatæ amicitiæ jura, & rupta vindicat fœdera, per Sacramenta sæpiùs renovata. Hæc Iustitia ostendit Dei infiniti infinitam bonitatem. Ut hoc clariùs ostendatur, opus erit fusiore ratiocinatione.

Ut opera nostra possint mercedem ex iustitia.

Inter Christum & Deum non est stricta iustitia.

Cur non possit esse stricta iustitia inter Deum et homines.

Qualis species iustitiæ intercedat inter merita, & mercedem.

Perfectissima iustitiæ æqualis forma sunt in Deo.

Omnes virtutes & effectus humanos Deo tribuimus, qui in suo formali nullam includūt imperfectionem: operationes verò, & affectus qui in suo formali imperfectionem includunt, Deo, nullâ ratione tribui possunt: sin verò imperfectio sejungi, aut abstrahi à suo formali possit, & sine ulla perfectione concipi,

concipi, hujusmodi perfectio non impedit, A quin Deo adscribi posset. Hinc misericordiam Deo attribuimus, cujus formale, & intrinseca essentia est, sublevare alienam miseriam citra appetitum passionis aut conpassionis. Iram verò excludimus, nam secundùm Aristotelem 3. de anima capite 1. textu 16. *Ira est appetitio doloris vicissim inferendi adversario malum.* An non qui irascitur, priùs tristitiam, & dolorem ab alio allatum passus est, quem ille rependere conatur? At Deus nulli dolori, aut tristitiæ obnoxius est, etiamsi peccatis lacessitus.

Misericordia perfecta est in Deo.

Ira non est in Deo.

Punitionem ergo non iratus aggreditur, sed effectu, & immissis malis ita se gerit, ac si irâ tumidus, flagransque in vindictam insurgeret. B

Quare cùm legimus, aut audimus Deum irasci, indignari, furore percelli, per metaphoram sunt accipienda, Deus enim se nostris moribus accommodat, qui eum ad ultionem provocamus. Nostra enim ira, ut docet Possidonius apud Lactantium capite 17. est cupiditas puniendi eum, à quo nos læsos esse putamus. Et Seneca de ira capite 3. *Ira*, inquit, *Est concitatio animi voluntate, & judicio progenita.* Unde qui irascitur, dolet. Cùm itaque sit illati doloris vindicta, Deo, qui doloris vacuus est, convenire non potest.

Desiderium non est in Deo.

Sic & proprij boni desiderium excludimus à Deo, ut ab amore distinguitur, & versatur circa bonum ut futurum. Cujus C enim desiderij æstus Deum posset adurere? Quid optabile, omnia possidenti? Quid deesse potest infinitis undique bonis circumfluo? Verùm sicut nos amicis bona precamur, optamus, & amores flagrantibus votis testamur, sic & Deus pro amatoria sua bonitate, nobis ardentissimè omnia bona continuis actus desiderijs exoptat. Irâ exclusâ, odium tamen admittimus, & secundùm formalem rationem verè Deo tribuimus. Odio quippe insaturabili Deus peccatores persequitur; non tamen quatenus homines, sed quatenus à rectitudine per peccata deficiunt.

Odium est Deo.

Persequitur odio abominationis, quia summè peccatum displicet, & odio inimicitiæ, D quia malum & pœnam vult peccatori, tamquam jurato hosti, quatenus malum illius est ex displicentia personæ. Odit ergo peccatum tanquam sibi, ut ita loquar, & suæ creaturæ fatalem hostem. De quo latiùs in Titulo de Justitia vindicativa.

§. VII.

Justitia commutativa propriè non est in Deo.

Sicut in Deo non est propriè Justitia commutativa, cujus ratio formalis in æquitate dati, & accepti consistit; & sanè quæ potest esse æqualitas dati, & accepti inter Deum infinitum, & ipsius creaturam? ita nec potest esse affectus Justitiæ commutativæ, qui ad hanc æqualitatem constituendam referatur; hic enim circa æqualitatem inter datum & acceptum versari debet.

§. VIII.

Duo necessaria ad constitutionem Justitiæ commutativæ.

Ut autem Justitia commutativa constituatur, duo sunt necessaria.

Primum, ut sit æqualitas inter datum, & acceptum.

Alterum, ut id quod pro re, quæ accipitur, non sit debitum ei, cui exhibetur, & non habeat dominium illius. Nunc Lector attende. Quare cùm merita nostra Deo sint debita, imò sint beneficia à Deo accepta, & dominium illorum magis ad Deum pertineat, quàm ad creaturam, qui ita propter altitudinem & excellentiam suæ Majestatis dominus est, ut nullius rei possit à se dominium abdicare, & sint omnia in ipsius potestate, magis quàm apud nos ipsos, qui apud Deum meremur; quomodo ergo posset oriri Justitia commutativa, quæ reddit unicuique quod suum est ad æqualitatem, secundùm proportionem meriti, & debiti? Et quid debet Deus homini? ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* & quid potest homo Deo dare quod suum est? An Deus bonorum eget cum nullum sit bonum, nisi quod ab ipso velut fonte dimanet? an non est ipse universorum dominus? an non ipsius terra, & plenitudo ejus? Præclarè Job 35. *Si justè egeris, quid donabis ei? & quid de manu tua accipiet?* & 22. *Quid prodest Deo si Iustus fueris? aut quid confert, si fuerit immaculata via tua?* Est enim hoc pacto super omnem creaturam, ut nullâ indigeat creaturâ. Honor enim qui dicitur esse in nobis dum bene operamur, vel religiosè eum colimus, non redundat in Dei utilitatem. Nihil ergo potest à nobis accipere, quod aliquo modo ipsius intersit. Quare ex creaturæ, & magni Dei conditione non potest consurgere Justitia commutativa.

§. IX.

A

§. IX.

Homo mancipium non potest inducere obligationem Iustitiæ.

Cum creatura rationalis Deo comparata sit, quasi parvulus filiolus patri, & quasi mancipium Domino suo, inter quos nō potest intercedere Justitia commutativa, juxta Arist. 8. Ethic. c. ult. Quoniā quamdiu parvulus est, non est separatus. Et tempore Aristotelis, filius non emancipatus nullorum bonorum prorsus poterat habere Dominium, quamvis post Aristotelis tempora, Cæsarum jure bona castrensia filio cœperint obvenire. Nulla ergo intercedit in patrem & filium Iustitia, cum patris sint omnia. Ergo nec inter Deum, qui Pater omnium, & hominem, qui illi parvulus est filius. Deinde quandoquidē infinitus Deus homini collatus, est absolutus eminentissimè Dominus, & homo absolutissimè, tanti Domini verum, perfectumq; mācipium, mancipium autem ejus conditionis sit, ut nihil proprij habeat, quomodo ergo poterit inter Dominum tantum, & mancipiū nasci Justitia cōmutativa? An non quidquid est in bonis operibus, dedicatur, sacraturq; Deo in præmium, & mercedem accipiendam, & à Deo velut summo auctore accipitur, & donatur, Isa. 26. 12. *Omnia enim opera Domine operatus es in nobis: omne bonum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Quomodo ergo poterit esse Deus magnus debitor ex Iustitia commutativa? an non à manu ejus accipiuntur omnia? an non à Deo ipso conservantur quæ nobis reddit? Sicut ergo nec mancipium, nec parvulus potest sibi aut patrem, aut Dominum obligare, sic nec homo Deum. Deus ergo dum coronat merita nostra, sua dona coronat. An non valor operum cui merces redditur, pendet ex gratia Dei, quam ipse liberaliter nobis donat, & donatam curiosissimè conservat? ipse est qui prævenit nos in benedictionibus dulcedinis: ipse est qui stat ante ostium & pulsat, ipse est qui clamat: *Aperi soror mea*: ipse est primus motor, ipsius gratiâ sumus quod sumus, quæ ut dicemus est semen gloriæ, ad quam gratiâ præveniente, & cooperante, & subsequente velut alis portati subvehimur.

Parvulus non sit separatus.

De quibus bonis parvulus potest disponere.

B

C

D

§. X.

Liberum arbitrium non potest conferre valorem operi.

Quamvis liberi arbitrij consensus ad constitutionem meritorum sit necessarius, & à nobis proveniat, libertas enim fundamentum meriti est, attamen liberum arbitrium non potest conferre valorem operi. v.g. ut haustus aquæ frigidæ præmio æternæ gloriæ commensuretur, tanquam mensura suæ dignitatis, ut unus actus amoris ipsum Deum in præmium mereatur. Cùm ergo valor & dignitas meriti non nascatur ab ipso libero arbitrio, eo titulo non possumus Deum constituere nobis debitorem, quandoquidem ipse sit præcipua causa & auctor valoris: gratia quippe Dei nostra opera digna & meritoria efficit, illa est quæ elevat opera supra naturæ vires, illa est quæ minima opera reddit Deo gratiosa, non aliter quàm Midæ per virgam attactu omnia in aurum mutabantur.

Gratia elevat opera.

§. XI.

Ex promissione non oritur Iustitia commutativa inter Deum & hominem, quamvis inter homines.

Et quamvis de fide certum sit, promissionem futuræ mercedis, & certi præmij bene operanti factam, ex promissionis tamen factæ conditione nòn potest nasci propriè Iustitia commutativa, quamvis inter homines, ei consurgat vera Iustitia cui promissio facta est. Ius enim acquisitum per promissionē acceptatū transit ad hæredes. Obligatio verò, quæ ex promissione facta est, & acceptata transit ad hæredes. At inter Deum, & homines longè alia militat ratio, quia quātumvis Deus promittat suam gloriam, semper tamen homo manet sub eius potestate, ut servus, & mancipium sub sui Domini, cui nihil aliud adest, quod non sit Domini, quocirca si aliquid à Domino accipit, quod assimilatur donationi, liberum est Domino, datum auferre. Similiter si Dominus promiserit servo vestem nobilem, si in perfecta servitute perstiterit, vi veritatis, vel juramento promiserit, tenetur solvere, si juramentum accesserit. Verùm quia servo ut servo promisit, manet in Domini potestate, ut & salvâ veritate vestem donatam posset auferre, aut etiam promissam negare. Quod si fieret, peccaretur quidem contra fidelitatem, non autem contra Iustitiam, nec servus alio jure possidet, quàm servi, quo jure servus est planè Domini sui. Hinc clarè patet, nullam rationem veri debiti posse consurgere ex parte

Mancipio nihil debetur.

Dei qui est absolutissimus omnium Dominus, nec ullo vinculo veræ Justitiæ, ut dictum est, posse astringi, nec ulli posse facere injuriam: esto, per impossibile pactis non staret: implicat enim, in Dominum universalem cadere debitum Justitiæ. Quâ de causa dixit Augustin. lib. confess. cap. 4. & in meditatio. cap. 9. *Reddis debitâ, nulli debens*. Et Divus Thom. 1. part quæst. 21. apertè asserit *Deum nulla ratione esse debitorem, verùm exercere quod iustum est absq; ullo debito Iustitiæ, quod ex parte Dei cernatur*. Est ergo in Deo modus, & similitudo Justitiæ commutativæ, ut suprà dictum est. His præmissis.

Inter Deum & hominē & quadam similitudo Iustitia cō-mutativa.

§. XII.

In Deo non est necessitas debiti.

PRo charitate totius hujus materiæ, Nota in Deum non posse cadere necessitatem debiti; quæ si esset, foret & necessitas solvendi. An non repugnat supremo Domino? an Deus eo privari potest? Hoc quidem impossibile. Sic impossibile eum constitui debitorem, si enim esset, foret inferior secundùm eam rationem, quâ debitor esset, & tanto minus haberet Dominij, quanto plus debiti haberet. Quod sanè repugnat Divinæ Majestati: Deus enim operatur, secundùm consilium voluntatis suæ: non ergo ex necessitate, qui ex omni parte incapax est beneficij, cùm re nullâ indigeat. Non repugnat tamen Divinæ Majestati, imò nec ejus libertati, quin ex debito fidelitatis, quod ex simplici & pura promissione nascitur, obligari possit. Genes. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me, benedicam tibi*. Et Psalm. 131. *Iuravit Dominus David, & non frustrabitur eum*. Et Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 16. *Iustis promissam vitam æternam, tanquam gratiam filiis, per Christum Iesum promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis reddendam fideliter*. Si ergo promisit, ergo erit obnoxius solutioni, Deum enim deficere à veritate tam impossibile est, quàm ipsum deficere. 2. Timoth. 2. *Ille fidelis, & seipsum negare non potest. Et quid est seipsum negare?* Audi Dionys. cap. 8. de divin. nominib. *Seipsum negare, est à veritate deficere. Porrò Deus veritas est, & à veritate cadere, est à Deo cadere: At Deus à seipso cadere non potest, quia non esse, non potest*. Hinc præclarè August. in Psalm. 83. circà finem: *Dominus debitorem ipse fecit se non accipiendo, sed promitendo: non ei dicitur: Redde, quod accepisti, sed Redde, quod promisisti*. Et Sermon. 16. de verbis Apostol. cap. 2. *In his quæ habemus, laudemus Deum largitorem: in his quæ non habemus, teneamus debitorem: debitor enim factus est, non*

Repugnat Deum esse debitorem.

Deus est debitor ex promissione.

A *aliquid accipiendo, sed quia placuit ei, promittendo*. Et Fulgentius ad Mononymum: *Seipsum dignatus est suâ largitate facere debitorem*. Et Cyprianus lib. de operib. & eleemos. loquens de Justo, *Deum sibi computat debitorem, quotiescumque ergo Deus aliquid promittit, vel asserit faciendum absolutè, æquivalet assertioni iuratæ. Assertio autem iurata inducit obligationem. Sive autem Deus iuret, sive non, iuramentum non potest addere firmitatem, cùm non addit auctoritatem dicentis, & testificantis, cùm sit unus & idem*. Additur autem aliquando ut Fides, & ostensio detur immutabilis promissionis; & quamvis in assertione humana simplici non inducitur obligatio in conscientia, sive naturale debitum, in assertione tamen

Promissio Dei æquivalet iuramento.

B Divina, naturale debitum includitur ejusdem rationis cum debito promissionis, atque hâc ratione eminenti quodam modo habet vim, & efficaciam promissionis. Ex hac ergo simplici assertione Divina, continetur vera ac perfecta ratio promissionis, ac debiti ex veritate, quæ eminenter continet obligationem debiti ex juramento, cùm ibi Divinum interveniat testimonium, quod spectat ad supremam ejus veritatem, quam suæ Majestati & auctoritati proportionatam ac semper adæquatam esse necesse est. Pulchrè hoc Athanas. de Pass. & cruce. *Ea quæ loquitur Deus ob firmitudinem, & immutabilitatem voluntatis eius, pro iuramento reputanda sunt*. Et Chrysost. in Psalm. 109. *Deus*, inquit,

C *non iurat, sed id dicit quod omnino futurum est*. Vides hoc debitum implendi, quæ asseruit Deus, pertinere ad veritatem, & fidelitatem.

Nota prætereà repugnare Divinæ libertati, & infinitæ Majestati, cùm absolutissimum habeat imperium, & infinitè independens ab ulla creatura regnet beatissimus, infinitatis suæ bonis contentus aliquid debere ex vi Justitiæ. Quomodo supremus Dominus obligari poterit creaturis, quas liberè, ut condidit, ita potest & conditas destruere, & in nihil citra ullam injustitiam redigere?

D Quid conferet donatori omnium, creatura, quæ tota constat donativis, & nihil habet quod non acceperit? *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Rom. 11.

§. XIII.

A

§. XIII.

Qualis ratio assignari potest, ad debiti alicuius constitutionem?

QUA verò ratione possit consurgere aliqua ratio, & similitudo Justitiæ (Attende Lector) sicut in promissione Divina, quādo Deus aliquid promittit alicui, illa promissio frequentius & ferè semper nascitur ex voluntate Dei antecedente, ex solo Deo, ex sola bonitate, & liberalitate sibi innata: promissio enim oritur ex affectu benefaciendi ei cui fit: sicut inter homines dum unus alteri promittit, ordinat quid ipse pro alio facere debeat: & cùm homo promittit Deo, ordinat quid pro illo facere debeat, non per modum beneficij, sed per modum cultus, & honoris: sic ex ipso Deo, & ex ipsius infinita bonitate debet oriri proprium Justitiæ debitum, & ex ejus facta promissione; non verò ex ipsis creaturis præcisè spectatis, atque hac de causa dixit Augustinus, *Deum non esse debitorem alijs, sed sibi: radicem enim illius debiti, qua non potest esse nisi Deus ipse mediâ promissione, fundavit.* Nihil enim debet Deus creaturis conditis, nisi ut suprà diximus, quandam condecentiam, quam D. Th. 2. contra gentes c. 28. vocavit *Iustitiam non debiti, sed condecentia Divinæ bonitatis.* Quod idem ante dixerat Ansel. in proslolo. c. 10. *Iustus es Domine, non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summum bonum.* Quando ergo Deus promittit, sub ea conditione, ut sequatur exhibitio operis, tunc eo posito, & expleto nascitur quoddam jus Justitię, & debiti fundamentū, quia includitur conventio & pactum ex parte Dei, qui dignatur cum sua creatura, cum suo mancipio, tam familiariter, tam benignè, tam liberaliter tractare, nec judicat indignū tantâ suâ Majestate, vt velit obligatum se adeò vili vermiculo, & quamvis Deus infinitus, & homo vilissimum mancipium, sint extrema infinitè distantia, ille tamen Deus, qui sibi hominem univit, voluit non minori bonitate fieri debitor sui mancipij, cui sua dona dando, suis donis obligaretur, si redonarentur à libero arbitrio. Deus enim sua dona coronat. Sic Matthæi 20. *Paterfamilias factâ conventione cum operariis ex denario Diurno, misit illos in vineam suam.* Deinde & alijs dicit: *Ite & vos in vineam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.* Ecce promissio cum pacto per modum stipendij, & mercedis labori debitæ. Apocalyp. ult. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

Ex promisso debitum.

§. XIV.

Quomodo Iusti acquirant Ius Iustitiæ.

An applicatione suæ cooperationis?

CONsidera Justos operibus suis condignis supposito pacto verè acquirere jus Justitiæ, & Deum ex Justitia reddere præmia nostris bonis operibus, quæ suam originem trahunt à gratuita Dei voluntate, quæ

B

est tota ratio, & causa talis beneficij: cum enim promittit sub conditione operis, cum dat gratiam, & vires quibus opus possit expleri, totum hoc, ad Deum referendum est; nihilominus etsi omnia opera meritoria principaliter sint dona Dei, quoad initium quidem omninò, quoad consummationem principalius, tamen quoad cooperationem, & usum liberum sunt nostra, & summus Deus, nos ex infinita bonitate Dominos eorum esse voluit, ut per illa jus Justitiæ acquireremus. Hinc illæ voces magni athletæ Pauli 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certavi; cursum consummavi, in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet Dominus, in illa die Iustus Iudex.* In quæ verba pulchrè August. lib. de

Meritis nostris debetur sua merces.

C

natura & gratia. *Cui redderet coronam Iustus Iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? & quomodo esset corona Iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? & quomodo ista debita redderentur, nisi priùs illa gratuita donarentur?* Hoc est quod Cælestinus Papa scripsit ad Episcopos Galliæ Epistola 1. capitulo 12. in ejus medio, *Tanta erga nos homines est bonitas Dei, ut nostra voluerit esse merita, quæ sunt ipsius dona, atque pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Ut autem ostendatur intervenire jus Justitiæ, Spiritus sanctus, voluit operibus nostris donari præmium, mercedem, coronam, bravium, juxta Paul. ad Rom. 4. *Ei qui*

Probatur debiti mercedem.

D

operatur, merces non imputatur ex gratia, sed secundùm debitum. Et Jacob. 2. *Nônne ex operibus iustificatus Abraham?* Et 1. Cor. 3. *Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem.* & Trident. Sess. 6. c. 16. *Hæc est illa corona Iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi aiebat Apostolus, à iusto Iudice sibi reddendam. Si absolute foret gratia, iam non ex operibus: si ex operibus, ergo non ex tota gratia. Gaudete ergo,* ait Christus Matth. 5. *& exultate, quoniā merces vestra copiosa est in cælo.* Si ergo merces ei qui operatur imputatur, ut ait Apost. ad Rom. 4. n. 4. non secundùm gratiam, sed secundū debitū imputatur, quare & illa merces, corona vitæ vocatur, vocatur & bravium 1. Cor. 9. v. 24. *Nescitis quòd ij qui in stadio currūt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?*

Attende Lector. Ecce stadium, ecce cursus anhelitu exæstuans, ecce Agonotheta Christus. Ecce bravium, seu præmiũ victori promissum. Non datur braviũ nisi currentibus, & quidem bene currentibus: sicut nec corona, nisi bene certantibus. Certa ergo Christiane bonum certamen cursum consũma, sic curre ut cõprehendas. Ibi fige tui cursus, profectusq; metam, ubi Christus posuit suam, factus obediens usque ad mortẽ. Quãtumlibet ergo cucurreris, si usq; ad mortem non perveneris, bravium non apprehendes. braviũ Christus est: Ipse sæculi auctor quamdiu cum hominibus cõversatus est. Nunquid stetit? cursor fuit. Cucurrit ut gigas. Vis apprehendere currentẽ, tu curre pariter, ut apprehendas: quid prodest sequi, si non datur consequi? Athleta es, Palęstrita es, & Pugil es, Stadiodromus, Accrochorista, & Pancratiastes es, toto corpore, & manibus, & pedibus, imò & de genu depugnandum, ut palmam, coronam, mercedem, bravium, & victoriam consequaris. Non emitur vita æterna nisi pugnis: nisi cursu, nisi depugnetur summis etiam inter se digitis, nisi toto corpore, instar Pancratistæ demilitetur. Hi luctatores pro inani gloria, pro fugaci bono, gladiũ, ignes, tormenta, bestias contemnunt, & sub præmiò laudis humanæ, vigorem concitant animarũ: tu æstima has modicas passiones ad consecutionẽ gloriæ cælestis? Bene Tertull. ad Martyres cap. 4. Si tanti est vitrum, *quanti est verũ margaritum: tanti res fugitiva, quanti æterni boni possessio. Quis ergo non libentissime, tantum pro vero habeat erogare, quantum alij, pro falso?* Bene Hilarius in Matth. cano. 6. *De nostro est beata æternitas promerenda, præstandumq; est aliquid ex proprio.* Et Hieron. l. 2. contra Jovinian. *Nostri laboris est pro diversitate virtutum, diversa nobis præmia præparare.* Bene ergo Concilium Arausic. 1 1. c. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia Dei quæ præcedit, non debetur, ut fiant.* Placuit ergo Divinæ bonitati, ex infinita, & comprehensibili liberalitate se reddere debitorem, & nobis seipsum non ex promissione, verùm etiam ex Justitia esse devinctũ. Admirabundi ergo exclamemus: O magna bonitas Dei! cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia, utpotè servi Domino, mancipia redemptori, amicitiarũ nobis præmia repromittit, ut à nobis obsequia debitæ servitutis obtineat. Hinc & illa vox Paulini Ep. ad Vitricum, dicens: *Tuarum tibi præmia se debere virtutum Iudex iustus agnoscit.* Mira vox D. Bern. l. de gratia & lib. arb. tractãs illud 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositũ meum servare in illũ diem iustus Iudex. Depromissũ appellat suum depositum: promissum quidem ex misericordia: sed iam ex Iustitia persolvendum. Iustum quippè est, ut reddat quod debet.* Et addit *Cuius tamen Iustitiæ ipsum (scil. Paulum) Deus voluit habere consortem, ut & corona faceret promeritorem, id est, talem voluit esse promissionem, quæ opus aliquod ex hominis parte*

Omnis labor impendendus pro æterno præmio.

Pro falsa gloria quantus labor.

Pro opere minimo, infinita merces.

A *requireret. Homo ergo implens conditionem ex promissione impositam, ius sibi acquirit. Ius ergo evacuat gratiam, cùm merces non gratia, sed operi debeatur.*

§. XV.

Audiamus, ut loquatur D. Augustinus de mercede operi debita.

AUgustinus Serm. 39. *Et cui non operanti redditur merces? utinam in domo tua vel* B *operanti mercedem, reddas! nam scio quod non operanti non reddis. Quare? quia nihil operanti nihil debes. Et Deus promisit mercedem. Quam mercedem. Vitam & dies bonos. Magnam mercedem proposuit. Declina à malo, & fac bonum: priùs accinge lumbos tuos, & tunc lucernã accende. Et cùm hoc feceris, securus expecta vitam & dies bonos, & tunc bonâ fronte dices Domino: Feci quod iussisti, redde quod promisisti.* Et in Serm. 4. de sancto Stephan. *Deus iubet nobis aliquid, & promittit nobis aliquid. Quod iubet hoc est: esse promittit alibi est. Quod iubet finitur, quia temporale est: quod promittit, non finitur, quia æternum est. Quod iubet, opus est: quod promittit merces est. Quâ frõte postulas quod promisit Deus, si non facis quod iussit Deus? Priùs inquam audi iubentem, & tunc exige pollicentem.* Et contra Pelagian. Ep. 105. infra C medium pag. 177. *Et ideò ipsa vita æterna præcedentibus meritis redditur, tamen quia eadẽ merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiã, etiam ipsa gratia vocatur, non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Pulchrè August. *Et quam dici posset vita æterna, est stipendium justitiæ, sicut stipendiũ peccati est mors, quia digne retribuitur, noluit tamen Apostolus plenus Deo sic dicere, sed stipendium peccati mors, gratia autẽ vita æterna, ad retũdendam superbiã humanam, & sui præsumptionem, non quod justus nõ acquirat ad vitam æternam, suum jus, sed ne justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum, nõ dubitatur esse peccatum. At cui debetur vita æterna, vera Iustitia est.* D *Si autem vera Iustitia est, ex te non est, sed de sursum est descendens à Patre luminum.* 1. Jacob. 17. *ut haberes eam: si tamẽ habes eam, profectò accepisti. A quo? à Deo scil. auctore omnis gratiæ: ergo dum coronaris vita æterna dono, coronat te Deus, & simul dona sua, ad quæ jus acquisisti dono gratiæ, & usu liberi arbitrij dono gratiæ adjuti. Et sic omnia merita tua, dona Dei sunt, merito enim humano dari gratiã hæresis Pelagiana est. Quid enim habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. *Quapropter ô homo si sis accepturus vitã æternam, justitiæ quidẽ stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui deberetur. Nunc autem de plenitu-*

plenitudine eius accepimus, non solùm gratiam quâ nunc iustè vivimus in finem, sed etiam gratiam pro hac gratia, ut sine fine vivamus. Merces ergo est operibus nostris ex gratia factis, quæ si ex gratia non fuerit, merces non daretur, vita scil. æterna.

Et August. de natura, & gratia c. 2. *Non est iniustus Deus, qui Iustos fraudet mercede Iustitiæ.* & Paulus *Non est injustus ut obliviscatur operis vestri.* Ad Hebræos 6. nu. 10. futurus ex mente Apostoli injustus si oblivisceretur. Cùm ergo Justus sit, voluit recordari Justitiæ suæ, quâ suâ Majestas obligari voluit misericorditer, ut mercedem operibus debitam tribueret, redderetq;. Cujus autem speciei sit Justitia, quâ summus Deus pijssimè voluit devinciri: certum est esse altioris ordinis & eminentiæ, quàm sint Justitiæ inter homines, nec posse tam rigorosi juris esse, cùm homines in se considerati non possint non esse vera Dei mancipia, nec Deus possit in supremi sui dominij Majestate quidpiam alienare; maximè tamen & propriè pertinere ad justitiam distributivam videtur, quia & jus, quod illi respondet ex parte hominis, ad hanc Justitiam propriè pertinet, & in operatione hujus Justitiæ servatur æqualitas, quæ Geometrica vocatur, distribuendo præmia inter multos, juxta proportionem meritorum, quod est Justitiæ distributivæ eminenter & habet totam perfectionem Justitiæ commutativæ, quia quod reddit, & minimũ semper & æquale merito etiam secundùm proportionem rei ad rem. Macte ergo animo Christiane. Attende pretio temporis, cujus quolibet momento, cælum, & æternitas gloriæ est venalis. Exerce opera Justitiæ, & sanctitatis, cujus minimum opus, infinitũ demeretur bravium. Utere plenissima Dei bonitate, & gratuita promissione, in quibus valor operum, & Justitiæ debitum fundatur. Euge veritatis concionator, imprime populis valorem operis, in Charitate fundati. Ostende quanti meriti sit verus affectus in Deum, ut unum suspirium sit condignũ æternis regnis, ut haustus aquæ frigidæ datus ex amore Dei trahat secum debitum infinitum, quod soli Deo relinquitur solvendum. Nunc intelligimus, quanti sit æstimãdus unus lapis quo Stephanus coronatus, Quanti sudor Francisco Magno suus æstimatus, Quanti pretij sit stilla sanguinis fusi. Quanti passiones hujus vitæ pro Deo toleratæ. Et quamvis Paulus ad Rom. 8. v. 18. clamet: *Non,* inquit, *cõdigna sunt passiones huius temporis ad futurã gloriã, quæ revelabitur in nobis.* ita est Paule. *Si enim quotidie,* ut docet D. Aug. Ser. 2. de Festo omniũ sanctor. *Oportet nos tormenta perferre, si gehennã ipsam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus venientem in gloria, & sanctorũ eius numero sociari, nónne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur.* Bene & Franciscus Patriarcha, & magnus Seraphinus: *Tanta est gloria quam exspecto, ut me omnis pœna delectet, omnis*

Cuius speciei sit ista Iustitia, quâ voluit Deus homines obligari.

Concitata peroratio ad labores luctam, & tormenta.

A *morbus, omnis humiliatio.* Fatemur Paule, & credimus omnes passiones hujus vitæ non esse condignas tanta mercede, tantaq; gloria quam præparavit Deus diligentibus se. Esto: sint opera facta in gratia, & Charitate, sint valoris, & summi pretij; attamen non sunt adæquata infinitæ gloriæ, nec potest inveniri æqua proportio meriti ad præmium, quamvis proportionem quandam habeat, quis enim comparârit momentum tribulationis, æterno gloriæ pôndere? quis dixerit venale omne bonũ in æternitates omnes haustu aquæ frigidæ? quis dixerit ipsum Deum ulla re creata esse venalem quantumvis minima? Attamen tantæ bonitatis, tantæ magnificentiæ, est Deus tam prodigus, ut ita dicam bonorum suorum, ut pro minimo opere, charitate informato, sese totum ex Iustitia debitorem exhibeat. Attẽde

B Lector, tantam esse vim, & potentiam Divinę gratiæ, ut maximæ passiones, & tormẽta humana, non informata gratia, non sint condigna ad futuram gloriam; eâ tamen informata ex debito poscant mercedem æternam. An non gratia hominem facit consortem Divinæ naturæ? an non gratia creat nos filios Dei? an non gratia est semen gloriæ futuræ? an non in gratia omnia bona velut in semine, ingens arbor, & rami cum frõdibus, floribus, & fructibus continentur? an non in modico auro omnium metallorũ dignitas posita est? an non auro modico gaudia emuntur, sic minimâ gutta gratiæ, summa comparantur. Ex hac ergo gratia, gloriæ æternæ connaturali,

C jus ad gloriam datur, tanquam filijs, & hæredibus Christi Domini, cujus meritis, nostra merita innituntur. Ingentis ergo solatij est, actionem minimam ex gratia profectam, producere, tum Physicè, & dispositivè, tum potiùs moraliter & meritoriè gloriam æternam conquirere. O bonitas Dei infinita! qui ex Justitia dat, sed mensuram cõfertam, coagitatam, supereffluentem supra omne debitum, supra omne jus, supra omnem valorem meritorum! parva accipit, & donat, & reddit infinita; pro stilla, oceanum, pro grano arenæ, totum orbem, cælumque: pro uno opere bono, æternum bonum, ac denique seipsum: Et quid Deo relictum est, ut dare possit amplius? quid sibi reservavit integri, cùm seipsum donat? Aggrediamur materiam Justitię

D vindicativæ.

§. XVI.

De Justitia vindicativa.

In Deo non est Iustitia vindicativa propriè dicta. Suarez dicit actum Iustitiæ generalis.

DIvus Thomas 2.2.q.80.art.1. docet esse quasdam Justitiæ partes subjectivas, quæ sunt species retinentes rationem genericam illius, qualis est commutativa & distributiva, in quibus servatur integra Justitiæ ratio; alias esse potestativas, quæ retinent aliquam Justitiæ similitudinem quia sunt ad alterum, sed non habent veram Justitiæ rationem, aut quia non est in eis ratio debiti quia deficiunt à ratione æqualis, id est, ut intelligit D.Th. æqualitatem dati, & accepti. Et inter has enumerat Religionem, cum vota nostra Deo reddimus, dein numerat vindicativam Justitiam, inter partes potestativas Justitiæ, quia deficit à ratione propriæ Iustitiæ. Nam is qui damni illati compensationem petit, aut sumit, non debet ex Justitia petere, & ita cessat debitum, quod est de ratione Justitiæ. Quare non est in Deo vindicativa proprie dicta, quæ sit pars Justitiæ commutativæ, in resarciendis, & vindicandis injurijs: hęc enim duo includit, punitionem scil. injuriæ factæ, & remotionem damni illati per illam, seu illius compensationem. Quod ultimum, cùm Deo convenire non possit, nulla enim creatura potest Deo ullâ ratione inferre damnũ, quod verè damnum illius sit: ergo & nihil potest illi tribuere, quod in utilitatem, aut compensationem illi cedat. Quare cùm nullum peccatum est, quod sit propriè injustitia contra Deum, sed communi quadam ratione, ita nulla erit compensatio facienda, quæ sit ex dicta propriè Justitia. Nullum ergo damnum potest à nobis Deo inferri: omnia enim peccata habent suas proprias virtutes quibus opponuntur. v.g. odium charitati, blasphemia fidei: si autem Justitiæ opponerentur, essent in duplici specie peccati. Hæc doctissimus Vasquez in 1.p. disput. 85. q. 21. art.1. Pater autem Suarez punitionem in Deo dicit esse actum Justitiæ gubernativę, seu potius providentialis, & sanè necesse est, actum aliquem esse alicujus Iustitiæ, cum versetur in operatione ad alterum, & in ea respicit eam æqualitatem, secundùm quam habet honestatem valde utilem, & convenientem ad commune bonum, quod satis est ad constituendam rationem Iustitiæ: nam cum hæc actio apud homines spectet ad Justitiam le-

A galem, hæc autem in Deo esse non possit; ergo in Deo pertinebit ad eam Iustitiam quæ legali respondet, quæ est gubernativa seu providentialis, quia unicuique tribuit, secundùm congruentiam, seu decentiam sui status, in numero, pondere, & mensura. Quare ad hanc Iustitiam pertinent nobilissima ornamenta gratiæ, & scientiæ collata Christi humanitati ratione unionis: decuit enim propter unionem humanitatis cum Verbo, illam humanitatem sanctificari omnibus donis gratiæ, quæ in sapientiæ thesauris invenirentur, nec decebat aliter humanitatem assumi à sapientia Divina. Ad hanc quoque Iustitiam providentiæ spectabat, ut femina futura Mater Dei condignis dotibus gratię prævenire-tur. Huc spectat, ut Virgo sine labe peccati
B originalis conciperetur; spectabat enim ad incarnandi verbi Majestatem nasci impollutâ Matre, ne Tyrannus inferni gloriaretur, Matrem Dei fuisse suæ obnoxiam servituti. Deinde quid erat decētius, quàm ut eadem Mater flore Virginitatis illæso Regina Virginũ coronaretur? Fuerunt ergo hæc opera Justitiæ providentialis, quia in illis adhibita est debita proportio, & convenientia, quam Divina sapientia proponit, ut propter se maximè decentem, & suo modo debitam, ac proinde Justitia generalis, seu providentia generalis vocatur. Generalis autem vocatur, quia omnem Justitiam imitatur. Justitia cõmutativa intervenit in summo opere Justitię vindicativæ in morte, & passione Christi D.

Quid sit Iustitia generalis.

C positâ namque misericordiâ, & charitate quâ Deus Filium suum donavit, & in eo posuit iniquitates omnium nostrûm, exercuit actũ Iustitiæ vindicativæ, circa delicta generis humani, cui plenissimè satisfactum est, dum acceptat in compensationem nostrorum delictorum, passionem, & mortem illius: commutativa intervenit, dum Patri offertur, non solùm æquivalens, verùm etiam infinitè quodammodo superabundans, quo pacto emit libertatem generis humani, non fuit tamen modus Iustitiæ commutativæ perfectùs, qualis inter homines esse solet, quia pretium quod oblatum est Deo Patri, quoad Dominum, intimiùs Deo Patri debebatur quàm Christo, quà homo est. Ad Iusti-
D tiam vindicativam veniamus.

§. XVII.

§. XVII.

Iustitia vindicativa vocatur frænum & terror orbis.

DIgnitas, & necessitas hujus veritatis varijs titulis potest extolli, atque collaudari. Inprimis, quis non videat posse frenum, & vinculum totius orbis vocari? an non ea, velut equi indomiti, fræno, totius orbis cōpescitur atque frænatur, effrænata licentia? Hoc agnovit Propheta Job c. 30. v. 11. *& frænum posuit in os meum.* frænum vocat timorē Dei, quia ut fræno cohibentur equi, ita & homines timore justitiæ ultricis, in officio. Deus ergo frænum in ore Job ne præ dolore loqueretur, quod indignum virtute, imposuit, ac proinde ne victus dolore, quo victus non fuit, in Deum blasphemet, custoditur. Custoditur inquam lingua fræno, ne quid insultantibus respondeat acerbiùs, & ideò quasi fræno valido os, & linguam constrinxit. Homines prætereà superbi, & altum sperantes, lascivi, & in vitia ruentes, fræno, & duris lupatis domiti à Deo reprimuntur, & metu Justitiæ vindicativæ coërcentur. Hoc docet Poeta sacer Ps. 31. *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Qui inquit sunt similes equis & mulis, quibus nō est intellectus, ut equos rege, domaq;. Regantur hujusmodi, qui instar equorum superbiunt, qui incedunt erectâ cervice, elatoque capite, & supra homines, immemores suę mortalitatis insolescunt qui equis salaciores, equus enim. teste Arist. l. 6. animal. cap. 47. post hominem salacissimus (homo enim deterior equo nullum finem libidinis facit.) hujusmodi inquam regantur duris lupatis, & Deum vindicem scelerum cognoscant. Hoc quidem pacto belluinam figuram exuent, instar Nabuchodonosor, qui in feram mutatus, feliciter sibi, suæq; formæ est restitutus. Hujusmodi frænum injecit Deus Regi Sennacharib. 4. Reg. 19. & Isa. 28. *Insanisti*, inquit Deus, *in me, & superbia tua ascendit in aures meas. Ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum* (apud Isaiam 39.) *frænum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti*, videlicet invitum & nolentem. An non Angelus Domini percussit in una nocte centum octoginta quinque millia hominum? Et proprij filij Sennacharib patrem adorantem Deum suum gladio percusserunt? Aptè Proverb. 26. vers. 3. *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium.* Regit ergo Deus improbos Justitiâ vindicativâ, sicut fræno equos, domitor equorum, juxta illud Jacob. 3. vers. 3. *Equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & corpus illorum circumferimus.* Sic ponit Deus frænum in maxillis peccatorum, juxta Ezechielem 29. & 38. vers. 4. ubi loquitur Propheta Principi Gog. *Circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, & educam te.* Sola enim vexatio dat intellectum. Tibi peccator, dicit Deus illud Ierem. 2. vers. 20. *A sæculo confregisti iugum meum: rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam. Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te.* Accidit peccatoribus quod accidit Antiocho magno, qui pacē orabat cum jam Romani in Asiam trajecissent. Oranti ergo respondit Scipio; Id priùs factum oportuisse, non postquam equum, & ascensorem accepisset: serius jam esse, & præposterum consilium: sicut ad fragorem tonitru, excussis fulminibus, perruptis nubibus tonitrui undique præcipites silvis, montibusque feræ diffugiunt, ita ad fragorem Iustitiæ vindicativæ cujusque horribiles minas, quidquid in nobis efferum, insolens, lascivum, atque voluptuarium marcidumque retunditur, atque ex animo præceps proruit. Hoc sensit Propheta quamvis sanctus in Ps. *Confrige*, inquit, *timore carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* Hoc & Iob, cùm ait 26. *Vix parvā stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Subigitur hominis arrogans libertas? calcaribus Iustitiæ ultricis. *Quis novit potestatem iræ tuæ? & præ timore tuo iram tuam dinumerare*, Psal. 89. Hujus consideratio excutiebat Regi David blandos somnos, & vigiles curas lacessebat, Psalm. 76. *Anticipaverunt vigilias oculi mei. Turbatus sum, & non sum locutus.* Et quæ causa turbationis? *Cogitavi dies antiquos; & annos æternos in mente habui. Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira misericordias suas?* Quis totus horrore concussus non expavescet, trepidusque non obmutescet? an Sol suæ lucis potest oblivisci? an ignis sui caloris? an fons diffluentium aquarum? an Deus infinitos fontes suæ misericordiæ? Ergo in æternum projiciet Deus? deseret? aspernabitur? numquid deficiet in sæculum misericordia ejus? & pro vili puncto voluptatis, dabit flammea sæcula? ad hoc referendum aut obliviscetur misereri Deus? *vel ut textu Hebræo, aut usque in finem abhorrebit à bonitate sua.* Hoc terrore usus est Paulus in sui victoriam, cùm ait: *Corpus meum castigo, & in servitutem redigo.* Terribilis Deus, qui aufert spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ. Hanc Iustitiam vindicativam vocavit Iob 14. furorem Dei, & optat in inferno abscondi, & protegi quousque transeat furor Domini: unde & ille: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* terribilis enim exspectatio judicij relinquitur voluntariè peccātibus, & ignis æmulatio quę consumptura

Timor Iustitiæ vindicis frænum est.

Vitiosi lupatis regendi.

Fræno Sennacherib coercitus.

Paulus. David. Iob tonitru iustitiæ Divinæ ferre non potuerunt.

consumptura est adversarios ad Hebræos 10. nec solum ignis æmulatio consumet, verum & orbis terrarum pugnabit contra insensatos Sapientiæ. 5. Ex hujus consideratione oritur etiam Justis, probisque mentibus ingens metus, & tremor. An non monet nos David: *Servite*, inquit, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Ps. 2. An ardens amore Paulus nō metuit, tremitq; ad Philippenses scribens 2. c. v. 12. *Cum metu & tremore operamini salutem vestram*. Aug. & hoc sciens, scribit de Matre Monica l. 9. confess. cap. 31. *Væ etiam laudabili vitæ, si remotâ misericordiâ discutias eam*. Quis electionis suæ vocem, aut chirographum cognovit? an non judicia Dei, abyssus multa? fortè, quâ parte placere Deo putas, displices? illis iisdem fatis quibus elevaris, ante oculos Dei obrueris. Quare Job c. 7. sapienter loquitur, cùm ait: *Etiamsi habuerim quippiam justum, non respondebo ei, sed Iudicem meum deprecabor*. Pulchrè igitur D. Leo Ser. 8. de Epiph. *Hæc Sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Tu ergo qui stas, vide ne cadas*. Memineris Lector verborum August. soliloq. c. 29. *Vidimus multos ex Patribus nostris, quod utiq; sine magno tremore non recolo, sine multo tremore non confiteor, ascendisse primitus usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse*. Nemo ergo securus ad Judicium pergat. Et quis perget? cùm videat plurimos filios regni missos in tenebras exteriores. Semper time, nescis quid serus vesper vehat. Unus susurrus, & flatus lenis tentationis cymbam sæpè mergit onustam bonis.

§. XVIII.

Iustitia vindicativa vocatur & sagitta.

Si vocemus Justitiam vindicativam, sagittam Domini, & sagittam salutis, bene erit. Deus enim dum peccatoris decrevit misereri ponit, ut habet Jeremias Threnor. 3. *Peccatorem ut signum ad sagittam, & & in eum jaculatur tela timoris Divini, immittit terrores suos, qui contra illum militent*. Hoc ipsum agnovit magnus Luctator Iob c. 30. v. 11. dum ait: *Pharetram suam aperuit & afflixit me*. Elegās emblema, in quo pingitur Deus pharetram gestans, sagittas minitans, easque ejaculans, uti suprà, depictus fuit domitor equorum. Pharetrâ significatur Divina providentia, è quâ sagittæ calamitatum promuntur, & in homines collimantur, ac tandem in finem Divinæ gloriæ diriguntur. Cùm igitur dicit, *Pharetrā aperuit Deus*, quid aliud innuit, quàm Deum hactenus continuisse suas in Pharetrâ sagittas, & paternis amoribus, se educatum dicit, 1. Iob, & conservatum, ac continuo beneficio-

Emblema Iustitiæ Divinæ.

Iob Scopus sagittarum divinarum.

A rum imbre fuisse irrigatum, nunc verò, huc usque pressas sagittas educere, easq; in se tanquam in scopum viribus totis intendere, & ejaculari. Et cur hoc? an non ut undiq; confixus, trajectusq; spectati amoris, per tot tētamenta calamitatum, præbeat Deo jucundissimum theatrum? exacta virtus, & lacessitur, & exacuitur, & adversis innotescit. Periculorum avida, omnes injurias suâ elidit magnitudine. Non est molle virtutis documentum. *Pharetram* ergo *suam aperuit, & afflixit me*, ait Iob 30. v. 11. ut posteritas ex me uno disceret. Ut ait Philo de regno, Θεῷ δουλεύειν οὐκ ἐλευθερίας μόνον, ἀλλὰ καὶ βασιλείας ἄμεινον; Deo scil. parere non libertate solum, sed regno præstantius esse. Confixus ergo sagittis clamat Iob, Deo parendum,

B Deum sequere ἕπου Θεῷ Te nosce. Fero vulnera ut bonus miles, non numero cicatrices, totus diffluo sanie & sanguine transverberatus telis, moriens amabo, pro quo cado, Deum Imperatorem. Illo sola virtus, ô Lector, ascendit, illius gradu clivus iste frangēdus. Quidquid evenerit, fert. Quatuor sunt sagittæ, quas Deus evibrat in cor humanum. 1. *Contritionis*, qua cor conturbat conteritq;, *misit sagittas & conturbavit eos*. Iob. 6. *Sagittas meas complebo in eis*. Ut enim cervæ tonitrui fragore concussæ pariunt, quæ alioquin partu periclitantur, sic à spiritu hujus sagittæ peccatores pariunt lachrymas, & concipiunt spiritum, juxta illud Isa. 26. *Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum*. Hâc sagittâ est percussus David l. 2. Reg. cap. 24.

Quatuor Sagittarum genera.

C *Percussit cor David*. Postquam numeratus est populus. Hâc Megdalena, & ceteri peccatores, & inebriavit illos lachryma. *Altera sagitta* est correctionis, quæ per novitatem vitæ corrigit, castigatque præterita scelera, vitæ novitate. Quæ cordi adhæret juxta Psalm. 37. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam*. *Tertia sagitta*, est victoriæ quæ vocatur, *sagitta salutis*, 3. Reg. 17. Sagitta Domini, cujus ope Syria percutitur, & debellatur, id est, tota turris Babylonica vanitatis, & concidit peritura. *Quarta sagitta* est furoris Divini, & æternæ damnationis, juxta illud Ezechiel. 5. v. 16. *Et eris opprobrium, & blasphemia, exemplum*

D *& stupor, cum fecero in te judicia in furore, & indignatione, & increpationibus iræ. Ego Dominus locutus sum. Quando misero sagittas famis pessimas in eis, &c.*

§. XIX.

§. XIX.

Optimum Emblema Iustitiæ vindicativæ sal.

Perfectiùs tamen sali Justitia vindicativa in aliquo genere simillima: salis enim vivaci, & ignea natura, omnis corruptio arcetur irruitura. Integritas rerum salis æmulatione perdurat; ciborum, & apparatûs, conditor. Epularum temperamentum, uno ut absolvam verbo, est cocus, & conditor convivij, quo sine, sapor abest exquisitus. Qui & insulsis sui mixturâ saporem conciliat. Sal prætereà symbolum amicitiæ firmæ. Quare & ante alios cibos hospitibus appositus, mensis inferebatur. Cujus eversio in mensis ominosa, & apud Gentiles, dissidium portendebat. Et contra pactum salis, pactum amoris, pactum firmæ constantiæ, & symbolum virginitatis, expugnator scil. putredinis, & propugnator integritatis. Mirum dictu, ut apud omnes gentes sal sacrificijs intervenerit. *Nullum*, inquit Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 17. *Sacrificium sine salsa mola.* Mola salsa vocabatur, far mollitum, tostum & sale conspersum: unde & Virgilius: *Et salsæ fruges.* Plinius lib. 31. cap. 7. *Maxima salis auctoritas, è sacris intelligitur, nulla enim sacrificia sine salsa mola conficiebantur.* Et Horatius sic: *& farre pio, saliente mica.* Ipse Deus verus nullum admittebat sacrificium, nisi sale respersum Levitic. 2. *Quidquid obtuleris sacrificij* (Mincha ut est in Hebræo) *Sale condies.* Quare & signum fœderis inter Deum & hominem, ibidem. *Ne auferas sal fœderis Dei tui de sacrificio.* Miraberis fortè antiquam & solemnem ceremoniam, Baptizato dari sal gustandum. Sic Origenes Homil. 6. super Ezechiel. Hujus & meminit August. lib. confess. cap. 12. *Signabat*, inquit, *signo Crucis os eius, & condiebat sale.* Symbolum est denique sapientiæ, & prudentiæ, ut pòst dicetur. An non totum orbem circumfluus Oceanus suâ salsugine quasi muris aheneis tuetur, ne rerum universitatem putredo corripiat? Magna necessitas, dignitas, & potentia salis: major necessitas, dignitas & potentia Justitiæ vindicativæ.

Sal symbolum rerum magnarū.

Nullum sacrificium absque sale.

Symbolum sapientiæ sal.

Salis inopiâ, interit usus vitæ humanæ, interit & vita animæ, si desit usus & meditatio continua Justitiæ vindicativæ. Hoc docet Spiritus Dei per Ecclesiast. capite 27. versu 4. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.*

Attende ad necessitatem, ut non velit etiam lineam moveri. Syrus enim sic vertit: *Si contra timorem Dei prævaricatus fueris paululum, tempore multo deficies.* Optimè ergo Bernardus Sermone de donis Spirit. S. *Omne ædificium ilicò vergit in præcipitium, si huius gratiæ amiserit præsidium. Initium ergo sapientiæ timor Domini: finis & coronis sapientiæ timor Domini: plenitudo ergo sapientiæ, est timere Deum, & corona sapientiæ est timor Domini.*

A Pulchrè ergo Divus Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 7. *Primus effectus sapientiæ est timor Domini, cùm enim ad sapientiam pertineat, quod humana vita reguletur secundùm rationes divinas, hic oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur, & se ei subjiciat; sic enim consequenter in omnibus secundùm Deum regulabitur.* Sic ille. Hanc vitæ regulam instituit Iob 9. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* S. August. lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 28. ait: *Si vis timorem illum à Deo donari, de quo Dominus ait* Matth. 10. 18. *Timete eum qui potest animam, & corpus perdere in Gehennam.* Quare & exclamat Propheta, Psalm. 32. *Timete Dominum omnes sancti. Oculi enim sole lucidiores, non possunt*

B *ferre, nec minimā iniquitatem, quam non ulciscatur.* Quare & sanctus Ambrosius Serm. 21. in Psalm. 118. scribit, beatos Martyres in agone constitutos martyrij, timore Gehennæ ante oculos propositæ, vincere solitos earum pœnarum timorem, qui à Carnificibus ingerebatur: *Et enim ille timor*, ait Chrisost. hom. 15. ad popul. Antioch. *metus Gehennæ in anima Iusti, miles fortis & armatus, qui fures & latrones, & omnes hostes longè arcet à domo.* Pulchrè verèque B. Antonius apud Athanas. *Iudicij formido & pœnarum timor horridus, simul & carnis incentiva dissolvit, & ruentem animam, quasi ex aliqua rupe ruentem sustentat.* Alæ sunt volucris mentis nostræ, amor, & Dei timor. Initium sapientiæ est timor Domini, qui orditur à ti-

Anima habet alas.

Omne sacrificium sale aspergendum.

C more pœnę, & sic dicitur inchoata sapientia: perfectus autem timor, sive pietas perfecta, consummata sapientia est, & vera θεοζέβεια. Sicut ergo sacra, & sacrificia, & fœdera, & cōvivia, & ciborum conditiones sale perficiuntur, sic omnes actiones, tam quę respiciūt Divinam Majestatem, quàm quę proximū semper comite magno, timore scil. Dei peragendæ, ne in minimo Deus, vel proximus lædatur. Condias hoc sale virginitatē, semper illa virebit. Hieron. Ep. 22. ad Eustoch. de servāda virginitate, ait se metu Gehennæ solitudinem, & durissimū vitæ genus elegisse. Offers Deo sacrificia pœnitentiæ. *Omnis* inquit Euang. ista Marc. c. 9. v. 49. *in Igne salietur, & omnis victima sale salietur*, igne scil. tribula-

D tionis, & memoria tā Justitiæ Divinæ, quàm sale sapientiæ. Vis esse Dei summi gratū altare, altare scil. integritatis, & incorruptionis, quam Deus in offerente exegit, ideo inquit Philo altare θυζιαςήειον ἀπὸ τοῦ διατηρεῖν τὰς θυζίας, à conservandis victimis, cum metu & reverentia ambula cum Deo viventi, & omnia consideranti. Omnes ergo actiones condiantur hoc sale Justitiæ Divinæ, sive comedamus, sive bibamus, sive rebus alijs vacemus. *Vt exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, juxta Pauli: ad Rom. 12. Hujus hostiæ altare, ut ait Gregor. Homil. 22. in Ezechiel. *Est cor, in quo scil. ex mœrore compunctionis, ignis ardet, & caro cōsumitur. Tales, ait, quotidie in templo videmus,* qui

qui æterni Iudicij memores, se Deo sacrificium, in lamentum compunctionis mactant, ut corpora castigantes exhibeant hostiam sanctam. Ingens & grata fuit Job hostia Deo viventi, quia semper timuit Deum; sicut fluctus instar montiũ tumentes totus expallescens timet nauta: horribile enim est incidere in manus Dei viventis. Quare beatus homo qui semper est pavidus. Hoc sale condiverat totam vitam, S. Hilarion, qui mortis in articulo pavidus, exclamavit: *Anima mea, septuaginta annis Deo servisti, & adhuc mori times? egredere: quid mori times?* cùm tota vita, unicus fuerit timor.

§. XX.

Optimè Iustitia vindicativa Gladius Domini vocatur.

DIximus Justitiam vindicativam, vocari frænum, terrorem orbis, furorem Dei, sagittam Domini & salem; optimè tamen, & vocarim Gladium Domini, in supremæ potestatis, & supremi juris certissimum judiciũ. Regibus, Dominisq; rerum, tanquam potestatis insigne, gladius datur, ut ejus micanti fulgore maleficia, & furens improbitas perstringatur, & perstricta trucidetur. Quare & gladius evaginatus Imperatoribus, maximisque Principibus tanquã insigne Imperijpræferri solitus, quo Justitiæ demonstratio, adversus sontes, improbosq; indicaretur. Sic Imperator Trajanus Licinio Suræ gladium nudum porrexit, in se, nisi bene regnaret, distringendum. Hic mos Senatus Imperio, Regnoque Poloniæ, ut Archiepiscopus sacratum gladium, nudumque Principibus inauguratis daret, quo Justitiæ tuendæ monebantur. Hunc morem imitati, & summi Pontifices. Anno quippe 1202. Legatus Pontificius Guilielmo Scotorum Regi ensem, cujus capulus, & vagina aurea, & distincta gemmis, detulit, tanquam Ecclesiæ defensori. Nostrâ verò ætate Paulus Quintus Pontifex pacis cultor, Anno 1616. ensem elaboratum, & galerum violacei coloris Magno Belgarũ Principi Alberto, ob egregiam Religioni Catholicæ navatam operam Germaniâ laborante, & districtâ malis domesticis sub Ferdinando secundo Româ cum summa gloria transmisit. Principibus ergo hujus orbis, ad Dei imitationem, à quo omnis potestas, & Principatus descendit, gladius datur, in Justitiæ vigilantis ostentationem. Quare ergo Principes non gloriemini, quia vobis aureus gladius, cui deauratus baltheus, cui vagina gemmis distinguitur, cui ad secandum subtilis acies, & mucro omne munimentum perrumpens, verùm quia Justitiæ, & sanguinis improbi sitiens, qui virtutum avidus, virtutes inducit. Utere gladio Regis Ca-

Regibus gladius proprius.

Gladius decus summi honoris.

Alberto Belgarum Principi coloris gladius missus.

A striotæ, quem Turcæ vocabant Scharderberchium, id est, Alexandrum Magnum, qui pugnans fulminis instar corpora Turcarum uno ictu diffindebat. Horridum visu spectaculum, utere gladio tanti Principis, non profligandis corporibus, sed vitijs: exscinde vitia cum fibris, si summum numen propitiũ velis. Tu in terris Princeps Deo compararis, cui si dissimilis regnas, indignus es gladio, an non eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est? Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit quæritur. Bene autem regnabis, si ratio explicata atque recta fuerit, si Justitiæ tenax, quæ est unum bonum, quia nullum sine illa est. Magnus itaque Deus, & Monarcha, suis tributarijs Regibus gladium porrexit suum, quo & ipse

Quis rex gladius rectus.

B Dominatum suum tuetur. Quid æquius quàm ut gladius militet Deo, sine quo omnis militiæ vigor, & disciplina vanescit? Quis Dei Majestatem venerabundus coleret, si regnaret scelerum impunita libertas? Impendere ergo super impia prophanati orbis cervice gladium Justitiæ vindicativæ tota Scriptura proclamat. Audiamus Ezechiel. 21. v. 3. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te Iustum, & impium, pro eo autem quòd occidi in te Iustum & impium, idcircò egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem, & ut sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.* Jeremias c. 25. *Quia ecce in Civitate, in qua invocatum est nomen meũ,*

C *ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? non eritis immunes: gladium enim voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum.* Isaiæ 27. *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti.* & 34. *& tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluet folium de vinea, & de ficu, quoniam inebriatus est in cælo gladius meus, & gladius Domini repletus est sanguine.* Deuter. 32. *Si acuero ut fulgur gladium, & arripuerit Iudicium manus mea.* Consule dies natales orbis, an non ab ipsis incunabulis promicuit gladius Justitiæ vindicativæ? An non primum parentem orbis, per scelus damnatæ conjugis, susuumque, Paradiso voluptatis ejectum flammeus gladius regressu prohibuit, *ejecitq; Adã*

Deus habet suum gladium.

D ait Scriptura Genes. 3. vers. 24. *& collocavit* (Deus scilicet) *ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quamvis Tostatus velit ad terrorem fuisse creatum ignem, qui totum undique paradisum ambiret. Vel ut Theodoretus & Procopius, formidolosa spectra horribili formâ fuisse ibi collocata, ex verò tamen videtur fuisse Cherubinum humanâ formâ versantur, vibrantemque ignem, fulmineumque gladium, qui omnium animos, respectumque terrificaret, & accessum vigilanti perspicacique curâ prohiberet, & ideo Cherubin in statione locatus;

Gladius flammeus ad custodiã Paradisi qualis.

tus; ut is qui Divivam scientiam appetierat, à creatura plena scientiæ Divinæ castigaretur. A

Terrificans ergo totum orbem gladius. Justitiæ vindicativæ, nihil præterit inultum: quidquid contagione peccati funestatum, pœnis debitis expiatur: omnia dicta, factaque summi Judicis censuram subibunt, qui cor & renes scrutatur; quid enim non nudum oculis Dei? Hoc gladio spiritus Divini sit armata dextra: hoc gladio salutis subiges omnes hostes animæ tuæ.

Hoc gladio discindes omnem nodum Gordium. Cujus solutio promittit non Regnum Persidis, ut erat olim in fastis, quem Alexander Magnus cum manibus non posset, ense dissecuit, & Perside potitus est: non regnum, inquam, Persidis, verùm æternam Monarchiam despondet. Cave ne ad punctum temporis dextram exarmâris, & hunc gladium timoris Dei, gladio vanitatis permutaris, in lubrico stat nostra salus, & cum æterno hoste bellatur. Metue fortunam Darij Regis, ab Alexandro Magno devicti; ille nescio quâ spiritûs superbâ insolentiâ acinacem Persicum, permutavit Macedonico, & ad ostentationem pomposè adornatum circumtulit. Et ecce Magi, regni eversionem, & imperium cessurum Macedonum sceptro prædixêre portendi. B

An non hic gladius funus regni fuit? an non concessit in Macedonum potentiam? Tu Christiane, si abjeceris hunc gladium, tu tibi funus paras, & dignus es morte. An non miles dignus morte, qui arma projicit manu, & castra fugiens gladium permittit hosti? Memineris ergo Salomonis, qui sic omnes alloquitur: *In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur.* C

Timor Dei sit gladius Christiani.

Nota verba hæc, *tota die*; quasi diceret: Unica sit cura, unus labor, & amor, timor Domini: hic ob oculos versetur; hic sit bulla appensa pectori; hic sit armatura perpetui conflictus: hic sit gladius salutis, in quo vinces. Non potest esse in hoc mundo securitas, nisi partâ beatitudine æternæ vitæ. Et sanè quæ posset esse, si in cælo, & Paradiso felicitatis securitas promissa, & gratijs sustentata corruerit? D

§. XXI.

Divinæ Justitiæ vindicativæ exemplum. In Angelis, Adamo, uxore Loth.

PRætermitto quantę severitatis Imperium in cælo contra facinorosos spiritus exercuerit Divina Justitia, ut columnas cæli concusserit, ut nobilissimos Principes unius peccati culpâ felicitatis hæreditate addictâ spoliatos, æternis incendijs addixerit: & quod omnium calamitosissimum, nullam liberationis spem, nec locum misericordiæ reliquerit. O incomprehensibilem Divinæ Justitiæ severitatem! ô sententiam terribilem! quis non contremescat etiam saxeus ad tonitru tanti terroris plenum? Adeóne velox & implacabilis ira Dei in flagranti delicto gloriantes oppressit, ut oblitus fuerit misericordiæ suæ Deus, misericordiæ Pater? Planè prætermitto ut eadem Justitia unam ob noxam Adami totius orbis pulcherrimum ordinem prostraverit, penitusq; everterit, ut Adamũ cum tota sua posteritate, immortalitatis addictæ munere spoliatum, in perennes miserias condẽnârit, ut tot myriadas hominum, per tot millia annorum creata spatiatur in ęternas pœnas præcipitari, & æternâ, & irreparabili ruinâ involvi. Siccine excanduit, & exarsit ira Dei in miseros nepotes, quos nulla propria noxa reos fecit, sed sola noxa patris, contagione generationis infecit, ut nullâ ratione placari potuerit, nisi solâ morte Filij sui? Sic vindicat Deus ultrici manu scelus unum usq; ad internecionem generis humani. Adeóne unum scelus exauctoravit omnem misericordiam? adeóne unum crimen secum traxit diluvium omnium malorum, quo tota natura corrupta, præceps ruit in æternæ mortis carnificinâ? verè, Justitia Divina vocari potest terror cęli, terror & orbis. Stat effigies muliebri facie, uxoris Loth, de qua Genes. 19. Sap. c. 10. v. 26. non enim credidit quicquam referre ad incolumitatem & salutem suam, si respiceret retrò, necnè: stat, inquam, in ostentum Divinæ Justitiæ, in ultionem neglectæ obedientię. De qua Tertull. in Carmine de Sodoma:

In Angelos ira.

In Adamum.

In uxorem Loth.

Ipsaq; imago sibi formam sine corpore servans,
Durat adhuc, nunquã pluviis, nec diruta vẽtis.
Quin etiam si quis mutilaverit advena formã,
Protinus ex sese, suggressu vulnera complet.

Hanc statuam Borchardus, qui vixit à 300. annis, scribit suâ ætate exstitisse inter Engaddi, & mare mortuum. Quin & Targum Hierosolymitanum addit duraturam usque ad diem resurrectionis. Ecce tibi monumentum Divinæ castigationis, quod instar præconis clamat, rigidè parendum Deo. Quare pulchrè Prosper lib. de prædictionib. & promissis cap. 16. docet Loth: salis statuæ effectæ, suo exemplo fatuos condivit, in pro-

posito sancto quò tendunt proficientes, noxiâ curiositate retro non debere respicere. Ecce opus Justitiæ omni ære perennius, & Justitiæ quidem in vindictam criminis non mortiferi. An non percussio Ozæ ex parilis noxæ fonte? Quid dicemus? Dominus est, & oculi ejus non possunt ferre iniquitaté. Quare timete Dominum omnes Sancti ejus.

§. XXII.

Deus castigandam sacram Majestatem Regiam sibi reservat, tueturque, nec vult Reges ab ullo quàm à se tangi.

Majestas Regum maxima.

QUicumque Regiæ dignitatis Majestatem supra omnia humana gradientem intelligit, Reges non ut homines, sed veluti Deos venerabitur, & veluti Deo proximos colet, coronabitque. Philo Judæus de legatione ad Caium ἀλυχέστατον ἐν ἀνθρώποις κλῆρον, felicissimam in hominibus sortem vocavit. Euripides Imperium Deorum vitam dixit: cùm habeat præter immortalitatem omnia: habent enim Reges quasi Divinam potestatem, quam à Deo acceperunt. *Non est potestas nisi à Deo*, ad Rom. 13. Quare pulchrè & acutè Hermes Trismegistus viros Principes esse parentes omnium, Dei defluxus, qui quo sint illi propiores, magis Regij. Sicut ergo magnæ Basilicæ lapidibus angularibus insistunt, & cælorum machina circa Polos seu axes convoluitur rotaturque, secundùm illud memorabile Acroama Jurisconsulti Baldi, Consil. 32. *Princeps est immobilis, sicut lapis angularis, & polus in Cælo, cui totius Reipub. felicitas innititur.* An non ideò Augustus Principatus à summo Deo concessus, ut ab illo Reipub. spiritus dependeat? Quare non sine causa Principes, etsi sacris non sint initiati, dicti sacerdotes. Quo pacto filij Davidis sacerdotes dicti, non quia sacrificabant, sed quòd in Aula essent Principes, atque omnium in oculis gloriæ luce fulgerent. 2. Reg. 8. filij David sacerdotes erant; neque enim erant de gente Levitica, quibus potestas sacrorum concessa; quare 70. vocant eos αὐλάρχας, purpuratorum Dominos, Aulæ ocellos. Sic & Putiphar, Genes. 41. vocatur sacerdos, hoc est Princeps Heliopoleos, ait Chaldæus. Ne mireris hanc Regiam dignitatem, cùm & Scriptura sacra Reges, & Principes Deos dicat. *Deus stetit in synagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat.* Ps. 81. *Ego dixi: Dij estis*, Deos appellans, qui habent de hominibus potestatem judicandi, ut ait Hieronym. quasi diceret (ut inquit Genebrardus:) Deus ego vos dignatus sum meâ appellatione præ reliquis hominibus ob officij dignitatem, quo vos fungimini, ut non homines, sed quasi Dij terrestres videamini. Et Exod. 22. *Si latet fur, Dominus domus applica-*

Reges sunt quasi Dij.

A *bitur ad Deos*, id est, *Judices.* Et Exod. 7. *Ego constitui te Deum Pharaonis.* Verè quasi Dij; non enim propriè Dij, Deus enim suâpte naturâ regnat, Reges quasi precariò: Deus per se, Reges per Deum; Deus suâ Jurisdictione, Reges delegatâ.

Quare non sine injuria Dei, Regi adimi Jurisdictio potest. Quare Reges etiam pessimi in sacra Scriptura semper sunt Reges habiti? An non ideo ut disceret orbis reges legitimè constitutos, vel populi suffragijs, & electione, vel nascendi sorte, vel per adoptionem summâ veneratione esse dignissimos, nec multitudini, nec vindictæ esse obnoxios, qui Deum habent suorum scelerum Judicem, vel Dei supremum Vicarium. Qui instar Melchisedech Rex Salem est sacerdos

B Dei summi, cui proprium est μοναρχεῖν καὶ ἱερατεύειν; regnare, & sacerdotiò fungi, & quatenus supremo sacerdotio fungitur, jus habet in omnes spirituale, tanquam verus & supremus Pastor ovium à Deo sibi cōmendatarum; juxta illud, *Pasce oves meas.* Pontifex ergo clave, & auctoritate; Rex gladio, & Majestate mundum fulcit, ut divinè docet Leo ad Pulcheriam Augustam. Res humanæ tantæ aliter esse non possunt, nisi quæ ad Divinam confessionem pertinent, & Regia & sacerdotalis defendat auctoritas. Et Isidorus Pelusiota: *Ex sacerdotio & regno conflata est rerum administratio.* Quare & totus orbis in utroque Principe semper quasi Dei Majestatem veneratus est. Christiani Imperatoribus pessimis obedientissimè paruerunt,

Dignitas summi Pontificis.

C & cùm possent armis aggredi, noluerunt. Hinc Tertull. ad Scapulam: *Sic & circa Majestatem Imperatoris informamur* (inquit,) *tamē nunquam Albiniani nec Nigriani, nec Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* Et August. in Psal. 124. Julianus *exstitit infidelis Imperator, nónne exstitit Apostata, iniquus Idololatra? Milites Christiani servierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum qui erat in cælo. Quando volebat, ut Idola colerent, ut thurificarent, præponebāt illi Deum: quando autem jubebat produci aciem; Ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum temporalem ab æterno, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali. Impium ergo tangere Christos*

Regis Majestas inviolabilis penes Christianos.

D *Domini. Juxta illud*, Ps. 104. *Nolite tangere Christos meos*, id est, unctos. An David non habebat occasionem victoriæ in manibus, dum Regem Saul in spelunca secedentem poterat tollere se persequentem, poterat bellum mutare in cædem: ad victoriam opportunitas hortabatur. Stingere jam cœperat ferrum, sed obstabat plena Divinorum mandatorum memoria, quasi diceret: Sine causa me victoria provocas, frustrà me victoria in triumphos invitas. Volebam hostem vincere: sed priùs est Divina præcepta servare, non enim mittam manum in vultum Domini. Repressit cum gladio manum, & dum timet

Regem summe hostem reveritus David.

met oleum, servavit inimicum. Oleum ergo & regnum tutatur Saulem. Meritò ergo percussit cor suum David, .i. conscientia sua reprehendit, quia in hoc fecerat irreverentiam ipsi Sauli, quia honorandus erat quamdiu tolerabatur à Deo. Cùm itaque Reges sint etiam pessimi, omni modo tolerandi sùt, vindicta scelerum soli Deo permittenda est: habent enim supremum vitæ suæ rigidum censorem, juxta illud Sapientiæ 6. *Grave judicium his qui præsunt. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam durissimum iudicium his qui præsunt, fiet. Non enim verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Ad vos ergo* (ait Sapientia) *reges sunt hi sermones mei ut discatis sapientiam, & non excidatis.* Cum illorum potestas à Deo sit, ut rectè docet Tertullian. (adversus hæreses Valentini.) Inde est Imperator unde & homo antequam Imperator: inde illi potestas est, unde & spiritus. Nos Judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit, juxta illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant.* non quod immediatè à Deo eligantur, sed ut intelligamus Regibus seu instinctu, vel permissu Divino ab hominibus legitimè constitutis eam auctoritatis prærogativam impertiri, quæ omnem potestatem superet, & amplitudine Majestatis tanta ornare, ut Regis quàm populi celsius atque Augustius Imperium conspiciatur. Domini est dare vel auferre.

Reges qua via, creentur & modo.

Nunc producamus in theatrum Justitiam Dei, & sua Judicia in improbos Reges exercentem. Antiqua recensere vix lubet. Gregorius Nazianzenus virorum maximus audiatur. Ut de sublato Juliano Apostata scribat. Quænam armorum præparationes, & machinationum excogitationes hæc perficere potuissent? quantus hominum numerus, & phalanges? quæ solum precationibus nostris, Dei nutu peracta sunt. An non invisibili plagâ percussus, & dextram suo sanguine undantem in cælum librans, *Vicisti*, inquit, *Galilæe, vicisti*: sic blasphemus interijt? An non Valens Arrianus à suis Gothis Arrianis vivus crematus, qui Catholicos crudeliter divexarat? Henricus Octavus libidinosâ furens hæresi, quos profligarat Sacerdotes, moriturus cùm posceret, non habuit. Quam grave supplicium Deus, si Imperatores Ethnicos evolvamus, intulit Valeriano & Diocletiano furentissimis Christianorum hostibus? ille à Sapore Rege Persarum victus in ludibrium orbi datus, & tanta Majestas in scabellum Regi equum conscensuro semper cessit, omni mancipio infelicior, jam enim septuagenario major vivus excoriatus: hic verò post multa tormenta se veneno sustulit. Ad notiora recentioraque veniamus, quibus declarabitur, Justitiam Divinam Regibus, quibus suas amatas creaturas ac velut suum sanguinem commisit, invigilare.

Mors Iuliani.

Mors Valentis.

Henrici octavi.

Valeriani.

§. XXIII.

Spectacula Divinæ Iustitiæ ex Aulis Imperatorum educta.

Circumducam te Lector, per nonnullas Regum, & Principum ditiones, regnaque, in quibus Justitia Divina, gravissimis fragoribus, & nimis detonuit. Dabo aliqua prisca, dabo & adhuc spirantia. Anno Christi 876. Papæ Joannis Octavi... Carolus secundus Imperator, ubi didicit fratrem suum Ludovicum secundum, Regem Francofurti sepultum, parat arma in Ludovicum, filium defuncti. O cæca dominandi cupido, quid non audes in sanguinem proprium? Ludovicus impar, Legationibus molitur pacem, at frustrà: tentatis omnibus, Dei misericordiam jejunijs ac litanijs solicitat, & fidens Justitiæ, etiam audet se fortunæ committere irridentibus hostibus. Horrendum ergo ob tyranni oculos spectaculum ponitur. Decem homines (ut narrat Baronius scriptor) cùm aqua calida, & decem cum ferro calido, & totidem cum aqua frigida, misit ad Judicium: coram eis qui cum illo erant, petentibus omnibus ut Deus dijudicaret æquitatem suæ causæ, num Jure bono portionem à Patre sibi relictam possideret (erat id temporis, usus horum, in veritatis, & Justitiæ cognitionem tentamentorum, nunc prohibitus) & ecce ut multi in similibus causis ignita, & candentia ferra tractabant illæsi, sic hi in omnes innoxij exstiterunt. Insuper & Pontifex innocentis Regis spes nequidquam promovit. Necessitas ergo arma extorsit, armis fuit decernendum. Justitia ergo pro Ludovico planè impari, stetit. Illa tantum timorem panicum hostibus, ad solum conspectum Ludovici immisit, ut se prius victos faterentur, quàm ad pugnam concurreretur. Plus admirationis attulit equorum immota stabilitas, quamvis eorum latera calcaribus tunderentur, & quamvis hostes tela vibrarent, & gladijs res ageretur, neminem penitus lædebant, obtusæ quippe acies armorum videbantur. Imperator verò fuga elapsus, suæ saluti consuluit. Imperatrix autem metu concussa, fugiensque & egena loci vel tugurioli, in quo pareret, fœtum haud diu superstitem ejecit. ô tristem rerum vicissitudinem! *Discite Reges Iustitiam moniti, & non temnere Divos.* Regum timendorum in proprios Reges, Reges in ipsos imperium Jovis. Discite Reges non rapere aliena, ne aliena rapiant vestra. Ecce octavo Idus Octobris claro cælo, contra novum Sennacherib insultantem Justitiæ; missa victoria, in quâ Justitia pro Justo stetit,

Grandis punitio Caroli.

tit, pugnavique. Ad vos ô Principes & Reges, qui Deum esse creditis, hæc spectacula Divinæ Justitiæ diriguntur, ut sciatis quia est Dominator in alto, & vindex scelerum; quare narraturo Divinæ Justitiæ facta nemo nisi impius succenseit, nemo indignabitur scribenti, nisi priùs de Deo queratur: nihil dabo adulationis, nihil gentium gratiæ studebo.

Ludovici illustris victoria.

Inducam loquentes rerum Annales, & prisci, noviqúe ævi scriptores. Sunt qui nec verum ferre possunt, nec dici patiuntur, adeò in suos Regum amores insoniunt, quasi in metuendos Reges non sit imperium Dei metuendum. Per Deum Reges regnant, & illos de solijs deturbat Deus offensus, quos servat religiosè cultus. *Et nunc Reges intelligite: & erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Psal.22.

§. XXIV.

Alterum ex aula Imperatorum.

HOrribile terris documentum dabit Henricus Tertius, Imperator, quo, suis temporibus, sicut nemo, naturâ, ingenio, fortitudine, audaciâ, staturâ etiam totâque elegantiâ corporis, fascibus Imperialibus visus fuit dignior; ita nemo sceleratior. In fidem veram, & auctor hæresis, & Paschalem Pontificem rebellis, quem per multa annorum spatia, perfidus subdolè, ut filius impius, Patrem est persecutus, totumque orbem malis fatigavit. Hunc virum tulit Deus patienter ad annos plurimos: imperavit enim ferè duobus & viginti annis. Excitatus tandem Deus, imperio dejecit impium, & filium Patri rebellantem substituit, eoque redegit, ut in conventu quinquaginta duorum optimatum, vel eo amplius, totiusque regni, Regalia, vel Imperialia insignia, Crucem scilicet & lanceam, sceptrum, globum atque coronam filij potestati traderet, prospera filio atque amorem populorum largitus. Exutus ergo regno, nec factus melior, pergit in Pontificem debacchari, & in filium vertere arma, quem spe pacis fallere moliebatur, larvâ pietatis inductâ. At expertus Deum ultorem, ex insperato, morte repentinâ mulctatus est.

Quis crederet, quæ dicturus sum, nisi scriberet Ursperg ensis? Miserabile dictu: virum tantæ dignitatis, & Monarcham, sic miserè exstinctum, ut nullius gemitum, vel lachrymulam fuerit promeritus, verùm omnium Christianorum corda infinito tripudio repleverit. Non altiùs concinuit Israel Deo, Pharaone demerso, nec Roma Octaviano Augusto sic applausit, ut Orbis Henrico sublato.

A Nec finis ultionis Divinæ. Cadaver excommunicati in monasterio tumulatum effoditur, & loco prophano, nullo exequiarum honore, reconditur, ac paulò pòst Spiram delatum, extra Ecclesiam mansit per quinquennium inhumatum.

Hic finis, hic interitus Hæresiarchæ, Archipyratæ, nec non & Apostatæ. Vide Baronium anno Christi 1105.

Alterum non minus horrendum dabit exemplum Suecia.

Ad intelligentiam rerum paululum altiùs ordiendum. Mortuo Joanne Rege Daniæ anno 1513. Christiernus secundus, Daniæ, Noruegiæ, Sueciæ, & utriusque Gothiæ creatus Rex, tam potens rerum Princeps, quam sui impotens, & in populum tyrannus. An non ideò, tanto fastigio dejectus,

B exul cum uxore, & filijs, vagus ad decem annos per varias terras emendicans Principum auxilia, desperabundus erravit? Armis iterum victus à Patre Friderico, carceri datus in arce Smideboury vitam miseram absolvit, & scelera morte. De quo posteà fusiùs. Gustavus Juvenis Princeps, obses olim eidem Christierno à Suecis datus, sub specie & fama venandi, indutus aurigam, auxilio Lubecanæ Reipub. Sueciam armis invasit, eaque potitus, se Regem dedit, & principium eversionis fidei. Quem expulsis toto regno Danis procerum omnes ordines ob liberatam Patriam, confirmarunt. Prostrata ergo Religio jacebat, expilaban-

Vt Hæresis invaserit Succiam.

C tur monasteria, templa æquabantur solo, tessera veræ fidei, inter Ecclesiasticos erat inductum conjugium. Ut igitur æterno fœdere sibi totam nobilitatem redderet obstrictam, bona Ecclesiæ in sinus hiantium effudit, ne cogerentur refundere, tanta, quæ gratia Regis parta; in hoc imitatus Romanum Senatum, qui omnes opes Regias Tarquinij, in populum tanquam in prædam dulcissimam dispersit, ut eâ saginatus omnem spem Tarquinijs redeundi precluderet. At Deus ultor scelerum, ultor violatæ Religionis, ultor effossorum sepulchrorum, Regi sensum abstulit, dementia percussit, & quasi furijs conscientiæ rodentis agitatus miseram vitam trahebat.

Quibus efcis nobilitas Suecia dementata.

D An non ingentis amentiæ signum, Ducem filiolum Carolum in aquas ex alto dejicere? quem periturum aliena natandi peritia servavit. Nusquam scelerato quies. An non hæc perjuri capitis, & fraudis nefandæ pœna? trahitur impius, quam sibi nectit, catenâ. Animum qui testem mali fert, fert & flagellum. Animus culpâ plenus vix apud se est.

Quid ita? nocte dieque suum gestat in pectore testem. Flagello ergo interiore consumptus exaruit, & diris curis exercitus præ languore tandem miseram exhalavit animam. Addunt Historici tragicum spectrum. Priusquam evomeret miserrimam animam, dæmonem,

Mors Regis.

monem, assumpto corpore ingentis, & horridi molossi, Regium intrasse cubiculum, & se librasse ad Regios pedes, & dentibus Regio corpori stragula detraxisse. Et inde subitos cæli fragores, adeò horribiles furente tempestate suscitatos, ut omnes ultimum orbis excidium adesse clamarent. Sic pereunt peccatores cũ sonitu, & ut dixero cũ Ezech. c. 31. v. 16. *A sonitu ruinæ eius commovi gentes, cum deducerem eum ad infernum.* Gustavus primus regnum occupatum, annisque defensum tenuit quadraginta annos, Christierno ejecto: postquam enim Stokolmiam biennij obsidione pressam sibi vindicavit, consensu omnium, Rex declaratus, & libertatis assertor, Patriæque defensor dictus. Cui mortuo anno M.D. LX. successit Ejus primogenitus, hæres Paternorum scelerum. Is Paternarum rapinarum thesauros, prodigus nepos in libidines consectatrices voluptatum subitò profudit. Hoc stipendium malè partorum. Erat hic Princeps dignus imperio, forma enim corporis, & animi nobiles dotes comitabantur, nisi magiæ curiosa, damnosaque cupido, & studium necromantiæ corrupisset. Futurorum ergo curiosus, didicerat, ab uno magnorum procerũ, sibi ex manibus sceptrũ extorquendum. Hinc odium, & præsumpta suspicio in fratres, & in Joannẽ Finlandiç magnum Ducem, & dominũ Ostrogothiæ; nec non in Carolum Ducem de Sudremamlan. Ducem ergo Joannem, ex Polonia reducem, & lætum cõjugio sororis Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, securum, & nihil ominantem, obsidet, & arcem de Wilbourg. per deditionem violentâ manu occupat. Deditur ergo captivus frater tyranno fratri, & exutus bonis ad ducentorum milliũ aureorum pretium, carceri ad septenniũ mancipatur. Quid agat nobilissima Princeps cõjux spoliata marito? Permissa est suę libertati, ut primos suos repetat ortus, Patriamq;. Ego, inquit, alti mei oblita stemmatis, jam meos quos conjugali despondi fide, dextraq;, rũpam degener amores? fortunam viri, quamcumq; sors dabit, sequar. Amor perennis, conjugis castæ manet. Carcerẽ mariti, probitas, fides conjugis, mores, pudor, intrabit: nõ ego Babylonias opes, non Persicas gazas, non quidquid eruitur auri fulvi visceribus terræ, nõ quidquid miratur orbis, prætulerim cæcis tenebris, malim intemerata mori, cum paupertate pudica, quàm deliniri orba marito, voluptate. Unus mihi honos, vitam impendere marito. Quòd si metus gravior incubet, fulmineos ignes, & extrema vitæ pericula excipiam, quibus sors cõmunem thalamum dedit, dabit & sepulchrũ. Peperit ergo marito, virago Regia, Regio marito filium, & duas filias filium inquam Sigismundum qui felicissimis auspicijs Regnũ Poloniæ gubernavit: cujus beatam memoriã suo loco celebrabimus. O felix par conjugũ, quos adamantinus amoris nexus jungit! verè adamantinus amor, qui nec sũmâ inediâ, nec

Ioannes Finlandiæ Dux serenissimam Principem ducit.

Nobilissima principis Regia oratio.

Sigismundus natus in carcere Poloniæ Rex.

A extremâ inopiâ, quæ tanta fuit, ut annona debita naturæ, vitæque subtraheretur, unquam intepuit. Sæviebat interim Ericus Rex in nobilitatem, in Joannẽ pronam; replebat urbes sanguine, & velut alter Nero in suum Præceptorem misit cruentas manus. Furijs ergo, & manibus Magistri, velut Orestes, umbris maternis agitatus miseram agitabat vitam. Nunc Lector attendas velim. Tyrannus expleto septennio, liberatum fratrem carcere, præficit regno (O admirabilem virtutem Divinæ Justitiæ, & pietatis!) & regnandi liberam confert potestatem. Verùm non diu stetit fidus amor in fratrem, pœnitens translati regni, occultas struit insidias: at frustrà. Armis enim Joannis occupatus, & commisso prælio victus, Ecclesię beneficio servatur Ecclesiarum vestator.

B Sic & Consul Eutropius sub Arcadio Imperatore filio Theodosij senioris anno Christi, violator immunitatis Ecclesiasticæ, Ecclesiæ tutela ut servari posset, ad eam confugit. Estnè lex ulla justior, quàm necis artifices arte perire suâ? en premit sortem, nefãdumq; tyrannum debita sceleribus noxia pœna. Clausus ergo templo, levi peracto certamine deditur fratri. Relegatus in Westrans locũ, quem impius Pater ruinis desiectarum Ecclesiarum munierat, & exactis decẽ longi carceris annis, interijt. Quid vides hic Lector? quid vides? An non vides ut clamavit Jeremias 1. rogatus à Deo, *Quid vides*, inquit, *Ieremia? Et dixit: Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus: Bene vides, quia vigilabo super verbo meo, ut faciam illud.* Et quale verbum? verbum per

C Isai. 33. c. pronuntiatum *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris. Cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris.* Ecce ut Deus summam promissi sui complevit in uno carcere, acervatim & unicâ complexione flagellorum, scelera castigans. Fratrem carceris squalore, horribili situ, & inediâ proximè confecerat, & ecce carcer destinatur, & vectigalis pendit tributum. Ecclesias evertit Pater, Rex & ejusdem filius, & Rex inter ruinas Ecclesiarum captivus extinguitur. Et qui veri Dei religionem contempserat, contemptissimus mortalium pecudis instar abjicitur, & tanquam orbis portentum, in theatrum producitur. Timete

D Principes virgam vigilantem, timete virgam ferream, nam tanquam vas figuli confringet vos. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via Iusta.* Hic finis Erici Regis, & initium felix regni Joannis, cui carcer hæredem dedit Sigismundum Regem Sueciæ, & Poloniæ. Natus hic M.D. LXVI. & creatus Rex Poloniæ ante Patris obitum M.D. LXXXVII.

Mors Erici Regis.

§. XXV.

Anglia una ducentis ferè annis erit Palæstra, & arena, in qua dimicavit contra Reges Divina Iustitia.

ANno 1399. Regnavit duobus & viginti annis Richardus secundus. Hic ab Henrico IV. captus, consilijs suorum, ne per vim videretur regno spoliatus, redimitus corona Regia per ludibrium papyracia, vestituque ornatus Regio, sceptrumque tenens se regno abdicavit.

Quanta vis conscientiæ! plorans se depravatum errore juventutis, & voluptatum illecebris captum graviter in Rempub. peccasse, & eò redactum, ut nullus misericordiæ locus reliquus esse videatur, regni curas in Henricum transtulit. At quò prolapsa tanta Majestas? Vitam lachrymis orat, quâ etiam cum purpura exuitur. In Cantium ad Ledesçam arcem captivus Rex trahitur, ut oculis suorum subtractus, minore parricidarum infamia necari posset; inde (nunquam enim secura regnandi ambitio) Pontifractum ductus, & fame necatus. Constans fama est, alimenta Regia in singulos dies more Regio apportata fuisse, (ô crudelitas, crudelitate major!) at esurienti non permissa potestas, non solùm gustandi, verùm ne tangendi. Ecce sanguis Ducis Glocestris in carcere per vim strangulati poscitur, vindicatur, & in alia scelera peracta sævit Deus. Nemo sibi spondeat scelerum diuturnam impunitatem. Sequitur à tergo impios ultor Deus.

§. XXVI.

Stupenda Pompa Divinæ Iustitiæ.

Nepos Henrici Quarti tyranni.

HEnricus sextus Regno inauguratus, summo applausu coronatur. Rege novo nihil castius, nihil sanctius, nihil ex omni parte beatius. Mirum dictu: sic invicto animo tolerabat adversa, quasi sui ipsius culpa contracta sibi immitterentur à Deo. Devenit in adversariorum potestatem; inde liberatur. Iterum hostibus traditus, denuo eximitur, & regno redditur, & tandem regno exutus in carcere necatur, quis dejicit bis re- *Henrici VI. mors misera.*

A gno Regem sanctum, nisi Sanctus sanctorum, qui reposcit sanguinem innocentum in tertiam usque generationem? Scelus Henrici avi armavit iram Dei in nepotem sanctum, quem vitæ sanctitas æquare Divis potest. Mira Regis sanctitas maximè enituit in injuriarum summa patientia. nunquam vindictæ appetens, sed plena oblivione gratus in Deum obruebat injurias: putabat enim hoc pacto sibi sua crimina dilui, castigarique; nullâ enim re torqueri poterat, quàm solâ offensâ Dei. Sanguis Richardi clamabat ultionem in sanguinem Henrici Quarti Tyranni, de quo suprà fama est à Richardo Duce Glocestriæ, gladio percussu, quò fratre suum Eduardum jam Regem hostilis metus redderet securum. Hic regnum occiso Henrico occupavit. *Misera regis sancti.*

B An non stabit diu Regnum, quod parricidæ dextrâ paratum? Dabitis pœnas Rex Eduarde, & frater simul Richardus. Nullus ex ossibus sancti Regis exorietur ultor? orietur ex vestro sãguine quo polluistis dextras. Tu Richarde dabis pœnas tuo sanguine, & tu Eduarde filiorum tuorum.

Quid profuit fuisse superstitem sceleri tuo, tribus & viginti annis? at quàm brevis portio vitæ, & tormentum tam immanis flagitij? Percutitur ergo Eduardus incognito, insuitato morbo, & ignarus ruinæ suæ scribit fratrem Richardum tutorem filiorum, parricidam futurum. Ambitiosus ergo invadit dominatum, & per cædes Principum, *Mira Dei vindicta.*

C Richardus, & jam homicida sperat Imperij firmitatem. Insane, non regnum sanguine; (quis enim postremum hostici stemmatis sustulit?) at virtute roboratur. Dei est tollere, & dare. *Per me Reges regnant*, inquit magnus Monarcha Proverb. 8. Aggreditur furiosus supremum scelus, dictat mortem Nepotum: horribile Imperium exequitur Jacobus Terellus, & Regios pueros inaudito necavit exemplo.

Quî sic immanissima fera jugulas tuos? quomodo parces externis? In Tyrannum conjuratur: Henricus ejus nominis septimus futurus Rex, bellum movet. Richardus pariter summâ vigilantiâ parat arma, exercitum instructum magnis præmijs invitat ad prælium. Verùm manibus suorum Nepotum

D agitatus pavidus, nocturnis spectris agitatur. Terribilis ergo species intempestivâ nocte obuersatur malorum Dæmonum, qui & animum, & consilium, & requiem eripiunt. Et quam requiem dabit æger animus conscientia scelerum? & tantò intolerabilior quò culpa gravior? In sinu circumfert hostem, hostili metu acriorem. Fluctuat bona causa Henrici, victoria inclinat ad hostem. Concurritur acriùs, at bonâ causâ freta novo subsidio in hostem invehitur, & inter confertissimos hostes Richardus prælians jugulatur. Processerat Tyrannus in prælium coronâ redimitus Regiâ, aut initium regnandi, aut finem facturus. Hanc inventam Stanleius Henrici imposuit

posuit capiti; quasi more majorum Rex fuisset renuntiatus. Sævijt & Divina Justitia in Tyranni corpus, quod omni nudatum ornamento, dorso equi impositum, capite, & brachijs, ac cruribus utrimque pendentibus, & biduo post, terrâ humatur. Regnavit annos duos, & totidem dies, plusque die uno. O Impie, quid regnasse profuit? magno emisti breve gaudium, & brevi gaudio perenne malum. Et quid ille fortunæ humanæ ludus, nisi Theatrum Divinæ Justitiæ, scelera impiorum vindicantis? & quamvis intactas videatur ad tempus præterire domos impiorum, circumferunt tamen illi conscientiam ultricem scelerum. Simul ac impius se scelere maculavit suo, & piscis hami dulcedine inescatus, redditur captivus Justitiæ Divinæ, nec ab illa nisi ad orbis terrorem dimittitur. Contigere hæc annno M. C. C. C. C. LXXXVI. Vide Polydorum Virgilij, & alios scriptores.

Prætermitto aliud horrificæ justitiæ lugubre spectaculum, quod Rex Carolus trium regnorum potens, à suis subditis, non armis, sed florentis pacis statu, captus, mortis reus, capitisque dictâ peroratâque causâ damnatus, suo sanguine, forensi in theatro purpuratus exhibuit. Cur autem Deus in tantum principem, totque avorum coronis radiantem, adeò inusitato fulmine, & exemplo detonuerit, non est nostri instituti delibare. Unum scio, Quod regum tremendorum in proprios greges Reges in ipsos imperium est Dei.

Discat orbis, hoc ictu fatali, quo totus orbis territus mutuòque intremuit, magnum Deum humanis imperijs præsidere. Finem Tragœdiæ dedit Januarius anni 1650. Quo caput Ecclesiæ truncatum cecidit.

§. XXVII.

Ex Anglia migremus in Hispaniam.

Vide Baronium. Vide P. Marianum.

BIs Divina Justitia cum ingenti fragore, & ruina miserabili in Hispaniam anno Christi 409. Primùm Honorij 15. Papæ, Innocentio Octavo detonuit, Hispania, inquam, Romanis quondam cum Gallia Imperij, dextra, humerus, & robur invictum. Audi Salvianum lib. 7. de providentia Dei, qui ubi Gallorum scelera est prosecutus, quibus in se Divinam iram concitarunt; addit. Quid Hispanias? nónne vel eadem, vel majora vitia perdiderunt! quas quidem Cælestis ira, etiamsi alijs quibuslibet tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandum illis impudentiæ damnationem, ut Wandalis potissimum, id est, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captivitate, Deus ostendere voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cùm & Wandalos ob solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos maximè ob solam vel maximè impudicitiam subjugaret. Quid enim, non erant in orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? Multi absque dubio, imò ni fallor omnes; sed ideò infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet nón vires valere, sed causam, neque nos tunc ignavissimorum quorundam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari: ut verè venerit in nos dictum illud de quo ait, *Secundùm immunditias suas, & iniquitates suas feci illis, & averti faciem meam ab eis.* Idem Salvianus pergit paulò inferiùs: *Quid*, inquit, *nobis prodesse prærogativa illa nominis potest? quid nos Catholicos esse dicimus? quid fideles esse jactamus? quid Gothos ac Wandalos hæretici nominis comprobatione despicimus, cùm ipsi hæreticâ pravitate vivamus?* itaque rectissimè dicitur illud, quod Iudæis in lege fidentibus dixit sermo Divinus: *Quomodo dicitis: Sapientes sumus? Lex Domini nobiscùm est? nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini* Quoniam si benefeceritis vias vestras, & studia vestra, etiamsi sanguinem innocentem non fuderitis, in hoc loco *habitabo vobiscum*. quo utique ostenditur, quod si ista non facimus, superflua nobis Catholici nominis præsumptione plaudamus. Vide Auctorem. Mirum, & pavendum Dei consilium, quo Catholici traduntur hæreticis, cùm hæresis sit omnium scelerum summú atq; ultimú. Quare & æstimo Angliam florentissimam olim viris, & sanctitate, supremo supplicio, miseriaque damnatam, cùm Deus fidei privatione multarit. Deinde anno Christi 713. majori clade detonuit in Hispaniam, furor Dei, & eam communi naufragio obrutam penè funditus profligavit, atque pessumdedit. Duo libidinosi Reges, Imperium Gothicum suis flagitijs perdiderunt. Primus Witiza Rex, & alter Rudericus, qui exitium Gothico regno attulit. Witiza in omnes libidines effrænis, præcepsque proruebat. Ætas juvenilis, & lubrica fræni impotens, more Turcico, magno numero concubinas uxorum justarum loco cultuque fovebat. Vita Principis, libertatem peccandi dedit: an non hoc est scelera sceleribus tueri? ô quantum in Principis scelere scelus? An non suo motu, exemploque dixero, ut primum mobile Cælos, rotat, & rapit, ita orbem in suos mores regis vita? Quot pœnas dabit una anima, à qua

Quid prodest nomen sincere.

Strages Hispania.

Dissolutio Hispaniæ. cunctæ animæ pendent. Proceres, & Ecclesiastici imitati, quasi genus obsequij in tributum sacrare. Flagrabat soluto pudore impura venus, non virtuti, sed soli adulationi locus, & quò quisque in adulationem, & obsequia libidinum promptior, eò Juveni Regi gratior. Exuerat reverentiam in summum Pontificem. Prætereà Rex in hoc sceleratior, quòd non dubitarit suavissimum Sedis Apostolicæ jugum excutere; an non illo exusso sub jugum immanissimarum gentium venit? an non illo excusso, omne robur, & metuenda gentibus fortitudo bellica fuit enervata, & quasi misso sanguine contabuit. Ausus & impius Rex, ut uxore Protospatarij frui posset, qui apud Romanos Præfectus Prętoriæ cohortis nominatur, stipite percussum trucidare. Ausus pręterea per suos scelerum suorum conscios, severioris vitæ viros exagitare. Quid non molitur aula improba, Principis obsequijs delinita? Non distulit Divina Justitia. Vindictam. Regno ergo, & luminibus, & Cordulæ in perpetuis tenebris vinculisq; mancipatus miseram vitam absolvit, salutis anno 711. Regni decimo. Nec hic irarum Divinarum finis: incensus Deus & implacabilis, coronam Regni filijs hæredibus ademptam suffragio Procerum in Rudericum transtulit. Hic Rex animi, corporisque dotibus clarus, non adumbrata virtute celebratur. Corpus duris assuetum: animus erectus, magnorum appetens, tractatione rerum dexter, versandis animis hominum felix, Imperio denique sustinendo par. Verùm has omnes Regiæ mentis dotes libido intemperans, memoria injuriarum, & cetera vitia, non sine clade premebant. Causam novæ ruinæ, & Regis, & totius Hispaniæ cum supremo & exitiali funere dedit Juliani Comitis filia, nomine cava, quę Reginæ Egilonæ per obsequia in Gynæceo ministrabat. Sauciavit animum Regis species formosa corporis nudati, sicut Davidis Bersabeæ. Urit flamma medullas voratque, totus per venas furor vagatur, nullius rei cura subit; totus enim in amata vivit.

Libido causa ruinæ.

Quid agat? tot missilibus telis, quot aspectibus confixus: invicta Virgo, & inexpugnabilis, nec promissis, nec blanditijs cedens, invita tandem, ô pudor! vitiatur. Quanti tibi constabit Rex impie hæc brevis voluptas? magno voles inemptam, cum totam Hispaniam sanguine videbis inundatam. Ardens ergo dolore Virgo, literas violati pudoris mandat patri, properet in vindictam, & gladijs pereat sceleratus amor. Sum (inquit) tua filia; at non tua, utinam ea quæ fui? Virginis nomen mihi relictum, cetera adulter Rex tenet. Perijt corpus, ô utinam tantùm corpus! cum quo & animus. Cernes literas, leges non quales soles, sed violatæ. In me si placet, vel raptorem exige ferrum.

Julianus pater in Africa compositis rebus, totus ardens, dissimulato tamen furore ad Regem redit: admittitur ad omnia secreta regni.

Securum ergo Regem vafro consilio fallit, & aula, bonâ Regis veniâ, cum filia secedit. Cum Principibus in caput Regis conjurat, opes, & præmia victoriæ pollicetur, & in monte, qui ab incolis *Calderinus* nominatur; voce Arabica *mons proditionis*, aperit consilium prodendæ Hispaniæ Mauris; Tendit in Africam, Muzam Principem adit: ostentat spem certam potiundi Imperij, modicis auxilijs posse Regnum obtineri. Placuit Miramamolino supremo Maurorum Principi: id nomen apud Mauros summi Principis. Duodecim millia mittit armatorum, quæ prima victoriæ initia dederunt. Ecquid mirum? exarmarat vividum illud, & Martiale Gothorum robur, libidinum & vitiorum libertas: erant debilitati, enervatique animi, illi, quibus orbem terruerant, & vigor emollitus delitijs succubuerat.

Mauris datur Hispania.

Hæc tales invaserat omnium animos contagione corruptæ aulæ, à qua salus Reipub. petenda erat. Barbaris occurrit Sanctius Regis frater, vincitur, fugatur, & cum magna clade exercitus trucidatur. Occurrit Rex cum totius Regni viribus, octo continuis diebus; ijsdem vestigijs dimicatum est, deinde anno 714. totis viribus pugnatum, & Hispania tandem victa, barbaris in præmium cessit.

Ruderici Regis equus, paludamentum, corona, calceique gemmis distincti ad Lethis ripam inventa. Rex aut in fuga occisus, aut in flumine mersus creditur. Solam Cantabriam Deus in asylum gentis, & spem futuri reservavit. Quæ mala tum non vidit Hispania? nulla erat facies malorum, quibus non premebatur: nullus erat cruciatus, quem à crudelibus non tolerarent Christiani.

Sic vindictâ ferâ expiat Deus libidines Regum, & violatas Religiones, tam improborum, quàm innocentium supplicijs; ô quàm horribile est, incidere in manus Dei viventis! Contigit Hispaniæ quod Nabuchodonosori fortunæ Danielis 4. Qui per quietem, *vidit arborem in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor erat & fortis, & proceritas ejus contingens Cælum, & aspectus eius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius,* &c. *Et ecce vigil, & sanctus de Cælo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite. In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio; donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit*

Deus misericors Hispanis.

luerit dabit illud, & humillimum hominum constituet super eum. Magna arbor Gothici Imperij cecidit excisa, anno Christi 714. Verùm Deus reliquit semen, & radicem in terra, ex qua nova arbor major priore, quæ Solem orientem, & occiduum obumbrat, pullulavit. An non totus fere orbis sub magnitudine hujus arboris, sub ejus ramis, umbraque spatiosè fuit recreatus? Justitia erigit gentes, & pudicitiæ rigor conservat. Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Psalm. 32. Et videtur cælum nescio, quid deliberare. Nunc quoque prodigia rerum terruerunt orbem, tabulæ naufragæ tot Provinciarum, & earum turpis, & amissio, & B desperatio recuperandi. Classis aureæ spoliatio, & cursus felicitas interrupta, Hispalis fœdo diluvio innatans; & undique lacerata, divulsaque pulcherrimi Imperij membra, quid nisi irati Dei flagella jam insonantia, vaticinantur? Deinde si quam auctoritatem Augurij, & Divinationis Hispania constituat, in campanæ sonitu quæ est in Oppido Celtiberiæ Vililla, & ab incolis vocatur *Campana mitaculorum*, quæ motu proprio, nullo trahente concutitur, tanquam cladis imminentis prænuncia; dicitur sonitu suo has stupendas calamitates portendisse. Et sicut in Monasterio Bodkenensi tintinnabulum, suo sonitu nullo hominum ministerio denuntiat diem decretorium alicui sororum instare, quare & omnes ad C mortem se comparant, (sic Gobel. in vita S. Meinulphi) quasi victima sit morti, & funera destinata. Sic & campana Celtiberica videtur horrido sonitu funus Hispaniæ denunciasse. Verùm quæ Deus castigat regna, castigat in virgis hominum, nec penitus aufert misericordiam suam: quæ enim terrarum, ita hæreses profligat, viros egentes sustentat? Angliæ perditæ subministrat in fidei conservationem alumnos, quæ sanctissimæ Sedi Apostolicæ obedientior, & pronior, Petri, in suo hærede pedes osculatur? Deus magne! junge illa duo pulcherrima regna stabili, & æterno fœdere. *Surget tunc novo gens aurea mundo.* Quid D Galliâ potentius? quid Hispaniâ auriferâ opulentius? Eia nobilissimæ gentes, gentes quondam Romanæ Monarchiæ decus, robur, & dextera, Jungite dextras, date pacem orbi, non deest campus, non desunt regna, & Imperia vestris opibus, viribusque paranda. Totus gentium orbis patet Galliæ, hic sit exercitatio armorum, hic curriculum magnanimi sanguinis, hic palæstra athleticæ virtutis. Ergo projice tela manu, sanguis Catholice; cur stringitur ensis, & desævit in Catholicum sanguinem? ponite causas irarum, & illas Christi sanguini concedite.

Sonitus Campanæ malum omen.

A Quid juvat perire Christianum, in Christi ludibrium? Nunquam atrocioribus populorum cladibus, magisvè Justis judicijs approbatum est, esse Deo curæ Justitiam, & scelerum ultionem: quis credat hos casus fortuitos, qui plerumque fortuiti videntur? causas irarum dederunt vitia populorum, & Justitiæ neglectus: pacem det virtutum, & Justitiæ cultus.

§. XXVIII.

Horridum spectaculum Divinæ Iustitiæ in Politicos, quorum artes describuntur.

Magnorum virorum virtutes, ita & vitia in aperto sunt. Illarum faustus, horum cum exitio, infaustus exitus. Quàm Deus simplicissimus fictos, & simulatos oderit, qui bipartitâ mente, & commentitijs, servitijs in regum, & rerumpublicarum vigent ministerio, quibus nulla fides; nec ex honesto spes, & publica mala, in occasionem gratiæ suæque fortunæ trahunt. Unus Connestablius Franciæ dedit orbi & posteritati spectaculum. Quantus fuerit Connestablius, magnitudo muneris, & fortunæ conditio docet.

Ex Philippo Cominæo claro historico.

Hic comes sancti Pauli, primùm copiarum Burgundicæ domus sub Carolo Audace Præfectus, cui deinde Ludovicus undecimus Galliæ Rex detulit Connestabliatum; summum ab ipso munus, & suprema conditio. Gallia enim cùm quatuor habeat Marescallos, qui sunt velut magistri equitum, & quæstionum militarium Judices: his omnibus eminet Connestablius quem nulla dignitas adæquat: solis enim magnis Principibus debita, quâ & Carolus Dux Borboniæ, gratiâ Francisci primi Galliarum Regis, priùs quàm ad Carolum Quintum transiret, perfunctus est. Erat huic viro corpus laborum, vigiliæ, algoris tolerans, supra quam cuipiam credibile est: animus audax, subdolus, sui obtegens, in alios criminator, juxtà adulatio & superbia, intus summa adipiscendi libido. Strenuus prætereà manu, sermone fallaci promptus, serendæ inter Principes discordiæ mirus artifex: negotia alia, atque alia ex alijs ducere, spes magnas ostentare, & ad se trahere, monere & quatere occultis artibus: certa pro ambiguis, & quod usquam ægrum apud dominantes aggredi, & firmare, & hoc adminiculo famam apud principem augere. Mirum viri ingenium, nullius consilio agi, nullis promissis servare fidem, nisi quantum ex usu rerum suarum esse putabat, ut pro consuetudine

Dignitas Connestablij.

Viri dotes vitiaque.

Indoles politici viri.

Dissolutio Hispaniæ. cunctæ animæ pendent. Proceres, & Ecclesiastici imitati, quasi genus obsequij in tributum sacrare. Flagrabat soluto pudore impura venus, non virtuti, sed soli adulationi locus, & quò quisque in adulationem, & obsequia libidinum promptior, eò Juveni Regi gratior. Exuerat reverentiam in summum Pontificem. Prætereà Rex in hoc sceleratior, quòd non dubitarit suavissimum Sedis Apostolicæ jugum excutere; an non illo excusso sub jugum immanissimarum gentium venit? an non illo excusso, omne robur, & metuenda gentibus fortitudo bellica fuit enervata, & quasi misso sanguine contabuit. Ausus & impius Rex, ut uxore Protospatarij frui posset, qui apud Romanos Præfectus Prætoriæ cohortis nominatur, stipite percussum trucidare. Ausus prætereà per suos scelerum suorum conscios, severioris vitæ viros exagitare. Quid non molitur aula improba, Principis obsequijs delinita? Non distulit Divina Justitia. Vindictam. Regno ergo, & luminibus, & Cordulæ in perpetuis tenebris vinculisq; mancipatus miseram vitam absolvit, salutis anno 711. Regni decimo. Nec hic irarum Divinarum finis: incensus Deus & implacabilis, coronam Regni filijs hæredibus ademptam suffragio Procerum in Rudericum transtulit. Hic Rex animi, corporisque dotibus clarus, non adumbrata virtute celebratur. Corpus duris assuetum: animus erectus, magnorum appetens, tractatione rerum dexter, versandis animis hominum felix, Imperio denique sustinendo par. Verùm has omnes Regiæ mentis *Libido causa ruinæ.* dotes libido intemperans, memoria injuriarum, & cetera vitia, non sine clade premebant. Causam novæ ruinæ, & Regis, & totius Hispaniæ cum supremo & exitiali funere dedit Juliani Comitis filia, nomine cava, quæ Reginæ Egilonæ per obsequia in Gynæceo ministrabat. Sauciavit animum Regis species formosa corporis nudati, sicut Davidis Bersabeæ. Urit flamma medullas voratque, totus per venas furor vagatur, nullius rei cura subit; totus enim in amata vivit.

Quid agat? tot missilibus telis, quot aspectibus confixus: invicta Virgo, & inexpugnabilis, nec promissis, nec blanditijs cedens, invita tandem, ô pudor! vitiatur. Quanti tibi constabit Rex impie hæc brevis voluptas? magno voles inemptam, cum totam Hispaniam sanguine videbis inundatam. Ardens ergo dolore Virgo, literas violati pudoris mandat patri, properet in vindictam, & gladijs pereat sceleratus amor. Sum (inquit) tua filia; at non tua, utinam ea quæ fui! Virginis nomen mihi relictum, cetera adulter Rex tenet. Perijt corpus, ô utinam tantùm corpus! cum quo & animus. Cernes literas, leges non quales soles, sed violatæ. In me si placet, vel raptorem exige ferrum.

Julianus pater in Africa compositis rebus, A totus ardens, dissimulato tamen furore ad Regem redit: admittitur ad omnia secreta regni.

Securum ergo Regem vafro consilio fallit, & aula, bonâ Regis veniâ, cum filia secedit. Cum Principibus in caput Regis conjurat, opes, & præmia victoriæ pollicetur, & in monte, qui ab incolis *Caldernus* nominatur; voce Arabica *mons proditionis*, aperit consilium prodendæ Hispaniæ Mauris; Tendit in Africam, Muzam Principem adit: ostentat spem certam potiundi Imperij, modicis auxilijs posse Regnum obtineri. Placuit Miramamolino supremo Maurorum Principi: id nomen apud Mauros summi Principis. Duodecim millia mittit armatorum, quæ prima victoriæ initia dederunt. Ecquid mirum? exarmarat vividum illud, & Martiale Gothorum robur, libidinum & vitiorum libertas: erant debilitati, enervatique animi, illi, quibus orbem terruerant, & vigor emollitus delitijs succubuerat. *Mauris datur Hispania.*

B

Hæc tales invaserat omnium animos contagione corruptæ aulæ, à qua salus Reipub. petenda erat. Barbaris occurrit Sanctius Regis frater, vincitur, fugatur, & cum magna clade exercitus trucidatur. Occurrit Rex cum totius Regni viribus, octo continuis diebus; ijsdem vestigijs dimicatum est, deinde anno 714. totis viribus pugnatum, & Hispania tandem victa, barbaris in præmium cessit.

C

Ruderici Regis equus, paludamentum, corona, calceique gemmis distincti ad Lethis ripam inventa. Rex aut in fuga occisus, aut in flumine mersus creditur. Solam Cantabriam Deus in asylum gentis, & spem futuri reservavit. Quæ mala tum non vidit Hispania? nulla erat facies malorum, quibus non premebatur: nullus erat cruciatus, quem à crudelibus non tolerarent Christiani.

Sic vindictâ ferâ expiat Deus libidines Regum, & violatas Religiones, tam improborum, quàm innocentium supplicijs; ô quàm horribile est, incidere in manus Dei viventis! Contigit Hispaniæ quod Nabuchodonosori fortunæ Danielis 4. Qui per quietem, *vidit arborem in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor erat & fortis, & proceritas ejus contingens Cælum, &* D *aspectus eius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius,* &c. *Et ecce vigil, & sanctus de Cælo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite. In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio; donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit* *Deus misericors Hispanis.*

luerit dabit illud, & humillimum hominum constituet super eum. Magna arbor Gothici Imperij cecidit excisa, anno Christi 714. Verùm Deus reliquit semen, & radicem in terra, ex qua nova arbor majorpriore, quæ Solem orientem, & occiduum obumbrat, pullulavit. An non totus fere orbis sub magnitudine hujus arboris, sub ejus ramis, umbraque spatiosè fuit recreatus? Justitia erigit gentes, & pudicitiæ rigor conservat. Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Psalm. 32. Et videtur cælum nescio, quid deliberare. Nunc quoque prodigia rerum terruerunt orbem, tabulæ naufragæ tot Provinciarum, & earum turpis, & amissio, & desperatio recuperandi. Classis aureæ spoliatio, & cursus felicitas interrupta, Hispalis fœdo diluvio innatans; & undique lacerata, divulsaque pulcherrimi Imperij membra, quid nisi irati Dei flagella jam insonantia, vaticinantur? Deinde si quam auctoritatem Augurij, & Divinationis Hispania constituat, in campanæ sonitu quæ est in Oppido Celtiberiæ Vililla, & ab incolis vocatur *Campana miraculorum*, quæ motu proprio, nullo trahente concutitur, tanquam cladis imminentis prænuncia; dicitur sonitu suo has stupendas calamitates portendisse. Et sicut in Monasterio Bodkenensi tintinnabulum, suo sonitu nullo hominum ministerio denuntiat diem decretorium alicui sororum instare, quare & omnes ad mortem se comparant, (sic Gobel. in vita S. Meinulphi) quasi victima sit morti, & funera destinata. Sic & campana Celtiberica videtur horrido sonitu funus Hispaniæ denunciasse. Verùm quæ Deus castigat regna, castigat in virgis hominum, nec penitus aufert misericordiam suam: quæ enim terrarum, ita hæreses profligat, viros egentes sustentat? Angliæ perditæ subministrat in fidei conservationem alumnos, quæ sanctissimæ Sedi Apostolicæ obedientior, & pronior, Petri, in suo hærede pedes osculatur? Deus magne! junge illa duo pulcherrima regna stabili, & æterno fœdere. *Surget tunc novo gens aurea mundo.* Quid Galliâ potentius? quid Hispaniâ auriferâ opulentius? Eia nobilissimæ gentes, gentes quondam Romanæ Monarchiæ decus, robur, & dextera, Jungite dextras, date pacem orbi, non deest campus, non desunt regna, & Imperia vestris opibus, viribusque paranda. Totus gentium orbis patet Galliæ, hic sit exercitatio armorum, hic curriculum magnanimi sanguinis, hic palæstra athleticæ virtutis. Ergo projice tela manu, sanguis Catholice; cur stringitur ensis, & desævit in Catholicum sanguinem? ponite causas irarum, & illas Christi sanguini concedite.

Sonitus Campanæ malum omen.

Quid juvat perire Christianum, in Christi ludibrium? Nunquam atrocioribus populorum cladibus, magisve Justis judicijs approbatum est, esse Deo curæ Justitiam, & scelerum ultionem: quis credat hos casus fortuitos, qui plerumque fortuiti videntur? causas irarum dederunt vitia populorum, & Justitiæ neglectus: pacem det virtutum, & Justitiæ cultus.

§. XXVIII.

Horridum spectaculum Divinæ Iustitiæ in Politicos, quorum artes descri- buntur.

Magnorum virorum virtutes, ita & vitia in aperto sunt. Illarum faustus, horum cum exitio, infaustus exitus. Quàm Deus simplicissimus fictos, & simulatos oderit, qui bipartitâ mente, & commentitijs, servitijs in regum, & rerumpublicarum vigent ministerio, quibus nulla fides, nec ex honesto spes, & publica mala, in occasionem gratiæ suæque fortunæ trahunt. Unus Connestablius Franciæ dedit orbi & posteritati spectaculum. Quantus fuerit Connestablius, magnitudo muneris, & fortunæ conditio docet.

Ex Philippo Comineo claro historico.

Hic comes sancti Pauli, primùm copiarum Burgundicæ domus sub Carolo Audace Præfectus, cui deinde Ludovicus undecimus Galliæ Rex detulit Connestabliatum; summum ab ipso munus, & suprema conditio. Gallia enim cùm quatuor habeat Mareschallos, qui sunt velut magistri equitum, & quæstionum militarium Judices: his omnibus eminet Connestablius quem nulla dignitas adæquat: solis enim magnis Principibus debita, quâ & Carolus Dux Borboniæ, gratiâ Francisci primi Galliarum Regis, priùs quàm ad Carolum Quintum transiret, perfunctus est. Erat huic viro corpus laborum, vigiliæ, algoris tolerans, supra quam cuipiam credibile est: animus audax, subdolus, sui obtegens, in alios criminator, juxtà adulatio & superbia, intus summa adipiscendi libido. Strenuus prætereà manu, sermone fallaci promptus, serendæ inter Principes discordiæ mirus artifex: negotia alia, atque alia ex alijs ducere, spes magnas ostentare, & ad se trahere, monere & quatere occultis artibus; certa pro ambiguis, & quod usquam ægrum apud dominantes aggredi, & firmare, & hoc adminiculo famam apud principem augere. Mirum viri ingenium, nullius consilio agi, nullis promissis servare fidem, nisi quantum ex usu rerum suarum esse putabat, ut pro consuetudine

Dignitas Connestablij.

Viri dotes vitiaque.

Indoles politici viri.

Dissolutio Hispaniæ. cunctæ animæ pendent. Proceres, & Ecclesiastici imitati, quasi genus obsequij in tributum sacrare. Flagrabat soluto pudore impura venus, non virtuti, sed soli adulationi locus, & quò quisque in adulationem, & obsequia libidinum promptior, eò Juveni Regi gratior. Exuerat reverentiam in summum Pontificem. Prætereà Rex in hoc sceleratior, quòd non dubitarit suavissimum Sedis Apostolicæ jugum excutere; an non illo excusso sub jugum immanissimarum gentium venit? an non illo excusso, omne robur, & metuenda gentibus fortitudo bellica fuit enervata, & quasi misso sanguine contabuit. Ausus & impius Rex, ut uxore Protospatarij frui posset, qui apud Romanos Præfectus Prętoriæ cohortis nominatur, stipite percussum trucidare. Ausus pręthereà per suos scelerum suorum conscios, severioris vitæ viros exagitare. Quid non molitur aula improba, Principis obsequijs delinita? Non distulit Divina Justitia. Vindictam, Regno ergo, & luminibus, & Cordulæ in perpetuis tenebris vinculisq; mancipatus miseram vitam absolvit, salutis anno 711. Regni decimo. Nec hic irarum Divinarum finis: incensus Deus & implacabilis, coronam Regni filijs hæredibus ademptam suffragio Procerum in Rudericum transtulit. Hic Rex animi, corporisque dotibus clarus, non adumbrata virtute celebratur. Corpus duris assuetum: animus erectus, magnorum appetens, tractatione rerum dexter, versandis animis hominum felix, Imperio denique sustinendo par. Verùm has omnes Regiæ mentis dotes libido intemperans, memoria injuriarum, & cetera vitia, non sine clade premebant. Causam novæ ruinæ, & Regis, & totius Hispaniæ cum supremo & exitiali funere dedit Juliani Comitis filia, nomine cava, quę Reginæ Egilonæ per obsequia in Gynæceo ministrabat. Sauciavit animum Regis species formosa corporis nudati, sicut Davidis Bersabeæ. Urit flamma medullas voratque, totus per venas furor vagatur, nullius rei cura subit; totus enim in amata vivit. *Libido causa ruinæ.*

Quid agat? tot missilibus telis, quot aspectibus confixus: invicta Virgo, & inexpugnabilis, nec promissis, nec blanditijs cedens, invita tandem, ô pudor! vitiatur. Quanti tibi constabit Rex impie hæc brevis voluptas? magno voles inemptam, cum totam Hispaniam sanguine videbis inundatam Ardens ergo dolore Virgo, literas violati pudoris mandat patri, properet in vindictam, & gladijs pereat sceleratus amor. Sum (inquit) tua filia; at non tua, utinam ea quæ fui? Virginis nomen mihi relictum, cetera adulter Rex tenet. Perijt corpus, ô utinam tantùm corpus! cum quo & animus. Cernes literas, leges non quales soles, sed violatæ. In me si placet, vel raptorem exige ferrum.

Julianus pater in Africa compositis rebus, totus ardens, dissimulato tamen furore ad Regem redit: admittitur ad omnia secreta regni.

Securum ergo Regem vafro consilio fallit, & aula, bonâ Regis veniâ, cum filia secedit. Cum Principibus in caput Regis conjurat, opes, & præmia victoriæ pollicetur, & in monte, qui ab incolis *Calderinus* nominatur; voce Arabica *mons proditionis*, aperit consilium prodendæ Hispaniæ Mauris; Tendit in Africam, Muzam Principem adit: ostentat spem certam potiundi Imperij, modicis auxilijs posse Regnum obtineri. Placuit Miramamolino supremo Maurorum Principi: id nomen apud Mauros summi Principis. Duodecim millia mittit armatorum, quæ prima victoriæ initia dederunt. Ecquid mirum? exarmarat vividum illud, & Martiale Gothorum robur, libidinum & vitiorum libertas: erant debilitati, enervatique animi, illi, quibus orbem terruerant, & vigor emollitus delitijs succubuerat. *Mauris datur Hispania.*

Hæc tales invaserat omnium animos contagione corruptæ aulæ, à qua salus Reipub. petenda erat. Barbaris occurrit Sanctius Regis frater, vincitur, fugatur, & cum magna clade exercitus trucidatur. Occurrit Rex cum totius Regni viribus, octo continuis diebus; ijsdem vestigijs dimicatum est, deinde anno 714. totis viribus pugnatum, & Hispania tandem victa, barbaris in præmium cessit.

Ruderici Regis equus, paludamentum, corona, calceique gemmis distincti ad Lethis ripam inventa. Rex aut in fuga occisus, aut in flumine mersus creditur. Solam Cantabriam Deus in asylum gentis, & spem futuri reservavit. Quæ mala tum non vidit Hispania? nulla erat facies malorum, quibus non premebatur: nullus erat cruciatus, quem à crudelibus non tolerarent Christiani.

Sic vindictâ serâ expiat Deus libidines Regum, & violatas Religiones, tam improborum, quàm innocentium supplicijs; ô quàm horribile est, incidere in manus Dei viventis! Contigit Hispaniæ quod Nabuchodonosori fortunæ Danielis 4. Qui per quietem, *vidit arborem in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor erat & fortis, & proceritas ejus contingens Cælum, & aspectus eius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius,* &c. *Et ecce vigil, & sanctus de Cælo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Veruntamen germen radicum eius in terra sinite. In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio; donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit* *Deus misericors Hispanis.*

luerit dabit illud, & humillimum hominum constituet super eum. Magna arbor Gothici Imperij cecidit excisa, anno Christi 714. Verùm Deus reliquit semen, & radicem in terra, ex qua nova arbor majorpriore, quæ Solem orientem, & occiduum obumbrat, pullulavit. An non totus fere orbis sub magnitudine hujus arboris, sub ejus ramis, umbraque spatiosè fuit recreatus? Justitia erigit gentes, & pudicitiæ rigor conservat. Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Psalm. 32. Et videtur cælum nescio, quid deliberare. Nunc quoque prodigia rerum terruerunt orbem, tabulæ naufragæ tot Provinciarum, & earum turpis, & amissio, & desperatio recuperandi. Classis aureæ spoliatio, & cursus felicitas interrupta, Hispalis fœdo diluvio innatans; & undique lacerata, divulsaque pulcherrimi Imperij membra, quid nisi irati Dei flagella jam insonantia, vaticinantur? Deinde si quam auctoritatem Augurij, & Divinationis Hispania constituat, in campanæ sonitu quæ est in Oppido Celtiberiæ Vililla, & ab incolis vocatur *Campana miraculorum*, quæ motu proprio, nullo trahente concutitur, tanquam cladis imminentis prænuncia; dicitur sonitu suo has stupendas calamitates portendisse. Et sicut in Monasterio Bodkenensi tintinnabulum, suo sonitu nullo hominum ministerio denuntiat diem decretorium alicui sororum instare, quare & omnes ad mortem se comparant, (sic Gobel. in vita S. Meinulphi) quasi victima sit morti, & funera destinata. Sic & campana Celtiberica videtur horrido sonitu funus Hispaniæ denunciasse. Verùm quæ Deus castigat regna, castigat in virgis hominum, nec penitus aufert misericordiam suam: quæ enim terrarum, ita hæreses profligat, viros egentes sustentat? Angliæ perditæ subministrat in fidei conservationem alumnos, quæ sanctissimæ Sedi Apostolicæ obedientior, & pronior, Petri, in suo hærede pedes osculatur? Deus magne! junge illa duo pulcherrima regna stabili, & æterno fœdere. *Surget tunc novo gens aurea mundo.* Quid Galliâ potentius? quid Hispaniâ auriferâ opulentius? Eia nobilissimæ gentes, gentes quondam Romanæ Monarchiæ decus, robur, & dextera, Jungite dextras, date pacem orbi, non deest campus, non desunt regna, & Imperia vestris opibus, viribusque paranda. Totus gentium orbis patet Galliæ, hic sit exercitatio armorum, hic curriculum magnanimi sanguinis, hic palæstra athleticæ virtutis. Ergo projice tela manu, sanguis Catholice; cur stringitur ensis, & desævit in Catholicum sanguinem? ponite causas irarum, & illas Christi sanguini concedite.

Sonitus Campanæ malum omen.

Quid juvat perire Christianum, in Christi ludibrium? Nunquam atrocioribus populorum cladibus, magisve Justis judicijs approbatum est, esse Deo curæ Justitiam, & scelerum ultionem: quis credat hos casus fortuitos, qui plerumque fortuiti videntur? causas irarum dederunt vitia populorum, & Justitiæ neglectus: pacem det virtutum, & Justitiæ cultus.

§. XXVIII.

Horridum spectaculum Divinæ Iustitiæ in Politicos, quorum artes describuntur.

Magnorum virorum virtutes, ita & vitia in aperto sunt. Illarum faustus, horum cum exitio, infaustus exitus. Quàm Deus simplicissimus fictos, & simulatos oderit, qui bipartitâ mente, & commentitijs servitijs in regum, & rerumpublicarum vigent ministerio, quibus nulla fides, nec ex honesto spes, & publica mala, in occasionem gratiæ suæque fortunæ trahunt. Unus Connestablius Franciæ dedit orbi & posteritati spectaculum. Quantus fuerit Connestablius, magnitudo muneris, & fortunæ conditio docet.

Ex Philippo Cominæo claro historico.

Hic comes sancti Pauli, primùm copiarum Burgundicæ domus sub Carolo Audace Præfectus, cui deinde Ludovicus undecimus Galliæ Rex detulit Connestabliatum; summum ab ipso munus, & suprema conditio. Gallia enim cùm quatuor habeat Mareschallos, qui sunt velut magistri equitum, & quæstionum militarium Judices: his omnibus eminet Connestablius quem nulla dignitas adæquat: solis enim magnis Principibus debita, quâ & Carolus Dux Borboniæ, gratiâ Francisci primi Galliarum Regis, priùs quàm ad Carolum Quintum transiret, perfunctus est. Erat huic viro corpus laborum, vigiliæ, algoris tolerans, supra quam cuipiam credibile est: animus audax, subdolus, sui obtegens, in alios criminator, juxtà adulatio & superbia, intus summa adipiscendi libido. Strenuus prætereà manu, sermone fallaci promptus, serendæ inter Principes discordiæ mirus artifex: negotia alia, atque alia ex alijs ducere, spes magnas ostentare, & ad se trahere, monere & quatere occultis artibus; certa pro ambiguis, & quod usquam ægrum apud dominantes aggredi, & firmare, & hoc adminiculo famam apud principem augere. Mirum viri ingenium, nullius consilio agi, nullis promissis servare fidem, nisi quantum ex usu rerum suarum esse putabat, ut pro consuetudine

Dignitas Connestablij.

Viri dotes vitiaque.

Indoles politici viri.

Dissolutio Hispaniæ.

cunctæ animæ pendent. Proceres, & Ecclesiastici imitati, quasi genus obsequij in tributum sacrare. Flagrabat soluto pudore impura venus, non virtuti, sed soli adulationi locus, & quò quisque in adulationem, & obsequia libidinum promptior, eò Juveni Regi gratior. Exuerat reverentiam in summum Pontificem. Prætereà Rex in hoc sceleratior, quòd non dubitarit suavissimum Sedis Apostolicæ jugum excutere; an non illo excusso sub jugum immanissimarum gentium venit? an non illo excusso, omne robur, & metuenda gentibus fortitudo bellica fuit enervata, & quasi misso sanguine contabuit. Ausus & impius Rex, ut uxore Protospatarij frui posset, qui apud Romanos Præfectus Prętoriæ cohortis nominatur, stipite percussum trucidare. Ausus prętereà per suos scelerum suorum conscios, severioris vitæ viros exagitare. Quid non molitur aula improba, Principis obsequijs delinita? Non distulit Divina Justitia. Vindictam. Regno ergo, & luminibus, & Cordulæ in perpetuis tenebris vinculisq; mancipatus miseram vitam absolvit, salutis anno 711. Regni decimo. Nec hic irarum Divinarum finis: incensus Deus & implacabilis, coronam Regni filijs hæredibus ademptam suffragio Procerum in Rudericum transtulit. Hic Rex animi, corporisque dotibus clarus, non adumbrata virtute celebratur. Corpus duris assuetum: animus erectus, magnorum appetens, tractatione rerum dexter, versandis animis hominum felix, Imperio denique sustinendo par. Verùm has omnes Regiæ mentis dotes libido intemperans, memoria injuriarum, & cetera vitia, non sine clade premebant. Causam novæ ruinæ, & Regis, & totius Hispaniæ cum supremo & exitiali funere dedit Juliani Comitis filia, nomine cava, quę Reginæ Egilonæ per obsequia in Gynæceo ministrabat. Sauciavit animum Regis species formosa corporis nudati, sicut Davidis Bersabeæ. Urit flamma medullas voratque, totus per venas furor vagatur, nullius rei cura subit; totus enim in amata vivit.

Libido causa ruinæ.

Quid agat? tot missilibus telis, quot aspectibus confixus: invicta Virgo, & inexpugnabilis, nec promissis, nec blanditijs cedens, invita tandem, ô pudor! vitiatur. Quanti tibi constabit Rex impie hæc brevis voluptas? magno voles inemptam, cum totam Hispaniam sanguine videbis inundatam. Ardens ergo dolore Virgo, literas violati pudoris mandat patri, properet in vindictam, & gladijs pereat sceleratus amor. Sum (inquit) tua filia; at non tua, utinam ea quæ fui! Virginis nomen mihi relictum, cetera adulter Rex tenet. Perijt corpus, ô utinam tantùm corpus! cum quo & animus. Cernes literas, leges non quales soles, sed violatæ. In me si placet, vel raptorem exige ferrum.

Julianus pater in Africa compositis rebus,

A totus ardens, dissimulato tamen furore ad Regem redit: admittitur ad omnia secreta regni.

Securum ergo Regem vafro consilio fallit, & aula, bonâ Regis veniâ, cum filia secedit. Cum Principibus in caput Regis conjurat, opes, & præmia victoriæ pollicetur, & in monte, qui ab incolis *Calderinus* nominatur; voce Arabica *mons proditionis*, aperit consilium prodendæ Hispaniæ Mauris; Tendit in Africam, Muzam Principem adit: ostentat spem certam potiundi Imperij, modicis auxilijs posse Regnum obtineri. Placuit Miramamolino supremo Maurorum Principi: id nomen apud Mauros summi Principis. Duodecim millia mittit armatorum, quæ prima victoriæ

Mauris datur Hispania.

B initia dederunt. Ecquid mirum? exarmarat vividum illud, & Martiale Gothorum robur, libidinum & vitiorum libertas: erant debilitati, enervatique animi, illi, quibus orbem terruerant, & vigor emollitus delitijs succubuerat.

Hæc tales invaserat omnium animos contagione corruptæ aulæ, à qua salus Reipub. petenda erat. Barbaris occurrit Sanctius Regis frater, vincitur, fugatur, & cum magna clade exercitus trucidatur. Occurrit Rex cum totius Regni viribus, octo continuis diebus, ijsdem vestigijs dimicatum est, deinde anno 714. totis viribus pugnatum, & Hispania tandem victa, barbaris in præmium cessit.

C Ruderici Regis equus, paludamentum, corona, calceique gemmis distincti ad Lethis ripam inventa. Rex aut in fuga occisus, aut in flumine mersus creditur. Solam Cantabriam Deus in asylum gentis, & spem futuri reservavit. Quæ mala tum non vidit Hispania? nulla erat facies malorum, quibus non premebatur: nullus erat cruciatus, quem à crudelibus non tolerarent Christiani.

Sic vindictâ serâ expiat Deus libidines Regum, & violatas Religiones, tam improborum, quàm innocentium supplicijs; ô quàm horribile est, incidere in manus Dei viventis! Contigit Hispaniæ quod Nabuchodonosori fortunæ Danielis 4. Qui

D per quietem, *vidit arborem in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor erat & fortis, & proceritas ejus contingens Cælum, & aspectus eius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius,* &c. *Et ecce vigil, & sanctus de Cælo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra finite. In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio; donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit*

Deus misericors Hispanis.

lucerit dabit illud, & humillimum hominum constituet super eum. Magna arbor Gothici Imperij cecidit excisa, anno Christi 714. Verùm Deus reliquit semen, & radicem in terra, ex qua nova arbor majo priore, quæ Solem orientem, & occiduum obumbrat, pullulavit. An non totus fere orbis sub magnitudine hujus arboris, sub ejus ramis, umbraque spatiosè fuit recreatus? Justitia erigit gentes, & pudicitiæ rigor conservat. Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Psalm. 32. Et videtur cælum nescio, quid deliberare. Nunc quoque prodigia rerum terruerunt orbem, tabulæ naufragæ tot Provinciarum, & earum turpis, & amissio, & desperatio recuperandi. Classis aureæ spoliatio, & cursus felicitas interrupta, Hispalis fœdo diluvio innatans; & undique lacerata, divulsaque pulcherrimi Imperij membra, quid nisi irati Dei flagella jam insonantia, vaticinantur? Deinde si quam auctoritatem Augurij, & Divinationis Hispania constituat, in campanæ sonitu quæ est in Oppido Celtiberiæ Vililla, & ab incolis vocatur *Campana miraculorum*, quæ motu proprio, nullo trahente concutitur, tanquam cladis imminentis prænuncia; dicitur sonitu suo has stupendas calamitates portendisse. Et sicut in Monasterio Bodkenensi tintinnabulum, suo sonitu nullo hominum ministerio denuntiat diem decretorium alicui sororum instare, quare & omnes ad mortem se comparant, (sic Gobel. in vita S. Meinulphi) quasi victima sit morti, & funera destinata. Sic & campana Celtiberica videtur horrido sonitu funus Hispaniæ denunciasse. Verùm quæ Deus castigat regna, castigat in virgis hominum, nec penitus aufert misericordiam suam: quæ enim terrarum, ita hæreses profligat, viros egentes sustentat? Angliæ perditæ subministrat in fidei conservationem alumnos, quæ sanctissimæ Sedi Apostolicæ obedientior, & pronior, Petri, in suo hærede pedes osculatur? Deus magne! junge illa duo pulcherrima regna stabili, & æterno fœdere. *Surget tunc novo gens aurea mundo.* Quid Galliâ potentius? quid Hispaniâ auriferâ opulentius? Eia nobilissimæ gentes, gentes quondam Romanæ Monarchiæ decus, robur, & dextera, Jungite dextras, date pacem orbi, non deest campus, non desunt regna, & Imperia vestris opibus, viribusque paranda. Totus gentium orbis patet Galliæ, hic sit exercitatio armorum, hic curriculum magnanimi sanguinis, hic palæstra athleticæ virtutis. Ergo projice tela manu, sanguis Catholice; cur stringitur ensis, & desævit in Catholicum sanguinem? ponite causas irarum, & illas Christi sanguini concedite.

Sonitus Campanæ malum omen.

Quid juvat perire Christianum, in Christi ludibrium? Nunquam atrocioribus populorum cladibus, magisve Justis judicijs approbatum est, esse Deo curæ Justitiam, & scelerum ultionem: quis credat hos casus fortuitos, qui plerumque fortuiti videntur? causas irarum dederunt vitia populorum, & Justitiæ neglectus: pacem det virtutum, & Justitiæ cultus.

§. XXVIII.

Horridum spectaculum Divinæ Iustitiæ in Politicos, quorum artes descri- buntur.

Magnorum virorum virtutes, ita & vitia in aperto sunt. Illarum faustus, horum cum exitio, infaustus exitus. Quàm Deus simplicissimus fictos, & simulatos oderit, qui bipartitâ mente, & commentitijs, servitijs in regum, & rerumpublicarum vigent ministerio, quibus nulla fides; nec ex honesto spes, & publica mala, in occasionem gratiæ suæque fortunæ trahunt. Unus Connestablius Franciæ dedit orbi & posteritati spectaculum. Quantus fuerit Connestablius, magnitudo muneris, & fortunæ conditio docet.

Ex Philippo Cominæo claro historico.

Hic comes sancti Pauli, primùm copiarum Burgundicæ domus sub Carolo Audace Præfectus, cui deinde Ludovicus undecimus Galliæ Rex detulit Connestabliatum; summum ab ipso munus, & suprema conditio. Gallia enim cùm quatuor habeat Marescallos, qui sunt velut magistri equitum, & quæstionum militarium Judices: his omnibus eminet Connestablius quem nulla dignitas adæquat: solis enim magnis Principibus debita, quâ & Carolus Dux Borboniæ, gratiâ Francisci primi Galliarum Regis, priùs quàm ad Carolum Quintum transiret, perfunctus est. Erat huic viro corpus laborum, vigiliæ, algoris tolerans, supra quam cuipiam credibile est: animus audax, subdolus, sui obtegens, in alios criminator, juxtà adulatio & superbia, intus summa adipiscendi libido. Strenuus prætereà manu, sermone fallaci promptus, serendæ inter Principes discordiæ mirus artifex: negotia alia, atque alia ex alijs ducere, spes magnas ostentare, & ad se trahere, monere & quatere occultis artibus; certa pro ambiguis, & quod usquam ægrum apud dominantes aggredi, & firmare, & hoc adminiculo famam apud principem augere. Mirum viri ingenium, nullius consilio agi, nullis promissis servare fidem, nisi quantum ex usu rerum suarum esse putabat, ut pro consuetudine

Dignitas Connestablij.

Viri dotes vitiaque.

Indoles politici viri.

§. XXV.

Anglia una ducentis ferè annis erit Palæstra, & arena, in qua dimicavit contra Reges Divina Iustitia.

ANno 1399. Regnavit duobus & viginti annis Ricnardus secundus. Hic ab Henrico IV. captus, consilijs suorum, ne per vim videretur regno spoliatus, redimitus corona Regia per ludibrium papyracia, vestituque ornatus Regio, sceptrumque tenens se regno abdicavit.

Quanta vis conscientiæ! plorans se depravatum errore juventutis, & voluptatum illecebris captum graviter in Rempub. peccasse, & eò redactum, ut nullus misericordiæ locus reliquus esse videatur, regni curas in Henricum transtulit. At quò prolapsa tanta Majestas? Vitam lachrymis orat, quâ etiam cum purpura exuitur. In Cantium ad Ledesceam arcem captivus Rex trahitur, ut oculis suorum subtractus, minore parricidarum infamia necari posset; inde (nunquam enim secura regnandi ambitio) Pontifractum ductus, & fame necatus. Constans fama est, alimenta Regia in singulos dies more Regio apportata fuisse, (ô crudelitas, crudelitate major!) at esurienti non permissa potestas, non solùm gustandi, verùm ne tangendi. Ecce sanguis Ducis Glocestris in carcere per vim strangulati poscitur, vindicatur, & in alia scelera peracta sævit Deus. Nemo sibi spondeat scelerum diuturnam impunitatem. Sequitur à tergo impios ultor Deus.

§. XXVI.

Stupenda Pompa Divinæ Iustitiæ.

Nepos Henrici Quarti tyranni.

Henrici VI. mors misera.

HEnricus sextus Regno inauguratus, summo applausu coronatur. Rege novo nihil castius, nihil sanctius, nihil ex omni parte beatius. Mirum dictu: sic invicto animo tolerabat adversa, quasi sui ipsius culpa contracta sibi immitterentur à à Deo. Devenit in adversariorum potestatem; inde liberatur. Iterum hostibus traditus, denuo eximitur, & regno redditur, & tandem regno exutus in carcere necatur, quis dejicit bis re-

A gno Regem sanctum, nisi Sanctus sanctorum, qui reposcit sanguinem innocentum in tertiam usque generationem? Scelus Henrici avi armavit iram Dei in nepotem sanctum, quem vitæ sanctitas æquare Divis potest. Mira Regis sanctitas maximè enituit in injuriarum summa patientia. nunquam vindictæ appetens, sed plena oblivione gratus in Deum obruebat injurias: putabat enim hoc pacto sibi sua crimina dilui, castigarique; nullâ enim re torqueri poterat, quàm solâ offensâ Dei. Sanguis Richardi clamabat ultionem in sanguinem Henrici Quarti Tyranni, de quo suprà fama est à Richardo Duce Glocestriæ, gladio percussũ, quò fratre suum Eduardum jam Regem hostilis metus redderet securum. Hic regnum occiso Henrico

Misera regis sancti.

B occupavit. An non stabit diu Regnum, quod parricidæ dextrâ paratum? Dabitis pœnas Rex Eduarde, & frater simul Richardus. Nullus ex ossibus sancti Regis exorietur ultor? orietur ex vestro ságuine quo polluistis dextras. Tu Richarde dabis pœnas tuo sanguine, & tu Eduarde filiorum tuorum.

Quid profuit fuisse superstitem sceleri tuo, tribus & viginti annis? at quàm brevis portio vitæ, & tormentum tam immanis flagitij? Percutitur ergo Eduardus incognito, inusitato morbo, & ignarus ruinæ suæ scribit fratrem Richardum tutorem filiorum, parricidam futurum. Ambitiosus ergò inva-

Mira Dei vindicta.

C dit dominatum, & per cædes Principum, Richardus, & jam homicida sperat Imperij firmitatem. Insane, non regnum sanguine; (quis enim postremum hostici stemmatis sustulit?) at virtute roboratur. Dei est tollere, & dare. *Per me Reges regnant*, inquit magnus Monarcha Proverb. 8. Aggreditur furiosus supremum scelus, dictat mortem Nepotum: horribile Imperium exequitur Jacobus Terellus, & Regios pueros inaudito necavit exemplo.

Quî sic immanissima fera jugulas tuos? quomodo parces externis? In Tyrannum conjuratur: Henricus ejus nominis septimus futurus Rex, bellum movet. Richardus pariter summâ vigilantiâ parat arma, exercitum instructum magnis præmijs invitat ad prælium. Verùm manibus suorum Nepotum

D agitatus pavidus, nocturnis spectris agitatur. Terribilis ergo species intempestivâ nocte obuersatur malorum Dæmonum, qui & animum, & consilium, & requiem eripiunt. Et quam requiem dabit æger animus conscientia scelerum? & tantò intolerabilior quò culpa gravior? In sinu circumfert hostem, hostili metu acriorem. Fluctuat bona causa Henrici, victoria inclinat ad hostem. Concurritur acriùs, at bonâ causâ freta novo subsidio in hostem invehitur, & inter confertissimos hostes Richardus prælians jugulatur. Processerat Tyrannus in prælium coronâ redimitus Regiâ, aut initium regnandi, aut finem facturus. Hanc inventam Stanleius Henrici imposuit

posuit capiti, quasi more majorum Rex fuisset renuntiatus. Sævijt & Divina Justitia in Tyranni corpus, quod omni nudatum ornamento, dorso equi impositum, capite, & brachijs, ac cruribus utrimque pendentibus, & biduo post, terrâ humatur. Regnavit annos duos, & totidem dies, plusque die uno. O Impie, quid regnasse profuit? magno emisti breve gaudium, & brevi gaudio perenne malum. Et quid ille fortunæ humanæ ludus, nisi Theatrum Divinæ Justitiæ, scelera impiorum vindicantis? & quamvis intactas videatur ad tempus præterire domos impiorum, circumferunt tamen illi conscientiam ultricem scelerum. Simul ac impius se scelere maculavit suo, & piscis hami dulcedine inescatus, redditur captivus Justitiæ Divinæ, nec ab illa nisi ad orbis terrorem dimittitur. Contigere hæc anno M. C. C. C. C. LXXXVI. Vide Polydorum Virgilij, & alios scriptores.

Prætermitto aliud horrificæ justitiæ lugubre spectaculum, quod Rex Carolus trium regnorum potens, à suis subditis, non armis, sed florentis pacis statu, captus, mortis reus, capitisque dictâ peroratâque causâ damnatus, suo sanguine, forensi in theatro purpuratus exhibuit. Cur autem Deus in tantum principem, totque avorum coronis radiantem, adeò inusitato fulmine, & exemplo detonuerit, non est nostri instituti delibare. Unum scio, Quod regum tremendorum in proprios greges Reges in ipsos imperium est Dei.

Discat orbis, hoc ictu fatali, quo totus orbis territus mutusque intremuit, magnum Deum humanis imperijs præsidere. Finem Tragœdiæ dedit Januarius anni 1650. Quo caput Ecclesiæ truncatum cecidit.

§. XXVII.

Ex Anglia migremus in Hispaniam.

Vide Baronium. Vide P. Marianum.

Bis Divina Justitia cum ingenti fragore, & ruina miserabili in Hispaniam anno Christi 409. Primùm Honorij. 15. Papæ, Innocentio Octavo detonuit, Hispania, inquam, Romanis quondam cum Gallia Imperij, dextra, humerus, & robur invictum. Audi Salvianum lib. 7. de providentia Dei, qui ubi Gallorum scelera est prosecutus, quibus in se Divinam iram concitarunt; addit. Quid Hispanias? nónne vel eadem, vel majora vitia perdiderunt! quas quidem Cælestis ira, etiamsi alijs quibuslibet tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandum illis impudentiæ damnationem, ut Wandalis potissimum, id est, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captivitate, Deus ostendere voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cùm & Wandalos ob solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos maximè ob solam vel maximè impudicitiam subjugaret. Quid enim, non erant in orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? Multi absque dubio, imò ni fallor omnes: sed ideò infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet non vires valere, sed causam, neque nos tunc ignavissimorum quorundam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari: ut verè venerit in nos dictum illud de quo ait, *Secundùm immunditias suas, & iniquitates suas feci illis, & averti faciem meam ab eis.* Idem Salvianus pergit paulò inferiùs: *Quid*, inquit, *nobis prodesse prærogativa illa nominis potest? quid nos Catholicos esse dicimus? quid fideles esse jactamus? quid Gothos ac Wandalos hæretici nominis comprobatione despicimus, cùm ipsi hæreticâ pravitate vivamus?* itaque rectissimè dicitur illud, quod Iudæis in lege fidentibus dixit sermo Divinus: *Quomodo dicitis: Sapientes sumus? Lex Domini nobiscum est? nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini* Quoniam si benefeceritis vias vestras, & studia vestra, etiamsi sanguinem innocentem non fuderitis, in hoc loco *habitabo vobiscum.* quo utique ostenditur, quod si ista non facimus, superflua nobis Catholici nominis præsumptione plaudamus. Vide Auctorem. Mirum, & pavendum Dei consilium, quo Catholici traduntur hæreticis, cùm hæresis sit omnium scelerum summũ atq; ultimũ. Quare & æltimo Angliam florentissimam olim viris, & sanctitate, supremo supplicio, miseriaque damnatam, cùm Deus fidei privatione multarit. Deinde anno Christi 713. majori clade detonuit in Hispaniam, furor Dei, & eam communi naufragio obrutam penè funditus profligavit, atque pessumdedit. Duo libidinosi Reges, Imperium Gothicum suis flagitijs perdiderunt. Primus Witiza Rex, & alter Rudericus, qui exitium Gothico regno attulit. Witiza in omnes libidines effrænis, præcepsque proruebat. Ætas juvenilis, & lubrica fræni impotens, more Turcico, magno numero concubinas uxorum justarum loco cultuque fovebat. Vita Principis, libertatem peccandi dedit: an non hoc est scelera sceleribus tueri? ô quantum in Principis scelere scelus? An non suo motu, exemploque dixero, ut primum mobile Cælos, rotat, & rapit, ita orbem in suos mores regis vita? Quot pœnas dabit una anima, à qua

Quid prodest nomen fine re.

Strages Hispaniæ.

luerit dabit illud, & humillimum hominum constituet super eum. Magna arbor Gothici Imperij cecidit excisa, anno Christi 714. Verùm Deus reliquit semen, & radicem in terra, ex qua nova arbor majo priore, quæ Solem orientem, & occiduum obumbrat, pullulavit. An non totus fere orbis sub magnitudine hujus arboris, sub ejus ramis, umbraque spatiosè fuit recreatus? Justitia erigit gentes, & pudicitiæ rigor conservat. Non salvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Psalm. 32. Et videtur cælum nescio, quid deliberare. Nunc quoque prodigia rerum terruerunt orbem, tabulæ naufragæ tot Provinciarum, & earum turpis, & amissio, & desperatio recuperandi. Classis aureæ spoliatio, & cursus felicitas interrupta, Hispalis fœdo diluvio innatans; & undique lacerata, divulsaque pulcherrimi Imperij membra, quid nisi irati Dei flagella jam insonantia, vaticinantur? Deinde si quam auctoritatem Augurij, & Divinationis Hispania constituat, in campanæ sonitu quæ est in Oppido Celtiberiæ Vililla, & ab incolis vocatur *Campana miraculorum*, quæ motu proprio, nullo trahente concutitur, tanquam cladis imminentis prænuncia; dicitur sonitu suo has stupendas calamitates portendisse. Et sicut in Monasterio Bodkenensi tintinnabulum, suo sonitu nullo hominum ministerio denuntiat diem decretorium alicui sororum instare, quare & omnes ad mortem se comparant, (sic Gobel. in vita S. Meinulphi) quasi victima sit morti, & funera destinata. Sic & campana Celtiberica videtur horrido sonitu funus Hispaniæ denunciasse. Verùm quæ Deus castigat regna, castigat in virgis hominum, nec penitus aufert misericordiam suam: quæ enim terrarum, ita hæreses profligat, viros egentes sustentat? Angliæ perditæ subministrat in fidei conservationem alumnos, quæ sanctissimæ Sedi Apostolicæ obedientior, & pronior, Petri, in suo hærede pedes osculatur? Deus magne! junge illa duo pulcherrima regna stabili, & æterno fœdere. *Surget tunc novo gens aurea mundo.* Quid Galliâ potentius? quid Hispaniâ auriferâ opulentius? Eia nobilissimæ gentes, gentes quondam Romanæ Monarchiæ decus, robur, & dextera, Jungite dextras, date pacem orbi, non deest campus, non desunt regna, & Imperia vestris opibus, viribusque paranda. Totus gentium orbis patet Galliæ, hic sit exercitatio armorum, hic curriculum magnanimi sanguinis, hic palæstra athleticæ virtutis. Ergo projice tela manu, sanguis Catholice; cur stringitur ensis, & desævit in Catholicum sanguinem? ponite causas irarum, & illas Christi sanguini concedite.

Sonitus Campanæ malum omen.

Quid juvat perire Christianum, in Christi ludibrium? Nunquam atrocioribus populorum cladibus, magisve Justis judicijs approbatum est, esse Deo curæ Justitiam, & scelerum ultionem: quis credat hos casus fortuitos, qui plerumque fortuiti videntur? causas irarum dederunt vitia populorum, & Justitiæ neglectus: pacem det virtutum, & Justitiæ cultus.

§. XXVIII.

Horridum spectaculum Divinæ Iustitiæ in Politicos, quorum artes descri-buntur.

Magnorum virorum virtutes, ita & vitia in aperto sunt. Illarum faustus, horum cum exitio, infaustus exitus. Quàm Deus simplicissimus fictos, & simulatos oderit, qui bipartitâ mente, & commentitijs, servitijs in regum, & rerumpublicarum vigent ministerio, quibus nulla fides, nec ex honesto spes, & publica mala, in occasionem gratiæ suæque fortunæ trahunt. Unus Connestablius Franciæ dedit orbi & posteritati spectaculum. Quantus fuerit Connestablius, magnitudo muneris, & fortunæ conditio docet.

Ex Philippo Comineo claro historico.

Hic comes sancti Pauli, primùm copiarum Burgundicæ domus sub Carolo Audace Præfectus, cui deinde Ludovicus undecimus Galliæ Rex detulit Connestabliatum; summum ab ipso munus, & suprema conditio. Gallia enim cùm quatuor habeat Mareschallos, qui sunt velut magistri equitum, & quæstionum militarium Judices: his omnibus eminet Connestablius quem nulla dignitas adæquat: solis enim magnis Principibus debita, quâ & Carolus Dux Borboniæ, gratiâ Francisci primi Galliarum Regis, priùs quàm ad Carolum Quintum transiret, perfunctus est. Erat huic viro corpus laborum, vigiliæ, algoris tolerans, supra quam cuipiam credibile est: animus audax, subdolus, sui obtegens, in alios criminator, juxtà adulatio & superbia, intus summa adipiscendi libido. Strenuus præterea manu, sermone fallaci promptus, serendæ inter Principes discordiæ mirus artifex: negotia alia, atque alia ex alijs ducere, spes magnas ostentare, & ad se trahere, monere & quatere occultis artibus: certa pro ambiguis, & quod usquam ægrum apud dominantes aggredi, & firmare, & hoc adminiculo famam apud principem augere. Mirum viri ingenium, nullius consilio agi, nullis promissis servare fidem, nisi quantum ex usu rerum suarum esse putabat. ut pro consuetudine

Dignitas Connestablij.

Viri dotes vitiaque.

Indoles politici viri.

consuetudine sua cautè, simulatè ageret, fidensque se posse rationes invenire, non malas quibus Principes, seduci & placari se paterentur.

Hæc est natura turbidorum ingeniorum, ut non tam præmijs periculorum, quam periculis lætentur, studeantque Principem novis curis, periculisque objicere, quo se stabiliant. Mirus dolus horum Politicorum: dum enim anxij Principum videntur, aliud prætendendo sibi potentiam comparant. Hâc arte sibi Seianus primam parando regno viam aperuit, dum vim præfecturæ modicam antè, intendit, & validam effecit. Validam autem effecit, dum cohortes Prætorias per urbem dispersas in castra conduxit, ut simul Imperia acciperent, & numero, & robore fiduciam Principi; & populo metum crearent. Persuasit astuto, & vafro Principi: & Tiberius suis artibus captus castra perfecit, militemque deduxit, Seianique consilium sermonibus apud Patres, populumque celebravit. Militem inter urbis delitias lascivire, validiorem procul urbis illecebris, molliorem verò theatrali licentiâ permixtum, severiùs haberi inter arma. Deinde quod summa rerum, si quid subitum ingruat Principi, majori auxilio subveniri.

Vaferrimus dolus Seiani quo Vaferrimum Principem decepit.

Quis mortalium intenderet dolos hîc arcanos? hac arte homines novi sibi potentiam struunt, dum aliud prætendunt, ut sibi eam comparent. Seianus ergo paulatim irrepere in animos militum, adeundo, appellando, diligere ipse Tribunos, Centuriones beneficijs, obsequijs & donis devincire. Quin imò & ipsum Tiberium ita sibi astrinxit, adeò ut adversus alios obscurum, sibi uni incautum, intectumque efficeret. Potitus erat dominatu, nisi suis artibus, quibus viguit, cecidisset: cecidit ergo. Regibus visus est imperasse. O miserum Belgium! orbis ocellus, quibus & tu artibus Politicorum ruis?

Sentient aliquando fortunam Politici, nostri fortunam Connestabilij, ad quem redeo. Hic cùm tantus esset, impotens suæ fortunæ, multa animo voluere, trium Principum studia, in partes distrahere. Regem Ludovicum in Carolum Burgundium concitare: deinde Regem offensum, studijs mitigare: Carolum ludificari spe sancti Quintini potiundi; deinde & se purgare. Perfidus denique, & Odoardum per varia consilia tentare, à Gallis divellere.

Exitus Comitis.

Sensit ergo tres Principes infestos, Ardet ultionem Carolus, ardet & Ludovicus, in mortem proditoris per pacta conjurant, & Ludovicus pacto ingentis summæ vinxit Carolum. O miseram conditionem Connestablij, qui pro honestis, & præsentibus, flagitiosa, & incerta expectavit! Quàm alto cadit fastigio, qui felicior

A Seiano videbatur. Cæcus ergo & ignarus instantis exitij, se fidei Caroli committit. Is violatâ dextrâ fideque prodit captivum Ludovico, qui ultionis avidus, & in mortem præproperus judices in sententiam urgebat, datâ sententiâ capitis, publicè capite, diminutus fuit. Flagitiorum ergo pœnas dedit. Rex verò cædis potitus injuriâ, festinatæ iræ, & Carolus perfidiæ, quod non metu, sed cupiditate impulsus necandum tradiderit, condemnatur. Mox autem magnitudo, à patrato scelere, in deterius ire, & ad interitum magnis passibus contendere: quæ enim magnitudo, magna Deo? esto, sint Principes potentiâ, velut propugnaculo munitissimi, ita ut nullam vim pertimescant, meminerint vim Divinam regnatricem, quæ illos quasi concitatâ tem-

Maxima res subito cadunt.

B pestate, exagitat, involvit, atque evertit. Insignem spectas rerum, in regnis mutationem? Disce non casu, sed à Deo scelerum vindice concitari. Nullum inultum exitium, sine exitio. Meminerint se mortales, & hominum officio fungi, satisque habere si locum Principem impleant, excubent pro Justitia & Republica, & Pastorum more subditos regant, nec in luxu, & voluptatibus vitam inertem traducant: sint publicarum rerum providi, nec periculorum, nec offensionum pavidi; virtutes suas posterorum memoriæ tribuant: hæc enim in animis subditorum sunt exempla, hæ pulcherrimæ effigies mansuræ.

Quales sunt veri reges.

C Adulationes saxis, & libris impressæ, ut herbæ Diariæ vanescunt, an non illas judicium posteriorum in odium virtutis damnat in ludibrium? & pro sepulchris aspernantur?

Quid prodest aut marmore, aut ære finxisse vultus? simulachra vultus imbecilla sunt ac mortalia, ut ait Tacitus in Agricolæ vita. Forma mentis æterna, quam tenere, & imprimere non per alienam materiam sed moribus suis Princeps potest. Unum Principi insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam, meminerint contempti, contemni virtutes. Connestablium ergo evertit Deus, ut præclarè & Philippus Cominæus lib. 6. circa finem. Judicandum, inquit, iratum fuisse Deum, & graviter offensum. Et si de consilijs arcanis

Principis vita qualis.

D fas esset ulli homini pronunciare, diceres illum irritasse iram Dei adversùm se hâc unâ re potissimùm, quod per omnem vitam, mente & animo totus in hoc fuerat, ut perpetuum aleret bellum. Nam in eo positam esse putabat suæ dignitatis materiam ac veluti segetem. Segetem ergo dissidiorum suis consilijs disseminans, in suum caput illa retorta sentit. Deinde quæ mala non redundârunt in Carolum? Quæ in nostro orbe familia Burgundica stetit aut felicior, aut honoratior? Quatuor ex Principibus ex ordine regnantibus, perpetuo

eoque

eoquè felicissimo rerum successu cursum tenuit, centum, & amplius annos. Videatur Cominæus libro 7. An non in Carolo, ut ait idem Philippus, omnium Principum longè clarissima familia, puncto temporis ante Nanceium concidit prostrata? proditus tantus Princeps, à Campobachio proditore; proditus injuriâ Connestablius, proditus & Carolus: uterque exitu inglorius: hic ignoto vulnere, alter carnificis. Sic voluntas utriusque scelere quæsita pœnas dedit: Deus autem ultor seras reposcit pœnas. Væ hypocrytis! væ illis qui corde, & corde loquuntur! Malè æstimatis de Deo, si putetis domos firmari dolosis artibus. Fulgor honorum, & veræ opes, virtutis sunt auctoramenta. Spuria vitulamina non agent altas radices. Et quomodo agerent quas Deus non plantavit? Væ iterum Politicis, qui ita insequere se judicijs Principum, ut spes, votaque sua non priùs ad Deum, quàm ad Principum aures conferunt. Væ vobis Politici, ut intonabit in vos Deus horrenda sua judicia, qui damna religionis postponitis status conservationi, & religionem vultis ancillatricem. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Psalm. 126. Duo sunt Principibus exitialia, præ alijs; Primum, contemptus Religiosorum, injusta bonorum Ecclesiasticorum usurpatio, detentioque: qui enim Religiosos persequuntur occultis artibus, cum sui juris diminutione, an non statuunt se censores Ecclesiasticæ libertatis, atque illi? graviter præjudicant?

Carolus audax proditus miserè interijt.

Duo principibus exitialia.

An non prophana audacia lacerant vestem Christi, cùm Christi patrimonium, vel iniquè usurpant, vel propagationem Divini cultus perturbant impediuntque? Unus Belisarius Imperatoris Justiniani Dux felicissimus omnes Principes, & Politicos terreat, qui ut manum misit in Pontificem, ut hæreticæ Imperatrici studeret, ex summa felicitate, quæ ferè totum orbem per victorias illustrarat, in ultimum miseriarum cecidit devolutus. Bene Scriptura sacra: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Zachariæ 2.

Unde Belisarij sua ruina post tot claras victorias.

Alterum quod Principes evertit, est fœderis, & fidei datæ violatio. Docuit hoc Carolus, cum vitæ, & pulcherrimi Imperij sui damno.

An non proditus à Campobachio Comite Neapolitano, ingratissimo in Carolum, hospitem, quem & Ludovico, & Duci Lotharingiæ, aut vivum, aut mortuum despondet. Nunc vide quàm infortunata Regum conditio, ut quos extulerint, sentiant hostes. Impius ter & amplius, proditor, perjurus, dextræ datæ & fidei violator, qui in prælio fidus specie, hostis exitu fuit, & signorum desertor.

§. XXIX.

Ultima scena Iustitiæ vindicativæ, circa tria regna.

Finem hujus tractatus dabunt trium summorum Principum, summique stemmatis familiæ, totius orbis eminentissimæ: ipsæ, Deum, humana omnia, & singula curantem incubanti providentiâ, docebunt.

Nos perangustè, & confertim, quæ ab alijs Scriptoribus, incorruptam fidem professis, dilatantur, coarctabimus. Rogo, ut placeat veritas infracta, nec libidine assentandi enervata, nec odio adversus dominantes acerbior.

Historici obligatio.

An non adulatio, fœdum servitutis crimen, & malignæ acerbitati, falsa inest species libertatis? Rara temporum felicitas, ubi sentire quæ velis, & quæ feceris, ex vero dicere liceat, quò Divinæ prouidentiæ opera pulcherrima elucidentur. Scio solvi Imperium, cujus arcana evulgantur. At Dei Majestas & Imperium, evulgatione arcanorum, si quando ratio & causæ eventuum noscuntur, magis enitescit, ut Psalm. 50. *Vincat Deus cùm iudicatur, & iustificetur in sermonibus suis.* Voluit Deus famam magnorum Principum in posteros transmitti, tanquam præmia suæ vigilantis providentiæ pulcherrima, obstrepentibus nequidquam Atheorum vocibus & simul allatrantibus nunquam interitura. Omnes isti, qui bonum publicum simulant per religionis speciem, pro sua potentia certant; at degeneri & ruituro fundamento subnixi. Deus domos, & regna mensura, fabricat, servatque.

Opera Dei vulganda.

§. XXX.

Æternum exemplar dabit Polonia, Germania Francia.

Tantâ virtutis famâ floruit magnus magnæ Lituaniæ Dux Jagello, ut Christiani Poloniæ Principes, Christianis Principibus sepositis, totius Poloniæ sacrum diadema, nondum Christiano detulerint. Hic Divinâ luce collustratus, Christo nomen dedit, & Ladislaus à sacris undis nuncupatus.

Quantum instar in uno, in novo Principe? Prima cura fuit, Deum respicere. Placuit religionem Christianam, in suis terris propagare. Quid æquius, quàm eum colere,

lere, à quo sis ad summam rerum evectus! Ingenti ergo consilio, & sacro astu, sacra, cæremonias, omnemq; Dei immortalis cultum, non solum inducere, verum etiam docere, barbaram gentem, & ferocem bellis, armisque indomitam, donis, & invitamentis honorum mollire, ad se pellicere, arma procul habere, aurum & opes, bellorum primas causas, in pacis bonum largiri: eò denique ferocem populum redegit, ut idolis abjectis, verâ religione atque Justitiâ gubernaret, & Christi imperio se subjicere: celebratis enim comitijs, anno 1487. cultus idolorum excisus, mandato Regis, sacer ignis exstinctus, templum araque unde oracula ab impio sacerdote dabantur eversa Viluæ. Magno ad hanc victoriam adjumento fuit, lucos, arboresque sacras, imò & serpentes à Christianis populis succidi necarique, incolumi & innoxiâ manu, & quamvis cupidine vindictæ nonnumquam mardescerent barbari, metu tamen tardabantur: tacito quippe defixi stupore à Dijs suis, non torqueri fulmina in sacrilegos mirabantur.

Mira sanctitas Jagellonis Principis Poloniæ.

Quomodo, inquiebant, si Dij sunt, hanc dissimulant injuriam, & lædi suum cultum à scelestis patiuntur? quis nostrûm, cui insuevimus cultum, inultus violarit, & illi & Deos quidem invadunt, flammisque donant intacti. Destinata ergo sic retinens Jagello lętissimis successibus totam Lituaniam ad Christi fidem traduxit, eamque Regiæ coronæ æternâ fide, & vinculo junxit. Vide Cranzium libro 9. Vandaliæ Crommerum libro 15. & Sanginum in Lituania. Felix Lituania, & felicissima Polonia tanto Principe, qui facem veritatis Divinæ, tenebris intulit, nec dedecori habuit, Apostolica munia peragere, rudes barbaros ignarosque fidei, docendo, cùm linguæ Genticæ Christiani sacerdotes essent ignari.

Fundator suæ familiæ.

Quantum ergo decoris, quantum præmiorum non tulit Rex tantus? Educatrix Regum, & familiarum magnarum sapientia eò provexit hunc Regium sanguinem, ut in regno altiùs ire non possit, tantæque sit Majestatis, quanta maxima esse possit. Audiamus Martinum Crommerum in oratione funebri, optimi ac maximi Principis Sigismundi, ejus nominis primi, M.D.XLVIII. Calendis Aprilis defuncti. Nemo, inquit, tam hospes in Polonia ac in toto Septentrione, cui non creditum de familia Jagellonia, quæ jam supra centum, & quinquaginta annos apud nos regnat. Hæc ille fortunatissimus omnium Principum Princeps Sigismundus, qui justitiâ, & verâ religione, regnum tutatus est: quæ regnorum vere sunt fundamenta, annis duobus, & quadraginta; nec mirabile videri si pacatissimum filio regnum transmiserit, cùm omnia ferè regna dissidijs quaterentur: *Qui enim habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei Cœli commorabitur.* Vallum, & firmissimum regnorum munimentum est pietas. Quare priusquam finiret jam natus octoginta duos annos, filio suo instar Davidis morituri, qui filio Salomoni suprema verba, eaque gravissima tanquam familiæ suæ dotalia, vel felicitatis, aut ruinæ auguria legavit. *Fili mi,* inquit, *Dei cultum, & religionem à majoribus nostris acceptam, & per tot annos servatam tuere atque complectere. Non ignoras Fili mi quo successu, quâ felicitate, quantâq; gloriâ nos tam diu regnavimus, id totum Deo optimo. Maxim. quem sedulò riteq; coluimus, acceptum refero.*

Sigismundus primus Rex Poloniæ toto orbe famosus.

Moriturus quæ mandata filio dederit.

Religio totamina fortus.

A

Existimare autem debes, neque regnum, neque quicquam omnino sanctum, & inviolabile esse posse, ubi religio labefactatur. Habes omnes majores tuos, tanquam veram effigiem pietatis; illi non tam armis, quàm pietatis præsidijs ad veram sunt gloriam grassati, tunc senties manifestam defectionem si à vera fide, & timore Dei defeceris. Successit Patri filius Sigismundus ejus nominis secundus, qui Principum voluntate, atque totius gentis, puerulus diademate coronatus, & ultimus familiæ suæ tot Heroum, Principumque hæres. Introspiciamus fortunam florentissimæ familiæ, cur magnus Deus, & terribilis illam tot suis muneribus, favoribus cumulatam deseruerit? Illigavit se triplici connubio in spem masculæ prolis: negavit Deus.

Regna absque religione ruunt.

B

Cur Deus deseruit tantam familiam.

Quid peccati provocavit iram Dei, qui per tot annos propitia dextra texerat clarissimum stemma? quo scelere lacessivit Cælum Sigismundus Augustus, filius sanctissimi patris, ut in illo stemma masculum concideret? Audiamus Florimundum Raimundi æquissimum Historicum. Ardebat facibus hæreseos Lutherianæ Germania, & favillas sui incendij in Poloniæ fines mittebat. Sensit hos astus Sigismundus primus Rex Poloniæ, qui non solùm ab omnibus Christianis Principibus, verùm à Solimanno, Pater communis vocabatur. (Tanta est virtutis potentia.) Intentus ergo incolumitati fidei, indictis comitijs ex omnium voluntate statuit vulgatque legem, quâ hostis Dei, & hominum, & reus læsæ Majestatis Divinæ, & humanæ, deinde & proditor Patriæ, & omnibus bonis spoliandus, simul honoribus judicabatur, quicumque ab antiqua fide recessisset.

C

D

Hoc fræno vincta Polonia stetit inconcussa quamdiu Sigismundus superstes. At Patre functo, filius discors animi, in nobilitatis studium pronior quàm senatorum sapientiam, languidâ regnans manu, hæresimque dissimulans: portam perruptis legum repagulis, Luthero aperuit, & nobilitas curiosa per Germaniæ corruptas urbes dispersa; in patriam reversa, venenum quod biberat, in patriæ viscera effudit. Placuit libertas: displicuit rigor legum, instituta Sigismundi senioris aut abrogata, aut convulsa; querelæ Episcoporum rejectæ cum

Sigismundus secundus degenerat.

cum dedecore: nullus legibus honor: nulla aut perexigua cura religionis, varij libelli incertis auctoribus vulgati in exitium fidei, quibus Clerici diffamati. Hisce initijs, & arte gravissimum exitium irrepsit. Deinde cùm videretur aliquorum exustione malum compressum, exarsit ferocius, cunctaque corripuit. Rex interim dissimulatione cuncta corrumpere, in exercendis legibus languere, placere Principibus, vitiatis indulgere, circumspicere & metuere illorum potentiam; medelam & remedia rebus desperatis procrastinare.

Quare & Rex *Giotron*, id est crastinus nuncupatus. Ausus est & Rex postulata hæreticorum, quibus templorum fabricam urgebant, audire. At Cælum impatiens tanti sceleris in domum totius concionis detonuit, fulminaque contorsit, & cætum nebulonum dissipavit.

Tonitru cælo missu in domicilium hæreticorum.

Audi Sanctissimum Cardinalem Hosium tractatu de hæresi ad ipsum Regem. *Memineris*, inquit, *Rex*, *Hæc fulmina iræ Divinæ prænuncia, non solùm in sceleratam Curiam impiorum dogmatum vibrata, quibus Deus ipse scelestos suis minis condemnat, verùm caput suæ Majestatis petendum: tonitru Divinæ Iustitiæ, nisi teipsum ruinæ & naufragio Patriæ objeceris impendere.* Fractus ergo Princeps metu humano, dissidium quod verebatur, regno intulit, & dissimulatione quos sperabat fidos, perfidos & infestos sensit. Circumspice Lector pulcherrimi regni, & Christianissimi statum, in quo ea floruit sanctitas, & veneratio passionis Dominicæ, ut nefas & inusitatum, oculis Principum Polonorum fuerit cum justè Sigismundo solverentur epulo Regio, die Mercurij (cujus est memoria sacra in Christi venerationem à Juda venditi) carnes inferre, quarum abstinentiâ illum usque diem religiosissimè celebrata.

Poloni diebus mercurij carnibus abstinere consueti.

Tantæ venerationis prisca pietas. Quàm fortunatus hic Princeps, si Patris, & majorum virtutes, suis virtutibus illustrasset. Nunc autem exstinguitur, cum lugubri totius familiæ occasu, secumque suo sepulchro condit inglorius tot familiæ parta decora: temperavit tamen Deus ultionem, & ne totius stemmatis memoria concideret, in muliebri sanguine continuat dominantem domum, in Sigismundo tertio per maternum genus Jagelonici sanguinis. Mirabilis Deus in consilijs super filios hominum.

§. XXXI.

Alterum exemplum dabit Germania.

Quanta sit fortuna, nobilitas unius domus Austriacæ, quantique rerum prosperarum successus, qui ferè fidem excedunt, nemo ignorat. Natus est 1218. Rudolphus, qui primus, in religionis præmium, suæ genti, summum fastigium gloriæ & dignitatis intulit, & per undecim regnantium dextras, sceptra continuavit. In hoc ordine regnantium fuit Maximilianus ejus nominis secundus, qui natus Viennæ anno salutis CIↃ IↃ XXVII. raro humanæ felicitatis exemplo intra anni spatium, trium regnorum diademate est coronatus; Bohemici, Romani, atque Hungarici. Verùm rarioris felicitatis, pulcherrima suæ Dominationi subsidia, & tuta munimenta Imperij, quibus insistere posset, quinque scilicet filios, maximos in spem Principes generasse, *Non enim legiones*, ut ait Tacitus libro quarto Histor. *Non classes, perinde firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum; nam amicos tempore, fortunâ cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maximè Principibus: quorum prosperis, & alij fruantur, adversa ad junctissimos pertineant.* Stabat ergo domus tot columnis subnixa, & lætam propagationem sui generis, imperijque per sæcula promittebat. Vidit ergo nostra ætas Rodolphum secundum: vidit & Mathiam, qui 6. vidit & Albertum Belgarum Principem virtutum claritudine omnes supergressum, qui fratri Ernesto, qui tantum terris Belgicis ostensus, successit, vir impenetrabilis pudicitiæ; in cujus Aula, nulla fœmina nidum fixit, vide vitæ Elogia. Vidit & Germania Maximilianum sacri ordinis Teutonici supremum Ducem. Singulis diademata nova, orbis ominari videbatur; adeò fama, verâ spe bonarum artium atque felicitatis futuræ populos impleverat.

Maximilianus felicissimus Imperator.

Familia dat Deus claros liberos.

Has spes cur destituerit Deus, scriptores varij, rationes quas sepono, allegant, & cæli judicio permitto. Constat tamen ab ipso Maximiliano? cùm tantus esset, graviter Pium Quintum summum Pontificem, & Religionis Catholicæ acerrimum vindicem fuisse offensum, ut docet Gabutius nobilis scriptor in vita Pij Quinti libro secundo capite primo. Qui sic scribit. Quæstio erat definienda in Imperij comitijs Augustæ Vindelicorum, quâ viâ & ratione Christiana Religio, ad meliorem, ac rectiorem intelligentiam, seu formam

mam reduci posset. Quod sanè consiliū haud omnino sanum, cùm sacris legibus repugnaret, & prorsus derogaret sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ auctoritati, ad quam unam utpote omnium Ecclesiarum magistram, ac judicem pertinet sacræ Religionis dogmata declarare ac constituere! Magnum inde gaudium hæreticis & novis sectis, quippe qui Cæsaris animum in sua ipsorum studia propensissimi videre viderentur ob idque erant futura comitia frequentissima. Hoc periculum ut averteret, sanctissimus Pontifex, commendonum Cardinalem, virum summâ prudentiâ præditum, ex Polonia reducem novo Imperio destinat ad Maximilianum, & Proceres omnes, ut omnes conveniret, & priusquam res in comitijs ageretur, coram Imperatore, atque omnibus Principibus publico in cōsessu graviter denuntiaret, nisi eam cogitationem abjicerent, futurum ut Pontifex omnem auctoritatem in eos Principes tam laici quàm sacri ordinis reprimendos, exerceret, & multo magis in ipsum Cæsarē, quem & imperio, & ditionibus, & omniū jure successionum, & quibuscumque prætereà rebus potiturum ille se consideret, esset facile privaturus. Hæc Gabutius. An non fulminis instar unius viri virtus armata Deo cunctos perterruit? Pius ostendit, quantum vir possit unus. Audiamus quid senserit Torselinus, qui lib. 10. Hist. à Christo nato anno M.D.LXV. sic scribit: Interea Maximilianus Cæsar confessionem Augustanam à Lutheri discipulis conflatam, Proceribus, & Austriæ nobilitati concesserat; sed Pij Pontificis denunciatione perterritus nefarium diploma revocavit. Ferunt Cæsarem dixisse, visum sibi loquente Legato Pontificis, Pium flagellum intentantem. Deinde Maximilianus anno Principatus X. decessit ambiguâ fama. His scriptoribus adstipulatur Reverendissimus Dominus Spondanus tom. 3. in anno Christi 1568. Pij V. 3. Maximiliani 4. Hoc eodem anno mense Augusto, proceribus, & nobilitati Austriacę concessisse dicitur, quod olim denegasse vidimus liberum exercitium confessionis Augustanę, in oppidis, arcibus & pagis eorum, in præmium obtentæ ab Ordinibus Austriæ liberationis ingentis æris alieni, quod & bellum Turcicum contraxerat. Quod cùm audisset Pius V. Maximilianum in eo esse ut ejusmodi concessionem elargiretur, confestim Cardinalem commēdonum ad eum legavit, ut in tempore si fieri posset, id impediret, sin vero jam factum esset Apostolicâ auctoritate denuntiaret, Pontificem omnibus execrationibus, Ecclesiasticisque pœnis in eum animadversurum, ipsumque Imperio privaturum, & alium in ejus locum curaturum, nisi ejusmodi decretum ilicò rescidisset. Scribensque itidem ad Regem Hispaniæ hortatus est, ut Maximilianum Patruelem & sororium suum ab eo facinore adeò Religioni Catholicæ detri-

A mentoso & familiæ Austriacæ ignominioso deterreret. Quod & Rex pro sua pietate præstitit scriptis pluribus ad eum literis. Hæc Reverendiss. & dignus vitâ Spondanus. Visus est tantus princeps familiæ suæ cælestis iræ indignationem accersivisse, dum languidâ manu curavit avitam Religionem, cujus solius unico & fortunato præsidio, in tantam magnitudinem familia Austriaca crevit, ut utrumque solis Imperium, adæquet suo. Timeant reges Religionem sacram, Dei illibatam sponsam contingere, multo magis violare, qui enim Ecclesiam Virginem sibi despondit, non patietur inultum facinus. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Proverb.

B 6. num. 34. Transtulit ergo Deus coronam imperij in tam fęcundo tot filiorum proventu ad Carolum Ferdinandi primi alterum filium. An hæc sine numine Divûm eveniunt? Deus est qui ædificat domos, vertitque, ille fabricat suis cultoribus coronas: qui verò nec Divini, nec humani juris memores, etsi potententissimi videantur, ad brevem impetum, & inanes umbras validi sunt. Preme nepos vestigia avorum, Deus te ijsdem terris victorem sistet, si viceris hostes suæ fidei. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego Dominus, qui facio misericordiam, & judicium in terra:*

C *hæc enim placent mihi, ait Dominus* Jerem. 9. num. 23.

§. XXXII.

Tertium Gallia, orbis pars optima, dabit.

SI ulla sæcula lætiora magnos Principes, rerum magnitudine claros extulere sæculum 1500. gloriâ virtutum, & armorum peritiâ mundo parturiens, spectavit, deprædicavit. Oriens Solymannum: Occidens Carolum Quintum: Bellatrix Gallia

D Franciscum primum suæ gentis Valesianæ, & Franciæ Regem: utinam Carolus & Franciscus positis odijs in medium consuluissent, & prava certamina communi utilitate abolouissent, facile fuisset dare orbi caput Christianum. Verùm dum fortuna struit initia, & causas novo imperio, & uterque æmulatione consciæ virtutis illud affectat, & tandem inclinatione procerum, summum decus Imperij cessit Carolo, ingens incendium coortum, iræque æternæ toti orbi exitiales: nam ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex majore incendio emicuit; æquè, ambitio non patitur quemquam in ea bonorum mensura conquiescere,

quæ

Laudes Francisci primi, & Caroli.

scere, quæ quondam fuit ardens votum. Ultrà se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit: nec quidquam flagrantem retinet, si pravis impulsoribus, vel ferociâ ætatis stimuletur.

Rectè vocatur ambitio equus indomitus, calcibus moribusque insultans, sessorem exturbans.

Ingenti ergo ambitu exarserat uterque Princeps, uterque acer militiæ, ingenij, & prodigiosæ celeritatis: uterque dignus orbis Imperio: uterque anteire agmen, locum castris capere, nulla pericula formidare, Ducis & militis fungi officio, noctu, diuque consilio, ac si res posceret manibus hostibus obniti, uti cibo fortuito, veste, habitu ut vix à gregario, vestis, habitusque abhorerent.

In Carolo si liberalitatis, & literarum major cultura adesset primis Imperatoribus par.

In Francisco magnificentia, & opes, & virtus Regium modum supergressa, & literarum in Parisiensem Civitatem (orbis emporium) novâ importatione extollebatur.

Principum maximus Franciscus ex utroque magnus Palladis, martisque proles.

Budeum, & Regios linguarum professores advocavit parens, & ideò literarum, ut Cicero Pater Patriæ vocatus. Plura vide apud illustrissimum Dominum Henricum Spondanum dignissimumque Episcopum. Hoc pacto, supremæ militiæ artifex Rex bellatoribus suis Francis necessarius, ut ferox populus, & armis inclytus, Palladis studijs mitigaretur, & acueret ratione virtutem, Musas Marti, velut sacro connubio prudentissimè illigavit. Egregium imò, & aureum consurrexisset sæculum, si utriusque Principis solæ virtutes demptis vitijs miscerentur. Tanto eget principatus felix temperamento.

Fas sit nunc audire scriptores, cur Deus in totam progeniem tanti Principis, qui religione verâ perexımius, ardore pietatis in Deum excellens, virtutibus omnium Principum virtutes supergressus, ut utar verbo Quintiliani, ita detonuerit suæ fulmina Justitiæ, ut tam fundatæ stirpis nullum semen, vel vestigium sit relictum. Censuram scriptorum proferamus, qui sine gratia, aut ambitione bonæ tantum conscientiæ pretio memoriam Principum prodiderunt.

Nobilissimus scriptor Spondanus Gallus in annum Christi 1537. Pauli Papæ Tertium, ante notam sextam; sic loquitur: *Ex quo factum est fœdus mutuorum auxiliorum cum inimicis fidei, Turcis scilicet, diluvia malorum Galliam inundarunt: nec est hactenus qui recogitet corde.*

Spondani.

Attende Lector ad Illustrissimi Episcopi Galli Zelum. Hoccine est esse Christianissimum, capitales Christianitatis hostes evocare? sed ve-

A *teres querelas*, inquit, *mitto quæ non sunt fructum allatura.*

Quas prædas tunc immissus Barbarossa, quantam multitudinem captivorum secum non avexit fretus Gallici fœderis munimento. Maucrocenus scribit octo millia fuisse captivorum, Jovius sedecim, Justinianus infinitam multitudinem. Unde & alij octoginta millium abductorum in servitutem.

Spondani Episcopi censura nō sincera in Carolum.

Quantus clamor ijt Cælo! Deinde idem auctor in annum Christi 1544. nota quinta, ut seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulum Christianissimi cum Turcis paciscendo fœdere maculavit; ita & dico Carolum Imperatorem nomen Catholici, hæreticos in societatem adsciscendo turpius conspurcasse. Ita Spondanus, at non rectè. Incurrit ergo in orbis B Christiani odium Franciscus: incurrit & Carolus dato spatio hæreticis. Sensit & uterque iras offensi Numinis, at dispares: nullum enim legi, qui Carolum traducat, arma, opes, auxilia hæreticis contulisse, & hostis hæreticorum, hæreticis suppetias ministrasse D. Spondani bonâ gratiâ velim affectum seponi, verùm ingentis criminis reum quod viros dignos morte, ut Dominicus Sotus, Caroli à confessionibus Pater, Carolum excelso animo deferens, Carolo exprobravit, dimisisset, atque ideò non recessurum gladium à domo ejus in æternum. non enim ignorabat Carolus C Regem Josaphat à Propheta Jehu gravissimè correptum, auxilio, Achab idololatræ præstito.

Carolus V. defensus, injustè accusatus.

Audiamus Prophetam, 2. Paralipo. capite 19. *Impio*, inquit, *prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcircò iram Domini merebaris: sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra.* Quàm impium & inexpiabile fuisset Carolo scelus, in eversionem fidei manus armasse, ministrasse & opes quo funditus cultus verè fidei extirpatus, cederet in cultum dæmonum. Vide Guicciardinum libro decimo, & Paulum Jovium libro 30, Bene ergo & sanctè advertit Spondanus omnia mala in Gallias, Regisque nobilissimi familiam à fœdere cùm Turcis D inito per lamentabiles ruinas incubuisse.

Mors luctuosa magni Francisci.

Quid enim infausti non vidit, sensitque ex eo, quo Turcarum solicitavit animos in Carolum? In obsidione Papiæ Captus, summo totius Galliæ luctu anno 1536. Orbatus Francisco Delphino primogenito, ætatis suæ nono & decimo, potatâ frigidâ, veneno superfusâ. Concidit ergo spes altera Galliæ, visuque & auditu juxtà venerabilis: deinde quot exercitus, infelicibus auspicijs cōsumpti? & ipse tandem ulcere insanabili consumptus, natus annos duos & quinquaginta.

Patri tanto successit Henricus secundus patre non inferior filius: aquila enim aquilas generat. Infaustum regni omen, duellum se spectante permissum, & augurium infelicis exitus Regij futuri inter plausus, & publica spectacula publicæ voluptatis. Fœdus init cum hæreticis Germanis, contra Imperatorem.

Henrici secundi Indoles virtusque regia.

Evocat Turcos in regnum Neapolitanum, in odium Caroli. Exclamo cum Spondano: O cæcas hominum mentes! in transversum sic agit ambitio, in omnia scelera exardescit, ubi mentis arcem occupavit; quàm potius est omittere adulta, & prævalida vitia, quàm illud assequi, ut palam fiat, quibus flagitijs impares sumus. Tandem bono Christiani orbis post tot certamina, antiquas scilicet simultates fœdere conjugij compescuit. Compescuit & hæreticorum insolentiam: sciebat enim quod in Religionem committitur, in omnium ferri injuriam. Libro 4. Codic. de hæreticis.

Quare optimè Augustinus. *Puniantur à te, ne tu puniaris ab illis. Parva scintilla neglecta magnum sæpè excitat incendium, qui enim pravâ superstitione est imbutus, quietus esse non potest.* Traditur ergo filia Henrici, Philippo Regi in pacis æternæ dotem, quæ utrumque junctura Regem, lætitiam communem auxêre lætissimi plausus populorum. Et ut Ovidius canit,

Henrici regis nuptia.

> —— *Animi felicia læti*
> *Argumenta sonant, reseratis atria valvis*
> *Tota patent, pulchroq; domus instructa paratu.*

Oblectamentis spectaculorum nihil defuit ad voluptatem: nisi subitus tanta gaudia mœror & ineluctabile fatum confudisset. Indicuntur hastiludia, concurritur à Principibus, Rex ipse medius armorum, Princeps ad ostentationem virtutis, felicisque dextræ, trophæum honoris consequitur.

Hastiludiū dat causas dolorum.

Aderant in tertium diem Dux Albanus pronubus, Princeps Auriacus, Egmondanus Comes, & regnorum proceres. Emicat ergo Rex totus ferreus in pugnam, nequidquam Regina reclamante, sat decoris partum victoria duorum dierum, ne se ultrò ingerat periculis: nesciri, quid qualibet hora pariat. Sæpè cruenta Magnorum certamina.

Exitus lætitiæ, luctus.

Ubi ergo ad duas horas certatum, jubetur Gabriel Comes Mongomerius, peritissimus & ferox miles, etiam invitus concurrere. Summo impetu concurritur, lanceæ franguntur, scandula lanceæ Mangomorianæ, per galeæ bucculam, nescio quâ incursâ apertam, dextrum Regis oculum penetravit, & die undecimo exspiravit anno Christi 1559. Vulnere insanabili, quod χειρώνιον ἕλκος vocari solet, regni sui anno 12. additis tribus mensibus & undecim diebus. Exstincta tunc fertur omnis felicitas Galliæ. Passim silentium & gemitus, & nihil compositum in ostentationem. Patri successit Franciscus secundus, qui finivit sexto decimo mense sui regni, ætatis cùm esset sedecim, veneno ut creditur exstinctus, cujus hoc elogium non satis laudatum, Cor Regis, si is esse velit, ut Regem decet, volebat simile acui horologij, quæ semper in Cælum tendens, quiescit. Arsit flamma tuendæ Religionis, in animo juvenis, cujus hæretici factâ conjuratione, vitam petunt, quam per Guisios incolumem servavit Deus.

Regis Frācisci secundi brevis vita.

Bene Synesius de regno vaticinatus: *Pietas, inquit, erga Deum, certa basis regni est, ac fundamentum.* Disce ex hoc illud Plinij, experimento, *fidissimam esse custodiam Principi, innocentiam.*

Ecce pœnam reposcit Deus, caput Protestantium se dixit Henricus secundus, & ecce impiâ proditione per summum scelus ijdem caput filij petunt.

Ubi hæretici æquitas, & fides in Principem, cui Deus judicium rerum dedit? sic speciosus color obtenditur à vobis, impia scilicet libertas? at estis ingenio mobili, seditiosi, atque discordiosi, ut sic loquar cupidi rerum novarum, inquieti, & otio adversi. Libido dominandi vobis causam belli dedit: quam rabiem an non exsuscitat vana superstitio, quorum mentes excæcat? sit vobis gloriosum in Principis vitam, non necem vigilare. Quam pulchrum est pro Rege mori. Infelix juvenis dum vixit, felix morte suâ, quamvis sine pompa tumulatus.

Francisco secundo sublato, sceptrum datur Carolo nono fratri Francisci, qui quatuor & viginti annos, & undecim menses vixit, regnumque moderatus annos tredecim, menses quinque & dies viginti quinque: bis in illum Hugonoti jurarunt, bis & ereptus, quàm brevis flos ingentis indolis, quàm subitò præludia ingentium virtutum succisa.

Caroli noni regnum.

Henricus tertius frater Caroli, nuncio mortis fraternæ accepto, etsi inauguratus Poloniæ Rex, Poloniâ elapsus, habenas Gallici Regni suscipit.

Hic primis auspicijs sui regni Principem se unionis declarat Catholicorum. Feliciter in Hugonotos pugnat, pacem orantibus donat. Summâ invidiâ Genevæ suscipit patrocinium.

Quid agis Princeps? quò præceps turbine ruis? Genevam tuam, quæ Dæmonis sedes, facis? Acerba inde in ipsum censura. Guisiū 1588. fratremq; ejus Cardinalem è medio tollit,

A tollit, abjudicat illi obedientiam populus, toto regno rebellio in illum insurgit.

Sixtus Quintus fulmina censuræ cum monitorio ad eum destinat. Lutetiam suam obsider, & à fratre Jacobo Clemente confoditur: & usque ad annum 1610, caruit, qui, excommunicatus, sepulturæ supremo honore. Sic tota series, & Valesiani sanguinis Regij corona, illo vulnere concidit, sepultaque fuit.

Vide auctores gallos qui fusè luctui gallicos scribūt.

Utinam Henricus Poloniâ elapsus, Venetijs magnificè acceptus paruisset consilio Aloysij Mocenegi Venetorum Ducis! Sapientissimus ergo Regem adversus factiones, ac reliquas regni pestes instruit. Docetque clades, quæ in Gallias facto velut agmine incubuissent, eas omnes ex Turcico B fœdere, cui Deum irasci oporteret, ortum habere: qui enim fieri posset ajebat ut innumerabilium Christianorum captivorum, quibus immanitas Turcica duram servitutem, & æternam calamitatem attulerat, continui gemitus, clamoresque Divinæ Justitiæ aures non pulsarent, non everberarent, atque in tantorum malorum auctores, implacabiles iras non continuò exacuerent? Et sanè sapientissima monita effudit in animum Regis, quibus si obtemperasset, meliori exitu familiam terminasset Valesianam, cujus ne quidem fibra ex justo hærede, reliqua superstes.

Audite ergo *Principes*, clamat Sapientia per Salomonem, *& intelligite: præbete aurem vos qui placetis vobis in turbis nationum:* C *quoniam data est à Domino potestas vobis, qui interrogabit opera vestra: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non custodistis legem Iustitia, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam durissimum judicium his qui præsunt. Ad vos ergo Reges sunt sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excedatis.* Sapientiæ. 6.

Nunc amice Lector ex Europa trāseamus in Monarchiam Chinensium admirabilem. Et accipe ex historia, quam scripsit Pater Alvares Semedo, qui duobus & viginti annis Chinam perlustravit: nunc edita anno M.D.C.XLV. & donata Gallicæ linguæ per Ludovicum Coulon.

D Monarchæ Chinensium Justitiæ claritudine ij omnium optimi judicati, qui regna sua non oculis alienis, sed suis perlustrant formantque. Felix illa finita, ad aliam cum novo titulo.

§. XXXIII.

Documentum Principibus & Rectoribus.

CUm Principes, ut dictum est, sint instar magni in terris Dei, ejusque vices gerant, nullâ re similiores Deo possunt esse quàm Justitiâ, & clementiâ, de qua dictum copiosè, de religionis perfectissimo cultu. Justitia, & religione fundatur regnum, non Rege. *Religio & timor Dei solus est qui custodit hominum inter se societatem*, ait Lactantius. Fundamentum regni est religio intacta: illa est fida & inexpugnabilis rupes. Fundamentum regni est pietas cum ingenti timore Dei. Ubi non est pudor, ait Seneca in Thyeste, nec cura, sanctitas, pietas, fides; instabile regnum est. *Iustitiâ enim firmatur solium*, Prover. 16. quod impietas convellit.

Hoc sensêre gentilium Principes, fundandis suis imperijs. Licurgus Lacedæmonios, Solon Athenienses, Numa Romanos, Moyses Israolitas, religionis armis ad suam magnitudinem provexerunt. Ignis & aqua, & aër potiùs interdicendus quàm religio.

Hoc ex Cælo didicit Phocas Nicephorus Imperator anno Christi 964. voce ex cælo detonante: *O Imperator, erigis muros? & tametsi vel ad cælos eos educas, intus cùm sit malum, urbs captu facilis est. Domini est custodire regna, qui ea donat: quis enim censebit felicem Rempublicam stantibus mœnibus, & ruentibus moribus?* ajebat Scipio Africanus. Ceteris mortalium in eo stant consilia, quod sibi conducere putent: At Regum est diversa sors, quibus præcipua, ad famam integerrimæ vitæ, & religionis sacræ incolumitatem dirigenda. Si labat vita bona Principis, & nomen Catholicum à vita dissentiat, si abolitæ leges, & funditus versa castimonia, an non amittet Respublica præsidia stabilitatis suæ? *Nolite*, inquit Augustinus libro quinto de Civitate capite 13. *existimare majores nostros armis ex parva magnam fecisse Rempublicam. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium, prætereà armorum, & equorum major copia nobis, quàm illis erat. Sed alia fuêre, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt; domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, nec libidini, nec delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam: atque avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam, laudamus divitias, sequimur inertiam. Inter bonos & malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia, ambitio possidet. Et nostro hoc corrupto sæculo quis*

Religio Basis regnorū.

Vnde anima Reipub. magna evasere.

honor virtuti, ubi honor, pabulum virtutis, suspectus à fide, & corruptissimo cuique sæpè consignatur clavus Regiæ triremis.

An non ideò grandis furor Domini stillavit super nos? 2. Paralipom. 24. Audiatur Plutarch. libro de doctrina Principum; *Absque Iustitia*, inquit, *principatum gerere, nec Iovem quidem ipsum posse.* Voco Justitiam tam singularem virtutem, quàm virtutum omnium complexionem, quî enim fieri potest ut regna & Respublicæ, in quibus luxuria & delitiæ vigent, diuturnâ prosperitate fruantur?

An non otium, & sagina molles, & effeminatos reddit? Ubi est illa mascula virtus variarum nationum, quæ quondam terrori fuerunt, quibus solum nomen relictum? quàm multis solum nomen Catholici patrocinatur, & eo subsidio ad flagitia utuntur? An fortè putamus preces supplicum, nisi justas audiri? *Et miramur miseri, qui tam impuri sumus: miramur si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur,* ait Salvian. libro 7. de Divina providentia. Utrumque Deus in Hispanorum captivitate à Vandalis facta (de qua suprà) ostendere voluit, quantum & odisset acriùs libidinem, & diligeret castitatem, cùm & Vandalos ob solam maximè pudicitiam illis superimponeret, & Hispanos ob solam maximè impudicitiam subjugaret. Sic idem. Qui Hispani (ut docet Martyr Bonifacius in Epistola ad Equeldobaldum ad Regem Angliæ) traditi sunt Arabibus, & Saracenis, ob ejusdem vitij impudentem libertatem.

Hispaniæ gentes à Deo recedentes, fornicatæ sunt donec judex omnipotens talium criminum ultrices pœnas, per ignorantes legem Dei, id est, per Saracenos venire, & sævire permisit. Florebant tum Arabes Justitiâ, æquitate & modestiâ. An non intolerabilis Batavorum instantia videtur, dum gloriantur se tristibus suis paludibus Oceani magni domitores dictos. Prudentium oculis videtur mirabile tantum imperium convelli à vilibus hominibus. An posteritas creditura Eoi, Occiduique imperij validissima regna, exigua manu Batavica potuisse lacerari, frangi, & tantum non dominari non aliter, quàm si formidabilis Leo ab imbelli Catello, vel Gigas Goliath à bicubitali planè inermi Pygmæo victus sterneretur? An non dicent gentes illud Deuterono. 2. *Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est ira furoris eius immensa? Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini.* Et illud Oseæ 5. *Respondebit arrogantia Israel in facie eius, & Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiã Iudas cum eis. Ij Penates,* ait Valerius Maximus, *ea Civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium, Veneris, pecuniæ cupido sibi vindicaverit. Non ergo naturale robur facit hostes vincere, nec nos infirmitas naturæ vincit, nemo sibi aliud persuadeat, sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.*

A Et, ut Hieronymus dicere consuevit. *Armamus nos hostem vitijs nostris.* Infirmis ergo hostibus tradidit Deus cuncta, ut ostenderet, scilicet non vires valere, sed peccata: nec ignavorum hostium multitudine obrui, sed solâ vitiorum impuritate superari. An ideo prosperis lactatus vives securus quicumque es impius victor, & laureatus? Nequidquam ergo jactata magnificis vocibus utriusque Indiæ aurea ubera, aureique fontes. Nequidquam tot exercitus validarum gentium: impossibile est per medicinam ullius artis sanari, quem Divina ultio premit ait sanctus Paschasius libro de Sacramentis. Hæc cùm eveniant in regnis nostris præter omnem expectationem, metum, & providentiam humanam, & B paucis annis in tantam magnitudinem excreverit nova Respublica, ut omnes orbis peragrarit oras, & circumferat plenis velis arma Regibus metuenda, non est dubitandum, quin iratus Deus suos hostes armarit in ultionem flagitiorum nostrorum, quibus hostes superamus, quorumque virtutibus cedimus. Dabitur nunc victrici impietati sua debitâ merces ubi mensura peccatorum fuerit impleta, & tunc impius virgam sentiet vigilantem.

Audi Augustinum de verbis Domini tractatu 19. *Non cederis tyranne, vel impie, quoniam virga vel flagellum efficeris: novit enim prudens Doctor, nec ignorat pius Pater, post castigationem promovere discipulum, & post debitam* C *emendationem, paternali hæreditate proficere filium, flagellum verò sive virgam, flammarum incendio comburere. Vsus est Deus infirmis tuis viribus, ut magnitudo humana, quæ visa insuperabilis, diceret se Divino nutu contundi, & compages pulcherrimi imperii validissimis vinculis nodisq; constrictas, resolvi. Superbis, & alto spiritu iactas potentiam: memineris Salomonis* Proverb. 16. *Contritionem præcedet superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Memineris & Platonis 4. Dialog. de legibus. *Superbus à Deo deseritur. Dominare tumidus, spiritus altos gere, sequitur superbos ultor à tergo Deus.* Quid si Deus vertat auxiliaria arma, quibus iniquè dimicas in tua viscera? & ijs pereas telis, quibus jacularis, in te retortis? nescis D ô stolide, nescis quid Cælum meditetur. Quæ sors majora documenta dedit, quàm Belgium ipsum, magnorum Principum egregius labor, qui jam divisus fatiscit?

Deus utitur malis ad disciplinam malorum Catholicorum.

Quot post excidium Romæ sunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Servitium, imperiumq; tulit, variéq; revertit?
Omnia mortali mutantur lege creata.

Sic Manilius libro 1. Astron. *Quas non arces, scelus, dedit in præceps? quas non fatigant arma impia? Væ tibi qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* redit in auctorem sceleris, scelus, & consilium vertitur in ipsum, conscientiâ defectionis

fectionis pavidam mentem verberante. Justitiâ ergo & religione funda tuum sceptrum si stabile voles. Impietas, omne solvit sublime solium, quod virtus firmat. S. Ludovicus hac arte Lollens, suum regnum, seipsum & suos nepotes in tam longam propagavit seriem. Illum auxiliaris manus Dei sustentavit & brachium Domini confortavit eum.

§. XXXIV.

Alterum Documentum, ex bonorum & malorum principum comparatione texendum.

HUc intendant Reges, & Rectores tam urbium, quàm sacrorum ordinum. Nemo est qui non flagrantissimè optet, suam Rempublicam salvam, florentem, & continuis successibus lætam. Non aliunde melius consilia petuntur, quæ in futurum prosint, quàm ex rerum præteritarum exemplis. Habent exempla, in utramque partem ingens robur, docent quæ securè sequaris, quæ sapienter vites. In pessimo quoquo, exemplum utilitatem rependit, sicut in optimo. Compone fratrem fratri, Titum delicias orbis, Domitiano fratri. Hic fumus orbis & atratus simulatione, in arrogantiam compositus, qui instar feræ exscindebat, laniabatque omne decus virtutis, qui jubebat & spectabat scelera, Nerone deterior, qui oculos subtrahebat, qui per spiramenta temporum, & sub extremum vitæ, velut uno ictu imperium exhausit, qui per inquisitiones, & loquendi, & audiendi abstulit commercium. Aliter spes, votum, & securitas publica, cui summa in socios comitas, mansuetudo in hostes visu, audituque juxtà venerabilis, qui res dissociabiles, principatum simul & libertates jungens, mirabili temperaturâ permiscebat, ita ut magnitudinem fortunæ retineret, & tamen arrogantiam, & omnem invidiam effugeret, quare & orbis amor, & alter furor, & turbo vocatus. Quàm utile & salutare, memoriam Principum, tanquam custodem virtutum, & vitiorum evolvere! illorum vita, moresque oculis obversentur, tanquam illis spectantibus vivamus, & omnia tanquam illis videntibus faciamus: quosdam ut horreas & detesteris, alios ut parentes complectaris. Inde disces quibus initijs, familiæ, & magnæ domus, regnaque creverint, adoleverint, & in magnitudinem sese extulerint; ut justitiâ & Dei benignitate, & sacræ Religionis sincero cultu in suo firmo gradu perstiterint. Dei dein potentia ut protecti, dum sine flagitio, sincera fide integri Principes, metu Dei roborati vixerint. Deinde, ut ijdem in vitia, luxumque devoluti, proscripto amore recti, Dei iras accenderint, & suis sceleribus quasi sentina malorum orbem pessumdederint. Non mirum videri debet si in perniciem suam, secum traxerint magnitudinem imperiorum, tot laboribus partam: interit enim magnitudo viribus peccatorum, quæ virtutibus aucta, steterat incolumis.

§. XXXV.

Exempla justi Principis, & corrupti.

SAcra pagina, hoc per Regum experimenta docebit. David Monarchiam virtute, & timore Dei paravit: Salomon luxu & vitijs corruptus dissolvit. *Exemplum boni Principis.*

Quid Josaphat divitijs, armisque potentem effecit? quid hostibus formidolosum, famæ gloriâ inclytum, nisi timor Dei? lib. 2. Paralipom. capite 17. *Et fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulavit in vijs David Patris sui, & non speravit in Baalim, sed in Deo Patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Israel. Confirmavitq; Dominus regnum in manu ipsius.*

Attende ô Princeps ad victoriam, & attende ad virtutis potentiam. *Itaq; factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum, Iuda, nec audebant bellare contra Iosaphat, & magnificatus est usque in sublime.* Verùm nonnihil ad metam hæsit, & proximus fuit ruituro, dum præbet impio auxilium, & arma jungit hostibus Dei. Omnes libri Regum, quasi præcones fortunæ Regiæ clamant regna, domos, ordines parari, conservarique Deo propitio, & irato subverti. Eligamus unum Principem parem antiquis, summisque, Justinianum Imperatorem, cujus tibi vita, oratio, res gestæ placebunt, & idem à seipso diversus displicebit. *Iustinianus boni & mali principis speculum.* Si enim magnorum virorum memoria in affectu, aut perturbatione se repræsentet, immotos nos conservabit. Ipsi enim, non sibi, sed toti genitos se credere mundo debent. Vita Principum, robur legum assumit, Justinianus Imperatoris Justini senioris nepos, hæresque, hæres & ingentium virtutum, cui sublime juxtà ac erectum ingenium, ad pulchritudinem excelsæ, veræque gloriæ, & religionis veræ propagandum imperium, natum; toto orbi ostendet, nihil esse tam arduum, adeoque impenetrabile, quod Princeps Deo propitio non possit, & quàm parum possit infesto.

Nunc videamus quibus artibus Imperator iram Justitiæ Divinæ placarit, quam & exorabilem, & mitigatam persensit.

Primum ergo fundamentum speratæ fe-

licitatis statuit fidei Catholicæ conservandæ, & novi edicti quoquoversum missi promulgationem, ratus omnia prosperè sibi cessura, si priùs Dei negotia summo studio curasset. Summâ execratione detestatur hæreses, & in primis Nestorium Sanctissimæ Virginis summum hostem Ἀνθρωπολάτρην hominis cultorem, Deinde cum hæreticis Principibus concordiam, pacemque firmavit nullo damno Catholicæ religionis.

Quid prodest se dicere Catholicum, si hostes fidei tuis viribus armatos in fidei damnum tuearis? Magnam ergo molem Imperij cum magno animo suscepisset, suum Imperium severis legibus, & multis coërcuit. Episcopos Judicibus præposuit, ut jus adversus pravè judicantes dicerent, & pronunciarent.

Monarchiam ergo animo, tum inertiâ Imperatorum, tum sceleribus populorum per Barbaros vastati Imperij redintegrationem concipiens, Deum jejunijs, & assiduis precibus, sibi propitium reddidit: sicut & ipse novella 30. testatur, scribens ad Proconsulem Cappadociæ: *Nec quidquam*, inquit, *detrectamus eorum quæ vel ad extremam pertingunt difficultatem vigiliis simul, & mediis, ceterisq; laboribus jugiter pro subditis nostris, ultra quàm natura modus fert utentes.*

Vita Iustiniani rigida & austera ad Deum placandum. Quàm rigidam autem vitam instituerit, audi Procopium lib. 1. de ædificijs Justin. *Omnibus illis diebus qui Paschalem solemnitatem pracedunt, jeiunio addictus, duram quandam vitam egit, nedum Regi alienam, sed neque privato cuivis, idest aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibis abstinebat: summo manè è lecto surgens, totus in Republica negotia tractanda desudabat: cibi appetens, vinum, panem, & alia cibaria abesse voluit: brasicam solùm & agrestes herbas longo tempore, sale & aceto maceratas edebat; in potu erat sola aqua: neque his ad saturitatem utebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto qui natura satis erat.*

An non cùm infirmabatur, ex tanta abstinentia fortior factus est? debilitatus corpore, Persas, Gothos, Wandalos, aliosque barbaros superavit: purgat civitatem Regiam à luxuria, lenones proscribit, corruptas fœminas publicis impensis curat, & monasterium dictum Pœnitentia ædificat, & Regias spectatu domos dignas mulieribus Veneri servientibus, ut Deo securè servirent, addixit; & ne per paupertatem corpora vulgarent, liberum victum ex ærario constituit.

Pudicitia mulierum corruptarũ providetur.

Cùm ergo Deus erepta à barbaris regna Justiniano reddidit, Justinianus non ingratus, Regias, in salutem perditarum animarum Deo donat. Deus Tyrannis liberat Romanum Imperium, & ipse miseras fœminas à tyrannide diaboli, locupletat.

A Deus Justinianum novis Provincijs, & ipse locupletat largis proventibus quo finem Deum offendendi faciant, fœminas luxurijs immersas.

Conatur homo certare obsequijs. *Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* Psalm. 72. Ipse multiplicatis auxilijs, & auctori gloriâ minima compensat obsequia.

Difficillimum principi purgare suam domum.

Hæc natura primæ causæ. Verùm ante omnia à se suisque orsus suam domum coërcuit, quod plerisque non minus arduum quàm regere Provinciam: nihil per libertos, servosque agere; publicæ rei, non ex commendatione aut precibus adsciscere Præfectos, aut rerum publicarum administratores, sed optimum quemque fidelissimum putare. B

Rerum prosperarum, & victoriarum successibus non in vanitatem usus, sed eas in sacra trophæa, & Ecclesias convertit; & in primis dum Virgini Sanctissimæ novam Ecclesiam, quæ pulchritudine juxtà ac magnitudine ceteras antecelleret, ædificatam summis sumptibus dedicavit. Sensit & Virginem victoriarum curatricem, cùm illam suis edictis, verè gloriosam, & sanctam Virginem Mariam propriè, & verè Matrem Dei esse dixit; non quia Verbum, principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de cælis, & ex ipsa incarnatus, & homo factus, & natus. Mirum ut dissimulatione famæ, famam auxerit.

Virgini SS. Ecclesiam ædificat.

C Potitus ergo est Africâ Wandalis subactis: potitus est Siciliâ, & magnâ parte Italiæ, & orbem victorijs illustravit: egregiam autem famam paci circumdedit, quæ sæpè non minus timetur quàm bellum, & justitiæ legibus Provincias vinxit: quid enim armis proficit Imperator, si sequantur injuriæ? Vis exscindere causas bellorum? impera justè.

Toto orbe decantabantur victoriæ Justiniani, verè felicissimi, si ijs institutis, & incorruptis moribus sibi semper similis, perstitisset.

Felicitas Iustiniani Iustinianũ perdidit.

Huc usque, dum pietas viguit, & anni sancti pij, & aurei, sine scelere & flagitio D exacti. At ubi claritate triumphorum, & urbis luxuria, & spoliorum opulentia, exemplar impij Principis cœpit extolli, & vetus disciplina, quam metus imminens continebat, laxari, in preceps abijt, & secuti sunt anni, externis & domesticis cladibus miserandi, & erubescendi. Nimia felicitas virum tantum perdidit: dum enim adulatoribus (pessimum & exitiosum hominum genus) indulget, illorum melleo (ut loquitur Diogenes) fascinatur, capiturque laqueo. Dum enim blanda pro rectis inter mentientes audit, per ignorantiam veri ad nefanda devolvitur.

An non inter adulatores hoc unum certamen,

tamen, una contentio, quis blandissimè fallat, nemo verùm dicat? Scribonianus legum compilator, vir impius, gentilis, avidus auri, & per impias artes auri sectator, persuasit immortalitatem, nunquam morte finiturum, sed in cælos saturum gloriâ tollêdum: alij nullum Imperatorem priscorum sibi parem, aut æquari posse, omnes præterea Sacerdotes sapientiâ, & religione, moribus & integritate sibi cedere. Inde audacia & furor impius mittendi manus violentas in summum Pontificem Vigilium, Eutychium Patriarcham Sanctissimum virum Constantinopoli profligatum sede suâ expellendi; & audet Anastasio Episcopo Antiocheno indicere exilium.

At subitò dum nefaria molitur, rebus humanis inglorius eripitur. Nicephorus libro 16. capite tertio invisibili plagâ percussum ex hac vita dicit excessisse. Evagrius verò libro quinto capite primo, sic eum depingit: Cùm Justinianus omnia tumultu complesset, mercedemque his debitam in extremo vitæ tempore reportasset, ad supplicia justo Dei judicio apud inferos luenda profectus est.

Invisibili plaga percussus Iustinianus.

Procopius autem in extremo operum, quem summis laudibus priùs extulerat, graviter cum Theodora occultè hæretica, culpat, damnatque. Infelix tantus vir, proditrice conjuge, ut Adamus sua Eva. Ignoravit vires suas tantus vir, & dum se tam magnum credit, quàm audit attraxit supervacua, & in discrimen adduxit fidem in hæresim lapsus, quam tamen non promulgavit.

Conjux viro exitiosa.

Quid non adversi debuit exspectare, ex quo nihil veri audire potuit? An non prodigiosa tanti viri mutatio? qui scorta in primordio Imperij, atque effœminatos urbe proscripserat, qui delitijs deditos dejecerat, qui severitatem legum reduxerat; ille exstirpatam luxuriam, & sumptuosissimam reduxit, qui immensâ militum copiâ, & Ducum virtute terruerat orbem, idemque qui terror obis fuerat, ab Hunnis tantùm non obsidetur, spectat Thraciæ, & agrorum Regiæ urbis depopulationem.

Idem spectat clades suas; qui cladium illator, & redimit auro Imperium à vastitate, qui aureos habebat exercitus.

Quid induxit hanc catrastrophen, & lachrymabilem mutationem, nisi impietas in Deum? Imperavit annis triginta novem. Utinam non tamdiu! felicior, nisi felicitate corruptus. vixisset. Tanti viri causam, & sortem indoleo, felix, si, ut quidam posterioris ævi scribunt Historici, pœnitentia scelerum voluntatem permutarit: sic in summum perducta, maximè nutant.

An non posterior vita, scena fuit; vanis & citò diffluentibus bonis refulgens? Habes, ut pacarit Justitiam vindicativam, dum scelera exscindit, habes, ut accenderit iram Dei, sceleribus irritatam.

Parem scenam exhibet Heraclius Imperator qui præsidijs Divinis, Persici regni eversor, & à Deo desertus priùs, Deum deserens, omnibus mersus calamitatibus, interijt. Sicut maris Cælique temperiem, turbines, tempestatesque commendat, ita Justitiæ vindicativæ tumultus, pacis bona, & felicitatem regnantium.

Heraclius boni & mali Imperatoris exemplum.

Habet has vices mortalium conditio, ut adversa ex secundis, & ex adversis secunda nascantur. Videntur subtexta bonis mala, & lachrymæ vota sequi. Et cur Deus non servat eundem tenorem? Magnum illud numen, causas secundarum vel adversarum rerum sub diversa facie promit: sæpè lætos effectus tristitia initio, & contrà tristes læto gignunt. Semina utrorumque non occultat Deus. Dum enim patitur domos magnificas, & regna collidi, corruptâ morum disciplinâ, & Justitiâ fugatâ ad ultionem accenditur, & magnâ vi, & terrore regna concutit, conquassatque.

Nesciret mortalitas, quantum debeatur Justitiæ, nisi felicitas, calamitatibus, & pessima optimis opponerentur. Quoties turbata, ruensque Respublica confugit ad sinum Justitiæ, liquet quanta beneficia subito præstentur: simul enim ut illa publicæ salutis gubernaculis admovetur, pacis bona ac tranquillitatem reducit, & inclinationem sustinet imperij.

Quanti fuit, Nabuchodonosorem, qui Deo se æquare, sideribus caput inferre, & humeris visus orbem sustentare, ab hominibus ejici? è regno deturbari? cùm bestijs & feris vitam agere?

Danielis IV. An non graviter castigatus, verùm Deum dominantem agnovit? ut & Manasses in carcere catenis, & ponderibus gravatus? Cogendus uterque fuit, qui videbatur cogi non posse. Obstinatos percutit Deus, ut uterque & imperium acceptum à summo Deo cognosceret qui dat Principes. Longo usu hoc didicerat Alfonsus Rex Hispaniæ, Imperator cognomento, Justitiæ rigidus cultor. Exemplum exercitæ dabit nobilis Galecus.

Hic stirpe, & arrogantiâ turgidus, ausus rusticum bonis exuere. Prætor interpellatur à rustico: ille nobilem arguit, at frustrà, in ardescit magis, & iræ impatiens audet majora. Rex aditur, imperatur, absistat injurijs. Non obtemperatur.

Alfonsus Hispaniæ dictus Imperator stupendum Iustitiæ exemplum edit.

An Rex aperiet viam peccaturis? pene paria sunt, delinquere, & tueri delinquentes. An non Rex scelera tuetur, cùm debeat, possitque frænare mala, nec ultorem

torem se præbet? Proclamat ergo Rex secum: Non feram mei regni ruinam, ruina Justitiæ cui sum oppigneratus. Privato habitu tectus, Toleto in extremam Galeciam pergit: obsidet domum militis, dilapsum dein captum, pro ipsis foribus, laqueo suspendi, & strangulari jussit. Nobile Justitiæ facinus exhibuit Rex Hungariæ Andreas. Hic arma hostibus Terræ Sanctæ illaturus, curam Regni Bancbano committit: committit & tutelam uxoris Gertrudis. Felix si tam casta fratri, quàm sibi marito fuisset.

Andreas Hungariæ Regis nobilissima justitia.

Hæc juvenem fratrem, armis & flore ætatis insolentem fraudibus circumvenit. Uxorem Brancbani, fœminam formosam pudicamque fœmineo dolo juveni substernit. Pœnitens facti, & ardens ira mulier, facinus aperit marito. Ille omnes iras vertit in Reginam sceleris causam, & gladio ulciscitur. Nec mora. Ad Regem in Syriam proficiscentem tendit. Cædem patratam aperit.

Audi Lector compositi Regis verba. Tu verò abi, & in regnum redi, vicem meam ut antè functurus. Nam reduci mihi, si Deus annuit, stat hanc causam cognoscere, & decidere: si innocens es, tunc lubens absolvero: sin autem nocens, ne nunc quidem damnatum volo, nec hanc expeditionem in fidei hostes sumptam Chistiano sanguine auspicor aut perfundo. Abijt uterque. Rex redux uxorem justè cæsam pronuntiavit.

Quot in uno facto virtutes! quòd Terram sacram privatis amoribus, & commodis anteposuerit, & amorem conjugalem postposuerit Justitiæ. Solus rigor Justitiæ servat orbem, Regemque. Docuit hoc ipsum Justinus Curopalates, Imparator Byzantij.

Hic morbis fessus, vix juri dicundo attendere, lites in immensum extendi, populus obmurmurare, & convitijs agere. Obtulit se quidam eâ lege, ut acceptâ potestate in certum tempus, Præfectum ageret. Annuit Imperator: dantur insignia, & infulæ potestatis.

Accusatur ergo quidam Palatinus, & apud Imperatorem gratiosus, fastu tumidus, & nixus aulæ favoribus: indignatur Præfecti imperium, spernit jussa, ad aulam pergit, & convivio sese inserit. Pergit & ad aulam Præfectus, videt & ibi Principem reum suum, indulgentem lætioribus epulis. Interritus ergo Imperatorem affatur: Imperator, juri dicundo Præfecturam à te habeo: & à teipso auxilium, & præsidium meritò sperabam. Nunc quid? vides his oculis, palàm injurios, & legum non solùm fractores, sed etiam contemptores, aut illusores, in domo tua, gratia mensæ esse. Itaque insignia hæc tibi habe irritæ potestatis: Ego abdico. Tu verò, inquit, Imperator, quod es, esto: vel jus tuum, vel in me, quidni in meos? exerce. Duc si peccavi, sequor: Duc si quis hic alius, & sequetur, aut trahetur. Erectior animi Præfectus, hunc Palatinum per lictores trahit renitentem, convictum, damnatumque primùm verberibus afficit, tum grandi pecuniâ mulctat. Terruit hoc tonitru non solùm aulam, verùm totam urbem Regiam. O Reges, date leges curiæ, vestris aulis.

An non fraus sublimi regnat in aula? quàm blandâ fronte funestum malum gerit? Bene munita, si bene morati aulici, si perfidia, & peculatus, & avaritia exulent. Regnent jura, pudorque, & conjugij sancta fides. Hæc nisi adsint, centuplex murus rebus servandis parvi est.

§. XXXVI.

De Vindicta, & ultione, peccati venialis.

Quanto persequatur odio Deus gravia scelera, venialis peccati fœditas, & magnitudo manifestabit, à quo cùm acerbas pœnas exposcat, ut dolorem suum ulciscatur, quas non repetet ab injuria peccati mortalis? si adeò gravis malitia in minima offensa, levi, verbi gratiâ, mendacio, quàm enormis in peccato mortali, cui æternæ flammæ, & cruciatus debentur? Nemo negat minimum veniale non esse magnum malum, de quo inferiùs, etiamsi specie boni tegi, & colorari videatur: ad nihil tamen utile, ut docet Magnus Dionysius capite quarto, de Divinis nominibus. *Malum, quà malum, nihil conferre ad essentiam, aut rerum generationem, sed quantum in ipso est, rerum substantiam tantùm depravare atque abolere.* Est ergo Deo contrarium, qui ex omni parte omne bonum est, & totam essentiam infiniti boni in se continens: malum autem neque est, neque bonum est.

Si tantopere odit Deus veniale, quantopere mortale.

Malum ergo privatio est, & defectus, & infirmitas, & inconcinnitas, & error, & frustratio scopi, pulchritudinis sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, tenebrosum, statu caret, ipsumque nullo pacto, ac nusquam, & nihil existit, omnis boni expers. Textus verò Græcus majori energiâ exprimit peccati malitiam. Ἀνάζιον καὶ αὐτὸ μηδαμῶς μηδαμῇ μηδὲν ὄν. Estque boni planè expers. Quare optime Divus Thomas primâ quæstione vigesimâ quartâ, artilculo primo. *Peccare voluntariè est averti à Deo: deviat enim à recto ordine debiti finis.* Quod idem ante D. Thomam, Dionysius

Venialis peccati dedecora.

nysius eodem capite scripsit. *Malum itaque deflectit à via præter intentionem, præter naturam præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam.* Quare & Bernardus libro de præcepto, & dispensat. *Omne*, inquit, *peccatum contra mandatum Dei, præsumitur, quia illud scilicet Deus prohibet.* Quod Theologi sic explicant, peccatum veniale non tam esse contra Dei, quàm præter Dei voluntatem, prohibitum tamen & malum.

Veniale contristat Spiritum S. & quid sit contristare S. sanctū.

Quare & dicitur, *Contristare Spiritum sanctum*: Ephes. 4. sicut & mortale Deum occidere: unde & Deicidium, & Christicidium vocatur. Contristat ergo Spiritum sanctum, peccans venialiter, sicut amicus, cum injuriam ab alio accipit amico, eaque offenditur, solet contristari: sic & Spiritus sanctus. non ex defectu causæ, sed ex sua perfectione, qui est beatissimus & imperturbabilis, non contristatur quidem, sed effectus tristitiæ, & offensionis ostendit, subtrahendo scilicet illam pristinam affabilitatem, suavem influxum gratiæ, favorum auxilia. Quare optimè vocatur macula animæ, quæ oculos Spiritus sancti offendit, qui & offensus contristatur, indignatus fœditatem: & ab Augustino sermone 41. de Sanct. & horridæ scabiei, & pustulis comparatur. *Nostrum decus*, inquis, *ita exterminant, & animam inquinant, & quasi horrendâ scabie implent, deformem faciunt peccata venialia, ut ab illius sponsi speciosi forma, præ filiis hominum castissimis amplexibus hominem separent.* Quare autem separent, nec sponsus amplexus suos præ confusione, vix, aut nisi ægrè admittat, causam dat idem Augustinus libro de chordis capite 11. & libro 50. homiliarum, *quia veniale peccatum, fœdo luto comparatur, quo pulchritudo animæ hòrridè deformatur. Deus verò vult sponsam sine ruga, sine macula.* Ephes. 5. Maculæ ergo adeò turpes pudorem & verecundiam incutiunt, quo minus coram Deo; quasi fuligine tincta anima, & denigrata audeat comparere. Tollit præterea fiduciam in Deum: *Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus*: 1. Joannis 3. Quare & optimè lepræ comparatur, quâ percussa fuit Maria soror Moysis ob inverecundam in fratrem exprobrationem. Quantum malum lepra corporis! devorat carnes, cutem formosam decolorat, contagione commaculat, hominum contubernijs proscribitur, ejicitur templo, & quod majus est, arctissimum conjugij vinculum suspendit. Et quantò majora sunt damna quæ peccatum veniale parturit animæ? an non majora, quò grandius omnibus malis, malum peccati? Quare & cancer vocatur, qui ut secreto morsu depascit membra corporis, ita & peccatum veniale, nervos animi, quos crebris ictibus enervat. Non abs re, veniale

Nota effectum venialis peccati.

Denominationes peccati venialis.

A vocatur à multis paralysis, quæ etsi vitam relinquat corpori, sensus tamen corporis, & omnem vim, motumque solvit, & quasi truncum, spirantem tantum relinquit hominem. Hoc veneno plenum est veniale peccatum, quo robur, & firmitas animæ debilitatur, quæ robore, ac virtutis magnitudine, stabat excelsa, invictaque. Quantum discrimen inter paralytici, & gigantis statum? hic stat suo robore, alter sine viribus, suique impotens tabescit. Quare potentia virtutum, per venialia minuitur, & ut sacri scriptores loquuntur, paulatim mortificatur, etsi mors non inferatur, sicut ignis aquarum effusione. Sapientiæ 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Ingens corruptio,

Mala peccati venialis.

B ruptio, quæ minuit fervorem charitatis, remoratur cursum virtutum, & magnis facinoribus objicit impedimenta, & incitat Deum ad ultionem pœnâ temporali, gravi tamen. Quod ipsum Deus magnus ostendit, dum Abbatem Paulum ob indiscretum zelum paralysi percussit, & alium, ob duram responsionem, quâ Macarium contristaverat, durissimo dæmoni tradidit. Vide Cassianum collat. 7. capite 26. Quare Ascetici, veniale comparant languori, cujus vi sine sensu vires corporis quasi lento igniculo consumuntur, & ad mortem languidus disponitur. Quod ipsum Augustinus in Psalm. 108. pulchrâ similitudine dilucidat. *Quid interest ad naufragium, utrum uno*

C *grandi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem, atque submergat?* Et tractatu 12. in Joannem: *Minuta sunt guttæ, quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit.* Et libro 2. de summo bono capite 18. *In quotidianis peccatis timenda est ruina multitudinis, & si non magnitudinis: quoniam non levia sunt quia plura.* Et idem de decem Chordis, *Noli contemnere quia levia sunt, quia minora sunt, sed time quia plura.* Fateor non esse Leonem, qui uno rictu, & faucibus hiantibus devoret: an non magna vis culicum apumque, quæ

D stimulis, aculeisque hominem paulatim conficiunt, & ad exitium disponunt? *An non exigua scintilla*, ut ait Nazianzenus in sententijs, *excitat ingens incendium*? An non viperæ neglectum semen sæpè causat exitium? an non ex sententia S. Ephrem de morbo linguæ. avis maxima, minima tenetur ungula: siloq; An non ingens Leo levi domatur spina? An non juvenculus David, qui stravit ferreum gigantẽ, & ipse David uno gigas jactu oculi, velut uno semine serpentis concussus, infectusque interijt? an non unâ scintillâ amoris concrematus? an non *Stillicidia* Prov. 27. *ejiciunt hominem de domo in die hiemali*? non subitò ruina venit, si qua venit. *Alluvione frequenti consumitur terra.* Job. 14. Est ergo peccatum veniale majoris mali occasio,

sio, ut venenum in suo semine. *Et qui spernit modica, paulatim decidet.* Ecclesiasticorum 19. An non Monica Augustini mater, guttatim bibendo, & paulatim caliculis exhauriendis meribibula per sarcasmum ab ancilla vocata est? Tardè displicet, quod diu placuit. Vide Augustinum libro confess. Pœnitentia quæ peccatum non diluit, suo pondere ad aliud trahit.

Quare sancta Paula, de quà Hieronymus, ita levia plangebat, quasi magnorum rea. Noverat illud Proverbiorum 16. *Ante ruinam præcedet mala cogitatio.* Quare & optimè Divus Thomas 12. quæstione 88. augmentatâ enim dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum potest libido peccandi crescere, quod ille, qui peccat, finem suum ultimum constituat in peccato veniali, an non ideò, quia homo facillimè ea facit, ad quæ ex habitu, seu consuetudine inclinatur? Disponit ergo peccatum veniale, removendo auxilia, quæ lapsum erant remoratura.

Quaratione venia-le ascendat ad mortale.

Primò dum libertate peccandi, nimia est audacia, sanctus Dei timor minuitur, qui funis instar hominem vincit, ligatq; & ita inverecundo ore. Majestas Dei offenditur: *Deinde* habituum bonorum debilitatione per actus contrarios, unde peccandi facilitas inducitur.

Tertiò, substractione auxiliorum dandorum nisi per libertatem venialia fuissent admissa. An non aquila, dum sibi plumas, quibus in astra libratur, rostro adunco confringit, sibi & volandi, atque exspatiandi adimit libertatem? Dispositivè ergo per peccatum veniale, homo paratur ad mortale, & est quasi prognosticum mortalis, sicut cùm dicitur cęlum vesperi rubere, esse signum serenitatis futuræ: &, ut D. Tho. ibidem art. 3. in corpore, *Multa venialia dispositivè causant mortale, quemadmodum per longos morbos est iter ad mortem, nisi certis remediis obviàm eatur.* Audi Gregorium in Psalm. 140. lib. 3. Moral. cap. 16. *Diabolus, ait, à minimis incipiens, usque ad maiora perveniens, quasi omne corpus mentis illatis tentationibus lacerando transfigit.* Quod intulit corpori, sancti Job, Idem contra animas ad earum perniciem machinatur, & eodem prorsus ordine. Quare curandum est ne vel minima rimula ad animæ recessus Diabolo pateat. Patet autem per venialia: Patefacto autem aditu, quas strages non edit bonarum cogitationum? quæ turbationes non ingerit menti? Quas tenebras non offundit?

Veniale est prognosticū mortalis.

§. XXXVII.

Magnitudo peccati venialis unde colligi debeat.

VIs ergo per favorem uniri Deo? fuge peccati venialis ingens malum, quod unionem etsi non interimat totam, attamen disjungit, dum objiciunt medium impedimentum. Threnorum 3. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcircò tu inexorabilis es, Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* & Zachariæ 7. *Sic clamabunt & non exaudiam eos.* Audi Chrysostomum 1. Corinth. 3. orat. 8. *Non solùm Christo adhæreamus, sed etiam Christo agglutinemur, per facta, & per opera: nam qui servat mandata mea, ipse in me manet, etenim per multa exempla nos unit. Considera autem: ipse est caput, nos autem corpus. Inter caput, & corpus non potest esse ullum interstitium; ipse fundamentum, nos ædificium: ipse est vitis, & nos palmites: ipse est sponsus, & nos sponsa: ipse est Pastor, & nos oves: ipse est via, & nos qui ingredimur. Nos rursum templum sumus, ipse qui inhabitat. Ipse est primogenitus, nos fratres: ipse hæres, nos cohæredes: Ipse est vita, nos viventes: ipse est resurrectio, nos resurgentes: ipse est lux, nos qui illuminamur.* Hæc omnia indicunt unitatem, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium nec minimum quidem: (Nota verba, ut veniale peccatum statuat interstitium, & opponat medium, inter Deum & hominem) nam qui minimum abscesserit, multum & procedens abscedet: corpus enim si ab ense accipit disjunctionem, interibit: quamobrem hoc parum, non est parum, sed est ferè totum. Bene dicit sanctus Pater illud parum, esse ferè totum, non quod induat naturam peccati mortalis, veniale, cui collatum parum est, sicut morbus comparatus morti, non tantum quippiam est, quàm ipsa mors: attamen ad tanti mali accedit magnitudinem, ut nullum tamen tantum fingi, aut excogitari possit. Quare omnia damna temporalia, & supplicia æterna potius sunt diligenda, cum omnibus pœnis quas Deus inferre potest, quam minimam noxam contrahere. Unde conficitur, plus inferri, & damni, & vulnerum, & dolorum, & calamitatum, & afflictionum ab uno veniali peccato, animæ hominis justificatæ, quàm ab ipso Deo in genere tormentorum inferri possit.

Virtus unit nos Deo, venialis solvit paulatim unionem,

Veniale omnia mala naturæ superat, & mors illi præponenda.

Quare si una lance cumulentur omnia mala naturæ, quæ fingi possunt miseriæ, pœnæ, tormenta, & in altera lance gravitas unius peccati venialis, præponderaret miseria & calamitas debita peccato veniali. Deinde si mille mundi pretio unius peccati venialis

nialis forent liberandi ab æterna damnatione, & infinitæ animæ cælis inferendæ: præferenda est ruina omnium creaturarum uni veniali, gratiorque Deo omnium jactura damnandorum, quàm admissio unius venialis. Contentus quippè est Deus perdere tanta bona, quàm tolerare minimum malum in genere moris, suæ sanctissimæ voluntati, & beneplacito contrarium. Quare optimè dixit sanctus Pater suprà, *Quamobrem hoc parum, non est parum, sed ingens malum.* Cui, & in pari sensu accinit beatus Hieronymus, quando negat se scire, *an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: quod leve tamen præ infinita malitia peccati mortalis est reputandum.* Quanti autem æstimandum sit, ex pœnæ inflictæ magnitudine paulò infrà monstrabitur.

§. XXXVII.

Ingentis damni descriptio ex S. S. Patribus, & gentilibus.

CReber venialiũ concursus, neglectusque ab ingentium bonorum cursu retardat perfectioni studentem, & quemadmodum corruptus aër generat morbos, & vegetam naturæ corrumpit infectaq; pulchritudinem: sic contactus peccati venialis, radiantem animæ formam & speciem decolorat, & scabie, morbisque perfundit. *Sicut enim*, teste Aristotele, *generatio unius, est corruptio alterius, ita & corruptio unius formæ, est introductio alterius.* Quapropter si proficis & crescis virtutibus, deficis vitijs. Principium profectus, est digressio à malo: *Initium sanitatis, est recessus à morbo: initium bonorum*, ait Ambrosius, *est abstinentia malorum:* in Psalm. 1. Basilius in Psalm. 61. *Impossibile est ut capaces Divinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes, & vitia, nostras animas possidentes ejiciamus.* Quis pretiosos liquores effuderit in vas deterrimis odoribus imbutum? An non cùm seris agrum, priùs agros liberas spinis, silice, rubis? Audi Bernardum serm. 1. in Cant. *Vitium tentatio, inveterata passio imminens est periculum, & laqueus insidiantis diaboli.* Victoria ergo de venialibus culpis reportata, virtutum bona, & pacem mentis conciliat. Quantacumque ergo decessio à vitijs, tanta est accessio Cælestium donorum, teste Xaverio. Sic Turselinus lib. 6. cap. 13. Optimè ergo Plutarchus de virtutum progressu: *Rectè, inquit, proficiens nullum exiguum peccatum putare.* Audi sententiam sanctæ Teresæ latam in eos, quibus vile peccatum veniale, & nihil æstimatum c. 41. in itinere perfectis. *Hoc peccatum præcognitum & præmeditatum, & cum deliberatione factum, ut tanquam si peccans diceret: Domine*

Recessus à venialibus est accessus ad virtutem.

Horribilis sententia S. Teresæ.

A *quamvis tibi displiceat, nihilominus idipsum committam jam tum scio id te videre, & novi te nolle: tamen meam potius voluntatem, & appetitum sequi, quàm tuam volo. Et hujusmodi casum parvum esse dicere quis audebit? etenim non levem culpam id esse reputo, sed magnam, & quidem valde magnam.* Meritò ergo exclamat Hieronymus Epistolâ 14. ad Celant. *Sanè nescimus an possumus aliquod leve peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. An tu diligis Patrem, si diligis citra vulnera mortifera? an diligis Patrem, si omnes injurias intuleris, & tantum non mortem lugeas, doleasq;? sufficit me non privet hæreditate, vel vitâ: an non huiusmodi filium dixeris furenti similem, vel alium dæmonem? Et tu Religiose sic Deum tractans, servus Dei vocari debes?* Dictum ex Divo Thoma 1. 2.

B quæst. 88. art. 3. ad 2. *Quod sicut dispositio ad formam substantialem potest esse accidens, ita & peccatum veniale ad mortale. Primò, ex parte agentis, crescente habitu per venialium actus, qui habitus in tantum potest crescere, ut peccans constituat finem suum in veniali peccato: alio modo per remotionem contrariorum peccato veniali, quibus remotis accidit dispositio ad mortales assuescit enim voluntas paulatim, & languidior inclinat se, nec debito ordini curat se subiicere, ac sic paulatim voluntas tardatur se subiicere ordini debiti finis, eligens id quod est mortale.* Hoc docuit sancta Teresa lib. 3. vitæ suæ cap. 1. cui revelavit Deus locum sibi in inferno præparatum, non quidem peccati mortalis causâ, quod nunquam admisit, verùm peccatorum

C venialium reatu, quibus annis septemdecim indulserat, confessariorum indulgentiâ, quæ illam erant ad ruinam peccati mortalis deductura. *Mansi, inquit, in hac cæcitate credo plus quàm septemdecim annis, quam quidam Pater Dominicanus valde doctus illustravit, & illi ex societate Iesu totaliter mihi incusserunt tantum timorem, aggravantes adeò mea mala principia, sicut posteà dicam, & sanè per dispositiones continuas anima rapitur in perniciem mortis.* Quod ostendit Origenes Homil. 8. in Num. *Anima quoties peccat, toties vulneratur. O quot vulnera accipit in una die anima! lingua, oculis, concupiscentiæ telis. & tu spectas tot animæ tuæ vulnera, illachrymabilis, dignissimus lachrymis?* Doctè hoc illustravit Dionysius 4. de Divinis nominibus. *Malum cùm sit defectio à bono, suâ*

D *infirmitate & pondere semper ad aliud & aliud malum redditur.* Quare & Aristoteles lib. 3. politic. capite 8. ad conservandam Rempublicam: hoc imprimis dat monitum, in rem parvam intendere, parvam custodire oportet. Quot & quàm magna incendia ex scintilla enata! quàm multi religiosi ex levi unaque visitatione mulieris cecidere! scintillamque sui furoris hausêre! quot suam opulentam navem guttarum incremento tolerato demersêre! Sublimi ergo mente dixit Gregorius 3. part. Past. 34. nonnunquam deterius in parva quàm in magna culpa peccatur.

Non est diligere patrē qui vulneribus illatis diligitur.

S. Teresa per venialia erat damnanda, dispositivè nisi Deus benignè illuminasset.

Tot vulnera animæ quot venialia cōmissa.

Parva magni æstimāda.

Xxxx Hæc

Hæc agnita statim animosè damnantur: illa securiùs, sed periculosiùs retinentur, dum agmen advocant aliorum vitiorum, quæ inter se sunt confœderata. Ex hoc sensu intelligis mentem Divi Augustini, dum tractatu 12. in Joannem docet multa venialia non secus occidere animam, quam unum mortale; dum enim roborantur, & adolescunt cupiditates, per frequentes actus, tum adultæ, & roboratæ difficulter perimuntur. Et sanè citò ex paruis fontibus maxima consurgunt flumina, ex multis nævis formosa dehonestatur facies. Quare non solùm nitoris sit solicitudo, verùm & metus maculæ. In quanta circumspectione vixit sanctus Ephrem, qui nunquam sermone lapsus, nunquam contentione aliquâ ad metam allisus. In quanta Belarminus, qui nunquam in vita læsit suam conscientiam levi mendacio. Hos pudet imitari? imitare Epaminundam Thebanum Principem gentilem, de quo scribitur, nunquam per iocum fuisse mentitum. Non est minimum, negligere minima. Si negligis surculum, an non ex surculo nascitur arbor? an non vitia & putata repellulant, & effugata scintillæ mala redeunt & exstincta reaccenduntur, & sopita dènuò excitantur? Quare semina perpetuo eradenda, castigando, & castrando, ut ita dixerim, sæculi amore qui secum trahit vitiorum colluviem. Vita itaque minuuntur pro virtutis augmento, & quanto virtus fuerit in aliquo magis perfecta, & tantò magis in eo debilitatur vis fomitis, ut docet Divus Thomas 3. quæst. 15. art. 1. reprime ergo omni vi motus omnes in ortu suo, nec patiaris enasci affectus pungentes animam, & cruentantes. Si ergo Deum diligis, sectare Deo placitum, exstirpa & tolle à medio odiosa & ingrata Divinis oculis: ambitiosus est enim vel maximè Christus, animi à vitijs purgati, nullâque re tantopere delectatur, ac mente à vitijs purâ, ut loquitur sanctus Theodorus Studita Serm. 11. *Quo modo teipsum amas, & non amas dum etiam minimis affectibus Deo non placiturus indulges. Sic amare, est odisse. An non te odisti dum Deum cum vitio diligis.* Audi Augustinum tractatu 123. in Joannem, ubi sic Deo loquitur: *Nescio quo inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse te amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo, magis diligit qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo vivat. Projice ergo semina, mortis prænuntia, ut vivas ejus vita qui vita est, quam si diligis, beatus eris, beata vita.* Bene Aristoteles libro 7. Politicor. cap. 23. docet tria bonos efficere, natura scilicet & consuetudo, & ratio. Qàum facile te rexeris, si te ratio rexerit. Disce ergo ex Plutarcho ex signis profectus oraculum datum Cirræis

Exempla virorum minima fugientiū.

A quo dies noctesque jubebatur belligerare. *Conscius tibi sis dies te noctesq; contra vitia depugnare, aut saltem non sæpè de statione abire.* Sapienter gentilis homo; natura quippè vitiata, nisi continua cura putationeque concidatur, ipsa mora revalescit.

§. XXXVIII.

Magnitudo peccati venialis ostensa ex Doctrina Eminentissimi Cardinalis de Lugo. Comparatio peccati originalis cum habituali, utrum gravius?

B

Subtilissimus Doctor comparat peccatum originale habituale, seu ejus maculam quæ perseverat in parvulo ante Baptismum, cum peccato veniali actuali, disputatque, utrum sit alteri praeferendum. In Consociatione de vindicijs immaculatæ Conceptionis docuimus per peccatum originale supremam cladem toti generi humano illatam fuisse, & esse seminarium, fontemque omnium miseriarum, atque calamitatum, nec tantum inferri hominibus damni à mortali, quàm ab ipso originali malorum omnium principio. Quare & ex C argumento Divi Thomæ probavimus non esse admittendum originale in Virgine, *quam vult esse immunem ab omni veniali: non enim decuit*, ut S. Doctor docet, *Virginem, quæ erat Deum susceptura, ullâ maculâ, vel luto, vel fœtore peccati turpiter inquinari, sed sole lucidissimo esse puriorem.* Et sanè qui venerat destructurus peccatum, cur Matrem pateretur obnoxiam tyrannidi peccati? quæ ad hoc erat nata ut contereret peccatum serpentis? Et idem Divus Thomas in primo distinctione 44. quæstione unica art. 3. ad 2. exponens Anselmi testimonium, dicit Beatam Virginem tanta fuisse puritate, ut ab actuali, & originali peccato fuerit immunis. Deinde in quæstione 24. de veri- D tate art. 9. docet singulari Dei providentiâ, & protectione per actualia & specialia Dei auxilia, & admirabilia gratiæ dona, & esset impeccabilis, fuisse præservatam.

Veniale non admittendum præ originali.

His sic positis, ut ostendat magnitudinem peccati venialis, docet Eminentissimus Cardinalis planè contrarium, & præferendam maculam peccati originalis in primo instanti conceptionis, quam committere unum peccatum veniale: contrahere enim maculam originalis peccati, non est peccare; puer enim qui concipitur, non peccat, sed est in statu peccati habitualis, eò quòd peccavit in Adamo, & non est condonatum ei illud peccatum. Certum autem est quod non potest aliquis admittere peccatum

tum veniale, ut possit exire ex statu peccati habitualis in quo est. Quare concludit Auctor. Si aliquis sciret se esse in statu peccati mortalis, & putaret se non posse nisi per Pœnitentiæ Sacramentum liberari, nisi admissâ culpâ veniali, certum est quod non posset licitè facere sed deberet eligere manere in peccati statu, non solùm ad unum instans, sed etiam ad multos annos potiùs quàm committere unum veniale, nam manere in habituali non est peccare, nec dignum pœnâ novâ, sed perseverantia moralis culpæ præteritæ. Addit & idem Doctor aliud mirabilius: Si, inquit, casus occurreret, quo aliquis, sciens se esse in statu peccati, & putans se non posse liberari per contritionem, sed per Sacramentum, cujus opportunitatem tunc non haberet, videatque se occidendum ab inimico, à quo posset se liberare mendacio quodam veniali, non posset licitè illud committere, sed deberet potius se sinere in illo periculo apprehenso damnationis æternæ, quàm committere veniale: quamvis credibile sit illum hominem non damnandum, in existimatione tamen sua debet potiùs permittere damnationem suam, quàm peccare venialiter. Et ratio, inquit, clara est, & certum est peccatum numquam esse licitum, si maneat peccatum: ergo mendacium illud si manet peccatum, quod supponitur, non potest eligi ad quodcumque malum vitandum. Ad sacram Virginem redeamus, quanto minus potuisset eligi peccatum veniale ad evitandum ad unum instans, peccatum originale: non potuit ergo Sanctissima Virgo deligere veniale, ad declinandum originale, non solùm ad unum instans, verùm etiam ad multos annos. Tanti est peccare: in tantum horruit offensam Divinæ Majestatis, tantusque erat fervor dilectionis in Deum, ut per unum instans maluisset carere privilegio & gratiâ immaculatæ Conceptionis, quàm subire periculum certissimè Deum offendendi. Et sanè ratio convincit. Contrahere maculam, seu esse in peccato originali, non est affectu averti à Deo, sed pati aversionem, odium ac indignationem, ac inimicitiam propter peccatum præteritum non condonatum: Charitas autem magis inclinat hominem, ad non offendendum Deum, ad non avertendum affectum nostrum à Deo, & non adversandum Deo, quod fit per peccatum actuale, quàm ad procurandum amorem Dei erga nos; ergo magis inclinat ad impediendam offensam Dei, quàm ac procurandam veniam offensæ præteritæ, seu amicitiam Dei ad nos.

Mirabilis doctrina, & vera.

Nobilis doctrina.

§. XXXIX.

Alia manifestatio magnitudinis peccati venialis.

A

Conferamus peccatum veniale, actuale cum peccato originali actuali, utrum electurus sit fervidus Dei amator? an peccasse venialiter, vel originaliter? Quæritur ergo, utrum sit gravius? Si quis ruinam generis humani considerat, originale infinitis modis videtur gravius: quid enim gravius, quàm excidere à Dei gratia? esse & reputari inimicum Dei? esse reum æternæ miseriæ? Deinde quis non judicat magis fugiendum, id quod odio Divino dignius est?

B

An non originale dignius majori odio, quàm veniale? sic videtur consentaneum rationi. Hoc non interimit amicitiam Divinam, & illud è medio illam tollit; veniale non bellat cum Deo, originale æterna bella gerit, aliáque. Ex parte tamen voluntatis propriè est gravius veniale quia fit per electionem, consilio adhibito, & tota influit in ipsum actum peccaminosum. Originale verò alienæ voluntatis malitia imputatur innoxijs in se, noxijs verò ratione originis exosæ. Deinde magis fugiendum mihi, ut non faciam id quod Deus magis odit, non tamen magis mihi fugiendum id, quod Deus magis odit, dum permissivè sive ego habeo, quam facere id quod magis odit. Nam Deus magis odit mortale alienum, quam veniale meum, & tamen magis obligor, ad non faciendum veniale, quam ad impediendum, vel non permittendum mortale alienum. Non enim ego denominor peccans per voluntatem alienam, sicut per propriam, faciendo veniale. Et quamvis Deus magis odit id peccatum quod est gravius, & peccatum originale videatur esse gravius veniali, & ideo magis dicatur odisse; Verum id quidem est, si utrumque æquè procedat à mea voluntate, tunc odit Deus id quod gravius est: sin verò non æquè procedat, non odit Deus quamvis gravius detrimentum causet, propter salutis jacturam, non tamen facit me magis reprehensibilem nec in rigore mihi potest imputari, nec dici cur hoc fecisti? sicut in peccati venialis causa.

C

D

Quæ omnia intellige, quando peccatum originale non traheret secum periculum æternæ damnationis; nam pro eo vitando posset aliquis subire prudenter, & permittere periculum venialiter peccandi. Nota tamen quod peccatum originale affert majorem separationem Divinæ voluntatis à nobis; & veniale actuale majorem separationem voluntatis nostræ à Deo, quam separationem

Nota præclaram doctrinam.

rationem magis curat impedire recta Charitas, quæ magis studet amare, quàm amari. Hanc separationem Divinæ voluntatis à nostra per peccatum veniale ita inhorruit magnus Job, ut exclamarit, cap. 4. *Indignatio tua ebibit spiritum meum*, id est, exhausit omnem vigorem, viresque animi. Sicut indignatio vultûs Regis Assueri, ita verberavit animum & cor Reginæ Esther, ut instar exanimatæ concideret, voxque animusque deficeret, in tantum tamen amata. Peccatum ergo veniale concitat Dei vultum ad indignationem, ut obductâ fronte, & contracto per offensionem vultu, stimulatus ad iram, nos intueatur censorijs, severisque oculis, & mittat sagittas tribulationum in animas, prout Job clamabat cap. 4. quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Has sagittas indignationis mittit amor Dei, & jacula parat, ut justorum mentes luto venialium contaminatas, tanquam scopum attingant, ut amoris telis confixæ maneant. Pulchrè Gregorius lib. 7. Moral. cap. 3. *Sagitta Domini spiritum hominis ebibunt, cum superna animadversionis sententia afflictam mentem, ab elatione compescunt*. Et paulo infrà: *Indignatio ebibit spiritum justi, quia superna sententia electos, quos in peccatis inveniunt dum vulnerant, immutant, ut duritiam suam mens transfixa deserat, atque ex salutifero vulnere, sanguis confessionis currat*. Bene ergo gravis indignatio Dei commovetur peccato veniali. Et quis feret aspectum ejus, quandoquidem, dum respicit, terram, facit eam tremere? An non tremuit David percussione Ozæ lib. 2. Reg. cap. 6. *Mittit manum ad arcam Dei, & tenuit eam, iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate sua. Et contristatus est David, eò quòd percussisset Dominus Ozam, & extimuit Dominum in illa die*. Et quæ materia tantæ indignationis? an non peccatum veniale? an non tenerrimo Religionis affectu poterat excusari? Hæc & indignatio ebibit spiritum Moysis, & Aaron, qui nonnihil hæsitantes in percutienda petra, veniali peccato pependerunt pœnas: interdictione scilicet terræ sanctæ, & morte ipsâ redemerunt tenuem noxam, teste August. in Numerorum lib. cap. 12. *Qualis indignatio in Lazarum? quem*, ait Chrysostomus concio. 3. de Lazaro, *morbis, ipsâ morte, gravioribus, fame, ulceribus, & suppurationibus diffluentem, ob noxas veniales sic fuisse cruciatum*. Qualis indignatio in Abbatem Paulum, qui ob levem culpam, ut ait Cassianus colla. 7. cap. 26. tali correptione fuit percussus, ut ejus universum corpus paralyseos valetudine solveretur, nullumque in eo membrum penitus explere suum prævaleret officium? Qualis indignatio Dei, & quàm metuenda, quam animæ justorum in Purgatorio coguntur ebibere! ubi exurendæ fæces, & purgandæ maculæ flammis æstuantibus; nihil enim pollutum intrabit in regnum Dei. Optimè ergo docet Hieronymus ad Heliodorum: *Christo mens dedita, aquè majoribus, & in minoribus intenta est*. Et Richardus in Cantic. 9. *Anima quæ sublimiorem gradum vult conscendere, etiam multitudinem venialium peccatorum debet contemnere, & minores imperfectiones vitare*. Si Aman, Esther. 7. obstupuerit, vultum Reginæ ac Regis ferre non sustinens, quis feret vultum indignantis Dei? *Quis mihi det ut inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus?* Damnabat suspirans Job 14. qui justus, qui simplex, & rectus, qui verebatur omnia opera sua: sibi, & & oneri ignoto timens, verebatur vultum indignantis Dei, si fortè materia secreta lapsus minimi, subministrasset sibi, sui incurioso. Quare quanto ocyùs obviàm eundum peccatis venialibus, si enim moram & spatium indulseris, tarditatem emendationis generant. Hoc docet sanctus Gregorius lib. 32. Moral. cap. 17. *Numquam hi, qui viam Sanctitatis appetunt, in errorem lapsi tardiùs emendantur. Rectum quippe existimant id quod agunt, & sicut excolendæ virtuti; sic vitio perseverantiam jungunt*. Unde bene Jeremias, cùm diceret Threnor. 4. *Candidiores Nazaræi ejus nive, candidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*, ilicò adjunxit: *Adhæsit cutis eorum ossibus, & facta est quasi lignum*. Quare lignum? Sicut lignum formosum carie, & tenerrimo vermiculo paulatim fine sensu corroditur, teritur, consumitur, sic species animæ à vermiculis peccati venialis deformatur.

Peccati venialis malum sagitta comparatur.

Percussio Ozæ ob peccatum veniale.

Lazari ulcerosi status ob veniale peccatum.

Qualis indignatio Dei ob peccatum veniale.

Subita cura veniale purgandi.

CONCLUSIO.

PEccati venialis pœnitendi gravitas nunquam perfectiùs ponderatur, quàm ex oppositione excellentiæ Divinæ, quo enim fulget major infiniti Dei cognitio, tanto implacabilior prosilit malitiæ detestatio. Sicut enim infinita Dei pulchritudo, & infinita bonitas cognita, mox vehementissime ab anima rationali extorquet summa amoris gaudia, ita cognita malitia, & turpitudo minimi peccati venialis, infandos continuosque dolores. Quis cognoscet purissimi animi nobilitatem, & malitiosam privationem honesti? Sancta Paula Romana mundi suique victrix in lachrymas solvebatur ad minimam labis venialis maculam. Sciebat illa quanti esset Deus. Scientia enim & cognitio infiniti boni in anima vulnere venialis peccati saucia, generat dolorem, pœnitudinem, mutat risum in luctum, cantum in planctum, & gaudium in mœrorem; rerum denique omnium quarum appetitus placebat, oritur tristis horror fugaque

gaque. Optimam & verissimum documentum Spiritus sancti. *Qui addit scientiam addit dolorem.* An non in immensum crescit magnitudo doloris ex scientia infiniti boni amissi vel offensi Dei? Studes sancto dolori, & stude notitiæ æterni Dei, qua cognitus, magnis animabus proscribet omnia peccati venialis inquinamenta. Tanta enim, & tam horrifica est enormitas peccati venialis, ut probè cognita & intimè prospecta Divæ Catharinæ Genuensi expresserit. hæc verba: *Cognitissimum mihi est quod, quando amor purus, vel exiguissimam imperfectionem videret, si Deus non averteret cogitationem, in pulverem redigeretur, non corpus modo sed anima, nisi esset immortalis.*

A

B

Hinc etiam Pater du Pont voto expresso se obligavit nunquam ullo peccato offendendi Deum deliberato. Hoc autem votum ab eo perfectè observatum asseruitt in processu informativo pro ejus Canonizatione Reverendus Pater de Sadovall per annos viginti Confessarius.

Quid dicam de Pambone, qui linguam ita lubricam ad peccandum domuerat, ut moriens, jam septuagenarius clauserit vitam his verbis. *Ex quo veni in hunc locum solitudinis & hic habitavi non me in hanc horam alicuius verbi* pœnitet. O quàm dissimiles talibus viris, nos vivimus quos vix pœnitet factorum, prodigi linguæ dissolutæ. Stabant hi viri in conspectu Dei, & membra sua coercebant, ut servirent perfectioni, quæ servierant iniquitati. Tu ergo tuere veram Sanctitatem, & dolori peccati adde castigationem, nec patiaris dominatum in te minimi peccati. Quid prodest quotidie relabi, & assurgere vitijs? quid prodest baptizari à mortuo, & iterum tangere eum, Opus est indefessa vigilia, opus est ut ambulem coram Deo, ne tremendæ majestatis offendatur aspectus. Pulchrum est illud Matris Teresiæ: Quò quis Deum magis cognoscit, eò etiam illius opera faciliora redduntur.

ALTERA PARS XXVI. CONSOCIATIONIS.

In qua convincitur, Matrem Dei fuisse verè Dominam ac Reginam omnium, ac proinde deberi illi omnes partes Iustitiæ quæ regibus debentur.

§. I.

In Matre Dei Regina omnium Creaturarum omnes Iustitiæ partes inveniri.

PRIUSQUAM Consociationem Justitiæ Virgineæ aggrediamur, nonnulla judico anticipanda, tanquam bases totius materiæ quibus tota superstructio debet inniti.

Primum, Christum Dominum à Patre æterno Regem omnium creaturarum jure naturæ, & hæreditario, & Patris unctione atque declaratione esse constitutum, juxta illud Psal. 2. *Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Patris verò unctione, Psalm. 44. docetur, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et Daniel 9. *ut ungatur Sanctus sanctorum.* Et Actor. 10. *Quomodo vnxit eum Deus,* id est, Christum Dominum: quare & juxta Isidorum lib. 2. de Ecclesiasticis officijs cap. 26. docet Reges & sacerdotes eodem unguento ungi. Erat quidem in eo tempore, tantum in Regibus & sacerdotibus mystica unctio, quâ Christus figurabatur, cujus nomen à Chrismate dicitur. Sed postquam Dominus verus Rex, & sacerdos æternus, à Deo Patre Cælesti ac mystico unguento est delibutus unctione Chrismatis, tunc & sponsa, ejus, Ecclesia scilicet, consecratur, pro eo quod est membrum æterni Regis, & sacerdotis, ideò & post lavacrum nos ungimur, ut Christi nomine censeamur. A Christo verò dicimur Christiani, tanquam uncti derivemur ab uncto.

Reges & sacerdotes ungebantur.

Mater Dei Regina.

Alterum est, Sanctissimam Virginem esse veram Reginam omnium creaturarum, juxta illud Psal. 44. ubi de Christo uncto loqui A desijt Propheta. statim subjunxit, *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Sponsa Spiritus sancti, Filia Dei Patris, & Mater unigeniti, cui jure naturæ, & civili regnum Filij tanquam Matri, tum prætereà tanquam unicæ Dei Patris Filiæ, & tanquam sponsæ sancti Spiritus debetur: specialiter id caventur in Leg. *Princeps* ff. de Legibus, & Leg. *Cubicularios.* capite de præpositis cubicularijs, quibus statuitur Augustam & nomine, & honore & privilegijs Augusti, jure ipso conjugij gaudere. Decrevit prætereà Justinianus Imperator Leg. *Si liberat.* cap. de nuptijs: ut mariti dignitatem uxor & Augusta sortiatur. Vult ergo Lege conditâ, ut uxor marito concrescat, & sentiat illius fulgorem. Aptemus verba legis. Virgo ego sancta tanquam unica hæres regni, & sponsa, & Mater Regis, particeps unctionis, & regni, & dignitatis effecta est, & quamvis de unctione nihil exprimatur, ea tamen facta necessariò intelligitur, B nam coronatio, est unctio Reginarum sicut hodie fieri consueta.

Quando autem Christus unctus? Respondet Chrysostomus in Psalm. 40. Quando tanquam in columbæ specie super eum venit Spiritus sanctus. His adde, quando autem baptizatus est Jesus, ascendit de aqua, & aperti sunt cæli, & vidit Sipiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientē super se, & ecce de cælo dicēs vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui,* Habes unctionis totius cæremoniam. Cælesti quoque ratione Christianissimi Reges, præ omnibus Regibus terræ inunguntur, tanquam primogeniti Ecclesiæ & tam dilecti Deo Filij, pro Filio Dei, Christo Domi-

Quando Christus D. fuit unctus.

Domino uncto. inuncti suis armis bellantes.

Quando verò Sanctissima Virgo uncta tanquam Regina, Mater? an non eo puncto, quo pleno consensu rapiebatur in filij Dei Incarnationem, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum?* Quando enim concepit Filium, completa fuit antenuptialis promissio, quæ erat, *Paries filium, qui vocabitur Altissimi filius & dabit illi Dominus Deus sedem Patris sui David: & regni eius non erit finis.* Divus Ambrosius libro primo de fide capite secundo, sic disputat: *Deus est*, inquit, *qui ungit, & qui secundùm carnem ungitur Dei Filius, & quos habet unctionis sua Christus, nisi carnis sua participes? Et quid est unctio, nisi forma quadam Regem constituens Christus ergo per unctionem Rex constitutus, quos habet participes sua unctionis, nisi eos quibus tribuit suam carnem, & quibus non tantùm unitatem Spiritus, sed etiam unitatem carnis copulat per Baptismum & sanctam Eucharistiam, & qua creatura arctiori necessitudine Christo copulatur, quàm Mater eius, cui non tribuit Filius suam carnem, sed qua vestit Filium suâ carne, ut necessariò confitendum sit de Matre & Filio, quod agnoscimus in primis parentibus consummatum, dum Adamus ex fabrica sui corporis, novam fabricam spectavit, exclamavitq́. Hoc os, id est, hoc os de ossibus meis, & caro de carne mea, Unctus ergo Filius & Rex, uncta & Mater & Regina.* Quod ipsum pulchrè Arnoldus Carnotensis. *Nec à dominatione Filii vel potentia, Mater potest esse seiuncta: una est Maria caro, & Christi, unus spiritus, una charitas. Et ex quo dictum est, Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum & donum.* Et Bonaventura in speculo c. 5. *Dominus potentissimus tecum, & tu Domina potentissima.* Et Damascenus lib. 4. de othodox. fide capite decimoquinto, *Maria rerum omnium conditarum Domina effecta est, cùm Creatoris Mater extitit.* Et Anselmus. *Ipse*, inquit, *corporaliter venit in illam, ut benedicam, Reginam, Imperatricemq́, Cæli, & terræ. Non ergo per similitudinem dicas Virginem Reginam, sed verè & propriè, qua Mater est summi Regis, & Imperatoris, non electione, non affectu, non donatione, non privilegio, sed naturali iure, sicut filius est Rex, & Imperator iure natura*, ut Aristoteles docuit (ut in alijs Consociationibus dictum) Ethicorum libro octavo capite decimo, *Societas Patris ad Filios regni præ se ferre effigiem: nati namque Patri cura sunt.* Deitas autem humanitati sociata, illi supremum rerum omnium Dominium cùm contulerit, non potuit non Dominatus in Matrem defluere. Parum dixi: dico Matri deberi, cùm enim Filius Matri Virgini naturaliter subjaceat, Materque Virgo, quæ Patriam potestatem sola obtinebat in Filium, in Filium habebat Imperium. Possidebat ergo Virgo naturaliter, quæcumque obveniebant Filio, cum Filius fuerit tota

Quando Mater Dei uncta.

Christiani omnes uncti.

SS. Virgo verè regina.

A portio Matris Virginis, vel idem cum illa. Quænam poterit ergo intervenire bonorum separatio? Rex ergo cum Filius, & Mater erit Regina, & Imperatrix. Com muni ergo societate potestatis, & Justitiæ & clementiæ orbis regitur, tam à Filio, quàm à Matre.

§. II.

Nunc ad initium Consociationis.

B

Vtrum in Virgine reperiatur tanquam in Regina Iustitia adversus homines.

IN Consociatione de Clementia, dictum est, primarium & summum stemmatis Regij fulgorem esse clementiam. Diximus etiam dedisse primordia Principatui, & Justitiam esse fundamentum regnorum, eaque solium firmari: Misericordiam verò esse nutricem, esse Matrem, esse instar olei, ut jucũdo & amabili temperamento Justitia, sine offensa subditorum possit exerceri: hac mixtura fiet, ut Justitia concrescat misericordiæ C bonis, & misericordia Justitiæ sale condatur. Regnum ergo Virginis, vocemus regnum clementiæ, regnum misericordiæ, & regnum Justitiæ. De Justitiæ verò administratione, cum ex sacra Scriptura, & testimonia trahi, nec duci possunt, curremus post illam in odorem unguentorum suorum, id est, exemplorum Justitiæ, quæ toti orbi exhibuit, ut servârit leges veræ amicitiæ, cum suis amatoribus, ut devincta paruis obsequijs rependerit ingentia bona, ut instar Filij Christi Domini horam laboris denario exoluerit: ut se debitricem, & debitum viri, solvat pretiò Margariti: ut Filij hostes diligat, quia ab illis dilecta, cultaq;: ut largâ manu distribuat sua D dona pro rerum, personarum, & status dignitate, officio, & temporum necessitate; deinde ut injurias Filio, raro sibi illatas vindicet. Et quemadmodum in Deo respectu creaturarum non invenitur rigor nec Justitiæ commutativæ, nec distributivæ sed tantum largo modo sumptæ, & imago quædam Justitiæ legalis naturalis, ad normam contractuũ innominatorum, do scil. ut des. Facio, ut facias, amo, ut ames, ut fiat ex amore redamatio, & munus provocet donationem: & exhibitum opus producat debitum in æquitate, sicut dictum est: ita & in Virgine non invenitur rigor Justitiæ, quæ ex quo debitrix constituatur, verùm ea quę pro se ferat

In Virgine reperitur suo modo justitia.

 obli-

dorem, atque quid eximium portendere.

Apparuit prætereà Christus Dominus versus orientem, ultionem de hostibus requirens, quâ quidem visione Imperium Mauritij perspicuè demonstratum est. Quod utinam non fœdasset avaritiâ corruptus; quæ causâ fuit, & ipsi, & toti familiæ in ruinam, ut dictum est. Nullis unquam Imperatorum gloriosiores triumphi Virginis Matris beneficio contigêre, quàm Justiniano Orientis Imperatori: & Ferdinando Secundo Occidentis. Ille anno Christi 534. hic anno 1630. uterque pietate in Virginem eximius: uterque magnorum operum patrator, & victoriam insperatarum claritudine admirabilis.

Justiniano & Ferdinando soluit ingentibus favoribus obsequia.

Quæ beneficia fuerit consecutus Justinianus, ipse fatetur L. primâ Codi. quinto de offic. Præfecti Prætorio Africæ: ipsum audi: In nomine Domini nostri Jesu Christi Imperator Justinianus. O quas gratias aut quas laudes Domino Deo nostro Jesu Christo exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere, nec lingua proferre. Excedit omnia mirabilia opera quæ in sæculo contigerunt: ut Africa per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, anteà nonaginta quinque annos à Wandalis captivata, qui animarum simul fuerant hostes, & corporum. O quod beneficium antecessores nostri non meruerunt, quibus non solùm Africam liberare non licuit, sed & ipsam Romam viderunt ab ijsdem Wandalis captam, & omnia Imperialia ornamenta in Africam exinde translata.

Nunc attende cujus opitulatione tanta sit assecutus. Mox subjungit. Hoc etiam deprecantes exoramus sanctæ, & gloriosæ semper Virginis, & Dei Genetricis Mariæ precibus, ut quidquid minus est Reipublicæ nostræ per nos ultimos suos restituat in suo nomine Deus, & dignos nos faciat servitium ejus implere. Posteros docuit Imperatores, digno quod retineretur exemplo; post populos Dei beneficio debellatos, tum verbis, tum factis, gratias summas Divino Numini esse reddendas; ne dicant, *Manus nostra excelsa, & non Deus fecit hæc omnia.* Visus fuit Justinianus emisse hos tantos favores à Sanctissima Virgine, dum varijs in Provincijs, & in primis Jerosolymis templum mirificis substructionibus erexit, cui nullum planè aliud æquiparari potest, quam incolæ novam Ecclesiam vocant. Columnæ verò quæ suffulciunt templum, flammam ignis quodam colore imitabantur, & magnitudine, & copiâ indicibiles, stuporem spectantium conciliabant.

Vide Procopium de Ædific. Justiniani oratione quintâ; Ferdinandi verò Secundi, quot victoriæ, tot miracula celebrari possunt.

An non visa fuit fluitante per tot tempestates, undasque Imperio Germanico; Sanctissima Virgo, & prora, & puppis? an non visa fuit tanquam suprema Gubernatrix sedere ad clavum, & Imperio undisonos fluctus premere, & fugatis tenebris diem, desperationi fiduciam reducere? Per illam victoria Bohemica cessit Aquilæ, & Praga, & Religio restituta, & ipse Imperator victo propior, victor mediâ luce refulsit.

Quid? quod in supremo congressus ardore, dum alea jaciebatur, Cælestes phalanges, & novæ armaturæ, pedites, equitesque in terrorem hostium Ferdinando militarunt. Cæsi, capti, submersique, & vario fato erepti, victi. Non sine causa Ferdinandus Laureatus, Matrem Dei vocare solitus, Ducem sui exercitus.

Quid justius, quàm ut Virgo Sanctissima, singulari & eminenti providentiâ virum protegeret, qui totus in Virginis defensionem laborans excubabat? quid justius, quàm ut omnia à Virgine tanto suo servo donarentur, qui se totum, & omnia sua Virgini Lauretanæ, coram ara sacra, sacraque statua in æternam servitutem manciparat, juravitque se fore hæresis hostem, nec toleraturum in suis terris Religionis exitialem libertatem; imitatus (quamvis in alio genere) maximum Ducem Hannibalem, qui ante aram se æternum fore Romanorum hostem, Dijs edito jurejurando devovit.

Certavit hic cum Virgine, quantum homini datum obsequijs, illa verò beneficijs: ille nullam metam posuit demerendi, nec illa benefaciendi. Hunc ordinem Justitiæ servavit SS. Virgo.

Stupenda victoria Basilio imperatori concessa. Qui Virginem obsequiis, & illa illum victorijs prosecuta.

Anno Domini 886. Basilius Imperator, quæ non retulit suorum pulchrorum facinorum præmia? cultorem suum Virgo Imperatrix, victorem terraque marique gloriosum extulit. Præ ceteris victorijs eminet una contra Saracenos Tarsi regnantes, quorum Princeps literas contumeliæ, intolerabilis superbiæ plenas misit ad Andream Ducem Basilij Imperatoris, virum bonum; cum hisce verbis: Nunc videbo, an Mariæ Filius, ejusque parens tibi proderit, cùm contra te, cum meo exercitu progrediar. Has Andreas appendit imagini Genitricis magni Dei, hæc locutus: Vide ô Mater Dei, tuque ipsius Filius, & Deus, qualia exprobravit, & superbè dixit contra tuum superstitem Filium, barbarus iste arrogans? Concitus ergo armis arreptis, in hostem pergit, multâ cæde fundit, fugatque: cæso priùs impio Duce, paucis ex infinita multitudine salvis.

Vide Baronium. Sic insultavit impiè Genitricis statuæ filius Guilielmi de Nassau, quæ opprobria recensere erubesco in familiæ

liæ gratiam, indigna quippè tanto sanguine.

An non horribile Dei Matris statuam flammis cremandam dare? Quid non audet impietas? ô Copronymi nefanda proles! an non Mater Dei, plusquam Mater impij, & quas pœnas non senserunt Nassauviæ manus? raptus, vinctus, & captus, & victus erupit: at erupit in majores pœnas, ut Slopeto-trajectus, victima erebi caderet æternis ignibus cremanda.

Diva Virgo vult pendere tributum.

Quas victorias non detulit Narseti Duci Justiniani Imperatoris Sanctissima Virgo? Solvebat Virgo tributum, summæ viri pietati ex Divini numinis nutu pendentis.

Hic tanta Veneratione Virginem complectebatur, ut illa, claram luce se spectandam daret; illa locum pugnæ, & tempus signare, ille verò nec loco se movere, nisi signo à Virgine accepto.

Gens Gothica excisa ab Eunucho.

Hic Virginis ope Totilam invictum cum tota Gothorum gente desperatis jam Imperij rebus debellavit & excidit. Quis credet bellatricem gentem, & ferreos lacertos ab Eunucho potuisse domari? Pugnavit ille novis bellandi modis. Audi Procopium de bello Gothico libro tertio: Nicephorum libro decimoseptimo: Baronium Tomo septimo, anno 568. pugnabat munificentia in pauperes, vigilijs, orationibus: non tam telis quàm supplicationibus victorias parabat.

Nota Lector notate Principes Quibus armis invicta gens victa.

Hac arte pugnax Carolus Quintus tantum terrarum victor emensus est. Disciplina etiamnum hodie ictibus cruentata in pietatis trophæum ostenditur, quam Philippus Secundus moriturus filio Philippo, tanquam summum Imperij pignus consignavit. *Ecce* (inquit) *arma felicis memoriæ avi tui Caroli, quibus se, & suos hostes subegit.* Uterque Imperio clarus, & clarior Narzes in Virginem obsequiis. Lorquar cum Damasceno: *Insuperabilem, Deipara spem tuam habens servabor: defensionem tuam possidens, per quam, ô pura, non timebo. Persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solàm habens, ut thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. Et deprecor clamans tibi, salva me intercessionibus tuis: & eleva me de tenebroso somno ad tuam glorificationem; potentia ex te incarnati Dei.*

Rupertus donatione sui donatur magno ingenio ex contractu, ut des.

Rupertus Abbas Tuitiensis ad disciplinas capessendas inhabilis, æstuabat ingentibus curis: Quid agat? consecrat Virgini corpus, & animam, tanquam duo minuta. Judicavit Virgo suæ fore æquitatis, ut ingentia rependeret. Obtinet ergo stupendum ingenium. Ut vir obtusus, ita ijsdem in rebus habilis, & ornatus fuerit, ut non natus, sed ab aliquo Deo fictus videretur. Famam miraculi opera ingenio gravida loquuntur. Quis ignorat Albertum Magnum, clarissimi ordinis famosissimum Doctorem,

A Virginis ope, & muneribus Principem evasisse? Sufficiebat Virgini adolescentem esse alumnum sui ordinis amati, & ex quadam æquitate suum servare, ut Matrem decet, lege naturæ atque Justitiæ. Hebetudo ingenij, & pudor tarditatis, fugam suaserant. Visus est per quietem scalas muris applicare. Quatuor apparere placidissimo vultu matronas: quarum una, deinde altera, conantem conscendere, deturbare, tertium dein iterantem ascensum, tertia matrona causam fugæ rogare, & ille obtusi ingenij pudorem obtendere. Bene inquit est. Ecce tibi Mater Dei coram adest, pete, dabitur Alberte quod optas. Potitus optatis, quantus evasit. Vide Annales sacri Ordinis. Observa hîc Lector ut imaginem tenuis debiti, & quasi umbram non transmiserit Virgo, ut habitum sacri Ordinis in pretio habuerit? ut honori sacer locus, & Domicilium virorum sanctorum? Suâ mercede Simon, bajulus crucis Dominicæ non caruit? crucem tamen primâ congressione indignatus: Deinde amicus Dei, & Christi Discipulus dictus, & filij sancti evasêre. Tanti est, Christo Domino ministras manus accommodasse? Nunc disce ex Theophane, Cedreno, ut Virgo pensarit gestamen suæ imaginis. Chosroes insolens victoriarum ludo, res Orientis attriverat, alto spiritu omnes conditiones pacis despicere, ipsum Imperatorem sibi dedi, permiscere denique omnia oblitus suæ mortalitatis.

Alberto magno ex justitia æqualitate large sumpta magna dantur.

Simon ex justitia quadam crucis portatione factus amicus Dei.

C Servitus Tyrannica omnium observabitur oculis, nulla nisi in lachrymis, luctu, & precibus spes, solatiumque. Heraclius ergo Imperator, jejunijs peractis seipso robustior, ipso die Paschæ egreditur Constantinopoli: & quâ armaturâ fulgens? quibus armis potens, fidensque! Pulcherrimam Virginis imaginem manu dextrâ circumfert, creat illam dictatricem suæ fortunæ, exercitusque, audet aggredi opus plenum aleâ, plenum periculis, hostem triplici prælio vincit, subigit, perfidum, suum facit, & leges pacis, quas toties victus impetrare non potuerat, potens rerum dat victor. Ecce ut victorijs partis, solvit Virgo exigui honoris debitum. Tu aliquo Justitiæ titulo obliga tibi Dei Matrem. Vix servitutem exhibueris, aureâ compede Virginem vinxeris. Solvetur stipendium festinatâ manu, dignum Regiâ Majestate. Alexander Magnus rogatus quisnam esset Rex optimus? *Qui*, inquit, *amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis.* Minimas tuas curas in suam gloriam expensas inscribit Virgo libris suarum rationum, refert in tabulas, exsolvit suo tempore, etiam momenta temporum sibi donata: illa non lassatur, nec donando vel distribuendo: illa multiplicat semina nostra, in amplitudinem speciosissimæ messis: illa scit, beatius esse dare, quàm accipere, verum accipit, ut beatius.

Heraclius emit à Virgine victorias jejunijs lachrymis imaginis portatione.

SS. Virgo singula puncta temporis pro se expensa refert in libros rationum.

Quid

Quid enim beatius, quàm habere Dei Matrem debitricem? nobis prudens est, ut plura possit dare, quam accipe. An non est digna omni, æternoque labore peti? Artaxerces haustâ aquâ ex manibus rustici, phialam auream refertam Daricis, rustico in tributum solvit: an non plusquam Artaxerxes Mater Dei? Pythagoras rogatus quâ ratione similes Dijs homines fierent. *Si veritatem*, inquit, *amplexentur*, *& cunctis benefaciant*. Theophrastus quid vitam humanam conservaret, rogatus; *Beneficia* inquit. Mater sapientiæ, omnibus sapientibus sapientior, novit has regulas: illa habet duos libros. Acceptorum, & expensorum, non ex charta, sed ex factis confectos: illa digerit omnia nostra, ut nostris studijs debitum præmium rependat, & quod præmij summum decus est, omni dato facit hilarem vultum. Horum omnium faciet fidem beatus Andreas de Chio, natione Græcus, qui anno 1465. scriptore Georgio Trapezuntio extulit in suis tormentis præsentissimam Virginis virtutem.

Voto Virginitatis Virgo sanctissima obligata, & debitrix solvit debitum.

Stupenda Virginis auxilia in solutionem muneris oblati.

Hic in memoriam depulsæ febris, votum virginitatis summâ Religione Virgini nuncupavit, cujus memoria ne senesceret, candidatus semper incessit.

Quantus amor in Virginem? quantus ambitus, & cura placendi? Hunc captum Mahometus Religionis odio, dirissimis tormentis subjecit. Ille media inter tormenta Virginem his verbis compellare: *Virgo Maria adjuva me*. Duravit carnificina novem diebus.

Primo die loris gravissimè cæsus.

Altero die ferreis ungulis membra dilacerata.

Tertio die membra ejus sedibus divulsa.

Quarto humeri gladijs excarnificati.

Quinto dunes suis carnibus nudatæ.

Sexto partes inter genua pariter usque ad ossa nudatæ.

Septimo suris carnes pœnitus abstractæ

Octavo die femora cum partibus vicinis excoriata.

Nono totum corpus à capite ad pedes verberibus cæsum, & maxilla uno ictu nudata.

Ecce tibi sceletum, & vivum cadaver, ecce tibi prodigiosum certamen, in quo ad singulos congressus Mariam inclamabat, & instar Phœnicis ex seipso renascens: qui totus dilaniatione distractus, totus, quasi innoxio corpore redintegratus fuit. Tantum ergo novæ reparationis gaudium incessit, ut vix mutati status fidem caperet. Cùm interim (mirabile dictu) hic interritus, Tyranni trepidarent.

Et ne quid gloriæ ad cumulum laudis deesset: Mariæ supplicans, caput securi percutiendum dedit. Obtulit se candidatum Virgini, & Virgo purpuratum Filio.

Hispania huc usque stetit armis pietatis, & Virginis sanctæ tributario favore.

Hæc sunt præmia debita servituti Marianæ, quibus explet numeros veræ justæque pietatis: hujusmodi stipendia suis militibus liberalissime donat sanctissima Virgo. O beatum illum, qui obligat se Sacramento sacræ militiæ! quam feliciter meret, sub signis tantæ Principis. Accedamus ad pijssimos Reges Hispaniæ, Philippum Secundum, & Philippum Tertium, quibus Sanctissima Virgo, pacem utriusque orbis, & Monarchiæ, nova semper dedit incrementa. Stetit illa non tam armis munita, quam sacræ pietatis fundamentis innixa.

Philippus Secundus summæ prudentiæ Rex, miro cultu sibi Virginem devinxit. Hic annuum censum in templo Dei Genetricis dicto Valuaneres ad subministrandum septem lampadibus oleum quas voluit perpetuò ardere, coram imagine Virginis miraculis clara, fundavit anno 1591. in itinere Aragonensi morbo pressus ea aqua quæ fluebat ad pedem quercus, ubi imago Virginis reperta, panemque ea subigi volebat.

Idem ad propagandam Virginis gloriam, in Floridam, Mexicanam, Peruanam aliasque orbis occidentalis plagas viros religiosos & maximè de Societate Jesu misit, Ærarium denique Regum exhausit cultui Divino, & Virgineo conservando. Ipsa Religio, inquit, conservata erit mihi merces, & præmium expensarum. Quid rependit Virgo? Dedit Regi arcem munitissimam quam vulgò dicunt vel Pevol di veles auspicijs & ductu Garciæ Toletani, expulsis Mahometanis Virginis capitalibus hostibus. Dedit & victoriam Duce Joanne Austriaco ad Naupactum in sinu Corinthiaco contra Turcas, & eos Maritimo exuit Imperio. Idem pijssimus Rex anno 1559. apud Paulum Quartum perfecit, ut Ecclesia Beatæ Mariæ Antuerpiæ in Cathedralem erigeretur. Dedit & Virgo felicem exitum, & in ultima vitæ meta, imagines Crucifixi, & Sanctissimæ Deiparæ habuit, quas ignitis orationum jaculis, & lachrymis indefessè petebat: Regijs denique muneribus clausit pietatem: assignavit enim tunc ducatorũ viginti millia in tabulã altaris Deiparæ ad Guada lupam: decem præterea millia ducatorũ ad Deiparã Montis Serrati destinavit. Moriens ergo & cereum Montis Serrati sibi dari in una manu, & altera Crucifixum collocari jussit (erat hic Crucifixus, quem Carolus Quintus moriens manu tenuerat) Crucifixum modò osculis, modò fronte terebat. Quis lachrymas non lachrymis rigasset in hoc sacro spectaculo pietatis? Finivit felicissimè, æternùm victurus anno 1598. Patrem Philippus Tertius

Philippi Secundi mors.

Donationes.

Tertius æmulâ pietate secutus, hæres verus Paternæ virtutis, qui anno 1621. finivit. Hic, ut scribit Antonius Vasconcellus, laudes virgineas, & immaculatæ Conceptionis ab omnibus rudibus etiam, & pueris balbutientibus iussit per compita, & trivia decantari. Insederat enim opinio certa, Virginem non nisi immaculatâ Conceptione orbi datam.

Qua arte obligavit sibi Reginâ cœli Philippus tertius.

Hujus sanctę opinionis Rex se Ducem ingenti spiritu professus est. Voluit dein Pauli Quinti auctoritate interpositâ, in omnibus suis regnis immaculatam Virginis conceptionem summis laudibus prædicari. magnâ inde omnium populorum lætitiâ, plausuque Catholici Regis pietas accepta celebrataque.

Idem Philippus anno 1610. Mauros Virginis juratos hostes exegit Hispanijs, ad novies centena millia capitum. Magnanimum Regis facinus: hoc audere aggredi, & quod insuperabile videbatur, ingenti in Virginem fiduciâ feliciter consummare. Alaratchiam arte, & naturâ loci munitissimam arcem ad columnas Herculis ex opposito Gadium, omnibus navigantibus infestum suum fecit. Sic qui decreverat Virgini debitos honores, illi decreti honores captæ arcis eousque inexpugnabilis anno 1610. Idem Philippus cùm in itinere Aragonico comes iret patri; Deiparæ in Valle venaria in Monasterio Ordinis sancti Benedicti claræ miraculis, binas coronas ex puro, putissimoque auro obtulit, quarum unam Matri, alteram Filiolo dedicavit, & sacrum verticem utriusque tanquam vasallus coronauit.

Vide Antonium Lopez in Chronico Ordinis sancti Benedicti. An non & Virgo coronam utriusque poli quàm diu superstes Rex vixit, illibatam servavit? Servavit tot ingruentibus periculis, corpus regni per tot terrarum marisque divortia distractum, ut sæpiùs magnus nostri temporis, literarum Princeps decusque exclamârit Lipsius: *Stat*, inquit, *moles*, *& Monarchia libera Divinâ potentiâ nequidquam tot frementibus & allatrantibus hostibus*. Innumeræ sunt liberalis Justitiæ, digestæ donationes. Iret labor in immensum æquor, nec portum teneremus. Nunquam enim deerit materia laudandi Virginem, cui semper affluat copia inexhausta compensandi.

Virgo coronata servat regi suam coronam.

A

§. III.

De Iustitia vindicativa.

INusitata Matrum oculis, dextrisque ultio, quas natura ad pietatem, & misericordiam finxit, formavitque. Ubera dedit natura, quæ amores, gratias benignitatesque portendunt. Raro exuit Mater, Matris viscera, nihilominus tamen, quamvis proprium Virginis decus sit auxiliari, cunctis mortalibus lucem consilij, fidem & spem salutis ostendere, dextramque porrigere, advocavit tamen nonnunquam iras in defensionem sui honoris, cùm in lubrico versaretur. Intuere Nestorium, cujus lingua blasphema vermibus exesa, & corpus putredine consumptum: cujus & libros, tanquam semina serpentis abominata est Virgo, teste Sophronio in prato spirituali: nam cùm Abbas Cyriacus de cella egressus videret Virginem sanctam cum Sanctis Joanne Baptista, & Euangelista paratam ingredi, rogaretque ingrediendi gratiam; substitit illa, & intulit: Habes in cella meum inimicum (libros Nestorij intelligebat) & tu vis in eam ingrediar?

Raro mater in iras prosilit.

B

C

Territus illâ voce vir sanctus, excutiendo libros, hostiles facies assecutus, domo profligavit damnavitque. Theosteristus scriptor illius temporis in Niceta, agens de blasphemia Constantini Copronymi, sic scribit: Quam Christus Dominus sibi in domicilium delegit, sanctissimam suam Matrem omnibus alijs creaturis superiorem, hominum salutem, mundi patrocinium! venerandum nomen Ecclesijs studuit multis modis proscribere. Illius verò intercessiones, per quas mundus conservatur, ne nominari quidem voluit, cùm diceret nemini quidem posse opitulari, quod ipsum hoc exemplo conabatur firmare.

Copronymi scelus in Virginem.

D

Cùm enim aliquando marsupium plenum aureis in manum sumpsisset, & ijs qui cum ipso versabantur, illud ostendisset, ab eis quærens; Quanti num hoc marsupium valet? Multum, inquiunt illi; cùm verò aurum ejecisset; rursum quæsivit, quanti marsupium esset? Cumque illi respondissent, nihil valere; Ita, inquit sceleratus ille, & Dei parens Maria. (neque enim sanctam dignabatur nominare) quo tempore Christum illa in se habuit, valde honoranda erat, ex quo tempore verò illum peperit, nihil differret à reliquis.

O blasphe-

O blasphemiam ! ô superbiam ! ô immensam Dei tolerantiam ! Attendite Novatores nostri temporis, qui discipulos ejus impietatis vos esse, factis, & verbis profitemini.

Vindicta in tyrannum. Accipite à Glyca impurissimi nebulonis exitum. Hic Tyrannus (ait ille) carbunculi morbum in pedibus sensit; sicque vitam finivit, dicens : Propter insaniam meam vivus vivus inexstincto igni trador. Cedrenus verò de eo sic refert : Carbunculi pedes ejus invaserunt, & febris ardentissima ; sicque animæ, & corporis mortem obijt, vociferans, atque dicens, se vivum inexstinguibili igni traditum propter Mariam Deiparam, jubensque deinde eam honorari, ac celebrari ut Deiparam. Vide Baronium tom. 9. anno 767.

B

Contracto stilo proferam in theatrum, horribilem Virginis iram in sceleratum Anatolium; de quo Evagrius libro quinto historiarum Ecclesiast. capite decimoseptimo & decimooctavo, Nicephorus libro decimoquinto capite quarto. In se Anatolius plebeius mollisque subdolè in amicitiam Gregorii Antistitis Antiocheni sese insinuavit, quâ robustior factus, clariorque, audere Diis clàm sacrificare, socios scelerum jungere, & scelera sceleribus.

Anatolius infandè scelestus. Non latet diù impietas, semper mittit signa sui. rapiuntur in quæstionem; & periculum redemissent suis præstigiis, nisi populus furore percitus, judicium peregisset. Cæsaris Tiberii mandato Constantinopolim citatur. Improbus ergo in carcere ad imaginem quandam Deiparæ sublimè appensam, manibus à tergo complicatis adorare. Illa verò ut sacrilegum detestari, & ut invisum Deo arguens, penitus se ab eo avertere. Spectaculum horribile custodibus carceris visum evulgatumque.

C

Apparuit & aliis Deipara, concitans eos adversus Anatolium, inquiens ; Filium suum contumeliis ab illo lacerari. Constantinopoli ergo diris verberibus cæsus: socii verò in navem impositi, vivi sunt ignis incendio concremati.

Punitio Anatolij. Quanta vis fascini in Anatolio! eripiebatur morti, ni populi furor ardens, & Cæsarem & Eutychium Episcopum petivisset. Ingens ergo exitium urbi intentabatur, ni supremum numen intervenisset.

D

Objicitur ergo feris Anatolius dilaniandus, deinde agitur in Crucem ; mortuum verò cadaver quod ibi inauditum, à Lupis noctu membratim devoratum. Habuit improbus suum patronum quendam Palatinum : adeò nihil tam scelestum absque defensore. Hunc Virgo per quietem invadens, ait : Quousque defendis causam Anatolii, qui tum me, tum filium

A

meum onerat contumeliis ? *De scelestissimo.* Aliud non minus formidabile narrat Moschus Eviratus in suo prato. Mimus nomine Gajanus, Heliopoli (quæ Phœnicis est Civitas) in theatro blasphemias in Virginem congerebat spectante populo. Virgo per quietem, improbum castigat : *Quid*, inquit, *mali feci, quia coram tanta multitudine adeò mihi detrahis ?* Verùm ille provectior ad audendum altero die confidentiùs in Virginem insurrexit.

Iterum Virgo per noctem, mitissimis verbis funestissimum arguit : *Noli*, quæso, *noli ita lædere animam tuam.* At ille furiosior in Virginem se concitavit, & horribiles blasphemias est ejaculatus.

Tertiùm Virgo easdem iterat querelas: at frustrà. Ille seipso deterior, insurrexit in Virginem ardentiùs. O stulte, nescis iras ex amore nasci? nulla scelera inulta diu. Sæpè in magistrum scelera redierunt sua. Ecce tibi per meridiem dormienti spectandam sese offert Virgo, soloque digito signavit manus & pedes. *Vindicta.* Ille discusso somno truncum manus pedesque se spectat, fitque lachrymabilis suæ calamitatis orator, qui antè blasphemiæ auctor. Unus homo spectaculum Justitiæ, simul & clementiæ fuit.

§. IV.

Superest aliquid dicendum de Iustitia, qua grati & amici Dei efficimur, qualis sit, quis effectus ejus.

HÆc Justitia non est quidem specialis virtus; nam variis nominibus à sanctis patribus decoratur; est tamen qualitas, & donum nobis inhærens, quod infunditur cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: ac proinde & nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur; illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum, juxta Concilium Tridentinum sessione sextâ capite decimosexto. Unde & gratia, est Justitia nostra, quâ grati Deo redditi adsciscimur in amicitiam Dei, & jus adoptionis filiorum Dei nobis acquirimus, ut filii Dei nominemur, & simus. *Iustitia hac placemus Deo.* Quare potissimus Justitiæ effectus est, Deo placere, pro amico, & justo, & sancto esse, sicut Deus Justus, & sanctus est. Deus enim Justificans gratuitò remittit peccata & acceptat hominem ad suam amicitiam, ideoque infundit illi inhærentem Justitiam, sicut Rex qui inimicum in intimam suâ dignatione

ne provehit amicitiam, & vellere aureo, tanquam veri amoris symbolo adornat.

Pulchrè docet Augustinus libro de spiritu & litera, capite nono: *Iustitia Dei, est Iustitia Divina, non Iudaica, non Philosophica, quâ scilicet nos justificat per Christum, quæque nos in oculis suis justos facit.* Dum autem justos facit, facit nos participes vitæ suæ, & consortes Divinæ naturæ, & vitam donat. Deus autem sicut vivit vitâ suâ, quæ est sua Justitia, sic animæ vivit vitâ Dei, quæ Justitia tam Dei, quàm animæ est, ac proinde Justitia; vita est. Audi Augustinum epist. 85. ad Consentium, ubi vocat Justitiam vitam. *Iustitia vita vitarum: Iustitia autem vita est quæ vivit in seipsa; Deus scilicet qui incommutabiliter vivit. Sicut autem cùm sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cùm ejus efficimur participes: ita cùm sit in seipsa Iustitia, etiam nobis fit Iustitia, cùm ei cohærendo justè vivimus, & tanto magis, minùsque justi sumus, quò magis minùsque cohæremus.* Sicut enim Filius Dei, est Patris sapientia, atque Justitia; ita factus est nobis sapientia atque Justitia. Et licet Deus sit vera vita, & summa Justitia, quam profectò esurire, & sitire debemus; ea tamen nostra est in hac peregrinatione Justitia, quâ posteà saturati, nostra est in æternitate plena Justitia. Non ergo Deum nostræ Justitiæ similem cogitemus, sed nos potius tanto similiores Deo, quanto poterimus esse ejus participatione justiores. Participatio autem fit, per Justitiæ, & vitæ communicationem, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; siquidem animæ, quæ hâc vitâ carent, mortuæ sunt, de quibus dictum est: *Sine mortuos sepelire mortuos.* Ob aliud nihil dicuntur mortuæ amissâ Justitiâ, licet immortaliter vivant, nisi quia verior & major vera est Justitia, tanquam vita vitarum. *Iustitia* ergo *& Charitas* ex mente Divi Augustini, *est vita vitarum, & qui ea carent, mortui vocantur.* Nunquid filii Dei adoptivi mortui dicendi sunt? Atqui Deus non est Deus mortuorum, sed viventium. Vocatur præterea Justitia, pulchritudo animæ: sicut enim formosi corporis gloria, pulchritudo vocatur; ita & primus & summus splendor, & pulchritudo animæ Justitia: & sicut membrorum in corpore humano, rectè inter se compositorum, & vegeti sanguinis, & omnium partium jucundus concentus sanitas vocatur; ita in anima Justitiæ ornatus, sanitas mentis. Eam & pulchritudinem vocat Augustinus ubi suprà, cùm ait: *Pulchritudo Iustitia vocatur: Alienâ autem pulchritudine nemo pulcher est.* Et quid aliud in nobis est Justitia, vel quælibet alia virtus quam rectè, sapienterque vivitur, quàm interioris hominis pulchritudo, secundùm quam reformamur ad imaginem Dei? Roman. duodecimo *Nolite conformari huic sæculo, sed renovamini spiritu mentis vestræ.* Cyrillus libro decimo, capite decimo quarto. Vocat & Charitatem Justitiam in Joannem; *Voluntaria*, inquit, *est nostra cum Christo conglutinatio, ac Charitate perficitur: Charitas ergo nostra Iustitia est.* Huic assentitur Augustinus libro de natura, & gratia capite quadragesimosecundo: *Charitas est plenissima Iustitia; Charitas inchoata, inchoata Iustitia; Charitas provecta, provecta Iustitia; Charitas magna, magna Iustitia. Per hanc Iustitiam, sive Charitatem facti sumus membra unigeniti Filii Dei: dum enim sumus vestiti Iustitiâ, sicut sponsa bysso, efficimur sponsa Dei, juxta illud* Oseæ 2. *Vbi dicitur Christus desponsasse sibi Ecclesiam in Iustitia.* Quæ Justitia quia totum hominem, si perfecta fuerit, penitus sanat, vocatur vestis nuptialis, cum qua intramus in domum nuptialem. Vel stola prima, quam misericors Pater jubet proferri filio prodigo, & à meretricibus reduci, & dum perditus obit munus pœnitentis filii: pius Pater effundit viscera Charitatis, & recognoscit suum, qui per flagitia in jus transierat alienum.

Vivimus hac Iustitia, vita Dei. *Iustitia vivit homo.* *Sine iustitia homo est mortuus.* *Iustitia pulchritudo animæ.* *Charitas est plenissima justitia.* *Perfecta justitia totum hominem sanat. Vocatur nuptialis stola prima.*

§. V.

Quæ requirantur ad Iustificationem. Quatuor ad impii justificationem concurrunt.

PRimum, motus fidei; juxta illud Actor. octavo Philippi ad Eunuchum: *Si credis ex toto corde, licet.* Cùm enim Eunuchus priùs dixisset: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* intulit Philippus: *Si credis ex toto corde.* Et respondens *Credo Filium Dei esse Iesum Christum.* Et Actor. decimoquinto, *Fide purificans corda hominum.* Et ad Romanos: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad Iustitiam.* Et Hebræor. undecimo, *Accedentem ad Deum oportet credere.* 1. *Fides.*

Alterum, motus liberi arbitrii; juxta illud Matthæi tertio. *Pœnitentiam agite.* Actorum secundo *Pœnitemini.* Joelis secundo: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Ezechiel. decimo octavo: *Quâcumque horâ ingemuerit peccator.* Primaria ergo causa & primus fons justificationis nostræ est bonitas misericordis Dei: secundaria & minùs principalis, liberum arbitrium. Motus ergo liberi arbitrii fit per motum gratiæ, & hôc 2. *Motus liberi arbitrii per motum gratiæ.*

& hoc pacto fit justificatio liberi arbitrii per Dei motum, quo homo movetur ad Justitiam, absque cujus motu ad gratiam justificantem non pertingeret. Movet autem secundùm modum naturæ humanæ convenientem, qui est per modum liberi arbitrii.

Anima autem à Deo excitata, ad ipsum se convertit, qui illum excitavit, & dormientem in somno peccatorum suscitavit; nam ad hunc finem suscitatus est; juxta illud, *Deus tu convertens vivificabis nos.* Dum ergo justificatur mens humana, per motum liberi arbitrii à peccato recedit, & ad Justitiam accedit. Recessus autem & accessus motus liberi arbitrii secundùm desiderium & detestationem est intelligendus; ut docet Divus Augustinus in illud Joannis decimo cap. *Mercenarius autem fugit. Affectiones nostræ sunt motus animorum. Lætitia, animi est diffusio; tristitia animi fuga. Progrederis namque animo, cùm appetis; fugis; cum metuis.* In justificatione impii duplex est motus necessarius: alter, quo per desiderium tendit in Deum homo: alter, quo in detestationem peccati proficiscitur. Cùm itaque Spiritus sancti opus sæpè fit in instanti, juxta illud, *Factus est derepentè de Cælo sonitus.* Et in Paulo, subita lux circumfulsit. Subitâ etiam justificatione impius, solutâ inimicitiâ transit in amicitiam Dei. Deus enim nec tempore, nec morâ Dominus temporis eget.

In justificationem est motus, accessus & recessus.

3. Tertium, infusio gratiæ. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: juxta & illud Ezechiel. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Infusio gratiæ.

4. Quartum, est remissio peccati; juxta illud, Ezechielis 18. versus 22. *Omnium iniquitatum non recordabor amplius.* Quæ felicitas contigit Magdalenæ. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quam felix gemitus Davidis, cùm exclamavit: *Peccavi Domino.* Cui actutum dicitur: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum.* Hæc quatuor licet simul concurrant ad justificationem impii, non tamen sunt semper simul.

Remissio peccati.

§. VI.

Ordo ergo justicationis hic est.

PRimum, datur fides. Priùs enim est credere, quàm invocare, Romanorum decimo. *Quómodo invocabunt in quem non crediderint?* Post fidem timor; timor quidem servilis, qui & à Deo est, & donum Spiritus sancti. Docet hoc præclarè Concilium Tridentinum sessione decimaquartâ, capite quarto. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam ex vi turpitudinis peccati, vel consideratione, vel gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: hanc attritionem declarat Concilium donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad Iustitiam parat. Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt. Timor enim Domini initium sapientiæ.* Et Ecclesia primo. *Timor Domini expellit peccatum.*

Attritio seu timor servilis est donum Dei.

Ninivitarum ex timore servili pœnitentia orta.

Post fidem sequitur timor, & ille primùm servilis & spes quædam. Fides, Dei potentiam, scientiam, & Justitiam, peccatori ostendit, quæ timorem efficiunt: Bonitas verò & clementia, spem erigunt.

Tertium, sequitur invocatio; dum enim ratio comprehendit, ex fide docente, non esse aliud effugium evadendi, quàm per fidem mediatoris, ad illum festinat, illíque se totum committit.

Hæc clarissimè habentur in Concilio Tridentino sessione sextâ, capite sexto. Disponuntur autem ad ipsam Justitiam, dum ex gratia Divina adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè excitati moventur in Deum, credentes, vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud inprimis à Deo justificari impium per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu; ac proptereà moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem. Dum ergo peccatores intelligunt se reos esse, à Justitię Divinæ timore, utiliter concutiuntur & ad Dei misericordiam se convertunt, & in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propitium fore, illumque tanquam justificationis fontem diligere incipiunt, ac proptereà moventur adversus peccata per

per odium aliquod & detestationem. Concil. Trident. sess. sextâ, capite septimo. *Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio sequitur, quæ non est sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ. & donorum, unde homo ex injusto fiat justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.* ad Titum 3.

§. VII.

De causis justificationis ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7.

Finalis gloria Dei.

HUjus justificationis causæ sunt: *Finalis* quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: *Efficiens* verò misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signans, & ungens Spiritu promissionis sancto; qui est pignus hæreditatis nostræ: *Meritoria* autem dilectissimus unigenitus Dominus noster Jesus Christus: qui cùm essemus inimici, propter nimiam suam Charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione ligno crucis nobis justificationem meruit, & Deo Patri pro nobis satisfecit. Instrumentalis item, sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit justificatio. Demum unica formalis causa est Justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit; quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ: & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, Justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Remissio ergo peccatorum, & justificatio, datur, & accipitur per Jesum Christum, cùm merita Domini nostri Jesû Christi nobis communicantur. Cùm enim Christus Dominus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quę virtus bona opera eorum semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, sine qua nullo pacto grata aut meritoria esse possunt, nihil ipsis deesse putandum est, si in gratia perseverarint ad vitam æternam consequendam. Hæc virtus est illa aqua, de qua Joannis quarto dicitur, *Si quis biberit ex hac aqua quam ego dedero, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quid autem sit in gratia discedere; nisi esse vestitum veste nuptiali: id est, Charitate, & amore Dei super omnia? Hinc apparet Justitiam, quâ justificamur, esse Charitatem, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Hæc quippe est quæ vincit omnia, sine qua nihil prosunt omnia, & ad se trahit omnia. Pulchrè docet beatus Augustinus tractatus 32. in Joannem: *Habeto Charitatem & omnia habebis, sine qua nihil proderit quidquid habere poteris; exstinguit delicta, & ab ea pendent universa.* Et tractatu de spiritu & litera: *Hæc autem Charitas non est ea quâ ipse nos diligit, sed quâ nos facit dilectores sui, quâ nos amati à Deo, amamus Deum, & amplius amari meremur.*

Meritoria Christus Dominus.

Instrumentalis Baptismus.

Formalis causa justitia Dei quæ verè justi efficimur.

Hæc justitia vocatur fons aquæ salientis in vitam æternam.

Hæc justitia quâ justificamur est Charitas.

§. VIII.

Quomodo hæc Justitia dici queat, cùm sit Justitia Dei.

AUgustinus in Psal. decimum octavum trigesimum primum & quinquagesimum. *In tua Iustitia erue me. Est*, inquit, *Iustitia Dei, quæ & nostra fit, cùm donatur nobis; ideò autem Dei Iustitia dicitur, ne homo putet se à Deo non habere Iustitiam.* Et in Psalmum trigesimumprimum. *Cùm ero justus, tua Deus Iustitia erit, quia Iustitia abs te mihi data est. Iustus ero, & sic erit mea, mihi abs te data.* Et decimoquarto de Trinitate capite, duodecimo dicitur: *Iustitia Dei non solùm quâ ipse justus est, sed quam dat homini, cùm justificat impium. Sic dicitur sapientia hominis, cùm etiam Dei sit; tunc enim vera est; si humana, vana est.* Ad hoc propositum adducit exemplum capite vigesimoquinto super Exod. *Nunc igitur virga Dei dicitur, quæ primùm fuit Aaron, posteà fuit Moysi; sicut dicitur spiritus Eliæ, qui est spiritus Dei, cujus particeps est Elias; sic dicitur Iustitia Dei, quæ nostra est, quia scilicèt à Deo donata est.* Et in Psalm. 131. *Sacerdotes tui induantur Iustitia. Vestis cùm accipitur, non cum capillis nascitur: pecora de suo vestiuntur. Hanc prædicat Apostolus quod à Deo tibi sit; geme ut impetres; plora, crede, totum ex Deo est. Non tamen quasi dormientes, non quasi non conemur, non quasi non velimus. Sine voluntate tua, non erit in te Iustitia Dei. Esse potest Iustitia Dei sine voluntate tua; sed in te esse non potest: nam qui fecit te sine te, non justificat te sine te. Ergo fecit te nescientem, justificat autem volentem.*

Quomodo Dei quomodo nostra justitia.

Hæc Augustinus. Charitas ergo, quâ Dei amatores sumus, per Spiritum sanctum nobis infunditur; nobis profectò

non

Quomodo nostra dicatur justitia.

non dormientibus, sed gementibus, atque credentibus; idque ex beneficio gratiæ prævenientis. Nostra ergo dicitur, quia nobis cooperantibus: Dei verò, quia ipsius donum. Unde cùm hinc exierimus, recipiemus pro meritis, & surgemus ad recipienda ea quæ egimus, & tum Deus non tam coronabit merita nostra, quàm dona sua. Quare Augustinus tractatu in Joannem vigesimosexto: *Quid hoc*, inquit, *est Dei Iustitia? & Iustitia hominis? Iustitia dicitur, non quâ justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut sit justus homo, per Deum.* Unde & Apostolus: *Diffusa est Charitas Dei in cordibus nostris, non utique à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Bene ad hoc alludit magnus Dionysius capite primo de Cælesti Hierarchia. *Omnis à Patre mota illustrationis emanatio in nos beneficè exundans, denuò vivifica vis ad supera nos revocando simplificat & convertit ad Patris congregantis unitatem.* Et de Divinis nominibus capite quarto: *Omnibus se Deus proponit, & habitaturum se promisit in nobis; & nos in filios adoptaturum*; juxta illud Petri 2. cap. 1. *Efficiamur*, ait, *consortes Divinæ naturæ, quod fit per subministrationem Spiritus sancti, qui nobis datur.* Et Leo Papa sermone de sancto Laurentio: *Totius plenitudo Iustitiæ à Deo nascitur.* Hilarius in Psalmus 131. *Habitat Deus in Religiosorum mentibus, non corporali aditu, sed spirituali virtute.* Ambrosius in Psalmum 118. *Particeps sum ego omnium timentium te. Christus Iustitia est, cujus si membrum quispiam sit, particeps est Iustitiæ Christi.* Et Hieronymus in epistola ad Lætam: *Fiunt Christiani, non nascuntur.* Basius in Hexamer. homiliâ duodecimâ: *Christianismus est similitudo Dei. Si Christianismum amplexus es, stude similis fieri Deo; indue Christum, & per Christi cognationem Deo quoque conjunctus eris.* Augustinus libro quinto de Baptismo parvulorum, capite vigesimoquinto, ait, *quod duobus modis fit, & Baptismi susceptione, & morum imitatione.*

Quâ de merita sumimus Christi participes sumus justitia.

Hinc concludamus, nostrâ Justitiâ, nobis à Deo datâ nos realiter esse justos. Justitia ergo primùm datur à Deo ut nostra sit, & nos illam accipiendo, moti & confortati à Deo, illam facimus nostram. Quod pulcherrimè docet Divus Augustinus ad Anastasium epistolâ quadragesimaquartâ. *Lex docendo & jubendo, quod sine gratia non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sancta voluntas possit, quod infirma non posset. Lex ergo adducit fidem, fides impetrat; Charitate ergo induitur, & Iustitiâ, quæ operit multitudinem peccatorum, & homo ex injusto & peccatore fit justus & sanctus, ex infusione & Charitatis &*

Pulchra resolutio ut Dei justitia sit nostra.

A *Iustitiæ, quæ homini inhæret, nunc tanquam sua, dono tamen Dei: nequaquam enim justus, sapiens, innocens quispiam dicitur, Iustitiâ, sapientiâ, innocentiâ alienâ, sed suâ.*

Quare dicitur, *Sanctifica eos in veritate. Sanctificantur*, ait Augustinus ibidem, *hæredes testamenti novi, cujus veritatis umbra fuerunt sanctificationes veteris testamenti. Si ergo justificatio quâ justificamur, non est vera in nobis, nostra justificatio umbra est.* Hæc est Justitia, ut docet Augustinus de spiritu, & litera, quæ in veteri testamento velata, in novo revelabitur; quæ ideò Justitia Dei dicitur, quòd eam impartiendo facit; quare & verè justi nominamur, & sumus, juxta illud Apostoli Joannis epistolâ primâ: *Vide qualem Charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Nam qui vocantur, & non sunt*, ait Augustinus hic, *quid prodest illis nomen, si res non est? Quam multi vigiles vocantur, qui tota nocte dormiunt?* Quàm multi vocantur Christiani, qui non sunt in fide, & Charitate? Unde & epistolâ secundâ capite secundo dicitur, *Qui facit Iustitiam, justus est, & ex Deo natus. Si ex Deo natus est, habet aliquid à Deo, nempe Charitatem, propter quam filius Dei nominatur, vitâ prioris iniquitate depulsa. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quomodo tollit, nisi expulsa malitia per infusionem Charitatis.* Hanc doctrinam paucis & eminenter docet Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. *Itaque neque nostra propria Iustitia tanquam ex nobis propria statuitur; neque enim ignoratur aut repudiatur Iustitia Dei, quæ enim Iustitia nostra dicitur, per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem est Dei, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.* Absit ergo ut Christianus in seipso glorietur, vel confidat, & non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut illorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Quare & Canone 32. dicitur *anathema ei, qui dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.*

Verè justitia qua justificamur nostra est.

B

Pulchra ratione.

C

Tridentini Concilii resolutio.

D

§. IX.

Octo causa numerantur, quibus demonstratur Justitiam nostram mereri vitam æternam.

PRima, efficacia doni Spiritus sancti cooperantis in meritum.

Secunda, veritas Dei promittentis.

Tertia, persuasibilitas liberi arbitrii consentientis atque perseverantis.

Quarta, difficultas merendi in statu militiæ.

Quinta, dignitas capitis nostri intervenientis, quod gloriari debet in membris.

Sexta, liberalitas Dei quæ unum desiderium pensat æternitate gloriæ.

Septima, obsequium Deo fideliter obtemperantis.

Octava, nobilitas operis quod ex charitate procedit. Et cùm amicorum omnia sint communia, & justi per gratiam amici sint, juxta Joannem 15. *Non dixi vos servos, sed amicos* & Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Debetur verè illis præmium tanquam merces operi ex conventione facta, sicut & prætereà debetur hæreditas filiis, quibus cum patre bona sunt communia. Quod idem Concilium Tridentinum sess. 6. cano. 26. docet; ubi indicitur *anathema ei, qui dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo facta fuerint, exspectare, & sperare æternam retributionem, à Deo per ejus misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & mandata ejus custodiendo usque in finem perseverarint.* Fit ergo Deus debitor non aliquid accipiendo à nobis (ut dictum est titulo de Justitia commutativa) sed quòd ei placuit promittendo. Illo ergo modo possumus exigere. *Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti. Et hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti.* Et in Psalm. 100. Ecce qualis est Dominus noster, ut donando debeat? & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non pigeat; in quantum enim gratis largitur, in tantum debitor invenitur. Mirum dictu, & ineffabile Dei consilium. Deus enim cum justus sit, ut sit ipsa Justitia, Christus verò quatenus homo, est justitiæ plenitudo, nos verò de plenitudine ejus omnes accipimus, gratiam pro gratia, quia ipse nobis illam meritus est, quæ nostra vocatur & sua, & juxta Za-

Doctrina ut mereamur vitam æternam.

Quomodo exigit homo meriti præmium.

Deus est dator & debitor.

A chariam cap. 4. *exæquavit gratiam gratiæ; hoc est*, inquit Augustinus, *accepimus gratiam fidei, spei, & Charitatis; in quibus per gratiam ambulamus proficientes, accepturi gratiam illam deinceps, de qua Apostolus ad Romanos 6. Gratia Dei vita æterna.* Ecce unde manat nostra Justitia & merendi nobilitas, unde gloriatur Christianus ex plenitudine Christi, qui meruit nobis & gratiam justificantem, & glorificantem. Vocat autem gratiam vitam æternam Augustinus in epistola 105. ad Sixtum, *Non quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur, ut cum Deus* (ut jam sæpiùs dictum) *coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm dona sua.* Et

De plenitudine gratiæ Christi justitiam accipimus.

Gratia vita æterna ut dicitur.

B de correptione & gratia capite decimotertio. *Quare & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine ulla dubitatione confitendum est, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia homini contulit: homo enim ex se nihil potest, nisi moveatur, confortetur, & ad perseverantiam adjuvetur: pauper enim & inops est homo.* Audi Bernardum primo sermone de Epiphan. *Pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possumus pro parvo illo si volumus. Totum quod dare possum, istud cor-*

C *pus est, id si dedero, satis est: si quo minus, addo & corpus ipsius, jam de meo est, & meum est: parvulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi, de te Domine suppleo quod minus habeo in me.*

§. X.

Quomodo ergo Iustitia nostra Iustitia Divina comparata, dicitur esse injustitia à Divo

D *Gregorio.*

CErtum est, Justitiam Sanctorum esse veram Justitiam; Christus enim Dominus despondit sibi Ecclesiam absque ruga & macula, ut dictum est. Certum prætereà est ex Concilio Tridentino sessione sexta capito septima. *Veram & Christianam Iustitiam accipientes, seu primam stolam* (Lucæ decimoquinto) *pro illa, quam Adam pro sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum, illis donatam, candidam & immaculatam, jubentur statim rena-*

renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternum. Sic & Apocalypſ. 14. dicitur, *quòd sint sine macula ante thronum Dei, & quod non sit inventum in ore ipsorum mendacium.* Et cap. 19. verſ. 7. *Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est ei ut cooperiat se byssino splendenti: byssinum enim justificationes Sanctorum sunt.* Justificati ergo amici Dei, ac domestici facti sunt, & ut Jacobus 2. cap. *Videte quoniam ex operibus justificatur homo.* Et Ecclesiastici 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, quæ Justitia, ut dicitur, vestis nuptialis vocatur, quâ qui destitutus est, nuptiis Cælestibus excluditur, juxta illud: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Non terreat ergo hominem quod Job 4. dicitur, *Nunquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles.* Et cap. 9. *Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificabitur homo compositus Deo.* Ecce etiam Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quantò magis homo putredo & vermis! Beatus Gregorius libro 4. moral. capite 6. *Nos isto metu, & formidine liberabit, humana, inquit, Iustitia Divinæ Iustitiæ comparata, injustitia est, quia & lucerna in tenebris lucere cernitur, sed in Solis radio posita tenebratur.* Et libro 9. capite 5. *Homo quippe Deo non compositus Iustitiam percipit; compositus amittit; qui quisque bonorum auctori se comparat, bono se, quod acceperat, privat.* Justitia ergo non comparata Deo, est aliqua Justitia; illi comparata, est mera injustitia. Rectè hoc docet Origenes, exponens illud Cantici Annæ: *Non est sanctus ut est Dominus: Si scriptum esset, Non est sanctus nisi Dominus, consequens erat nos omnes renunciare ab hac spe, ut sancti efficeremur. Nunc autem dicitur, Non est sanctus sicut Dominus, id est, si sunt sancti multi, nullus ita sanctus ut Dominus.* Omnia quippe quæ creata sunt, quamvis ea fecerit Deus valde bona, Creatori tamen comparata, nec bona sunt, & ea quæ ante pulchra, nec pulchra. Sic quis ad comparationem Dei justificatur. *Omnis* quippe, ait Augustinus de perfectione Justitiæ, *pulchritudo Iustitiæ, te præsente deformis est: omnis fortitudo te præsente infirma; omnes divitiæ te præsente mendicitas; omnis Iustitia humana te præsente injustitia. Quid est homo ut possit sequi Regem factorem suum? non quod nostra Iustitia, sit injustitia; sed quòd tanta sit claritas infinita illius Iustitiæ, tantáque rectitudo, & puritas, ut omne quod etiam est pulcherrimum, justissimum, opulentissimum, totum denique quidquid est, nihil esse videatur.* Hoc docet Spiritus sanctus in Apocalyp. 20. verſ. 11. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inventus in eis.* Omnis profectò creatura Deo comparata, quasi nihil reputabitur, & quasi gutta roris antelucani evanescet.

Nostra injustitia vere nostra est.

Quomodo Dei iustitia comparata nostra nulla sit.

Quidquid nobile magnúmque Deo collatum nihil est. Sic & nostra iustitia divina cõparata.

Ratio dicti.

Intelligimus proinde, ut ait orat. 17. Magnus Nazianzenus, *nos nihil esse, si cum illa prima & vera sapientia conferamur, eámque ob rem, ad ipsum unum tendamus, nec quidquam aliud quærámus, quàm ut promanantibus illinc radiis illustremur.* Huic veritati D. Bernardus insistit sermone 5. in dedicat. Eccleſ. *Nimirùm si ipse quoque Iustitia nostra omnes ad lumen veritatis suspecta, velut pannus menstruatæ inveniuntur, injustitia deinceps quales reputabuntur?*

Finio hunc tractatum cum Elogio Justitiæ. Illa est quæ nos reddit sanctos & justos, sicut Deus sanctus, & Justus est: conciliat nobis Deum amicum, Patrem, & nos introducit in familiam magni Dei tanquam domesticos & familiares, imò & filios, & cohæredes Christi.

Quocirca D. Augustinus in Joannem 14. *Majus, inquit, est opus, ut ex impio justus quis fiat, quàm creare Cælum.* Et sanè ex parte ejus quod fit, maximum opus est, terminatur enim ad bonum æternum participationis Divinæ. Et quamvis Angelos justos creare, impios justificare, æqualis sit potentiæ; hoc tamen est majoris misericordiæ; quia magnitudo misericordiæ in hoc ostenditur, cùm prodigus, & proscriptus, & reus æternæ iræ, in complexum vocatur, & decernitur hæres Dei. Attamen nostra lux etiam magna, si inaccessibili luci æquipararetur, non lux dicenda, sicut lux candelæ exiguæ, quamvis lux vera dicenda sit; ardenti tamen & fulguranti luci opposita, lucis nomen non meretur.

Lumen ergo quod in nobis est, quasi tenebræ sunt, & ipsæ tenebræ quantæ erunt? Qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. *Quid est homo quia magnificas eum* (ait fidelis & devota confessio) *aut apponis erga eum cor tuum?* Job 7. Quid? sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Hoc ipsum more suo subtiliter Augustinus libro 7. confeſſ. capite 10. docet, cùm ait: *Et reverberasti infirmitatem aspectûs mei radians in in me vehementer, & contremui amore; & horrore, & inveni longè me esse à te in regione dissimilitudinis.*

Quotiescumque igitur irradiatus homo luce cælesti, hanc notitiam sui consequitur, & ut loquitur D. Bernardus libro de diligendo, *ut Divino inebriatus amore, oblitus sui, factúsque sibi ipsi tanquam vas perditum, totus pergit in Deum, & adhærens Deo, unus cum eo spiritus, tunc clamat: Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & spes mea*

mea Deus in æternum. Per hanc notitiam perdit quodammodo seipsum, tanquam non sit; hoc est non sentire seipsum, à semetipso exinaniri, & penè annullari: hoc est donum cælestis conversationis, non humanæ affectionis.

§. XI.

Finiamus totum hunc tractatum de Gratia justificante, sacro Virginis Matris Elogio. Qua ratione dicenda, fons mater, causa nostræ justificationis. Perditæ justificationi unicum sidus SS. Virgo.

OMnes Patres vocant Matrem Dei fontem nostræ salutis. Ab Irenæo libro 5. contra hæreses, vocatur *causa salutis.* Ab Epiphanio *liber vitæ*, *in quo Verbum Patris mundo legendum offertur.* Chrysologo sermone 140. *Mater viventium.* Damiano sermone 2. de nativitate, *Totius salutis exordium.* Divo Augustino de fide ad Petrum, *vita parens*, *Eva advocata*, *humani generis reparatrix.* Damasceno in oratione de dormit. *Fons vitæ perenniter fluens.* Cyrillo Alexandrino in templo Ephesino Virgini dicato coram gravissimo Patrum consessu, *templum inviolatum, fundamentum Ecclesiæ, quod expugnari non potest, rectæ fidei sceptrum.* Innocentio Secundo Papâ sermone 2. de assumptione, *Maria finis damnationis fuit, & origo salutis.* Oportebat enim sicut mors per fœminam intravit in orbem; ita per fœminam vita rediret. Ideo quod damnavit Eva, Maria salvavit; ut unde mors oriebatur, indè vita resurgeret. *Quare qui invenerit illam, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ubi Hebraicè habetur, *Inveniens me, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Hebraicè, *educet voluntatem à Domino.* Chaldaicè, *habebit beneplacitum à facie Dei.* Pagninus, *educet quod voluerit à Domino* 70. *præparatur voluntas à Deo.* Cajetanus verò sic transfert, *educet voluntatem à Domino*, id est, quidquid voluerit, impetrabit. Quid autem sit, præparari voluntatem à Deo, docet Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio. Et Epistolâ 107. & Concil. Arausic. necnon Prosperus, & Fulgentius, nihil aliud esse quàm dari gratiam, quâ Deus movet voluntatem, & liberum arbitrium ad bonum. Quomodo ergo per Virginem, hæc gratia nobis concilietur, videamus.

Tituli speciosi Matri sanctissimæ à S. Patribus dicati.

Quid voluntatem præparari à Deo.

Verùm ut hoc penetretur, damna, quæ sibi parturit peccator, ponamus ob oculos.

§. XII.

Primum damnum.

PEccator privatur dono gratiæ habitualis, quo Deo Charus, & amicus, atque adeo Filius Dei. Gratiæ enim beneficio tanquam semine gloriæ, felici æternitati destinabatur. Ingens ergo, & horribilis actutum exoritur inclinatio, immutatio, & Metamorphosis rerum. An non vita Cælestis, calor, vigor, & pulchritudo penitus exstinguitur? An non spoliatur veste nuptiali, sicut eques fœdifragus vellere aureo? an non anima, statim hostis Dei judicatur?

§. XIII.

Alterum damnum.

PRivatur præterea Spiritu sancto inhabitante, & inquilino; juxta illud Sap. 1. *Spiritus sanctus effugiet fictum.* Et ex Filio Dei fit filius Diaboli. Joannis 1. capite 3. *Omnis qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Et Joannis 8. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis implere.* Hanc igitur animam Diabolus jam ut suam regit, trahit, & quocumque potest impellit, sicuti antè gratiâ donatus à Deo, velut amico, & amato parente regebatur.

§. XIV.

Tertium damnum.

HIs malis accedit spoliatio omnis juris ad cælestem beatitudinem: hoc enim ipso, quo quis per adoptionem in alienam transit familiam, si consummata fuerit atque perfecta, omne jus bonorum consequitur: quemadmodum enim dum Trajanus Imperator, Adrianum adoptavit; & is Antoninum Pium; per adoptionem & Cæsares, & veri Imperatores creabantur, rerumque potiti citra invidiam dominabantur: sic homo per gratiæ communicationem, consors Divinæ naturæ factus, à Deo in Filium Dei adoptatur, ita ut verè jus obtineat, instar Filii ad Patris hæreditatem,

tem, & regnum Dei jure Justitiæ debitum negari non possit. At peccatum hoc jus Divinum evertit; & anima funestata omnem gratiam exscindit, & opus ingens multorum operum in dedecus æternum prosternitur.

§. XV.

Quartum damnum.

Exuitur homo infinitis propè meritis, & thesauris ditatus, ita ut nulla factorum illustrium gloria, nec memoria superstes remaneat, perinde ac si rebus gestis emortua superveniret oblivio. An non pulcherrima facinora Davidis, una exstinxit, delevitque libido? Rectè Ezechiel 18. *Si averterit se Iustus à Iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes Iustitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Quàm plango athleticos tam Origenis, quàm Tertulliani labores.

§. XVI.

Quintum damnum.

Mulctatur privatione protectionis Divinæ, quæ Filiis debetur. Deus enim instar Patris, curam circumfert sui dilecti, prævisa, & instantia mala semovet; casus & prolapsiones transmutat felici successu, insidias Diaboli detorquet, vires concupiscentiæ debilitat, frangitque, nec ab illecebris peccati patitur expugnari. Circumdat ergo Deus paci, & saluti firmissima munimenta, quamdiu manet in anima justi Deus; juxta illud Joannis 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et juxta illud Psalmi, *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.* Peccator ergo tantâ Dei benevolentiâ indignus, permittitur Tyrannidi Diaboli; à quo, enim ut dicitur 1. Petri 2. quis superatus est, hujus & servus est. Indies ergo peccator infirmior, dæmonis efferociente superbiâ, volvitur ex malis in mala, donec absorbeatur.

§. XVII.

Sextum damnum.

Præparatio æterni supplicii: stipendium enim peccati est æterna mors: sicut virtutis, æterna vita. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis, cum ardoribus sempiternis?* Isaiæ 33. vers. 14. His tantis malis accedit, difficillimam esse gratiæ

A deperditæ restitutionem: ex parte enim hominis solius, homini impossibilis. Sola ergo spes porrigitur ex parte summi Dei, summis injuriis provocati, læsique. Quibus oculis? quo ore? quâ fronte funestus peccator ad infestum Deum accedet? Gemmam amisisti? lustramus loca, ubi perditam credimus. An gratia quærenda eo loci, ubi perdita? quin imò detestanda, fugiendaque. Indignus aspectu Cæli, qui Cæli conditorem sibi suscitavit inimicum! Quid aget, omnibus honoris, ornamenti, & favoris insignibus spoliatus! Unum superest propitium sidus rebus desperatis, sanctissima scilicet
B Virgo; sanctissima Virgo una salus victis perditisque ad justificationem recuperandam: illius est gratiam procurare, quam Angelus salutat plenam gratiâ, & quæ apud Deum gratiam invenit. Bene Idiota: *Inventâ Virgine, invenitur omne bonum.* Bonaventura in Psalter. *Invenient peccatores gratiam apud Deum, per inventricem gratiæ, atque salutis.* Candidus verò amator Bernardus, sic insurgit: *Gratiam quæramus, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, & frustrari non potest.* Si enim Abraham, suæ Saræ beneficio, vitæ suæ periculum redemit, inducendo illam, ut se diceret suam *Vivimus ob gratiâ Virginis.*
C sororem: *Dic*, inquit Genes. 12. vers. 13. *ergo, obsecro te, quod soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, & ut vivat anima mea, ob gratiam tui.* Abraham ergo Ægyptii bene usi sunt propter illam. Hanc artem sic assandi sanctam Virginem docet nos Bonaventura. *Dic*, inquit, *obsecro, sancta Virgo, quod soror nostra sis, & bene sit mihi propter te. Verè enim & soror, & Mater nostra est.* Attende ad festinata auxilia. Anselmus de excellentia Virginis: *velocior est nonnunquam salus memorato nomine ipsius Virginis, quàm memorato nomine Filii unici ipsius: ipse enim judex est, & merita singulorum ponderat: & ipse invocatus sæpè non exaudit, & quidem justè; invocato*
D *autem nomine Matris, si merita invocantis non merentur ut exaudiantur; merita tamen Matris intercedunt ut exaudiantur.*

Quare, ut præpropera, & anticipata voluntas auxilii sui conferendi doceatur Sapient. 6. dicitur, *præoccupat qui se concupiscunt.* Prævenit vota nostra, quia se novit benedictionibus præventam. Hoc docuit in nuptiis Galilææ, dum compassa verecundiæ sponsi, & convivarum, non passa est collectam veram non rogata, struxit preces Lymphis in vinum mutandis, Filium conveniendo, dicendoque *Vinum non habent*, elementorum commutationem impetravit. *Facile* itaque *videtur*, ut dicitur Sapientiæ 6. *ab his qui diligunt illam, & invenitur ab his qui quærunt illam.* Cùm itaque gratia sit difficilis inventu, nihil tamen facilius quàm per Mariam, ipsâ inventâ, invenire gratiam. Quam diu ergo in hominis anima aliquid officii, vel pietatis in Virginem reliquum est, *Mater gratiæ facile curat & procurat gratiam.*

Memoria Virginis & ejus studiũ spem facit peccatori.

est, semper suppetet residua, haud spes vana salutis, quamvis per scelera à Deo projectus videatur. Quare hujusmodi peccatorem non sine causa comparârim spatiosissimæ arbori per quietem visæ Regi Nabuchodonosori, *Danielis 4.* quæ primùm speciosissima repræsentat, & gerit personam hominis Justi: deinde peccatoris, cujus omnis ornatus, & species formosi corporis concidit, cui nihil relictum, nisi in radice superstite, virium, aut spei, in vitæ restitutionem. Quid enim magna arbor & fortis, cujus proceritas Cælum contingit: cujus aspectus erat usque ad terminos universæ terræ? Folia ejus pulcherrima, & fructus nimius: & esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cæli, &c. quid inquam hæc arbor, nisi anima justi omni formâ mortali speciosior, astris proxima, Angelis cognata, summo Deo dilecta, proventu virtutum lætissima, quæ dominatur suis pravis affectibus, cujus & consuetudinem Angelicæ mentes affectant. *Et ecce vigil, & sanctus de Cælo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus: & dispergite fructus ejus.* Et quis ille Vigil, nisi Angelus judicis Dei personam repræsentans, qui acri vigiliâ actus nostros discernit, judicat, ac proinde improbè viventes damnat, & instar arborum succidit, ut igne crementur scelerati. *Verumtamen gramen radicum in terra sinite.* Quid hoc signat, nisi cultores Virginis sanctissimæ, quibus certissimum imminebat exitium, nisi imperio Cæli fuisset interdictum, prohibitumque propter dignitatem Matris? Parcit ergo Deus suis adversariis in gratiam Matris, quam studiosè colunt, & ne in desperationis supremum malum præcipites ruant, relinquit illis germen, & spem misericordiæ consequendæ. Hinc renascitur improbis vita, quasi nova arbor ex germine occulto, & mortuis afflatur nova juventa à Matre viventium. Et quomodo interibit, quem Leæna rugiens suscitans, vita donat? Hoc in sententia vigilum decretum est, & (hic est) sermo sanctorum, & petitio. Si quæris cur hoc ita fecerit Deus? Ut cognoscant omnes quod per excelsum Deum, sanctissima Virgo dominetur universis. Mavult sanctissima Virgo commemorare, se, quos perdere potuisset, pepercisse, quam cùm parcere posset, perdidisse.

Arbor visa à Nabuchodonosor forma justi & injusti.

§. XVIII.

Hujus misericordiæ & gratiæ justificantis impetratæ, luculentium dabit Comes Ioannes Nassavius exemplum, qui ex hæretico factus Catholicus, ex Catholico sanctè mortuus finivit, Matre Dei curante gratiam.

Antiquitatis clara monumenta, ut Reges & Principes alti sanguinis per felices obsequiorum successus hos favores sanctissimæ Virginis sunt demeriti, prætermitto. Justum Lipsium literarum humaniorum nostro sæculo Phœnix, ut extrema, dein ut vitam, per virtutum contemplationem absolverit, dedissem, nisi seipsum, à seipso proditum recognoscerem, & in sanctissimæ Virginis laudes prolixum clarissima opera testarentur. Unus Comes Nassavius recentis suæ virtutis materiam posteritati, nostrâ manu dicabit: nunquam enim meliùs virtutes æstimantur, quàm iis temporibus quibus gignuntur: & tum quidem maximè, cùm placidi cineres, arrogantiam, & obtrectationem supergressi conquiescunt. Ad prodendam ergo Virginis sanctissimæ gloriam, & tanti Principis memoriam, quæ memoratu digna sub extremum vitæ contigerunt, destinatò perscribam. Parentabo mortuo sine gratia, aut ambitione; quem vivum, bonæ conscientiæ pretio colui: prætermittam inclytæ familiæ claritudinem, etiam cuilibet maximæ non imparem. Quis enim Nassavium stemma, & altum sanguinem ignorat? prætermittam, ut erectum, & sublimem ad virtutis pulchritudinem, animum concitavit, & per honestarum artium cultum, adolescentiam transegerit. Breviter strictimque attingam, quo pretio Ernestinam filiam magni Principis de Ligne coëmerit. Flagrabat uterque; sed amores, & suspirantium vota tardabat religio dispar. Obniti ergo Catholica Princeps, & sibi, & amanti; non placiturus ille, nisi damnatâ impiâ religione. Hæsit ergo spes utriusque. Quid agat Nassavius? incusat spes ægra moras. Loquar cum Panegyrico. Mens omnis oberrat in vultus, quos finxit amor. Hauserat insolitos promissæ Virginis ignes. Non illi venator equus, non spicula curæ. Falleretnè amantem, per simulationem? alienum, & indignum suo sanguine. Transiretnè ad avitam religionem, non evictis, non dissolutis suæ novæ religionis argumentis, quæ instar anchorarum navem fortiter occupabant?

Nassavii inclytum stemma.

bant? temerarii, & levis ingenii opus videbatur. Ea quæ Deum, & Religionem spectant, non nisi ingenti consilio tractanda minimus in utroque error, funestus. Alto ergo consilio petitur Roma, ubi Sedes veræ religionis, ubi firma, & inconcussa statio; ut magnorum virorum reciprocis argumentis (erat enim Princeps controversiarum acutè peritus) si convinceretur, manus daret; sin minus, sibi perstaret. Lustratis ergo tot Martyrum, & Pontificum sacris monumentis, quæ sunt quædam voces, quibus tota posteritas, ad antiquam, veramque religionem provocatur, animatur, atque firmatur; ubi se firmatum vidit, in castra transiit Catholicorum. Quis Romæ audeat trepidare, ubi stat Sedes Apostolica semper inconcussa, semperque perdurans stabit? Vera vox Christi ad Petrum, *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Tu enim es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæc sola consideratio tenuit magnum Augustinum in Catholica Ecclesia, hæreticorum undique nequidquam allatrantibus sectis. Audi illum adversus Donatistas: *Numerate primò ab ipsa Sede Petri, & in ordine illorum Patrum, quis cui successerit, videte.* Et contra epistolam fundamenti. *Tenet me in Ecclesia Catholica, ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oves Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopum successio sacerdotum.* Attende Lector. quid hoc est dicere, *Tenet me in Ecclesia Catholica sacerdotum successio*? nisi ideò permaneo in hujus cœtus communione, quoniam in eo existimo, cum successione veritatem conjunctam, quæ tanquam anima Ecclesiæ? Ergo ceteras sectas damno, inquit Augustinus, in hac Catholica Ecclesia persisto, quia pro ejus capite rogavit Christus, ut non deficeret ejus fides in hærede futuro.

Romam petit religionis Catholicæ curiosus.

Visa Apostolica sede movetur.

Augustinū quid in Catholica Ecclesia detinuerit.

Successio sacerdotum infallibilis, infallibile argumentū veræ fidei.

Stabit hæres inconcussus; quia verbum Christi manet in æternum, quia verbum Christi manet inconcussum. Princeps ergo jam deditus Ecclesiæ Catholicæ; clarus, & magnus haberi cœpit, & famam sui, fama modestiæ auxit: æstimantibus, quanta futuri spe, arduum hoc negotium confecisset.

Pontifex ergo summus, tanti viri accessione lætus, Brevi Apostolico, impertitâ priùs benedictione, reducem est comitatus. Junctus ergo fuit suæ Ernestinæ splendidis natalibus ortæ. Quod matrimonium ad magna nitenti decus, ac robur fuit: nam cùm per summam Charitatem, summâ concordiâ viverent, actutum in suas ditiones, in quibus tantùm unus fuit Catholicus inventus, per Patres Societatis, signa religionis Catholicæ intulit, eamque severis legibus curavit promulgari. Et quò daret conceptæ Religionis flammas, hortatrice conjuge, bona Ecclesiarum Paterno ærario addicta,

Ernestina ex alia familia de ligne orta.

A Ecclesiæ restituit: maluit enim detractâ injustâ opulentiâ tenuiter vivere, quàm splendescere rapinis. Per hoc iter magnorum operum gradientem Rex Catholicus, attonitâ familiâ Nassavianâ, Regiè remuneratus donavit illum vellere aureo, supremo magistri equitum titulo, & multis possessionibus jure belli proscriptis.

Heresim qui ante hæreticus pellit suis terris.

Nec fefellit Regem fides invicta; nec animus suæ Majestati oppigneratus; qui per audacia facta clarus multis vulneribus, maluit pro suo Rege millies emori, quàm fide datâ, titubare. Nunc videamus, ut Virgo sanctissima virum bellatorem sibi formârit. B Pauculis ante obitum annis, Hallis (locus Virgini sacer, miraculorum magnitudine, & Principum donativis famosus) novendialia sacra Virgini devota, me spectante peregit. Bis per diem; manè, & vespere ad Horas seipsum cum conjuge, & Filio, per preces Virgini litabat.

SS. Virginē Hallensem colit.

Visa fuit Regina Cæli votis annuisse, & festinatæ mortis, incolumi dignitate, & florente famâ inexpectatum procurasse solatium. Mors Principis Isabellæ, Principis Heroinæ verè admirabilis, animum Comitis alto vulnere sauciavit.

Intravit tunc mentem æterni cogitatio, ingens fastidium, vitæ & rerum humana-C rum magnanima contemptio. Satur ergo fumosis inanis gloriæ imaginibus, non aliter quàm si depulsâ ebrietate mentis, sibi fuisset restitutus, lucem hausit Cælestem (quam homo sibi ipsi dissimilis) & per tres menses commentationibus Divinis se formandum tradidit, voluitque per Patrem Societatis Jesu, instar tironis, novæ militiæ armis erudiri; eos verò progressus in hoc sacro pulvere, & cursu Olympiaco fecit, ut ad vacuitatem omnis humanæ cupiditatis spiraret, & amputatâ, circumcisâque omni inanitate, & mundi errore, seipso & Deo contentus vivere jam decretum erat. Stimulabat illum imitatio Caroli Quinti, qui dulcedine boni melioris ebrius, & pertæsus amaritiei humanæ, in secessum D sese abdiderat. Ille, quia oculis obversabatur, par decretum fixerat, per abdicationem vitæ militaris, Deo soli militandi. Qua de causa, ut felicibus auguriis novam vitam inchoaret, exactâ totius vitę per Confessionem generalem præviâ purgatione, prima posuit ante pedes sacerdotis nostri rudimenta. Quæ ibi non fusæ lachrymæ? qui non gemitus ex alto pectore producti? Lachrymæ, gemitus, suspiria vocem intercludebant. Sic Virgo suum bellatorem inebriârat suâ lachrymâ: felix ter & amplius, non tantum claritate vitæ, verùm etiam mortis opportunitate! Tanta meditantem morbus Rotoaci (locus medius est inter Aldenardam Tornacumque arce magnifica famosus.) affixit lecto. Mirum dictu, quàm constans, & libens fatum excepit.

Quærit secessum ad animæ salutem.

Vt in extremus se gesserit mente imperturbabili.

cepit. Ad ultimam ergo necessitatem, certamenque se comparat, nihil molitus adversus præsentem formidinem. Cùm itaque sacro viatico esset muniendus, fortè (at Deo nihil est fortuitum, qui Principis secretam virtutem decreverat posteris publicare) præsens aderat legatus suæ gentis ad Principem destinatus, quo legum severarum temperamentum impetraret. Inanes fuêre artes quibus suffragium Principis conabatur eblandiri. Auditus tamen jussusque ad certam horam coram adesse, quâ Cælestis cibus erat solemni pompâ deportandus. Susceptâ ergo, ut cum Augustino loquar, bonâ gratiâ, spectante legato, Princeps memor suæ dignitatis, & sacræ fidei, in qua decretum mori, ad utrumque conversus: Abite, inquit, & subditis meis quæ spectastis renuntiate. Ite, & auferte vobiscum affectus meos, quibus Dei Filium verè in sacra Eucharistia præsentem suscepi; hi erunt ultimæ, & æternum victuræ literæ, testes meæ fidei, quas moriturus ad illos destino: quibus & denuncio nullam nisi in fidei Catholicæ professione salutem.

Morabilis ad suos subditos oratio morituri.

Quare, & me suum Dominum imitentur, si se salvos velint, nec audeant legum mearum delinimenta sperare; verùm majorem pro religionis integritate severitatem exspectare. Jussit prætereà supremis tabulis magnificam in templo collegii societatis Jesu Bruxellis aram, & dignam suis in Virginem sanctissimam moribus dicari: perplacuitque ante pedes Virginis, corpus tumulo condi, ut illa corpus tueretur mortui; cui vivens, corpus, & animam manciparat. Aderat fatalis hora, in qua veræ voces audiuntur: *In fine enim hominis denudatio operum ejus*. Ecclesiast. undecimo: tunc recondita, & mille clavibus obserata recluduntur consilia. Mors sic secura, vera cogit loqui. Quas voces pietatis vir bellator non edidit!

Protestatio fidei.

Morientis voces sacras, nemo nisi cum lachrymis ubertimis excepit: solus enim Jesus Christus Crucifixus, & sanctissima Virgo audiebatur: Soli hi in pectore, in ore, in verbis morientis sentiebantur, inter quæ tanquam Cygnus moriens finivit. Quis impetravit menti bellatrici hos insuetos affectus? Quis perfecit, ut æquo animo, cùm adventaret inevitabilis hora, mortem complecteretur, & eo vultu spectaret suum finem, quo quis alienum? Spectabatur fortis in afflicto corporis habitu, & lætus in conspectu mortis, nec deficiens, quamvis deficeret. Unde illi viro Martiali, tanta fortitudo, & digna viro religioso pietas, nisi à sanctissima Virgine, Cæloque missa? Maximum argumentum est animi ab altiore venientis sede, exire, & non metuere, & omnia humana, humillima atque angusta judicare; & quod summum operum; se Deo permittere. Hæc est spe-

Ultima verba.

A cies non usitatæ indolis, sed Divinæ. Habet Conjux, habet & Filius, quibus ad contemplationem domesticarum virtutum vocantur. Sic Mariti; sic Patris memoriam decet venerari, ut ultima dicta, factaque secum mente revolvant, & figuram magis animi, quàm corporis complectantur. Exprimant alii virum per alienam materiam; optima conjux, cum optimo filio, moribus. Felix ter & amplius Virginis beata servitute Joannes Nassavius, quæ virum æternæ gloriæ, & pariter in animis mansurum nomen parturit. Quos, quantosque Principes non obruit oblivio? tu Princeps
B Virginis sacræ, beneficio; posteritati traditus, semper superstes eris.

§. XIX.

Exempla horrenda justitiæ vindicis; & unum misericordiæ Virgineæ. Quamvis vindicis justitiæ alio loco ponendum foret, verùm quia ab auctore juncta sunt, judicavi jungenda, ut oppositione mutua eluscescat utrumque.

C

SUperest ut addam ex Stanislao horrenda justitiæ vindicis spectacula: & unum misericordiæ Virgineæ, quâ meritis suis impetravit primos motus pœnitentiæ & justificationis. Narrat Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis, vir omni potior fide, vir antiquæ integritatis, & antiquis patribus non impar; & ne quispiam de fide tragœdiæ ambigat, ipsius verbis de Udone, & Zavissa illam contexam. Attende Lector. Udo ille Archiepiscopus Magdeburgensis,
D quem ferunt sanctissimæ Virginis beneficio, & ingenii, quo anteà carebat, excellentis acumen, & dignitatem Episcopalem consecutum, cùm deinceps libidinosè viveret, ac tertiò divinitus monitus voce cælo missâ, non resipisceret ab impuro Monachæ complexu, tractum ad judicium Divinum, accusatum, scelerisque convictum, & dignitate Episcopali exutum, æternis addictum fuisse inferni suppliciis; remque hanc adeò manifestè actam, ut eam Deus à pio sacerdote, nocturnis precibus in Ecclesia vacante, spectari oculis, ac denique signa fuso ex cruore occisi cadaveris, in marmoreo templi pavimento perpetua extare voluerit. An non similis exitus Zavissæ Curosuancii Episcopi Cracoviensis? Illustri quoque is in hoc Regno loco natus, sed juvenis, & ut reor, illicito ambitu, fratre Castellano Cracoviensi aliisque cognatis, quorum tunc erant præcipuæ in Republica partes, adnitentibus, Episcopatum

Horrendi Episcoporū exitus.

tum adeptus, illicitis indulgens voluptatibus in Dobrovodensi prædio, fortè rusticanam puellam altiùs à terra elevatam, acervum fœni componentem conspicatus, dum per scalas conscendit, & jam in cupitos ruit amplexus, in ipsa obscœni actus lucta lapsus ab alto, fractâ cervice exspiravit. Curatum ejus funus in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, celebri pompâ ab amicis ferunt: sed nec tetros abfuisse Cacodæmones, eique, qui vivus secretis libidinibus satiari non potuit, sed palàm cunctis inspectantibus, non ut homo, quem rationalis pudor abstrahit à flagitio perpetrando, sed ut belua quædam scelus impurum exequi voluit, cum infelicibus tripudiis parentâsse: auditosque fuisse palàm concinentes impuram (quam fortasse Episcopus vivus occinere solebat) ad meretricandum invitationem. Tales sunt eorum exitus, qui, ut sacra eloquia testantur, in bonis ducunt dies suos, & in momento labuntur ad tartara.

Admirabile spectaculum misericordiæ Virgineæ ex eodem sancto viro. Dicam, inquit, vobis, quod narrante Carncovio didici: Petrus Gamratius Archiepiscopus Gnesnensis, idemque Episcopus Cracoviensis, illicitâ ambitione geminas opulentas dignitates consecutus, ut prodigus & libidinosus palàm audiebat: aderat comitatus, qui Episcopum minimè deceret: mensam, ut cum Plauto loquar, strues patinaria ornabat vel onerabat potiùs: aderant symphonistæ, parasiti, sycophantæ, mimi, ludiones, meritò ab Italis bufones appellati; strepebat Aula illicitis clamoribus: Baccho & Veneri indulgebatur.

Pessimi Episcopi pessima vita.

Denique in ea erat apud omnes opinione, ut nemo de Gamrato bene existimaret; cuncti, ut perditè flagitiosum execrarentur, cujus cognomen etiam nunc turpibus & obscœnis facinoribus vocandis usurpatur: unum erat, in quo non Gamratum, non lurconem, non ganeonem, sed Episcopum agnoscere posses. Pauperum & egentiorum singularem gerebat curam, singulis diebus ex eo numero centum erant, qui Episcopali mensâ & ferculis reficiebantur: dum iter faceret, duo currus onusti lineis indusiis, & laneis tunicis, vel si hyems esset, ex pelle ovinâ consutis vestibus, sequebantur, nudus vel male vestitu, si quis opem implorans obvius erat, vestiebatur, viatico etiam donabatur: hic mos, ea consuetudo familiaris Gamrato erat, cùm alioquin ipse in tantis opibus, ut prodigi solent, egeret, ac semper ferè indies vivens alieno ære gravatus, usuras dependeret. Jam senior, jam morti proximus, nihil ex illicita victûs & prodigalitatis ratione remittebat, &, ut opinari licet, præteritorum facinorum recordatio præcipitem eum, non ad spem misericordiæ, sed ad salutis desperationem agebat: sed verissimum esse quod Spiritus sanctus per os David Regis locutus est: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus*, Gamratus quoque expertus est. Nam cùm annis fessus, &, ut dixi, morti esset proximus, neque tamen de supremo vitæ exitu admodum esset solicitus, accidit ut in pervigilio festi cujusdam diei ad vespertinas preces audiendas Ecclesiam iturus accingeretur, paratusque in cubiculo aliquantisper solus subsisteret, ecce nota illi viri cujusdam nobilis Curossy, jam diu fato functi persona apparet: Familiariter secum mutuorum conscii facinorum diù vixerant; exhorruit tamen ad visam redivivi hominis speciem Episcopus: cumque ille, ut metu posito secum ageret, hortaretur, paululum resumpto spiritu Gamratus: Etiamnè tu vivis? & in quo tandem loco es, mortali perfunctus vitâ? Respondet ille: Vivo, longèque feliciori quàm vos fruor aurâ. Tum Gamratus: Tunè, quem flagitiis gravatum, & turpibus libidinibus mè, prô dolor! conscio fœtentem è vitâ excessisse constat; inter eos sis, qui felices sunt? vix credo. Credes, inquit ille; mox, paulisper modò sustine. Juvenis admodum cùm in Germaniâ essem, incidi in quendam, qui sacrilego ore sanctissimam Dei Matrem Virginem incestabat: ego flagitii impatiens, colaphum homini impingo; nec mora, ille, ut erat armatus, manu ad capulum admotâ, duellum mihi denuntiat: ego non segnius stringo ensem: congredimur, nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere sacrilegum conficio. Et tunc quidem ne homicidii & duelli crimine succumberem, fugâ mihi consului. Deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, sed cùm suprema adesset hora, animaque è corpore exitura, insultantibus infernalibus hostibus cõflictaretur, & ego exitii certus nullam reliquam spem haberem; ecce mox nova affulsit lux: Regina Cæli Angelicis Choris stipata præstò aderat: diffugiunt infernales beluæ, nescio quid horrendum frementes frendentesque: at illa vultu benigno flexit in me misericordiæ oculos: Mileinè, inquit, meus, defensor honoris mei peribit? Absit. Tum versa ad Filium: En uterus, in quo conceptus es: en ubera quæ suxisti; hunc ego militem, quibus olim te stringebam brachiis, complexum tantisper tenebo, tu sanguinem, quem ex meis traxisti visceribus, stilla: ego efficiam ut ex ejus oculis vberes fluant lachrymæ, abluendis sceleribus sufficientes. Dixerat, & ego ex detestatione anteactæ vitæ intimo concepto dolore singultibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendisse agnosco, & annuente sanctissimâ Patronâ meâ, ingenti illius amore exardesco, affectu; non voce: nam morbi vis usum linguæ interceperat, atque

Impius Episcopus eleemosynarius & ideo ad justificationem aperuit sibi viam.

Mortui apparitio.

Impius homo quo obsequio SS. Virginem devinxerit.

Stupenda SS. Virginis benignitas.

per odium aliquod & deteſtationem. Concil. Trident. ſeſſ. ſextâ, capite ſeptimo. *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ſequitur, quæ non eſt ſola remiſſio peccatorum, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injuſto fiat juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* ad Titum 3.

§. VII.

De cauſis juſtificationis ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7.

Finalis gloria Dei.

Hujus juſtificationis cauſæ ſunt: *Finalis* quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna: *Efficiens* verò miſericors Deus, qui gratuitò abluit, & ſanctificat, ſignans, & ungens Spiritu promiſſionis ſancto; qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: *Meritoria* autem dilectiſſimus unigenitus Dominus noſter Jeſus Chriſtus: qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam ſuam Charitatem, quâ dilexit nos, ſuâ ſanctiſſimâ paſſione ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & Deo Patri pro nobis ſatisfecit. Inſtrumentalis item, ſacramentum Baptiſmi, quod eſt ſacramentum fidei, ſine quo nulli unquam contigit juſtificatio. Demum unica formalis cauſa eſt Juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit; quâ videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ: & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, Juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem. Remiſſio ergo peccatorum, & juſtificatio, datur, & accipitur per Jeſum Chriſtum, cùm merita Domini noſtri Jeſu Chriſti nobis communicantur. Cùm enim Chriſtus Dominus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quę virtus bona opera eorum ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, ſine qua nullo pacto grata aut meritoria eſſe poſſunt, nihil ipſis deeſſe putandum eſt, ſi in gratia perſeverarint ad vitam æternam conſequendam. Hæc virtus eſt illa aqua, de qua Joannis quarto dicitur, *Si quis biberit ex hac aqua quam ego dedero, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Quid autem ſit in gratia diſcedere, niſi eſſe veſtitum veſte nuptiali: id eſt, Charitate, & amore Dei ſuper omnia? Hinc apparet Juſtitiam, quâ juſtificamur, eſſe Charitatem, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Hæc quippe eſt quæ vincit omnia, ſine qua nihil proſunt omnia, & ad ſe trahit omnia. Pulchrè docet beatus Auguſtinus tractatus 32. in Joannem: *Habeto Charitatem & omnia habebis, ſine qua nihil proderit quidquid habere poteris; exſtinguit delicta, & ab ea pendent univerſa.* Et tractatu de ſpiritu & litera: *Hæc autem Charitas non eſt ea quâ ipſe nos diligit, ſed quâ nos facit dilectores ſui, quâ nos amati à Deo, amamus Deum, & amplius amari meremur.*

Meritoria Chriſtus Dominus.

Inſtrumentalis Baptiſmus.

Formalis cauſa juſtitia Dei qua verè juſti efficimur.

Hæc juſtitia vocatur fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Hæc juſtitia qua juſtificamur eſt Charitas.

§. VIII.

Quomodo hæc Juſtitia dici queat, cùm ſit Juſtitia Dei.

Auguſtinus in Pſal. decimum octavum trigeſimum primum & quinquageſimum. *In tua Iuſtitia erue me. Eſt*, inquit, *Iuſtitia Dei, quæ & noſtra fit, cùm donatur nobis; ideò autem Dei Iuſtitia dicitur, ne homo putet ſe à Deo non habere Iuſtitiam.* Et in Pſalmum trigeſimumprimum. *Cùm ero juſtus, tua Deus Iuſtitia erit, quia Iuſtitia abs te mihi data eſt. Iuſtus ero, & ſic erit mea, mihi abs te data* Et decimoquarto de Trinitate capite, duodecimo dicitur: *Iuſtitia Dei non ſolùm quâ ipſe juſtus eſt, ſed quam dat homini, cùm juſtificat impium. Sic dicitur ſapientia hominis, cùm etiam Dei ſit; tunc enim vera eſt; ſi humana, vana eſt.* Ad hoc propoſitum adducit exemplum capite vigeſimoquinto ſuper Exod. *Nunc igitur virga Dei dicitur, quæ primùm fuit Aaron, poſteà fuit Moyſi; ſicut dicitur ſpiritus Eliæ, qui eſt ſpiritus Dei, cujus particeps eſt Elias; ſic dicitur Iuſtitia Dei, quæ noſtra eſt, quia ſcilicet à Deo donata eſt.* Et in Pſalm. 131. *Sacerdotes tui induantur Iuſtitiâ. Veſtis cùm accipitur, non cum capillis naſcitur: pecora de ſuo veſtiuntur. Hanc prædicat Apoſtolus quod à Deo tibi ſit; geme ut impetres; plora, crede, totum ex Deo eſt. Non tamen quaſi dormientes, non quaſi non conemur, non quaſi non velimus. Sine voluntate tua, non erit in te Iuſtitia Dei. Eſſe poteſt Iuſtitia Dei ſine voluntate tua; ſed in te eſſe non poteſt: nam qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te. Ergo fecit te neſcientem, juſtificat autem volentem.*

Quomodo Dei quomodo noſtra juſtitia.

Hæc Auguſtinus. Charitas ergo, quâ Dei amatores ſumus, per Spiritum ſanctum nobis infunditur; nobis profectò non

non dormientibus, sed gementibus, atque credentibus; idque ex beneficio gratiæ prævenientis. Nostra ergo dicitur, quia nobis cooperantibus: Dei verò, quia ipsius donum. Unde cùm hinc exierimus, recipiemus pro meritis, & surgemus ad recipienda ea quæ egimus, & tum Deus non tam coronabit merita nostra, quàm dona sua. Quare Augustinus tractatu in Joannem vigesimo-sexto: *Quid hoc*, inquit, *est Dei Iustitia? & Iustitia hominis? Iustitia dicitur, non quâ justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut sit justus homo, per Deum.* Unde & Apostolus: *Diffusa est Charitas Dei in cordibus nostris, non utique à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Bene ad hoc alludit magnus Dionysius, capite primo de Cælesti Hierarchia. *Omnis à Patre mota illustrationis emanatio in nos beneficè exundans, denuò vivifica vis ad supera nos revocando simplificat & convertit ad Patris congregantis unitatem.* Et de Divinis nominibus capite quarto: *Omnibus se Deus proponit, & habitaturum se promisit in nobis, & nos in filios adoptaturum*; juxta illud Petri 2. cap. 1. *Efficiamur*, ait, *consortes Divinæ naturæ, quod fit per subministrationem Spiritus sancti, qui nobis datur.* Et Leo Papa sermone de sancto Laurentio: *Totius plenitudo Iustitiæ à Deo nascitur.* Hilarius in Psalmus 131. *Habitat Deus in Religiosorum mentibus, non corporali aditu, sed spirituali virtute.* Ambrosius in Psalmum 118. *Particeps sum ego omnium timentium te. Christus Iustitia est, cujus si membrum quispiam fit, particeps est Iustitiæ Christi.* Et Hieronymus in epistola ad Lætam: *Fiunt Christiani, non nascuntur.* Basius in Hexamer. homiliâ duodecimâ: *Christianismus est similitudo Dei. Si Christianismum amplexus es, stude similis fieri Deo; indue Christum, & per Christi cognationem Deo quoque conjunctus eris.* Augustinus libro quinto de Baptismo parvulorum, capite vigesimo-quinto, ait, *quod duobus modis fit, & Baptismi susceptione, & morum imitatione.*

Quomodo nostra dicatur justitia.

Quâ do meritis sumimus Christi participes summus justitia.

Hinc concludamus, nostrâ Justitiâ, nobis à Deo datâ nos realiter esse justos. Justitia ergo primùm datur à Deo ut nostra sit, & nos illam accipiendo, moti & confortati à Deo, illam facimus nostram. Quod pulcherrimè docet Divus Augustinus ad Anastasium epistolâ quadragesimaquartâ. *Lex docendo & jubendo, quod sine gratia non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sancta voluntas possit, quod infirma non posset. Lex ergo adducit fidem, fides impetrat; Charitate ergo induitur, & Iustitiâ, quæ operit multitudinem peccatorum, & homo ex injusto & peccatore fit justus & sanctus, ex infusione & Charitatis &*

Pulchra resolutio ut Dei justitia fit nostra.

A *Iustitiæ, quæ homini inhæret; nunc tanquam sua, dono tamen Dei: nequaquam enim justus, sapiens, innocens quispiam dicitur, Iustitiâ, sapientiâ, innocentiâ alienâ, sed suâ.*

Quare dicitur, *Sanctifica eos in veritate. Sanctificantur*, ait Augustinus ibidem, *hæredes testamenti novi, cujus veritatis umbræ fuerunt sanctificationes veteris testamenti. Si ergo justificatio quâ justificamur, non est vera in nobis, nostra justificatio umbra est.* Hæc est Justitia, ut docet Augustinus de spiritu, & litera, quæ in veteri testamento velata, in novo revelabitur; quæ ideò Justitia Dei dicitur, quòd eam impartiendo facit; quare & verè justi nomi-
B namur, & sumus, juxta illud Apostoli Joannis epistolâ primâ: *Vide qualem Charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Nam qui vocantur, & non sunt*, ait Augustinus hic, *quid prodest illis nomen, si res non est? Quàm multi vigiles vocantur, qui tota nocte dormiunt?* Quàm multi vocantur Christiani, qui non sunt in fide, & Charitate? Unde & epistolâ secundâ capite secundo dicitur, *Qui facit Iustitiam, justus est, & ex Deo natus. Si ex Deo natus est, habet aliquid à Deo, nempe Charitatem, propter quam filius Dei nominatur, vitâ prioris iniquitate depulsa. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quomodo tollit, nisi expulsa malitia per infusionem Charitatis.* Hanc doctrinam paucis & e-
C minenter docet Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. *Itaque neque nostra propria Iustitia tanquam ex nobis propria statuitur; neque enim ignoratur aut repudiatur Iustitia Dei, quæ enim Iustitia nostra dicitur, per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem est Dei, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.* Absit ergo ut Christianus in seipso glorietur, vel confidat, & non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut illorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Quare & Canone 32. dicitur *anathema ei, qui dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cujus vivum mem-
D brum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.*

Verè justitia qua justificamur nostra est.

Pulchra rationes.

Tridentini Concilii resolutio.

§. IX.

Octo causæ numerantur, quibus demonstratur Justitiam nostram mereri vitam æternam.

PRima, efficacia doni Spiritus sancti cooperantis in meritum.

Secunda, veritas Dei promittentis.

Tertia, persuasibilitas liberi arbitrii consentientis atque perseverantis.

Quarta, difficultas merendi in statu militiæ.

Quinta, dignitas capitis nostri intervenientis, quod gloriari debet in membris.

Sexta, liberalitas Dei quæ unum desiderium pensat æternitate gloriæ.

Septima, obsequium Deo fideliter obtemperantis.

Octava, nobilitas operis quod ex charitate procedit. Et cùm amicorum omnia sint communia, & justi per gratiam amici sint, juxta Joannem 15. *Nondixi vos servos, sed amicos* & Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Debetur verè illis præmium tanquam merces operi ex conventione facta, sicut & prætereà debetur hæreditas filiis, quibus cum patre bona sunt communia. Quod idem Concilium Tridentinum sess. 6. cano. 26. docet; ubi indicitur *anathema ei, qui dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo facta fuerint, exspectare, & sperare æternam retributionem, à Deo per ejus misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & mandata ejus custodienda usque in finem perseverarint.* Fit ergo Deus debitor non aliquid accipiendo à nobis (ut dictum est titulo de Justitia commutativa) sed quòd ei placuit promittendo. Illo ergo modo possumus exigere. *Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti. Et hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti.* Et in Psalm. 100. Ecce qualis est Dominus noster, ut donando debeat? & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non pigeat; in quantum enim gratis largitur, in tantum debitor invenitur. Mirum dictu, & ineffabile Dei consilium. Deus enim cum justus sit, ut sit ipsa Justitia, Christus verò quatenus homo, est justitiæ plenitudo, nos verò de plenitudine ejus omnes accipimus, gratiam pro gratia, quia ipse nobis illam meritus est, quæ nostra vocatur & sua, & juxta Zachariam cap. 4. *exæquavit gratiam gratiæ; hoc est*, inquit Augustinus, *accepimus gratiam fidei, spei, & Charitatis, in quibus per gratiam ambulamus proficientes, accepturi gratiam illam deinceps, de qua Apostolus ad Romanos 6. Gratia Dei vita æterna.* Ecce unde manat nostra Justitia & merendi nobilitas, unde gloriatur Christianus ex plenitudine Christi, qui meruit nobis & gratiam justificantem, & glorificantem. Vocat autem gratiam vitam æternam Augustinus in epistola 105. ad Sixtum, *Non quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur, ut cum Deus* (ut jam sæpiùs dictum) *coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm dona sua.* Et de correptione & gratia capite decimotertio. *Quare & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine ulla dubitatione confitendum est, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia homini contulit: homo enim ex se nihil potest, nisi moveatur, confortetur, & ad perseverantiam adjuvetur: pauper enim & inops est homo.* Audi Bernardum primo sermone de Epiphan. *Pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possumus pro parvo illo si volumus. Totum quod dare possum, istud corpus est, id si dedero, satis est: si quo minus, addo & corpus ipsius, jam de meo est, & meum est: parvulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi, de te Domine suppleo quod minus habeo in me.*

Doctrina ut mereamur vitam æternam.

Quomodo exigit homo meriti præmium.

Deus est dator & debitor.

De plenitudine gratiæ Christi justitiam accipimus.

Gratia vita æterna ut dicitur.

§. X.

Quomodo ergo Iustitia nostra Iustitiæ Divinæ comparata, dicitur esse injustitia à Divo Gregorio.

CErtum est, Justitiam Sanctorum esse veram Justitiam; Christus enim Dominus despondit sibi Ecclesiam absque ruga & macula, ut dictum est. Certum prætereà est ex Concilio Tridentino sessione sexta capite septima. *Veram & Christianam Iustitiam accipientes, seu primam stolam* (Lucæ decimoquinto) *pro illa, quam Adam pro sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum, illis donatam, candidam & immaculatam, jubentur statim rena-*

renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternum. Sic & Apocalypf. 14. dicitur, quòd sint sine macula ante thronum Dei, & quod non sit inventum in ore ipsorum mendacium. Et cap. 19. verf. 7. Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est ei ut cooperiat se byssino splendenti; byssinum enim justificationes Sanctorum sunt. Justificati ergo amici Dei, ac domestici facti sunt, & ut Jacobus 2. cap. Videte quoniam ex operibus justificatur homo. Et Ecclesiastici 18. Ne verearis usque ad mortem justificari, quæ Justitia, ut dicitur, vestis nuptialis vocatur, quâ qui destitutus est, nuptiis Cælestibus excluditur, juxta illud: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Non terreat ergo hominem quod Job 4. dicitur, Nunquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles. Et cap. 9. Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificabitur homo compositus Deo. Ecce etiam Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quantò magis homo putredo & vermis! Beatus Gregorius libro 4. moral. capite 6. Nos isto metu, & formidine liberabit, humana, inquit, Iustitia Divina Iustitia comparata, injustitia est, quia & lucerna in tenebris lucere cernitur, sed in Solis radio posita tenebratur. Et libro 9. capite 5. Homo quippe Deo non compositus Iustitiam percipit; compositus amittit; qui quisque bonorum auctori se comparat, bono se, quod acceperat, privat. Justitia ergo non comparata Deo, est aliqua Justitia; illi comparata, est mera injustitia. Rectè hoc docet Origenes, exponens illud Cantici Annæ: Non est sanctus ut est Dominus: Si scriptum esset, Non est sanctus nisi Dominus, consequens erat nos omnes renunciare ab hac spe, ut sancti efficeremur. Nunc autem dicitur, Non est sanctus sicut Dominus, id est, si sunt sancti multi, nullus ita sanctus ut Dominus. Omnia quippe quæ creata sunt, quamvis ea fecerit Deus valde bona, Creatori tamen comparata, nec bona sunt, & ea quæ ante pulchra, nec pulchra. Sic quis ad comparationem Dei justificatur. Omnis quippe, ait Augustinus de perfectione Justitiæ, pulchritudo Iustitia, te præsente deformis est: omnis fortitudo te præsente infirma; omnes divitiæ te præsente mendicitas; omnis Iustitia humana te præsente injustitia. Quid est homo ut possit sequi Regem factorem suum? non quod nostra Iustitia, sit injustitia; sed quòd tanta sit claritas infinita illius Iustitiæ, tantáque rectitudo, & puritas, ut omne quod etiam est pulcherrimum, justissimum, opulentissimum, totum denique quidquid est, nihil esse videatur. Hoc docet Spiritus sanctus in Apocalyp. 20. verf. 11. Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inventus in eis. Omnis profectò creatura Deo comparata, quasi nihil raputabitur, & quasi gutta roris antelucani evanescet.

Nostra injustitia vere nostra est.

Quomodo Dei iustitia comparata nostra nulla sit.

Quidquid nobile magnúmq; Deo collatum nihil est. Sic & nostra iustitia divina cõparata.

Ratio dicti.

Intelligimus proinde, ut ait orat. 17. Magnus Nazianzenus, nos nihil esse, si cum illa prima & vera sapientia conferamur, eámque ob rem, ad ipsum unum tendamus, nec quidquam aliud quærámus, quàm ut promanantibus illinc radiis illustremur. Huic veritati D. Bernardus insistit sermone 5. in dedicat. Eccles. Nimirùm si ipse quoque Iustitia nostra omnes ad lumen veritatis inspecta, velut pannus menstruata inveniuntur, injustitia deinceps quales reputabuntur?

Finio hunc tractatum cum Elogio Justitiæ. Illa est quæ nos reddit sanctos & justos, sicut Deus sanctus, & Justus est: conciliat nobis Deum amicum, Patrem, & nos introducit in familiam magni Dei tanquam domesticos & familiares, imò & filios, & cohæredes Christi.

Quocirca D. Augustinus in Joannem 14. Majus, inquit, est opus, ut ex impio justus quis fiat, quàm creare Cælum. Et sanè ex parte ejus quod fit, maximum opus est, terminatur enim ad bonum æternum participationis Divinæ. Et quamvis Angelos justos creare, impios justificare, æqualis sit potentiæ; hoc tamen est majoris misericordiæ; quia magnitudo misericordiæ in hoc ostenditur, cùm prodigus, & proscriptus, & reus æternæ iræ, in complexum vocatur, & decernitur hæres Dei. Attamen nostra lux etiam magna, si inaccessibili luci æquiparetur, non lux dicenda, sicut lux candelæ exiguæ, quamvis lux vera dicenda sit; ardenti tamen & fulguranti luci opposita, lucis nomen non meretur.

Lumen ergo quod in nobis est, quasi tenebræ sunt, & ipsæ tenebræ quantæ erunt? Qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo quia magnificas eum (ait fidelis & devota confessio) aut apponis erga eum cor tuum? Job 7. Quid? sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Hoc ipsum more suo subtiliter Augustinus libro 7. confess. capite 10. docet, cùm ait: Et reverberasti infirmitatem aspectûs mei radians in me vehementer, & contremui amore, & horrore, & inveni longè me esse à te in regione dissimilitudinis.

Quotiescumque igitur irradiatus homo luce cælesti, hanc notitiam sui consequitur, & ut loquitur D. Bernardus libro de diligendo, ut Divino inebriatus amore, oblitus sui, factúsque sibi ipsi tanquam vas perditum, totus pergit in Deum, & adhærens Deo, unus cum eo spiritus, tunc clamat: Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & spes mea

meæ Deus in æternum. Per hanc notitiam perdit quodammodo seipsum, tanquam non sit; hoc est non sentire seipsum, à semetipso exinaniri, & penè annullari: hoc est donum cælestis conversationis, non humanæ affectionis.

§. XI.

Finiamus totum hunc tractatum de Gratia justificante, sacro Virginis Matris Elogio. Qua ratione dicenda, fons mater, causa nostræ justificationis. Perditæ justificationi unicum sidus SS. Virgo.

OMnes Patres vocant Matrem DEI fontem nostræ salutis. Ab Irenæo libro 5. contra hæreses, vocatur *causa salutis.* Ab Epiphanio *liber vitæ, in quo Verbum Patris mundo legendum offertur.* Chrysologo sermone 140. *Mater viventium.* Damiano sermone 2. de nativitate, *Totius salutis exordium.* Divo Augustino de fide ad Petrum, *vita parens, Eva advocata, humani generis reparatrix.* Damasceno in oratione de dormit. *Fons vitæ perenniter fluens.* Cyrillo Alexandrino in templo Ephesino Virgini dicato coram gravissimo Patrum consessu, *templum inviolatum, fundamentum Ecclesiæ, quod expugnari non potest, rectæ fidei sceptrum.* Innocentio Secundo Papâ sermone 2. de assumptione, *Maria finis damnationis fuit, & origo salutis.* Oportebat enim sicut mors per fœminam intravit in orbem; ita per fœminam vita rediret. Ideo quod damnavit Eva, Maria salvavit; ut unde mors oriebatur, indè vita resurgeret. *Quare qui invenerit illam, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ubi Hebraicè habetur, *Inveniens me, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Hebraicè, *educet voluntatem à Domino.* Chaldaicè, *habebit beneplacitum à facie Dei.* Pagninus, *educet quod voluerit à Domino* 70. *præparatur voluntas à Deo.* Cajetanus verò sic transfert, *educet voluntatem à Domino,* id est, quidquid voluerit, impetrabit. Quid autem sit, præparari voluntatem à Deo, docet Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio. Et Epistolâ 107. & Concil. Arausic. nec non Prosperus, & Fulgentius, nihil aliud esse quàm dari gratiam, quâ Deus movet voluntatem, & liberum arbitrium ad bonum. Quomodo ergo per Virginem, hæc gratia nobis concilietur, videamus.

Tituli speciosi Matri sanctissimæ à S. Patribus dicati.

Quid voluntatem præparari à Deo.

A Verùm ut hoc penetretur, damna, quæ sibi parturit peccator, ponamus ob oculos.

§. XII.

Primum damnum.

PEccator privatur dono gratiæ habitualis, quo Deo Charus, & amicus, atque adeo Filius DEI. Gratiæ enim beneficio tanquam semine gloriæ, felici æternitati destinabatur. Ingens ergo, & B horribilis actutum exoritur inclinatio, immutatio, & Metamorphosis rerum. An non vita Cælestis, calor, vigor, & pulchritudo penitus exstinguitur? An non spoliatur veste nuptiali, sicut eques fœdifragus vellere aureo? an non anima, statim hostis Dei judicatur?

§. XIII.

Alterum damnum.

C PRivatur præterea Spiritu sancto inhabitante, & inquilino; juxta illud Sap. 1. *Spiritus sanctus effugiet fictum.* Et ex Filio DEI fit filius Diaboli. Joannis 1. capite 3. *Omnis qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Et Joannis 8. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis implere.* Hanc igitur animam Diabolus jam ut suam regit, trahit, & quocumque potest impellit, sicuti antè gratiâ donatus à DEO, velut amico, & amato parente regebatur.

§. XIV.

D
Tertium damnum.

HIs malis accedit spoliatio omnis juris ad cælestem beatitudinem; hoc enim ipso, quo quis per adoptionem in alienam transit familiam, si consummata fuerit atque perfecta, omne jus bonorum consequitur: quemadmodum enim dum Trajanus Imperator, Adrianum adoptavit; & is Antoninum Pium; per adoptionem & Cæsares, & veri Imperatores creabantur, rerumque potiti citra invidiam dominabantur: sic homo per gratiæ communicationem, consors Divinæ naturæ factus, à Deo in Filium Dei adoptatur, ita ut verè jus obtineat, instar Filii ad Patris hæreditatem,

tem, & regnum Dei jure Justitiæ debitum negari non possit. At peccatum hoc jus Divinum evertit; & anima funestata omnem gratiam exscindit, & opus ingens multorum operum in dedecus æternum prosternitur.

§. XV.

Quartum damnum.

EXuitur homo infinitis propè meritis, & thesauris ditatus, ita ut nulla factorum illustrium gloria, nec memoria superstes remaneat, perinde ac si rebus gestis emortua superveniret oblivio. An non pulcherrima facinora Davidis, una exstinxit, delevitque libido? Rectè Ezechiel 18. *Si averterit se Iustus à Iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes Iustitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Quàm plango athleticos tam Origenis, quàm Tertulliani labores.

§. XVI.

Quintum damnum.

MUlctatur privatione protectionis Divinæ, quæ Filiis debetur. Deus enim instar Patris, curam circumfert sui dilecti, prævisa, & instantia mala semovet; casus & prolapsiones transmutat felici successu, insidias Diaboli detorquet, vires concupiscentiæ debilitat, frangitque, nec ab illecebris peccati patitur expugnari. Circumdat ergo Deus paci, & saluti firmissima munimenta, quamdiu manet in anima justi Deus; juxta illud Joannis 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et juxta illud Psalmi, *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.* Peccator ergo tantâ Dei benevolentiâ indignus, permittitur Tyrannidi Diaboli; à quo, enim ut dicitur 1. Petri 2. quis superatus est, hujus & servus est. Indies ergo peccator infirmior, dæmonis efferociente superbiâ, volvitur ex malis in mala, donec absorbeatur.

§. XVII.

Sextum damnum.

PRæparatio æterni supplicii: stipendium enim peccati est æterna mors: sicut virtutis, æterna vita. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis, cum ardoribus sempiternis?* Isaiæ 33. vers. 14. His tantis malis accedit, difficillimam esse gratiæ

A deperditæ restitutionem: ex parte enim hominis solius, homini impossibilis. Sola ergo spes porrigitur ex parte summi Dei, summis injuriis provocati, læsique. Quibus oculis? quo ore? quâ fronte funestus peccator ad infestum Deum accedet? Gemmam amisisti? lustramus loca, ubi perditam credimus. An gratia quærenda eo loci, ubi perdita? quin imò detestanda, fugiendaque. Indignus aspectu Cæli, qui Cæli conditorem sibi suscitavit inimicum! Quid aget, omnibus honoris, ornamenti, & favoris insignibus spoliatus! Unum superest propitium sidus rebus desperatis, sanctissima scilicet

B Virgo; sanctissima Virgo una salus victis perditisque ad justificationem recuperandam: illius est gratiam procurare, quam Angelus salutat plenam gratiâ, & quæ apud Deum gratiam invenit. Bene Idiota: *Inventâ Virgine, invenitur omne bonum.* Bonaventura in Psalter. *Invenient peccatores gratiam apud Deum, per inventricem gratiæ, atque salutis.* Candidus verò amator Bernardus, sic insurgit: *Gratiam quæramus, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, & frustrari non potest.* Si enim Abraham, suæ Saræ beneficio, vitæ suæ periculum redemit, inducendo illam, ut se diceret suam *Vivimus ob gratiâ Virginis.*

C sororem: *Dic*, inquit Genes. 12. vers. 13. *ergo, obsecro te, quod soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, & ut vivat anima mea, ob gratiam tui.* Abraham ergo Ægyptii bene usi sunt propter illam. Hanc artem sic affandi sanctam Virginem docet nos Bonaventura. *Dic*, inquit, *obsecro, sancta Virgo, quod soror nostra sis, & bene sit mihi propter te. Verè enim & soror, & Mater nostra est.* Attende ad festinata auxilia. Anselmus de excellentia Virginis: *velocior est nonnunquam salus memorato nomine ipsius Virginis, quàm memorato nomine Filii unici ipsius: ipse enim judex est, & merita singulorum ponderat: & ipse invocatus sæpè non exaudit, & quidem justè; invocato*

D *autem nomine Matris, si merita invocantis non merentur ut exaudiantur; merita tamen Matris intercedunt ut exaudiantur.*

Quare, ut præpropera, & anticipata voluntas auxilii sui conferendi doceatur Sapient. 6. dicitur, *præoccupat qui se concupiscunt.* Prævenit vota nostra, quia se novit benedictionibus præventam. Hoc docuit in nuptiis Galilææ, dum compassa verecundiæ sponsi, & convivarum, non passa est collectam veram non rogata, struxit preces Lymphis in vinum mutandis, Filium conveniendo, dicendoque *Vinum non habent*, elementorum commutationem impetravit. *Facile* itaque *videtur*, ut dicitur Sapientiæ 6. *ab his qui diligunt illam, & invenitur ab his qui quærunt illam.* Cùm itaque gratia sit difficilis inventu, nihil tamen facilius quàm per Mariam, ipsâ inventâ, invenire gratiam. Quam diu ergo in hominis anima aliquid officii, vel pietatis in Virginem reliquum *Mater gratiæ facile curat & procurat gratiam.*

est,

Memoria Virginis & ejus studiũ spem facit peccatori.

est, semper suppetet residua, haud spes vana salutis, quamvis per scelera à Deo projectus videatur. Quare hujusmodi peccatorem non sine causa comparârim spatiosissimæ arbori per quietem visæ Regi Nabuchodonosori, *Danielis* 4. quæ primùm speciosissima repræsentat, & gerit personam hominis Justi: deinde peccatoris, cujus, omnis ornatus, & species formosi corporis concidit, cui nihil relictum, nisi in radice superstite, virium, aut spei, in vitæ restitutionem. Quid enim magna arbor & fortis, cujus proceritas Cælum contingit: cujus aspectus erat usque ad terminos universæ terræ? Folia ejus pulcherrima, & fructus nimius: & esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cæli, &c. quid inquam hæc arbor, nisi anima justi omni formâ mortali speciosior, astris proxima, Angelis cognata, summo Deo dilecta, proventu virtutum lętissima, quæ dominatur suis pravis affectibus, cujus & consuetudinem Angelicæ mentes affectant. *Et ecce vigil, & sanctus de Cœlo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus: & dispergite fructus ejus.* Et quis ille Vigil, nisi Angelus judicis Dei personam repræsentans, qui acri vigiliâ actus nostros discernit, judicat, ac proinde improbè viventes damnat, & instar arborum succidit, ut igne crementur scelerati. *Verumtamen gramen radicum in terra sinite.* Quid hoc signat, nisi cultores Virginis sanctissimæ, quibus certissimum imminebat exitium, nisi imperio Cæli fuisset interdictum, prohibitumque propter dignitatem Matris? Parcit ergo Deus suis adversariis in gratiam Matris, quam studiosè colunt, & ne in desperationis supremum malum præcipites ruant, relinquit illis germen, & spem misericordiæ consequendæ. Hinc renascitur improbis vita, quasi nova arbor ex germine occulto, & mortuis afflatur nova juventa à Matre viventium. Et quomodò interibit, quem Leæna rugiens suscitans, vita donat? Hoc in sententia vigilum decretum est, & (hic est) sermo sanctorum, & petitio. Si quæris cur hoc ita fecerit Deus? Ut cognoscant omnes quod per excelsum Deum, sanctissima Virgo dominetur universis. Mavult sanctissima Virgo commemorare, se, quos perdere potuisset, pepercisse, quam cùm parcere posset, perdidisse.

Arbor visa à Nabuchodonosor forma justi & injusti.

§. XVIII.

Hujus misericordiæ & gratiæ justificantis impetratæ, luculentium dabit Comes Ioannes Nassavius exemplum, qui ex hæretico factus Catholicus, ex Catholico sanctè mortuus finivit, Matre Dei curante gratiam.

ANtiquitatis clara monumenta, ut Reges & Principes alti sanguinis per felices obsequiorum successus hos favores sanctissimæ Virginis sunt demeriti, prætermitto. Justum Lipsium literarum humaniorum nostro sæculo Phœnix, ut extrema, dein ut vitam, per virtutum contemplationem absolverit, dedissem, nisi seipsum, à seipso proditum recognoscerem, & in sanctissimæ Virginis laudes prolixum clarissima opera testarentur. Unus Comes Nassavius recentis suæ virtutis materiam posteritati, nostrâ manu dicabit: nunquam enim meliùs virtutes æstimantur, quàm iis temporibus quibus gignuntur: & tum quidem maximè, cùm placidi cineres, arrogantiam, & obtrectationem supergressi conquiescunt. Ad prodendam ergo Virginis sanctissimæ gloriam, & tanti Principis memoriam, quæ memoratu digna sub extremum vitæ contigerunt, destinatò perscribam. Parentabo mortuo sine gratia, aut ambitione; quem vivum, bonæ conscientiæ pretio colui: prætermittam inclytæ familiæ claritudinem, etiam cuilibet maximæ non imparem. Quis enim Nassavium stemma, & altum sanguinem ignorat? prætermittam, ut erectum, & sublimem ad virtutis pulchritudinem, animum concitavit, & per honestarum artium cultum, adolescentiam transegerit. Breviter strictimque attingam, quo pretio Ernestinam filiam magni Principis de Ligne coëmerit. Flagrabat uterque; sed amores, & suspirantium vota tardabat religio dispar. Obniti ergo Catholica Princeps, & sibi, & amanti; non placiturus ille, nisi damnatâ impiâ religione. Hæsit ergo spes utriusque. Quid agat Nassavius? incusat spes ægra moras. Loquar cum Panegyrico. Mens omnis oberrat in vultus, quos finxit amor. Hauserat insolitos promissæ Virginis ignes. Non illi venator equus, non spicula curæ. Falleretnè amantem, per simulationem? alienum, & indignum suo sanguine. Transiretnè ad avitam religionem, non evictis, non dissolutis suæ novæ religionis argumentis, quæ instar anchorarum navem fortiter occupabant?

Nassaviorũ inclytum stemma.

bant? temerarii, & levis ingenii opus videbatur. Ea quæ Deum, & Religionem spectant, non nisi ingenti consilio tractanda minimus in utroque error, funestus. Alto ergo consilio petitur Roma, ubi Sedes veræ religionis, ubi firma, & inconcussa statio; ut magnorum virorum reciprocis argumentis (erat enim Princeps controversiarum acutè peritus) si convinceretur, manus daret; sin minus, sibi perstaret. Lustratis ergo tot Martyrum, & Pontificum sacris monumentis, quæ sunt quædam voces, quibus tota posteritas, ad antiquam, veramque religionem provocatur, animatur, atque firmatur; ubi se firmatum vidit, in castra transiit Catholicorum. Quis Romæ audeat trepidare, ubi stat Sedes Apostolica semper inconcussa, semperque perdurans stabit? Vera vox Christi ad Petrum, *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Tu enim es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæc sola consideratio tenuit magnum Augustinum in Catholica Ecclesia, hæreticorum undique nequidquam allatrantibus sectis. Audi illum adversus Donatistas: *Numerate primò ab ipsa Sede Petri, & in ordine illorum Patrum, quis cui successerit, videte.* Et contra epistolam fundamenti. *Tenet me in Ecclesia Catholica, ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oves Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopum successio sacerdotum.* Attende Lector. quid hoc est dicere, *Tenet me in Ecclesia Catholica sacerdotum successio?* nisi ideò permaneo in hujus cœtus communione, quoniam in eo existimo, cum successione veritatem conjunctam, quæ tanquam anima Ecclesiæ? Ergo ceteras sectas damno, inquit Augustinus, in hac Catholica Ecclesia persisto, quia pro ejus capite rogavit Christus, ut non deficeret ejus fides in hærede futuro.

Romam petit religionis Catholicæ curiosus.

Visa Apostolica sede movetur.

Augustinus quid in Catholica Ecclesia detinuerit.

Successio sacerdotum infallibilis, infallibile argumentum veræ fidei.

Stabit hæres inconcussus; quia verbum Christi manet in æternum, quia verbum Christi manet inconcussum. Princeps ergo jam deditus Ecclesiæ Catholicæ; clarus, & magnus haberi cœpit, & famam sui, fama modestiæ auxit: æstimantibus, quanta futuri spe, arduum hoc negotium confecisset.

Pontifex ergo summus, tanti viri accessione lætus, Brevi Apostolico, impertitâ priùs benedictione, reducem est comitatus. Junctus ergo fuit suæ Ernestinæ splendidis natalibus ortæ. Quod matrimonium ad magna nitenti decus, ac robur fuit: nam cùm per summam Charitatem, summâ concordiâ viverent, actutum in suas ditiones, in quibus tantùm unus fuit Catholicus inventus, per Patres Societatis, signa religionis Catholicæ intulit, eamque severis legibus curavit promulgari. Et quò daret conceptæ Religionis flammas, hortatrice conjuge, bona Ecclesiarum Paterno ærario addicta,

Ernestina ex alia familia de ligne orta.

A Ecclesiæ restituit: maluit enim detractâ injustâ opulentiâ tenuiter vivere, quàm splendescere rapinis. Per hoc iter magnorum operum gradientem Rex Catholicus, attonitâ familiâ Nassavianâ, Regiè remuneratus donavit illum vellere aureo, supremo magistri equitum titulo, & multis possessionibus jure belli proscriptis.

Hæresim qui ante hæreticus pellit suis terris.

Nec fefellit Regem fides invicta; nec animus suæ Majestati oppigneratus; qui per audacia facta clarus multis vulneribus, maluit pro suo Rege millies emori, quàm fide datâ, titubare. Nunc videamus, ut Virgo sanctissima virum bellatorem sibi for-B mârit. Pauculis ante obitum annis, Hallis (locus Virgini sacer, miraculorum magnitudine, & Principum donativis famosus) novendialia sacra Virgini devota, me spectante peregit. Bis per diem; manè, & vespere ad Horas seipsum cum conjuge, & Filio, per preces Virgini litabat.

SS. Virginem Hallensem colit.

Visa fuit Regina Cæli votis annuisse, & festinatæ mortis, incolumi dignitate, & florente famâ inexpectatum procurasse solatium. Mors Principis Isabellæ, Principis Heroinæ verè admirabilis, animum Comitis alto vulnere sauciavit.

Intravit tunc mentem æterni cogitatio, ingens fastidium, vitæ & rerum humana-C rum magnanima contemptio. Satur ergo fumosis inanis gloriæ imaginibus, non aliter quàm si depulsâ ebrietate mentis, sibi fuisset restitutus, lucem hausit Cælestem (quam homo sibi ipsi dissimilis) & per tres menses commentationibus Divinis se formandum tradidit, voluitque per Patrem societatis Jesu, instar tironis, novæ militiæ armis erudiri; eos verò progressus in hoc sacro puluere, & cursu Olympiaco fecit, ut ad vacuitatem omnis humanæ cupiditatis spiraret, & amputatâ, circumcisâque omni inanitate, & mundi errore, seipso & Deo contentus vivere jam decretum erat. Stimulabat illum imitatio Caroli Quinti, qui dulcedine boni melioris ebrius, & pertæsus amaritiei humanæ, in secessum D sese abdiderat. Ille, quia oculis obversabatur, par decretum fixerat, per abdicationem vitæ militaris, Deo soli militandi. Qua de causa, ut felicibus auguriis novam vitam inchoaret, exactâ totius vitæ per Confessionem generalem præviâ purgatione, prima posuit ante pedes sacerdotis, nostri rudimenta. Quæ ibi non fusæ lachrymæ? qui non gemitus ex alto pectore producti? Lachrymæ, gemitus, suspiria vocem intercludebant. Sic Virgo suum bellatorem inebriârat suâ lachrymâ: felix ter & amplius, non tantum claritate vitæ, verùm etiam mortis opportunitate! Tanta meditantem morbus Rotoaci (locus medius est inter Aldenardam Tornacumque arce magnifica famosus.) affixit lecto. Mirum dictu, quàm constans, & libens fatum excepit.

Quærit secessum ad animæ salutem.

Vt in extremo mu se gesserit mente imperturbabili.

tum adeptus, illicitis indulgens voluptatibus in Dobrovodensi prædio, fortè rusticanam puellam altiùs à terra elevatam, acervum fœni componentem conspicatus, dum per scalas conscendit, & jam in cupitos ruit amplexus, in ipsa obscœni actus lucta lapsus ab alto, fractâ cervice exspiravit. Curatum ejus funus in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, celebri pompâ ab amicis ferunt: sed nec tetros abfuisse Cacodæmones, eique, qui vivus secretis libidinibus satiari non potuit, sed palàm cunctis inspectantibus, non ut homo, quem rationalis pudor abstrahit à flagitio perpetrando, sed ut belua quædam scelus impurum exequi voluit, cum infelicibus tripudiis parentâsse: auditosque fuisse palàm concinentes impuram (quam fortasse Episcopus vivus occinere solebat) ad meretricandum invitationem. Tales sunt eorum exitus, qui, ut sacra eloquia testantur, in bonis ducunt dies suos, & in momento labuntur ad tartara.

Admirabile spectaculum misericordiæ Virgineæ ex eodem sancto viro. Dicam, inquit, vobis, quod narrante Carpcovio didici: Petrus Gamratius Archiepiscopus Gnesnensis, idemque Episcopus Cracoviensis, illicitâ ambitione geminas opulentas dignitates consecutus, ut prodigus & libidinosus palàm audiebat: aderat comitatus, qui Episcopum minimè deceret: mensam, ut cum Plauto loquar, strues patinaria ornabat vel onerabat potiùs: aderant symphonistæ, parasiti, sycophantæ, mimi, ludiones, meritò ab Italis bufones appellati; strepebat Aula illicitis clamoribus: Baccho & Veneri indulgebatur.

Pessimi Episcopi pessima vita.

Denique in ea erat apud omnes opinione, ut nemo de Gamrato bene existimaret; cuncti, ut perditè flagitiosum execrarentur, cujus cognomen etiam nunc turpibus & obscœnis facinoribus vocandis usurpatur: unum erat, in quo non Gamratum, non lurconem, non ganeonem, sed Episcopum agnoscere posses. Pauperum & egentiorum singularem gerebat curam, singulis diebus ex eo numero centum erant, qui Episcopali mensâ & ferculis reficiebantur: dum iter faceret, duo currus onusti lineis indusiis, & laneis tunicis, vel si hyems esset, ex pelle ovinâ consutis vestibus, sequebantur, nudus vel male vestitu, si quis opem implorans obvius erat, vestiebatur, viatico etiam donabatur: hic mos, ea consuetudo familiaris Gamrato erat, cùm alioquin ipse in tantis opibus, ut prodigi solent, egeret, ac semper ferè in dies vivens alieno ære gravatus, usuras dependeret. Jam senior, jam morti proximus, nihil ex illicita victûs & prodigalitatis ratione remittebat, &, ut opinari licet, præteritorum facinorum recordatio præcipitem eum non ad spem misericordiæ, sed ad salutis despe-

Impius Episcopus eleemosynarius & ideo ad justificationem aperuit sibi viam.

A rationem agebat: sed verissimum esse quod Spiritus sanctus per os David Regis locutus est: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus*, Gamratus quoque expertus est. Nam cùm annis fessus, &, ut dixi, morti esset proximus, neque tamen de supremo vitæ exitu admodum esset solicitus, accidit ut in pervigilio festi cujusdam diei ad vespertinas preces audiendas Ecclesiam iturus accingeretur, paratusque in cubiculo aliquantisper solus subsisteret, ecce nota illi viri cujusdam nobilis Curossy, jam diu fato functi persona apparet: Familiariter secum mutuorum conscii facinorum diù vixerant; exhorruit tamen ad visam redivivi hominis speciem Episcopus: cumque ille, ut metu posito secum

Mortui apparitio.

B ageret, hortaretur, paululum resumpto spiritu Gamratus: Etiamnè tu vivis? & in quo tandem loco es, mortali perfunctus vitâ? Respondet ille: Vivo, longeque feliciori quàm vos fruor aurâ. Tum Gamratus: Tunè, quem flagitiis gravatum, & turpibus libidinibus mè, prô dolor! conscio fœtentem è vitâ excessisse constat; inter eos sis, qui felices sunt? vix credo. Credes, inquit ille; mox, paulisper modò sustine. Juvenis admodum cùm in Germaniâ essem, incidi in quendam, qui sacrilego ore sanctissimam Dei Matrem Virginem incestabat: ego flagitii impatiens, colaphum homini impingo; nec mora, ille, ut erat ar-

Impius homo quo obsequio SS. Virginem devinxerit.

C matus, manu ad capulum admotâ, duellum mihi denuntiat: ego non segnius stringo ensem: congredimur, nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere sacrilegum conficio. Et tunc quidem ne homicidii & duelli crimine succumberem, fugâ mihi consului. Deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, sed cùm suprema adesset hora, animaque è corpore exitura, insultantibus infernalibus hostibus cõflictaretur, & ego exitii certus nullam reliquam spem haberem; ecce mox nova affulsit lux: Regina Cæli Angelicis Choris stipata præstò aderat: diffugiunt infernales beluæ, nescio quid horrendum frementes frendentesque: at illa vultu benigno flexit

D in me misericordiæ oculos: Milesnè, inquit, meus, defensor honoris mei peribit? Absit. Tum versa ad Filium: En uterus, in quo conceptus es: en ubera quæ suxisti; hunc ego militem, quibus olim te stringebam brachiis, complexum tantisper tenebo, tu sanguinem, quem ex meis traxisti visceribus, stilla: ego efficiam ut ex ejus oculis vberes fluant lachrymæ, abluendis sceleribus sufficientes. Dixerat, & ego ex detestatione anteactæ vitæ intimo concepto dolore singultibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendisse agnosco, & annuente sanctissimâ Patronâ meâ, ingenti illius amore exardesco, affectu, non voce: nam morbi vis usum linguæ interceperat, atque

Stupenda SS. Virginis benignitas.

atque ita supremis meis castissimâ Virgine assistente exspiro. Anima è corpore egressa, Angelorum ministerio fertur in Cælum, illic non meritis meis; nam ea vel nulla, vel satis exigua erant; sed Divinâ misericordiâ, mihi per Patronam meam conciliatâ, æternam adeptus felicitatem verè vivo. Inde ad te nunc missus sum, ut te supremorum tuorum admonerem: dudum jam merueras, ut tot beneficiorum acceptorum ingratus, morte ferali, ad exemplum voluptarii Udonis mulctareris: tuæ largitiones in egenos factæ; illæ epulæ quotidianæ mendicis exhibitæ; illæ vestes, quibus nuda Christi membra texisti, ne ex meritis tuis in te Divina sæviret justitia, prohibuerunt.

Scito autem, te abhinc sexto mense (tantum tibi indulget clemens Pater) moriturum, expende & dispice, quid te interim agere oporteat; nam veniæ adhuc superesse locum, vel meo doctus exemplo, ne diffidas. His dictis ille quidem disparuit. Episcopus in lachrymas resolutus, neque eo die in publicum progressus, diutiùs solito solus mansit, & nisi serò, quid sibi accidisset, iis, quibus maximè fidebat, patefecit. Noverat Carncovius plerosque, qui cum Gamrato familiariter vixerant, quique supremis ejus adfuerant, confirmabant illi ita ultimos sex illos menses, ab eo exactos fuisse, ut verè & ex animo peccata detestantis hominis omnes numeros impleret: denique sanctissimis Sacramentis ritè expiatum, cum optima æternæ salutis spe eum cessisse è vita testabantur.

Fabulas videor vobis narrare, quæ tamen luculentis testimoniis probari possunt; sed cernitis diversos hominum exitus, & Dei miserentis imperscrutabilia judicia. Horrendum est incidere in manus Dei viventis; nec minùs timendum, ne facilè veniam desperemus.

§. XX.

Quomodo Deus & Deipara, opera minima compensent mercede maximâ.

VIdebor mihi ad justitiæ liberalis splendorem illustrandum, nonnihil contulisse, si minima quæque opera, tenui virtutis radio tincta, largâ & augustâ Dei liberalitate ostendero compensari. Est in aperto, nihil pravi, vitiosique, nisi castigatrice pœnâ tolerari; nihil etiam honesti vel virtutis laude imbutum, non præmio donari.

Quid occurrit in humanis actibus levius, aut minoris pretii, oculorum jactu, aut subitâ visione? Hæc tamen si virtutis ex

A officina nascatur, quamvis sit opus exile, pandit tamen viam magnis præmiis conquirendis. Factum Euangelicum astruet fidem. Zachæus, pio videndi Jesum studio succensus, turbam præcurrens, oblitus suæ fortunæ, conscendit arborem, quia staturâ pusillus erat. Vidit, & cœpit amare Jesum; vidit videntem se, quia elegit eligentem se; & amavit amantem se, quia videre Dei, est eligere & diligere. Quanti pretii est ista visio? Annon ducit hominem ad fidem Incarnationis? ad divinitatis cognitionem? Quæ bona non consequuntur visionem? Annon statim princeps publicanorum induit fulgorem justorum? Ecce proscribit bona ad dimidiationem in

B usum pauperum: si quid vitii partis opibus adhærescit castigatur, & admittitur ad Dei consortium, ut hospitio Christum & mensâ excipiat. Acclama tuæ felicitati factus fœlix, ô princeps nobilis! extolle Christi Domini bonitatem, penetra gratiæ latæ largos effectus. Annon priusquam videres Jesum, ut velles videre, priùs secreta animæ tuæ visitavit? excitavit affectum; surrogavit auxilium, inspiravit necdum volenti videre, ut velles, adjuvit bonæ voluntatis conatum ut videres? Vidisti ut vocareris: descendisti jam te major, qui antè pusillus, profusus in pauperes, qui antè tenaciter avarus. Ascendisti non impius, sed piè curiosus jussus descendere; descendis à

C teipso totus diversus, *quia salus huic domui facta est*, & depulsis tenebris factus es filius lucis. Quanta bonorum Copia inundat animam pia visio, quam Deus adeò benignè remuneratur! Nunc te convenio, ô princeps Zachæe; quid in ista visione tui est? *Quid habes quod non accepisti?* ad Corinthios tertio, versiculo quarto. Est quidem aliquid tui, sed non ex tuo, sed ex Dei dono, cujus auxilio fretus mereris coronam, quam Deus contexit & suo dono, tuoque conatu, & opere; quare & Deus dum te coronat, coronat & sua dona. *Sine me*, inquit Christus Joannis vigesimo quinto. *Nihil potestis facere.* Bonum ergo quod in tua visione est, bonum

D est ex alieno bono, quo bono tu bonum opus operaris. Annon ad æmulationem tanti decoris Sanctissima Deipara, visionem sui, dum viveret, regificè remunerata est, sicut recepta cælo, hominum minima obsequia sibi delata generosissimè pensat? In terris nempe superstes usque ad annum ætatis septuagesimum, mortales sui videndi desiderio vehementer accendebat. Et quidni accenderet pulchritudo & forma corporis, nulli concessa? facies omnem gratiæ florem excedens, oculis exspirantes omne decus cælestium amorum: sermo, sapientiæ conditus dulcedine; totus denique corporis habitus, non speciem mortalem, sed

sed supra hominem transcendens, divinum & inaccessum præ se ferebat fulgorem, & majestatem omnium oculos capientem. Nil ergo mortale sonabat structura, Deo opifice elaborata. Virtus cælestis spectatorem suum petebat, & visione sui & oculorum obtutu, quidquid erat lubricum in spectatore, arcanâ vi castigabat, nec patiebatur quidquam residere venereum. Et quidni exurerent oculi cælestibus ignibus micantes? Si basiliscus oculis venenum inspirat intuenti, cur non mater vitæ vitam? Si Midas contactu Virgæ cuncta in aurum permutabat, cur non ope suæ præsentiæ potentissima Regina homines corruptos corruptione liberaret, & appararet dignos cælo? Virtus ex sacro corpore medica manabat.

§. XXI.

De oculorum potentia, vide tractatum de pulchritudine SS. Deiparæ.

O Beati oculi, quibus datum fuit spectare sacrum illud corpus, quod ipsum Deum portavit, Deum suâ carne & sanguine vestivit! O beati oculi, *qui hunc novum mundum*; ut loquitur Bonaventura, *sunt contemplati, qui hanc officinam miraculorum* (ut loquitur Damascenus, vel potius miraculorum summum miraculum dixero) *viderunt*. Desine mirari si Patres vocent illam creaturam sacrum prodigium. Dionysius Areopagita Deam vocasset, nisi fides obstitisset. Unum superest quod crediderim omnem admirabilitatem excedere; sanctissimæ scilicet Deiparæ memoriam, solâ cogitatione & mente tueri, pandere viam & accessum misericordiæ obtinendæ; esto sit improbus & hæreticus qui se Virginis cogitatione pascat, delecteturque, & sit omni virtute destitutus, nec aliud boni adsit illi. *Consule Kalendarium R. P. Anthonii Ballinghen, viri verè religiosi & nobilis ingenii. Consule & Annales R. P. Bencii, anni* 1608.

Anno 1608. famulabatur Martinus Gutric Comburgensis nobili Catholico ipse hæreticus, eratque is amanuensis. Febris autem hectica Martinum invasit; non

A sine vitæ periculo. Solantur socii ægrum; interim ipse vult ad se vocari Dominum Fornerium concionatorem Bambergensem: velle se ait fieri Catholicum. Obstant illi, advocaturos se aiunt ministrum. Ille contrà se velle sacerdotem Catholicum respondet. Itaque domestici Catholici ipso die conceptionis Fornerium advocant. Accedit, ac offendit jà Martino missos, qui exhæredationis aliarumque pœnarum minis, tum à Casimiro Saxoniæ duce contendebant ne papista fieret. Ille constanter respondet se terrenam hæreditatem pro nihilo ducere, cælestem mox initurum. Interrogatus à Fornerio, cur tanto arderet Catholicæ fidei

B desiderio; respondit sibi nocte præteritâ (erat ea sacra Conceptioni Deiparæ) eam sibi multâ luce radiantem adstitisse, & quia me, inquiebat, sæpè devotè salutasti, en venio ad te, ac moneo, ut cùm instet obitus tuus, in gremium sanctæ Ecclesiæ te recipi cures, confitearis ac communices, nocte enim Nativitatis Filii mei, illâ ipsâ hora quâ exiit visceribus meis; veniam ad te, teque abducam ad gaudia cœlestia. Ad hoc Fornerius: Cùm ex hæreticorum sis numero, qui Deiparam non honorant, quibus in obsequiis tantam ab ea gratiam promeritus es? Ego, inquit ille, à te edoctus in concione,

C quam cum Domino meo Catholico frequentabam, quàm sit mater Dei honoranda, & quàm ei grata sit salutatio Angelica, ex eo tempore septies manè, totidemque vicibus vesperi, nixus genibus eam recitavi. Itaque omnibus munitus sacramentis, nativitatis nocte, ut ei prædixerat Deipara, migrat ex hac vita. Ab ejus morte mansit hilaritas in vultu, fuitque colore vivido, & formosior quàm dum viveret. Collige fructum solius cogitationis susceptæ, ut exiguum semen, in maximum culmen sese erexerit. O incomparabilis altitudo generositatis Virgineæ, quæ ex scelerato bonum creat, & factiosum ad suas partes traducit, gaudetque sibi dari materiam, occasionemque suas opes in mortales dispergendi! Ineffabilis na-

D tura bonitatis sanctissimæ Virginis, quæ cùm sit Domina omnium, reddit se vectigalem; & Imperatrix abjicit se ut famulam, cui famulantur omnia, ut redimat suis obsequiis, perituros; tota in genere humano cura Virginis versatur. Quare nobile hoc elogium curæ maternæ debitum videtur.

DEO MARIA

PRÆSENTATA IN ANCILLAM,

ACCEPTA EST IN MATREM.

HInc & mortalibus præsentata in Patronam, ut confugiant ad hoc refugium; præsens est ope, absens nemini, nisi qui absens affectu refugerit à refugio.

Properate ergo mortales ad hoc sacrum asylum, refugium & arcem invincibilem. Mater est quæ vos compellat, ut ditet bonis suis: Eja ergo vos, Præcones verbi divini, vos Confessarii, invitate, trahite & compellite peccatores ad amorem, & obsequia Sanctissimæ Virginis, quibus freti perire non poterunt.

VIGE-

VIGESIMÆ SEPTIMÆ CONSOCIATIONIS. DE INCOMPREHENSIBILI DEI HUMILITATE

PARS PRIMA.

§. I.

AN non Cælum cum omnibus suis intelligentiis; & terra cum omnibus ingeniis stat ad hanc inscriptionem attonita ? An non tota natura, pavet, tremit, horret & omnis lingua exarescit muta, cùm dicitur Deus, cujus magnitudinis non est finis, humiliatus ? Majus est portentum, quàm credi posset, nisi Deus humiliatus visus fuisset. Cùm ita sit ineffabilis Divinæ Majestatis magnitudo, & ter maxima, & celsissima, & incomprehensibilis magnificentia, gloria, potestas, beatitudo, ut nihil addi possit; visum fuit semper gentilibus, & nisi fides astrueret, incredibile, imò stultum & summæ dementiæ, posse Deum humiliari, & eumdem Deum infinitè maximum; posse, quantum fieri potest, infinitè esse minimum: ut minor qui maximus est, minor esse non possit, nisi in rerum natura esse desineret. Aggrediamur hanc Consociationem rationi naturali paradoxam, adversariamque; Deum summum, esse minimum, & summam potentiam esse impotentiam, ita ut in unum convenisse videantur, divitiæ & paupertas, & Deus dives, & pauper sit; uti Sibylla vaticinata est: *In ultimâ ætate humiliabitur Deus.* Verùm ut hoc theatrum incomprehensibilis

Apud gentes Deum humiliari stultitia est.

A parvitatis Divinæ, probè spectari possit, nonnulla priùs præmittenda. Omnes creaturas tam exili, vilique loco apud Deum esse in ordine ad seipsum, ad suam utilitatem, delectationem, felicitatem, quasi omnino non essent; nulla enim accessio felicitatis, aut gloriæ, Deo magno, sive eæ producantur, sive non, advenire potest; atque ut hoc constaret, in tempore, non ab æternitate eas creavit: suæ etenim felicitatis infinito gaudio contentus æternùm vivit. Non enim quia Deus amat se, & quidem necessariò, & se vult; necessariò & amat creaturas, & eas vult. Non enim sicut intellectus Divinus necessariò in Deo omnia cognoscit; ita ex eo quod se amet, voluntas amat creaturas: quæ enim

Deo nulla fit accessio per creaturas.

B inest ei necessitas ut alia velit ex hoc quod velit suam bonitatem, cùm nihil creatum necessarium sit ad Divinæ bonitatis ornatum ? Unde Divina bonitas sine aliis potest esse, & benè esse: cur ergo necessariò amarentur creaturæ à benè cognoscente, cùm nihil intersit ut sint? Benè quidem creatura summè se amans, necessariò & amat quicquid ad suam felicitatem, & majus bonum spectat: nam omne quod est, impetu naturæ fertur in summam sui perfectionem: at quid ad Dei magni infinitudinem spectat universitas creaturarum? Quæ ergo causa dabitur amandi necessa-

rio? Nulla planè. Deus seipsum amat, quantum intensivè amari potest, & quantum amabilis necessitate absolutâ necesse est se amet; quamvis nullam creaturam amet. Cùm autem Deus creaturas amat; non amat eas propter seipsas, nisi cum dependentia ab ipso Deo propter seipsum; non enim potest Deus illas propter seipsas amare, nisi etiam propter seipsum eas amet eodem actu. Quis nisi insensatus dixerit Regem cogi ad amandum ea quæ nec ad Regis splendorem, vel fortunam, vel sui, vel amicorum attinent? Planè igitur illæ sunt suæ Majestati extraneæ atque superfluæ.

Deus amat seipsum amore infinito sine creaturis.

Quemadmodum igitur artifex non tam sibi complacet in re, quàm arte, cujus gratiâ gaudens potest illam velle exercere; sed congratulatur sibi ad ostentationem suæ famæ posse condere opera spectabilia: ita Deus gaudens bonitatis suæ potentiâ, & dives in thesauris suis, potuit eam operibus clariùs manifestare, & inde gloriam extrinsecam sibi acquirere, vel ut illi placitum. Mundo quid pulchrius? Nihil: mundi tamen pulchritudo quid confert Deo? Nihil planè: minus quàm gutta aquæ oceano; granum arenæ infinitis montibus arenosis. Liberè ergo creaturæ à Deo amantur, etsi non liberè cognoscantur. His sic positis tam libera fuit Deo incarnatio, quàm ceterarum creaturarum productio, quas poterat non producere; quamvis naturali, & elicitâ quodammodo inclinatione propter infinitam bonitatem ad incarnationis infinitum bonum inclinaretur. Et multo magis quàm insignis artifex potest abstinere ab opere quod apprehendit sibi omnino inutile. Nullâ ergo necessitate, nec Physicâ, nec Morali Deus impulsus fuit ad incarnationis opus suscipiendum; nisi solo gratuito amore; & provocatus impulsu infinitæ bonitatis, & misericordiæ; ut se scilicet perfectissimo modo liberalissimè, quantum fieri posset, homini communicaret. Perfectissimus autem modus communicandi is est, cùm communicatio fit, non propter perfectionem ejus qui se communicat, neque illam privat suâ perfectione. Qui modus communicandi tanto est nobilior & præstantior, quo bonum, quod communicatur, præstantius est, nobilius; qui modus communicandi in Divinis personis reperitur, ubi Pater eamdem numero naturam, & essentialem perfectionem Filio communicat sine ulla priuatione vel diminutione, neque se communicat propter indigentiam ut sibi perfectionem acquirat: sed ex infinita perfectionis abundantia, & infinitæ naturæ fœcunditate. Decretum ergo fuit in supremo atque profundissimo sanctissimæ Trinitatis concilio, ut Filius Dei, qui maximus, qui omnium potentissimus, & undique infinitus, ita sese inclinaret, ut fieret omnium minimus, & intra homines minimus homo, & inclinaret cælos, & descenderet, & caligine carnis humanæ splendorem suæ Majestatis obtegeret: ita ut verè dici, & affirmari posset, nihil majus, nihil minus Deo excogitari posse. Quod opus, cùm operum Dei maximum fuerit, imò prodigium prodigiorum; non mirum videri debet, si nec Angelico intellectu naturaliter cognosci potuerit; imò nec possibile potuerit demonstrari. Cùm enim hoc mysterium sit omnino supernaturale, nec ullo modo contineatur in principiis, causis, & effectibus naturalibus; quomodo potuit demonstrari, cùm nullum sit medium, quo possit naturalis ratio demonstrare illud esse possibile? Et quamvis nonnulli admittant, quod valde dubium est, ab Angelo naturaliter cognosci, accidens sine subjecto posse conservari; hoc tamen mysterium longè altiùs, in quo Deus non solùm separat res omnino distinctas, sed etiam modum prorsus intrinsecum; & illum supplet non per solam efficientiam, sed per intrinsecam & mirabilem unionem. Unde mysterium hoc, Deum in se attingit, & ex hac parte minus cognosci potest, quàm reliqua Dei opera.

Mundi creatio nihil addit Deo.

Quis nobilissimus modus communicandi.

Prodigium Deus summus & minimus.

Angelis ignotum mysterium incarnationis.

Hinc Paulus tuba illa cælestis, ubi hoc mysterium, ejusque altitudinem fuit contemplatus, & Deum in sua Majestate vestitum spoliis vilitatis nostræ, & Creatorem in natura creata spectabilem & summum imum; exclamavit, & intonuit: *Investigabiles divitias Christi, & sacramentum absconditum à sæculis in Deo.* Ephesiorum quinto, & ad Coloss. 1. *Mysterium absconditum à sæculis & generationibus.* Et primæ ad Corinthios secundo: *Sapientiam* in mysterio quę absconditа est. Et propterea multi putant ab Isaiâ quadragesimo quinto Christum vocatum Deum absconditum, propter hominis (ut Hieronymus ibi docet) assumpti mysterium. Et optimè Ambrosius in secundum cap. posterioris ad Corinthios. *Abscondita est Dei sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est: non humanâ ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis.* Et Augustin. epist. ad Volusianum de hoc mysterio loquens: *Fateamur ergo Deum aliquid posse, quæ nos fateamur investigare non posse.* Quę verba usurpavit Concilium Toletanum 2. *Si ratione*, inquit, *ostendi posset, non esset mirabile: si exemplo, non esset singulare.* Hinc Gregorius homiliâ septimâ in Evang. vocat *mysterium investigabile.* Et Damascenus: *novum omnium novorum*; quod priùs dixerat apud Dionysium Dorotheus epistolâ quartâ ad Caium: *Mysterium hoc per negationem potiùs explicandum, quàm per affirmationem.* Unde Cyrillus in libro

Summum omnium operum divinorum Incarnatio sacra.

libro de fide ad Reginas: *Fatemur omnes cùm dicimus Deum hominem factum, Divinorum operum & maximum, & summum miraculorum Divinæ potentiæ, nec ullo opere se magis Deum communicasse, nec omnia attributa Divina ita simul collucere.* Audiamus Divum Thomam opusc. 60. quod est de humanitate Christi: Congruebat hoc opus Deo, quem decebat sapientiam suam ostendere, potentiam, bonitatem. Quid autem potentius, quàm conjungere extrema summè distantia? magna enim potentia fuit in conjunctione disparium elementorum: major illorum in conjunctione ad spiritum creatum, maxima verò ad spiritum increatum. Quid verò sapientius, quàm ad complementum totius universi, fieret conjunctio primi & ultimi, hoc est, verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum.

Totus Deus elucet in hoc mysterio.

A

Subsiste Lector dum legis: Congruebat hoc opus Deo, id est, conveniens erat Deo; ne suspiceris hoc opus Deo aliquid commodi vel perfectionis attulisse: nota proinde, conveniens accipi pro eo quod est consentaneum, & connaturale naturæ, & esse illius naturæ conforme, & illi competere. An non hoc pacto calor, ignis naturæ est consentaneus & connaturalis? Hoc pacto omnes creaturæ comparatione omnipotentiæ Divinæ sunt ei quasi connaturales, id est, quod fiant à Deo, virtute illius ex se ad illas aptâ: nec enim Deus eget aliis viribus quàm suis.

Quomodo dicitur fuisse conveniens Deo hoc mysterium.

B

Secundò, accipitur congruum vel conveniens pro decenti, & congruenti, quod alicui honestum est: ut honor est conveniens naturæ intellectuali. Deinde accipitur pro utili, & delectabili: delectabile enim convenit naturæ, quam delectat; utile autem etiam convenit ad assequendum finem. Clemens Alexandrinus libro primo Pædagog. capite tertio paucioribus hoc stringit: *Potest esse aliquod Divinum opus conveniens uno modo per se tanquam propter se amabile: alio modo propter aliquem, cui necessarium vel utile est tale opus.* Fuit ergo hoc opus Divinæ Majestati congruum, & conveniens Divinæ bonitati, & quidem intrinsecum amplius quàm calor igni, vel pinguedo oleo, ut sese diffundat: nam ad rationem boni pertinet ut sese communicet, juxta illud Dionysii capite quarto de Divinis nominibus: *Bonum est diffusivum sui.* Eo modo dicit Divus Thomas, est diffusivum quo finis movet: Deus enim in hoc mysterio propter infinitam diffusivam bonitatem communicavit se naturæ creatæ, ipsamet increatam, & infinitam perfectionem quam in se habet, communicando illi Divinam personam substantiali & personali

C

D

Stupenda communicatio Dei cum homine.

communicatione, quâ nulla potest excogitari major; quia essentialis communicatio extra tres personas fieri nullo modo potest. Deinde valdè admirabile est, res summè inter se distantes summo vinculo per incarnationem copulari; actus scilicet purissimus cum pura potentia, & supremus spiritus cum infimo; imò & cum vilissima carne; increata denique persona cum natura creata. Harum ergo rerum infinitè distantia non solum efficit ut tanta earum conjunctio & communicatio videatur possibilis, quin potiùs exaggerat, & ostendit infinitam potentiam ejus qui res ita diversas, & infinitè dissitas in unum conjungere mirabiliter potuerit. Vide Manuale D. Augustini cap. 26. qui & libro de prædest. cap. 15. docet tantam & tam excelsam esse naturæ humanæ subvectionem, ut quo attollatur altiùs non habeat. Et Leo sermo. 9. de Nativit: *Excedit, dilectissimi, multùmque supereminet humani eloquii facultatem Divini operis magnitudo; & inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi: utramque enim substantiam in unam convenisse personam nisi fides credat, sermo non explicat.* Et in hoc commendatur omnipotentia Dei, quòd ut hominem vilissimum, minimumq; ut Deum faceret, Deus factus sit homo, & ut minimus fieret maximus, factus est minimus; & ideò Deus ut prodigiosum mysterium peragi posset, qui dicitur cælos digitis manibusque fecisse, extento brachio porrectisque lacertis totius suæ potentiæ dicitur confecisse; prout sanctissima Virgo profitetur, exclamans: *Fecit potentiam in brachio suo*, quod D. Thomas, & multi accipiunt de Christo, in quo ut in brachio fecit Deus potentiam, id est, potenter vires exercuit in efficienda incarnatione, ostendens brachium suæ potentiæ; brachium enim communiter non ordinariam Dei potentiam, sed eminentem, collucentem, absconditam, & inauditam desiderat; juxta Isaiæ 53. *Quis credidit auditui nostro? aut brachium Domini cui revelatum est?* Ubi Chaldæus habet: *Quis credidit huic nuntio nostro; & fortitudo brachii, potentia Domini, hujus cui revelata est?* In gratiam ergo minimæ creaturæ Deus maximus infringit leges naturæ primarias: humanitatem scilicet privans propriâ subsistentiâ, pro ea subrogans subsistentiam Divinam, & minimam creaturam elevat supra vires ad summi beneficii, & gratiæ hæreditatem, ut hostis gaudeat adoptionis jure, & acquirat jus filii, & sic transeat in familiam æterni Dei.

Incarnationis opus, opus infinita potentia.

§. II.

Nunc memorandæ causæ tantæ exinanitionis. Prima Reformatio imaginis SS. Trinitatis.

INgens quæstio, cur infinitè maximus, decreverit fieri summè minimus. Mirum dictu, ut magnum istud numen grandia opera patrando, summam exuperantiam infinitæ suæ virtutis ostentârit, nullo fræno coarctârit suam magnitudinem, sed supergredi voluerit, tum hominum, tum Angelorum omnium spem, & exspectationem. Quid admirabilius quàm infinitum circulum fieri minimum, & infinitum redigi ad punctum? Ordiamur causas. Primam causam dabit Magnus Nazianzenus oratione 41. quæ est prima de Paschate: ubi sic exclamat: *Quanam hæ bonitatis divitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec custodivi illam. Ille meam carnem accepit, ut & imagini salutem, & carni afferat immortalitem. Secundum consortium nobiscum iniit, & quidem priori admirabilius. Vnum enim quod præstantius erat, nobis impertivit: at nunc quod deterius est, particeps ipse fit; hoc priori illo Divinius; hoc apud cordatos viros multo sublimius.* Verè dici potest quod Deus sicut aqua sit effusus.

An non effusa plenitudo Divinitatis, habitans super terram corporaliter, ut de plenitudine ejus omnes, qui corpus mortis gestamus, acciperemus vitam, & veræ vitæ imaginem; ac vitali odore repleti diceremus: *Oleum effusum nomen tuum Domine?* Verè effusum oleum Divinitatis, non sibi, sed nobis: res enim odoriferæ, & unguenta præsertim; plus aliis, quàm ei qui defert, solent deseruire, quòd is præ consuetudine, non persentiat odoris effusi delitias.

Odores non gestanti prosunt, sed aliis.

Tanti emitur voluptas aliena: tanti emit Deus exinanitione sui, animæ deformatæ restitutionem. Factum est exinanitum nomen magni Dei (ut de seipso ipse testatur Job 30. versu 15. *In nihilum redactus sum.*) Quod ubi anima percipit, currit post odorem unguenti, & crescit & adolescit, transfigurata in imaginem Dei, à claritate in claritatem, à spiritu Domini. Et quando effusum unguentum, totam generis humani massam odoris contactu imbutam reficit? An non tunc cùm formam nostri suscepit, ut Majestatis suæ formâ reformaret? ut ait Philo Carpatius: tunc enim verè effusum, cùm se nostrâ mortalitate contexit, ut nos suâ immortalitate donaret: tunc enim se totum nobis per viscera suæ pietatis effudit, cùm pro nobis crudelissimè mori non recusavit: suâ enim sponte se pro nostra salute devovit, per se oblata hostia, innocentissima victima, immaculatissimus agnus, sacratissimum holocaustum in ara salutiferæ crucis, ut nos à morte sempiterna redimeret. Hoc est nomen illud effusum, summa charitas, ardentissimus amor creatoris ad creaturam. Et quomodo reformat? quam aliam formam, primâ remotâ, subintroduxit? tota Majestas, & infinitudo Dei, effusa fuit sicut aqua, ut nos fœdissimos ablueret: mortalis venit, ut nos redderet immortales: passus est aliquando, qui semper impatibilis, ne nos pateremur: mortuus est semel, ne nos in perpetuum moreremur: descendit ad ima, ut nos tolleret ad superna: exinanitus est Dominus, ut excellentissimè dominaretur servus.

Deus in animæ pretiũ se exinanivit.

Vt nos reformaret factus homo Deus.

Pulchriùs, stricto calamo premit hoc Tertullianus libro secundo contra Marcion. capite 27. *Deus pusillus inventus, ut homo fieret magnus.* An quidquam poterat esse projectius imagine perditi hominis, cujus imago transiit in similitudinem bestiarum, & earum quodammodo induerat naturam, Circæis flagitiorum venenis corrupta? transierat hominis imago peractâ coëmptione, in familiam tyranni infernalis: stigma & notam ferebat diræ servitutis inustulatus: omnibus bonis spoliatus vivebat, cum hac inscriptione: *Dæmonis hæreditas.* Quid egit Deus? Quod Jonathas Davidi. Exuit se purpurâ Regiâ, & involuit Davidem Jonathas: spoliat se, ut fugitivum vestiat spolio. Sic clara in luce constitit David, tantum non Jonathas. Exinanivit se Deus, exuit se Deus suâ gloriâ, ut pullo amictu lugubris, extolleret, vestiretque hominem; ut pulchrè Nazianzenus oratione primâ de Paschate: *Pauper factus est Christus, ut nos illius paupertate ditesceremus: descendit, ut evehamur: tentatus est, ut vincamus: contemptus, ut nos gloriâ afficiat; mortuus est, ut servet: ascendit dein, ut ad seipsum trahat humi projectos.*

Vt Ionathas vestibus Davidem, sic Christus D. nos sua carne.

Meum ergo patrimonium fit illius paupertas; infirmitas Domini mei, mea est virtus: maluit egere, ut omnibus abundarem. Vestitus ergo cultu Regio Filii Dei; transeo recuperatâ formâ hominis in Dei familiam, ut omni excocto vitio forma pristina renideret. Hoc pulcherrimè docuit Nazianzenus oratione quartâ de Theolog. *Quatenus in forma servi est, servis ac conservis se accommodat, & aliena formæ conformat totum me, unà cum meis in seipso gerens; ut quemadmodum ignis ceram, vel terra vaporem Sol; sic quod in me vilius, ipse consumat; quia ignis consumens est, ex quo commercio, bonorum illius & ipse fiam particeps.*

ticeps. Bene est, sanctè Pater. Exinanitus est Filius Dei, & factus est homo, ut hominem terrenum transmutaret in cælestem: plenum humano spiritu, repleret Divino, & sic totum hominem transferret in Dei; & qui anteà gestârat imaginem mortalis, gestaret Dei immortalis. Versum ergo totum supplicium mortis, in pompam triumphi, & universitas novam faciem, & novum sumpsit exordium. Macte ergo animo; vive modò in novitate vitæ; redi ad pristinam formam, Christi indutus formâ. Peccasti, servus factus es. Ecce, liberatus servitute, noli in degenerem vitam prolabi. Imitare puteos, qui cùm scaturiunt, si fortè exhauriantur, ad pristinam aquarum redeunt mensuram. Exurge, & te quoque dignum finge Deo, qui se (ut ait Tertullianus libro quinto contra Marcion. capite vigesimoprimo) pro homine deposuit, pro imagine sua, non aliena. Finges autem te dignum Deo, non auro, aut argento; non enim potest ex hac materia Deo similis imago formari: virtute paratur, non opulentiâ.

§. III.

Secunda causa exinanitionis, animæ dignitas.

Quanti pretii sit homo.

HÆc exinanitio proclamat unius animæ Majestatem, quam tanto pretio, & mercede ductus ipse Deus coëmere decrevit: specta quanti sit homo, cujus pretium sanguine magni Dei persoluitur; & tu peccator te tam parui pretii æstimas, quasi nihil esses. Te præponit Deus sibi, & vitam tuam suæ; te facit Deus pretium sui, fructum suæ crucis, in qua super omnes mortales fuit exinanitus. Hoc elegantissimè sermone vigesimonono perpendit Augustinus. *Deus quidem pretiosum sibi hominem, pretii ipsius dignitate perdocuit; ut quoque intelligamus, quam grandes apud se Dominus Deus noster criminum nostrorum causas æstimet, propter quas non Archangelum, sed Deum misit ad terras.* Et libro quarto de Providentia Saluianus: *Evidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos diligat Deus, qui proprio Filio suo non pepercit; quid amplius dici potest?* Et hoc pro nobis; pro malis, pro iniquis, pro impiissimis, pro iis qui æterna bella, ut filii rebelles, cum Patre gerunt; Patre scilicet amante infinitis amoribus; quemque ita amantem vellent millies occisum; & tamen hi crudelissimi amantur. Potestnè cadere in Deum injustitia? quid ais? nequaquam.

Qua justitia Dei Patris dare illum pro servo.

A An non ex ratione humana, injustum & abominabile facinus commiseris, si parricidam servum ut serves, occideris filium? an non injustum, trucidare innoxium, ut redimas reum mortis? O Pater æterne, ubi est justitiæ regula; unigenitum Filium proditori; innocentiam impietati; orbis Patrem orbis hosti dum postponis? Luat pœnas qui pœnis causam dedit. Meritò exclamat Bernardus epistolâ quinquagesimâ quartâ: *Magna res lanima, qua Christi sanguine redempta: gravis anima casus, qui traxit secum in ruinam Deum.* Quid dici, fingíque potest majus, grandius? quid minus cogitatum, indictumque. Quàm quod nunc dicam;

B tanti esse hominem, ut hominem Deus se metiatur? Disce naturæ humanæ dignitatem: an non hanc ostendit pretii, & mercedis magnitudo? Magne Deus; *quid est homo quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum?* Job septimo. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera.* Isaiæ quadragesimo, versiculo decimo quinto; &. Deus tanti unum æstimat. Pulchrè hoc Eusebius homiliâ sextâ de Paschate: *Magnum mihi quidem est de Deo, quod sentio me opus esse suum, sed multò plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum; quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo non*

C *mundos, sed Deum valere videatur.* Itáne gloriosa pretia rebus imponimus, quia eas tanti æstimamus? ergóne tanti homo, quanti Deus pretii? Tyrannus inferni universum offert orbem in animæ pretium; *Hac omnia dabo tibi, si procidens adoraveris me.* Matthæi quarto. Nihil sibi totum orbem pro animæ dispendio esse fatetur.

Verùm tu magnanimâ voce responde; Tu impiissime? tu pretium audes orare sanguinis Divini? adora imaginem Dei, quam tu violasti; me reverenter habe, qui Deo solo visus sum dignus. At hodie, quid animâ vilius? An diligis Deum, qui Dei imaginem

D vides in sterquilinio jacentem?

§. IV.

§. IV.

Tertia causa. Imitatio exinaniti Dei, ut doceretur humilitas.

Voluit se exinanitum Deus omnibus gloriæ suæ dotibus; ut hominem turgentem, & inflatum superbiæ veneno, ad veram gloriam solidamque traduceret: Superbiæ sagittis, & appetitu Divinitatis confixus interierat homo; ad Christi humilis imitationem omnis fastus, & vana gloriatio penitus excidenda; adeò altè infixum vulnus, ut sanari, nisi vulnere læsæ Majestatis, non posset: opus erat Deo medico; opus erat Deo Magistro; opus erat novo duce, qui medicinam ut medicus pararet: qui nova documenta, & disciplinas, ut magister doceret: qui vias & itinera perditæ salutis, ut dux aperiret. Omnem gloriationem humilis imago Christi convellit & exstirpat; qui de se in Psalm. 118. versu 107. sic loquitur: *Humiliatus sum usquequaque.* Quasi diceret: Vallatus sum, undique vallo humilitatis, & eo obsessus. Aliæ leges, & studia humilis Dei, aliæ & dæmonis. Hic jactabundus jactat gloriam, & opes mundi esse suas: Christus Deus humilis, eas alto (quamvis illius sint) animo calcat, atque despectat. Apud Deum exinanitum contemptus opum, opulentia est: despicatio terreni honoris, verus honor est cæli.

Christus humilis ut eo magistro disceremus humilitatē.

Humilitas cordis, est primus ortus, & nativitas Regiæ nobilitatis. Præclarè ergo Leo sermone 7. de Epiphan. *Tota Christiana sapientia disciplina; non abundantia verbi; non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis, & gloria: sed in vera, & volantaria humilitate consistit; quam Dominus noster Iesus Christus ab utero Matris, usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine & elegit, & docuit.*

Bene ergo Paulus primo, Corinthios ad c. 15. *Si portavimus imaginem terreni; portemus & imaginem Cælestis.* Quid autem sit, portare imaginem terreni, & cælestis; Syriaca interpretatio docet: *Sicut imaginem induimus illius, qui ex pulvere est; sic induamus imaginem illius, qui è cælo est.* Quid hoc est aliud quàm *induere novum hominem, qui secundùm Deum creatus est?* Ephes. 4. & esse novam creaturam ad imitationem ejus, qui est primogenitus omnis creaturæ, & Pater futuri sæculi, ut omnes tanquam Filii Patrem imitentur, [illegible]erant. Ut autem vera sit, nec ficta nec adulterina imitatio; necessaria est similitudo, tum singularium partium, tum similitudo, & convenientia totius; ut Paulus docet ad Coloss. 3. *Exspoliantes veterem hominem cum omnibus actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus qui creavit illum.* Hæc ergo imitatio, & quasi quædam nova creatio, & privationem veteris hominis inducens; ut homo per hanc imitationem similis Christo, sibi dissimilis, vivat in Christo, & non in se; renuntians omnibus actibus, quibus à Deo distrahebatur; ad unitatem reversus, ut unus fiat cum Deo. Hoc ergo pacto quasi Christo vestiti, non nudi inveniemur. Vult ergo Paulus, vt feramus in anima nostra vestem Christi; quæ vestis non est alia quàm vestis humilis, & exinaniti Iesu, abjicientes vestem veteris hominis, quæ non est alia nisi vestis superbiæ, cum qua nascimur, dum nascimur Filii iræ, & Filii Patris superbiæ. Exinanivit se Christus, ut nos exinaniti, Christum humilem sequamur, ejusque vestem circumferamus.

Vestis Christi est humilitas.

Tam Græci, quàm Latini, suorum Imperatorum imaginem in vestibus circumferebant. Sic docet Ausonius: dum Imperatori gratias pro Consulatu addicto soluit honorificas, & eadem verba, quæ scripserat, Imperator rependit, cùm vestem simul, cum munere dedit. *Palmatam*, inquit, *misi tibi, in qua Divus Constantinus noster intextus est.* Et paulò pòst sub propria persona Constantius in argumento vestis intexitur: Gratianus in muneris honore sentitur. Magnus ergò noster Apostolus peritus moris antiqui, vult nos Christum induere, & imaginem ejus portare. Quare tu Christiane damnatam sæculi, & dæmonis imaginem portas? An ignoras jure civili, Consul Scævola, in leg. 38. de injuriis, Senatusconsulto caveri, ne quis Imperatoris imaginem, in invidiam alterius portaret, & qui contrà fecerit, in vincula publica mittatur? Et ut bene explicat Carolus Rebardus lib. 2. conjectâ. *Qui in invidiam novi alicujus Imperatoris, imaginem Imperatoris defuncti, etiam post ipsius memoriam damnatam portare non veretur.* Sic teste Suetonio: Impii Neronis amatores tumulum, vernis æstivisque floribus conspersisse, & imagines prætextatas in rostris protulisse dicuntur. Urget ergo Paulus ut Christum imitemur, & simus sicut ipse Deus, Dii, propter quos, ipse Deus factus est homo. Porta ergo imaginem humilis Christi. An non jure damnabitur, qui portat imaginem tyranni victi, cæsique? Quis cæso Domitiano, ejusque cõfractis statuis, ausus imaginem portare, quas publicum odium in tyrannum prostraverat? Tu Christiane non dubitabis tyranni infernalis imaginem ferre, & colere, & in animam tuam introducere, nisi teipsum damnes. Memineris Sophoniæ 1. c. ubi dicitur; *Visitabo omnes qui induti sunt veste peregrinâ.* Audi Bernardum serm. 5. in natal. Domini: *Configurabit corpus, at non omne corpus humiliato corpori*

In vestibus imagines imperatorū ferebantur.

Ferenda imago Christi Domini.

corpori claritatis suæ; consolabitur enim populum suum, utique populum humilem quem salvum faciet; nam oculos superborum humiliabit. Multi amicorum, ut serva pecora, in adulationem proni sunt. Alexandrum Magnum imitati Palatini cervicis erectione, levique in partem sinistram inflexione, & oculorum volubilitate. Quod si mortalem Regem mortales; cur tu mortalis non imitaris immortalem exinanitum? quid æquius, quàm ut Christiani ostentent se bene moratos, probosque Domini sui servos? siquidem artificium promerendi obsequium est. Effloresces si similitudo Filii Dei in te reperiatur; juxta illud Prophetę Psalm. 16. versus 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ubi alia versio habet: *Satiabor cum evigilavero similitudine tuâ.* Tantus ergo eris, quantum humilitate excellueris: tantum ascenderis, quantum in te descenderis: in tantum altior in quantum humilior, & similior Filio Dei, qui Regiâ voce intonat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. versu 29. Disce humilitatem, ut vilis & projectus erigaris; Deus enim in Filii sui humilitate mundum jacentem erexit, ut canit Ecclesia.

§. V.

Quarta causa. Cælum arduis factis petendum.

ERat in potestate Filii Dei, hanc exinanitionem deprecari, imò & removere, & declinare sicut & mortem, quam ex voluntate suscepit; admirabili tamen Divinæ sapientiæ consilio, præ omnibus triumphis delegit hanc exinanitionem Christus Dominus noster, quo cunctis mortalibus constaret, palmas æternitatis insignitas, atque lemniscatas, non nisi magnis certaminibus, luctisque laboriosis esse parabiles. Primus ergo, viam iniit laborum, & certaminum: primus, signavit in pulvere gressus, & in acie stetit: primus, ardentis omnia virtutis opera, famem, sitim, frigora, æstus, ignominias, vulnera suscipiens exantlavit, exhausitque. *Decebat* (ad Hebræos 2. versu 10.) *enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam erat adducturus; auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Vel ut lectio Syriaca habet: *Ipsum Principem salutis eorum, per passionem perfectum reddere. Oportebat* enim *Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* Sic Lucas 24. versu 26. At Paulus pro *oportebat* ponit *decebat.* Poterat enim Deus Pater, pari li-

Exinanitus Christus ad exemplum.

A bertate quâ Filium dederat nullo etiam doloris sensu, citra ullam luctam, unius cogitationis pretio, vinius voluntatis desiderio, æternitatem triumphalem, & æterna diademata conferre.

Decebat ergo, ait Paulus; quia suavis Divinæ providentiæ ratio, & nonnulla decens æquitas poscere videbatur, ut Princeps salutis, suis sequacibus præiret; ipse præluderet, & primus vexillum inferret omnibus arduis; *Quomodo enim*, ut Cyrillus Jerosolym. Catechef. primâ, inquit, *discipulos ad mortem tolerandam corroboraret pro veritatis defensione; si ductor & Princeps mortis, horrens, eam detrectasset?* Bene est. Ipse dixit, Joannis c. 12. vers. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam;* si vitam amavit,
B quomodo id docuit; neque enim fecit quod docuit.

Primum ergo cùm Deus esset, ab hominibus hæc patiens, sustinebat, ut homines ab hominibus hæc patientes pro ipso ferre non puderet. Alexander Magnus ante agmen volumina, & montes nivium primus intravit, atque perrupit, nec puduit territum exercitum, Ducis signa sequi. Plinius Junior Traianum vehementer extollit ab hac arte bellandi. *Quid apud militem quam admirationem comparasti? cùm tecum ferrent inediam, tecum sitim ferrent, cum in illa meditatione campestri, militaribus turbis, Imperatorium pulverem, sudorémque misceres; nihil à cæteris, nisi robore, ac præstantiâ differens.* Quid
C Othone, Neronis ad omnem luxum socio, mollius? Diffluebat uterque luxuriæ malis: attamen Imperator acclamatus, ut ait Tacitus libro secundo historiar. non Othoni segne, aut corruptum luxuriæ iter, sed loricâ ferreâ usus est, ante signa pedester, horridus, incorruptus, famæ, dissimilis. Attende quibus legibus nobis Filius Dei imperium æternum promittat. Admitte hanc unam solam conditionem in animum, Lucæ vigesimo secundo, *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater.* sive, ut legit Syriacus: *Ego promitto vobis regnum, sicut promisit mihi Pater meus, regnum meum.* Pater per labores, sudores, per mille cruces, tormenta proposuit mihi re-
D gnum; non enim rapinam arbitratus sum, me esse filium Dei; ego pari conditione decerno, atque promitto. Spondeo vos futuros socios gloriæ, si laborum. *Nemo coronabitur nisi legitimè certârit.* Hoc idem cecinêre Poetæ. Seneca in Hercule furente.

Imperatores exemplo docent.

Pater æternus regnũ filio promisit per labores.

Quid me tenentem regna siderei poli
Cœlóque tandem redditum. Planctu jubes
Sentire fatum? Parce. Nam virtus mihi
In astra, & ipsa fecit ad superos iter:
Virtus in astra tendit, in mortem timor.

Silius Italicus libro nono belli Punici:

— *Nam*

——— Nam virtus futile nomen
Ni decoris adsint patiendo tempora læti.

Quid pulchrius litera Pythagoræ apud Virgilium ?

Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq́; decúsque parabit.

Cetera tu vide :

Non est è terris mollis ad astra via.
Celerem oportet esse amatoris manum;
Ardua moliamur, sed nulla nisi ardua vincunt.

Quam imprudenti voto, Petrus in Christi D. transfiguratione optabat in monte Thabor firmum Christo D. Domicilium; exclamans quasi ebrius: *Bonum est nos hîc esse.* An non & ideò refutatur inane, & intempestivum desiderium? *Nesciebat quid diceret.*

Quot errores in uno voto sint, videamus. Dum ait: *Faciamus hîc tria tabernacula.* An existimabat Christum gloriosum cum Elia & Moyse egere tabernaculis? Deinde Christo Domino supremo Monarchæ æquabat servos Moysem & Eliam. Rursum optabat Christo Domino ibidem æternum domicilium cum totius orbis damno, & reliquorum discipulorum. Quid agis Petre? quot in una dulci ebrietate prolapsiones? An non terra, exilii locus? An non dimicationis, & perennis pugnæ statio? An non cælum vulneribus aperiendum? & patria repetenda labore arduo? An non expugnanda sensuum, & carnis rebellio? An non per patientiam currendum ad propositum certamen? An non hic, quem spectas circumfluum gloriâ, spectandus circumfluus sanguine proprio ut terram inundet? Non coronabitur suâ gloriâ, nisi priùs purpuratus supremo martyrio. Priùs audiendæ voces, *Crucifige, Crucifige*; quàm audiantur voces, *Aperite portas principes vestras.* Priùs confusione mortis contemptâ, dabitur dextera Dei Patris.

Hæc vitâ datur palæstræ mortis, & patientiæ. Præpostera si quando petantur, nescimus quid petamus. Meminerint omnes, gloriam, laboris esse filiam. Quid refugis spinas, si legis inde rosas? Alta cæli capitolia non patent nisi pugnacibus, & victricibus aquilis. Sordidatos pulvere complectitur curia cælestis, non otio marcidos. *An non hæc oportuit Christum pati & sic intrare in gloriam suam?* Lucæ 24. numero 26.

Macte animo, qui animum intendis cælo; affer vires, & affer animos: stude evincere obstantia mala, fer omnia dura imperia; quæ si sustuleris, quid erit virtus?

A Objici feris, certare cum leonibus, depugnare cum morbis, æquo animo excipere mala; virtutem puta. Virtus est, domare quæ cuncti pavent. Eia fortes animæ, & igneæ, quos virtus Christi stimulat, non molle iter vobis, non facilis semita calcanda; ardua facere, & dura pati, veri Christiani est, ad Philippens. secundo: *Humiliavit semetipsum Dominus noster Iesus Christus usque ad mortem: propter quod & exaltavit illum Deus.* Et tu incomitatus sudore, & invictâ patientiâ, speras æterna præmia? Cælo mox aderis, & te astra ferent, & dabitur novum nomen; si viceris. Neminem pudebit esse sub spinea corona, qui Salvatoris caput videt obsessum spinis.

Memini sperandæ palma sine lucta.

B Audi Tertullianum libro de corona militum capite 14. *Christus Iesus quale oro te sertum pro utroque sexu subit, ex spinis & tribulis opinor, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Abstulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia, obtundens certè, præter figuram contumeliæ; in promptu est turpitudo, & dedecoratio, & his implexa sævitia, quæ tunc tempora Dominum fœdaverunt, & lancinaverunt.* Deinde: *I nunc mollis, & lascive Christiane*: attende verbis sequentibus. *Ito te, nunc laurea, & myrto, & ozea, & illustriore quoque fronde, & quod magis est, usui centenariis* C *quoque rosis ex horto Mida lectis, verisque liliis, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forsitan & auro, ut & illam Christi coronam emuleris, quæ posteà obvenit: quia & favos post fella gustavit, nec antè Rex gloriæ in Cælestibus est salutatus, quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem.* Hæc ille ardenter, & amarâ ironiâ. Et subdit seriò: *Si ob hæc, caput ei tuum debes, tale si potes, ei tuum repende, quale suum pro tuo obtulit.* An non pervulgata regula juris: Absurdum est plus juris habere, cui fundus legatus, quàm hæredem, aut ipsum testatorem, si viveret? Adiisti hæreditatem Christi Domini, Christiane, cur de ea non es solicitus? Adiisti hæreditatem Regiam? quam curiosè singula scrutaris? tabulas evoluis? singula instrumenta D conquiris? totus in eo es, ut dona testamento legata, constanti possessione tueri possis? Hîc est palæstra, hic agon virtutis; hîc certandum aut moriendum. *Quare aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum,* (ad Hebræos duodecimo, versiculo secundo, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ, atque in dextra Dei sedet*) per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Nota ubi dicitur, *qui proposito sibi gaudio*, Ribera vult legi, *præ gaudio*, loco & vice gaudii *crucem sibi delegit*. Delegit sibi crucem, quam poterat declinare proposito sibi gaudio: quod gaudium Theodoretus vocat *salutem animarum, quam empturus erat pretio suæ exinanitionis.* Aspice ergo, & verte oculos in auctorem fidei; ubi Græcè habetur ἀρχηγὸν Ducem, & τελειωτὴν perfe-

Christus prius fel gustavit quàm favos.

Christus crucẽ delegit.

perfectorem, & coronatorem. Tu Christum imitare, ut cælo potiaris per ardua; ardua enim est via cæli.; Christus est principium, & finis, & dux, & coronator fidei tuæ, cui victoria contigit. An sine cursu? lucta? certamine? estnè servus major Domino suo? Audi Ambrosium libro quinto in caput septimum Lucę: *Tinge carnem tuam in Christi sanguine*; sicut scriptum est Psalm. 67. *Intingatur pes tuus in sanguine.* Tu ergo vestigium animi tui, & mentis excessum, indubitatâ confessione Dominicæ crucis tinge. Tingis carnem tuam in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detergas, mortem Christi in tua carne circumferas. Christus crucifixus omnia in se habet; omnia adsunt bona, quem penes est crucifixus. Cum cruce est honor, & laus, & gloria, læto vultu, & decus, & victoria. Finiam cum Flacco libro quinto Argonaut. Surge, age, & in duris haud unquam defice; cælo mox aderis, teque astra ferent. Finiam. Nemo coronabitur cum Christo, nisi qui legitimè certaverit cum Christo. Addam Alexandri Magni verba ad Scipionem apud Silium Ital. lib. 13. Punici belli:

Audendo bella expedias: pigra extulit astris
Haud unquam sese virtus: tu magna gerendi
Præcipita tempus, mors atra impendet agenti.

Inscribe ergo pectori: Christus exinanitus, cælum emit, & tamen hæres: & mihi veniet inerti, sine pugna, non hæredi?

Tria elucidabunt summam Dei exinanitionem;
Ortus, quando factus est homo.
Prophetia, & vaticinia.
Theatrum vitæ exhibitæ, & imprimis sacræ Passionis.

§. VI.

Ad ortum, & originem hominis ejusque miseram conditionem veniamus. Quid homine vilius?

EX quanto sese dejecerit culmine, & quàm alto fastigio præceps infinita Majestas proruerit, non solum penetrari non potest, sed nec cogitari, imò nec divinari, nisi suprema abyssus vilitatis, & infamis locus, infamis status, & conditio naturæ perditæ, ad quam se demisit, priùs cognoscatur. Cùm enim dicimus, *Deus homo factus est*: quid miserius, quid infortunatius, quid vilius, quid humilius, quid projectius, quid à Deo remotius, quid alienius ab infinito spiritu quàm fieri carnem, dici potest? Dicimus, & jungimus infinitè summo infinitè imum, im-

Deus factus vilissimus ex conditione naturæ humanæ.

A mensissimo ipsum ferè nihil; imò, ut verius dixerim, ipsum nihil (quia per peccatum, factus est homo nihil: ex Augustino in illum locum Joannis primo, *sine ipso factum est nihil*) purissimo actui, nudam naturam ad omnem potentiam: omni substantiæ, omnem vacuitatem: immortali, mortale, & æterno sempiternoque, momentaneum? Philosophi gentiles Iliades scripsêre miseriæ humanæ, ut vilitatem hominis depingerent.

Quanto plures scripturi, si peccatoris cognovissent. Iliades contrahamus in sinum, & plenissima vela in nodum. Trismegistus gentilium antiquissimus ait *hominem esse mortis vinculum, mortem vivam, sensitivum cadaver, sepulchrum circumvertibile, velamen opacum.* Aristoteles: *Quid homo? Fortunæ ludus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium.* Imbecillitatis exemplum, accipe: Philippus Alexandri pater celebrat nuptias filiæ Cleopatræ, cùm in cæna amplissima tertiusdecimus Deus appellaretur, postridie in theatro occisus. Seneca vocat hominem *ad omnem contumeliam projectum.* Sophocles *simulacbrum, & tenuem umbram.* Pindarus *umbram, & somnium.* Demetrius rogatus quid de hominum fortunâ sentiret, respondit *miseram esse.* Aristomynus dixit *vitam hominis theatro similem, in quo pessimi ferè quique primatum obtinent.* Silenus à Mida Rege captus, rogatus quid esset homini optimum, diu tenens silentium, tandem coactus dixit: *Optimum non nasci. Proximum ocyssimè aboleri.* Sic Plutarchus. Solon rogatus quid esset homo, *Putredo*, inquit, *in exitu: belua, vel bulla in omni vita, esca vermium in morte.* Diogenes dixit *nihil esse stultius homine, nec sapientius.* Laertius libro sexto, qui & omnes ferè homines, *sterquilinia* vocabat. Alii vocant *mare profundum, alternis æstibus reciprocum, modò nos allevans solitu incrementis, modò majoribus damnis deprimens, assiduequè jactans, nunquam stabili consistens loco.* Pendemus, & fluctuamus, & alter in alterum allidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. An non misera servitus? Audiamus censuram cæli. *Quid est homo, quòd memor es ejus?* quid est homo? pulvis est, & in pulverem revertetur, redit in terram de qua sumptus est. Job decimo quarto *umbram fugientem.* Quid umbra? an non vigilanti, quod somnium dormienti. Jacobus quarto. *Vapor ad modicum parens.* Græcè ἀτμὸς quæ vox *vaporem, flatum, fumum, halitum, deinde auram tenuem*, à verbo ἀτμίζω, quod evaporo, exhalo, exspiro. Pulchrè Ecclesiastes, primo capite *vanitas vanitatum*: ita vapor vaporum, & omnia vapor, ut vertit Jeronymus *exilis, tenuis, & penè invisibilis*, ut non tam res, quàm rei umbra videatur: sicut & Sapientiæ secundo, *fumus, flatus in naribus nostris.* Et Psalmo trigesimo-octavo: *Ecce mensurabiles fecisti dies ejus*: Ubi

Hominis Vilitas.

Sensus & judicium doctorum de vilitate hominis.

Descriptio vilitatis humanæ.

Jeronymus vertit *breves*; Chaldæus *leves*. Alii ex Hebræo; *ut palmares, ut pugillos, dodrantiles*, id est, quatuor digitorum. Refert Eusebius, & Euthymius, quosdam vertere contentiosos, laboriosos, quasi diceres παλαιςὰς; quasi diceres palæstrales, dies luctæ, & certaminis. Verè, quid est homo, *cujus substantia tanquam nihilum ante te?* Psalmo trigesimo octavo, vers. sexto, ubi Jeronymus vertit; *vita mea quasi non sit in conspectu tuo*: alii *avum meum nihil coram te*.

Substantia hominis quasi nihil.

Verè nihil est creatura collata suo factori; sicut punctum lineæ, nihil respectu lineæ; imò propriè, & verè nihil est: Deus enim solus habet immortalitatem. Unde nomen ejus, *Ego sum qui sum*. Exod. 3. Unde & omnes gentes, quasi non sint in conspectu ejus. Et Daniel 4. *Omnes habitatores terræ apud eũ, in nihilum reputati sunt*. Universa ergo vanitas, omnis homo vivens; non solum vanitati similis factus. Psalm. 143. nec tantum vanitati subjectus, verùm ipsissima vanitas, umbra, & simulachrum.

Simulacrũ umbra fugiens.

Quare optimè dixit Apollinarius ἄνθρωπος ὁμῶς δαιδάλμα βαίνει, *homo perinde ut simulachrum graditur*. Ac proindè optimè Paulus ad Corinthios 7. *Umbram prætereuntem vocat*. Et Mænander *umbra somnium*. Quem plausum dabis huic vanitati? & umbratili somnio? repende vanitatem vanitate, quæ tanti æstimatur: date ergo plausum; peracta comœdia est. Claudet tragicam humanæ conditionis faciem Eusebius de præparat. Euang. libro undecimo, capite septimo. *Natura*, inquit, *nostra inter ortum, & mortem consistens, instabilis, & quasi phantastica est*. Nam si mentem collegeris, & comprehendere eam volueris; *quemadmodum aqua in manibus hausta, quanto magis premitur, tanto citiùs diffluit: sic mutabilia cuncta, quantò magis ratio persequitur, tanto magis amittit*. An non mortalem substantiam, si iteratò consideres; eamdem habitu non rectè dixeris: imò nec rectè dixeris modo & modo, cùm simul adsciscat, & aliud perdat, & aliud habeat ab eo; ita nunquam ad esse pervenire potest. Verè dixit *nunquam in eodem statu permanet*, Job decimo quarto. Hæc Christianus. Gentilium agmen claudet Plinius libro septimo natur. histor. qui optimè pareutat humani generis calamitati. *Ante omnia unum animal, cunctorum alienis velat opibus indiges. Cæteris varia tegumenta tribuit natura, cortices, spinas, villos, setas, plumas, pennas, squamas, vellera; truncos, arboresque cortice interdum gemino, à frigoribus, & caloribus tutata est: hominem tantum nudum, & in nuda humo, in natali die abjicit ad vagitum, & ploratum statim; nullumq; tot animantium aliud, ad lachrymas, & has protinus à vita principio. Ab hoc lucis rudimento nos vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus, jacet membris, pedibusq; devinctis; flens animal, cæteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natus est.* (Quid

Natura vestit omnes creaturas, solum hominem nudum reliquit.

Descriptio nati hominis.

dicturus fuisset aliud, si Christianus fuisset?) *Cetera sentire vitam suam; alia pernicitatem usurpare, alia prapetes volatus, alia vires, alia nare. hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci: breviterq; non aliud natura sponte, quàm flere. Itaque multi exstitêre, qui non nasci, optimum censuerũt, aut quàm ocyssimè aboleri. Nulli animantiũm vita fragilior, nulli omnium rerum libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. Cetera animantia probè in suo genere degunt, congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat. Serpentum morsus, non petit serpentes: ne maris quidem bellua nisi in diversa genera saviunt; at homini plurima mala: ex homine sunt mala.* Quanta ergo corruptio ex peccati contagione, humanam corripuit naturam? Quæ corpori per morbos; & animæ per vitia, & scelera, non incumbunt agmina malorum? Quid ergo homo per peccatum? nisi ludibrium, & scopus, in quem omnia fortunæ, ac miseriarum tela vibrantur? non tot momentis dies truduntur, peraguntur-que, quot malis misera mortalitas concutitur. Horum omnium primaria causa, fons, & origo est inexorabile peccati originalis judicium, in quo omnes nascuntur: unde in nos declinat, & hujus vitæ, & alterius æterna calamitas, nisi per Christum Dominum suspenderetur.

Animalia ejusdem generis sociantur.

Solus homo homini lupus.

His præmissis, an non ortus Christi elucidat summam exinanitionem, cùm dicitur Deus, cujus magnitudinis non est finis; Deus ens entium, Deus pelagus essentiæ, Deus incomprehensibilis, & implens sua infinitate omne imaginarium; Deus qui est omnia, & seipso infinitè beatus, ex infinita altitudine sese dejecit, se extenuavit, se inclinavit, ut fieret homo, & quidem talis hominis naturam indueret, ut in similitudinem carnis peccati eam sibi sociaret? Exclamemus cum Propheta, Isa. quinquagesimo primo, *Quis credidit auditui nostro?* quis credet Deum ita potuisse exinaniri; ut ad nihil redigeretur, ut dici possit Substantia Dei, & oceanus infinitæ essentiæ, tanquã nihil facta est; & quasi tenerrimus vermiculus. Cùm enim dicitur homo, quid non dicitur? audivimus & legimus suprà. Deus ergo umbra, simulachrum, vanitas, & quasi non esset is qui est omnia, sic sese dejecit. Inclinavit ergo Cælos, & descendit, & evacuavit suam infinitam Majestatem, & quasi atomo conclusit; ut fieret similis vanitati, umbræ & scopo miseriarum. Quis non hæret attonitus? stat attonita omnis creatura: sacra animalia Ezechiel. 1. simul jugata cum summo impetu spiritus volarent, atque adeò rapidâ pernicitate, ut sonus alarũ, quasi multarũ aquarum personaret; imò sonitus oriretur quasi sublimis Dei: vel ut Symmachus, & Theodotion, quasi tonitru Dei potẽtis; steterũt tamen, atq; alas submisêre, cũ fieret vox super firmamentũ quod erat super caput eorum.

Et tamen Deus tantus ad qua abjecit.

Stupendo vox Deum homo.

Et

. Et quænam illa vox, quæ spiritus illos perspicacissimos, subitò demorata est, & impetum coërcuit volantium? an non vox omnium arcanorum ineffabilis? *Verbum caro fiet*; super enim similitudinem throni, quem videbat Ezechiel, erat *similitudo quasi aspectus hominis desuper*. Consternati ergo stetêre, defixâ mente, quasi deficeret mens & ratio mysterii magnitudine submersa stetêre, & submisêre alas quasi sui impotentes, & sine robore, & viribus ad sonitum tanti mysterii: & nos audemus tantum mysterium tractare, ad cujus altitudinem summi illi spiritus trepidant; cujus sacro horore perculsi, Majestatem summâ cum reverentiâ, & metu venerantur; & alas, id est, sui intellectûs vires, & magnitudinem quasi fulgore, & lucetanti & incogitati operis exoculati submittunt? Hujus operis Divini & admirabilis; & inaudita, & incomprehensibilis Fabrica ab eodem Propheta depingitur similitudine torrentis, cujus transitus immensitate profundi non est tranabilis; cap. 47. *Et convertit* (*Angelus scilicet*) *me ad portam Domus & aqua egrediebantur subter limen domus ad orientem: ad portam scilicet sanctum sanctorum* (*juxta Maldonatum*) *& vir egrediebatur ad Orientem, qui habebat funiculum in manu suâ: & mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquam usque ad talos. Rursusq; mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua. Deinde mensus est mille, & traduxit me usque ad renes, & mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.* Nemo ignorat mysteria sacra, quædam aliis, & aliis secretiora, obscurioraque: quædam ita excedere, & supergredi non solum, humanam, sed etiam Angelicam capacitatem, quam solus stupor occupat, & defectio lucis, & exuperantia Majestatis, cujus nulla potest esse sciẽtia; ut rectè Ambrosius in vigesimũ primũ capitul. Apocalyps. *Torrentem*, inquit, *non potuit transnare*; quia profunditatem Cælestium, & Divinorum mysterium, nullus potest perscrutari. Hunc torrentem Paulus ad Rom. undecimo, versiculo decimo tertio considerans non posse transnari, exclamat: *O altitudo divitiarum, sapientia & scientia Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Quis credet, nisi juberet qui perfecit opus tantũ, & ipsam naturam novavit; Deum maximũ, parvulum portari in utero sacro Virginis, effundi in terram, reclinari in præsepio? quis credet Deum vagientem, primam vocem lachrymabilem edere, & edere lachrymas cũ ploratu? quis credet æternum nasci? & immortalem cibo refici, & sitim pati, & deinde posse mori? profunditas est, & abyssus est, transnari non potest, superfluunt undique, & redundantes aquæ molientem transitum, suffocarent mergerentque. Optimè ergo Dionysius libro de Divin. nomin. capite secundo. *Iesu in carne apparitio ineffabilis*

Profundissimum opus Dei, incarnatio facta.

Angelis inscrutabilis Dei incarnatio.

A *omni sermone, & omni ignota intelligentiæ, ipsis quoque antiquissimorum Angelorum non satis perspecta*. Est abyssus inscrutabilis, & in quo hauriam non est mihi, *alta profunditas est, & quis inveniet eam?* & Paulus ad Ephes. 3. vocat hanc profunditatem *investigabiles Christi divitias*. In aliis mysteriis rationes subveniunt, & opitulantur intellectui; at in hoc, nihil dici, aut concipi potest, soli silentio, & muto stupori relictus est locus, & insaturabilis admiratio Divinæ sapientiæ, ut potuerit infinitè extrema, & distantia, ut dictum est, tam arctè consociari; adeò, ut ad literam etiam huc transferri possit; quod Deus de seipso pronuntiavit apud Isaiam 41. *Ego Dominus primus, & novissimus; Ego, α & ω; principium &* B *finis*. Verè primus & summus, imus & novissimus: Ens entium, & extremum omniũ entium, ut infrà dicetur ex Isa. verè inclinavit cælos, qui ita maximus est, ut major, nec augeri, nec crescere ullâ magnitudine possit, & deinde ita factus minimus, ut nullâ parte sui minor esse possit. Hęc assumptio humanæ naturæ etsi summæ admirationis, stuporisque sit causa, sit tamen & summi in Deum amoris conciliatrix, & fax æternæ Charitatis.

Ecclesf. 7. vers. 25.

§. VII.

Exinanitio magni Dei ex Isaia Propheta.

C

HIc Propheta Christum Dominum, ut Apelles Alexandrum vivacibus coloribus depinxit, non tamen ille, etsi Apelle peritior, Christi exinanitionem, ut hic Alexandri figuram est assecutus. Isaias 53.3. Magnum Messiam virgulto, *Et ascendet*, inquit, *sicut virgultũ*. Ecce ut similis surculo, & tenero virgulto comparetur, cujus magnitudo cedris libani posset æquari. Jeremias etiam myricæ comparat c. 17. *Et erit quasi myrica in deserto*. & quid illâ projectius? symbolum pauperis, & abjecti, & omni spe destituti. Deinde Isaias assimilat ca. 53. *radici de terra sitienti*. Erit ergo similis surculo squalido, vili D & nullius pretii, ex terra squalida, & arida, & præ aquæ inopia sitienti. Ille qui paradisum quatuor fluminibus, & fontibus irriguis terram, & orbem oceano circumfudit, sitit. Joannis 4. v. 10. *Mulier da mihi bibere, sitio*. An non fontes sitiunt? squalorem hujus surculi, id est, veri Messiæ deformati, pergit depingere. Accipe despicationis formam. Illi illi, qui speciosus forma, præ filiis hominum, & in quem desiderant Angeli respicere, *non erat species neque decor* cap. 53. Ubi Arabicus textus; *non erat illi aspectus neque decor*.

Symbola pauperis Dei.

Instirit Propheta, *& vidimus eum, & non erat aspectus*: sic illusus, ut nec spectabilis, sed indignus aspectu videretur. Unde & appositè Sanchez, Leo Castrius, & Salmeron

meron addunt particulam *non*: & ubi nostra lectio habet: *& desideravimus eum, & non desideravimus eum*, propter horrorem abominabilis formæ. Pergit Propheta, & attollit stylum: *& vidimus eum despectum, & novissimum virorum.* Ubi Septuaginta habent: *Species ejus inhonorata, & deficiens præ filiis hominum*, vel *præ omnibus hominibus*, ut legit Augustinus libro decimo octavo de civitate, capite vigesimo nono. Hebræi legunt *contemptibilem*. Nunc Lector ad Christi Domini exinanitionem. Isaias vocat illum *novissimum virorum*. Vatablus vertit, *rejectamentum*, id est, contemptissimum virorum, cujus consortium ignominiosissimum, instar fœcis populi, & sordium, quas domo ejicimus. Novissimus quasi ultimus; quasi cessatio, desitio virorum, seu terminus, ultra quem non est amplius vir, qui in genere virorum est minimus, adeò, ut ibi sit cessatio virorum, ita ut virorum status ultrà procedere non possit, & ita in eo desinat; alioquin viri, non viri sint; sed vermiculi, aut opprobrium, & abjectio plebis, non tam viri, quàm virorum simulachrum. Quare Septuaginta vertunt; *deficiens citra filios hominum.* Textus verò Arabicus; *vilis ex hominibus.*

Descriptio summi Dei, jam vilissimi facti.

Quid hoc sit, novissimus virorum.

An non talis fuit in passione, cùm medius latronum in cruce exstinctus? quasi indignus vitâ, indignus qui terram pedibus calcaret? Factus est ergo, quasi non ens, pelagus omnium entium, & se ad nihil redegit; ut nos, qui peccato Adami nihil eramus, antiquæ redonaret substantiæ. Nondum mihi satisfecerunt versiones, dum explicant illud verbum *Novissimum virorum.* Attende Lector stupendam Dei dejectionem; quæ eousque descendit, quæ eousque contracta fuit, ut si aliquis gradus, vel momentum majoris dejectionis accessisset, homo esse desiisset. Accessit ergo ad imum profundi, ut profundior nec gutta in imo oceani, nec granum arenæ in terra profundius dari posset. Maximus ergo Deus in forma Dei, factus est in forma mancipii omnium mancipiorum, ut vilius dari non posset, minimus.

Deus vilior fieri nō potuit in carne nostra nisi cum interitu.

An non durum, invisum, grave, hoc servitium ferre magno Deo? I nunc superbe: tolle animos, & vano potens dominare luxu, dominare tumidus, spiritus altos gere cinis & pulvis. Eja sequere Ducem, Magistrum, Deum tandem ipsum. Quid siles? an saxis durior? Respondent & saxa homini, percussus ab antris sermo redit, reboat nemorum vocalis imago, litorei clamant scopuli. Diluvies tantæ exinanitionis irritet, provocet, & compellat te ad sui imitationem. Disce & esto quod es.

Exclamo cum Bernardo: *O novissimum, & altissimum! ô humilem, & sublimem! ô opprobrium hominum, & gloria Angelorum! nemo illo sublimior, nemo humilior.* Et quemadmodum Isaias vocat illum *novissimum virorum*, ut nihil desit summæ dejectioni, & supremæ calamitati; vocat etiam *virum dolorum*. Septuaginta *in plaga existentem*; alii *undique doloribus obsitum*, quasi ex doloribus conflatum; & non nisi dolor, sicut non nisi dejectio: dolor scilicet in anima & corpore. In corpore: *A plantâ pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas*, singula membra suos proprios dolores tenebant. Docet hoc D. Thomas 3. p. quæst. 46. art. 5. *Christus, secundùm tactum fuit flagellatus, & clavis in locis nervosis confixus: secundùm gustum, felle & aceto potatus: secundùm olfactum, in loco cadaverum crucifixus, & pro nardo fœtor, & balsamo aura tabifica data: secundùm auditum, vocibus infestis, contumeliosis, blasphemisq; lacessitus.* Secundùm visum quid non pertulit, dum spectat oculos suavissimæ Matris in lachrymis nantes; oculos, fontes amoris & lachrymarum? dum spectat cor Virgineum, Maternumque tot telis dolorum confixum, quot corpus suum vulneribus. Passus est in capite, pungentium spinarum coronam: in manibus & pedibus, confixionem clavorum: in facie, alapas, sputa, conulsiones: & in toto corpore immania flagella; de quibus suo loco.

Quidquid fuit, in Christo, nil nisi vulnus & dolor fuit.

Corpus & anima obsessa.

Nunc quantus dolor in anima? *Tristis est* (inquit Christus) *anima mea usque ad mortem.* Quasi diceret: Omnes fluctus, & undæ dolorum ingenti diluvio inundârunt animam meam; & sic cooperuerunt, ut tota immergatur, nec superstes vita possit servari, nisi solâ Dei potentiâ, quâ infestioribus tormentorum cruciatibus reservor; adeò dolores acerbissimi cum morte confligebant, ut singuli dolores mortis pœnas & angustias causarent, & sensus mortis dilatæ, novos acerbioresque dolores; & finis unius doloris, esset initium alterius, & cum ipsa morte cresceret immanitas mortis crudelis: sic momenta tristitiæ sumuntur ab utroque.

Passus est ergo in omnibus, in quibus quis pati potest. Quid non sensit doloris? Quid non passus acerbitatis in suis amicis, ab iis desertus, quas tantopere tenerrimè dilexerat? Julius Cæsar cùm videret se in senatu ferro peti, singulorum prout poterat, densos ictus avertens, ut vidit Bruti unicè amati micantem mucronem, quasi animo deficiens exclamavit: Καὶ σὺ τέκνον. Et tu quoque fili, & se in victimam dedit. Ingens in Christi pectore fecerat amor incendium; ingens doloris vulnus, & fuga suorum. Quò ruitis fugitivi? an non turpe in re dubia deserere amicum & Patrem? pudeat illum deserere linguâ factiosi, inertes operâ, subtractâ fide. Qui passus est in amicis, passus est & in fama. An non ingens calumnia, & in-

& ingens dedecus, possideri à dæmone? A *Dæmonium habes*, vocari sceleratum, & potatorem vini. Passus denique in rebus, dum omnibus spoliatur, & vestibus nudatus gemit & illachrymatur. Factus ergo prodigium contemptûs despicatissimum, contra nostram superbiam, ut illam medicaretur: factus portentum paupertatis; ut nostram ditaret: contra concupiscentiam oculorum; factus est portentum dolorum: contra concupiscentiam carnis, gulam, & libidinem; factus exossatio laceratioque. Triplici ergo prælio expugnavit tria malorum capita: ut ait Joannes primâ epistolâ, capite secundo. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Cùm itaque Christus B Dominus sit tale portentum, quid mirum si Propheta vocet illum *novissimum virorum, & quasi absconditus vultus ejus?* Quod Pagninus sic vertit: *Erit*, inquit, *ut is, à quo quis absconderet faciem suam; sicut à leproso, & horrido, ut occurrentes, faciem ab eo avertant.* Vel ut Leo Hebræus vertit: *Abscondebamus faciem ab eo, quem tota terra desiderabat videre:* Lucæ decimo, versiculo decimo tertio, *Beati*, inquit; *oculi qui vident quod vos videtis.* Dicebat Christus suis discipulis. Verùm cur ita deturpatus? quia languores nostros ipse portabat. Cur toto corpore laniatus, dissectusque? quia in primo parente nil nisi C vulnus, & vulnus vulnere curandum. Absconditus deinde vultus ejus, quia instar leprosi deformatus; atque adeò deformatus; ut ipse Christus exclamârit: *Ego sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Psalmo vigesimo primò, versiculo septimo, ita ut etiam amici exhorruerint vultum Christi, juxta illud: *Amici mei, & proximi mei adversum me steterunt.* Psalmus trigesimo septimo. Ubi Habraicè habetur: *Ex adverso plaga mea.* Et Hieronymi: *quasi contra lepram meam steterunt.* Magna & immania sunt hæc omnia, & extrema malorum; parua sunt tamen & exigua, si conferantur cum ultimo tonitru, quod molitur Propheta: trigesimo tertio, capite tertiò. *Et nos pu-* D *tavimus eum percussum à Deo, & humiliatum. Quis credidit auditui nostro?* Sic filium Dei fuisse deformatum, tot, tantisque sævitiæ machinis laceratum, & doloribus coopertum; ut Deo exosus, odibilis, & invisus posset judicari; in quem scilicet ipse Deus Pater omnes suas iras, & vindictæ fulmina detonuisset, & velut in Parricidam fuisset jaculatus. Quid hoc est dicere, quasi percussum à Deo? Ictus flagellorum pertulit, ictibus eorum dissectus, laceratus, ac semianimis profluentiâ sanguinis stetit, vulnera vulneribus præbuit. Undique sævitum est in totum corpus, nulla pars corporis immunis, crux excarnificato data. Stetit ipsa tortorum lassata crudelitas, deseruit impios robur corporis, non sævitia mentis.

Horribile Deum filium, à Deo patre sic horribili modo tractari.

Dei filium ut fuerit percussus à Deo Patre.

Quidquid posset barbara feritas excogitare, exhaustum est linguâ, odiis, conviciis, blasphemiis; omni feritate morum, & gestuum sævitum est. At omnium gravissimum, & omnium calamitatum calamitosissimum, videri *percussum à Deo*, id est, dignum visum, in quem Deus congereret omnia tormenta, quasi peccatorum supplicia, illum præbere cum infelicissimo apparatu crucis detestandæ, velut spectaculum suæ severæ, & meritæ vindictæ. Audi iras Dei percutientis Deum, & Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Nota verbum *conterere.* Ut granum frumenti molaribus lapidibus in farinam totum dissolvitur atque conteritur; sic Filius Dei totus humiliatus, exinanitus, atque contritus fuit; qui dixerat se granum frumenti in terram mittendum. Ne verò foret ambigendi locus Judæis, hunc non fuisse Messiam, & eundem fuisse novissimum virorum; voluit Spiritus sanctus Hebraico idiomate sic scribi: *Vidimus*, non, *percussum à Deo; sed vidimus percussum Deum*, verum Messiam, Filium scilicet Dei. Quid ages nunc perfide Judæe? quid ais? credis Prophetis? & nunc crede Isaiæ. Hic locus multos ad fidem Christianam à perfidia traduxit; ut docet Payna in defensione Concilii Tridentini libro quarto causamque desertæ perfidiæ rogati; respondêrunt, locum Isaiæ esse & invincibilem, atque inexpugnabilem; ac proindè, & mentem, & manus dare veritati.

Hebraica lectio perfidos Iudæos convertit.

Filium autem Patris, à Patre fuisse percussum, ipse Pater intonans altâ voce fatetur, cùm ait: *Propter scelus populi mei percussi eum.* O Christiani? *sentite* ergo *in vobis quod est in Christo Iesu*: vel ut Athanasius contra Arrianos oratione 2. *Modestia animi sit in vobis, quæ fuit in Christo Iesu*: vel ut Cyrillus ad Reginas de fide, *Is affectus sit in vobis qui fuit in Christo Iesu*: vel ut Divus Thomas; *Experimento tenete quod fuit in Christo Iesu, cujus humilitas*, ut ait Divus Leo sermone 2. *nulli aspernanda divitum; nulli erubescenda nobilium, nec in tantum potest provehi felicitatis humanæ fastigium, ut existimet sibi pudendum, quod manens Deus, in forma Dei, Deus non est arbitratus indignum.*

Nulli est dedecus propter Deû pati.

§. VIII.

Exinanitio ex Psalmo 21. Qui sic incipit: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?

HAnc tragicam, & luctuosissimam despicatissimi Filii Dei tragœdiam ab Isaia peractam, in imagine figuratam Re-

gius vates David præviderat tot annis antè, Paternus veri Messiæ avus, lamentabili Psalmo vigesimo primo; quare & à multis inscribitur, *Pro susceptione matutina*: ab aliis *Pro assumptione*; quod etiam significat contradictionem, & oppugnationem, quâ Christus exceptus, susceptus, & assumptus fuit tempore sacræ passionis; præcipuè facto manè: sub auroram enim concilium ineuntes hostes decreverunt, ut Christum Dominum Pilato ad mortis causam probandam traderent. Attamen Hieronymus pro *susceptione matutina*, legit *pro cerva matutina*: sic & Aquila: ὑπὲρ τῆς ἐλάφου τῆς ὀρθρινῆς, *pro cerva matutina*. Caput vero Oleæ sexto vertit *pro cerva cervo*: utraque ut est versio convenit Christo: sicut enim cervus montana conscendit; sic Christus montem myrrhæ & thuris: thuris, quia in monte in B odorem suavitatis tanquã summus sacerdos sacrificavit sacrificium in sanguine suo: myrrhæ, quia poculum myrrhatum omnium dolorum exhausit, & in corpore suo suscepit omnes omnium pœnarum amaritudines, & afflictiones. Ex ratione ergo cervo, vel cervis comparatur; qui & leoni ob indomitam virtutem; agno, tũ ob innocentiam: tum quia in sacrificium matutinum, & vespertinum. Hœdo fœtido, quia in similitudinem carnis peccati, portauit in corpore suo omnia peccata mundi. Et ut hœdus illis coopertus ablegabatur in solitudinem feris lacerandus: sic & Christus improperium orbis tulit, extra portam passus, laniatusque: sic cervo; quia ut hic sitiens properat ad C fontes aquarum; sic anima Christi sitiebat nostram salutem. Lucæ duodecimo, versiculo quinquagesimo: *Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor, usquedum perficiatur. Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum, priusquam moriar.* Lucæ secundo versiculo decimo quinto. Verus, cervus Christus non pro natura, ferox tamen & ardens pro conjuge miscet prælia, ut canit Poëta:

Si conjugio timuère suo,
Timidi poscunt prælia cervi.

An non Christus victus amore despondit sibi Ecclesiam, quam priùs emit suo sanguine? an non depræliantibus totius corporis D motibus, pro conjuge Ecclesia certavit diuturno duello? an non pendens in cruce; in supremo agone confossus, terram, pro qua moriebatur, aspexit, tanquam leo in valido clamore, & exspiravit? An non sicut furibundi canes, cervum gratiosum, sic Judæi Christum pulcherrimum ferocissimi; gens insanientis sapientiæ, sunt persecuti? Cervus fatalis serpentibus; Christi sanguis, draconi infernali ad interitum fatalis. Cervus totus amabilis in Principum delitiis, agilis, blandusque. Quid Christo amabilius, delitiosius, agilius, blandiusque?

A Totus est amor, totus amabilis, orbis & cæli delitiæ. Febris est expers cervus, ejusque remedium, quia nobilissimi temperamenti: Christus & morborum, qui & verus Æsculapius, & medicorum Rex: *quia virtute illo exibat, & sanabat omnes.* Lucæ 6. versu 18. Cervus sitis impatiens: Christus clamat: *Sitio.* Cervus sub auroram petit ardua montium: Christus in montibus Thabór, Calvariæ, Olivarum maxima Sacramenta peregit, & vivens & moriens. *Comparatur Christus Dominus cervo vel cervæ.* Cervis cum serpente pugna; vestigat cavernas, nariumque spiritu educit: Christo æternum cum dracone Lucifero bellum, quem & spiritu oris occidit. Nascuntur aliquando & candido colore; qualis fuit Sertorii cerva, quam fatidicam esse gentibus persuaserat: Christus est ipse fatidicus, candor æternæ sapientiæ; ipse sponsus candidissimus. Odor adusto cervino cornu abigendis serpentibus singularis: odor Christi quidquid est vitiosum, fugat, & ideò omnes currimus in odorem unguentorum ejus. Cerva pariens mugit terrifico gemitu, clamoreque. An non Christus in Cruce nos pariens, cum valido clamore, & lachrymis nos peperit Deo Patri? *Cervus symbolum Charitatis*, Proverbior quinto, numero 19. *vocatur dilectionum atque charissima.* An non Christus ipsissima Charitas, & amor amoris, & dilectio dilectionum? Vide benigne Lector, ut concinnè hic Psalmus inscribatur pro Cerva; quare temerarium planè videri debet, hoc Psalmo Christi dolores, passionesque non designari, qui iis nos edidit cælo; qui summâ sui exinanitione, summisque doloribus parturiens, nos peperit, & præ dolore instar pulchræ Rachelis, fuit exinanitus, mortuusque.

Cassiodorus ait hoc Psalmo non tam contineri Prophetiam, quàm vivacem Christi Passionem. Nazianzenus in orat. de Filio. *Filius Dei cum leone infernali præliaturus irrugiit*, cùm ait; *Deus Deus meus, respice me: quare dereliquisti me?* quasi diceret: Siccinè Pater mi, Filium tuum unigenitum tibi æqualem, & innocentem, quasi nocentem tractas, qui vitam meam in nominis tui gloriam propagandam in exitium præcipitavi? siccinè qui me in victimam pacis, & obsidem pacis restituendæ dedi, quasi impium & desolatum relinquis? An hoc pectus patris, & amor in filium? An non hoc est exuere patrem, & induere hostem? Tu qui me olim voce de cælo lapsâ ut Filium clarificasti: *Hic est filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui*; Matthæi decimo septimo, versiculo 5. quomodo sic exhæredas, & exuis Filium? an ideò nocens, quia nocentium sum factus fidejussor; ut obedientiam tibi præstarem; *factus obediens usque ad mortem*? Siccinè spectat Pater Filium nudatum famâ Divinitatis? spolia-

spoliatum omni gloriâ? omni parte lacerum plagis? saturatum opprobriis, quasi tuus non essem filius? nec tu Pater? Sic projicis, & projectum destituis? Si Pater, ubi viscera Paterna? si Filius, ubi pignus amoris? *Deus Deus meus, respice in me: quare dereliquisti me?* Ubi Euangelistæ habent: *Deus meus, Deus meus*: Eli Eli, pro quo Aquila vertit, χυρός μού ἰσχυρός μού *fortis meus.* Quod autem non addatur, *respice in me*, ut habet Psalm. indicat vehementiam affectus, & necessitatem orationis. Vide exinanitionem, vide animam absorptam vehementiâ dolorum; clamat quasi per modum querelæ, & stuporis, se derelictum à forti suo; qui ut Pater poterat sibi, vel ipse sibi ut Deus opitulari. Quorsum ergo? Innuit se mori ex infirmitate, ut se verum hominem probaret; & vivere ex virtute Dei, & immortalitatem se consecuturum ut homo; qui erat immortalis ut Deus. Clamat ergò non ut conqueratur de Patre, cujus se sciebat Filium dilectissimum; sed ut ostenderet se extrema pati, ut ultrà iri non posset in eorum gratiam, quorum causam susceperat; & ideò quasi à Patre se deseri, quia desertorum, & hostium patrocinium, & legationem obibat. Quare sanctus Leo vocat *hanc vocem* non *querelam*, sed *doctrinam, quâ docebatur universus orbis horrorem peccati, cujus abolendi causâ, Pater Filium ad extrema deduci patiebatur*; & quidem ad ea extrema, ut plus ultrà dici non posset, & ad supremum exitium deduci, quia peccati malitiam in filio decreverat ulcisci. Disce orbis, quæ sceleribus tuis non incumbant mala; si Filio innocenti non pepercit tam pius Pater, destituens eum. *Deus meus, clamabo per diem, & noctem, & non ad insipientiam mihi.* Psalm. 21. 3.

Lugubris Filii querela.

In Filio deserto ostendit Deus Pater magnitudinem peccati.

Clamat Filius, & non exaudit Pater: clamat nocte, in horto diffluens sanguine, & sudore; clamat, & in pulvere os suum posuit; si fortè sit spes. Non audit Pater. Clamat per diem, ruptis venis, & tot voces offert simul & clamores, quot guttas sanguinis; sanguinis sui voces non audit Pater. Sanguis Abel clamabat ad Deum, & exaudiit Deus vocem servi: clamat sanguis Filii, & voci negat auditum Pater.

Decretoriam horam deprecatur, & vitam orat Filius, & Filio negat vitam Pater, qui eam dedit: *non tamen ad insipientiam Filio*, quod inani clamore compellet amantissimum Patrem; non tamen exaudiendus: nihil enim stulti, vel impii egit, ut non exaudiretur. Exaudieris, exaudieris tamen Fili, & tuis lachrymis saucium pectus tui Patris confodies; non depulsione vel mortis fugâ, sed partu salutis humanæ, in quo tantopere desudatum est: nihil enim Christus humanâ, & deliberatâ voluntate non impetravit; semper enim exauditus est pro reverentia sua; semper exaudita fuit ejus oratio, quæ ratione, & rationis absolutæ desideriis, non affectu naturæ, & carnis mortem refugientis fundebatur. Fuit ergo derelictus; sicut & non exauditus. Et sicut semper voluntate, non naturalis affectus, & desiderio fuit exauditus; sic etiam non fuit unquam derelictus à Patre; juxta illud Joannis 8. *Solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater*; & ibidem; *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum.* At quia venerat damnaturus de peccato peccatum; vestitus instar Jacob pellibus hœdinis in similitudinem carnis peccati; lege fidejussoris tenebatur, qui vadimonium promiserat: actio enim injuriarum, perduellionis, imminutæ gloriæ paternæ dolor, judicio, pœnaque erant mitiganda. Quæ cùm mitigari nisi morte non possent; mors subeunda, toleranda derelictio; omnia supplicia denique perpetienda, quæ dependenda peccatoribus, si salvos homines vellet Dei Filius. Deonerandum erat genus humanum æternis pœnis obnoxium, quarum onus, & solutionem in se trajecerat Filius. Exsoluit ergo pius fidejussor, quæ non rapuerat; & ideò addit *longè à salute mea, verba delictorum meorum.* Psalm. 21. Ubi Hieronymus sic vertit; *verba rugitus mei.* Aquila: βρύχημα, id est, querimoniæ clamor, rugitus, deprecatio.

Qua ratione Filius Dei fuit exauditus, & non exauditus.

Chaldaïca *lamentatio.* Quasi diceret: clamor, rugitus, lamentatio, quâ imploro auxilium, & conqueror me desertum, longè à salute mea, nec possum impetrare, quia oneravi me peccatis populi mei, & illorum causa me reum exhibeo, ac proinde ut reus, & quasi peccator audiri non mereor, nisi soluto debito peccatorum, quæ meo sanguine priùs expianda, quia mea feci.

§. IX.

Exinanitio summi Dei ex Paulo ad Philippenses: Cap. 2. versu 6.

Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Augustinus epist. 120. super illud verbum *exinanivit* (exinanitionem enim summi Dei, nos viles homunciones, judicibilem quærimus,) *tametsi erat ejusdem cum Deo Patre naturæ particeps, ejusdem Majestatis, & Divinitatis consors; abjectam tamen humanæ societatem, & communionem non exhorruit, sed exinanivit ipse se, quod est maxima*

Quid sit Exinanitio.

ma humilitatis exemplum. Exinanitus propter humanitatem. Ut autem formam acciperet, quod seipsum exinanivit: non quod habebat, deposuit; sed quod non habebat, accepit. Græcè illud exinanivit, dicitur ἐκένωσε evacuavit: vel, ut Tertullianus, exhausit; *ut sit factus quasi abjectio plebis*: quod Tertullianus libro tertio, contra Marcionem vertit *nullificamen*. Sic evacuavit; ut quasi omni substantiâ vacuus esset: sicut cùm pelagus fractis aggeribus evacuamus, ut nihil maris supersit, & arida tota, sine ullis aquis emineat. Talis fuit exinanitio, sicut dictum est de surculo, & terra sitienti, & squalida; non quòd Divinitas fuerit evacuata, vel exhausta, (quamvis illud propriè dicitur evacuari, quod à plenitudine, quam antè habebat evacuatur) quando servi formam accepit: perfectus enim fuit Christus in utraque natura; sic servi accipiens naturam, ut non dimitteret Divinam.

Quid sit evacuari.

Exinanita tamen, & exhausta dicitur Divinitas, eò quòd inclinârit se ad assumptionem humanæ naturæ: & Deus factus sit homo; quæ natura humana Divinitati comparata, est quasi nihil, nec à se subsistit, sed à Deo in suo esse dependet, qui est verissimus totius entis oceanus. Creatura autem sit ens, quasi non ens: cujus titulus, & inscriptio ex rei natura est: *Ego non sum*: Dei verò unicè proprius, & gloriosissimus triumphalis dignitatis titulus: *Ego sum qui sum.* Benè ergò dicitur sese exinanivisse; sicut inane opponitur pleno.

Natura autem Divina est ipsa plenitudo, & omnis bonitatis perfectio: natura autem humana, & anima non plena; sed in potentia ad plenitudinem, & tanquam tabula rasa, & inanis. Deus autem exinanivit seipsum, formam servi accipiens; dum se cousque abjecit; ut Divinitatem intimè & indissociabili nexu & vinculo conglutinaret, & inani, & per se vacuo in unionem suppositi conjungeret; & sine naturarum læsione in unam personam coalesceret; & homo perfectè diceretur Deus, & Deus homo. Deinde nunquid non fuit summè exinanitus, quando omnibus honoribus, triumphis, arcubus triumphalibus sibi, ratione unionis hypostaticæ debitis voluntariè, & liberè se spoliavit? an non exinanitus, quando mortem despicatissimam studio placendi Patri æterno, quo saluti nostræ consuleret, gloriosissimè delegit. Filius ergo Dei sponte omnibus gloriæ dotibus, quæ illi naturaliter obveniebant; imò & summâ libertate sese abdicavit, ut infamem mortem, non posset, etiamsi quam maximè vellet, declinare: voluntariè mortis decreto priùs addictus. An non forma Dei, sub forma servi latens, fuit incredibiliter exinanita; cùm forma servi adeò fuit infini-

Exinanitionis deductio.

A tis despicata modis, ut is qui erat Deus; Deus esse nequaquam crederetur? Obscurata erat gloria Divinæ naturæ, & Eclipsim, Solis instar, oppositâ lunâ passa fuit: qui finito Eclipsis labore, turbatis elementis Deus habitus fuit; cùm impii tunderent pectora; dicentes: *verè filius Dei erat iste.* An non fuit exinanitus, cùm infinita Majestas latuit intra corpusculum vagientis infantiæ, cui non sufficit universitatis magnitudo; & quidem sic latuit, ut nulla portenderet signa suæ Majestatis. Bene ergo Cyprianus libro de bono patientiæ. *De illa sublimitate Cælesti, ad terrena descendens; non aspernatur Dei Filius carnem humanam induere; ut cùm peccator non esset, aliena peccata portaret, immortalitate interim positâ, fieri se & mortalem*

B *patitur; ut innocens, pro nocentium salute perimatur.* Et cùm ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, terra contremiscat, nox diem eripiat, Sol aversatus Judæorum immane scelus, radios subtrahat: ille tamen non loquitur, non movetur, cùm omnia muta elementa sese moveant, & loquantur, & renuntient ipsius Majestatem; suam tegit tamen cæcis tenebris claritatem magnitudinis suæ. Hoc admirans Bernardus sermone quadragesimo-sexto in Cantica exclamat: *Quàm mihi decorus Domine in ipsa positione decoris tui! etenim ubi te exinanisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti; ibi magis pietas emicuit.* Et Nazianzenus oratione quadragesimâ sextâ.

Quàm pauper Christus, Deus & dives.

C *Formam servi accipiendo, non sic exinanitum, ut aliud quàm quod fuerat, idem spiritus fieret, sed ut interim sepositio Majestatis suæ honore, humanum corpus indueret; quo suscepto salus gentium fieret.* Sic ergo exinanivit se, ut ad tempus seponeret Majestatis suæ radios, quam deponere non poterat. Deinde oratione trigesimâ primâ. *Exinanitionem voco quasi gloriæ submissionem, & imminutionem.* Quod clariùs explicat oratione de Christi nativitate: *Qui plenus est, vacuatur; suâ enim gloriâ ad breve tempus exhauritur, ut ego plenitudinis particeps efficiar.* Finiamus ergo: dejicit se ad tempus, dum hominem fert, quem suscipit; exinanivit se, dum ad injurias, contumeliasque descendit; dum audit infanda, ex-

D peritur indigna. Verè exinanivit se in forma servi veniens; & evacuavit se à forma Dei: nam in forma hominis existere, manens in forma Dei, non potuit; quam tamen nunquam exuit: aboleri enim Dei forma, ut tantum forma servi esset, non potuit. Ipse enim est, esse forma Dei, exinaniens, & formam hominis assumens. Sordidatus ergo, & ornatus, Deus absconditus in homine detur pato. Hoc ipsum, docetur Psalmo 68. *Ego sum pauper & dolens, & salus tua suscepit me*: alii addunt; *salus vultus tui pauperavit*, pauper, scilicet, qui cùm esset omnium dives seipsum exspoliavit ut nos ditescere-mus, manens dives in sua Divinitate; &

Qualiter Christus exinanitus.

pauper

pauper in sua humanitate. Vis esse magnus apud Deum? vis esse in pretio? exinanias te Deo, & homini propter Deum. Sis tibi vilis, ut es & ortu, & exitu.

§. X.

Ænigma, Deus homo, Deus moritur, insolubile.

Ex hisce omnibus jam in medium prolatis consurgit stupendum, admirabile & insolubile Ænigma. An non Ænigma, Christum esse in forma servi, qui in forma Dei? An non Ænigma, esse æqualem Deo, & pœnitus exinaniri? An non ænigma, Deum infinitum spiritum, habitû esse hominem? An non hoc ænigma prosternit omnes rationes humanas? An non omnis intellectus quasi captivus se dedit, ac pœnitus hebescit obrutus? An non omnis eloquentia hîc arescit, atque omnis lingua muta hæret attonita? Quis solvet hoc ænigma? Est Deus, qui & homo nascitur: & qui homo est, nascitur Deus terrestris; homo cælestis. Unus immensus & infinitus, & is parvulus, & minimus; & qui maximus, quasi nihil factus: qui æternus, novus, & natus: qui verbum æterni Dei, dum nascitur, mutus nascitur.

Creator, infans: Filius mulieris & Virginis, qui Pater ejusdem: qui summus Princeps, vile mancipium: Innocens, reus mortis: Salvator, morti datus: omnipotens summè infirmus: beatissimus, miserabilis: immortalis, mortalis: qui ditissimus, pauperrimus; simul in unum dives & pauper. Qui summè honoratus in cælo, totus dedecoratus in terrâ.

Quis solvet hæc ænigmata? Adeamus scholam Philosophorum. Negabit Plato, negabit & Aristoteles hæc esse possibilia, quæ rerum naturam evertunt? negabunt Deum infinitum spiritum, & immortalem; posse mori, quem negabunt hominem posse nasci. Et quomodo nasci poterit ingenitus, & qui omnia produxit, & qui est ipsum πᾶν, & omnia, ad nihilum redigi? hujus scientiæ professionem vocabunt stultitiam: quid enim stultius sapientiæ humanæ, quam Deum nasci, egere, pati, flagellari, & posse mori? Si consulamus Mathematicos; an illi solvent hoc ænigma? obstinatius illi hæc possibilia esse negabunt. An circumferentia potest esse punctum; & punctum circumferentia? An cælum ad punctum potest redigi? An totus oceanus claudi poterit pugillo manus? An Dei Majestas infinita, spectaculum parvitatis, & Sol infinitæ claritatis habitu carnis poterit obscurari? Princeps Mathematicorum Archimedes clauserat vitrea in sphæra immensitatem cælorum, quibus suos motus proprios dabat. Gloriabatur ille se Jovis laborem fragili in vitro viribus ingenii adæquasse; ut docet Claudianus:

Iuppiter in parvo cùm cerneret æthera vitro,
Risit, & ad superos talia verba dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ,
Et meus in fragili luditur arte labor?

Fateor fuisse ingentis spiritûs & ingenii audacem industriam. At quæ comparatio finiti ad infinitum? quis coarctabit spatio, quod nullo spatio potest comprehendi, quod omni loco imaginario excelsius, majusque. Si Theologorum sententiam exquiramus; hos omnes stupor percellit attonitos, omnis victa ratio cedit ænigmati. An non infinita distantia inter summum spiritum, & vilissimæ carnis portionem? quæ grandior oppositio, & contrarietas potest excogitari? major societas tenebrarum ad lucem; quam carnis ad spiritum. Ex diametro in utroque pugnant, & repugnat utriusque natura.

Infinitè distantia quâ ratione sociabili contubernio jungentur, & in unam personam caro & spiritus coalescent? quomodo centrum includet cælum empyreum? at hoc infinitis partibus facilius; quàm Deum & fieri hominem, & posse mori. Dicam aliud, quod etsi videri posset incredibile; credibile tamen efficit hoc ænigma. Quis credet ipsum nihil, quod est negatio entis, minus negativè se habere ad omnes formas; vel esse, quàm se habeat unio carnis cum Divina infinitaque naturâ. Plus distare unius esse ab alio, quàm distet, & remotum sit ipsum nihil ab ipso esse? Bene ergo dicitur Deus homo exinanitus. Quod efficacius Flandricè versum; cum dicitur: *Verniet ghe'weest*, id est, annihilatus.

Audiamus Prophetas Deo plenos, qui stupore pleni rapiunt Lectorem in parilem stuporem. Isaias capite 53. exclamat: *Quis credidit auditui nostro, aut brachium Domini cui revelatum est?* quasi diceret: Quis credet stupendam Christi Metamorphosim; cui cùm omnis gloria promissa debebatur, omnis despicatio, & contemptus mundanus evenit? Quis credet meæ prophetiæ, & sermonibus meis; cùm Deum illusum, & opprobriis saturatum proponam? aut brachium Domini cui revelatum est? Quis credet brachium Domini, Filium dextræ paternæ Crucifixum? Et quare clamat Propheta: *Quis credidit sermoni meo, quem proferam?* & quis credet, quòd Messias Deus ascendet sicut virgultum? Quid virgulto vilius? quid Christo [illegible] vilius & abjectius? Deinde ex sententiâ

tiâ 70. pro *virgulto* habetur *infans*: & ascendet, id est, germinabit quasi *virgultum*, id est, infans. Et Hebræi, *lactens puer*, vel *infans sugens ubera*. Sensus ergo erit: Nascetur Christus parvulus, & pullulabit quasi virgultum ex sola arbore, id est, ex sola Virgine.

Mirabile profectò ænigma; videre Deum parvulum lactentem, & sugentem Virginis & puellæ castissimæ Virginea ubera. Deinde toto corpore eundem puerum Deum; & posteà virum toto corpore spectare laniatum.

Aggæus Propheta secundo capite intonat ad ænigmatis magnitudinem tenebris involutam: *Adhuc*, inquit, *modicum*, & *commovebo cælum & terram: maria & aridam, & commovebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Quanto apparatu, quanto motu rerum supernarum & infernarum, & elementorum convolutione opus fuit, ut opus indicibile & impenetrabile perficiatur? opus scilicet sublimis Dei, & infinitæ potentiæ. Quod opus paucis verbis David Psalm. 17. signavit, cùm ait: *Inclinavit cælos, & descendit.*

Quid hoc est inclinare cælos; nisi summa infimis conjungere, & Deum suam infinitudinem in punctum redigere? Ut autem hoc opus absolveret Deus, qui erat regnator æternitatis, contraxit infinitudinem suam omnibus viribus potentiæ suæ; ut loquitur Vates Psalm. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se* virtute. Ingens stupor & Magnum Paulum obsedit, cùm exclamat ad Ephesios quinto: *Sacramentum absconditum à sæculis, quod vocat investigabiles divitias Christi.*

Desertâ terrâ, & prætermissis choris Angelorum inferiorum, transcendamus ad Cherubinos, qui pleni Divinâ scientiâ, & ad Seraphinos Divinæ proximos Majestati, atque illis proponamus hoc ænigma: An magistrâ ratione naturali docebunt, Deum posse uniri humanæ naturæ, Deumque posse mori? Ecce silentium factum in cælo: illi nobilissimi spiritus, qui suâ vivaci potentique intellectus sublimitate singula penetrant ponderantque, disparem contrariamque spiritus & carnis conditionem contemplantes, communi judicio, judicârunt carnis cum Divina essentia societatem, unionem, conjunctionemque esse impossibilem.

Si enim sit verùm, ut multi asserunt, Angelos non capere, accidens posse sine subjecto subsistere; quod tamen Divina potentia mirabili eventu docuit esse possibile in sacrâ Eucharistia; quâ ratione penetrassent humanam naturam corpoream, fragilem, & mortalem summo spirituum Deo potuisse in unam personam servatâ naturarum incolumi integritate convenire

A & humanam naturam non suâ; sed Verbi subsistentiâ subsistere, & sic infinitè distantia arctissimè ineffabili unionis modo sociari?

Quare & hujus mysterii revelatio præbuit supremis Angelis causam suæ ruinæ, cum illis imperatum, ut se Filio Dei Incarnato inclinati submitterent, eumque ut Deum adorarent; ortâ seditione rebellârunt; indignum enim suæ Celsitudinis magnitudine judicabant homini Deo sese subjicere, qui humanam naturam ad supremam altitudinem se neglectis provexisset. Hoc igitur Ænigma cùm omnis creatura

B judicavit esse impossibile, Divina Sapientia ingressa potentias Dei perfecit.

Solvit prætereà ænigmatis arcana & abscondita consilia, quæ rationes & intellectum omnem exsuperabant. Disce eia Deum posse, quibus succumbunt omnes vires beatæ. Hoc ergo ænigma est novum omnium novorum, & semper novum; qui semper suæ novitatis, novam repræsentet materiam, quæ per omnes æternitates nunquam poterit exhauriri.

Et quomodo poterit exhauriri, quod excedit & supereminet omnium intellectuum & eloquii facultatem? Quis capiet nisi fide victrice humanam naturam, &

C Divinam in unam convenisse substantiam? Nunquam itaque in hujus infiniti operis infinita Majestate deficiet materia laudis, nec sufficiet copia laudatoris.

Quare & supremi illi spiritus, qui ad cognitionem hujus veritatis maximè propinquant, etsi multùm proficiant, semper illis superest quod quærant; & quia in cognitionis ardore deficiunt, præ reverentia tanti mysterii facies suas velant, clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria tua.* Quare & nos ne tanti mysterii magnitudine, & claritate Majestatis obruamur, cum Moyse Exod. 34. *Ponamus velamen super faciem nostram, ne intueamur ipsam Divinam Majestatem*; sed Deum absconditum &

D pannis involutum, qui contextus miro artificio homo, & distinctis membris compositis, velut acu pictus textusque eo pacto quo pannus lineus solet acu pingi, nobis datus est.

Qualis quantusque hic homo fuerit, quis enarrabit? qui digito dextræ Dei compositus, & obumbrante Spiritu sancto conceptus formatusque, ex sacra prodiit natus inviolata Virgine. Admirare, ut ex sanguine Virgineo sit facta *œconomiæ tela*, ut loquitur Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus, ex qua, in qua quodam modo admirabilis unionis tunica confecta: cujus quidem textor extitit Spiritus sanctus: nectrix virtus ex alto obumbrans: lana vetusta villosaque Adami pellis: subtegmen, impolluta Virginis caro; radius

radius textorius immensa gestantis gratia: artifex verbum per auditum illapsum.

Quis vidit & audivit unquam talia? Verbum ergo infinitum abbreviatum est, non immurando quod erat; sed suscipiendo quod non erat: nostra auxit; sua non imminuit. Solvamus ergo Ænigma: Cùm pati, humiliari, & mori non posset Deus in sua; passus, humiliatus, & mortuus fuit in aliena natura, quam ita suam fecit, arctéque sibi sociavit junxitque; ut per communicationem essent utrique naturæ omnia communia; ut verè dici posset *Deus homo, & homo Deus*; mortalis & immortalis, in forma servi & forma Dei, simul in unum Dives & pauper. Progrediamur ad amphiteatrum humiliati Dei in formâ servi.

Quid tantum in Deum infinitum potuit? Quid Deum armatum suâ omnipotentiâ sic exarmavit? Quid bonis infinitæ gloriæ nudavit? quid spoliavit? quid ipsissimæ vitæ vitam eripuit? Silentio opus est, & calentibus lacrymis. Quanti fuit amasse hominem!

§. XI.

Dabitur nunc amphiteatrum summæ exinanitionis; Passio Christi Domini Iesu, stadium, cursus, arena totius exinanitionis.

Tota vita Christi Domini quamvis fuerit duri certaminis cōtinuum spectaculum; quid enim aliud quàm labor & dolor improbus? supremæ tamen luctæ, & sanguinolentæ præludium, & præcentio fuit. *Generationem ejus quis enarrabit?* clamat Isaias capite quinquagesimo tertio, versiculo octavo; & quis ejus Passionem? Angeli non capiunt Incarnationem; quomodo passionem? Solus Pater novit Filii celsitatem; solus & ille supremam humiliationem. Tres amici Job sederunt muti ad dolores, & fortunam ultimam Regis ad sterquilinium dejecti. Job secundo capite, versiculo decimo tertio: *Sederunt (autem) cum eo septem diebus & noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem: non enim cognoverant, eum & exclamantes ploraverunt*, ut habetur versiculo duodecimo. Sedeat muta omnis creatura, ad fortunam Filii Dei. Vis noscere magnitudinem passionis? fateare non posse. Quis exiguo vasculo claudet totum oceanum? & tu tuo intellectu penetrabis infinitum? Quis est qui patitur,

A dejicitur, exinanitur, moritur? an non Deus? major est quàm capi possit. Tria sunt difficillima intellectu.

Primum, generatio Filii ex Patre, Divina.

Secundum, generatio ex Virgine, humana.

Tertium, quomodo Mater Virgo, & Virgo Mater simul in uno.

Quartum, ignoro, ut Divina & humana natura in Christo dicatur verè pati, & mori. Quis generationem ex Patre æternam? quis ex Virgine Matre temporalem? & Passionem quis enarrabit? ut Deitas, quæ Christo cum Patre communis, nullum detrimentum senserit omnipotentiæ; nec Dei B formam, serviliter tractata forma hominis violârit. Deinde ut illa essentia Divina, quæ se inclinavit ad ultimum punctum vilitatis, gloriosa non destiterit esse, quod ante erat. Triumphaturus de morte, morte sui; Regias, Divinasque instruit epulas, in quibus se donat in sui memoriam; cùm dilexisset adeò suos usque in finem, ut ultrà progredi non posset dilectio. Finem amoris fecit amor; & pilam auream, crucem scilicet, statuit cum hac inscriptione: *Non plus ultrà*. Pilas Alexander aureas erexit; tanquam trophæa suarum victoriarum, cùm ultima terrarum victoriis fuisset emensus. Verùm alia Christi; alia ceterorum Ducum; hi sanguine alieno emêre; Christus suo sanguine orbem domiturus ere- C xit.

Quæ sint incomprehensibilia.

§. XII.

Videamus quo apparatu procedat Christus ad supremum agonem.

Quemadmodum flamma surgit in rectum, jacere, ac deprimi non potest, non magis quàm quiescere: ita Christi animus jam in motu vitæ ultimo ardentior, mobilior, & actuosior fuit; & exultavit D ut gigas ad consummandam propositam dimicationem. Et quemadmodum qui in stadio currunt, quammaximè possunt, clamant: ita Christus Dominus stadium decursurus, non quidem exclamat, sed leniter cum suis alumnis canit; ut ait Euangelista: *Et Hymno dicto*,

§. XIII.

§. XIII.

Cur Hymno dicto? cur præliaturis symphonia præmitti solita? Vis & robur symphoniæ, cur Christus D. Hymnum dixerit?

Mirum videri posset, Christum, qui semper fuit ἀγελαςΘ, Heraclito semper flenti, & turturi gementi similior, moriturum indulsisse cantui cum suis? cur præliaturus ante pugnam laxat animum hymnizando? An quia decuit Christum, Regem Regum, & in suis castris servare morem Imperatorum, qui jubebant cantores adesse suis, & quidem lege sancitâ? Cyrus Monarcha, symphoniâ volebat suum militem animari, ne dissono barbarorum clamore terrerentur.

Et Lacedæmones ituri in hostem, fistulis ad numerum compositis provocabantur. Sic & olim Germani, Galliqùe scuta ferientes, inconditis vocibus sese commovebant. Bene est. An fortassis ut spiritus Domini ad vocem, & sonitum hymni; spiritus Domini afflaret discipulorum animos novo vigore, contactuque firmaret? An non Elisæus libro quarto Regum tertio, jussit sibi adduci Psaltem, cumque caneret, *facta est super eum manus Domini*; & ad cantum venit super eum Spiritus sanctus.

Visus & vis symphoniæ.

Firmat animos, & meliori bono fugat omnem cupidinem, musica Divina.

Sic fidem conjugalem Agamennon arma illaturus Troiæ; pudicitiæ metuens Clytemnestræ conjugis, peritissimo commisit musico & instrumentorum magistro, qui suis modis, & artifice cantu muliebres æstus temperaret: quo ab Ægysto sublato, pudicitia concidit Ægysti flammis. Crediderim Christum Dominum voluisse castigare fatalem hominum casum, & lachrymabilem insaniam, qui madentes voluptatibus in suo interitu canunt, cùm foret illachrymandum. An non hi peccato mortali trucidati; verè sunt similes cicadis, quia de die in diem vivunt? ut ait Ambrosius epistolâ ad Irenæum, questuque rumpuntur suo? quid enim sunt homines nullius ponderi snisi videantur, sicut cicadæ ad mortem nati diurnam? qui sub arbore ferventium cupiditatum se mulceant cantu, statimque occidunt. Obstupuêre discipuli ad insuetum, & inauditum vocis Divinæ sonum; quanto perfusi gaudio mulcebantur animi, & ad ortum hujus gaudii, amores terreni gaudii exspirabant.

Si cantando in sylvis rumpatur anguis: si delphinus teli instar ex imo profundi promicat; & jugum vi musices induit; & symphoniacum tanquam amabile onus perequitando mare circumfert: (Insulæ Nympharum sic dictæ, teste Varrone, visæ motibus ad cantum exilire.) Si dicatur Amphion conditor Thebanæ arcis, saxa movere sono testudinis, & prece blandâ ducere quò vellet; an non trahet vox, & symphonia Filii Dei? An non movebunt Psalmi Divini, pleni Deo? Quid ais hæretice? qui audes damnare Ecclesiæ sanctæ choros alternos, & laudes per viros religiosos Deo decantatas? Damnat te Christus, & Apostolorum Chorus, sanctusque manipulus. Damnat te Concilium Toletanum quartum, LXII. Episcoporum, Titulo XII. XIII. XIV. XV. XVI. quod in fine Psalmorum Gloria, & honor Deo sit canendum, &c. Aude Christiane, obturare aures Deo canenti; serpentibus deterior, qui venenum; & mutis rupibus durior, quæ deserunt agnatas sedes, & lyram sequuntur. Halesio torpido fonte inertior es, qui musicæ sono, quasi torpore excusso, commotus evigilat. Bene habent hæ rationes: verùm duas si alias causas adjunxerim, videor explêsse debitum. Cecinit ergo Filius expleto Regio sui corporis, & sanguinis convivio; Deo Patri gratias pro tanto beneficio in sui memoriam amoris decreto rependens. Prior ergo intonuit Psalmos ex judicio Pauli Burgensis in Psalm. 111. *Laudate pueri Dominum. In exitu Israel de Ægypto. Confitemini Domino quoniam bonus.* Tu Christiane pastus, & saginatus carne, & sanguine Filii Dei; eodem die porcorum instar, qui gladium datorem, jam saturi, non intuentur, te temulentiâ mergis.

Cantus in Ecclesia gratus & semper probatus.

Christus D. cur hymnû dixerit duæ rationes.

Prima.

Lauda Deum totâ die, factus particeps tanti boni. At laudare Deum, quis durat? Suggero modum. Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum.

Lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? Christus cecinit prætereà, ut orbi ostendat, se hilarem, & pronâ voluntate ad terribile mortis supplicium proficisci; ut ostenderet, se habere perfectum animum, qui esset in sua potestate; sciebat se in hoc natum hominem, ut vitâ defungeretur, & corpus sibi datum tanquam breve hospitium.

Cantus ergò fuit argumentum animi ab altiori sede venientis: argumentum summæ innocentiæ; dum exire non metuit. Necessariò ergo magnus apparuit, cùm cecinit,

cecinit, nec ingemuit, nec de fato conquestus est suo.; fecit suis discipulis sui intellectum, non aliter quàm lumen in tenebris effulsit. A

Non igitur tristis excipit accidentem mortem; subit imperatos labores, subit imperatam mortem triumphali vultu, quasi sibi delegatam. Cicero moriturum Socratem Cygnum vocat. Verius vocârim Christum Dominum Principem Cygnorum, formam ceterorum Cygnorum, id est, justorum qui ridenr in die novissimo, qui canunt morituri, & educi de custodia volunt; quoniam exspectant justi, ut illis sua cedat retributio. Verissimus Cygnorum Princeps Christus: albissimus Cygnus, & nive candidior. Quis Christo Domino purior? quis candidior, cujus candidi Nazaræi? Sine macula Cygnus, & Christus. B

Christus verus Cygnus ante mortem.

Quis vestrûm arguet me de peccato? Vita Cygni tuta silentio, quieta, placida, hominum amantissima: Christi vita, mera Philantropia apparuit: benignitas, & humanitas Domini nostri salvatoris amatoriè nos persequens, & instar pluviæ in vellus descendentis, & ut Propheta ait, *neque tristis, nec turbulentus.* Isa. 42. Cantat Cygnus præsagiens quid boni sit in morte, juxta Poëtam:

Cygnus cantator funeris ipse sui. C

Cantat Christus, cujus cantus fuit quasi prægustator mortis: cantat, inquam, Christus præsagus, præsciusque bonorum immensorum quæ sunt orbi ex sua morte per decretum Patris obventura. Audi dulciter sonoras voces ex imo corde eductas. Specto ego, ait Christus Dominus, malorum oceanum incubare: specto quidquid duri, horridi, & amari potest fingi, in exitium meum præparari; canto tamen, & terque, quaterque canto, omnia amara, ut dulcia doceam, ut lucrum tui faciam.

Mors infamis, crux execrabilis, mihi honora, & amata; & ne tu pereas, pereo: omnibus lætus, propero ad funus, cælo terræque celebrandum, ut dici possit, *Magnus Deus obiit.* Ut te funestâ strage mortis eripiam. Christiane nunc secede in teipsum, maturè cogites ex hoc domicilio esse exeundum: & tanquam singulos dies migraturus tecum habita. Nullius rei meditatio tam necessaria est, quàm mortis, ut ante mortem, quasi tibi mortuus, canas de teipso subacto, lætum pæanem. D

§. XIV.

Egressus cum discipulis suis trans Torrentem Cedron.

Quò properas dulcissime Jesu? patraturus admirabile orbis opus, quo totum mundum liberes malis. Funestę struuntur insidiæ, mors capiti tuo paratur. Judas sanguinarius expectat; subis ultimam fortunam tuæ vitæ.

Me labor citat, ait Jesus, & amor tui: ambio vincula, ut tua meis soluam.

Carcer expectat? hunc expeto, ut te æterno carcere liberem.

Trahêris in ludibrium, consputaberis, colaphis cædêris, patieris, quidquid rabies, & furor suggeret.

Bene est, bene se habet: indurata fortè peccatorum pectora mollescent, & frangentur, ubi me funestatum, me Dei Filium spectarint deformatum. Rapieris ad lanienam, ad infandam crucem.

Hanc ipsam volo, & exosculor, ideo ideo Patrem, & regnum deserui meum: exui me vestibus, & diademate, hac ipsa de causa: tanti est enormitas peccati.

Egrederis: at quo fructu? quàm exiguo novit sua Majestas, quàm nihil latet.

Mors non lachrymas impiis, sed risus pariet; tuus sanguis fundetur, & calcabitur.

Pro quo properas ad mortem? pro ingrato? immerso vitiis? mancipio libidinum? Tale exemplum necessitas exigit. Suffecerit mihi aliquot animarum lucrum: tanti mihi est una anima: cùm omnes non possim redimere, suffecerit Patri meo paruisse: *ut cognoscat mundus quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Joannis decimo quarto, versiculo trigesimo primo.

Ecce tibi Codrus Rex Atheniensium, qui ut oraculo didicit, suos cives salvos suâ morte futuros, positis Regiis insignibus, in prælium irruit, & se morti devovit. Tantus amor Patriæ! Et nos dubitamus pro anima nostra mori?

§. XV.

Trans Torrentem. Quid torrens designet, & quorum emblema.

TOrrens hic inter civitatem, & hortum transit; distans ab urbe quinq; stadiis. Transit hunc Torrentem Davidis instar, qui libro 2. Regum, decimo quinto fugiens filii sui Absolonis iras, filii persequentis manibus se subduxit. Quid Torrens? Cassiodorus in Psalm. 109. inquit, fuit turbulenta perseutio Judæorum, vel totius Passionis horribilis decursus. Divus Thomas in decimũ octavũ Joannis: fluctus inundantis furoris Judaici; ut Torrens tumidus, saxa, lapides, sabula, terrasque furiosè secum volvit, rapitq; sic rabies Judæorum omnes iras in Christum conglobatas effudit. Quare & Christus Psalmo decimo septimo. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Furor ergo & ira præcipitavit mentes; ut ex alto intonans torrens omnia præcipitat: atque velut Torrens auctus pluvialibus undis, saxa rotat, volvitque nemus, pontesque revellit. Transit Torrentem: & cur? Cassianus libro decimo tertio *Torrens significat subitam, & citò defluentem passionem.* Bene Augustinus in Psalm. 123. *De Torrente in via bibit, propterea exaltabit caput.* Psalm. 109. *Quid est, bibit? Transiens bibit, non hæsit; in via bibet; quia de illo fortè dictum est: In via peccatorum non stetit. Disce mundum esse verum Torrentem; qui ut nascitur, interit; tumidus detumescit, omnia inundat, & subitò siccatur.* Sic Augustinus in Psalm. 123. *Quam diu sæculum hoc nascendo, & moriendo currit, Torrens est.* *Mundus torrens.*

An non mundus transit, & concupiscentia ejus, qualis est. Amicitiâ mundi? Torrens est. Desultoria est amici mei præterierunt me; sicut Torrens, qui raptim transit in convallibus.

Disce mundum Torrentem, ut hic vertit, rapitque secum turbulentus saxa, limum, terras. Et quidquid est sordium: sic & mundus quidquid est vitiorum.

Disce mundum Torrentem, symbolum persecutionis. Et quis est, qui vult piè vivere, & non patitur persecutionem? Secunda secundæ ad Timoth. 5. *Omnes qui volunt piè vivere, &c.* Jeronymus epistolâ primâ *Erras frater, erras si putas tanquam Christianus persecutionem non pati.*

An non foris, domique nobiscum belligerat hostis? an non in nostro sinu alimus materiam belli? an non assidua in nostro pectore bella gerit? Sanctus Leo. *Donet licet sanctis quotidianam Divinâ gratiâ victoriam, tamen*

A *non aufert dimicandi materiam: quia & hoc ipsum est de misericordia Dei protegentis, quo natura mutabili, ne de confecto prælio superbiret, semper superesse voluit quod vinceret.* *Semper in hac vita, pugna est.*

An non caro, bellantes semper nos occupat? Quis securus à domesticis insidiis? an non Ismaël filius ancillę persequebatur Isaac filium liberæ? Bene Origenes homiliâ septimâ, in Genesim. *Si caro, cujus personam gerit Ismaël, qui secundùm carnem nascitur; spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, & delectationibus illiciat, voluptatibus molliat: hujusmodi ludus carnis cum spiritu, Saram maximè, quæ est virtus, offendit,* & hujusmodi blandimenta, acerbissimam persecutionem indicat Paulus. *Ejice ergo* B *ancillam, & filium*, sit hæres Isaac. *Ismael fugandus ut Isaac servetur.*

Tu si virtutis es filius, tanquam persecutionem maximam fuge. An ut Jeronymus epistolâ ad Heliodorum: *Inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult esse Deus pro Christo, ut inhabitantem in me Spiritum sanctum fugem, ut templum ejus violem.* Ingens persecutio carnis, & affectionum tumultuantium rebellio.

An non indomitum, ut ait Seneca epistolâ quinquagesimâ primâ, *nivibus atque alpibus virum eneruárunt fomenta Campaniæ?* (Agit de Hannibale Romanorum Domitore, si voluisset uti victoriâ.) An non hic armis vicit, vitiis victus? Tu Christiane vitia persequere sine modo, sine fine; nam illis C quoque nec finis est, nec modus. Projice quæcumque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum erit. Voluptates præcipuè exturba, & invisissimos habe, latronum more, quos Philetas Ægyptii vocant, in hoc amplectuntur ut strangulent. Memineris Divi Leonis sermone nono de Quadrages. *Nunquam,* (inquit) *deest tribulationis persecutio, si nunquam desit observantia pietatis.* Quid enim sic persequitur vitam, & honorem, quàm vita iniquorum? cùm non cogit imitari quod displicet, sed cùm dolere quod videt. Loth non patiebatur corporis persecutionem; persecutio ejus, erant mala facta Sodomitarum. *Voluptates strangulandæ ne nos strangulent.*

D Mundus ergo Torrens est, & persecutio. Nunquid & lamiæ nudaverunt mammas suas? Thren. 2. an non istæ oculorum, & castæ mentis persecutio?

§. XVI.

§. XVI.

Hic Torrens ad radicem montis Oliveti.

CUr hoc? Torrens tribulationem, Oliva victoriam. Per illam ad victoriam itur.

An non Dii omnia laboribus vendunt, ut Gentiles canunt? An non virtus in arduo. An non templum Honoris in monte? per anhelantes cursus, sudoresque eò pervenitur. Cur Cedri Trans orrentem? An non Filius Dei, peracturus opus æternâ, immortalique dignum memoriâ? an non Cedrus incorruptionis expers, & æternæ durationis arbor? an non omnis æternitas Christi facinus celebrabit?

§. XVII.

Erat hic hortus in valle Gethsemani.

QUid Gethsemani? nisi vallis pinguedinis, seu olei mei? In hoc horto Gethsemani fluere incipient, omnes fontes misericordiæ; Oliva enim significat misericordiam. Hîc incipiet nos ungere oleo misericordiæ suę. *Oleum effusum nomen tuum*: hîc incipiet aperire multitudinem viscerum suorum.

§. XVIII.

Cur ad hortum Christus perrexit? In horto exitium, in horto salus.

IN horto commissum duellum summæ calamitatis in horto peragatur duellum felicitatis futuræ: in horto concidit justitia; in horto detur prolapsæ restitutio. Christus ergo pergit ad hortum, non voluptatis, non deliciarum; sed dolorum, & mœrorum; ut primi Adami enervet, castigetque voluptatem, atque delicias. *Hortus* ait Cyrillus libro secundo in Joannem capite trigesimo primo, *erat paradisi locum designans: ut in horto malorum initium factum est; sic in horto Christi passio incipit; per quam à malis liberati, in pristinum statum restituti sumus.* In horto ruina: in horto reparatio. Vicit dæmon hominem in horto; vicit dæmonem Christus in horto.

In horto fædus initum cum dæmone; in horto fuit dissoluendum. In horto homo superbissimus appetiit Divinitatem:

A in horto Deus homo humillimus appetiit summam vilitatem. In horto pestis lethalis contracta; in horto sudatur ad pestis profligationem. In horto vita exstincta; in horto cœpit nasci, restituique. An non contraria contrariis curantur; frigida calidis, & calida frigidis? In horto vita sepulta, ut in horto mors sepeliatur, & vita resurgat. Primus ergo Adam in horto exuit libertatem: & Filius Dei, ut libertatem restituat, se voluit instar servi vinciri. Adam in horto ne contristaret suas lethiferas delitias, Deum postposuit fallaci creaturæ, & comedit de fructu vetito. Hodie, hodie B piissimus Jesus usque ad mortem voluit contristari suas delicias, id est, sacratissimam suam humanitatem, & comedere de ligno mortis. Adam se abscondit in horto, ne videretur à Deo; & Christus se suis proditoribus publicavit. Pulchrè ait Rupertus: *Voluit Adam secundus, id est, Christus obediens inveniri; quia primus Adam inobediens fuit inventus.* Cantic. quinto. Descendat nunc filius Dei *in hortum suum*; hortum scilicet spinarum quas terra maledicta illi protulit. *Descendat, & comedat fructum pomorum suorum.* Ubi alia versio habet *fructum deliciarum suarum.* Verè Christo spinæ, deliciæ fuêre; & poma malorum, mortis poma C desiderii: Lucæ 22. *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum ante quam patiar*: exultavit ut videret diem, tot sæculis expectatum. Metes fili Dei pro delitiis, myrrham; & pro rosis, spinas; & pro vitâ, mortem. O Auditor sequere Christum; intra hortum, & carpe omnis generis flores. Imperialem florem; ut tibi imperes: Regium sit tibi bene agere, & malè audire. Vince in bono malum. Latiùs regnabis avidum domando spiritum, quàm si Lybiam remotis Gadibus jungas, & uterque Pœnus serviat uni. Hîc, Virgo colligat lilia candida; malitque mori, quàm fœdari; & oculos erui, quàm oculis capi. Hîc, vidua violas carpat signa doloris sui: uni sufficiat nupsisse: primus amor suo tuos sepulchro condat amores. D Sis turtur, & turturis instar gemas Deo; illi placuisse juvet propter instantem necessitatem: præterit enim figura hujus sæculi. Velis esse nunc, quod futura; quod æternum futura. Nec vos prætereo, Matronæ. Vos carpite rosas sancti amoris, & pulchræ pudicitiæ. Sis Sol marito, exhilara domum, & spinas matrimonii ferte patienter; supportantes invicem. Nolo intret hunc hortum usurarius; infidus Advocatus; injustus Judex; hi cum turbâ Judæorum militant adversus Deum, & Christum Dominum.

Opera utriusque Adami contraria contrariis curantur.

A

§. XIX.

De horto mundi fallacis.

HAbet & mundus suos hortos, ad quos suis blandimentis invitat suos amatores, Sapientiæ secundo. *Venite, fruamur bonis, quæ sunt, &c. non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra.* Ah miseri! quàm flores vestri caduci! an non eorum idem ortus, est exitus? & vitæ, lethi unus dies? an non exspirant ad primos ortus; ne capiaris vino; dum blanditur in vitro. arrident flores? Memineris caducos. Memineris breve veris spolium. Fatalis tibi hic hortus erit, qui Adamo suæ malitiæ fuit.

B

Hic regnat superbiæ venenum, & invidiæ malum: hic discordia jacit pomum suum; inter superbos, ut Dea discordia inter Deas, ultura se, quod præterita in nuptiis Thetidis & Pelei fuisset; pomum scilicet cum hac inscriptione; *Pulchriori Deæ.*

An non erat canere classicum belli? ubi superbos pax unquam stetit? inter superbos semper sunt jurgia inter: hîc & sparguntur poma cupidinis. Ah quam an non illita felle? ah quàm dulcia mala, mala! quàm jucundâ fronte fallunt mortales! quàm doloso gustu effeminant tangentes! Poma sunt Gomorrhæa, in fumum, fœtoremque sulphuris itura. Intuere fatalem duobus Susannæ veteratoribus mœchis hortum: an non vicit pudicitia impiè culpata? an non damnata cecidit luxuria? Intuere hortum Assueri: an non in illo mors fatalis Aman decreta? An non hortus, & vinea Naboth Regi Achab ruinam fabricavit? ô quot in hortis prava consilia, & scelera cuduntur! quot fœda castis oculis spectacula! quot insidiæ Virginibus parantur! Pudet enumerare dedecora hortorum: ubi Priapus, fœda Venus, cum suo Cupidine pharetrato, plus habet regni, quàm Christus Crucifixus. In die Judiciario quàm velles has libidines inemptas, & fulmine tactas deflagrasse. Memineris Salomonis, audi intonantem: Feci (inquit) hortos, & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus: & exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvarum, lignorum germinantium prata: & quæ mercede? & vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.

§. XX.

Aggrediamur tria genera personarum Horti stationem prætendentium.

CHristus Jesus Princeps, Apostoli, & filii tenebrarum cum Duce proditore. Dividuntur discipuli in duas stationes, octo simul conglobati unam integrant stationem. Christus ut Princeps, & Dux sapiens hortatur, ut virtute & vigilantiâ se tueantur, opus esse ut excubent strenuè; armis opus esse. At quibus? *Orate & vigilate, ne intretis in tentationem.* Subruet vos sopitus languor; vincendi, nisi oretis: victores, si oretis. Ut vincat Gedeon, jussu Divino dantur militibus tubæ in manu; & in vasculo terreo ignis absconditus. Insonant tubæ; insonant voces: *Gladius Domini, & Gedeonis.*

An non infinita multitudo penitus prostrata. Vide locum Judic.

An non Jericho ad sonitum tubarum sacerdotalium, conciderunt muri? Josue 6. versic. 21.

§. XXI.

C

Alteram stationem cum tribus aliis ipse Christus statuit.

ORdinat, seligit Petrum, magistrum ardentis fidei: Joannem Virgineæ puritatis vivacem imaginem: Jacobum supplantatorem, & inde victorem ob orandi studium. Hi tres viri, dotes orationis consignant. Vis Deo gratam orationem? ardeat, pura sit, & supplantatrix vitiorum. Hac arte paratur victoria, quæ vincit mundum.

§. XXII.

D

Aggrediamur personam Christi Domini nostri summi Imperatoris, ut ille se gesserit in suprema suppliciorum imminentium lucta.

COEpit contristari, pavere, *& mæstus esse, & ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic & vigilate mecum.* Matthæi 26. 37.

§. XXIII.

§. XXIII.

Nota illud verbum cœpit.

QUid hoc est; *cœpit?* ratione imperante; non præoccupavit rationem vel metus, vel dolor; sed ratio locum dedit; aperuit portas affectibus humanæ naturæ, qui naturam humanam comitantur; nec ab ea, nisi destructa sejungi possunt; quando enim volebat, irascebatur, contristabatur; potestate, non infirmitate turbavit seipsum, sicut & factus homo, quia ipse voluit. Cœpit ergo mœstus esse: Græcè *ἀδημονεῖν*; ita vehementi metus discrimine angi; quasi fieret exanimis; pallido esse vultu; gemebundo pectore; languido corpore, tantum non concidente; ut verum fuerit, tristem fuisse animam Christi usque ad mortem, ut quasi tristitia mentem; sicut mare ruptis aggeribus terras obruat. Tristis Græcè *περίλυπος*, id est, valde tristis, id est, anima undique tristitiâ obsessa, & circumvallata; & ita obsessa, ut omnes animę partes occupet, nihil in ea intactum, liberumque relinquatur. Matthæus habet *ἐκλυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν*: *& mœstus esse, & ingenti tristitiâ obrui, & horribili anxietate perfundi.* Marcus *ἐκθαμβεῖσθαι*; *pavere & tædere, & quasi extra se fieri simul & stupidum.*

Ubi sit timori locus. Horribili ergo tristitiâ, & mœstitudine ebrius Dominus pavebat, & tædebat non tam metu mortis, quàm præsenti malorum objectâ facie; quæ mala non poterat evadere. *Timor enim*, ut docet Aristoteles secundo Rhetoric. *non est, ubi est aliqua spes evadendi:* nam quando nulla est spes evadendi; apprehenditur malum ut præsens; & sic magis causat tristitiam, quàm timorem. Sic D. Thomas tertiâ p. quæstione decimâquintâ articulo quarto: *Tristem ergo se dicit Dominus Iesus; Tristis est anima mea usque ad mortem*; & ita tristis, ut tantum non deficiam animo, non metu mortis, ad quam anhelabat; ut docet Augustinus in Psalm. nonum: *Non timebat Dominus pati, tertiâ die resurrecturus; sed horrebat totius orbis ruinam peccatorum mole in se suscitatam, & immanitatem scelerum, quam se exiguo cum fructu susceperat.* *Quomodo Christus tristis usq; ad mortem.*

Horrebat animus ad nefandas sentinas per se exhauriendas, quibus Pater infinitis modis erat exacerbatus. Tristis ergo erat usque ad mortem. Ambrosius libro decimo in Lucam vigesimo secundo: *Pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret: & sequestratâ delectatione Divinitatis æternæ; tædio nostræ infirmitatis afficitur, ut mihi suam lætitiam largiretur, & vestigiis nostris descendit ad mortis ærumnam; ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, qui crucem* A *prædico; neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, ut dolorem vinceret; tristitiam non excluderet: neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem.*

An non volens esuriit, volens timuit, & volens mortuus est? sicut nisi mortuus esset, mors non exstingueretur: ita nisi tristis fuisset, non essemus à metu liberati: nisi doluisset, non cessassent nostri dolores: tristis usque ad mortem, ut nostra tristitia vertatur in gaudium. Ecce tibi admirabilem Eliam: hic fugiens accensas & furibundas Jesabelis iras, pertæsus laborum, projiciens se in terram, mortem orat, petivit animæ suæ ut moreretur. 3. Reg. 19. B

§. XXIV.

Rationes & causæ, cur hos motus & affectus in se admiserit Christus Dominus.

QUandoquidem unio Divinitatis cum humana natura fuerit summa adinventio Divinæ sapientię, debuit illam Divina sapientia manifestare. Christus ergo hoc unum semper intendit, ut se & Deum, & hominem probaret: hominem, ut patiendo redimeret; Deum, ut posset. Audiamus Divum Leonem in epistolâ Encyclica ad Flavianum Episcopum Constantipolitanum. *In integrâ veri hominis perfectâq; naturâ, verus natus Deus; totus in suis; totus in nostris.* Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, Divina non minuens. Inclinatio illa fuit miserationis, non defectio potestatis: proinde qui in forma Dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo: tenet enim sine defectu utramque proprietatem suam utraque natura: & sicut formam servi, forma Dei non adimit, ita formam Dei, servi forma non minuit. Agit ergo utraque forma, cum alterius communione quod proprium est: verbo scilicet operante quod verbi est: & carne exequente, quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, alterum succumbit injuriis. Esurire, sitire, lassescere, dormire evidenter humanum est. Quinque millia saturare, mortuos suscitare &c. sine ambiguitate Divinum est. Non ejusdem naturæ est flere, miserationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduano aggere sepulturæ, ad vocis imperium suscitare, aut in ligno & luce, in noctem conversa omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum, & Paradisi portam fide-

1. Causa.

Utraque natura in Christo suis utitur functionibus.

C D

Tristis est anima mea usque ad mortem. Et cur non esset?

Doles Domine; & verè doles: non tua vulnera; sed nostra scelera. Noverat ipse immanitatem peccati; horribilemque fœditatem: noverat summam injuriam Deo Patri inferri; noverat infinitatem malitiæ: & quomodo cor unius hominis par esse potuit infinito dolori.

Expiravit Heli ad nuncium captæ arcæ Dei.

Sic Urbanus Papa ad famam captæ Jerusalem à Saldano.

Nicolaus Quintus anno 1455. ad sonitum captæ Constantinopolis vitam finiit dolore victus: sic Volaterranus libro duodecimo.

Et nos mirabimur Christum tristem usque ad mortem; qui totius orbis mala suo corde claudebat? Vide Platinam. Urge hîc populum, & unumquemque, ut cujusque scelera cor Christi agitabant, & in diversa adunatis stimulis trahebant. An non ergo causa moriend Christo fuit, omnium telis peti, & vulnerari, discerpique?

§. XXV.

Avulsus à discipulis.

Crescit dolor novo dolore, cùm ab amatis discipulis violenter astrahitur. An non violentâ manu, compages corporis nervis, & venis, & juncturis, & summo dolore divellitur? An non ut testudo fidibus, sic & corpus suis constat? An non amor arctè jungit amantes? An non separatio amantium, mors? Quomodo nos separat amata mors? An non amor, ut Dionysius docet libro de Divinis nominibus, *est quadam unitiva, & continuativa vis superiora movens ad inferiorum providentiam*? An non fel, quod est amarum, id mel facit? An non verus amor crescit adversis? An non spectata voluntas, & spectata virtus amantium, omnia tolerat? Verus amor indivisus; qualis Davidis & Jonathæ. Amantibus semper multa virtus; & multus honos amantium recursat. Quid durius Matri, quàm se desertam relinqui ab amato nato? An non Christi amor in suos, omnes antecedit amores? Major Deus, amore suo, agit Christum; avellit ab amatis voluntas Patris, Patris amor vicit amorem sui, suorumque. Quid illo violentius? De Christo triumphat amor. Quæ est ista quæso vis tam violenta ad victoriam; tam victa ad violentiam? Avulsus ergò tanquam vim patiens; quam sic honesto temperavit solatio, ut tantum pusillum avelleretur, quantum jactus est lapidis.

Amantium separatio quã dura.

Verus amor indivisus.

Vide ne jactus lapidis à Christo te separet: vide ne imiteris Abantes, qui Solem lapidibus petunt. Cor impœnitens habes? habes lapideum: noli petere cor Christi lapidibus, id est, peccatis, quæ te avellunt à Christo.

Christus ergò Dominus hoc secessu solitudinis utetur; ut quasi manu facta, precationibus ambiat Patrem; si flecti decretum mortis possit. Hæc enim vis naturæ agentis gratissima Deo fuit.

Secessus Deo gratus.

Tu acturus cum Deo; ama secessum; placet Deo solitudo; juxta illud Oseæ secundo, versiculo decimo quarto. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Hinc Bernardus sermone quadragesimo. *O anima sancta, sola esto; ut soli omnium serves teipsam, quem solum ex omnibus elegisti: publicum fuge. Et benè: minus enim stimulatur voluptatibus, qui non est, ubi frequentia voluptatum.* Sola es, si non communia cogites; si non affectes præsentia; si despicias, quod multi suspiciunt. Ambis Deum, fuge turbam.

Bene Seneca epistolâ septimâ: *Nunquam*, inquit, *mores refero, quos extuli.* Religiosus vagus semper seipso deterior redit, & dissolutior; quia inter homines fuit. Acturus cum Deo; Deum tibi exhibe propitium, seclusis turbis; propè est à te Deus; tecum est; intus est; nostræ mentis, & cogitationum sacer, & acer custos, & observator: hic prout à nobis tractatus est, ita & nos ipse tractat.

§. XXVI.

Habitus Christi Domini acturi cum Deo Patre.

Filius formam servi, pro servis pessimis, & Patris sui hostibus moriturus; positâ ergo Majestate (*jam solus instar summi Pontificis*, Levitici sexto, *ingressurus tabernaculum, qui solus esse jubebatur rogaturus pro se, & pro domo suâ, & pro cœtu filiorum Israël*) induit: & tristis usque ad mortem, majorem luctum, & quasi reus, & sordidatus secundùm Marcum decimo quarto, *procidit in faciem.* Secundùm Lucam, *positis genibus*; quasi supplex futurus. Secundùm Matthæum, *procidit in faciem suam.* Jacebat ergò tantus gigas; cujus ex cælo egressio ejus, prostratus in terram.

Ille qui cælum: qui terram fert humeris; quasi oneri succumbens jacet prostratus.

Cur in terrã prostratus jacet.

An quia Pater posuit iniquitates omnium super eum? An quia iniquitates supergressæ sunt caput ejus, & ipse Filius Dei

onus iniquitatem ferre non possit? Ita, ita est: tantum onus est peccati; ut Deus ferendo non sufficiat.

Ipsa Dei fortitudo fatiscit, tremit, & instar cymbæ dissilientis accipit inimicum imbrem. Peccatum Core, Dathan, & Abiron terra non tulit, terra illis dehiscit, vivos absorbet.

Te, te peccator terra non ferret, nisi terram avidam tui exitii, & ponderis impatem contineret Deus. Nunc metire magnitudinem malitiæ tuæ, & potentiam peccati: nunc considera quid non audeat peccatum.

An non obtentâ libertate, omnem tyrannidem, & violentiam exercuit in Filium Dei, quia peccati onus intolerabile in se susceperat? An non statim armavit omnes suas iras in Deum? an non omnes furores collectos, Deum invadens, in ipsum Deum effudit, inundavitque? Attende ad singula.

Ad singulas corporis situs. Primùm, se prosternit in terram. Deindè collocat instar uvæ in torculari. Sanguinem, & sudorem spectabimus fluentem. Ultimum facinus erit, occidisse Deum. Quot malitiæ in una unius peccati malitia! Urge hîc per singula peccata. Bene exclamat Filius Dei Psalmo quinquagesimo quinto. *Conculcaverunt me inimici mei totâ die; quoniam multi bellantes adversum me.*

An non totius orbis peccata bellant adversùm Christum Dominum? Jacet ergo prostratus, qui etiam & nunc jacet, etiam nunc tenetur in corpore suo pressuris peccatorum. Verùm cur Christus Dominus procidit in faciem suam? an non ut vultus, orisque sacri, Divino contactu, quæ quondam fuerat maledicta, ferens spinas, & tribulos, terræ benediceret? Planè. An non ut interponeret se medium, & intercessorem inter iratum Patrem, terramque supplicia meritam? Planè. Instar Moysis objecit se irato Deo, & clamauit Deo: *Dimitte me* (Exodi trigesimo secundo, versiculo decimo) *ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Instar & Matris, quæ se inter Patrem, & filium collocat, & iras in se verti orat. *Prostratus jacet, ut terrâ tegat.* Deindè an non ideò in terram se prostravit, ut eam corpore suo velut scuto tegat, & suo corpore excipiat tela justitiæ Divinæ, & hoc instar Aquilæ, & leænæ, quæ induunt pericula, & vulnera, & prælia ineunt in sui fœtus salutem! Pulchra sunt hæc, & vera. Crediderim ore ideò tetigisse terram, ut osculo inimicæ concesso, daret spem certam, & signum attolleret pacis orbi datæ: quid enim osculum, nisi oppigneratio pacis, & reconciliationis tessera? Sic & sponsa orat osculum, juxta illud primi Canticor. *Osculetur me osculo oris sui.* Sic & Magdalena figit oscula blanda pedibus Christi, & exprobratur Pharisæo, non fuisse datum à se osculum: *Osculum,*

A inquit Christus, *mihi non dedisti.* Crediderim prætereà datum osculum terræ, quasi jam suam futuram sponsam, sanguine, velut dotali arrhâ, & sacro pignore, emendam, procurandamque. Julius Cæsar Africam debellaturus, prolapsione in terram cecidit, omenque aversum, ut milites augurabantur, in propitium transtulit; Africamque osculatus dixit: *Teneo te Africa.* Quasi diceret: Mea futura es, meis armis cedes mihi in trophæum quę diceris invincibilis, & succumbes indomita, domita meis felicibus ausis. Tenuit filius terram inimicam tanquam suam, suis armis debellandam: Regnabis Domine Jesu, & *Cur osculû dedit terra Christus Dominus.*

B eris Dominus Dominantium, quia primus terram osculatus, natans in tuo sanguine. Proximum abesse à ratione putârim, si dixerim Julium Cæsarem terræ dedisse amatę oscula, ut ostenderet se Regem totius orbis terrarum. Si Pythius Apollo regnum ominatus est Bruto, aliisque percunctantibus, quisnam Romæ foret regnaturus: *Is scilicet, qui matrem suam priùs foret osculatus.* Brutus minimè brutus, & stultitiam simulans, pronus dedit oscula terræ, & primus Romæ Consul exstitit. Iste Rex Regum, qui illud Divinum cælo lapsum oraculum, plus ceteris coluit γνῶθι σεαυτὸν. *Nosce teipsum.* Ut autem hanc nobilissimam disciplinam capessas, *posuit*, juxta Prophetam *Magna vis pulveris.*

C Jeremium Threnorum tertio, *Christus in pulvere os suum, ut videat si sit spes.* Ore pulverem osculatur, ex quo te manibus fabricavit suis: *Manus*, inquit, *tuæ fecerunt me. Et unde? ex pulvere: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, ore sapientiæ suæ osculatur pulverem, An non quia ex contrectatione suæ notitiæ nascitur, spiraturque summa sapientia?

Summæ sapientiæ magister est pulvis exiguus. Turcæ ex sepulchro Alexandri Epyrotarum quondam Regis pulverem excipiunt, quasi pulveris contrectatione fortiores futuri.

An non pulvis exiguus æquabit Reges omnes? Inter ossa & cineres sepulchrales Diogenes sapientiam conquirebat. Quidquid educat tellus, nihil homine imbecil-

D lius? Quid homo? cujuslibet horæ pabulum, & diei victima, anxiæ & solicitæ tutelæ, precarii spiritus, & malè hærentis, ad omnem fortunę contumeliam projectum. Quid homo? scenam dixeris quæ fulget adventitiis bonis, & redituris ad alienos instrumentis adornata.

Hanc sapientiam hauserat Carolus Quintus, claritudine victoriarum juxtà & virtutum magnitudine nobilissimus, qui in filium translatis regnorum curis, & Hispaniam repetens, exscensâ navi terram omnium altricem, matremque complexus est, sic & affatus: Complector te terra, quæ me ex terrâ natum terræ donasti, te complector *Carolus V. dedit oscula terra exscensa nave.*

ut

ut sinu tuo excipias, quæ tuo me sinu effudisti, & ut me, tibi redonem, oscula dono.

Hic magnitudinis humanę finis, ut redeant omnia eò, unde orta sumpserant initium. Sciebat fulgorem rerum omnium esse adventitium, & tempus bonorum circumjacentium, esse arbitrum: & quidquid à fortuna datum est, extemplò abiturum.

Nihil hic nobis de perpetuitate, nihil de diuturnitate permissum. Fugit ergo mundum, & suo se recessu clausit exiguo, qui clauserat imperium semper utroque fulgente Sole. Magnus Philippus secundus Magni Caroli filius, alio spectaculo orbis vanitatem irrisit.

Ante mortem pectus vermibus scaturiens magnanimo vultu ostentat, & ad filium conversus, *En finis*, inquit, *Monarcharum: vermes nos hæreditabunt*.

Quem non miseret Christi Domini sic prostrati? jacet in terra, & terram quasi moriturus mordet, instar Athletæ, bellatorisque: jacet tamen trepidus, pavidusque mortis horrore tactus, at non victus: jacet in pulvere, ut tu pulvis, pulverem audias magistrum. Intuere ortum tui stemmatis. Imitare pavonis indolem, qui pedum informium dedecore infamis, ingentes premit animos.

Audi Petrum Damianum libro secundo Epistolarum: *Pavo habet in pedibus rusticum aliquid quod despiciat, ignorat in caudâ quod eum mirabilem reddat.* In promptu est; unde debeat se in humilitate deprimere, post tergum gerit, unde valeat quasi præ ceteris avibus superbire.

Te quoque, quod in te virtutis; lateat: si quid verò vitiosum, & correctione est dignum, ab aspectus tui judicio non recedat. *Humiliatio tui in medio tui est.* Michææ 6. vers. 14. Pulvis es.

§. XXVII.

Spectaculum dabitur supremi agonis. De pugna voluntatis naturalis secum, non cum Dei voluntate, nec spiritus.

Onustus peccatis nostris, & non peccator, nisi in similitudinem carnis peccati; gerebat se ut peccatorem adversus Patrem: & stratus præ verecundiâ; ut ait David quadragesimo tertio Psalm. *Totâ die verecundia mea contra me est: & confusio faciei meæ cooperuit me*, non audebat oculos tollere in cælum.

A Cœpit ergo ex imis præcordiis vocem attollere, & dixit: *Abba Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; omnia tibi possibilia sunt: verumtamen non mea; sed tua fiat voluntas.*

Diligenter attende hanc orationem fuisse veri hominis mortem horrentis; non à spiritu, sed à desiderio partis inferioris profectam; in quo desiderio caro Christi non pugnabat cum spiritu, & Dei voluntate.

Primò, quia non absolutè, quod naturaliter desiderabat, petivit; verùm *si fieri posset*; si vellet Pater.

Secundò, quia & caro Christi præposuit Divinam voluntatem suo desiderio: B *Verumtamen non mea fiat voluntas, sed tua.* Errant hîc graviter multi, ut doctissimus Jansenius hîc notat. *Non fuit in Christo diversa voluntas à Dei voluntate.*

Hæc scilicet verba, *fiat voluntas tua*, non esse verba partis superioris, quia illa nunquam habuit voluntatem diversam à Dei voluntate, sed partis inferioris, quæ, ut dicebat, *transfer à me calicem*, ita etiam dicebat, *non mea voluntas*, hoc est, non meum desiderium fiat, voluntas hîc pro desiderio ponitur. Quare & pars inferior fuit subdita spiritui, & Divinæ voluntati.

Hæc ergo oratio, fuit declaratio desiC derii naturalis, quam absoluta oratio non absolutè petebat; aut fuit deprecantis mortem; sic tamen ut fieret Dei voluntas. Fuit ergo semper exauditus Christus. Sicut infirmus amaræ potionis calicem exhorret, & quâdam velleitate bibere renuit, absolutâ tamen voluntate propter corporis sanitatem ebibit: ita Christus Dominus, calicem passionis in manu tenens, naturaliter abhorrebat: propter tamen salutem generis humani totum ebibit. Genesis quadragesimo duodecimo: *Accidit Christo quod filiis Thamar: parit gemellos Phares & Zaram* (ut dictum in Consociatione de voluntate Christi) unus protulit manum, & obstetrix ligavit coccino propter D decus primogenituræ. *Oratio Christi, fuit tantum desiderii manifestatio.* *Emblema circa voluntatis Christi naturalem pugnantem.*

Ille ligatus retraxit se, & prodiit alter, & ligatus coccino secutus est alterum. Christus parturiens salutem orbi; infirmitas naturæ, id est, desiderium naturale clamabat: *Abba Pater.* Prodiit ergo primus, velut primogenitus naturæ patientis, id est, desiderium declinandi mortem, verùm statim sensit se ligatum voluntate Divinâ, & se retraxit. Et natus est alter frater Zaram, id est, resignatio ejusdem naturæ patientis in manu Dei. *Fiat voluntas tua.*

Quanti verò momenti sit resignatio, dictum est suo loco. Has humanæ naturæ leges, hoc jus, & proprietates perspicacissime introspexit Seneca epistola quinquagesimâ septimâ, sub finem. *Quidnam affectus humanæ naturæ innati.*

Loquor

Loquor de illo, in quem jus fortuna A perdidit: hujus quoque ferietur animus, mutabitur color. Quædam mi Luali nulla virtus effugere potest: admonet illam mortalitatis suæ. Itaque & vultum adducet in tristitiam, & inhorrescet ad subita, & caligabit; si vastam altitudinem in crepidine ejus constiturus despexerit.

Non est timor, sed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. Itaque fortes quidam, & paratissimi sanguinem suum fundere, alienum videre non possunt: quidam ad vulneris novi; quidam ad veteris, & purulenti tractationem, inspectionemque concidunt, & linquuntur animo.

Sensi ergò quandam, non quidem perturbationem, sed mutationem: rursus ad primum conspectum redditæ lucis alacritas incogitata rediit, & injussa. B

In Christo ergò erat bonus, & naturalis vitæ affectus; ejusque amittendæ justissimus timor, & Deo gratissimus, qui ut se erexit, statim rationis imperio sese subjecit, vitam morti postponens, & Patris voluntatem, suæ.

§. XXVIII.

Cur Filius orditur orationem à voce Abba Pater. Filius Dei imitatur parvulos.

AN non hæc vox parvulorum, & infantium, dum primis vocibus Patrem compellant; Papa, papa? Planè. Æterna Sapientia incarnata voluit in seipsa ostendere, quantopere placeat oratio humilium; qui amore parvulorum humiles abblandiuntur suis Patribus.

Cur Christus vocat Patrem Abbam. Poscit hanc sui imitationem Filius Dei; ut humiles, ut parvuli in oculis nostris Patrem adoraturi, in simplicitate cordis adeamus.

Causa 1. Pertinet ad fidem, & fidei modestiam; si non agmine verborum adeundum putemus Deum. *Nec enim tam voce opus est*; ut ait Chrysostomus homiliâ septuagesimâ ad populum Antiochenum, *quàm cogitatione, nec manuum extensione, quàm animi intentione, neque figurâ, sed intellectu.* D

An non oratio vultus animi, si circumtonsa, & fucata, ostendit illum fucatum? noli esse anxius verborum, sed magnorum affectuum. Magnifica verba sunt phalerata eloquentiæ ludibria. Vis esse Deo gratus? sit pura, sit sine malitiâ quasi novi geniti infantis oratio; sit vox ejus qui accipit spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: *Abba Pater* ad Romanos octavo.

O quàm multi clamant *Pater noster*, qui corde adulteri, fures, & tortores! quibus respondetur: *Nescio vos.* Ego non Pater vester; nec vos filii: *vos ex patre diabolo estis*; ex diabolo concepistis.

An non Eva concepit ex diabolo? imò concepit: nam exinde abjecta est ut pareret, & in doloribus pareret? verbum diaboli semen illi fuit; enixa est denique diabolum fratricidam. Et tu semine dæmonis concepto, concepto ejus verbo; an non paris Deo filium doloris sui, filium æternæ pœnæ, filium Deicidam, & Christicidam; peccatum scilicet fœtum tuæ corruptæ voluptatis? & tu Deicida audebis vocare Deum, Patrem tuum? Vocat prætereà Patrem: *Abba Pater*; ut ostendat se agnum immaculatum, & innocentissimæ vitæ; qui manè & vespere in lege Deo offerebatur, & jam in procinctu; ut se in sacrificium cruentum in ligno crucis dedicaret: qui in festo Purificationis, se in incruentum Deo fuerat inauguratus. *Causa 2.*

Deus gaudet puritate. Et quæ ætas purior, & defæcatior, quàm infantilis? & quibus gaudent superi sacrificiis, quàm purarum mentium? Hoc intellexêre Gentilium optimi.

An non Alexander Severus accepit prætextam cum sacra faceret; & loco summi Pontificis, non Imperatoris? Sic Lampridius in Alexandro: & Quintilianus in declamar. 340. *Ego vobis allego sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo Magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem.* Et quid prætexta? nisi toga puerilis; cujus usus extendebatur usque ad annum decimum septimum. C

Summum ergò sacrificiorum consummaturus Dominus Jesus, voluit & vitâ, & corporis apparatu, & voce, & sensu ingenuus puer videri; qualem & nominat Divus Petrus, in actibus Apostolorum 4. 27. *Convenerunt enim verè in civitate ista adversus puerum Iesum, quem unxisti.*

Clamat ergò instar pueri, voce pueri: *Abba Pater*; & summâ reverentiâ Patrem affatur. *Pater salvifica me ex hac hora.* Cui Pater respondebat: Fili mi, hæc non est hora te salvandi, sed morti tradendi.

Pars inferior respondet: *Pater clarifica nomen tuum.* Respondit Pater: Clarificabitur & nomen tuum; & non tantum meum; nam *in nomine tuo omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Iterat Filius: Pater mi: *Abba Pater*; *si possibile est, transeat à me calix iste.*

Promptitudo Christi D. ad patiendum. Nolo enim pati tanquam verus sim peccator: non enim inventum est in ore meo mendacium; nec mortem meritus: verumtamen si mortem intendis; quia vadem, & fidejussorem me offero; *fiat voluntas tua.* Ecce venio, venio, nullam advocationem do; nihil de hora; nulla in me mora est; non differo ô Abba Pater; non longam

gam moram, imò nec puncti pro advocationem. Peccata aliena in me suscepi; manus meæ, sunt manus Esau, id est peccatorum, sed vox Jacob, Jacob Filii tui unigeniti tibi coæterni.

§. XXIX.

Nova doloris accessio, ex trium amatorum, Inertiâ, torpenteque somno.

POterat Christus Dominus vallatus undique angustiis, aliquid ab intimis amicis solatii sperare; an non amicorum eadem fortuna, casusque? at contrà cecidit. Indormitant sibi, & suo Domino. Sopiuntur, vigilante Imperatore; ante cujus pedes spiritus profundendus. Vide Ducis mansuetudinem: non exurgit in iras. Sed ait: *Simon dormis? sic non potuisti una hora vigilare mecum?* quasi diceret: Vacillat hic qui mortem obtulerat; dormit qui paratus mori, jactâras te leonem, qui somno oppressus, tu ne vigil sacri mei corporis custos? tu Petrus, & inconcussa petra: an non scis naufragas Ecclesias Episcopo non vigilante? Imminet imperiis, regnis, statibus, religioni grandis ruina, si Rectores orbis, & rerumpublicarum, languidâ & inerti manu regant, & quasi somno vincti torpeant. Plato libro nono de legibus, vult justitiam omnium speculatricem, & vindicem. *Est enim*, ut ait Diphilus Comicus, ἐςὶν δίκης ὀφθαλμὸς καὶ τὰ πάνθ' ὁρᾷ, *justitia oculus, & omnia videt.* Cur tam diu Persarum regnum stetit? an quia vigiles Reges, non luxui, non somno, non venationibus dediti?

Vigilantia regum Persarum.

An non quotidie matutinus Regiorum Principum unus aulam intrabat, hisque vocibus Regem excitabat: Exurge ô Rex, & negotia obi, quæ te obire vult Mesoromasdes. Pudeat Reges, & rerum præsides luxu, otio, somnoque enervari; quos Homerus vult esse soles. An non Sol omnia videt, & audit, ut ille docet.

Memineris Senecæ ad Neronem tum bonum, ex quo Cæsar se orbi terrarum dedicavit, se sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper suos cursus explicant, nunquam illi licet subsistere, nec quidquam suum facere. Tu qui regis, ad hoc labora præmium, ut tuis bene sit.

A Petre ergò dormis, in acie, in procinctu hostium? sic cedis somno, cedis dolori, cedis timori? tu veteranus meus miles deficis in primo pulvere, quasi unctus & uiidus? Bene Augustinus in Psalmus 62. *Evigila, excute somnum, dormitando casurus es.*

Non decet principem dormire.

Non vult Psalmus oculis suis dare somnum, nec palpebris dormitationem eum, qui vult inuenire locum Domino. Tu qui cor es Reipublicæ, dormis, & tamen cor vigilat? Quàm splendida promissa famosâ jactatione profusa?

An non vitem laudamus, si fructu palmites onerat? quis huic præferet vitem cui aureæ uvæ, aurea folia dependent?
B Propria virtus est in vite fertilitas: propria viri, probare fidem factis. Christus Dominus à suis recedens, partim somno, & pudore victis, eandem iterat orationem, & iterum descendit in eandem arenam, luctamque, quâ completâ, suos repetens amores, id est, dilectos filios suos.

An non instar ursæ vehementer suos catulos amantis, quam & fames urget, & amor hæredum; properat in silvas prædæ avida, & media in via relegit iter, & suos revisit amores; iterumque avulsa glomerat cursum in opacam silvam, hæretque ambigua, & tandem sese immittit in obvias feras.

Christi D. tener affectus in suos.

C Iterum Christus Dominus à suis avulsus, ad tertiam properat luctam, si bonâ Patris gratiâ posset, mortem eluctari.

§. XXX.

Ad tertiam Christi orationem. Quàm horribilis agonia Christi: quàm horribilis agonia peccatoris. Sudor sanguinis indicium mortis.

D

ORat, & factus in agoniâ prolixiùs orabat, Græcè attentiùs. Cur? an non ut affectum naturalem, & desiderium vitæ, alacritate spiritus Deo Patri libaret? est enim oratio, oranti subsidium, Deo sacrificium, & dæmonibus flagellum.

Quanta autem, & quàm horribilis fuerit agonia instar luctæ mortis; effectus secuti sufficienter ostendunt; factus enim sudor quasi morientis, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Græcè habetur

betur θρόμβοι, id est, grumi, ut vertit Syrus, *vel grossa gutta sanguinis.* Vel ut Irenæus, *globi sanguinis.* Vel ut Arabicus; *Factus est sudor ejus, velut sanguis distillans, descendens in terram.*

Tanta est apprehensio mortis, quę major ipsâ morte solet esse, & gravior. Quod augurium, sudor sanguinis? an augurium mortis instantis? Sic pluvia sanguinis in Civitate Brixiensi ad tres dies protracta; omen morituri Adriani secundi. Sic Platina. Sic pluvia sanguinea unius diei, quæ Tholosæ accidit, terruit Gallias, & Gothorum rapinas, cædes, & horribiles prædixit vastitates. Sic Sigebertus, & Genebrardus.

Pluvia sanguinis triste augurium.

Sic & Genuæ, prodigiosus fons, sanguine insolito purpuratus tempore Joannis duodecimi ominatus fuit adventum Saracenorum; qui mare Africum transgressi, vastitatem Regionibus circumjacentibus intulerunt. Sic Fulgos. libro primo, capite quarto prodig. Si hæc monstra cælo missa, terris intulerunt minacia signa terrorum; cur & non prodigiosus sudor Christi sanguine permistus? An non fuit omen terrificæ mortis Christi? An non Judaicæ gentis divisionem, & calamitosissimam abjectionem; juxta illud Jeremiæ quinquagesimo nono: *Iniquitates vestra diviserunt inter me, & vos?* an non concitatissimum duellum partis inferioris, pro se decertantis? Qualis, quantaque fuerit, pluvia sanguinea, declaravit satis. Cor Christi veluti in torculari positum undique premebatur. Undis timoris, & amoris. Timor, pavorque velut agmine facto in cor proruere; cor sanguinem, in auxilium vocare, cetera membra destiruere. Undique & undique tremor, pavorque.

Cor Christi Domini per repugnantiam excitavit sanguineũ sudorem.

Quis finis luctæ? vicit amor, suppetias inferre regno cordis; ignem, calotemque palpitanti mittere, vires addere, prolatare imperium, acerrimo conflictu concurrere, & vincere. Quanto sudore! quanto sanguine stetit victoria! verè magno stetit; quandoquidem omnibus membris concertatum sit. *Quid mirum si totum corpus maduerit sanguine: & vehementia ex concursu affectuum orationis, ut gutta sanguinis prorumpent ex parte, quem totum erat in Passione fusurus.* Sic Jeronymus hic. Cui & accinit Bernardus tractatu de Passione. *Non solum oculis, sed quasi omnibus membris flevisse videtur Dominus; ut totum corpus, quod est Ecclesia, ejus lacbrymis purgaretur.* Utar verbis Lucani libro nono: *Sanguis, erant lachrymæ, quacumque foramina novit humor, ab his largus manat cruor.*

De punctura serpentis.

Agit Lucanus de serpente Hæmorrhoide, cui à sanguine nomen, cujus punctura adeò formidabilis; ut quisquis etiam minimo vulnere saucius, omni parte corporis sanguinem reddat. Quid mirum si Filius Dei tot peccatorum infinitorum infinitis usque ad mortem sauciatus sagittis, quasi infinitorum serpentium venenatis morsibus peteretur, ad agoniam mortis adactus; omni parte sui pluat sanguinem? Stupendum est, potuisse tantis angustiis, ictibusque esse superstitem? Hinc illæ voces Justiniani libro de agone Christi.

O quàm mirandum certamen! ô quanta pugna in Christo, carnem aspicere regnantem spiritui, & carni spiritum! (Hæc sanè intellige ut suprà notatum est.) Causam reddit Gregorius; *Appropinquante morte, Christus, nostra mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cùm per solutionem carnis æterno appropinquamus judicio.*

Negat Aristoteles posse sudorem terrore vel metu provocari; in historia animalium. Fateamur ita esse: metus enim totum sanguinem ad cor, velut ad tutandum Regem compellit. At hunc sudorem vicit amor debellato timore, qui per omnes corporis venas permeans, sudorem sanguineum elicuit. Fuit ergo Christi cor sicut cera liquescens: fuit sicut vir ebrius, & madidus à vino à facie Domini. Jeronymus 13. Impleta est Prophetia Jacob morituri, de Iudâ filio. *Lavabit in sanguine vua pallium suum;* Genesis quadragesimo nono, & Prophetæ Isaiæ 63. versiculo secundo. *Quare rubrum est vestimentum tuum; & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Utamur bene noto Rythmo: *Cor Christi cùm sentit doloris gladium, cruor carnis rubricat pallium, amor vires vincens amantium, carnis florem facit rosarium.* Siccinè fili tam citò concutis tuum pectus? tam citò incidis venas tuas? Piè Pelicane; siccinè fodis pectus tuum, & aperis fontes sanguinis? cur anticipas tempus? veniet citatis alis hora; cùm utraque manus, & pes uterque clavis immanibus perfodientur. Christus ternâ oratione pluviam hanc; Elias septenâ, morientibus præ siti mortalibus excitavit, tertii Reg. octavo, versiculo vigesimo octavo. Tantæ molis erat redemptio generis humani: si repræsentatio supplicii, & dolorum instantium, tantam adduxit agoniam; ut vix Christus à morte distaret, aliena in se innocentem suscipiens scelera, in quantam adducet infamem peccatorem, scelerum peractorum in agoniâ mortis viva, & acerba memoria? Sudabis aquam, & sanguinem; quando circumdabunt te inimici tui vallo: & inducias unius Diei, vel advocationem horæ gemebundus postulabis denegandç. Clamabis ut ille, de quo Grego-

Sudor metu non provocatur; unde ergo sanguineus in Christo sudor?

Gregorius; qui moriturus clamabat: *Inducias usque manè; inducias usque manè; inducias usque manè.* Et sic clamans exspiravit. Vide Unifredum.

An non tot habebis accusatores, quot scelera? quot voces animarum damnatarum clamabunt contra te, quæ tuis consiliis, exemplisque perierunt? Si sanguis Abel clamabat de terrâ ad Deum; an non sanguis tot innocentium? Isaiæ primo, versiculo decimo quinto. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine.* Ecclesiast. trigesimo quarto. *Homo sanguinis, &c.*

An non clamabit contra te sanguis Christi, quem per scelera conculcasti? an non tua anima redempta sanguine Filii Dei in te insurget, clamabitque, quam polluisti? Canesces præ metu; ut quidam unius noctis spatio ad terrorem mortis incanuerunt. Dabitur tibi & sempiternos ignium, flammarumque undantium cruciatus. Si Parisiis, teste Joanne Maldonato Theologo famoso in captu vigesimum quintum, Matthæi, vir Herculeis viribus, robustusque Athleta ad sententiam infamis patibuli sanguinem sudârit; an tu non sudabis justius ad decretum damnationis æternæ? Christus innocens, terretur Patris, & mortis aspectu; qui fidejussor, & intercessor alieni sceleris: & tu non terreberis æterni Judicis supremo rigore? Carolus Dominicus Carettus Cardinalis, & Archiepiscopus Avignionensis; Judicii futuri ut memores cogitationes secum ferret; ingens incendium quo universitas videbatur conflagrare, ingenti curavit artificio depingi cum hâc inscriptione: *Terreor aspectu Domini. Neque enim* (ut ait Gregorius libro decimo quarto moral. capite septimo, *) tunc cujuslibet anima immeritò terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in æternum mutari non possit.* Non parum admirationis adfert sudor sanguinis, ut vitam non sustulerit. Aristoteles, libro tertio animalium, capite vigesimo nono docet, *Si multum sanguinis effluat; anima,* inquit, *deficit.* Sic nimirum vitâ interit, si sanguis immodicè humescit. Crediderim ergo Christum Dominum lachrymas sanguineas fudisse, qui toto corpore purpureus terram madidabat; intumuerant enim venæ totius corporis, quod ad æquale pondus factum; vehementia luctæ terrificæ, & pavore circumstantium malorum; ut rarefactæ viam sanguini darent.

Vita interitus sudor sanguinis.

Si enim quædam mulier, teste Cajetano in Lucæ caput duodecimũ impatiens mortis sui mariti; ubi omnes lachrymas præ luctu advocatas exsiccarat, sanguineas extorserit dolor oculis; An non peccatorum pondere oppressus Dei Filius, tanquam uva in torculari, vinum profundit sui cruoris? *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* Isa. 35. Portavit deficiens sub onere, & qua non erat ferendo; procidit super faciem suam in terra, sanguinem exsudans: *Posuerat enim Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.*

A

Docet Euthymius, Theophilactus, verè & propriè sudasse sanguinem, *quare & non quasi* hic non similitudinem, sed veritatem denotat. Ita Hilarius, Hieronymus, Augustinus & passim alii; unde Æthiopicus clarè vertit: *Et factus est sudor ejus, sicut sudor sanguinis defluens in terram.* Consentit & Persicus. Hinc Sanctus Athanasius libro sexto, ad Theophilactum, qui est de beatitudine Filii Dei. *Anathema dicit eis qui Christum negant sudasse verum sanguinem.*

B

Docet etiam Aristoteles libro quinto, de historiarum animalium capite decimo nono, *hominem naturaliter posse sudare sanguinem*; in eo præsertim qui est delicato poroso, & caro corpore.

Ex angore ergo, qui extenuat sanguinem, & poros aperit, vim infertur & datur porta extenuato sanguini mixto tamen sudori, ita ut purus sanguis non fuerit. Ita Suares tertiâ parte, quæstione quadragesimâ sextâ, articulo octavo, disputatione trigesimâ quartâ, sectione 4. *Ecce cernis summum gigantem ex agonia sanguine sudorifero perplutum.*

C

Attamen cùm esset summæ fortitudinis, & erectissimæ mentis gigas, non tam ex tristitia, & angore; quàm exactu fortitudinis & audaciæ, & efficaci voluntate, generosè mortem ac dolores omnes quo vivacissimè, imaginationi ejus repræsentatos, amplectebatur. Et naturalem mortis horrorem, & ingruentem dolorum exercitum superabat. Quare & hæc Christi agonia partim proveniebat ex vehementia resistentiæ; & orationis, ut innuit hîc Lucas.

Hinc Heros summus, summus luctator: in agonia heroïcè domuit naturalem horrorem, qui à natura ipsa separari non potest, absque naturæ detrimento. Qualis autem lucta fuerit superanda, audi Bernardum serm. 3. in Dominica Psal. Amor quippe, velut ignis è rosis aquas, sic sanguinem & sudorem distillabat.

D

Quantæ potentiæ apud Deum Patrem hæ sanguineæ lacrymæ? si sanguis Abel clamores mittebat in cælum, an non fortior clamor sanguinis Christi? Vocalis enim Christi Sanguis, teste Irenæo libro quinto, capite primo, clamor diversus. Abelis vindictam, Christi misericordiam clamat.

Christe Jesu sudas sanguinem? Laurus non emitur, nisi sanguine rigetur.

Palma æternæ vitæ non crescit, nisi pluvia sanguinis.

Me doces; ut redonem meum sanguinem sanguini tuo; & te sequar meo purpureus, te inquam purpuratum sanguine tuo. Tua opima spolia me excitant rubricatâ murice, & ostro Regio. Quàm exinanitus Dei Filius ut uva in torculari.

§. XXXI.

De Angelo apparente.

Lucæ 22. Apparuit ei Angelus de cælo confortans eum.

QUomodo poterit majorem omnibus Angelis Christum Angelus confortare? Ille qui fuit novissimus virorum; ut Patris compleret voluntatem; voluit & subjici Angelorum formationibus. Hoc docet Dionysius capite quarto, cælestis Hierarchiæ: *Iesus super cælestium substantiarum, supersubstantialis substantia, ad nostram immutabiliter veniens, obedientèr subjicitur Patris Dei per Angelos formationibus: Minuisti eum paulò minus ab Angelis,* Psalm. octavo, qui præ illis nomen differentius sublimius adhæreditavit; *cui enim Angelorum dixit aliquando* Pater: *Filius meus es tu?* ad Hebræos 1. Major ergo cùm Angelis esset, nec solatio, nec confirmatione egebat Angeli qui Angelis dat fortitudinem, & firmam perseverantiam: voluit tamen in omnibus implere Dei voluntatem; & minimus esse, qui maximus.

§. XXXII.

Quis hic Angelus. Solatia Angeli. Tum & auctoris vis orationis.

ORigenes, Ambrosius in Lucam, & Gabriel Vasquez, 1. prox. tomo primo disputatione 144. ajunt fuisse Gabrielem: cui nomen à fortitudine, quâ nunc opus erat, quasi Giberel vir Dei; vel Gebura, id est, fortitudo Dei.

Decebat eundem esse legatum crucis decretæ, qui fuerat incarnationis; fortissimi scilicet operis Dei. Alii putant fuisse Michaëlem Angelorum omnium summum Principem; ut summo omnis creaturæ Principi serviret.

A

Adiit ergò Christum suum Dominum prostratum in terra, in media agonia luctantem, & summa cum reverentia solatia dedit. At quæ, & quomodo? externâ scilicet voce; specie visibili, & humanâ: non enim poterat illuminare Christi intellectum plenum omni scientiâ à primo conceptionis puncto. *Solatia Christo D. data ab Angelo.*

Ita Divus Thomas tertiâ propositione, quæstione duodecimâ, articulo quarto, quæ dederit. Audiamus Patres. Epiphanius hæresi 69. docet Angelum egisse partes paranymphi; & Christi laudes, & facinora extulisse dicendo: *Tua est adoratio: tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo.* Theophilactus hæc verba tribuit Legato cælesti. *Domine fortitudo, tu enim prævaluisti contra mortem, & contra infernum, & liberasti genus humanum.* Anselmus hunc cælestem præconem inducit sic loquentem Laconicè: *Constans esto Domine, modò genus humanum debes redimere.* Alii alia verba summo Principe digna tribuunt. Ego vermiculus, dulcissime Jesu, à longè instar turturis gementis, aggemo tuis genitibus. *Solatiū ab auctore humillimo Christo D. oblatum.*

B

Dulcissime Jesu cùm sis fortissimus; gloriosior erit triumphus patiendo, quàm puniendo suppliciis: innotescat ergo robur tuum, non terroribus pœnarum, sed clementiâ adversus eos, qui te persequuntur: volens enim Pater tuus notam facere suam potentiam; sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum. Hoc sit trophæum magnanimæ potentiæ tuæ, quam plurimos servasse: Pax hæc una quam dedicas cælo terræque, innumeris est melior triumphis. Morte tuâ dabis vitam omnibus, mortem conficies tua, in vitæ tuæ gloriosissimam restitutionem.

C

Vitam projicis tuam nulli rei comparabilem; at brevis erit jactura vitæ, præmium victoriæ, æquabit pretium, placuisse Deo Patri, fuerit coronis omnium votorum. Noli dulcissime Jesu torqueri, tanquam de re magnâ deliberes, quamvis maxima sit. Non est res magna, ad triduum non vivere. Gloriosissimum, unum hominem pro tota universitate mori; maximum, honeste mori, prudenter, & fortiter pro Dei causâ. Mori velle, non tantum prudens, & fortis, aut miser, sed etiam fastidiosus potest, sed velle mori, cùm possis non mori, & nolle vivere, cùm possis beatè semper vivere, hoc erit proprium tuæ Majestatis, & summum operum. In hoc punctum dulcissime Jesu projectus es, ut tempus tuum, non sit tuum, sed alienum: quod ut extendas rogo. At quo usque *Nullus triumphus major quā velle mori cum possis vivere.*

D

usque entendes? quid fles? quid optas? rata & fixa sunt Patris decreta, & æternâ necessitate duceris quam sponte delegisti, & ad hanc legem natus, nullâ ope mutabilem. Quare si mortem refugis; nos æternâ morte damnatos, quibus oculis spectabis? spectabis beatos; si nos teipso redemeris.

Pars inferior in Christo est à seipsa victa.

Hæc vel majora nostris conatibus protulit forsan Angelus: pars ergo inferior securn bellans, victa à seipsâ dedit palmam amori victori, & Christus surrexit ab oratione. Nota potentiam orationis. Inflexus Pater, ut mitteret suo nomine supremum Angelorum; ut spe solatiorum futurorum tristitiam temperaret, ut brevitatem laborum, sui beneplaciti dulcedine tolerarer, & denique æternam necessitatem, quam sibi ultrò imposuisset, subiret. Nunc intellige robur orationis ex Chrysostomo de agone Christi.

Orationis vis.

Quantum oratio conferat; ecce, ut paventem & agonizantem Dominum, illum exhortatione reddiderit, intrepidum: surgit ergò à terra non indecoro pulvere sordidus; & jam speciosior victore sparsoque sanguine, & omni periculo augustior Dux suorum factus. *Surgite*, inquit discipulis, eamus, eamus ad mortem quam voluntariè exhorrui; ad mortem quam intrepidus, & ultrò nunc cum voluptate cōplector, accersoq; &c. Ecce ut manum protenderit in hoc certamine natura, & vi orationis manum dederit.

Christi D. in parte inferiori fortitudo.

An non in confesso est; *quod luctator ter abjectus perdidit palmam*? ut Seneca docet lib. 5. de benefic. cap. 3. ter conata est natura se tueri; & in pulvere, & arenâ luctatrix exsurrexit in metum mortis; & ter victa orationis armis, & ecce palmam perdidit, & dixit: *Fiat voluntas tua.* Ecce ut noster gigas, orbis pondere pressus, prostratusque non succubuerit; nunquam renuntiârit certamini; ad ultimum usque momentum vitæ stat paratus, ut in sua statione moriatur. Tu in angustiis, laboribusque ne despondeas animum: cave, ne vocè fateris te posse vinci: etsi cum invulnerabili committaris hoste. Victor Sampson siti vincebatur, inviolabilis armis, naturæ armis victus, jam dabat arma: at orat, cælum propitium; suscitat aquas ex dente molari jacentis asini Judic. 15. vers. 15. victrix oratio victorem servavit. Tu qui es candidatus, gloriæ & immortalitatis; non ad carnalem, caducamque recurre consolationem; sed ad Angelicam; sed ad spiritualem, sed ad Cælestem. Per orationem Elias nescit mortem; terras reliquit; terrenus hospes supernas possidet mansiones. Tutum, & jucundum est iter orationis, ad quod te Deus instruxit. Deus ille Maximus, atque potentissimus per orationem vehit nos; ut

Oratio est currus igneus.

Elias curru igneo, & igneis equis avectus. Deus auriga; Deus ipse currus, quo machina, ut ita dicam, machina mundi vehitur, ac sustentatur. Hic Deus cùm sit tantus, nôn alio pretio, quam orationis pretio emi potest. *Petite, & dabitur vobis.* subsilire in cælum, ex carcere, ex angulo potes; ubique habes spectatorem, & auditorem Deum.

§. XXXIII.

Christi Domini comprehensio Duce Apostolo, amico proditore. Prostratio nebulonum.

CHristus, qui se jam probavit verum hominem; nunc probabit se Deum, scientiâ scilicet rerum futurarum, & victoriâ hostium prostratorum. Ecce tibi Judam (quis credet?) sancti ordinis, & sacri collegii senatorem, miraculorum patratorem, veræ fidei aliquando, & Christi defensorem; factum proditorem, & Ducem conjuratæ factionis in Christum Dominum. Quid non agit auri sacra fames? diu latuit; quia imbecilla fuit: nunc audet petere caput Domini sui, cum vires sibi placuêre: hactenus instrumenta nequitiæ explicandæ proditori defuêre; nunc favore fortunæ, tradit Deum hostibus. Quid agis? quod maximi pretii; pro quo nullum datur. Hactenus ô pestifer serpens, non defuerunt tibi venena; sed occasio rei benè gerendæ. Quam bene Chrysostomus homil. 28. in epist. ad Rom. *Voluntarius dæmon, est peccatum, spontaneáque insania.* An non possessus ab avaritia; possidebatur à dæmone. Avaritia impellebat, ut insidiantem dæmonem complecteretur: Christum benefacientem proderet, & fie alter diabolus, voluntate factus. *Fuit ergò sibi* (ut ait Leo serm. 7. de passione) *materia ruina, & causa perfidia, sequens diabolum ducem, & nolens Christum habere Rectorem.* Venit ergò nundinator; & proditor sanguinis innocentis, vigilantior discipulis aliis torpentibus: venit ut armatus furore leo, in agnum mansuetum; & conjuratæ manus, dux factus, agmen ducit. Christus ergo præscius, fiduciâ, & fortitudine sui plenus, interritâ mente Dux sui chori offert se pefidis, & percunctatur, quem quærerent: *Quem quæritis?* inquit. Responderunt illi: *Iesum Nazarenum.* Et dicit eis: *Ego sum.* Ad quæ verba, qui antè stabant, *abjerunt retrorsum*, cum Principe proditore. Ecce duo miracula patientiæ Divinæ.

Vis & potestia avaritia.

Primum, quærunt quem noverant; A oculi enim per ἀορασίαν detinebantur. Imò nec Judas, quamvis antè osculum Christo porrexisset, partim pavore, partim Christi potentiâ tanquam Christi indignus societate, desierat nosse.

Alterum, fuit prostratio in terram: ecce ut jaceant supinati omnes, quàm exarmati furore, & trepidi suo casu? *Vides*, inquit Chrysostomus, *vocem insuperabilem; quomodo in medio eorum existens, eos excæcavit*. Et Cyrillus: *Divina potestas Christi enituit; qui quamvis se quærentibus offerret, minimè tamen cognoscebatur*. Vide ut jaceant tanquam paralytici.

Audi Leonem sermone de passione. *Ego sum*. Quod verbum illam manum B ex ferocissimis congregatam nebulonibus, quasi quodam fulmineo ictu stravit, ac perculit, ut omnes illi atroces minaces, atque terribiles retroacti corruerent. Ubi fuit sævitiæ conspiratio? Ubi ardor irarum? ubi instructus, & apparatus armorum?

Dominus dicit. *Ego sum*: & advocem ejus prosternitur turba impiorum. Quid non poterit Majestas judicatura; cujus hoc potuit humilitas judicanda? Quàm terribilis vox irati; si tam formidabilis misericordis. Dedit voci suæ vocem virtutis; vox Domini confringentis cedros, vox Domini concutientis desertum: vox Domini intercidentis flammam ignis. Psalmo 28. C

§. XXXIV.

De osculo Iudæ: Iuda osculo Filium hominis tradis? Omnes obnoxii proditoribus.

CHristus me docet, nullum esse qui prodi non possit. An non Darius, D & Darii victor Alexander?

An non Pompejus, & Pompeji Domitor Cæsar. Ille in Ægypto à semiviro Achyllâ, ad litus maris; & hic in senatu, & quidem à Filio Bruto, ad quem vox confessi Καὶ σὺ τέκνον?

An non David à suo Consiliario Achitophel, Amaza, à Joab?

An non Adam à sua Eva proditus interiit; & conjux fatali pomo, conjugem in ruinam secum præceps præcipitem traxit?

An non ipse Deus à suo amico amato, fatali osculo proditus?

Non caruit Rex cælestis, Regum peste terrestrium. *Prò dolor! instrumento pacis* (Ambrosius ait in decimum sextum Matthæi) *morte m irrogat; servus Dominum; magistrum discipulus sic prodit: quasi per instrumentum pacis, perdimus ipsam pacem. De osculo proditor machinatur ipsam proditionem.*

Quis non irascatur videns fratres insidiantes fratribus, fidem non servantes osculo, quod infigunt Sacramentis Dei? Improbi Judæ sectatores politici amici; quorum facta dictis dissonant. Sint tua dicta, factaque unâ formâ percussa. Fac tibi sis par ubique. Ubertimum alimentum veræ virtutis, est honor amicitiæ: pudeat vos violare fidem, sanctissimum humani pectoris bonum. *Natura politici.*

Contrà dicas: Ure, cæde, occide; non violabo fidem. Et quò magis dolor dissolvere nitatur, hoc altius illam condam.

Bene Seneca Epistolâ 115. *Ad mercedem pii estis, ad mercedem impii: honesta, quamdiu spes aliqua illis inest, sequimini; in contrarium transituri, si plus scelera promittant*. Exodi decimo. Adeò horribiles erant tenebræ in Ægypto tribus diebus; vt nemo fratrem suum vidit; nec movit se loco in quo erat. Hæ tenebræ sunt in animis, & pectore politicorum. Animus præoccupatus cupiditate; victus spe commodorum, aut flammis ustus ambitionis; non videt fratrem suum; non proximum cognoscit; non religionis, non justitiæ pensat integritatem: eò tantum intentus, ut floreat, bene sit illi, votis potiatur suis. Hoc venenum cupiditatis infusum politicis, altiùs sedit, crescitque semper. *Mancipia temporis politici.*

Memini Augustini qui in Psalm. 99. in fine scribit *omnem professionem in Ecclesiâ habere ficto*. Ita est Augustin. quotusquisque enim non terit oculis manus eorum, quorum suffragiis provehi se posse confidunt; verùm designati, & rerum jam potentes, contingendam manum sunt negaturi.

Christum ergo Dominum triginta denariis venditum (qui faciunt summam ex Budæi sententiâ trium aureorum Francicorum) osculo sic tradit; ut emptores possessionem invadant. Quasi dixisset. *Hoc mancipium, & hunc hominem*. Ex Caio: leg. 1. instit. *ex jure Quiritum vestrum esse aio. Isq; vobis emptus are hoc.*

§. XXXV.

Nunc circumspice humiliationem infinitæ Majestatis.

DEus æstimatur pretio mancipii, Exodi vigesimo primo, ubi statuitur jactura servi; vel ancillæ triginta siclis, ejusdem valoris cum denariis. Tanti erat vita mancipii. Tanti & æstimatà vita Magni Dei.

Hanc etiam summam Ptolemæus Philadelphus, teste Josepho libro duodecimo, antiquitatum, in redemptionem cujuslibet Judæi capitatim pependit.

Et tu scelerate Juda, caput omnium malorum; caput omnium bonorum pendis triginta denariis.

Tu indignaris profusum in caput Christi à muliere unguentum quod æstimas trecentis siclis; & non indignaris tibi, à te vendi infinitum Deum triginta denariis? Bene Paulinus: Suo ipsius damnandus judicio, qui triginta argenteis vendidit eum, quem mulier, ut ipse taxaverat, unxit trecentis.

Peccator Judas ambitior ille vento, Judas auro.

Sic tu proditor Christi; & sic & tu proditor insane, tui ipsius præfers unguentum, auctori unguenti; auctori Deo, creaturam? An non hoc facinus insanæ mentis? Et tu Christiane, non tremis; cùm minimum voluptatis bonum infinito præponis bono? cùm creaturam vanam, fluxamque, & unius momenti pretium ambitiosè præ Deo Magno complecteris, non toto corpore perhorrescis? Sic tu nundinator venti, pascis te vento; juxta illud Osee duodecimo, versiculo primo: *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum; tota die mendacium & vastitatem multiplicat*, & omnia profundimus ut inania, & ludicra negotiando teneamus, mortis imperio deserenda. Excute te ab istis blandimentis, quæ dum complectuntur, suffocant.

Potes, si vis, esse candidatus felicis æternitatis; at tota mundi, & dæmonis comitia transi: tecum sic loquere: Unum Deum ambio, nihil mihi tecum, fortuna, nihil mihi tecum, ô fallax creatura! non facio mei, tibi copiam.

Movet creatura impetum animi, at petitur, petentium malo; quàm multis, vana, & aliquando pestifera futura, ut consequantur; per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam fastidienda.

A Omnium mortalium felicitas bracteata est; nimium laudavi, nemo scit quantum mali lateat sub ista tenui membrana dignitatis; ventosam ergò vocârim.

Omnes Monarchias ventos si vocârim, quis me arguet? Zachariæ sexto: *Isti quatuor venti cœli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore terræ.*

Quidquid in regnis splendet; quidquid allicit facie; quidquid invitat; subrepit & solicitat, maxima pars mortalium miratur; & quàm multa blanda in perniciem tendunt: quàm cara est omnis nundinatio superbiæ, avaritiæ, & blandæ voluptatis.

Licet, & lubet exclamare cum Agamemnone: Immolat filiam primam Iphi- B geniam, felicis navigationis causâ; *Ventos sanguine emimus.*

Filii hujus sæculi pueris similes.

Verè filii hujus mundi, pueris similes sunt; qui (ut ait Seneca) contemnenda mirantur, quibus omne ludicrum in pretio est; parentibus quippè, nec minus fratribus præferunt, parvo empta monilia; quid ergo inter vos, & illos interest, ut Aristoteles ait, nisi, quia nos circa tabulas, & statuas insanimus cariùs emptas.

Quàm multos habet Judas infelix fratres, consanguineos, aut imitatores; imò & insipientiores! Hic aurò vendidit Christum; maxima pars orbis falsis luditur imaginibus, & falsis somni figuris, vendit dæmoni suas animas.

C Esto nullum sit sine auctoramento malum; quodlibet polliceatur montes aureos; avaritia pecuniam, luxurias multas, ac varias voluptates: ambitio purpuram, & plausum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia potest.

Esto, te mercede solicitent vitia: at quâ mercede? nonnè mercede sonantis venti? Et quid invenerunt viri divitiarum in manibus suis? An non transierunt cum sonitu? Pudeat Christianos, qui hodie Majestatem animæ faciunt quæstuariam, & nomen Christi quæstuosum. Quid insanitis mortales cum Judâ? cur tantum tributum penditis dæmoni, ventorum venditori? An nescitis ostentari bona tantùm, & non dari? Hæ sunt D artes subdoli tyranni, ut exigat vectigal impositum ventis: quale olim, teste Cedreno, impius Michaël Paphlagon Imperator Orientis à liberiore aëre.

Aëris venditor Imperator.

Promptissimus hic existens ad malitiam quamcumque; omnem adinvenit viam injustitiæ: addens ad hæc tributa; dare unumquodque prædiorum, pro aëre, juxta qualitatem, & vim ipsius.

Sic vendit dæmon ambitiosis ventos honorum: Principes trahit in duellum, & lectum honoris, sub specie & vento dignita-

dignitatis: viros togatos, & sacros Deo; partim quæstu, partim culmine gloriæ regnantis.

Væ Judæ qui Christum vendidit osculo: & tibi væ qui animam: væ tradentibus Christum ad crucifigendum: væ cum maligna conscientia, sub Sacramento sumentibus illum? & quamvis non tradant Judæis ad crucifigendum, tamen tradunt ipsum membris inimicis sumendum.

Intrat dæmon non ut alienum tentet, sed ut proprium possideat.

§. XXXVI.

Amice ad quid venisti? Magnanimitas Christi Domini, ut juratum hostem vocet amicum.

OBstupesce hîc magnanimam Christi Principis pietatem. Fœderis sacri violatorem; proditorem, & homicidam suum vocat amicum. O insuperabilem Christi, & nullâ malitiâ domabilem bonitatem! ô dulcissime Jesu! si amicum vocas inimicum; quales erunt apud te tibi amici? Juda; Judam te præsta, ex nobili illâ familiâ, & nomine cùm sis natus, osculo Filium hominis; filium scilicet ter sanctissimæ Virgunculæ tradis? Ad quid venisti: Augustinus sermone vigesimo octavo ad fratres: *Nunquid Christus sæpè à morte liberavit? nunquid amore tui patrem à lepra liberavit? nunquid & matrem à paralysi? nunquid discipulum & quæstorem? nunquid in furto invenit, & pepercit? nunquid post Petrum honoravit, & secum adesse voluit? nunquid Filius Dei ad genua tua advolutus, pedes lavit? nunquid & ad osculum admisit?* Bene Chrysostomus homil. 84. in Matth. *Omnipotentia, humilitatis, lenitatisq; Domini, tot tantaq; habens argumenta Iudas; omnem feram beluam crudelitate superavit.* Avaritia illi furorem induit; avaritia omnes qui ei serviunt, crudeles efficit, atque atroces.

An non fremis Lector ad proditoris malitiam; qui vitam Christi Dei ludum æstimavit puerilem, & ejus proditionem, nundinationem quæstuosam? Tanti tamen Deus facit peccatorem hostem, ut vocet amicum. Omnibus peccatoribus vox ista insonat: *Amice ad quid venisti?* Qualis insonuit auribus Adami fœdifragi; *Adam Adam ubi es?* sanctum, & simplicem te creavi; & tu, te qualem tuo scelere fecisti? ubi es? quàm dissimilis tibi? quàm dissimilis mihi, ad imaginem, & similitudinem qui factus eras? *O peccator qualiter*, ait Chrysologus sermone 148. *sic honoratus à Deo, teipsum taliter inhonoras? quare tibi tam vilis, qui tam pretiosus es Deo?* Dic Juda? ad quid venisti? an ut prodas? quid scio? cur das osculum? sin verò ut amicus oscularis, cur prodis inimicis? Bene Augustinus sermone primo de passion. *Oscularis, & insidiaris; amicum fingis, cùm sis proditor.*

Ad quid venisti? an ut mundi Dominum proponeres venalem, & sperares incrementa substantiæ tuæ peccato tuo? Falleris Juda, & tu peccator cum Juda: peccata non habent substantiam, ait Augustinus in Psalm. 121. *Inopiam habent, non substantiam.* *Peccatum non habet substantiam.*

Ecce peccasti, & lucrum fecisti; quid verò perdidisti? quid acquisivisti? Quod acquisivisti, aurum vocatur, quod perdidisti, fides vocatur, & anima tua.

Compara fidem, & animam, si venalis esset, fides in nundinis: & anima tua haberetnè pretium? lucra tua cogitas, & damna non cogitas? Aurum fecit Deus, & te supra aurum: aurum fecit ad subsidium tuum, & te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, & calca quod infra te est.

Ad quid venisti in hunc mundum Christiane? an non ut Deo servires, qui propter te factus est servus?

Ad quid venisti? An ut osculo amoris rerum fluxarum animam tuam proderes? Urge hîc auditorem, & insta: contra Ecclesiasticos: Ut quid venisti ad templi sacras aras, ut sacras aras execrabili funestares peculatu?

Ad quid venisti ad Ecclesiam, ut Ecclesiæ Majestas esset negotiatrix rerum pestiferarum, & lucro pecuniæ damnum animæ emeres? Onerantur beneficia beneficiis, & prostat venalis Majestas Ecclesiæ, & prô dolor! si bonis Christi ad mercaturam suarum voluptatum abutuntur, ij qui in Christi portionem transierunt. O Christiane, fuge procacium vitiorum Reginam avaritiam, cui cuncta vitia detestabili devotione famulantur. Non potest esse solitaria, agmen trahit blandissimum ambitus, & voluptatis. *Nundinatio Ecclesiasticorũ.*

An ignoras Ecclesiam esse portum, & Christi regnum, & tu in illo audes Christum prodere?

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Osculo dato, & amicissimâ Christi percunctatione ad quid venisset; redit proditor ad suos, ut dictum est suprà.

ET Jesus prodiit obviàm, & interrogavit eos: *Quem quæritis?* Quâ interrogatione, ut dictum est; ceciderunt retrorsum, nec casu, nec voce facti meliores; imò serpentibus deteriores, quibus, ut ait Seneca, fulmine ictis, in illis venenum consumitur; sic & gladius in vagina liquescit; & fœtus in utero matris, matre incolumi exstinguitur: & hi permissâ facultate surgendi, & fulmine vocis Divinæ prostrati ardentiore insaniâ ferociores insurrexerunt, venenis suis turgidiores.

§. XXXVIII.

Ad mores.

HÆc impia turba voce Dei quasi fulmine prosternitur; quàm paucorum malitia, verbis Christi per ora sacrorum Præconum prosternitur? quàm pauci meliores evadunt? Clamatur jam ad imitationem Stephani: *Video cælos apertos*; & instar aspidis improbi obturant aures suas.

Clamatur, æternum urget; & quid æterni boni pollicitatione vilius? Emittit Deus vocem virtutis suæ; & quis est qui voce virtutis Divinæ commovetur? Vocat Deus; & instar Samuelis, ad Heli vocem curritur; immittit dæmon susurros suæ illecebræ, & iis creditur: complectitur, ut strangulet; dum blandâ falsitate mentitur veritatem, & tamen creditur; *Nequaquam*, inquit, *moriemini.* Vitam promittit, & inspirat mortem.

§. XXXIX.

De fugâ Apostolorum. Amicitia probatur adversis. Dolor Christo ob fugam.

AN non amicitia periculis, & damnis probatur? An non hîc periculum & metus instantis mortis; perculit

A fidem? perculit & constantem amicitiam? uno momento collapsa virtus discipulorum succubuit. Fugêre Filii deserto Patre; fugêre & milites prodito Imperatore; abjecêre arma, qui in verba Ducis juraverant, & juràrant se morituros.

Quò itis? quò receditis? quò discedit is? quò fugitis exultante proditore; si fugitis, deficietis. Discite ferre vos ferei Domini amati calamitatem: si amicorum bona communia, cur non mala? detrahitur amicitiæ Majestati, si non sit ad omnes casus parata.

Benè est ô discipuli: veniet tempus quando moriemini pro Crucifixo mor-B tuo, qui fugitis à vivo. In fugam impulit ingens tonitru pavoris; ad mortem adiget ingens ardor amoris. O Christiane, acerbior est Christo tua fuga per peccatum; quàm discipulorum per metum.

Tu recedis à Deo, non corpore, sed animo; studiis & affectibus discerneris interfuso luxuriæ æstu, quasi oceani divortiis divideris. O Christiane! an non tum fugis deserto Christo; dum Deo dissimilis moribus, & vitâ, malis moribus receditur, sicut bonis appropinquatur?

C Apostoli pedibus fugerunt, tu affectibus fugis, qui sunt pedes animi. Voluntate, disjungimur à Deo, non regione. Quare ô Christiane, nunc exere vires; fortiter dimica pro Christo; nunc in prælio concerta, ne patiaris te ab illo separari: desponde tibi Christi fortunam; sive vivus, sive moriens, perseverandum est, & assiduo studio robur addendum; ne patiaris impetum animi tui delabi, & refrigescere: hoc unum statuendum, cum Christo Domino vinciri, flagellari, & in cruce mori.

At quota pars Christianorum rebus inclinatis, adversisque, relicto Christo, non fugit, non meliores discipulis, qui eo relicto fugerunt? Qualis cùm turbidus Auster, *Fuga discipulorũ naufragii instar.*

D

Fractâque veliferi sonuerunt pondera mali;
Desilit in fluctus desertâ puppe magister.

Naufragium sibi quisque facit. Quisque suis consulit rebus. Ubi est fides toties data? incolumi Rege servastis, & incolumi fortunâ; nunc non amisso, sed capto solum rupistis fidem; cur non arma expeditis? cur non projectu laterum pugnatis pro Domino? pro suo Domino, servis, & pro Patre, Filiis gloriosum, & dulce mori. Magni viri est, *Apostolorũ fœda fuga testis vilis amicitiæ.*

sub jugum mittere calamitates, & terrores mortalium. Christus Dominus, vester Dominus, & Pater non inhorruit præmeditatas ab hostibus pœnas: date tanquam servi, & filii documenta fidei; cur vos non devovetis animas vestras saluti Patris? Vulnera, & cicatrices sunt cæli decora, & virtutis exantlatæ. Ubi sunt voces; *Eamus, & moriamur cum illo?* At tota vestra virtus in fuga est.

Pudet homines vinci ab animalibus fidelitate.

An non canes suis Dominis fidelissimi?

An non illis tenaciter, & obstinatè adhærent?

An non pro illis concertando commoriuntur?

Canum insignis fides & fidelitas.

An non canis Lyzimachi Regis, cui nomen Hircanus, & comes laborum, periculorumque suo Domino fuit? fuit & comes mortis, qui vitæ; is enim ubi cadaver Domini pyræ imponi sensit, magno ejulatu edito, in flammas avidus societatis sese conjecit; & morte suâ Domino parentavit. Sic Plinius libro octavo, capite quadragesimo. Infideles mortales contundit vos Titii Sabini Romani canis, qui à jugulati Domini latere avelli nunquam potuit, & mœstos ejulatus magnâ admirantis populi coronâ edebat. Cibum objectum ad os Domini deferebat; abblandiens mortuo, ut vivo.

Nec finis fidei hic fuit; cadaver projectum in Tiberim; seque projecto comitatur, natando sequitur, & adnatans corpus Domini sustinere conabatur. Ita ex Plinio Patritius libro tertio, capite sexto de regno.

Servi fidelitas in Dominum.

Si servi nomen vultis vobis dari? an non magnificum; tanti Domini servum esse?

An non Fulgor, & Majestas Domini, auget magnitudinem nobilis servitutis? Si servi ergo estis; an non servi, & milites dimicant pro Domino, & mortem orant? Anno Urbis conditæ 710. quærebatur Urbinus Panopion proscriptus ad mortem. Id ubi rescivit servus admirabilis fidei, commutatâ cum eo veste, permutato & annulo, illum postico clàm emisit, in cubiculum, in lectum sese recepit; & ut Panopionem se passus occidi.

Brevis narratio facti; ingens materia laudationis: nec quàm citò dicitur, tam ex facili perpetratur.

Gratus Dominus monimentum pietatis, grato titulo struxit.

Si amici estis, ut Christus vos amicos vocavit: *Vos amici mei estis.*

An non plurimi amici, mortis suę interventu vitam suis servârunt?

A An non validum, ac potens amicitiæ vinculum, nec sanguinis viribus inferius?

An non sinceræ fidei amici in adversis dilucidè cognoscuntur? Cos amicitiæ, titubans fortuna.

Suspectus semper felicitatis cultus, qui pręsidii, vel solatii causâ conquiritur. Veri ergo amici non tam læta, quàm dura sequuntur; duris probat fidei datæ constantes amores fortuna.

Volumnii stupenda constantia erga amicum Lucullum.

Admirabile opus patratum foret, si Romani Volumnii constantem erga amicum charitatem exhibuissetis. Hic ubi Marcum Lucullum amicum, quia partes Bruti secutus, & à Marco Antonio proscriptus, interemptusque, nullâ ratione
B nec mortuum, quem vivum ardentissimè coluerat, deseruit.

In summa fugiendi licentia, non fugit, exanimi corpori adhæsit, & ejulatu lachrymisque causam sibi mortis accersivit. Lamentatio publica irritavit Antonium, cujus postquam in conspectu stetit: *Iube*, inquit, *Imperator, me ad corpus amici perductum occidi: neque enim illo absumpto superesse debeo, cùm ei infelicis militia auctor exstiterim.*

An non vitam suam crimine consilii astrinxit, & vitam oppigneravit suam? Ductus ergo quò voluerat, dextram Luculli osculatus, caput quod abscissum jace-
C bat, sublevatum pectori admovit suo; deinde demissam cervicem victoris gladio præbuit. Cernite mistum cruorem amicorum, & vulneribus innexa vulnera, & mortem morti inhærentem.

Insignis amicitiæ rossfera.

Hæc forma veræ amicitiæ, hic est character veræ constantiæ. Ex piscatoribus delecti, in amicitiam Magni Dei transiistis, & hanc rependitis fugam, tantæ gratiæ? Verè dixit, nihil carius æstimari, quàm cùm beneficium petitur; nihil ferè vilius, cùm acceptum. O pudor! esse gratum, videtur esse portentum.

Tu Christiane; cum sis amicus Dei per gratiam, an est amici, levibus curis, illece-
D brisque capi, & violare amicitiam?

Scipionis Africani fides pietasque in patrem.

An non immortalis memoria Scipionis Africani, qui vix pueriles annos egressus, armavit se in hostes victores, ut Patri Scipioni Consuli jam saucio apud Ticinum fluvium subveniret? non terruit illum infirmitas ætatis, non militiæ tyrocinium, non exitus infelicis prælii, etiam veterano metuendus. Omnia vicit pietas.

An non duplici coronâ digna, de servato scilicet Imperatore, & Patre ex ipsa morte rapto. Eratis nacti opportunam occasionem, gloriosissimè vivendi, aut moriendi. Mirâ celeritate poteratis intercessu vestro servare Patrem, & depellere accensam odiis tempestatem: at pietatem obruit,

obruit, turbo periculorum: verùm felicibus lachrymis, & ejulatu redimeris hanc noxam in Patrem, & sanguine paciscemini mortem pro Patre. Tu Christiane mactè animo, nec vivus, nec moriens Christum desere.

§. XL.

De prodigiosâ exinanitione Christi in comprehensione suâ.

IAcuerant armati, prostrati in terram impii ad vocem inermis dulcissimi Jesu, velut ictu fulmineo percussi: *Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentiâ: vox Domini confringentis cedros*: Psalmo vigesimo octavo: vox & oculi sidereum, ignemque aliquod radiantes; & Divinitatis splendor in facie refulgens percusserat tenebricosos nebulones. Qualis erit judicaturi; si tam formidabilis vox, vultusque judicandi?

Quid dicis orbis? quid cælum? an non obstupescis Deum incomprehensibilem, comprehendi, ligari, vinciri; & ligatum, vinctumque trahi, raptari, & pedibus subactum conculcari. *Et manus injecerunt in Iesum*, Leones furiosi, lupi fame rabidi in agnum innocentem: raptores insani, & parricidæ in Patrem, & rebelles subditi in suum Principem. *Videbatur*, ut ait Tertullianus de patientiâ, *vulnerata patientia Christi in Malcho*: itaque & opera gladii maledixit in posterum, & sanitatis restitutione, ei quem non ipse vexaverat, satisfecit per patientiam misericordię Matrem.

Poterat hoc artificium placendi, & obsequium demerendi furentes tygrides, ferosque leones, qui sentiunt obsequia, & iis mansuescunt, placasse; verùm beneficio nequiores, immanius in Christum exarsêre. Illa ergo manus trecentorum hominum omnem suum jam diu compressum furorem quasi agmine facto ruptis carceribus exonerârunt in Christum Dominum.

Attende ad singula immanitatis facinora.

Omnia ferocia barbara facinora.

Primum impietatis; prædam captam leonum instar calcare pedibus: deinde ingentes clamores, blasphemiasque, ita ut montes repercussi detonarent, attollere.

Tertium, juxta proditoris consilium *Tenete, & ducite cautè*; Unâ ergo ingenti catenâ collum illigare; alterâ totum corpus incingere: eâdem formâ quâ Petrus

A Actor. duodecimo & Paulus Actor. vigesimo primo alligatur duabus catenis, quarum una manus; altera pedes stringeret: quartò manus implicatas vinculis, funibusque in tergum detorquere: quintò brachiis longum funem quo instar feræ silvestris trahi, & agitari posset, innectere.

Nemo non maledictis lacessere eum, quem paucis antè diebus reverenter habuerant, audierantque; cùm faterentur neminem hominum sic esse locutum.

An non casus Christi Domini humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, quem turba, populusque ut Dominum stipârant? ut fugitivo vincula inducunt? Quem coronis, & triumphalibus

B ramis paulò antè dignati, quem purpurâ decoratum volebant; alapis ingestis ludibrio habent. O fallax & ad instantem judicationem compositus orbis! sit tibi omnis libertas in metu, & magnitudo suspecta tanquam confinis ruinæ.

Impia quid agis turba? si vinciendus est Messias, vincias saltem aureâ compede Regem. Cyrus Crœsum captivum non ferro, sed auro vinxit. Lege Ludum 7. Sapientum:

Christus Dominus non ferreis, sed aureis Catenis vinciendus, si vinciendus.

> *Vinctúmque pedicis aureis secum jubet*
> *Reliquum quod esset secum vita, totum degere.*

C Zenobia Regina Palmirenorum ab Aureliano Imperatore ducta in triumphum; onusta gemmis, & vincta pedes, manusque aureis catenis processit: adeò virtus magnam conciliat, vel apud hostes reverentiam afflictis: ignavia verò etiam faustis rebus contempta.

At furor, & auri sacra fames mentem abstulerat; corruptis enim dulce erat insanire in hominem innocentem, & quem nec fama Regii stemmatis, nec reverentia disseminatæ virtutis poterat ab injuria defendere, secundi Regum sexto. *Extendit oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves: iratúsque est indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate; qui mortuus est ibi.*

D Tu Christiane, qui vitam vivis sceleratam, & injicis manus violentas in Christum Dominum, & arcam sacram mysticam; ipsis Judæis sceleratior, trahis captivum eum; & tuam barbaram audaciam non perhorrescis? hi petebant corpus, & sacram humanitatem, & tu ipsam violas tuis sceleribus Divinitatem. Audi Prophetam, Psalm. 118. versiculo 61. *Funes peccatorum me complexi sunt.* Quibus in contemptum trahitur, retrahiturque tanta Majestas. Vincula, quibus Christus ligatur, sunt peccata nostra. Christus Dominus, spiritu oris nostri captus Threnor. quarto. Et ille

ille verò trahit nos in funiculis Adami; vinculis scilicet charitatis, & amoris: hisce vinculis me arctè tibi obliga, dulcissime Jesu, ut nec mors, nec vita, nec ulla creatura valeat junctos dissociare.

§. XLI.

Prima Christi exinanitio in Domo Caiphæ Principis sacerdotis. Alapa Christo Domino inflicta. Puniti qui Dei servos petebant dextra, calamo, Prophetiæ implendæ.

ET ecce tibi vile mancipium, infamis servus, & furcifer ausus armatâ manu Christi faciem alapâ petere. O crudele facinus! nullâ formâ juris indemnatum ferire, proprio, & assentatorio motu placendi impio, & scelerato Domino. *Noluerunt servi Regis Saulis* (primi Regum vigesimo secundo) *extendere manus in sacerdotes Domini.* Et tu impiissime in Filium Dei, in unctum Domini? siccinè venales habes manus, ut eas purpures sanguine innocentis? Sed quid? æmularis scelus Domini tui, ut umbra corpus, imitaris Doeg. 1. Reg. 22. *parricidam, qui sacerdotes ad nutum Saulis trucidavit.* Exhorrescat cælum, & contremiscat terra, de Christi patientiâ, & servi impudentiâ. *Aruit* tertii Regum decimo tertio *manus Ieroboam extensa in Prophetam.* Valentis Imperatoris dextera dissolutis nervis tota contremuit, pertinax in scribendo decreto exilii in Basilium. Intereat hic impius, ut quid occupat terram? *Si cogitemus,* inquit Augustinus tract. 113. in Joannem, *quis acceperit alapam: nonne vellemus eum qui percussit, aut calesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, vel aliquo hujusmodi, vel graviore cruciatu puniri?* Quid enim horum per potentiam non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, quâ vincitur mundus? Non fuit passus Deus leviter tangi arcam suam ab Ozâ, qui religione, & necessitatis causâ tetigit, & tu Magne Deus pateris, non arcam inanimem, sed Filium tuum unigenitum armatâ manu feriri? Bene, bene est. Implenda erat Scriptura Thren. tertio, *Dabit percutienti se maxillam.* Et Matthæi quinto, *Percutient maxillam Ducis Israel.* Deinde & implenda figura tertii Regum vigesimo secundo. *Michæas Propheta à Sedechia Pseudopropheta, spectante Rege impio Achab, percussus.*

Puniti qui Dei servos petiverunt dextra.

Prophetia de alapa.

A Quàm impium & sacrilegum apud gentiles fuisset; si quis faciem Jovis armatâ manu violasset? Romani mille mortibus, mille flammis adjudicassent. Et tu Christiane, quot alapas infigis in Christi faciem? an non toties, quoties luxuriæ tactibus fœdas animam tuam? an non anima tua, est Christi, & Dei Regia sedes; sicut facies est Regia sedes sensuum, & sedes animæ tuæ? Disce Christiane patienter ferre injurias: disce violare, disce mihi responso contumeliam pensare. Illustre, & magnificum, & potentibus exemplum: cogita Filium Dei, B hominem ingenuum, & liberum, Doctorem æternæ sapientiæ, clarum miraculis, innocentiâ vitæ famosissimum, à servo, à nebulone percuti serviliter, & indignè. O cælum! ô terra! ut sustinuistis Christi pudorem, & dolorem, & fluxum sanguinis, & livorem vultus, in quem desideratis vos Angeli prospicere? Deus ergo alapâ percuti potuit? Alapâ? & quidem à manibus, quas ipse formaverat de pulvere terræ. Accepit alapam Filius Dei; ut nos liberos faceret, qui servi eramus: servi enim ut libertate potiantur, priùs accipiunt alapam. Siccinè manus insurgunt in suum auctorem, Patrem, suumque Deum? C

§. XLII.

De aliâ exinatione in domo Caiphæ.

PRæter insolentissimam, & audacissimi militis furiosam alapam Christo Deo illatam, quæ putatur armatâ manu inflicta, considera qualem noctem egerit Magnus Deus captivus, ligatus à feris leonibus, & lascivientibus vitulis obsessus. Qualem scenam & noctiludium, milites ebrii mero, pecuniâ corrupti, Dominorum assentatores exhibuerint. Ut D absconditum Deum illusionibus, percussionibus, alapis, quæ apertis palmis, & colaphis, qui pugno clauso, sarcasmis, in sultatibus amarissimis, & fœdis consputationibus fœdatum sceleratissimè tractârunt.

§. XLIII.

§. XLIII.

De dedecore infami; Capitis sacri velati.

INvuere Deum, factum quodammodo velatium: cerne Christi faciem, oculos, caputque sacrum, quasi facinorosi velatum: immane nefas, & probrum, oculos, & vultum viri nobilis obnubere. Hinc illæ voces Judicium, ad tortores: *Caput obnubito, infelici arbori suspendito.*

Faciem velant fœminæ turcica more Arabum. Ipse Apostolus judicat viro ignominiosum, velare caput, ut mulieri nudum, intectumque. Hinc pervetusta apud Orientales, Arabesque (sicut & nunc apud Turcas) teste Tertulliano de velandis virginibus, capite decimo septimo. Judicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non tantum caput, sed totam quoque faciem ita tegunt, ut non tantum oculo libero, nonnulli legûnt, librato, contentæ sint dimidiâ luce frui potiùs, quàm totam faciem prostituere. Et capite decimo quinto. *Pura Virginitas semper tremula oculos fugit, confugit ad velamen capitis quasi ad galeam.* Et idem de coronâ militis capite quarto: Tam Judæis fœminis solemne est velamen capitis, ut inde dignoscantur: tam gloriosum, & decens fœminis caput tegere, quàm indecorum, viro libero contegere. Quid enim aliud est caput velare, quàm indicium, & notâ sublatæ libertatis, & justę servitutis? Ecce tibi Christum mancipium, & adjudicatum servituti. *Caput velatum indicium sublata libertatis in viro.*

§. XLIV.

Causa tanti probri in sapientiam Divinam.

1. Causa. EXimia, & supra humanam speciem prima pulchritudo Christi, & imperio dignissima forma, quæ magis Deum, quàm hominem reddebat. Deterrebat ergo impuros nebulones à captis consiliis: tardabat lascivientes manus, ne impetum facerent: tanta est reverentia mutæ virtutis. Si facies Moy- *Majestas vultus multos servavit ab exitio.*

A sis radiis emicabat ex Dei consortio affusis: an non coruscabat facies ejus in quo habitat plenitudo Divinitatis? Si Mithridates, & Marius Consul solo vultu percussores furentes repressit; an non repressisset vultus Dei? Galeatius Maria (ut habet Paradin. & multi alii) conjuratorum manus furentes, oris Majestate, & flore pulchritudinis inusitatæ sic compressit; ut dextris furentibus arma diffluerent, ferrumque irâ calens mitesceret.

An non plusquam Galeatius, Christus Dominus speciosius formâ præ filiis hominus? Galeatio ergo, forma, causa salutis fuit. *Galeatii Ducis vultus eripit tela conjuratis.*

B Præsentiâ ergo formæ resedit furor, absentiâ retardescit. Recidêre ergo inani conatu tentamenta aliquoties.

Quid non egit rabies? In formam inanem, & imaginem mutam sævierunt; in illam exacuunt iras; ut usu audendi cresceret ferocia.

Tentatum itaque scelus, perfectumque Principis infandâ cæde: consuetudo enim feriendi imaginem pictam, abstulerat pudorem, & reverentiam violandi vivam.

Augusti Cæsaris oculos fulgidos nescio quo fidere non ferebat miles.

An hi nefarii oculos Christi? beati oculi qui Filium Dei in carne spectârunt. C

An non beatitudinis pars, ipsam pulchritudinem spectare? Abagarius Rex jussit sibi depingi Christi viventis imaginem. Ars, penicillum, & pictor artifex cessit victus: fulgor enim latentis Divinitatis spargebat radios cælestis lucis inimitabiles, quæ mortales omnes magneticâ potentiâ vinciebat, & victos ad se pelliciebat.

Ipsi milites quondam missi ut Jesum caperent; an potuêre? Suspensis hæsêre auribus, & ore hianti, ligati bibebant sapientiam.

D An non quasi ebrii; fassi impotentiam; exclamarunt: *Nunquam sic homo locutus est?*

Velant ergò nefarii tortores vultum Christi; ut liberiùs audeant; & deſæviant ferociùs.

§. XLV.

§. XLV.

Altera causa.

AUdierant Christum Regiæ dignitatis affectatæ crimine graviter accusari: audierant Divinitatis reum concupitæ traduci. Grande in utroque scelere scelus.

Sciebant hi milites improbi, penes utrumque esse summam rerum, & supremum in omnes jus, atque dominandi imperium.

Suis ergo illusionibus contendebant Christo tollere libertatem; & formam Regiam, in formam servitutis extremæ redigere.

Tangere vestem Regiam, capitale; & inferre palmis audacibus alapas; non erit capitale? Dant ergo alapas, densant colaphos, insultant vincto; ingerunt aceba probra: *Prophetiza*, inquiunt, *quis est qui te percussit?* Quid jocis acerbius? multi mortem jocis prætulêre. Hannibal Romanorum quondam victor; victus suo vitio, ne in triumphum duceretur; prævenit sumpto ex annulo veneno, in illum usum servato; maluit ille mori, quàm rideri. Cato mortem ferro præoccupavit.

Petrejus & Juba Rex, victi à Cæsare, ne ludibrio forent; in Regia bene epulati se ferro sustulerunt.

Juba Rex Petrejo se interficiendum præbuit; hic & Regi, & sibi sufficit. Viris fortibus contumelia morte intolerabilior. Una fœmina hoc Romanos docuit Ægyptia.

Sciens Cleopatra se reservari triumpho, & pompæ futuræ; ne igitur captiva Romæ adeò nobilis Regina spectaretur; mori decrevit; aspidis applicitæ per morsum inspirato veneno: sic morte ferocior; speratos victoris plausus in suæ magnitudinis dedecus elusit:

Magno non humilis mulier triumpho.

At Christus quâ Regiâ magnitudine tulit furores hujus servilis manus? Tulit animo invulnerabili; nec locum vulneri dedit saturatus opprobriis.

Hanc comœdiam illusoriam describit Isaias capite 50. *Corpus*, inquit, *meum dedi percutientibus; & faciem non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* De quo posteà.

O milites, non milites, sed feris efferatiores; imò feræ, & non homines. Feræ reverentur hominis formosam di-

A gnitatem, & pulchritudinem suspiciunt, & vestram sævitiem nulla species, vel decor remorari potest? Narrat Saxo Grammaticus libro octavo historiarum Danicæ, tu illum consule; nos dabimus compendium.

Suarulda, formâ, & flore corporis excellens, per suspicionem, rea damnatur adulterii à Rege marito. Bricco aulicus fraudis, dolique fabricator, & delator, & judex Regii corporis sternitur, humi innocens, & humo affigitur, ut indomitis equorum ferocium calcibus atteratur.

Aderat Reginæ Philtrum potentissimum, scilicet corporis incredibilis de-
B cor, honosque oris; potens solicitare saxa, rupesque: immittuntur subacti calcaribus equi, spectantque supinatam Reginam. Inhorruêre feræ, indignatæ scelus inhibuêre cursum; tanta etiàm inest reverentiæ humana formæ ipsis animalibus: aversi fugêre equi; vicit vis formæ; quæ feras vincere potuit, non vicit efferum hominem. Rex ipse, judicio equorum victus, pro innocentia stetit.

At furore percitus Bricco, ne causa excidisse videatur, suadet pronam, & contecto vultu feris rursus objici, carminibus equos abigi (ô infandum sce-
C lus!) innocens immissis equis remotâ vultus Majestate obruitur, & lacerata perit.

§. XLVI.

Tertia exinanitio in domo Caipha.

TUnc exspuerunt in faciem ejus; & colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophe-
D tiza nobis Christe, quis te percussit? Pro verbo *exspuerunt*, Græcè est ἐνέπτυσαν *inspuerunt*: sua phlegmata virulenta, putida, horrida in os sacrum inspuerunt, faciemque sacram, Divinam & adorandam.

§. XLVII.

§. XLVI.

Atrox hæc contumelia, & intolerabilis exinanitio.

AB Isaiâ capite quinquagesimo, prædicta: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem non averti ab increpantibus & conspuentibus.* Forerius ex Hebræo sic habet: *Tergum meum dedi percussoribus, & genas meas depilantibus: faciem meam non averti ab ignominiis & sputo.*

Addit idem: *Habet vellicatio barbæ dolorem, & insignem contumeliam*; sicut & in faciem spuere. Unde Clemens Alexandrinus tertio pædagog. capite tertio. *Nefas est barbam vellere, quæ est pulchritudo ingenita; pulchritudo generosa, & ingenua.* Hieronymus in commentar. Isaiæ quinquagesimi, vertit: *dedi maxillam meam alapis, & faciem non averti à confusione sputorum.*

Unde exclamat Euthymius: *Horrete cælum & terra, universáque creatura, in quam faciem? quam intulerunt injuriam?* Chrysostomus, & Titus Bostrenus in caput Lucę vigesimum secundum. *In faciem quam fluctus maris reveriti sunt; quam Sol in cruce videns, radios suos occubuit; spuebant, cædebant, abundè animos suos explentes, & vulnera contumeliosissimè inferentes.* Quid ita cùm essent eum occisuri? exerunt tamen suam rabiem; ut venatores multo venatu inventâ ferâ.

Quàm immaniter conspectus Dei Filius. Anselmus de passione Domini inducit sic Virginem loquentem: *Et modico delapso tempore, Filius meus adeò consputus apparuit; quod quasi leprosus apparebat.* O exinanitio! accusatur, ut impius; depalmatur, ut impudens, damnatur, ut sacrilegus.

Conspuitur Divina facies, lætitia cæli conscinditur pugnis, qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit.

Unde Chrysostomus: *Sicut ille nihil lenitatis prætermisit, sic illi nihil contumeliæ, nihil impietatis, sed tam verbis, quàm factis suum furorem explere cònati sunt.*

Sibyllæ eã sputationẽ prædixere. Hanc atrocem exinanitionem ut indignissimam voluit & Deus per Sibyllas depingi. Audiamus Sibyllam Delphicam libro primo Sibyllarum:

A *——— Tunc impius illi*
Impinget colaphos, virosáque sputa scelestus
Israël labiis, neque non & fellis amari
Apponens escam, potúmque immitis aceti.

Et libro octavo:

Cõtundent alapis palmæ (prô crimina!) Divũ.
id est, Deum.

Sibylla & Erythræa apud Lanctantium libro quarto capite 18.

Dabit in verbera innocens dorsum. Et infrà: *& colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quod verbum, & unde venit, ut mortuis loquatur.* Et rursus: *In manus iniquas, & infidelis veniet; & dabit Deo alapas manibus incestis, & oribus immundis exspuent in eum salivas venenosas.* Verè *fasciculus myrrhæ dilectus meus*: hunc B tibi fasciculum serva; sit tibi potus amaritudinis salutaris; sit vinctio consolationis: hæc erigant in adversis, reprimant in prosperis. Tibi Deus, peccator, conspuitur, ut placet Patrem, qui audes in Deum quantum in te est conspuere, faciem cædere, & illudere. Tu ne audes Deo spreto alium Deum fabricare? tu luxuriose Venerem? avare Mammonam? Has tolerat contumelias; ut nos, qui eramus digni omnes has infamias pati, illis eruerct; ipse pro nobis eas passus est. Et Hieronymus Commentar. in Marcum: *Opprobria ejus, nostrum opprobrium abstulerunt. Non enim*, ut ait Athanasius, *Christus patiebatur; sed nos in Christo.* Hæc exinanitio summè Deum honoravit, & plus reddidit satisfactionis C Deo, quàm culpa, Adami debiti. Hîc urge & insta: Tu peccator Judæis deterior, audes Dei faciem juramentis, osculis Veneris conspuere? An facies Dei tibi visa dignus locus? Plato, & Poëtæ dicunt *amorem velatum, cæcúmque.* Ecce amor generis humani; ô Auditores, velatus est, cæcus factus propter nos. Et tu audes in faciem ejus conspuere? conspuis autem, cùm indignè confiteris, communicas. Tu audes velare faciem ejus, quæ est cæli gloria: tu te tege; tu te vela; nec audeas contra Deum intueri: vela tuum impudicum pectus, nudumque in perniciem aliorum. *Exhorrescas exitium Iudæorum*, ait Origenes, *propterea receperunt alapam æternam, & omni deinde Prophetiâ privati sunt*: D Jesum autem, quia humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad palmas, usque ad confusionem sputamentorum, & flagellorum & mortis; exaltavit Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.

§. XLVIII.

Quarta, & fortè omnium gravissima exinanitio, Trina Petri negatio in domo Caipha. Quàm grave, ab amicis deseri.

QUàm luctuosum Filio Dei, videre suam Majestatem, suosque oculos velatos, gestare faciem ictibus undique, & livore deformatam, viroso sputo genas oblitas, oculos Sole gratiores, introrsum fugisse præ lachrymis mersos. Grande hoc spectaculum, & grave: grave innocenti hæc tolerare à furibundis inimicis.

At quàm grave, quàm intolerabile, ab amicis prodi? & amicos, hostes juratos experiri? ab amicis ejurari, quos citimè, ardenter dilexisti? ab iis summa, & indigna, & extrema pati, quos summis honoribus, & beneficiis gratuitò cumulàris? nihil æquè oblectat animum, quàm amicitia fidelis & dulcis: quantum bonum est, ubi sunt præparata pectora, in quæ tuto omne secretum descendit, cujus conscientiam minus metuas, quàm tuam: sic nihil æquè animum fodit, & cor configit, quàm infida amicitia, quàm servire tempori, quàm omnium horarum esse mancipium.

Amicitia vinculum arctissimũ.

Contemplare amicitiæ vinculum, potens, & prævalidum, nec ullâ parte, sanguinis viribus inferius. Hæc nascendi sors; aliud fortuitum opus, in quo duæ animæ coalescunt in unam: quales fuêre Pyladis, & Orestis.

An non tales animæ visæ Apostolorum, Judæ, & aliorum Apostolorum, & imprimis Petri? At quàm crudeli facto Judas amantissimum sui vendidit, prodidit, & seipsum in ruinam dedit, excitato priùs incendio: bis Parricida.

Primum, consilio: deinde spectaculo. Quid existimemus? quam conscientiæ stimulo actum Patricidii à se inchoati peregisse? & sceleri scelere, & novo mortis genere parentasse. *Laqueo suspensus crepuit medius.* Gravè, & lamentabile, ab Apostolo prodi: ut Christus ipse lamentabili voce proditus declaravit: *Iuda*

A *osculo filium hominis tradis?* at quando gravius, & lamentabilius, à Petro tantùm amato negari, ejurari, & execrationibus probare Christum sibi ignotum.

Jobo inter omnia tormenta gravissimum fuit, amicorum fuga, & desolatio, & profuga destitutio; capite enim sexto sic ait: *Non est auxilium mihi in me; necessarii quoque recesserunt à me.* Hoc immane vulnus sensit & David Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu verò homo unanimis: Dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, levasti supra me.*

Tu Petre quem constitui Principem super domum meam: tu Petre, ad cujus
B oris imperium, universus orbis obediet, quem ego Deus uno tantum regni solio præcedo. Petre, cui claves aureas cæli, terræque dedi, & mihi prope æquavi, cunctis prælatum; cui cælum & terram, & maria, quæ calcasti, subjeci: tu Petre, me, quem Divinâ revelatione Filium Dei testificatus es, tam sacrilegè, tam impiè, tam funestè ausus fuisti ejurare, nec velle noscere, quem ad notitiam Dei Patris extuli: an ideò, ut tu rueres altiùs, & fugitivus tui Creatoris, transires in castra hostilia? & Divinitatem, meum nomen, & meam gloriam me negando contaminares, & sic
C totus exinanirer tuâ sententiâ, & perirem magister veritatis, proditus à meo discipulo? Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum contremuit: ad vocem mulieris; ut Adam ad vocem proditricis Evæ, consternatus, cecidit (quisquis sapit, Syrenum dulces in exitium voces studiose evita.) Ubi est illa promittentis andacia, & de se plurimum præsumentis? ubi sunt illa verba; *Etsi oportet me tecum mori, non te negabo?* Sed quid mirum; si Deus vera prædixit: homo autem falsa promisit? An non prostratis Christi Domini rebus, & perditis consiliis; cùm in vitam, & Christi doctrinam ardenter quereretur, cùm omni desertus auxilio, & cùm undique peteretur; debuisses corporis tui oppositu tuos amores texisse; nec non inhibuisse impetum
D omnium, ne vivus potuisses pelli; sed confectus vulneribus, transitum super cadaver tuum dare debuisses? O quàm sinistris auspiciis amicitiæ conditionem secutus es? Florentes amicorum turba circumsidet; circa eversos solitudo: & inde amici probantur, ubi fugiunt. Falsa amicitia, parat amicum adversus vincula, opem laturum, at cùm primùm crepuerit catena, discedit. Hæc est temporaria amicitia & desultoria populi, quæ causa utilitatis assumpta est, tam diu placebit, quàm diu utilis. Prô magnum, & inexsuperabile numen, amicitia; quando est! Benè Seneca: *Detrahit amicitia Majestatem suam,*

Querela adversus Petrum.

Qua falsa amicitia.

suum, *qui illam parat ad bonos casus.* Nunc Lector attende ad celsitudinem Christi, & magnanimam Christi sic exinaniti; sic turpiter violati charitatem considera: Respexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitavit prolapsum amicum, amicum desertorem, Petrum æternæ mortis reum, Filius Dei jam mortis reus proclamatus, non deserit. Fieri non poterat, ut in negationis tenebris permaneret; quem lux mundi respiceret.

O dulcissime Jesu tua sincera fides; vera amicitia in adversis cognoscitur: & desertus, non deseris: & ejuratus, recognoscis, & semel amatum, semel apprehensum Petrum, sperni noluisti.

§. XLIX.

Quibus machinis Filius Dei arcem Petri, id est, animam jam hostilem oppugnavit. Aspectu triplici curatus. Cur permissus labi. Pestilens malorum consuetudo.

CONversus Dominus respexit Petrum. Rupta & soluta amicitia restauratur, aversus Sol gratiæ & justitiæ, reddit suum aspectum: aversus à Deo Petrus peccator, sine luce tenebricosus; vertit se ad radios lucis. *Attende*, inquit Leo in sermone tertio, de Passione Domini; *quanta Christi Iesu in Apostolum bonitas inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter credentium injurias constitutus; illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus viderat eum esse turbandum, & in illum conversa est veritatis inspectio*; ubi erat cordis facienda correctio, quasi quædam vox Domini insonaret, ac diceret? Quid habes Petre? quid in tuam conscientiam recedis? Ad me convertere, in me confide, me sequere, meæ Passionis hoc tempus est; nondum tui venit hora supplicii. Quid metuis, quod & ipse superabis? non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus; tu de meo esto securus. Percussit Christus suo aspectu Petrum, & fluxerunt aquæ, & inundaverunt faciem Petri; emisit verbum suum per vitales Divinorum oculorum spiritus, & liquefecit eum: *Flavit spiritus ejus, fluxerunt aquæ.* Psalm. 147. Anima Petri liquefacta est; ut dilectus Jesus in corde Petri locutus: impletur caput aquâ; tumescunt oculi, rigantur genæ; decurrunt rivuli, & Deus

Singularis Christi D. affectus in Petrum.

A indulgentia mentem exhilarat. Vera vox Hieronymi: *Lachrymæ sunt quæ radunt viscera, & sanant vulnera.*

Narrat Sidonius Apollinaris Thraces, ut virtutem oculi Divini demonstrarent, pingere solitos Solem, ex quo tres radii emicabant cum hâc inscriptione: *Oculi Dei ad nos.* Unus radiorum mortuum illuminans in vitam: sic Lazaro vita reddita; *ubi posuisti eum?* Evocatur imperio; surgit funeratus, redditur vitæ. *Alter* radius, suo intuitu induratum lapidem conterebat. Ecce tibi Petrum ad amantem: ecce: tibi cor contritum, quod obduratum, & solutum in fontes aquarum.

Virtus oculi divini triplex triplicibus Solis radiis collata.

B *Tertius* aspectus, quo montem nivis pertingens, omnem nivem calore liquefactam suis nativis aquis restituebat. Ecce tibi tres in uno Petro aspectus. Mortuo vita datur; conteritur petra; & nive frigidior totus liquefit; juxta illud Isaiæ 74. *Descendisti & à facie tuâ defluxerunt montes.*

Ecce tibi domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ; ubi laudaverunt te patres nostri: facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia versa sunt in ruinas.

Ecce tibi eadem domus aspectu Divino, quæ jam erat facta domus, & spelunca latronum, suæ dignitati pristinæ restituitur. Petrus factus est lapis Phrygius: de quo Plinius, *qui solis aspectu* lachymatur. Et tu peccator tot millia peccatorum

C non plangis, & hic ponit Petram in stagna aquarum; trium negationum culpa. Et tu nec guttam fletus, vel lachrymulam fundis! Ille concussus fragore tantæ tempestatis, contremuit ut homo, & fragilis cecidit. Et tu incoctus vitiis ex mera malitia in peccata te proruis? Ille ore negavit, ut ore & corde: Ille metu mortis instantis, à tot leonibus obsessus; & tu voluntariæ libidinis impetu, à libidine victus, deseris Deum. Ille turbatus insultantium testium violentiâ peccavit; peccavit quidem; at tanto minus peccatum, quanto minus voluntarium. At quanto molimine, quanto redemit pretio culpam? *Egressus foras flevit*

Petrus Lapis phrygius qui Solis aspectu lachrymatur.

D *amarè*; indixit sibi æternas lachrymas, ita ut fontes ducto jam per genas tramite siccari non potuerint.

Æterna lacrymæ futuræ Petro.

Justitium illi æternum gaudii; nulla illi vox lætitiæ; nulla amœnitas vitæ; nulla intercapedo gemituum: & tu deliberatâ voluntate teipsum urges, & incendis in peccata; & quâ lachrymulâ diluis? tu siccis oculis, crimina confessione purgas; si tamen purgas. Imitaris peccantem? imitare & pœnitentem. Ambrosius in caput vigesimum secundum, Lucæ: *Quare flevit? quia culpa obrepsit.* Petrus doluit; & flevit, quia erravit ut homo. Commune, quod labitur;

fidei quod pœnitet: sed quare non oravit? Lachrymis lavit delictum; quod pudor ore confiteri: lachrymæ veniam non postulans, Sed merentur.

Doce nos Petre, quid profuerunt lachrymæ tuæ? sed docuisti ilicò: nam qui lapsus antequam fleres; postquam flevisti, erectus es; ut alios erigeres, qui teipsum antè non erexeras. Imitare. Hic concionator urge, & insiste affectibus. Ex sancto Leone de Passione ô homo disce. Ob hoc; aut ut apparet hæsitare permissus est; ut in Ecclesiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur: deinde ut nemo auderet de sua virtute præsumere; quando mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuerit evadere.

Cur Petrus permissus labi.

Audi Augustinum in tract. 113. *Quid est homo sine gratia Dei? Quod fuit Petrus, cùm negavit Christum?* illum paululum deseruit; ut in illo posset recognoscere genus humanum suam infirmitatem.

Respexit Jesus Petrum; & junxit Petrus aspectui suas lachrymas; & Deus impressit salutare, & admirandum sigillum salutis.

Bene Augustinus sermone decimo quinto de verbis Apostoli. *Si hominem te fecit Deus, & justum tu te facis; melius aliquid facis, quàm fecit Deus: sed sine te fecit te Deus: quomodo consentiebas quando non eras? qui ergo fecit te, sine te, non justificat te, sine te: ergo fecit nescientem, justificat volentem*: quidquid enim recipitur, non recipitur nisi in subjecto bene disposito; sic Divus Thomas duodecimum quæstione 112. articulo secundo. *Ruina Petri, audax cum muliere colloquium*: à muliere initium peccati: audax cum impiis congressio: cum perverso perverteris.

Noxia & pestilens malorum consuetudo.

Audi Senecam libro de animi tranquilitate capite septimo. *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent: assides corporibus corruptis, aut morbo flagrantibus; trahes periculum, ipso solo afflatu laborabis.* Impia societas improborum, ut pestilentia cavenda: audax denique sui fiduciâ ingens malum. Quanta exinanitio Christi Domini in una domo, in una nocte, brevi horarum spatio. Undique contemptus irruit & densatur, à principe, à consiliariis, servis, ancilla, & amantissimo discipulo Petro.

A

§. L.

De Christi Domini exinanitione in domo Pilati.

AD majorem lucem paucula judicavi præmittenda. Primum, Judæos mirabili contextu per sceleratas artes accusationem hanc in Christum Dominum instituisse, nec potuisse majores, & in speciem formidabiliores umbras in hominem innocentem, & terrores excogitare, ut Judicem concuterent: accusatur enim reus læsæ Majestatis, nec quidem simplicis; sed Divinæ scilicet & humanæ: prout res casura; si quando minus succedet, magnum adeundum periculum.

B

Astuta & metuenda in Christũ D. accusationes.

Sortes tam à Principe gentili, & prophano; quàm à sacerdotibus educendæ, ac proinde non in unius cadebat potestatem. Accusatur reus læsæ Majestatis Divinæ, à subversione gentis, ab institutione, & novæ doctrinæ promulgatione: ausus ergo pugnare contra leges Patrias easque convellere. Accusatur & reus læsæ Majestatis Regiæ, ab inhibitione tributorum; ab affectatione regni. Hæc summa accusationis.

C

Alterum quod præmittendum: Romanum Judicem, pro æquitate, & Romanorum prudentiâ intendere animum causæ; reum percunctari, & reo servare jus naturæ; quod est audire alteram partem: Romani enim in reum proniores, reo quinque horas; accusatori tres concedunt.

Reus audiendus semper, & reo favendum.

Quis enim innocens, si sufficiat accusasse? Hujus prudentiæ sanctus Bernardus monet Eugenium Papam. *Hanc*, inquam, *velim regulam tibi constituas; ut omnes, qui palam verentur dicere, quod in aure dicunt, suspectos habeas. Quòd si te judicante coràm, ille dicere renuerit, delatorem judices, non accusatorem.* Rectè proverbium Hispanicum, eum qui vult rectè judicare de duabus campanis, utriusque sonum audiat separatim, necesse est: contrà qui facit, non Judicem, sed tyrannum agit. Tertium præmittendum. Pilatus circumfusus causæ periculo, & immanitate rerum; caput rerum aggreditur ab ambitu Regiæ Dominationis, à quo cetera, velut arcto nexu penderent juncta. Affectator enim regni populum blandimentis allicit, tributa laxat, sibique arrogat in regni nervum, viresque: percunctatur ergò Judex: *Tu es Rex Iudæorum?* Regẽ fama audierat; Majestate verò corporis adeò verendum, ut simulachrum virtutis loquẽtis dixisses:

D

Ab ambitu & affectatione regni pendet contextus causæ.

Tota fabrica corporis Christi regia.

dixisses: respice os, humerosque Deo similes; nihil enim mortale sonabat: semper mittit signa sui virtus; rebus denique gestis, & maximè, mortuorum ad vitam revocatione, toto orbe percrebuerat celebris fama: multa ergo viri virtus, & multus in vultu decor, & corporis motus Regius, Pilato obversatur. *Tu*, inquit, *es Rex Iudaeorum?* Tu celeberrimus factis, & verborum potentiâ? Christus, juridicè interrogatus prudentissimè respondens; adimit, & avertit omnem materiam criminis objecti, & veritatem agnoscit; se scilicet Regem; verùm, non hujus mundi. *Tu dicis quia Rex sum, & in hoc natus: sed regnum meum non est de hoc mundo.* Percellit Praesidem Majestate sui regni, ne mittat manus in sanguinem Regium, & liberat eum suspicione affectatae Regiae Dominationis, quo ex crimine, morte mulctari potuisset ex ignorantiâ: qui enim erat Rex Regum, sua se tuebatur aeternitate regni caelestis.

De regni affectationē prudentissima delutio seu cōfutatio.

§. LI.

Prima exinanitio Christi Domini in domo Pilati, quae completa est in domo Herodis.

OBlatus Christus Dominus, Pilato tanquam malefactor. Ajunt enim accusatores: *Si non esset malefactor, non tradidissemus eum tibi.* Christus jam judicatus malefactor, qui acerrimus custos Justitiae, qui innocens, amandatur ligatus ad tribunal tyranni, non Judicis sui, quòd contra omnem Justitiam trahitur Filius Dei per urbem Regiam, in qua Regis instar grandi triumpho acceptus; tanquam sceleratus, scelerato Regi sistitur: apud Regem dominantem accusatur affectati sceptri. Quid gravius? nihil zelo regni potentius. Silet Christus. *Doctrina viri per patientiam noscitur*: Proverbior. vigesimo sexto. *Silet Christus, & sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit illum indutum veste albâ.* Graecè sic: *Et cùm illusisset, & induisset eum veste splendidâ, remisit eum Pilato.* Exercitus sequitur Ducem; & subditi applaudunt Dominis, juxta Terentium in Eunuch. *Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque: negat quis, nego, ajunt, ajo.* Ecce, & specta sapientiam Dei Patris veste albâ indutum tanquam morionem: specta insectationes ut in stultum: audi cachinnos, & amaros sarcasmos, ut in

A facinorosum, qui agnus sine macula, qui aufert peccata mundi. Bene Septuaginta Interpretes illud Ozee decimi, versiculo sexto. *Si quidem & ipse (scilicet populus Samariae) in Assur delatus est, munus Regi vltori.* Quem locum sic citat Tertullianus libro adversus Marcionem: Christus velut munus Herodi à Pilato missus, ut ait Propheta: vinctum eum ducent Xenium Regi, ut solent Regibus Xenia mitti, verbi gratiâ, moriones, scenicos, praestigiatores, incantatores, qui solent hominum oculis illudere, & plausum populi captare. O Sapientia aeterna! quousque proceris, ut fatuus, ut amens, ut irrisio populi, quem omnes

Christus tanquam Xenium missum Herodi.

Herodes dolo suo captus declarat Christum regē & innocentem.

B beatae mentes supplices adorant. Quidquid sit, dum Herodes irridet ut fatuum, honorat tamen invitus, ut Regem, & ignorans Deum, Deum probat. Cicero libro secundo de legibus, *color albus praecipuè decorus Deo est*: dum spernit, Regem agnoscit: Regem decet vestis alba, absoluit ut innocentem faba alba, & calculus albus absoluit reum: Plutarchus in Alcib. *ut nigra damnant.* Alba in veste litabat sacerdos diis apud gentiles candidatus apud Romanos, testabatur innocentiam vitae vestis candore Tertullianus vocat dignos caelo candidatos aeternitatis, Filius Dei in monte

C Thabor vestitur veste niveâ, divinitatis suae ostentans claritudinem. Candor ergo est lucis aeternae, & Aeternitatis dos sacra. Aeterna sapientia & bonitas post ponitur malitiae.

§. LII.

Exinanitio in Domo Pilati. Nova.

HActenus audivimus in Christum conclamatum, ut blasphemum,

D reum mortis, reum laesae Majestatis: spectavimus ut morionem despicatissimum: crescet paulatim exinanitio, & usque ad summum tendet. Ecce Filius postponitur Barabbae, scelere, & infamiâ insigni, & famoso, & Principi malitiae. Graecè habetur ἐπισήμῳ. Joannes vocat illum *latronem.* Marcus, *qui cum seditiosis vinctus, & in seditione fecerat homicidium.* Chrysostomus vocat *famosum in protervitate.* Quanta infamia, Filium Dei postponi scelerato & impio, & facinoroso? abjici sanctum sanctorum, & auctorem vitae posthaberi homicidae! Bene Augustinus libro tertio de symb. ad

Catechum. capite quinto. *O cæcitas Iudæorum! ô furia Phreneticorum! noli ipsum dimittere, sed Barabbam: quid fuit aliud clamare, quàm occidatur Christus saluator, quia suscitavit mortuum: dimittatur latro, ut iterum perpetret homicidium.* Erubescit ipse Pilatus, & incutit improbis pudorem, & dedecus tantæ iniquitatis. A

An non sperasset innocentiam præferendam! ô improbi, hanc finite me spem ferre vestræ religionis, vestræque legis. Do vobis optionem: & vos pro Jesu, latronem; pro saluatore, interfectorem; pro datore, & fonte vitæ eligitis furiosum *mortis reum.* Impetrastis magno labore; sed venient tempora, cum magno voletis Christum vestrum Messiam emptum. Tu Christiane fremis, & armaris in Judæos; quando audis cum prædone, cum sicario, cum homicidâ; Deum infinitum bonum, & Majestatem æternam conferri; & præponderari nequitiam innocentiæ? arma te, in te, cùm te præponis Deo, scelus peccati beatitati æternæ: fœdum & inane bonum, æterno bono. O dolor! ô lachrymæ! ô gemitus! ô cæcitas! ô rabies! obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Lubet exclamare cum Jeremiâ secundo capite: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Bene Petrus Actor. tertio: *Petiistis virum homicidam dari; auctorem verò vitæ interfecistis.* O si sciretis, qualem abjeceritis, quis sit, & qualis, quàm velletis intactum Filium Dei! potuitnè Filius Dei fieri minor, qui infra latronem fit minor. *Verè cum sceleratis reputatus est.* Isaiæ quinquagesimo tertio versiculo duodecimo. Verè dixit Sibylla *Deum humiliatum.* B C

Quanta Christi exinanitio.

Quantus dolor Christo, hic clamor; *Non hunc, sed Barabbam!* quantus dolor Deo, sibi Deo creaturam anteponi!

§. LIII.

Altera exinanitio in domo Pilati. Et horribilior.

Filius Dei transiit jam in personam latrone minoris æstimatus; latronis instar flagellabitur, & crudeliùs multo. D

§. LIV.

De acerbâ Christi flagellatione.

Pilatus Judæis melior Christum, ut liberet, jubet flagellari, ut mitiores fierent; at contrà, crudeliores suâ feriate facti; flagellarunt, ut interiret: non tantoperè flagellandus, si morti donandus. Hieronymus in Matthæi decimum octavum: *Levior tunc erat flagellatio, si mori debuisset; sin non, acerbior.*

§. LV.

De Infamia.

Lege vetita flagellatio à corpore libero.

VSus est illâ pœnâ, quâ nullâ infamior, nec gravior. Nec gravior, partim ut efferas populi fluctuantis iras insanientesque instar tigridum mitigaret: partim ut servili habitu contemptum vilipenderet, nec dignum esse qui tantis factionibus peteretur.

Quare & scelus flagellare civem Romanum, Actorum vigesimo secundo. *Portia lex ab omnium civium corpore Virgas amovit.* Sic Cicero in Verrem. Et pro Rabirio. *Latronibus, & mancipiis debitum tributum, si verò quadragenarium numerum attingeret:* apud Judæos reus erat infamis, Deuter. vigesimo quarto.

Quadragesimus numerus flagelli infamis.

Quare & Paulus ex legis imperio primæ Corinth. undecimo; *quadraginta, uno minus accepit:* quare teste Theodoreto quæstione trigesimâ: *Major numerus infamabat vapulantem;* quia decimus quintus numerus erat pœnitentiæ, & afflictionis ob vitulum adoratum: & Moyses quadraginta diebus in noxæ pœnam jejunavit. Quadraginta & annis puniti in deserto ob insignem rebellionem in Deum instinctu Ægyptiorum excitatam.

Turpe ergò erat, & infame, inquilinos terræ sanctæ, Ægyptiorum pœnâ damnari. Sola mancipia, & latrones virgis cædebantur: & ecce Deus de Deo, Filius Dei, & Virginis inter latrones numeratur: Filium ergo Dei omni infamiâ onerarunt, cùm sine numero, numerum quadragenarium excesserunt: contra legem Deuteron. vigesimo quarto; *ne frater victus dedecore contabescat.*

§. LVI.

§. LVI.

De acerbitate.

VLpianus libro octavo de pœnis, ait multos immanitate ministrorum sub flagellis interiisse. Quod docet Cælius Rhodiginus libro decimo, capite quinto. Nicephorus libro primo, capite tertio vocat *flagellatores*, *sanguinarios carnifices*. Antonius Gallonius de sanctorum Martyrum cruciatibus; *livore flagellorum animam efflasse*. Eusebius Cæsari: Chrysostomus homiliâ vigesimâ quintâ in Matthæum: expendens illa verba Isaiæ: *Disciplinam pacis super eum trifariam fuisse*. Duram, quia virgis: Duriorem, quia funibus: Durissimam, quia catenulis. Polybius tria dicit genera flagellationum *fustium*, *vitium*, *& funium*. Livius libro vigesimo septimo: *Si Romanus miles, vitibus: si extraneus, fustibus*: flagellorum durior, & infamis magis.

Varia flagellorum genera.

Hinc Jurisconsult. legibus, sermone de pœnis; ex quibus causis liber fustibus; servus flagellis cædi, & domino reddi jubetur. Hinc Terentius. Loris liber? per admirationem: quasi nihil acerbius libero possit accidere.

Hinc collige; quanta in Christum Dominum redundârit infamia. En factus omnibus mancipiis vilior. O dolor! Non vitibus, non fustibus, sed funibus, catenulis, vel ex loris contexto flagello; ut Euthymius, vel nervis boum, quorum ictus acerbissimi, & intolerabiles.

Christus omnibus mancipiis vilior.

§. LVII.

De nuditate ipsi naturæ exosa.

EXuerunt sacrosanctum corpus suis sacris vestibus; apparuit tunc vestis tincta sanguine in agoniâ expresso. Stetit agnus Virgineus medius inter leones & lupos. Ille, qui cælum sideribus, terram floribus, arbores frondibus ornat, vestitque, nudatur. Gravis viro nobili nuditas: erubuit ipse Christus Psalmo quadragesimo tertio. *Totâ die verecundia mea contra me est.* Et Psalmo vigesimo primo. *Ipsi verò consideraverunt me, & inspexerunt me: confusio faciei meæ cooperuit me.* Ecce secundum Adamum nudatum, ut primum nudatum justitiâ, iterum vestiret? Ecce spoliatum suo tegmine, quo vestive-

A rat illum Mater sua: qui Barbaræ, qui Agnetis prodigioso capillorum contextu, vel luce cælesti decus velavit. Ingens viro casto ignominia, nuditas corporis, non minor quàm ipsis Virginibus Plutarchus de claris mulieribus. Gellius libro decimo, capite quinto, cùm Virgines Milesiæ in mortem præcipites ruerent, & tædio vitæ manus violentas afferrent, lege publicatâ decretum est, ut sic exstinctæ, publicè nudarentur. Pudor infamiam frænavit, decreveruntque superstites vivere, quàm corpora mortua nudari. Quid mirum? si Adam peccator, etiam seipsum solus cum solâ conjuge erubuerit, & foliis texerit? Inter omnes gentes,

B nulla præ Brasilis barbaries immanior: nullus ibi pudor nuditatis, nec turpitudo: at nescio quis pudor animos tangat, conspectus scilicet exterorum, ita ut ad tegmen deproperent. Sagax, & ingeniosa est natura in pudoris ingeniti tutelam.

Ipsi Brasili inter se nudi, ab aliis horrent videri.

§. LVIII.

Alligatur nudus qui liliis candidior tanquam latro Columnæ.

C DEus ipse, qui posuit fundamenta terræ, & qui instar columnæ sustentat axes poli, stat quasi impotens, & patitur se alligari columnæ. Hæc illa est, de quâ Jeronymus ad Eustochium in Epitaphio Paulæ. *Ostendebatur*, inquit, *illi Paulæ scilicet, columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & alligatus.* In hujus summitate erat ferrum ad ligandas manus ejus, & pedes, ne liber esset inflexus corporis, adeò ut totum corpus arctè ligatum, instar scopi immobilis ad omnes ictus pateret: ut patet ex columna Romana in templo S. Praxedis: hanc columnam

Vt corpus Christi ligatum.

D sponte Christus, amore nostræ salutis flagrans, amplexus est: sic Brigitta libro quarto, capite 70. & libro primo capite decimo Eckius articulo quarto, considera. quarta dicit *Christum manibus & pedibus & collo fuisse astrictum.* Ingemuit Romanus populus ubi filios Bruti ad palum ligatos vidit, reos tamen. Et nos non ingemiscimus, ad ligati filii Dei conspectum, & quidem innocentis? Usus, & mos Romanis, imperare lictori: lictor deliga ad palum. sic Pater æternus favori atque amori hominum velificatus protraxit suum unigenitum Filium in prætorium, patitur alligari, & virgis, & flagellis cædi, & deinde perimi jubet, ut planè publicus parens in locum Filii sui,

universos homines, eosque ingratos adoptasse videretur. Pater æterne ut oculis patriis spectare potes, sic filium instar latronis constrictum. Stat nudus Isaac, manus, pedesque revinctus, cujus collum jam pater nudaverat ad ictum excipiendum. Imaginem hujus nunquam sine lachrymis spectavit Nazianzenus. Et tu Christi Dei tui potes siccis oculis spectare? Felicia vincula, quibus sunt soluta nostra vincula: vincula torquibus Regiis pretiosiora. Hæc circumferens Paulus, in summum gloriæ ostentabat: hisce gloriabatur, ut nobilissimis triumphis. Ego, inquit, vinctus in Domino. Ego vinctus Jesu Christi. Clarior catenâ, quam Regis purpura. vinctus catenâ, diademata prostravit, regum. Victor Paulus in vinculis vincebat omnia. Majus hoc vinculorum donum, quàm solem sistere, aut mundum movere, aut dæmonibus dominari. Ecce Christi vincula ad columnam deligati, vinculis dedêre vires; nam sicut mors Domini, interemit mortem; ita ligatos à dæmonibus, solverunt vincula. Eja peccator, qui benigno jugo excusso, abjecto levi onere, in vicem latronis ferreis vinculis collum inseruisti? solve vincula colli tui, exue servitutem. Audi Chrysostomum primâ Parænesi ad Theodorum lapsum. *Quo igitur pacto non maximi flagitii est, incuriosè ferre animæ interitum? qui corporis mortem lugent; tantâ id solent vehementiâ, quamquam vident defunctum non posse in vitam lachrymis revocari: & nos nihil tale exhibemus animæ mortuæ, ut in vitam pristinam reducatur.* Non sunt in te viscera pietatis; si luges corpus, à quo recessit anima: non luges animam, à quâ recessit Deus. Solet dicere Augustinus; *Imitare magnanimum Samsonem, captum oculis columnæ illigatum:* agitabant festivos dies Philistæi victoriâ exultantes, canebant pœana, odasque triumphales; immolabant victimas Deo suo de subacto Samsone. Sumptis epulis præceperunt, ut vocaretur Samson, & ante eos luderet. *Lusit eductus; feceruntq; illum stare inter duas columnas.* Qui dixit puero regenti gressus suos: *Dimitte me, ut tangam columnas, quibus imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam. Domus autem erat plena mulierum, ac virorum, & erant ibi omnes Principes Philisthinorum; & tria circiter millia utriusque sexus.* Ille itaque memor injuriæ, memor miseræ servitutis quam serviebat; fundit preces, exauditur; redditur robur pristinum, apprehendit duas columnas, quibus tota domus innitebatur, unam dextrâ, alteram sinistrâ tenens, ait: *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Et concussis columnis, cecidit tota domus; & plures occidit moriens, quam vivens. Tu peccator concute columnas vanitatis, & illecebrosi sæculi; & clama: Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia: moriatur in te mundus, & corruat: & tu mundo moriaris, & mundo sepeliaris: concute tres columnas orbis, quibus orbis innititur, quæ sustentant totam pompam totius vanitatis: columnam concupiscentiæ oculorum: columnam concupiscentiæ carnis: & columnam superbiæ vitæ. Constrictus teneris vinculis, non ferreis, sed ferreæ voluntatis. Astringitur Dominus Jesus vinculis, ut dissolvantur tua: & ligatur qui solvit compeditos. Domine Jesu, disrumpe vincula servitutis; & sacrificabimus tibi hostiam laudis. Stat nudum corpus Regium: corpus tot Regum sanguis; corpus Magni Dei, instar sceleratissimi columnæ astricti, in quod exonerabunt turbæ impiæ, inundantes fluctus sui furoris. Et ecce spectat Magnus Deus ante oculos suos, flagella parata: de quibus doctissimus Suarez citans alios; docet adhibitos funes scilicet crassiores: deinde scorpiones ferreos, seu ferrea puncta: tres catenulas: quatuor virgas spineas; non quod quater flagellatus fuerit, verum quòd in eadem flagellatione hæc instrumenta feritatis fuerint permixta.

Quanti pretii sint vincula.

Tres columnæ vanitatis hujus mundi.

Quot genera flagellorum.

§. LIX.

De flagellatione, ejusque immanitate ex sacra Scriptura.

REfugit animus, horretque ingredi hanc arenam sanguinariam. Quanta autem, & quàm acerba fuerit flagellatio; audiamus ex sacrâ Paginâ Isaiæ quinquagesimo tertio. *Non erat illi species, neque decor.* Et ibidem: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm; attritus est* (Nota hoc verbum, *ut granum scilicet molitum*) *propter scelera nostra.* Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*: alij sic legunt, *araverunt*; quasi aratro prosciderunt, sulcos in carnem meam inducendo. Psalmus 72. *Fui flagellatus totâ die.* Non quod totâ die fuerit Christus flagellatus; sed quod tantâ immanitate, tam barbarâ ferociâ, adeò implacabili furore, ita Christum, flagella condensando, deformarunt; quasi totum diem, dilacerando

Atrocitas flagellationis.

dilacerando consumpsissent. Bene illud Isaiæ 1. Christo plagato accommodatur, quo ille plagas populi depinxit. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in illo sanitas.* Deuteron. vigesimo quinto præcipitur, ut pro mensura peccati, & plagarum sit modus. Cùm autem Christus Dominus totius orbis in se peccata susceperit, quorum numerus infinitus; quis potuit fuisse plagarum modus? an non ideò innumerabilia ferè sustinuit flagellu? multa flagella Christi in persona peccatoris; flagella enim Christi, peccata mundi fuere. Exigebat ergo Justitia Divina sine numero flagella; quamvis unius flagelli percussione totum debitum exhauriri potuisset: verùm quia *apud Dominum misericordia; & copiosa apud eum redemptio*; Psalmo 129. voluit satisdare de suo toto sanguine, ut nihil reliqui foret amplius. Quare optimè Propheta Psal. trigesimo tertio in persona Christi: *Congregata sunt super me flagella; & ego ignoravi*, id est, innocens fui; & causam illorum in me nescivi: & quia fidejussor extiti. *Ego in flagella paratus sum.* Psalm. trigesimo septimo.

Percussiones sine numero, quia sine numero peccata.

Vnâ percussione satisfieri poterat.

§. LX.

De numero ictuum.

QUia variæ variorum sunt opiniones, eas paucis subjiciam. Sanctus Vincentius, fuisse ictus densatos usque ad septingentos octoginta, ita ut singula ossa tres ictus habuerint, cùm Christi corpus steterit ducentis sexaginta ossibus. Divus Bonaventura, quinque millia sexcenta, septuaginta & sex. Ludovicus Granatensis in suis quartæ feriæ meditationibus scribit pervenisse ictus ad quingentos supra quinque millia. Alphonsus Horospuus in declaratione tradit pervenisse ad numerum 15370. Rudolphus in vita Christi scribit; cuidam servæ Dei revelatum 1549. Augustinus, Prudentius, Beda docent; vinculis solutum Christum Dominum, in terram prostratum fuisse, pectusque, plagis liberum graviter flagellatum. Sulci ergo undique ducebantur. Bonaventura, ita, inquit, ut alba ossa detegerentur. Divus Augustinus in consensum Evangelistarum capite nono, idem attestante sanctâ Brigittâ, fuisse carnifices, qui exclamârint: *Num virum interficietis?* Flavius Josephus libro sexto de bello Judaico: Vir, inquit, ille plebeius, cui nomen Jesus, qui paulò antè excidium Jerosolymorum, Judæis clamabat

A væ, & prædicabat excidium, ad Judicem ductus, & flagris ad ossa dilaniatus fuit, nec lachrymas, nec preces fudit. Nazianzenus de Christo patiente, sanguiguine ex omni parte manasse, & tandem debilitatum in terram concidisse, qui terram sustinet, & in sanguine suo volutatum. Verè convenit illud Job decimo sexto, versiculo decimo quinto: *Concidit me vulnere super vulnus, & irruit in me quasi Gigas* cumulata plaga, plagæ: & livor super livorem, sanguis super sanguinem: adeò ut qui tabernaculum Divinitatis erat, videretur esse leprosus: & totus purpura, suo sangui-
B ne purpureus: rosa priùs candida, facta purpurea. Sicut qui in torcular uvarum rubricatum, vel liventium, rubricatur, & livescit: sic Christus in sua vindemia flagellorum torcular calcavit solus, & respersus suo sanguine totus tinctus emersit. Torcular in sacra Scriptura significat vehementem oppressionem, cladem, stragem; qui enim illam subeunt, perinde sunt ac uvæ, quæ premuntur in torculari. Sic Thren. primo *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Sion*; hoc est, gravi supplicio pressit, & afflixit.

Christus rubricatus & totus purpura.

Hanc ergo victoriam, quam flagellis sibi peperit Christus, non nisi cruentam
C peperit: solus enim hostes in sanguine suo calcavit. Cernis ergo Christum jam totum purpuratum, & tinctum, & quasi incoctum suo cruore.

§. XLI.

Sic flagellatus Dominus Dominantium.

QUæ de numero ab Auctoribus dicta valde credibilia sunt, & veritati conformia; si impietas Judæorum furentium; si militum crudelitatem exhalan-
D tium; si Judicis vacillantis integritas labefactata spectetur: fateor si Deuteron. capite vigesimo quinto legas. Lege Judaicâ vetabatur excessus quadregenarii numeri: sin verò leges Romanas, etsi atrocem verberationem permittebant; modus tamen statuebatur in legibus, aut damnum, de pœnis, cujus hæc sunt verba: *Nec eâ quidem pœnâ damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur.*

Et quis Hercules tot plagis superstes viveret? quot Martyres cæsi, inter ictus flagellorum animas exhalârunt? Verùm cum

cum iniquè & impiè Pilatus etsi melior; Christum, quem fassus erat innocentem, flagellis adjudicârat; & impiè anteà instituerat collationem impii cum sancto; impiè ad Herodem transmiserat, qui actutum erat absolvendus. Deinde quod impiissimum omnium scelerum, Christum Dominum sententiâ supremâ, quem noverat innoxium, ad Crucis supplicium destinavit; nec formam, nec jus æquitatis servarit; sed sic omnia præposterè & facinorosè peracta; ita valdè credibile est, Christum Dominum in flagellatione, iræ & odio Judæorum, & carnificum atrocitati, quantum poscebat tanta crudelitas, fuisse permissum; ut omnes vires sui furoris in Christum Dominum exercerent, & sic odia sua saturarent.

Omnia sua odia in Christum Dominum congesserunt.

Credibile ergo erit, Christum Dominum sic fuisse flagellatum; ut posset dici excarnificatus; sic fuisse tractatum, ne posset superesse tot vulneribus inflictis. In quam occasionem sanguinarii Judæi intendebant, & tanti impensius, ut Judici in reum propenso, reum subtraherent morte secuturâ.

Quare facilè mihi persuadeo, sic Christum ab istis sanguinariis fuisse tyrannicè concisum; ut illos puderet tanti sanguinis profusi; & vulnerum supra vulnera condensatorum; puderet etiam acuere vires lassatas, ne feræ judicarentur. Sic in hominem sæviendo succubuêre fatigata odia: succubuit & furor, non tamen succubuit Christus, ad majora tentamenta servatus. Sic ô Fili Dei, te Deus Pater majoribus suppliciis reservat, nostrorum fidejussorem. Teste Bonaventurâ, *ossa alba, & nudata carne apparebant.* Et sanctâ Brigittâ scribente, *costa nuda.* Bernardo asseverante, *livor super livorem: fractura super fracturam.* Nonnulli carnifices expugnati tuâ invictâ constantiâ exclamant: *Num virum interficietis?* Volutaris in tuo sanguine dulcissimè Jesu. Sic perstas invulnerabilis animo, toto corpore laniatus, ut unum vulnus sis in tot vulneribus. Et te Fili Dei Deus Pater majoribus servat suppliciis. Sic plagatus es in domo illorum qui diligebant te, id est, quorum scilicet erat te diligere? Hæccine est dilectio? quæ est immanis conscissio? illa est dilectio tui exterminatio? Columnæ Herculis ob pacatum orbem partis victoriis inscribi placuit: *Non plus ultrà.* Inscribamus columnæ Christi Domini; *Non plus ultrà.* Opprobriis summis saturatus, exinanitus totus, sceleri quid poterit addi? hic sit terminus & finis: *Non plus ultrà.*

Omnibus malis major Christus Dominus.

Columnæ Christi inscribe non plus ultra.

A Major est tamen Charitas filii, quàm ut his terminis definiatur, extremum malorum sustinet; at non extremum charitatis pandit. Inscribe, *Plus ultrà*: major est Charitas, quàm ut tantis malis terminetur. Frangitur corpus; non illa: illa flecti non potest, quia insuperabilis vivit, & triumphat amor.

§. LXII.

Quarè sic flagellatus Christus Jesus?

B

PRima ratio: Propter peccata nostra, quæ piissimus Jesus voluntariè in se susceperat, ut illorum debitis in suo corpore satisfaceret.

Horribilis ergo furor Patris irruit in Filium, tanquam reum; & statuit orbi exemplum: quanto odio unum ulciscatur peccatum; & quas pœnas repetet, dum istud in domesticum, suumque defævit sanguinem, implacabilis. Sic & Isaias quinquag. tertio *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ubi Septuaginta habent εἰς θάνατον *usque ad mortem.* Ubi Hebraicè verbum *Negah* inter cetera significat *flagellare* (juxta illud: *Fui flagellatus totâ die*) non eminus, sed in propinquo, quasi ipse Deus Pater suum Filium, Filium, inquam unigenitum, sanctissimâ suâ manu flagellârit: ut ibidem, Isaiæ quinquagesimo tertio. *Vidimus despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem*, quasi leprosum, humiliatum, vulneratum, attritum, & tanquam percussum à Deo. Et quis percussus? Filius scilicet dilectionis. Et à quo? à Patre infinitè diligente propter iniquitates nostras. Ubi Hebraicè habetur *à transgressionibus nostris*; quasi diceret: Non percussit illum Dominus propter ipsius peccata, sed pro peccatis nostris, id est, iniquitates nostræ affixerunt illum cruci, quia vadimonium promisit, & quæ non rapuit, exsoluit. Audi vocem Filii ad Patrem in Psalmo 87. versiculo octavo. *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tui induxisti super me.* Ubi Jeronymus vertit: *procellam macellationis furoris tui. Macellare est crucis macello lacerare.* Qualis autem fuerit flagellatio? Audi Zachariam secundo capite. *Ego cælabo sculpturam ejus*, verbi gratiâ, ut scyphi multis ictibus, & percussuris cælantur, ita immanibus ictibus totum Christi corpus cælatum fuit. Nos ergo sumus, nos sumus sanguinarii: Joab similes,

C

D

Quanto odio sit unum mortale apud Deum.

Filius à Patre percussus.

Cælatura scyphi sic corporis Christi cælatura.

les, *qui audemus mittere manus in filium*, A Regis secundò Regium decimo octavo, versiculo decimo quarto. Tu audes percutere Deum? & Deus sic percussus, non conqueritur de Pilato; non de Judæis, non de nobis; & tamen nos sumus percussores. Ego sum qui feci; ego causa tuorum vulnerum; ego te Deum vermis flagellavi; ergo armavi manus in Filium Regis Magni. Ego comedi uvam acerbam; & dentes tui obstupescunt. Ego quadruplici flagello castigavi Filium Dei: uno flagello turpium verborum: Secundo, actibus impudicis: Tertio, detractionibus: Psalm. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*. Quarto, flagello bonorum injustorum. O Angeli! ubi est patientia vestra? An non spectatis ut jaceant calcatæ vestes, quarum fimbriæ ægros sanabant; ligatæ manus, quæ orbem condiderunt; & panes multiplicarunt? Pedes vincti; qui ovem perditam fatigati quæsierunt? corpus Virgineum, tot vulneribus purpuratum. Cutem Regiam, & florem pulchritudinis deformatum? Ecce fluunt sanguinis undæ; cujus una stilla suo pretio servaret orbem.

Cur non armatis legiones cæli, ad defensionem vestri Regis? ô nunc devotæ animæ; venite ad fontes sanguinis viventis Dei: colligite sanguinis guttas; & lingamus linguâ vulnera Christi, ut olim canes vulnera Lazari. *Altera ratio*: *Altera ratio.* Flagellatur toto corpore; ut totum hominem corruptum à plantâ pedis usque ad verticem sanaret; juxta illud: *Et nos livore ejus sanati sumus*. Isaiæ quinquagesimo tertio. Necessaria erat totius hominis reparatio, quæ non nisi totius corporis tabificâ laceratione dari poterat. *Tertia ratio*, ut discas teipsum flagellare: si sic innocens; & filius, quia opposuit se medium, ita tractatur? quomodo nocens? injurius? hostis juratus? ad flagella Filii, Patris ira quievit, ad quem Pater iratus aspicit? Audi Isaiam 66. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Ubi alia versio habet; *nisi ad flagellatum?* Flagella te, ne flagelleris.

§. LXIII.

Concludamus summam exinanitionem exhibitam in flagellationem: deinde absolvendam in Cruce.

Flagellatio, est spoliatio libertatis, quia servilis; per flagellationem ergo Christus Dominus judicatus servus B infamis. Flagellatio, est exauguratio; quâ quis ex sacro, prophanus efficitur. Christus autem cùm ab hominibus sanctus Dei haberetur: (quis enim poterat eum arguere de peccato?) flagellatione, impii Judæi, sanctitatis opinione nudarunt, & famam summæ reverentiæ prophanarunt. Flagellatio, est quasi exauctoratio, quæ militi contingit ob rebellionem, vel aliquod aliud flagitium militare. Judæi, quia conabantur Christum Dominum exauctorare militiâ Judæorum, & delere nomen ejus; juxta illud Jeremię undecimo, versiculo decimo nono. *Venite, mittamus lignum in panem ejus: morte turpissimâ condemnemus eum, & eradamus nomen ejus de terrâ viventium; & nomen ejus non memoretur amplius*. Nomen ejus delere meditabantur, quia indignum vitâ, & famâ judicabant eum qui legem violasset. *Flagellatio & spoliatio boni nominis, & omnis dignitatis.* C

Deindè flagellatio erat adeò infamis; ut indignus ullâ dignitate videretur: quare sicuti militi cum infamiâ detrahitur cingulum, & miles esse desinit: pariter & viris illustribus, quo veluti signo, spoliatio omnis honoris, & dignitatis denunciabatur. Judæi flagellantes Christum, velut publico, vel buccinâ canente, Christum Dominum exuebant omni dignitate: quare per flagellationem concidebat nomen, & honor Prophetæ; prout populus clamârat: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis*: Lucæ septimo, versiculo decimo septimo *& cingulo spoliabatur*. D

Deinde sicuti Equiti velleris aurei ob perfidiam, vel religionis mutationem vellus aureum detrahitur, cum clade nobilitatis: Sic Christo vellus aureum, qui erat verissimus agnus, & auctor velleris aurei, Judæi sustulerunt, dum flagellant: quia perfidiæ reus judicatus. Quod Franci vocant, *degrader*. Sicut & improbi sacerdotes, quibus raditur caput sacrum, & exuuntur sacris vestibus; vocantur *degradati*, quia suo gradu dejecti. Sic Christus, qui verus Sanctus Sanctorum: *Equites vellere aureo spoliabit.* *Christus aureo vellere spoliatus.*

Omni gradu sanctitatis visus per flagellationem deijci.

ctorum, qui Christus, id est, unctus Domini; qui Nazaræus, id est, sanctus Domino, per flagellationem omni gradu nobilitatis; tot nobilium Regum, Ducumque nepos fuit dejectus. Flagellatio ergo naufragium vitæ, & famæ, & omnis dignitatis: quis enim vitæ cupidus, amissâ famâ?

§. LXIV.

Sequitur lamentabilis exinanitio in coronatione.

AUdierant milites, inter objecta crimina, fuisse affectationem Regiæ potestatis; per ludibrium ergo ingenti structo apparatu, omnes cæremonias creando Regi debitas, isti perditi sanniones explebant. Sic docet Tertullianus libro de coron. militis. *Illam contumeliosæ impietatis coronam populus non conscivit, Romanorum militum commentum fuit ex usu rei sæcularis.* Nota ultima verba hæc: *ex usu rei sæcularis.* Reges inaugurandi, purpurâ, Throno, coronâ, sceptro, faustis acclamationibus, honorificis consalutationibus, osculis, elevatione denique in altum, ut dicitur, succollationibus, & Regiâ pompâ honestabantur. Hæc tota pompa per amaras sannas, & morte acerbiores irrisiones, Christo Domino, tanquam ficto Regi dicata fuit. Hoc apparatu Jehu quarti Regum nono Rex creatus. Ubi enim inunctus fuit, festinavit unusquisque tollere pallium more militari, & ponere Theatrum in formam tribunalis, & solii per gradus elevati, & cecinerunt tubâ, atque dixerunt, *Regnavit Iehu.* Flagellatum ita Christum, induerunt vestibus suis, verùm novo accensi furore, exuerunt illum iisdem, & vestem coccineam circumderunt: & plexâ de spinis coronâ incinxerunt caput, imponunt dextræ sceptrum regni, arundinem, & in sublime tollentes ad theatrum & solium Regium, succollantes deportarunt. Audiamus Clementem Alexandrinum libro secundo Pædag. capite octavo. *Amictum, ludibrio Regem creant.* Et vel militari more super palliorum, vel clypeorum congestum, vel elevato aliquantulum loco sublimiorem statuunt, fieri enim hoc solet in Regum inaugurationibus.

Cæremonia creandorū regum.

Succollatio adhibita, in altum Christus Dominus sublatus.

Hunc ritum docet Curopalata, Gregorius Tolosanus libro tertio & quarto de Regibus elevatis in clypeum, ut à populo salutarētur: unde & ulteriùs processum, ut non solum in adoratione Reges super pallia, & scuta elevati salutarentur: ut & Clemens libro secundo Pudag. capite octauo *Iesum* dicit *elevatum in altum, & coronâ redimitum*; verùm etiam à militibus succollari consuetum, more apum: aqud Virgilium, illum (scilicet Regem suum) admirantur omnes, & omnes fremitu circumstant denso, stipantque frequentes, & sæpè attollunt humeris.

§. LXV.

Ad singula ludibria descendamus, quæ mysterio non carent.

MIlites substernunt propria pallia, significabant omnia Regi debita atque ideò offerenda, & Regibus omnia substernenda: quod super scuta elevabant Regem, portendebatur, scutis, & armis Regem esse defendendum: deinde esse Regem scutum tum populi; tum exercitus. Quòd verò per vices succollarent, insinuabant eum, omnium humeris, & totius regni, velut uno humero sustentandum.

Cur milites substernūt pallia.

Scutis imponebat.

Veniet tempus cùm totus orbis serviet illi, cui illuditur, humero uno. Qui succollatur, ipse totum orbem Atlantis instar fert, eique suos humeros supponit. Nunc Regi corona parabitur. Clemens enim libro secundo Pædag. capite octavo dicit Jesum in altum, coronâ redimitum tanquam Regem.

§. LXVI.

De Corona spinea. Cur spineam delegêre? Cur imperialem?

SPineam elegerunt, tanquam mancipiis debitam, ut aurum diademati Regum, quo ut nihil nobilius: sic nihil spineto contemptibilius. Omnes arbores sui ostentatione, & suo proventu lætæ sibi aliquid gloriæ vendicant, at in rhamno quid laudabile? Nihil: igni reservatur in pabulum. Spinas elegerunt, ut sacro capiti, ut in quo regnant, & sedent vivacissimè sensus, acutissimos ingererent dolores. Arcem ergo invaserunt, ex qua in reliquas partes corporis afflictissimas, novi refunderentur dolores, pœnæque, ut nihil sani superesset, vacuumque dolore. Spinis flamma datur: spinis illatis judicant hunc Regem dignum

Summus dolor in spinis.

dignum flammâ. Corona datur Imperialis, ut totum verticem capitis contegat pilei instar (non verò circularis) ut speciosum caput tot vulneribus divulneraret, quot aculeati stimuli. Horret animus. Si una spina magnanimum leonem, vel Herculem invictum detineat; ut bene apud Theocritum quàm res parva magnum virum domat.

An non domarent duæ & septuaginta, quibus docet sanctus Vincentius Christi caput transfossum.

§. LXVII.

Ex quo genere spinarum. Alii ex juncis, alii ex Rhamno; & cur ex Rhamno.

AUgustinus putat coronam hanc Pontificiam, seu Cidarim confectam ex juncis marinis, quibus abundat Ægyptus; quare & mare Ægyptiacum dicitur Suph id est, juncosus, cariosus. Sic Plinius libro decimo tertio, capite undecimo. *Sunt autem & ad decem cubitos fastigiati, instar Thyrsi semine nullo, aut usu alio, quàm floribus ad Deos coronandos.* Et ecce tibi per ludibrium coronatur Deus. Communior sententia, ex Rhamno coronam confectam. Sic Hieronymus in Abacuc: *plenam sentibus, cujus copiosus proventus in Iudæa, cujus longæ & acutæ sunt cuspides, ex quâ sepes hortenses fiunt.* Gregorius in Psalmũ quinquagesimũ septimũ vocat *Rhamnum inter omnes spinas difficillimam, & asperrimam.* Et auctor Theophrasto *Rhamnus* ἀειφυλλ@, *semper frondens, semper in vulnerando pertinax.* Et Tertullianus de coron. milit. *coronam contumeliosæ impietatis.*

Rhamnus semper viridis, & florens.

Cur ex Rhamno.

Deinde ex rhamno coronant Christum; quia Christum magum esse jactabant. Quare & Christianis Magiæ famam dabant gentiles; operum mirabilium spectaculo: qualia erant, non exuri flammis; leones efferos domare imperio; mortuos suscitare. Qua de causâ & Pilatus ad Tiberium scripsit apud Hegesippum. *Alia,* inquit, *pro aliis mihi de eo mentientes, mihi de eo dixerunt esse magum.* Hinc & illæ voces apud Arnobium Ethnicum, *Magnus fuit magus, clandestinis artibus omnia perfecit.* Cùm igitur, teste Dioscoride, rhamnus instar amuleti veneficia depellat, unde & ἀλεξίκακ@ dicitur; in cautionem rhamno coronant, & contra fascinos magico frutice utuntur. Verùm Sapientia Divina, consilio cœlesti aliud intendebat. Coronatur rhamno; quia corona spinea medetur morsibus serpentis infernalis, sicut spina serpentum, quia præsentissimum remedium adversus venena dæmonis, & noxia phantasmata offert, exhibetque. Deinde quia securum sub se latitanti præbet domicilium. Lege Judic. caput 9. ubi arbores concilium habent de creando Rege: & tandem omnia ligna dixerunt ad Rhamnum: *Veni, impera super nos.* Quæ respondit eis: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros libani.* Vis Christiane salvari? sub umbra sponsi capitis requiesce, nisi velis inde prosiliente igne comburi. Coronet se mundus rosis, ut Sap. 2. v. 8. *Coronemus nos rosis priusquam marcescant.* Elige coronam spineam, si sapis, cum Catharina Senensi, aurea postposita. Bene Clemens Alexandrinus libro 2. Pædag. capite 8. *Hac corona est eorum qui in eum crediderunt, qui fuit glorificatus; cruentat autem eos, qui in eum non crediderunt.* Acerbior autem erit castigatio, cùm egredietur ignis ille, de quo dicitur: *Ite in ignem æternum. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Cant. 3. Ecce Salomon coronatus per ludibrium, & qui sic coronatur, Deus agnoscitur, quia Diis, & Regibus gentiles coronas dabant. Contectum erat caput instar Ericii spinis acutissimis, quæ ferramentis, & stipitibus quasi festucis altiùs adactæ, omnes capitis, & cerebri partes ad digiti cordialis altitudinem penetrabant. Regia Civitas Parisiensis à S. Ludovico allatam magnâ veneratione, bonam coronæ partem tuetur. Servat hæc civitas semper Catholica hæc Passionis sacræ tropæa: ut solent Romani suorum Majorum. Jactent Romani octo coronas suarum victoriarum Triumphalem, Obsidionalem, Civicam, Muralem, Castrensem, Navalem, Ovalem, Lauream. Nos Christiani in purpureâ, sanguineâ, spineâ Christi lacerati coronâ, summum gloriæ supremæ decus; & beatitatis lucem æternam ambitiosè fundemus. Moyses Deum veneratus; vidit ignem latentem in rubo; & nos in Rhamno. Non invenitur Deus in mollibus, sed in duris, & asperis:

Gtiles putabāt Christianos magia deditos.

Cur Divina providentia voluit caput Christi Rhamno coronari.

Rhamnus amuletum veneficii.

Non est è terris, mollis ad astra via.

Vide Silium Italic. de Scipione.

§. LXVIII.

Mystica instructio. Cur spinis coronetur Christus Dominus, rationes variæ.

1. PRima: Coronatur spinis, ut terra nostra maledicta, & captiva, & tribulos, & spinas generans, spinis Christi redimeretur, & solutâ maledictione, produceret flores lætitiæ. Sic Cyrillus Catechumen. decimo tertio. *Mysterium erat corona, solutio enim erat peccatorum, dissolutio maledictionis.*

2. *Secunda* spina, peccati effigies. Tolerat spinas, ut nobis spinas peccati evellat. An non peccator, semper spinas in corde aculeatas, id est, morsus perennes circumfert? Sic docet Germanus Constantipol. in sepulchro Christi. Corona ex spinis plexa ante crucem capiti imposita, confirmat dicentis verbum: *Confidite: ego vici mundum*, mundique Principem, portans peccatum mundi: peccati symbolum, spina est.

3. *Tertia.* Quid sunt curæ, & solicitudines hujus sæculi, quæ bonum semen Spiritus sancti suffocant, nisi spinæ, quæ animum perpetuò distrahunt, lacerantque? Benè ille Rex Persarum coronam Regiam cùm sibi videret deferri, exclamavit: *Quam fulges auro corona, quàm multis spinis obsita colluces!* Quid sunt aurum? ebur? gemmæ? & Orientis lapilli? nisi summi materies mali, spinarumque? Mergamus eas priusquam nos mergant. Christus illas spinas suscepit; ut suis spinis in libertatem nos vendicaret, vel saltem morsus, & puncturas temperaret. Sic Athanasius in passione Domini: *Injecit scelestus dæmon, quamquam nolens, solicitudines nostras super Dominum*, ut earum gestatione Dominus noster, omnes in securitatem asserere: ipse enim in doloribus, & curis erat, ut nos doloribus careremus. Hinc Paulus clamat 1. Corinth. 7. *Volo vos sine solicitudine esse: præterit enim figura hujus sæculi*, (1. Corinth. septimo, versiculo tertio) *& qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.*

4. *Quarta*, corona, victoriæ signum; & ideò portat Christus Dominus, quasi victor coronam spineam: *Solent enim*, ut ait Isidorus libro Epistol. 95. *victores celebres hoc ipsum telum, cujus ope victoriam sunt consecuti, in triumphum producere.* Sic armamus Herculem victrice clavâ, & Davidem Goliath gladio interempti; & omnes sanctos suis trophæis; ut Petrum cruce; Paulum gladio, Laurentium craticulâ suâ: sic Christus Dominus spineâ coronâ est redimitus, in signum victoriæ, quia à vulnere opem, à dolore curationem, à lethifero hoste fulgentem tulit victoriam. Coronatur Christus unâ coronâ spineâ, quæ omnes Romanas in suo sinu complectitur: eminet triumphalis; quia de debellatis tribus hostibus; carne, mundo, & dæmone, magnificentissimè triumphat. Circumfertur & obsidionalis, quæ omnium nobilissima, dum mortales infinitis undique malis obsessos, liberos facit. Pulchrè donatur & Civica; dum suos fratres, factus homo, ab instanti liberat morte, nullum faciens finem offerendæ vitæ. Donatur & murali, qui in cæli muros clausos, primus insiliit, invasitque. An non etiam donatur Castrensis; quæ non datur nisi toto exercitu liberato? an non exercitus generis humani sub jugum æternæ damnationis mittendus, clausus undique ab hostibus fuit liberatus? Mirum dictu. Fuit & navali donatus, qui arcam Noë, in qua erant sex animæ in semen universi, à diluvio servavit. Ovalem autem semper ostentabit victor Christus: & lauream, & florentem; qui regnum, & regni triumphus stabit in æternum: *Et regni ejus non erit finis.* Coronatur præterea Christus Dominus, tum quia sacerdos sacrificans, tum quia victima. Apud Romanos enim, & Judæos sacro ritu, & victima, & sacrificaturus in Deorum honorem coronabantur. Sic Plinius lib. 16. cap. 4. *Ferunt omnium primum Liberum Patrem imposuisse capiti suo coronam ex hedera: posteà Deorum honori sacrificantes sumpsêre, victimis simul coronatis.* Unde actus Apostol. cap. 14. Ubi sacerdos Jovis tauros, & coronas afferebat Paulo sacrificaturus. Coronatus ergò spinis apparet, Patrem placaturus tanquam victima, & sacerdos: & coronatus spinis agit cum Patre de mundi salute, velut alter Moyses, de liberatione populi, cum Deo latente in rubo. Hanc victimam tot sæculis prælusit aries hærens in spinis, cùm Isaac esset immolandus. Aries intricatus spinis, cedit in victimam Isaac liberato. An non Filius Dei nobis liberis immolatur? Deinde decuit & Filium Dei coronari. Decet enim Principem suo populo coronas triumphales parare. Ipse enim Princeps quid aliud est quàm scutum Reipublicæ; cujus est, omnia tela hostilia in se suscipere? Docet ergo Princeps se Patrem, & Regem; & Regii muneris esse, nec non paterni, salutaria suis procurare. Docet prætereà neminem coronandum, qui non steterit sub spinoso coronato capite: *nemo coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* Hoc ipsum præclarè docuit Aristoteles libro Ethicor. *Nulli*, inquit, *nec pulchro, nec diviti, nec potenti dabitur corona ludi Olympiaci, nisi*

Christus coronatur octo coronis victoriarũ Romanarũ.

Sacrificans & victima coronata.

Christus sacrificaturus coronatur spinis, loquens cum Deo patre ut Moyses Deo in rubo latenti.

nisi qui virtutis actum exercuisset. Et Joannes Apocalypsis tertio. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et Job trigesimo quarto: *Sanctus conteret multos, & innumerabiles, & stare alios faciet pro eis.*

A Sic Ambrosius in Psalmũ decimum octavum, juxta illud Apocalypsis sexto: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terram.* O Christiane exspectans exspecta: spes fiet res.

§. LXIX.

Aliud genus illusionis. Cur chlamydem Christo injecerunt, cur propuream?

PRojectâ veste inconsutili, vel stolâ; ut vocat Origenes, vestitur chlamyde. Hàc primus Romanorum usus Numa Rex. Deinde multis pòst sæculis Alexander Severus. Apud Macedones erat vestis, seu amictus Imperatorum: ut habet Lampridius; quod Romanis erat paludamentum. Illa erat distincta à pallio; quia brevior, & strictior: & teste Nonnio Marcellino superi inciebatur armis. Induerunt ergo Christum veste purpureâ, & chlamydem purpuream circumdederunt. Insultant ergo Christo tanquam Regi; quia Reges purpura vestit, & solis Regibus, & Magistratibus debita. Sic Daniel honoris causâ, donatus purpurâ: Christus autem ludibrii causâ. Sic & Romani, iis quos Reges vocabant, purpuram mittebant. Sic Tacitus libro quarto Annalium.

Christus purpura quasi rex vestitur.

Audi pie Lector; cur bis tincta vestis? Quid portendit? Primò: Christum triumphaturum de mundo subjugato; & orbis imperium non alieno sanguine, sed suo comparandum. Ut pulchrè docet Isaias 63. capite: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosrâ? iste formosus in stolâ suâ, quare rubrum est vestimentum tuum?* Quid mirum si vestimenta sint respersa sanguine? *torcular calcavit solus.* Deinde protendit largitionem profusissimam sanguinis per martyria litandi Deo; quæ enim ora in terris non imbuta sanguine Martyrum?

An non Roma inundata plenis rivis sanguineis. Semen enim Christianorum, sanguis Martyrum: ab ipso sanguine sumit vires, & animos sacra fides. Sanguis Christi; nos Martyres, & Reges facit; quia sanguis Christi, pupura est, & afficit animas Sanctorum; non solum colore resplendens, sed etiam potestate, quia Reges facit, & Regibus meliores.

§. LXX.

B

Sequitur quartum genus illusionis. Sceptri arundinei donatio.

VT caput spinis dehonestatum. sic & dextra arundine velut sceptro: sic caput Regium; sic Regiæ manus vinculis strictæ, manus quæ orbis machinam sustentant, reguntque. Cur arundinem excogitârunt? ut signarent, Christi potentiam vacuam viribus, instar arundinis: vacuam duratione, subito interituram, quod tueri non posset. Ingens, & amara irrisio.

C Hanc & alios sarcasmos secuturos & Erythræa Sibylla prævidit, dum ait, horrida corona spinea caput confixum, manibus: sacris arundinem in viam sceptri Regii joculariter insertam. Audiamus illam:

Pérque feret tacitus colaphos ne fortè sciatur
Quis sit, cujus sit mortalibus unde locutum
Venerit: horrentémque feret de vepre Coronam.
Nam sanctis veniet de vepre æterna corona
Lectis. Tunc calamo compingens lilia, legis
More sua. Ex calamis etenim quos concutit aura.

D Audierant illum acceptum vocibus triumphalibus, & ingenti applausu populorum Jerosolymam inductum: nunc inferunt arundinem, ut rideant vitream Christi, & fragilem fortunam. Et verè quid sunt regna mundi, nisi brevis aura, nisi ludibrium fortunæ, nisi circum acta rota? Quid ergo calamus, nisi nitor gloriæ temporalis? Gloria mundi calamus intus per stultitiam vacuus; per speciem, & ostentationem pulcher. O fallax bonum, Regnum! quantum malorum, quàm blandâ fronte tegis! Rex es, & imperas? Fulgidas compedes, claramque despondisti servitutem.

§. LXXI.

Pulchum mysterium latet in hâc illusione.

VErtit dæmon, dum arundinem offert, telum in suum exitium. Audi Athanasium de passione Domini. Arundinem accepit cum illi à diabolo porrigeretur ignaro, quòd contra seipsum gladium acueret: dicitur enim serpentibus lethalis arundo. Serpens ergo dæmon sceptro Christi confoditur, & ludibrium Christi, vertitur hosti in supplicium, sicut & lignum quo vicerat mundum.

§. LXXII.

Quinta illusio; Exprobatio fellea. Quantum malum & aculeatûm.

SEdebat Christus Dominus quasi in theatro palliis constrato; Regio cultu totus purpureus, coronatus, totus madens sanguine diffluente; sedebat tanquam Rex admirabilis sceptro arundineo, & tanquam Rex adoratur. Ab orbis incunabulis adoratio Principibus dicata debitaque. Sic Abraham crebrò scribitur adorasse, Genesis decimo octavo. *Tres vidit, & unum adoravit.* Vide alia loca. Sic Bersabee Davidem. Frequentior apud Persas, & Medos hujus ceremoniæ usus. Cyro, teste Ariano, delata est adoratio, & quidem prono toto corpore. Diocletianus impius; vt Deus voluit, & osculum pedibus dari, Persis à se devictis.

Adoratus Christus per ironiã.

An non idem instar arundinis contabuit, sanguine ferè suo suffocatus, & erumpentium vermium copiâ tabidus? Amarissimè ergo Christum Dominum, ut Regem adorant; & faustis ironiis, & sarcasmis inauguarunt: *Ave Rex Iudaeorum.* Major labor, teste Senecâ, illusiones ferre, quàm vulnera.

Illusio gravius vulnere maliũ.

Nihil gravius sensit Themistocles, teste Plutarcho in Alcibiade, quàm felleas irrisiones. *Testor*, inquit, *Deos immortales; me exilium in Licaoniâ non sensisse, nec bonorum proscriptionem, nec vulnera corporis, quàm verba illusionis, quæ Ctesiphon in faciem effudit, illusitq.*

An non Noë illusione filii sauciatus, filio maledixit? An non Elisæus acerba- A tus clamoribus puerorum; quarti Regum secundo, versiculo vigesimo sexto. *Ascende, Calve, ascende Calve.* Advocatis feris dilaniandos dedit, imprecatus illius maledictionem? Verè dixit Seneca in tractatu, quòd in Sapientem non cadat injuria. *Invenies*, inquit, *servum qui flagello, quàm colaphis cædi malit, & qui mortem, & verbera tolerabiliora credit, quam contumeliosa verba.* Hi ergo veniebant ad eum, & dicebant: *Ave Rex Iudaeorum.* Regi sæculorum insultare tanquam stramineo Principi, & Deo tanquam servo; quàm contumeliosum! Duplicat dolorem tam dignitas patientis, quàm indignitas, & turpitudo inimicantis; & immanitas convitiantis, integritatis florem.

B

§. LXXIII.

Sexta illusio; dabant alapas. Indignitas alapæ, & illatæ ultio.

QVàm injuriosum sit, ingenuo viro infligere alapam; docet querela Job decimo sexto. *Alapâ percusserunt maxillam meam, & satiati sunt pœnis meis.* Jeremias insuper memorat hanc contumeliam Thren. 1. *Dabit percutienti se maxillam: satiabitur opprobriis.* Deinde Isa. 59. *Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in* C *me.* Beatus Ephrem de passione: *Creator qui de pulvere hominem finxerat per gratiam; à manibus, quas ipse fecerat alapam accepit.* Servi donantur libertate, cùm alapam accipiunt. Et Dei Filius omnium liberator à servo accepit alapam. Vide Chrysostomum in Joannem tract. 81. *Quid hoc impudentius? exhorrescat cælum, & contremiscat terra.*

§. LXXIV.

Quanti æstimetur ignominia alapæ.

D ANno 1525. Borbonius accepit alapam à Rege Fräcisco Primo. Defectionis causam dedit alapa. Ad Caroli V. partes transiit: & suum Regem ad Ticinum cepit; & quo nihil Regi contigit amarius, dicitur & Regi propinasse. Ex variis: & ex Jacobo Gordono in suo Chronico. Munsterus libro secundo Cosmograph. narrat de Boso ultimo Rege Arelatensi. Hic in Episcopum ira exarsit, quòd sacra mysteria in vigiliâ nativitatis se absente, celebrasset cùm tamen adventum Regis fuisset edoctus; ut iræ alapam conjungeret. Episco-

Vltio alapæ.

Episcopus dolore ardens, & coram populo, Cleroque sic traductus; ad Ottonem Imperatorem appellat. Cæsar per barbam suam jurat ultionem: coacto exercitu; Arelatum obsidet, capitque: Regem capitis condemnat; verùm Episcopi, & aliorum intercessione vita datur, quam reus aversatur: *Sit*, inquit, *sententiæ locus; pœnas, mortem non recuso.* In varias itum sententias; tandem decretum ut Rex attonsus in Cænobium detruderetur. Regnum ergo cedit imperio in spolium: alapa ergo eversio regni. At Christo cesserunt alapæ in gloriam, cùm illas ut amoris tesseras accepit; amoris judicavit ardentis signa, solent enim amantes osculis, & alapis testari teneros secreti cordis amores. Hunc in modum voluit & is qui est æternus amor, prodere suum in nos amorem, quibus nihil debebatur præter odium.

Eversio regni ob alapam.

Qualis & quanta fiducia concubinæ Apemes adversus Regem Darium, cujus dextrum latus occupabat in concilio, & Principum cœtu, cùm disputaretur quidnam foret omnium fortissimum (vide Esdram libro tertio capite quarto.) An non fiduciâ amoris auferebat diadema de capite ejus, & sibi imponebat; & palmis cædebat Regem sinistrâ manu, & super hæc aperto ore intuebatur rex eam, & si ei arriserit, ridet: nam si indignata ei fuerit, blanditur donec reconcilietur in gratiam.

An non Filius Dei ab amata natura humana abstulit spineam coronam, & imposuit suo capiti, & patitur sibi auferri coronam sui honoris, ut eâ coronetur spineâ? An non ab eadem tolerat alapas amoris acceptas, quasi pignora amoris? ô Amor ut transmutas amantem!

§. LXXV.

Septima illusio, & exinanitio; consputatio.

Crescit ignominia fœdioris ignominiæ novitate. An non vilis locus quæritur, sputo, phlegmati, & fœdis oris excrementis? Quis speciosius vultu Filii Dei? *Speciosus formâ præ Filiis hominum*, Psalm. 44. forma, inquam desiderant Angeli prospicere, forma, & vultus magni Solomonis, quem desiderat terra videre.

Hæc forma, hoc decus oris, hic vultus Regius, locus visus dignus horum carnificum indigestis, exhalantibusque frustis popinæ peractæ: an hic locus ô impii dignus contagio vestrorum morborum, & cruditatum?

Horret animus hominem consputare, & oblinere: an non horribilius Deum sputalicum, & dignum sputo judicare, ut in sacram faciem despument fœtores stomachi revomentis, exundantisque? Job contra hos tonat trigesimo capite. *In faciem meam spuere non verentur.*

An non injuriosum Filiæ à suo consputari Patre? Planè. Numerorum tertio: *Si Pater ejus cõspuisset in faciem ejus, nonnè debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* Nec solum in Christi vultum; verum & in os sacrum trajiciebant horrenda phlegmata. O scelus dignum inexpiabili flammâ! Quanti sit sceleris, lege Zonaram in Heraclio. Hic Filiam propriam, quam ex Eudozia tulerat; quia ex fenestrâ sputo in mortuæ Matris corpus projecto, quod summâ pompâ efferebatur, visa fuit violasse, barbarico exemplo vivam concremavit, & in eodem rogo quo mater mortua; illa viva in cineres redacta.

Vltio ingens in consputationis infamiam.

Quoties tu libidinosis oculis, & spurcis contactibus vultum Christi contaminas? quoties tu conspuis in Christi vultum, & os sacrum, tuæ linguæ sermonibus impudicis!

§. LXXVI.

Octava illusio & exinanitio percussione arundinis, & vellicatu capillorum.

Vbi gentium auditum, Regem vapulare, & pœnas dare suo sceptro, cujus motum, & nutum omnes verentur, suspiciunt, formidant, horrentque.

Hanc ignominiam prævidit Michæas quinto. *In virgâ percutient maxillam Iudicis Israël.* Summus honor, capitis compositus capillus. Christi Cæsaries ut admirabilis; sic mirabili lege fluidus, aureusque, qui mortales omnes flore pulchritudinis; sic & flore capillorum alliceret, recrearet, vinceretque Absolonis aureum caput. Alexander ab Alexandro libro primo, capite vigesimo octavo ait: Judices Reges, & Legatos curiosissimè capillum plectere, componere, crispare, quasi calamistris intorquere solitos, & tum, cùm maximè, quando accessum daturi.

Cæsaries Christi qualis.

Et sanè omnis venustas capitis, est aurea coma. Hæc enim est homini, quod arboribus, silvisque suæ comæ frondesque; herbæque suis pratis. Esto; sit mulier venustissima, lapsa cælo, mari edita Venus, omni gratiarum choro stipata, cinnama fragrans, balsama rorans, odoribus delibuta;

Qualis cura Principi circa Cæsarem.

delibuta; si nuda capillis, placere vix poterit.

Quare & apud Persas, Judæosque summi luctus signum, est capillorum vellicatus.

Formosa facies sine capillis deformis.

An non indignum Achille, qui tantus Heros; genas lacerasse? crines evulsisse? quare & leges vetant audaciam effrænem vellendi capillos. Sunt enim apud omnes gentes capilli in honore; quos natura partim ad ornamentum, partim ad capitis defensionem dedit; ut arcem Regiam, & ornarent, & velut scuto protegerent. Pavonibus ad miraculum lascivientis naturæ caudam formosam colludentibus coloribus congessit Deus; columbas versicoloribus plumis ditavit; hominem capillis; & virum insuper barbâ in tesseram indolis generosæ. Convulsione ergo capillorum; vellicatu Barbæ, genarum confusione, maxillarum per ungues laceratione, sic Divinus Christi vultus deformatus fuit (unâ præsertim maxillarum, quæ manu ferreâ in domo Caiphæ fuerat impiè violata, valdè prominente) ut hominis forma quàm proximè esse desineret.

Bene ergo Isaias capite quinquagesimo tertio. *Vidimus eum despectum, & novissimum virorum; virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum.*

Christi facies monstri instar.

Fidem deformationis facit facies Romana, Veronicæ quondam, in præmium pietatis data; & quis barbarus siccis oculis spectavit? totus in vultu squalor, livor, & horrida nigredo. Leonibus efferis objectus agnus: juxta Jeremiam duodecimo. *Facta est hæreditas mea quasi leo in silvâ.* Ac proinde juxta illud ejusdem quarto. *Intuitus sum; & non erat homo.* Hoc ipsum Isaias docet suprà; apud quem novissimus virorum vocatur ut suprà dictum. Sedebat ergo coronatus, arundine insertâ manibus: sedebat natans in suo sanguine. Salutabatur ut Rex purpureus, ostro suo tinctus, fluidusque: personabat locus impetu, sonituque alaparum. *Vermis*, inquit Filius Dei tonantis: *vermis*, inquit, *sum, & non homo*. Psal. vigesimo primo, versiculo septimo, non homo, *sed opprobrium hominum*; satur plagarum, satur injuriarum, satur percussionum; necdum saturi carnifices animo; quamvis saturi corporis fatigatione. O Magne Deus! ô sæculorum Monarcha! quò redactus es, ut Rex per sannas, ludibria jocosque proclameris.

Has omnes numeratas illusiones Lactantius de vera sapientia libro quarto, capite decimo octavo ex Sibyllis sumptas describit. *In manus* (inquit) *insi delium veniet, & dabunt Deo alapas manibus incestis & impurato ore exspuent venenatos sputus: dabit verò ad verbera simpliciter sanctum dorsum; & colaphos accipiens tacebit. Ipsa enim insipiens tuum Deum non intellexisti ludentem mortalium mentibus, & spinis coronasti, & horridum fel miscuisti*: & Sibylla increpans & Judæum & gentilem populum dicit: *Ipsum tuum cognosce Deum*, quem Sibylla expressit Isaiæ quinquagesimo-nono. *Sicut ovis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum.*

§. LXXVII.

In quam occasionem, finemque tot crudelia machinamenta inventa & cur Pater æternus illa permiserit Filio suo infligi. Dolor dæmonis & Consilium Iudæorum tuorum, fuit eripere Christo omnem famam.

CONsilium dæmonis, & vafrum artificium fuit, Filio Dei, Divinitatis famam tot miraculis partam adimere; & splendorem gloriosi nominis, & doctrinæ cælestis Majestatem non solùm obscurare, verùm etiam penitus exscindere. Hoc ipsum strenuè moliebantur Judæi: atque ideo sceleratorum pœnis Christum Dominum conficiebant, quo tantæ famæ, & nominis celebrati, venefici, & magi, & indigni vitâ infame nomen inspergerent; ac denique obliterarent; juxta illud Isaiæ quinquagesimo tertio, *quia abscissus est de terra viventium*; instar arboris succisæ, & eradicatæ. Et juxta illud Sapientiæ secundo capite, ubi illud decretum stabiliunt dicentes: *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Et Jeremiæ undecimo. *Mittamus lignum in panem ejus; & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.*

Studia Iudæorum volentium Christi memoriam exstinguere.

In hoc ergo incumbebant impii; ut Christum cum ipso nomine simul exstinguerent. Philo Judæus in Flaccum Præsidem Alexandriæ, acerrimum armamavit stylum; quod Agrippam Regem hoc pacto fuisset ludificatus. Erat, inquit, quidam insanus nomine Carabas, non ex illo conspicuo furiosorum genere; sed leviore correptus insaniâ; is interdiu, noctuque nudus oberrabat per compita, nec frigus, nec æstum devitans, puerorum & adolescentium ludibrium. Hunc miserum propulsum ad gymnasium, in superiore loco

Mira irrisio in regem Agrippam.

loco statuunt, ut spectari posset ab omnibus; moxque capiti diadema imponunt papyraceum; pro paludamento, corpori stoream induunt; pro sceptro frustum arundinis quidam dedit in manum; humo deinde sublatum circumferunt sic ornatum Regiis insigniis, & in Regem transformatum more histrionico.

Adolescentes in humeris perticas gestantes stipabant pro satellitio; tum alii salutatum accedebant, alii sibi reddi jura petebant, alii consulebant eum de Republicâ. Post hæc acclamatum est à circumstantibus, magnâ voce *Marim* appellantibus, quod nomen Syris, significat *Dominum*. Norant enim Agrippam Syrum genere, & regnare in bonâ portione Syriæ. His auditis, imò visis, Flaccus cùm debuisset illum insanum conjicere in carcerem, ne illusoribus præberet materiam petulantiæ, atque etiam ipsos subornatores; quod Regem Cæsaris amicum, à Senatu Romano honoratum ornamentis Prætoriis, ausi sint apertis, obliquisque contumeliis lacessere, non solum eos non castigavit, sed nec cohibere quidem dignatus, licentiam dans malitiosis & inuidis.

Tu Philo excandescis in Flaccum; cur tu non in tuos contribules? injurias Aprippæ congestas fremis, & ulcisceris, cur non Christo Domino vindicas illatas? Judæis approbantibus, & vehementer instigantibus, Regi & Domino cæli, tanquam insano insultarunt impii satellites, & tu silente calamo, præteris injuriam? Veniet tempus cùm ulciscetur Deus. Josepho quippè teste libro secundo belli Judaici, capite decimo quarto. *Florus Præses, multos nobilium verberibus laniatos sustulit in crucem, imò & ausus, quod nemo, unquam priùs, pro tribunali flagellis cadere, ac patibulis affigere.* Voluistis Judæi ludibriis Christi nomen exstinguere, verùm justo judicio Dei vos erratici, & orbe vagi, nomen exosum vestrum propagatis, ut semper lento igne cremetur.

§. LXXVIII.

Quare Deus passus fuerit irrogari tanta ludibria.

DEus Pater voluit sic conterere, juxta Isaiam, suum Filium, & Dominus voluit conterere in infirmitate, ut sanaret suâ contritone, contritionem populi sui. Exhausit mare amaritudinis Filius Dei, quia instar maris erat contritio nostra, nostraque amaritudi-

A nis hæreditas; juxta illud Jeremiæ Thren. secundò: *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Ierusalem?* Cui exæquabo te & consolabor te. O Virgo filia Sion, *magna enim est velut mare contritio tua; quis medebitur tui?* Ut mederetur Deus Pater; Dominus Pater voluit conterere Filium in infirmitate, tot scilicet cruciatibus, & illusionibus contundendo: Isaias quinquagesimo tertio & ibidem quinto: *Attritus est propter scelera nostra. Quare & disciplina pacis nostra super eum,* id est, castigatio, ut Hebræa vox *Musar* sonat. Christus ergo tanta passus est; ut nos reconciliaret Deo, & pacem, & omnia bona pararet. Exegit ergo à Filio Pater, quidquid pœnarum nos ei debebamus.

B Quare & Sanchez vertit disciplinę, retributionis nostræ super eum; ipse rependit tributum, cujus nos eramus debitores. Deinde tot ludibriis propter Patrem fuit exinanitus, ut cognosceret mundus, quia Patrem diligebat, inde futurum tantæ dilectionis remuneratorem, & ima summis, & summas injurias summis honoribus, irrisiones summis applausibus permutaturum. Finis ergo tot contumeliarum, erat salus nostra, quę Christo summos, æternosque parabant triumphos. Pulchrè Athanasius in passionem: *Miraculum novum, & incredibile, quem per ludibrium, subsannationemq́, pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta.* Verè

C ornamenta, & arma, quibus spoliavit victor infernum, & suis manibus dæmones, & jure regnandi conquisito. I nunc, capillis calamistratis insere flores, inspergeodores, & unguenta; exhalent comæ nardum, dita ramentis auri, ut inde ad contactum radiorum emicet fulgor. Quàm diversus à Christo, es Christiane! sequere miles Ducem, tu filius Patrem, tu servus Dominum: tunè vives vitam delicatam sub spinoso capite?

§. LXXIX.

D

Vltima ante Crucifixionem illusio. Vt ad populum productus Christus, Dominus. De voce Ecce homo, *qualis sit ille homo.*

STabat Christus Dominus purpurâ Sarranâ Regis instar tectus; undique sectus flagellis, spineâ cydari tectus, sceptro arundineo infamis coram populo, ut is tandem furore mitigato, ferinum, & saxeum ponat pectus. Misero enim, & cala-

calamitoso insultare, non hominis est. Pilatus ostentat hominem, non hominem, vix tenue hominis vivi simulachrum. Ostentat, & clamat: *Ecce homo. Ecce homo:* ut ait Augustinus tract. 116. in Joannem, *non clarus imperio, sed plenus opprobrio.* Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. Flagellatus est, coronatus spinis, ludicrâ veste amictus, amaris conviciis illusus, alapis cæsus est. Deferbeat ignominia, frigescat invidia. Verùm non frigescit, sed inardescit magis. Et ne hæc forma, hæc species Regis, cui illuditis ut Regi, nos terreat, distat à formâ Regis, qui vix distat ab hominis formâ. *Ecce homo?* an non frater vester, & vestra caro est? an non homo? cur ut feram tractatis? *Ecce homo*, qui tuos ægros, leprosos, & afflictos sanavit, mortuosque tibi tuos reddidit. Hei mihi! qualis jam eras Fili Dei, quantum mutatus à teipso. *Ecce homo* adeò deformatus, ut homo esse dici non posset: nisi Pilatus validè exclamans, hominem esse, asseverasset: dixisses morticinium, aut feram undique confixam, laceratamque: dixisses picturam primorum rudium pictorum, quæ quidnam repræsentarent, sciri non poterat, nisi factâ inscriptione.

Qualis homo Christus.

Hæc pictura hominem, avem, columbum signat: adeò Christus sine forma hominis. Sic tu peccator, tu te deformâras, ut vix aliquid hominis in te superesset: tu causa Christi turpificati: tu pulchritudinis increatæ, sic sic deformatæ. *Ecce homo.* Tu superbe vide Christum sic sic humiliatum, ab omnibus desertum, & tu sectaris honorum vanitatem. Homo carnalis intuere carnem Virgineam, sic laceratam, & tu saginas tuam. *Ecce homo.* O Judæe! qui se miraculis probavit Deum, dum te pavit in deserto, nunc ad quatuor, nunc ferè ad quinque millia hominum, exiguâ annonâ, & nunc miraculo patientiæ probat se justum hominem, quem tu tot beneficiis cumulatus, concidisti? *Ecce homo:* pictura animæ peccatis deformatæ, in quâ Filius Dei residere solebat in forma Dei, eò reductus est à te, ut vermis fit, & non homo. *Ecce homo*, tabula miseriæ, & calamitatis: & tu in hominem hunc desævis, popule tygride ferocior? accusas illum affectatæ Divinitatis, qui vix refert speciem hominis. Alexander Magnus ubi sensit se vulneratum, negavit se Deum, memor sortis humanæ, qui antè jactabatur Deus: Omnes, inquit, isti me Jovis filium esse dicunt, sed vulnus hoc hominem me esse docet. *Ecce homo*, vix homo: quomodò Rex erit? si Rex, ubi sceptrum? ubi corona? ubi servi? ubi exercitus pugnatorum? O sancti Ange-

A li! *Ecce homo*, Rex vester, & Deus vester, cur non armatis legiones in defensionem, qui in formâ Dei similis Deo Patri? Sancta Virgo & Mater: *Ecce homo*, cui tu corpus fabricasti: *Ecce homo*, qui Filius tuus, an ut filium nosti? Hei mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo: squalentem barbam, & concretos sanguine crines, vulneraque illa gerens quæ circum plurima cepit. O Mater, *Ecce homo*, ecce Filius tuus, tuus inquam filius ex te natus. O Pater æterne, *Ecce homo*, & tuus Filius: audivimus vocem: *Ecce filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui:*

B Matthæi tertio. Estnè hic filius tuus? cujus facies resplenduit ut Sol, & vestimenta facta alba sicut nix? cujus facies sine facie, & corpus exutum pelle totum suo sanguine purpuratum? *Ecce homo*, Pater æterne, qui satisfecit: si homo peccavit, solus homo satisfacere patiendo non poterat, & ideò clamo: *Ecce homo*, & verus Deus, cujus una sanguinis gutta toti orbi redimendo sufficiebat: quorsum ergo sanguinis inundantis copia? Satis sit Pater æterne, satis sit, ô dulcis Jesu, quid doloris addi potest? respice Pater in faciem Filii tui, & vide num filius tuus sit. Ad vos, ô Judæi, non Judæi, sed leones, tygri-

C des, & pardi, & illis immaniores, me converto. *Ecce homo*, qui vos meritis cumulavit, offendit nunquam: nunc moveat facies, & corpus immaniter laceratum; memineritis hominum esse, calamitosi misereri. *Ecce homo*, spectaculum innocentiæ, & spectaculum immanissimi vestri furoris, sufficiat iratis forma viri. Hyperides Orator agens causam speciosæ Phrynes, & jam diffidens causæ, miro artificio, ruptâ veste pectus niveum, speciosumque Judicibus ostentat? vicit pectus animos judicum, species non verba Oratoris, perorant.

Rupibus duriores Iudæi.

Et tamen Christi pulchritudo, qualis nulla major unquam fuit, exposita in spe-

D ctaculum, hunc tyrannicum populum non commovit. Marcus Antonius, ut populum Romanum concitaret in ultionem cæsi Julii Cæsaris, togam sanguineam, tribus & viginti vulneribus confossam, ostentavit. Quanta fuerit rabies, ira, furor; hinc existima: & hoc tragicum spectaculum non tangit hæc adamantina corda? imò non corda. O peccator tu es ille durus adamas; qui sanguine Filii Dei non moveris: *Ecce homo*; & Deus.

Pro te flagellatus; ne æternum flagelleris. Pro te coronatus spinis; ut tu coroneris æternis gemmis in cælis. Lachrymatur; ne æternum fleas æterno luctu, sed gaudeas. Et ecce homo; pro te nunc moritur, ut æternùm vivas: & tu tantum amatus,

A amatus, perstas immobilis, durus, saxeus, ferreus, quasi cor non habens: aversantur hoc spectaculum Judæi furentes; ubi audierunt vocem Pilati: *Ecce homo.* Et tu Judæorum æmulus, oculos avertis. Cæcus Judæus; & tu cæcus. Narrat Ælianus l.12. cōpendiosè perstringam: Circumferebatur in turba licitantium nobilis pictura. Longum erat certamen licentium; trahebat enim quemque sua voluptas. Contendentium licitationes exquisito pretio finit nobilis amator artis. Intererat rusticus spectator; & attonitus immanitate pretii secum mirari, & videre, & tandem irridere hominum, ut secum fremebat, amentiam. An inquit sterilis, & muta tabella, tanto pretio, nec non honore digna? quid ibi tantis petitur votis? B prætulerim ego vernaculas meas rapas & insita mala delitiasque mei ruris. Prô quantum malum ignorantia! Et rustico insultans nobilis ait; Si meos oculos habuisses, pretio aucto mihi præmium extorsisses.

Tanti est rerum notitia. O Judæe Cæcus es, & exoculatus; amens furore non agnoscere hominem, quem hominem Deum ignoras, hic jure dixere. O homo si oculos haberes; & nosceres de quo dicitur; *Ecce homo*; præ lachrymis oculos obtueres tuos, si verus æstimator fuisses, Deum agnovisses. Ecce hic homo, qui sic vulneratus, Deus est; Deus est, Deus est; homo in formâ Dei; pro te tot vulneribus laceratus. Mater ut videt filium C summâ curâ educatum, præcipitem ire in amentes furores, ubi clamoribus nihil actum; passis capillis, & dilaceratâ per furorem facie, filium insequitur; qui ut videt violentum matris pectus, vultumque fœdatum, sistit gradum, & abrumpit perditum iter. *Ecce homo.* O homo peccator; ait Pater æternus. Siste gradum, rumpe moras. *Ecce homo*; sic tractavi Filium meum, & parcens tibi, tui sum misertus; non parcens filio meo. Convertere, & redi prodige ad Patrem tuum. Si enim cognosceres hunc hominem, Dominum gloriæ; nunquam D Dominum gloriæ crucifixisses.

§. LXXX.

De ultimâ Christi exinanitione, de Crucis servili supplicio.

CHristum Dominum flagellatum, & coronatum, ut servum vidimus; restant adhuc duo servitutis supplicia: Crucis portatio; & in eandem affixio. Servis ut crux debeatur; ita & crucis portatio. Filius ergo Dei, propter me servus factus; omnia servorum obit munia, ut immunem æternæ servitutis redderet hominem. Voluntariè & liberè mortem sicut elegit; ita & mortis infamiam. Impii ergo milites mortis auditâ sententiâ, Christum cruce quindecim pedum longâ, cujus transversum erat octo pedum; vel palmorum; vel ex quercu, ut Alphonsus Ciaccon. *libro de signis sanctæ Crucis, capite trigesimo*; existimat. Vel ut Gregorius Nyss. *in oration. de Baptismo*; ex vili, & ignobili arbore confecta in formam Hebraici Tau ꓔ. vel Latini T. Cruce scilicet immissâ, non commissâ onerarunt. Exutus ergo purpurâ, suâque propriâ indutus veste, jubetur instar servi, ut moris erat, portare propriam furcam. Sic in Coriolano Plutarchus: Hæc, inquit, maxima servo pœna infertur; ut plaustri lignum, cui nemo affigitur, spectante viciniâ ferens circumageretur; quod ubi factum erat, infidus à domesticis existimatus, furcifer appellabatur; furcam scilicet ferens: quod Græci ὑπὸ ξύλιον καὶ στήριγμα; hoc Romani furcam nominant. Incedebat ergo æterni Patris Filius Dei, tanquam latro, & furcifer, furcam, & crucem suam ferens, portatis humeris totius orbis peccata, futurus victima instar veteris Isaac; qui moriturus ligna sacrificii ferebat. Et quid mirum si Gigas infinito onere pressus, crebrâ prolapsione succumberet? inclinatus ruerет? & expiranti similis quasi animam exhalaret? An non erat exhaustus cæsis totius corporis venis? tot concussionibus pugnorum contusus? sudore sanguineo liquatus? uno verbo absolui: qui quasi exossatus, & defectis viribus exanimatus. O quanta rerum humanarum mutatio! ô quàm fallax, mendaxque populorum applausus! ante paucos dies summo triumpho

Crux servilis supplicium.

Magnitudo Crucis.

Christus ut furcifer Crucem portat.

pho in urbem inductus, totius orbis sonante theatro, & consalutatus festivis vocibus Rex Israël. Et ecce tanquam latro educitur vinctus, furcæ appendendus medius latronum, quasi latronum Princeps, qui Sanctus Sanctorum. Sic Julius Cæsar, quadraginta Romam invectus Elephantis, spectaculo triumphi clarus: ubi Rhodanus, & ex auro captivus oceanus, & in ferculis Nilus, Arsinoe, & ad simulacrum ignium ardens Pharus; & reliqua orbis victi decora ostendebantur; tribus & viginti vulneribus ad terram datus. A

Christus Crucifixus forma fallacis mundi.

Quis fidat fortunæ vitreæ, quæ tantum constans in sua levitate? quis rebus secundis non metuat alteram sortem? verè fortuna sævo læta negotio; ludum insolentem ludere pertinax, transmutat incertos honores, nunc mihi, nunc aliis benigna: cui illa servavit fidem?

§. LXXXI.

De suprema & ultima exinanitionis tragica scena ultrà quam, non datur plus ultrà.

Regrediamur ad primam Thesim, quę fuit, Deum esse omnium maximum, simul & minimum. Mira, & stupenda entis infiniti natura, ut parvitatis sit supremæ, & quodammodo infinitæ appetentissimum in aliena natura, cùm in sua non posset non esse nisi infinitum. Deinde ut amet quodammodo infinitè, virtutibus maximos; si virtutibus suis, iidem in se fuerint minimi. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, humilem, & trementem sermones meos? Nunc spectabitur ex vaticinio Sibyllæ: Deus summè humiliatus, novissimus, & postremus virorum, abjectio, & vilitas plebis, atque adeò vilificatus, ut vilitatis quippiam superaddi non possit.

Amplectitur ergo crucem, malorum omnium extremum.

§. LXXXII.

Quod crux sit malorum omnium extremum, probabitur primùm ex testimonio Gentilium: Deinde ex Patrum Sanctorum sententiis.

B Livius vocat libro quarto, *infelicem arborem*. Seneca epistolâ 101. *infelix lignum. Invenitur*, inquit, *qui velit ad infelix illud lignum adactus, trahere animam per tot tormenta?* Firmicus libro sexto Mathes. capite primo. Minutius in Octavio vocat crucis ligna, *feralia*; *stipitem infelicem*. Poëta incertus, *infamem*. Apulejus *damnata crucis candidatus*. Et in Asinaureo *de servo leviores pœnas perferente*. Nec mirum, desperatissimum illum latronem, certum extremæ pœnæ, quæ more majorum in eum competit. Plautus in milite: *Noli mirari crucem futurum mihi sepulchrum, ibi majores mei siti sunt*. Hirtius in bello Hispaniensi: *Servi in crucem acti, militi cervices abscissa*. Cicero in Verrem orat. 5. *teterrimum supplicium*. Nomus ἐλέγχιστόν τινα σταυρὸν, *damnatissimam quandam crucem*. Cicero *pro Rabirio*. In omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis, mors si proponitur, moriamur in libertate. Carnifex verò, & obductio capitis, & nomen ipsum crucis, absit non modò à corpore civium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, & auribus. Verbo satis digno, res tam nefaria appellari nullo modo potest. Quare servos, & canes affigi solitos docet Plutarchus *libro de fortitud. Roman. Quot annis*, inquit, *canem cruci affixum, in solemni pompâ fuisse circumgestatum; similiter & Anserem, sed intertexta vesti stragula mollissime incubantem:* quòd Gallis Capitolio imminentibus, anseres vigilassent, canes stertuissent, quo significare volebant, summis iisque æternis honoribus dignos esse, qui vigilantiâ suâ Patriam, ignominiosissimâ verò morte dignos esse, qui pro Patria non vigilant. Unde & acerbissima imprecatio, aliquem cruci, aut corvis devovere. Quare Gracchus in inimicissimâ oratione contra Popilium, nihil dirius cruce invenit, eo exemplo instituto, dignus fuit, qui malâ cruce periret. Attende Lector: Veteres cruci articulum masculum donasse, Festo teste. Trypho Judæus apud Justinum in Dialogo, crucem exhorruit. Pati enim illum, & tanquam

Crucis infelicia nomina.

C *Crux detestabilis.*

D *Omnes gentes Crucem sunt execrati.*

tanquam ovem duci scimus. An etiam in crucem actus ? & tam fœdo, ignominiosoque supplicio per legem maledictionibus diris devoto mortuus sit; nobis ostende. Unde Herodotus libro trigesimo tali indignum reatu judicavit; Polycratem illustrem scilicet personam in crucem actum fuisse. Antonianus libro decimo nono judicavit viris nobilibus crucem alienissimam. Julius Paulus Juri-Consultus crucem *supplicium* nominavit libro quinto sentent. titulo duodecimo *summo supplicio*, id est, cruce, *afficiatur*. Erat ergo vilissimorum hominum, & iis proprium, quasi homines non essent. Quare & servile supplicium vocat Gallianus, qui centuriones in crucem tolli jussit. Tacitus verò libro secundo histor. præterit crucis nomen, *& servile supplicium vocat*. Et libro quarto historia de Asiatico Vitellii liberto, aureis annulis ab eo donato; malam potentiam servili supplicio expiavit. Habes Ethnicos.

§. LXXXIII.

Nunc ad sacram Paginam, & sanctorum Patrum Doctrinam veniamus.

Spiritus Dei ipsam crucem detestatur.

SAcra Scriptura, & sancti Patres Ethnicorum sententiam comprobantes; crucem ut supremum malum depingunt. Sapientiæ secundo dixerunt impij: *Morte turpissimâ condemnemus eum*; quæ mors Deuteron. vigesimo primo maledicta vocatur; *Maledictus omnis qui pendet in ligno*: eaque denique adeò infamis; ut eâdem sit sepeliendus die, ne terra contaminaretur. Jeremias 11. 19. *Venite mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*; affixus enim cruci tanquam indignus famâ, qui judicatus indignissimus vitâ, & sepulturâ; totus obliterabatur, quasi non fuisset, contamineretur. Paulus primæ ad Corinth. primo *Judæis scandalum*. Lactantius vocat hoc supplicium *libero indignum homine, quamvis nocente*. Tertullianus libro tertio contra Marcionem, sic inducit Judæos loquentes, *non esse credendum, ut in genus mortis, Deus Filium suum exposuerit, quod ipse maledixerat*. His respondet Tertullianus: *Non in hanc Passionem Christum maledixit, sed distinctionem fecit, ut qui in aliquo delicto judicium mortis habuisset, & moreretur suspensus in ligno, hic maledictus à Deo esset, non qui propter merita delictorum non suorum suspenderetur in ligno*. At Christus non pro meritis suis, in id genus mortis expositus est, sed ut implerentur Scri-

Crux olim maledicta per Christi innocentem benedicta.

A pturæ ex ore Prophetarum; quia oportebat Christum pati. Et juxta Jerem. 11. *tanquam agnum mansuetum portari ad victimam*. Arnobius libro primo contra gentes, quas confutat, quod impiè Christianos summæ impudentiæ accusarent, quòd Christum affixum colerent. Quid istud (inquit Arnobius) ad causam: non enim qualitas, & deformitas mortis, dicta Christi immutat, aut facta. Et Pythagoras Samius suspicione dominationis injustæ, vivus concrematus in fano est: nunquid ea quę docuit, vim propriam perdiderunt, quia non spiritus, sponte, sed crudelitate appetitus interiit. Augustinus libro 88. quæst. 425. *Nihil erat inter omnia genera*

B *mortis, illo execrabilius, nihil formidolosius*. Chrysostomus in orat. quod Christus sit Deus: *Quare*, inquit, *symbolum istius mortis?* Signum erat maledictæ mortis, mortis omnium ignominiosissimæ. Crucifixus enim non solùm ferebat, ut grave aliquod supplicium; sicut ii qui cremantur, aut lapidantur; verùm ut maledictum: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Idem altiùs intonat in caput 2. ad Philip. *magnum, & vehementer ineffabile est, quod servus factus sit. Quod verò mortem sustinuit, multò plus est. Sed & aliud quiddam majus isto, & admirabilius. Quamobrem? quando non quavis isti morti Crucis similis: ista namque videtur omnium*

S. Patres Crucem execrabilē dixerunt.

C *probrosissima: ista plena dedecore: ista maledicta*. Hoc ipsum tuba Ecclesiæ antè intonuit ad Philip. 2 *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*; (Attende Lector;) *mortem autem crucis*. Quâ de re præclarè Augustinus tractatu trigesimo sexto in Joannem: *Creator hominis; homo esse dignatus: factus est, quod fecerat, ne periret, quem fecerat*. Quid huic misericordiæ addi potest? & tamen addit: *Parùm fuit ei, hominem fieri, sed voluit etiam ab hominibus reprobari: parum fuit reprobari, & exhonorari: parum erat exhonorari, & occidi; sed & hoc parum est; at morte crucis. Parùm fuit dicere; factus obediens usque ad mortem; non qualemcumque mortem; sed addit: mortem au-*

D *tem crucis*. Illâ morte nihil pejus, inter omnia genera mortium. Deinde ubi dolores acerrimi exagitant; cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus, manibusque confixi, productâ morte necabantur; non enim crucifigi, hoc erat occidi, sed diu vivebatur in cruce: non quia longa vita eligebatur; sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur. Mori voluit pro nobis; parum dicimus: crucifigi dignatus est; usque ad mortem crucis obediens factus. (Attende Lector ad exinanitionem Filii Dei.) Elegit extremum, & pessimum mortis genus, qui omnem erat oblaturus mortem. De morte pessima

tæ pessimâ occidit omnem mortem. Et sanè verè pessima; quia nihil est in carne intolerabilius, quàm crux. Hinc etiam exclamat Chrysostomus in hunc locum Apostoli. Esse autem acerbissimum mortis genus docet B. Thomas 3. parte quæst. 46. articulo sexto. *In corpore mors crucifixorum in cruce est acerbissima*; quia configuntur in locis neruosis, & maximè sensibilibus; in manibus scilicet & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis continuò auget dolorem; cui etiam accedit doloris diuturnitas, quia tardior mors succedit. Hinc apud omnes Gentes horribilis mors crucis. Poterant impii tortores aliquid solatii Christo Domino, quem sciebant innocentem, dare. Si vestitum ornatu aliquo; si in albata cruce. Sic crudelis Galba; ut irrisit Civem Suetonius in Galbam capite nono civi imploranti leges, & se civem Romanum testificanti, quasi solatio, & honore levaturus, præter ceteras altiorem, ut digniori, & dealbatam statui jussit. Ubi Lipsius *libro tertio de Cruce, capite decimo tertio*, albatam, ut ciui, qui in veste albâ cruci affixus fuit, ut digniori. Verùm Christo Domino nihil concessum solatii. Verùm postquam bajulus patibuli sui, evectionis, & Passionis anxietates sustinuit; in loco supplicii violentis manibus injectis, spoliatur suo vestitu, nudatusq; cõjicitur in lignum damnatum: extenduntur brachia, manusque; dextram præbet, deinde & sinistram, & utraque malleo fortiter tundentes configitur; sicut & sacrati pedes suis terebrantur clavis. Crux ergo erigitur, cum victima orbis, quatuor clavis confixa. Irroratur terra quatuor novis fontibus sacri cruoris. Pendet victima coronata spinis; nuda, ut dinumerari omnia possent ossa: nuda, in summum opprobrium: nuda, ut corpus nihil, nisi unum vulnus, spectari posset. In cruce clavi manus, pedesque ligaverant. Nihil in eo pœnis liberum, nisi cor, & lingua remanserat. *Foderunt*, inquit Propheta Psalmo vigesimo primo, *manus, & pedes meos; & dinumerarunt omnia ossa mea*. Ab omnibus membris sunt exactæ pœnæ; quia in omnibus membris peccaverat homo: visus fuit tanquam leprosus; quia nos omnes leprosi: à plantâ pedis usque ad verticem capitis. *Vidimus*, inquit Isaias, *tanquam leprosum & percussum à Deo*. Ecce ut cum iniquis reputatus est, qui ad exemplum duorum latronum comitum clavis confossus, quasi Princeps latronum, latronum fuit medius locatus. Redeamus ad primam Thesim: Ecce Deum maximum, & minimum. Sicut magnitudinis ejus non est finis: sic & vilitatis ejus non est finis. Dominus Dominantium vilissimus servus

Nihil solatii Christo in Cruce.

Christi corpus nihil aliud quàm unũ vulnus.

Deus maximus & minimus.

A reputatus, & Deus debitam maleficis servis ignominiam subit; & quidem ejusmodi, ut nihil ultrà dari possit. Quàm bene vocavit Isaias Dominum gloriæ, *novissimum virorum*! Hanc & Ideam producit in scenam Propheta David Psalm. vigesimo primo, cùm inducit filium suum omnibus insignibus Regiis spoliatum, sic loquentem: *Ego sum vermis, & non homo*. Ubi Paraphrastes habet, & addit efficaciam: *Ego vermis; at debilis, & non fortis*. Quid vilius verme, qui cæno & putredine nascitur? ô Deus Pater, Filius tuus quid aliud fuit nisi blatta? nisi tinea Reipublicæ? sibilus populi? opprobrium hominum, & abjectio plebis? potestnè crescere contume-
B lia? Quare & Tertullianus libro contra Marcionem vertit: *Abjectio plebis, nullificamen*, quasi infinitus Deus, & immensus, nullus factus, & ad nihil sit redactus. Verè maximus Deus, & minimus, quam vocem Græca vox luculenter exprimit ἐξουθένημα, id est, abjectio à verbo ἐξουθενέω floccifacio ad nihilum redigo propriè. Quid mirum ergo si omnes Christum videntes deriserunt, & locuti sunt: dum proscinderent labiis suis malum garrientes, ut Chaldaica habet Lectio? Movebant capita sua insultantes, blasphemantesque: *Vah qui destruis templum Dei, & in tridio reædificas illud*. Distorquebant ergo labia, & narium inflexioni-
C bus, inter se certantes loquebantur: *Alios salvos fecit, seipsum non potest saluum facere*.

Deus nullificatum.

An non hæc irrisio ipsâ morte crudelior? I nunc superbe, affecta grandes honores, & subsellia, Christo tuo Principe sic abjecto.

§. LXXXIV.

Quare Deus Pater vilissimo supplicio adjudicavit Filium. Divinæ, & justæ veritatis inquisitio. Priusquam aggrediamur, præ-
D mittenda vaticinia Crucis tolerandæ à Christo Domino ex Sibyllis, gentilibus, figuris.

Cum sit omnium suppliciorum immanissimum, Crucis supplicium, ut dictum est, placuit Deo, multis antè sæculis, tam Sibyllarum, quàm Prophetarum oraculis, & figuris, quibus fides tantæ immanitatis aliquando futuræ, Filium scilicet Dei cruci affigendum, probaretur, & homines ad credendum inducerentur, prænunciare. Apud Sozomenum libro secundo

secundo, capite primo sic acclamat Sibylla *ὦ ξύλον μακαριςὸν ἐν ᾧ θεὸς ἐξετανύϑη. O felix lignum, in quo Deus ipse pependit.* Sibylla verò Erythræa hoc mysterium instar Evangelistarum complexa fuit versibus, quorum primæ literæ sunt:

Vaticinia Sibyllarũ de cruce Christi.

Ιησοῦς χρειςὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ ςαῦρος

Id est; Iesus Christus Dei Filius salvator Crux

Idem Sozomenum libro secundo capite primo.

Expandetq; manus totum mensuret ut orbem.

Deinde de Christo Crucifixo libro octavo Carm. Sibyll.

Sincera hunc Moyses expressit brachia tendens,
Vt fidei vincens Amelech, ut disceret esse
Electus Patri populus.

Milesius Apollo Consultus, Vtrumnè Deus, an homo fuerit; hoc modo respondit:

Corpore mortalis sapiens ad facta stupenda,
Verùm à Iudicibus Chaldæis captus & armis,
Clavis, & palis mortem toleravit acerbam.

Plato de Cruce locutus.

Clemens Alexandrinus libro quinto Stromat. capite sexto, profert Platonis quoddam testimonium libro secundo de Republicâ. Justus qui sic effectus est; flagris cædetur, torquebitur, vincietur, & oculi effodientur, & postremò omnia mala passus, in crucem tolletur seu suspendetur. Ruffinus Historicus libro secundo, capite vigesimo nono significavit Deus Ægyptiis per literam [illegible], seu sacerdotalem, quæ crucis speciem præ se ferens, vitæ æternæ symbolum erat: vide illum; quod signum Dominicæ crucis unusquisque postibus in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingebant. Isidorus in caput 14. Genesis figuram dicit fuisse arcam Noë. *Noë*, inquit, *per aquam, & lignum liberatur*: lignum quippè, & aqua crucem designat, & Baptisma: sicut enim ille cum suis per lignum, & aquam salvatur; sic familia Christi per Baptismum, & crucis passionem sanatur: juxta illud Sapientiæ decimo, *sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. Crux*, inquit Augustinus de tempore sermone 86. & 87. *virga Moysis, figura Crucis. Crux*, inquit, *quæ fidelibus stultitia esse creditur, versa est in serpentem; hoc est sapientiam, & in sanctam sapientiam, quæ omnem istius mundi sapientiam devoraret.* Omnium nobilissima figura serpens æneus elevatus Numer. vigesimo primo, ubi jubetur Moyses erigere serpentem æneum, & poni pro signo, qui percussus (à serpentibus scilicet) aspexerit eum, vivet. Hanc figuram prænuntiam suæ mortis, ipse Christus Dominus, Joannis tertio dedit: *Sicut*, inquit, *Moyses exaltavit serpentem; ita oportet exaltari Filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam.* Moyses, inquit Tertullianus libro tertio, contra Marcionem, post interdictam omnis rei similitudinem; cur æneum serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum salutare proposuit? an & hic Dominicæ crucis vim intentabat, quâ serpens diabolus prædicabatur, & læso cuique à spiritualibus colubris, intuenti, & credenti in eum, sanitas morsuum peccatorum, & salus inde prædicabatur? Pulchra sanè figura Christi Domini: quia sicut videbatur ille serpens, & tamen re ipsâ non erat; ita Christus in crucem adactus, videbatur esse peccator, rè ipsâ tamen non erat; sed innocentissimus. Serpens ille æneus, serpens videbatur, & tamen veneni expers. Sic Christus in similitudinem carnis peccati, peccator videbatur; ad cujus aspectum peccatores sanabantur. Pulchrè Augustinus de peccatorum meritis libro primo, capite trigesimo secundo. *A serpente*, inquit, *mors venit, qui peccatum, quo mereretur, homini persuasit. Dominus autem in carnem suam non transtulit tanquam venenum serpentis, sed tamen transtulit mortem, ut esset à similitudine carnis peccati pœna sine culpa, unde in carne peccati, culpa solveretur; & pœna.* Elevatus ergo Christus omnia ad se traxit, & sanavit tanquam vitæ symbolum in serpente æneo; & à morte liberavit, cujus auctor, & procurator serpens fuerat. Eximia figura baculus Elisæi quarti Regum quarto *Baculus sine Elisæo nihil valebat*, inquit Augustinus de tempore sermone 206. *quia crux sine Christo nihil poterat.* Venit ergo Elisæus, in cænaculum ascendit, quâ venturus erat Christus, & ascensurus in patibulum crucis. Inclinavit se Elisæus ut puerum resuscitaret: humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret. Misit Elisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres quantum vir perfectæ ætatis se contraxit, ut parvulo jacenti, & mortuo congrueret. Quod enim Elizæus in puero præfiguravit; hoc toto genere humano Christus implevit. Audi Apostolum: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem factus obediens.* Oracula verò Sacræ Scripturæ, ex Prophetis accipe illud Davidis Psalmo 95. *Dicite in gentibus: Regnavit à ligno Deus.* Justinus Dialogo contra Triphonem testatur expuncta illa verba, *à ligno*. Atqui in nationibus

Notatu dignum.

Patrum Sanctorum sententia.

Arca Noë Crucis figura.

Crux virga Moysis.

Christi figura serpẽs æneus.

Baculus Elisæi.

bus nemo ut Deus, & Dominus unquam à vestris Judæis regnum assecutus esse dictus, nisi unus hic, quem in crucem egerunt: totus Psalmus vigesimus primus quid aliud canit, quàm passionem Domini? *Foderunt*, inquit, *manus meas, & pedes meos, &c.* Cui?an Davidi potuit accommodari? nulli nisi Christo Domino, de quo Deuter. vigesimo octavo. *Erit vita tua pendens ante te; timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ.* Quando pependit vita in conspectu Judæorum, nisi quando Christus suspensus, qui dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Pulchrè Zacharias duodecimo *Aspicient ad me, quem confixerunt; & plangent eum planctu, quasi super unigenitum.*

§. LXXXV.

Ad quæstionem propositam. Cur Deus vilissimo supplicio Crucis voluit crudelissimè tractari?

PAuculas causas dabimus. Prima: voluit Filius Dei formâ servi assumptâ per omnes titulos Divinæ Justitiæ; cum summo rigore non ad æqualitatem solum justitiæ, verùm & affluentissimè, juxta illud Psalmi 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio* satisfacere. Copiosa ergo, & conferta, & coagmentata fuit mensura satisfactionis, quâ mille mundi redimi possent. Servis ergo debebatur crux: Christo ergo Filio Dei, crux debebatur, quia susceperat formam servi, & præ amore servorum servitutem miserrimam serviebat. Luat ergo pœnas, qui culpas ut fidejussor in se suscepit.

§. LXXXVI.

Altera causa. Ut dæmon eodem telo conficeretur quo confecerat hominem.

AN non ideò, ut Princeps & auctor rebellionis; fax, & turbo totius sæculi, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur? Quid æquius, quàm ut iisdem armis, telisque fortis armatus, & Paradisi invasor, confoderetur, quibus primos parentes transfoderat: subigat lignum, quo vicerat: sit lignum causa vitæ, quod mortis: quod illecebra peccati, medicina sit, & pharmacum immortalita-

A tis, quod venenum propinârat mortis. Sic & Anselmus libro primo, capite tertio *Cur Deus homo? Ut scilicet diabolus, qui per gustum ligni (quem suasit) hominem vicerat, ita per passionem ligni quam intulit ab homine vinceretur.* Victoria ergo utrimque ex ligno. Qui invincibilis, & æternùm victor credebatur, à victo victus fuit. Lignum ergo mortis causa, ipsam mortem sustulit. Præclarè Chrysologus sermone sexto de symbolo. *Audis*, inquit. *Crucifixum, ut ex mortis ignominia magnitudinem charitatis, mortemque, quæ per lignum venit, mortificatam scias per lignum: & credas tibi*
B *majora reddita, per crucis arborem, quàm per lignum fuerant illata. Per hominem mortui eramus, per hominem Crucifixum resuscitamur.* Nobilissimè hoc docet Nazianzenus oratione prima. *Idcircò lignum, adversus lignum; & manus, adversus manum.* Illæ fortiter extensæ, adversus incontinenter extensam: illæ clavis confixæ, atque constrictæ, adversus remissam, & solutam: illæ orbis fines contingentes, adversus eam quæ Adamum Paradiso exturbarat. Extensio ergo manuum sacrarum Christi in ligno, & crudelis confixio, condemnat Adam, & Evæ manus ad interdictum lignum sæculi porrectas. Idcircò sublimitas ad lapsum: fel
C adversus gustum: spinea corona adversus pravum imperium; & mors adversus mortem.

§. LXXXVII.

Aliam rationem adfert Paulus ad Coloss. 2. versiculo decimo quarto.

AN non ut deleret quod adversus nos erat Chirographum decreti, seu, ut Græci
D legunt, *in decretis* Uti & Ambrosius in Genesi, Hilarius libro nono de Trinitate; *Chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter palàm triumphans in semetipso.*

An non Chirographum sub arbore infelici conscriptum, subsignatumque deliberatâ transgressione, cùm fructum arboris interdictæ, quæ erat tessera obedientiæ, fataliter decerpsit, & hilariter in suum exitium degustavit. Et ut Imperator in legib. secundo capite de fideicommiss. *Liber tu te pœna subdidisti.* O infortunate Adam! teneris Chirographo convictus: teneris culpa reus mortis: teneris cum rebelli conjuge, vitiatâ futurâ prole, damnatus æternarum pœnarum. Quid egit

Christus Dominus Chirographum cremavit.

Christus

Christus, arborem conscendit, invenit Chirographum paternum, quod Adam conscripserat, quod & nos auxeramus; inventum ergo accepit, & affixit arbori, debitum soluit, & vitæ, & sanguinis pretio, conscidit que literas, quas flammis cremavit. O gratum ignem, & incendium! ô fumus omni odore aromatico gratior! Carolo V. ditissimi quondam mercatores Antuerpienses, ignes odoriferos ex Indicis lignis, & odoribus suffituque excitarunt, exiguâ patriâ gratiâ: at ubi debitorum Chirographa, quæ plurima (prodiga stipendia hæc sunt regnorum bellantium) plenâ manu in focum projecta, & ignes emicuêre cum fumo; *Nunquam* (inquit) *mihi tactionis, vel odorationis in vita, voluptas affluxit maior.* Suavis enim & optatus magnis Regibus odor auri. Tua ignita charitas dulcissime Jesu, suo flammarum odore soluit vincula quibus tenebamur, & soluta, disruptaque cremavit. *Tu dulcissime Iesu* (uti Ezechias apud Isaiam trigesimo octavo) *respondisti pro me dum vim paterer.* Filius ergo Dei se vadem pro me obtulit, ut pulchrè Chrysologus sermone vigesimo nono: *Suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores: in se sententiam retorquens; ut amasse se peccatores proderet, magis soluendo, quàm donando.* Quod disertissimè Isaias capite quinquagesimo tertio: *ipse multorum peccata tulit.* Ubi verbum *Iasaa* propriè significat sustinere, & in se transferre. Unde Christus Dominus verè peccatis nostris pœnam debitam in se transtulit, & cruci suæ Chirographum decreti, quo omnes morti destinabamur, cruci affixit. Quare Petrus primæ capite secundo *Qui peccata nostra ipse in suo corpore pertulit super lignum.* Syriaca verò lectio: *& bajulavit omnia peccata nostra in crucem unà cum corpore suo, ad lignum scilicet fatale, ut id quod exciderat omne bonum, restitueret omne bonum.* Sic Paulus ad Romanos octovo versiculo tertio docet. *Misit Deus filium in similitudinem carnis peccati, ut ipsum, scilicet peccatum, reum ageret in carne suâ,* hoc est, in corpore suo omnium hominum peccata debitis pœnis, atque suppliciis afficeret. Hoc ipsum optimè explicat Syriacus textus: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, propter peccatum, ut reum perageret peccatum in carne suâ.* Afficiens ergo peccata debitis pœnis, in carne sua confixit peccata in cruce, & affixit, delens Chirographum decreti, quo tenebamur mortis rei. Et hoc pacto peregit causam nostram, dissoluendo debitum, & fœnus, contractum sanguinis sui pretio. *Exaltatus itaque à terra, traxit ad se omnia;* Joannis duodecimo. Quid hoc est, *traxit ad se omnia?* an non hoc est, quod dicit Divus Leo in hæc verba:

Fumus Chirographorum cõbustorum Carolo V. gratissimus.

Vt Christus Dominus reum egerit peccatum.

A *Totam causam generis humani aget, & orbem perditum in integram revocabit naturam.* Et quomodo revocavit? dum seipsum obtulit in victimam, in fidejussionem, & quæ non rapuit, exsoluit. Libellos ergo damnationis nostræ, quos Chirographo signaveramus, affixit; & ut proscriptum reum, damnatumque mortis servare posset, proscriptionis, damnationis, & mortis periculum subiit; & Pater æternus tanquam à fidejussore pœnas exegit. Hinc illud Proverbior. vigesimo rectè potest accommodari in persona Patris dicentis, cùm Filius destinatus flagris, vestibus exuebatur: *Tolle vestimentum ejus qui fidejussor*
B *exstitit alieni; & pro extraneis aufer pignus ab eo.*

An non ideò vestimenta in quatuor partes secta, divisaque, ut significaretur quadripartito orbi inservire, quidquid Christi est? Tu ergo Christiane, recordare fidejussoris tui: noli debita, novis renovare: noli per novarum cupiditatum servitutem, te novo Chirographo obstringere: noli pacisci fœdus cum mortiferis deliciis. Quare te novum debitorem constituis? cur semel incisis vinculis, novæ servitutis tibi catenas innectis? Audi
C Chrysostomum homiliâ septimâ ad Coloss. secundo. *Ipse penitus soluit peccatum, & pœnam. Factus est Dominus Iesus pro nobis maledictus: omnis enim maledictus qui pendet in ligno,* ut nos à maledictione vendicaret. Moriens ergo vitam dedit, & omnes hostes unicâ sui ruinâ funditus oppressit, & gloriosissimè occumbens de suis hostibus instar Sampsonis triumphavit, qui plures occidit moriens, quàm vivens. Finiamus cum Leone sermone decimo de Passione: *Pactum captivitatis nostræ transiit in jus redemptionis. Clavi illi, qui manus Domini transfoderunt, perpetuis fixêre vulneribus; & sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum. Sic suam Christo consummante vi-*
D *ctoriam, ut in ipso, & cum ipso, omnes qui in eum crederent, triumpharent.* Hæc sanctissimus Pontifex. Nota pie Lector arcanum mysterium. Visibiliter quidem Christus Filius Dei, in carne crucifixus est; invisibiliter in eâ diabolus, cum Principibus, ac potestatibus affixus est cruci. Ad hoc alludit Paulus *exspolians Principatus, & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Tu Christiane redde te Deo, cujus tu non solùm es creatione, sed & titulo redemptionis. Bonum tibi est te subditum illi esse, cujus es, quod es, si alicujus es. Redde te Christo, à quo tibi redditum est, quod creavit Pater. Rede quod

Moriens Chrysost. vivosfecit.

de quod debes; emptus servus es; hæc servitus neminem miserum, sed beatum facit. Exigit Deus, quod suum est. Exigit, non quod egenus tui, cujus sunt omnia; exigit tamen, quia Dominus est, & tu Domini factio.

Attende debitor, non crescit ex te reddito deditor, sed te redditorem crescere facit. Vis servari? redde: ne pereas, non reddendo.

§. LXXXVIII.

Tertia. Cur Crucem destinârit Deus Pater? Christus tegit orbem quasi volucris nidum suum alis.

An non ideò, ut in cruce pendens, scapulis suis, suis brachiis quasi alis obumbraret, tegeret, & complecteretur orbem? Ipse est verissima aquila, de quâ Deuter. trigesimo secundo. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.*

An non portavit orbis totius pondus cùm humeris crucem?

An non magnus, totus confractus, gigas quamvis esset, incurvatus, deficiensque succubuit? Tantæ molis erat novum orbem condere, quia nullâ mole conditus. Sicut aquila jactantior explicat alas, cùm pullis humeros supponit, circumfertque, ut uacuas à metu, insidiisque communiat: deinde & illa, ferventi Soli sese objicit, & alis suos inumbrat, tegit, protegitque: prætereà sicut gallina, præservida suorum mater dilatat alas, plumatumque corpus expandit, quo suos natos arctiùs complectatur. Has volucres Christus in cruce exaltatus, æstu amoris exsuperans, expansis brachiis, manibusque instar, gallinę mortales convocatos arctè stringit atque complectitur, ut oppositu sui corporis, quasi scuto defendat; juxta Psalm. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis: scuto circumdabit te veritas ejus.* Hoc Jeronymus sigillatim ad crucem retulit. *Exaltabitur in cruce, extendet manus, & proteget me.* Et Ambrosius in Psalm. 118. *Nobis quoque manus suas expandit Iesus, ut totum mundum obumbret.* Quomodo non sumus in umbra, qui crucis ejus tegimur velamento? quomodo non sumus in umbra, quos Crucifixus, à malignitate sæculi, & corporis ardore defendit? an nescis quia Verbum Dei veniens in hunc mundum; non sicut verbum advenit, qualc erat in principio, quale erat apud Deum: verùm semetipsum exinanivit, formam servi accipiens? Dicam ergo; Sta sub crucifixo, & noli timere, & tibi dicitur, quod Deus Abraham dixit Genesis decimo quinto: *Noli timere Abraham; ego protector tuus sum.* Ubi Septuaginta habent ὑπερασπίζω, tuus scilicet protector, qui scuto, peltâque tegit, vel præambulus, qui in acie scapulis, non sine vitæ discrimine eos qui retro sunt, protegit. Pagninus verò non ineleganter & apposité: *Ego ero tibi clypeus, qui sum Filius Dei: ego instar clypei objiciam me iræ Divinæ: in me contorqueat tela sua ardentis vindictæ: ego corpore meo, velut expanso clypeo excipiam: ego te in præliis hujus sæculi protegam. Tu securus latitabis; ego præstabo pericula; ego imbres, tonitruáque deflectam.*

Filius Dei factus nobis clypeus.

Quare non sine causa conqueritur Deus apud Isaiam quadragesimo tertio, versiculo vigesimo quarto. *Servire me fecisti in peccatis tuis, & præbuisti laborem in iniquitatibus tuis.* Ubi Septuaginta habent cum Jeronymo, Cyrillo. *In peccatis tuis defendi te, cùm inermis esses, & nudus expositus iræ Divinæ; ego me opposui, ne deficeres, & interires.* Manus terebratas extendit Filius, ut pro nobis in cruce, cum ipsa depugnet, & prælietur in nostri conservationem. Thebani, cùm ab Antigono acerrimè obsessi, murorum ruinas, & exitium spectarent; pro muro, opposuerunt imaginem Protogenis mirâ arte laboratam. Antigonum armatæ manus non terrebant, jmago armis potentior, hostem exarmavit. cessit arti, Mars victor. Quanto potentius penicillum ferro! Impetravit pacem Theba, steritque; ut victoriæ, non Antigoni, sed unius picturæ potiùs foret monumentum. Sic Christi Salvatoris in cruce pendentis spectaculo placatus Pater; tonitrua damnationis æternę suspendit: viso enim Filio manus, pedesque saucio, sanguine circumfluo speciosior, & extremo vitæ periculo augustior, cessit victus; cessit versa ira in misericordiam. Sic & se (teste Curtio) Alexandro Magno jamjam perituro objecerunt; & ne Rex pereat, dolabris, balistis, ferro viam aperiunt. Furor arma ministrat. Filius Dei verissimus amicus, terraque marique, & in vita, & morte subsidiarius clypeus, in quo excepti servamur in terra & enatamus incolumes, oceano mergendi.

Protogenis imago evertendas Thebas servavit.

Sic jmago Crucifixi.

Tu Christiane militem nobilem, & pullum Martis imitare (de quo Alciatus in suis emblematibus) qui cùm tela hostilia scuto tanquam imbres excepisset; ne fieret hostium præda, in fluvium intranabilem saltu se dedit, ususque pro cymba, clypeo, victor maris, qui arenæ fue-

næ fuerat, scuto oscula lætus dedit dixitque: Solus jamicus cùm premererque; solo, cùm premererque salo. Christus Dominus tibi scutum erit; hoc utere, hoc enaviga, hoc remigium tene, & portum tenebis æternæ salutis. Tu crucifixe Fili Dei solidus, verusque amicus es; tu eris mihi clypeus, ut eo protectus, vivam moriarque invulnerabilis.

AD LECTOREM.

SPectasti ter maximi, atque ter formidabilis Dei inexplicabilem exinanitionem: melius dixero ἐξουδένημα, id est, liceat dicere, redactionem ad nihilum ab insaturabili Iudæorum furore, atque inexplebili rabie procuratam. Causas cùm sciamus inextricabiles, in ardentissimam Christi Domini adversus hominem Charitatem, profusamque bonitatem, necesse est referre. Dedit ergo Deus se totum homini; dedit se exhaustum, se totum profusum; cur tu te Deo negas? dedit Deus se, victus amore tui; cur amorem non rependis amore? Nihil tormentorum separavit Christum ab amore tui; quid te poterit, *separare à charitate Christi? An tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Esto: minetur quispiam mortem: ut separet ab amore Christi? An non mortem minari, est offerre fontem vitæ? An non vera mors, non amare Christum? Quid potest tibi polliceri universa creatura, ut deseras Christum? an non creator omni melior creaturâ? An non speciei generator, ipsâ specie speciosior? Quid cælum, quid terra porriget, ut à cæli terræque creatore secedas? Deus ergo tibi se, tu te Deo. Stupet orbis Zopyri Principis flagrantem in regem Darium Dominum suum, quem concitatâ voluntate, sibi, suæque incolumitati præposuit. Hic ut Dario rebellantem Babylonem subderet, sibi nares auresque præscidit & totum corpus flagris laniatum cruentavit. Transfuga ergo ad Babylonios his argumentis, implacabilis odii in Darium concitati fidem solidam impetravit. Defertur transfugæ imperium armorum, & dux omnibus suffragiis decernitur. Quis enim istis dolosis artibus nõ caperetur? Rerum ergo potitus, Babylonios proditos Dario tradidit. Darius verò, tanti facinoris spectaculo totus attonitus, fertur dixisse, se unum integrum Zopyrum malle, quàm centum Babylonas cepisse. Deinde & oblato malo granato; tantum sibi Zopyrorum quantum granorum inesset malo peroptare. Insigne factum Zopyri posteritas extulit; at plus admirationis & stuporis habiturum si Darius ipse posito diademate, purpuraque regiâ, pro servo suo Zopyro à Babyloniis intercepto, in vincula, flagrâ, ac denique supremã mortem se conjecisset. An non omnia sæcula in omnibus theatris, triumphos tanti amoris, tantique regis charitatem in servum suum cantarent? At Rex & Zopyrus

ALTERA PARS

XXVII. CONSOCIATIONIS.

De suprema Virginis humilitate.

§. I.

De majestate humilitatis indicibili.

QUo pretio & honore apud Deum infinitũ fuerit, & est, eritque humilitas, Philosophis gentilibus ignota virtus; vita ejusdem Dei inter homines per omnes humilitatis gradus actusque transacta satis eloquitur docetque. Ab ipsis enim incunabulis usque ad ultimum per mortem acerbissimam decessum fuit exhibitum orbi theatrum summæ humilitatis. Illam unicam etsi omnium virtutum choro atq; opibus opulentissimus unicè sic adamavit, & fuit complexus, ut illa videretur sola semper oculis obversata. Audi ut hujus virtutis augustissimam potentiam describat Augustinus in serm. de superbia: *O sancta venerabilisq; humilitas! tu Filium Dei descendere fecisti in uterum Sanctæ Mariæ Virginis.* Tu fecisti eum involui vilibus pannis, ut nos indueret virtutum ornamentis: tu eum circumcidisti in carne, ut nos circumcideret mente: tu eum corporaliter flagellasti, ut nos à peccati flagello liberaret: tu eum coronasti spinis, ut nos coronaret æternis rosis: tu eum infirmare fecisti, qui medicus cunctorũ erat, solo verbo sanans omnia & universa, ut infirmos sanaret. Crediderim me satis dixisse, si dixerim iterum summum & infinitum Deum minimum, & ad punctũ humilitatis amore redactum, ut minor esse non posset. Quare ex cathedra suæ majestatis hãc disciplinam, tanquam principem pronuntiatam orbi tradidit universo. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. Græce *ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ*, id est, modestè de se sentiens, humi repens, quasi *περιπέζιος*. Hanc humilitatẽ Christus Dominus in sua circumferebat anima, & animæ suæ potentiis, dum ex intuitu propriæ conditionis, & conditoris sui volũtariã mentis inclinatione in imo suo ordinabili ad suum conditorem tanquam auctorem sui boni omnia referret. Cognoscebat anima se gratuitã Dei voluntate ad divinæ naturæ consociationem electam, & nullis suis meritis subvectam (poterat enim alias animas creatas, & aliam humanitatem sibi conjungere) nec quidquam ex tanta felicitate sibi jure deberi, & ideò laudabili sui ad ima dejectione in natura humana humiliavit semetipsum formam servi accipiens, se perfectissimè imperio divinæ majestatis tanquam mancipium (qui mancipium tamẽ si fuisset, verus Filius Dei esse non posset) subdens ejus dominatui & potestati paternæ subjecit. cùm enim absolutissimam sui possideret notitiam, quæ ut perfecta sit, postulat etiã Dei cognitionẽ, perfectissimè anima Christi Deum cognoscens, clarissimis etiam oculis se totam circumspiciebat & seipsam noverat, initium scilicet sui & munerũ collationem; & ideò non poterat non esse semper humillima: cognitio quippe sui & cognitio Dei non possunt à se invicem separari. Amabat ergo Deum Christi anima infinitè ex Dei infiniti cognitione, & humiliabat se infinitè ex sui nihili consideratione. Exclamo cum Augustino: *Noverim te, noverim me; ut amem te, & contemnam me.* Et cum eodem, l. 1. de verb. Domini, serm. 10. *In te fode fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium charitatis.* Nullã ergo virtute Christus Dominus sic clarificavit Deum Patrem, quàm sui dejectione, ut cognosceret mundus, quantã charitate diligeretur Pater à Filio. Magister ergo primus & doctor humilitatis Christus Dominus. Quare & August. l. de S. Virg. c. 3. dixit: *Humilitas penè tota disciplina Christiana est.* Et epist. 56. ad Dioscoridem: *Sicut Demosthenes*, inquit, *rogatus, quid primum in eloquentia videretur observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse. Quid secundò; eamdem pronuntiationem. Quid tertiò; nihil aliud præter pronuntiationem.* Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, me nihil aliud respondere nisi humilitatẽ liberet, etsi fortè alia dicere necessitas cogeret. Optimè Cassianus Collat. 15. c. 17. *Humilitas est omnium virtutum magistra, ipsa est cælestis ædificii firmissimũ fundamentum, ipsa est donum proprium & magnifi-*

Tota Christi vita fuit schola humilitatis.

Humilitatis actus in Christo.

Qualis humilitatis actus in anima Christi Domini.

Humilitas oritur ex Dei cognitione cui commensuratur.

Tota disciplina Christiana, est schola humilitatis.

Humilitas est donum proprium salvatoris.

cum Salvatoris. Greg. epist. 38. l. 4. ad Joan. Episcopum Constantin. *Quanta humilitatis virtus est, propter quam edocendam is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem mortis factus est parvus.* Bernardus sic loquitur: *Pretiosissimus fundus virtus est, bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium spirituale constructum, consurgit in templum sanctum in Domino.* Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis: quò enim celsior ceteris, eò humilitate apparet illustrior & seipsâ. Quidquid itaque contrectat humilitas, induit dignitatem cælestis materiæ. *Pretiosiores panni Salvatoris omni purpurâ, & gloriosius præsepe auratis regum soliis; ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctis thesauris sæculi*, ut loquitur Bernard. serm. 4. in vigilia Nativit. Benè ergo Tertullianus de veland. Virg. *Nihil est Deo carius humilitate, nihil acceptius modestiâ, nihil operosius gloriâ & studio placendi hominibus.* Finiamus cum August. c. 35. in illud Matth. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*; qui admirabundus exclamat: *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in te, ut hoc pro magno discamus à te quoniam mitis es & humilis corde?* Itáne magnum est esse parvum; ut nisi à te, qui tam magnus es, fieret parvus, disci omninò non posset? Ita planè: non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat. Unde concludo: Humilitas claritatis meritum, & claritas humilitatis præmium. Tanto ergo apud Deum clarior, quò in tui notitia tibi vilior. Hoc perspexerat S. Virgo, cùm exclamavit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes.* Humilitas ergo Virginis à summo triumphatore adamata, conciliârat Virgini maternitatis gloriam, quamvis & Virginitas summè perplaceret: postponit tamen omnium virtutū decora uni humilitati, quia Deum ad se pertraxit, dum summi fastigii potens & regina in imam sortem se projecit, & ancillam dixit mater Dei jam inaugurata. Hæc erat Virginis sanctæ incredibilis sapientia, quâ sciebat Deum nullo artificio posse conciliari, vincirique, quàm humilitate. Ausus ergo dicere Bernardus homil. 1. super Missus: *Laudabilis*, inquit, *Virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. Sene humilitate, audeo dicere, nec Virginitas Mariæ placuisset.* Et posteà: *Etsi placuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit.* Ipsa quippe, teste Chrysostomo serm. 10. de verb. Dom. est virtus, cui nihil conferendum: ipsa enim mater est ac radix, & altrix, & fulcimentum & fundamentū bonorum. Filius ergo Dei humillimus & humilitatem summo in pretio & honore habuit.

Humilitas est virga Midæ, cuncta facit pretiosa suo attactu.

Omnis thesaurus sapientiæ humilitas.

Humilitas Virginis Deū traxit in terras.

A Tanti & mater Filii humillima, & nihil virtute humilitatis habuit antiquius. Primas partes Filius detulit humilitati; primas & partes detulit & sanctissima mater. Jure civili dicitur, quod vox filii sit vox patris, & filius sit speculum patris, in quo se pater contemplatur. Vox Filii Dei, est vox Virginis matris; & quia Filius Virginis est Deus, Virgo est Filio Dei speculum, in quo seipsum contemplatur, videtque Matrem sibi, quantum fieri potest, per omnia similem. Maximus ipse Filius, maxima & ipsa Mater: minimus Filius, minima & ipsa Mater: in sua parvitate Filius humillimus cum B summo gaudio, & Virgo mater in sua parvitate cum summo gaudio humillima. Magnitudinis Filii non est finis; sic nec quodammodo matris. Filius extremam parvitatis depressionem attigit, uti suprà dictum est: ita & Virgo mater extremam parvitatis, ut minor in se esse non posset. Et sanè postulabat id ratio & æquitas, ut Mater & Filius virtutibus non discriminarentur. Venerat Filius domiturus intolerabilem Adami superbiam, formam servi accipiens, quia ille domini & divinitatis titulum affectârat, ut insanabile vulnus humilitate curaret. Volebat mulieris vitiatæ insolentem fastum audaciamque subigere. Viri superbia C & tumor mulieris, viri & mulieris humilitate curandus. In nulla ergo creatura gloriosior apparuit redemptionis triumphus, quàm in Virgine, cùm illa nihil laudis ex summis & eminentissimis actibus suis, suisque victoriis sibi decerperet; verùm ut spolia opima Deo suspenderet, & in Deum ut auctorem refunderet. Aggrediamur Virginis humilitatem.

Filius omnibus virtutibus prætulit humilitatem.

Sanctissima Virgo æmula filii.

Certamen filii & SS. Matris.

Filius humillimus Adami superbiam, mater humilis Evæ fastum contudit.

Triumphus humilitatis summus, omnes triūphos virtutum Deo reddere.

§. II.

De Virginis humilitate. Primum, quid sit humilitas: deinde de variis humilitatis ramis & proprietatibus.

D

Divus Thom. 2. 2. q. 161. art. 6. essentiam humilitatis sic describit: *Humilitatis essentialitas in appetitu consistit, secundùm quod aliquis refrænat impetum animi, ne inordinatè tendat in magna; sed regulam habet in cognitione, ut scilicet aliquid non se existimet supra id esse quod est*; quod est utriusque principium, & radix est reverentia, quam quis habet ad Deum. Ex interiore autem dispositione procedunt quædam exteriora signa in verbis, factis & gestibus, quibus quod interiùs latet, manifestatur. Quàm hæc definitio Virginis humilitati conveniat, infrà dicemus, ubi docebimus propriam humilitatis actionem esse subjectionē & reverentiam erga

erga Deum; cùm verò homini subjectionem præstamus, illam præstamus in ordine ad Deum, cujus nomine reverentiam homini exhibemus. Basilius in 2. Isaiæ caput scribens, sic ait: *Humilitas est depositio vani sensus, qui ab elatione vana de se existimationis proficiscitur.* Et in brevioribus regulis: *Humilitas est, cùm quis ceteros omnes seipso superiores existimat*, ex præscripto Apostoli ad Philipp. 2. Nunc ad varias proprietates humilitatis.

Duplex humilitas, judicii & affectus. Priusquam ipsam materię medullã aperiamus, nonnulla judico pręmittenda. Bernardus serm. 42. in Cantica, distinguit duplicem humilitatem: alteram judicii; alteram affectus. Judicii est, quâ quis seipsum ad lumen veritatis intuens, cognoscit suam vilitatem & se coram Deo demittit; non tamen vult ab aliis vilis haberi aut cõtemni; sed potius magni æstimari & honorari. Quæ humilitas cùm non transeat ad effectum, ni velit se vilem tractari qualem se judicat, persistit in judicio, quo se Deo submittit subjugatque tanquam vile mancipium. Humilitas affectûs est, quâ quis se vult hominibus exhiberi, qualem se exhibet Deo; affectatque sui vilitatem apud homines, qualem oculis Dei suæ prædicat parvitatis vilitatem. Audiamus Bernardum. *Est humilitas, quam nobis parit veritas, & non habet calorem, & est humilitas quam Christus format & illuminat; & hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. Etenim tu, si temetipsum intus ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris, & tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quamvis necdum fortassis id esse patiaris in oculis aliorum.* Eris ergo humilis, sed de opere veritatis, minimè adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita amore affectus fuisses, voluisses proculdubio quod in te est, eamdem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Quare sanctus infrà reprehendit eos, qui solam judicii seu veritatis humilitatem habent. *Pondus*, inquit, *pondus abominatio est apud Deum. Quid enim tu te deprettiaris in secreto apud teipsum veritatis trutinâ ponderatus, & foris alterius pretii mentiens majori te pondere vendis nobis quàm ab ipso accepisti. Time Deũ & noli hanc pessimam rem facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum.* Vide ipsum sanctum Patrem. In Virgine non solùm humilitas judicii in summo perfectionis gradu effloruit, verùm & humilitas affectus majore calore & proniore impetu sese diffudit. Illuminatus Virginis intellectus radiis divinitatis duplici cognitione perfruebatur, absolutissimâ scilicet suæ parvitatis, & suæ scientiâ magnitudinis.

In sacratissima Virgine effloruit utraq; humilitas.

A Ad hanc Dei gratificatione, nullis suis meritis; sed gratuitâ amicitiâ benevolẽtiâque sciebat sese promotam. Scientiâ verò suæ parvitatis cognoscebat se in numerum gregalium hominum & fortè damnandorum, si relicta suæ parvitati fuisset, redactam, ac proinde ex collatione utriusque scientiæ omnes, qui possunt excogitari humilitatis laxabat affectus, & Dei magnitudinem, & suam pariter publicabat parvitatem, gratuitos Dei amores, & immeritam suam excellentiam extollebat, ac proinde admirabunda clamabat: *Gratiâ Dei sum quod sum: quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen ejus.*

Duplex in SS. Virgine cognitio & scientia suæ parvitatis & scientia suæ magnitudinis.

B Alio modo duplex humilitas & sui contemptus. Primus nascitur ex consideratione suæ vilitatis per peccatum contractæ, qui omnibus peccatoribus est communis. Quis enim non ingemiscit ad Dei offensam, offensam infinitæ majestatis, juxta illum, qui dicebat: *Priusquam humiliarer ego deliqui.* Psal. 118. Quid mirum si fuerint illi *lacrymæ panes die ac nocte*, (Psal. 41. v. 4.) *si lacrymis lavit lectum suum*, Psal. 6. si lectus balneum lacrymarum, si in cineres redactus, & cinerem tanquam panem manducaverit; si cinis epulæ; si totus abjectus non audebat oculos in cælum attollere, qui cælum hostibus oculis oppugnârat? cur seipsum insigni contemptu ex solio non dejiceret in terram, qui Deo infinitè contempto
C terram præposuerat? quis enim non redigeret se in nihilum, qui cùm esset nihil, infinitum ens & infinitam majestatem fœdissimè contempsisset? Hoc contemptu sui Manasses rex in carcere catenatus cælum placavit: sic & Magdalena lacrymarum humilitate, dum lacrymis lavit pedes, salutem sibi peperit & pacem.

Alia species humilitatis 1. Species ex consideratione peccatorũ.

Alius modus humilitatis est, qui nascitur ex altissima consideratione beneficiorum gratiarumque acceptarum, qui est suprema & eminentissima hujus virtutis gloria.

Altera species ex consideratione beneficiorũ quæ est humilitatis nobilissima, & SS. Virgini propria.

Et sanè quid mirabilius, quàm summum esse, & se parvum æstimare? stare in supremo honorum fastigio, & non attolli, & tanto se magis deprimere, quo
D extollitur altiùs? Numquam splendescit nec radiat humilis animus amplius, quàm in summis honoribus. Hoc præclarè observavit Bernardus homiliâ quartâ super Missus: *Non magnum est esse humilem in abjectione. Magna profectò & rara humilitas honorata.* Vis videre ineffabilem Virginis humilitatem? vide quantum se demiserit cùm summa rerum teneret. Visa est altiùs in se descendere, quò altiùs à Deo provecta ascendebat; ita ut jucundo spectaculo concertarent magnitudo Dei infinita cum Virginis humilitate suprema; ille sublimiùs attollendo, hæc profundiùs se deprimendo. Euge quoro perfectio-

SS. Virgo dum attollitur altius, altius se deprimit.

perfectionis gradu virtutem, hanc attigerit videamus, & quod difficillimum est, ex sapientiæ regulis; modum tenuerit.

In omni enim negotio non minima portio est, quomodo quid dicatur aut fiat. Multum celeritas fecit; multum abstulit mora. Sicut in telis eadem est vis ferri; sed infinitum interest utrum fortiter excusso lacerto torqueantur, an remissa effluant manu.

Bonum ex integra causa. Vestita fuit humilitas omnibus suis circumstantiis, ut nihil desiderari reliqui posset. Sciebat Virgo bonum causari ex integra causa, & ut docet Areopagita libro primo de divinis nominibus capite quarto, *bonum ex una integráque existere, malum autem ex singularibus defectibus.* *Actio bona pendet à circumstantiarum plenitudine debita.* Quare optimè Divus Thomas primâ secundâ quæstione decimâ octavâ articulo tertio. *Plenitudo*, inquit, *bonitatis actionum non consistit in sua specie; sed aliquid additur ex his quæ adveniunt tanquam accidentia quædam; & hujusmodi sunt circumstantiæ debitæ: unde si aliquid desit ad debitas circumstantias, erit actio mala.* Unde præclara illa vox Personis nobilissimæ Facultatis Parisiensis Primarii suæ ætatis Theologi, *Deum non remunerari verba; sed adverbia, id est, actiones moraliter bene factas*, quod ipsum est difficillimum, sicut aberrare à scopo facillimum, ita illum attingere difficile.

Functiones itaque & actus seu proprietates notandæ infrà quas Theologi humilitatis, docent; quàm perfectè quis attigerit operationum suarum jaculis scopum humilitatis, demonstrabunt.

1\. *Proprietates humilitatis.* 1. Proprietas humilis animi est omnibus donis Dei sese indignum & ineptum judicare, idque sine falsitate. Talis reverà est secundùm ea quæ ex se habet, ut docet Divus Thomas articulo sexto ad primum.

2\. 2. Hinc sequitur aversio & odium laudis humanæ, quæ ex veritatis impulsu nascuntur. Humilis quippe veritatis præsentia firmatus, omnem laudem summo Deo debitam decernit, vultque soli regi sæculorum & immortali Deo, gloriam dicari solvique.

An non omnis laus formosæ picturæ, artificis penicilli magistro defertur, non picturæ?

3\. 3. Qualem se veritatis censurâ judicioque comperit esse; talem vult se æstimari ab aliis: vult nosci oculis hominum, qualem se novit in oculis Dei, aliosque sibi præfert dum suas miserias æquiparat virtutibus alienis.

4\. *Proprietas humilitatis.* 4. Subjicit se Deo tanquam mancipium vile, sicut testa figulo, & opus suo factori, qui novit se humiliare sub potenti manu Dei. Petri primæ secundo

A ut exaltet in tempore visitationis.

5\. In externis rebus & functionibus quantum in se est, omnia infima complectitur, adamat officia vilia, abjecta, inhonorata: officiis prior certat cum omnibus, etiam suâ fortunâ inferioribus: neminem dedignatur, quia nemini se præferendum putat: odit acclamationes, odit laudis studia, quia non sine verecundia laudatur bona conscientia. Ignorat vindictæ consilia; mavult se quippe vinci, quàm vincere, & summum vindictæ genus judicat ignoscere. 5.

Pulchrè Bernardus probat hanc proprietatem sermone trigesimo septimo in Cantica. *Non est periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque te reputes minorem quàm sis*, hoc est, quàm se veritas habet. *Pulchra doctrina D. Bernar. de humili propria.*

B

Est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua te cogitatione præferas, quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem.

Quamobrem noli te, homo, comparare majoribus; noli minoribus, noli æqualibus, noli uni. Quid scis an à te contemptus non erit tibi præferendus? Dextera Domini subitò ex tenebris lumen, & aquas educit de saxo durissimo, & ex luto fabricat phialas aureas, & novam creaturam ex nihilo. Qui reservat stantem, potest erigere collapsum.

C

Ultima proprietas: Blanda & officiosa humilitas, non extollitur prosperis, non mutatur aut incurvatur adversis, non ambitiosè vult salutari, nec nomen suum circumferri; semper sibi similis & par, silentio lætior, quàm eloquio; doli expers fucique, solo cordis & oris candore floridus vegetusque, spirat animi invictam & erectam magnitudinem. *Quam multi*, inquit, Ambrosius ad Constantiam epistolâ quartâ, libro septimo, *habent humilitatis speciem; virtutem non habent. Multi eam foris prætendunt, & intus impugnant, ad fucum præferunt, ad veritatem abjurant, ad gratiam negant.* Et sanè multo deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Turpiora sunt vitia, quæ sub virtutum specie celantur. 6. *Proprietas.* *Multorum mentita humilitas.*

D

Has omnes humilitatis functiones Sanctissima Virgo perfectiùs nobiliusque, vivacioribus coloribus in se velut in effigie animata, quàm auctores in humilitatis definitione, expressiùs effinxit.

Non ergo humilitatis definitio Virginem; sed Virgo definitionem humilitatis

Ab ipsa Virgine petenda definitio humilitatis.

militatis effigiavit: ab ipsa Virgine, velut origine deducenda est humilitatis natura, ut cognosci possit. Has omnes proprietates paucis verbis Sanctus complexus Ambrosius, in Virginis transfudit elogium, ut in persona Virginis videatur expressa totius facies humilitatis. Audi virum, libro secundo de Virg. *Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum; sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone; arbitrum mentis solita non hominem; sed Deum quærere; nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* In epistola ad Demetriadem sic loquitur: *In eo proprietatem humilitatis definimus, quod per omnia Deo subditur, nec potest quidquam de meritis suis perdere, quorum causas atque provectus non in se, sed in auctore suo constituit.* Et Bernardus in sermone de subjectione nostræ voluntatis: *Totius humilitatis summa videtur in eo consistere, si voluntas nostra, ut dignum est, subjecta sit voluntati divinæ*, sicut ait Propheta: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Psalmo 61. versiculo secundo.

Summa totius humilitatis.

Quemadmodum ergo Filius Dei Patris voluntatem ad libellam, ad amussim, & cum omni perfectione complevit, se Deo Patri subjiciens, sicut ipse testatur Joannis quinto: *Non veni facere voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me*: sic & Virgo sanctissima Filii sui æmula, ad omnes nutus & signa voluntatis divinæ movit sua castra, opera magnanima exercuit, aliquando sese cohibuit obscuris latebris, dein & clarâ luce refulsit: præstitit se scopum divinis sagittis, semper ad punctum velificata, omni vento divinæ inspirationis; non à se, sed Dei signis agebatur. At cujus virtutis impulsu, & qua motrice regebatur? Solius humilitatis dominante sceptro.

Ad supremum fastigium sanctæ humilitatis beatissima mater pervenit.

§. III.

Summa Virginis humilitas patuit ex hilari privilegiorum renuntiatione.

De natura privilegij.

AD majorem lucem præmittendum est; privilegium duo includere: jus seu gratiam concessam, & mandatum quo Princeps concedit alicui specialem

A gratiam. Privilegium ergo secedit à legis natura, quæ jus commune concedit; & est lex privata aliquid speciale concedens: quod tunc validum, si Princeps velit, possitque, & eo volente & potente declaratur: quare & Scriptura supervacanea est. Deinde pro hoc nostro argumento, sciendum est, aliud esse privilegium gratiosum, aliud remunerativum. Gratiosum dicitur, quod gratis, & nullo meritorum interventu confertur. Remunerativum, quod consideratione meritorum propriorum vel alienorum in præmium conceditur, vel commodum privilegiarii. Gratiosum fundatum est in Principis regia & liberali voluntate, placitoque: Remunerativum in meritis personæ cui addicitur, est quasi intrinsecè personale, ut colligitur ex Digestis de Constitut. Princip. & in ratione ejus, ut ibi docet Ulpianus, ex legibus esse quasdam personales gratias, quæ ad exemplum non trahuntur, & hoc pacto, quæ Princeps ob merita indulsit, vel cui sine exemplo subvenit, personâ non egrediuntur.

Duplex privilegium, gratiosum, & remunerativum.

B

Si igitur definitionem Privilegii introspexeris, non solùm gratiam & jus summæ gratiæ, verùm jus ad gratiam omnium gratiarum, eamque inexcogitabilem solique Deo notam, collatam Sanctissimæ Virgini cognoscimus. Quare & à legato cœlesti his vocibus, *Ave gratiâ plena*, salutatur.

Definitio privilegij ex omni parte convenit sacratissimæ matri.

C Quod privilegium ideò gratiosum nuncupatur, quod primæ gratiæ actualis ex parte prædestinati nulla causa dari possit & Sanctissima Virgo nullis suis ad tantam gratiæ admirabilis affluentiam fuerit prædestinata.

Ex hoc fonte largissimæ gratiæ manant tria ceteris omissis privilegia; esse scilicet decretam Dei Matrem; promulgatam Dominam & reginam omnium, Virginem denique Virginum florentissimam purissimamque; quæ quia in meritis Virginis fundantur, remunerativa vocantur: quæ cùm supereminеant omnium creaturarum donis, soli Virgini Deus pro infinita sua liberalitate indulsit, & voluit esse personalia, & sine exemplo.

Tria privilegia SS. Virgini ter Maxima collata.

D

Ad primum privilegium veniamus.

§. IV.

§. IV.

Primum privilegium, Decretam esse Dei Matrem.

QUid majus excogitari potest, quàm esse matrem Dei? & tamen tanto privilegio cùm tanta esset, ut major esse non posset, placidè & humiliter renuntians, vocat se ancillam. Quomodo potest dici ancilla mater? an non matrem ancillari pugnat contra jus naturæ? Pugnat planè: nam, teste Aristotele in Ethic. *Pater & mater etiam bello capti non possunt servire servitutem filiis.* Nihil sic contrarium patriæ potestati, quàm servitus. Servus quidem domini sui dominus fieri potest: at mater & pater filii sui servi, nisi jure naturæ prostrato, esse non possunt.

Pater & mater nequeunt esse servi sui filii; Attamen Dei mater se ancillam vocat.

Nihilominus tamen illa vocat se ancillam. Quanto major illa fuit, tanto se profundiùs dejecit. Ipsius exaltatio & magnitudo, seges summæ humilitatis fuit, longè aliter quàm rebellibus Angelis, quibus altitudo gloriæ, gradus in ruinam fuit, dum superbi suum creatorem non agnoscunt. Illa exultat in Deo, & in se deprimit omnem tumorem; & ideò triumphabunda exclamat: *Magnificat anima mea Dominum*: quia cùm essem parvula, & nihil in oculis meis, elegit me Dominus, extraxitq; me de ventre matris; cui me post habitâ mille mulieres alias liberũ erat designare. Evecta ergo ad tantam sublimitatem clamo: *Quia respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Infinita majestas me dixit matrem, & ego dico me ancillam. Renunciatio tanti decoris exprimit & eloquitur humillimi cordis magnanimitatem, quâ, ut Deo placeret, sese depressit. Quis non suspicit hoc elogium humilitatis? quis non crederet speciosissimis rerum summarum pollicitationibus & prodigiosis honoribus Virginem animo extollendam? quis non crederet supra se ituram ad tanta fastigia sublatam? an non generosissimi animi rerum prosperarum successu titillantur? Rarò compositus & sibi par animus, nimium lætis: omnes propè lætioris fortunæ calor afflatus adurit; paucos eximit sine vulnere virtus lascivientibus congratulantium ventis. Ecce tibi prodigiosam humilitatem. Deus Virginem, suam matrem pronunciat, & illa se mancipium: *Ecce ancilla Domini.*

Prodigiosa humilitas.

Rara in rebus nimiũ lætis moderatio.

A An non in una responsione triumphat valida fides, profunda humilitas, & læta cum summa promptitudine obedientia? An non humilitas, dum se ancillam; vocat; fides, dum credit Deum futurum suum Filium, cui se mancipat in servitutem, Ecclesiast. quinto. *Omnia flumina dicuntur intrare in mare, & illud tamen non redundare.* Mirabor ego magis pelagus infinitum intrare in flumen, & illud non redundare. Complevit illud Ecclesiastici documentum: *Quanto major es, tanto magis te humilia in omnibus.* Exaltatio præbebat majorem materiam & segetem majoris depressionis. Ex status sui sublimi majestate carpebat fructus majoris humilitatis. B Tendebat Virgo in diversam ab hominibus usitatam viam. In hominibus fortuna indulgentior afflat superbos indulgentioris fortunæ fastus, animosque. Mirantur cælestes spiritus omnes fontes & flumina & mare omnium gratiarum & donorum & privilegiorum in Mariam confluere, & animum Mariæ non intumescere, non exsurgere, non attolli.

Sanctissima Virgo ex sua altitudine carpebat fructus humilitatis.

An non supra naturam est, parvitate suâ fuisse contentam, nec fortunæ majestate, nec maternitatis divinæ gloriâ, nec deniqûe quod supra omnia exaltata ne minimo sui sensu titillatam, ne spiritu humilitatis fuisse diminutam?

An non mirum, quod inexplicabilem magnitudinem suâ cordis parvitate concluserit, quâ magnitudine ceteri homines C aut laborant, aut dejiciuntur? Pulchrè Ambrosius in Lucæ secundum. *Ancillam se dicit, quæ mater eligitur, nec repentino est exaltata promisso.* Triumphat quoque sancta obedientia in hac sua responsione, dum titulum maternitatis acceptat, quò divinæ pareat voluntati; non acceptura, nisi ut serviat tantæ majestati. O obedientiam admirabilem! pluris illa æstimabat divinam voluntatem, quàm titulum summi honoris; præferebat illa minimum nutum divinæ obedientiæ cunctis promissis; hoc solo se beatam dicens, ut pareat.

Obedientia admirabile artificium promerendi.

An non ideò obedientia vocari potest admirabile artificiũ & magnificum arbitrium promerendi, ut Tertullianus libro D primo de patientia scribit: *Arbitrium promerendi obsequium est: obsequium autem morigera subjectio.*

§. V.

§ V.

Quantæ potentiæ fuerit Verbum Fiat.

QVàm autem gratum hoc fuerit Mariæ humillimum obsequium, explicat Andreas Hierosolymitanus de Assumpt. dum ponderat illud verbum *fiat*: Ecce Maria ancilla Domini ad obediendum facilis, ad serviendum parata, ad suscipiendum prompta. Dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux: fiat firmamentum cæteraq; omnia, & facta sunt.* Dixit ergo: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* & factum est opus operum omnium maximum. Dei *Fiat* fuit imperantis; Virginis *fiat* fuit obedientis. Imperantis Dei *fiat* secutum est cælum operaque reliqua; obedientis Virginis *fiat* secuta est verbi divini Incarnatio. Maxima Virginis humilitas & obedientia, dum dicit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; quasi diceret: Nihil est in me virium & virtutis, quod concurrat ad Majestatem tanti operis; fiat illud opus in virtute divina; illius est virtus principalis, nostra exilis & exigua: ipse est principale agens, & ego nisi umbra, & nisi obumbrata divinæ virtutis interventu tantos radios majestatis sustinere nequeam; impar est virtus omnis humana. Concurram ergo supernis freta subsidijs, & ideò exclamo: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quantæ potentiæ fuerit hoc verbum *fiat* à Virgine pronuntiatum. Quemadmodum ex effectibus, caussarum magnitudo; & passibus giganteis corporis moles judicatur; ita ex operis secuti suprema excellentia dignitas consensus Virginei demonstratur: est enim operum omnium admirabilium opus, divinæ potentiæ opus Incarnationis, ut dictum est; cujus & Virgo testatur magnitudinem; dum exclamat: *Fecit potentiam in brachio suo.* Nulla ergo creatura potuit quidquam excellentius Deo offerre, nec munus suæ majestati gratius, nec humano generi utilius dicare, quàm per verbum *Fiat* fuit Deo sacratum, quo Virgo sacratissima divinæ voluntati penitus sese substravit. An non à consensu Virginis summa Dei gloria & salus universi pendebat? Infinitas ergo debet universus orbis & cælum cum suis incolis gratias Virgini. Debet & Deus cùm sese Virginis, ex illo consensu voluit debitorem, dum eius majestas per illud *fiat* illustratur; sicut in principio orbis condendi per imperium voluntatis dicendo *fiat* fuit illustrata: *fiat cælum & terra,* &c. conduntur, & ea, quæ non erant, ex suo nihil evocantur. Ex duobus *fiat* dependebat ortus, salus, & felicitas orbis: ab uno *fiat* Dei; & ab altero Virginis. De quibus duobus intelligi potest illud Psalmi 71. *& replebitur majestate eius omnis terra, fiat, fiat*; de *fiat* Dei, & de *fiat* Virginis. Per *fiat* Dei creati sumus; per *fiat* Virginis recreati & reparati: per *fiat* Dei condita universa; per *fiat* Virginis cuncta per peccatum eversa, sunt restaurata, ut pulchrè Bernardus: *Exspectat Angelus responsum; exspectamus & nos verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes: & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* O Domina responde verbum quod terra, quod inferi, quod & exspectant superi; ipse quoque hominum rex & Dominus: quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat responsionis assensum. Responde, ô Virgo, verbum, & suscipe Verbum: profer tuum, & suscipe divinum. Tu homo, solve quod debes Virgini pro suo consensu, consensu tuo, dum sanctis inspirationibus præbes assensum. An non per assensum Virginis in suis sanctis visceribus Deus incarnatus est? sic & per tuum assensum spiritualiter suo modo incarnabitur Deus in anima tua. Iacob. 1. *Suscipite insitum verbum, quod salvare potest animas vestras.* An non *fiat* Virginis causa universalis boni? sic & tuum *fiat* caussa tuæ salutis particularis. Iunge tuum *fiat* cum Virginis *fiat*; assentire Deo, ut tuus consensus fiat tibi fons salientis aquæ in vitam æternam, & dicatur: *Fiat tibi sicut vis.* Summa ergo humilitas Virginis, quâ se in ancillam Deo devovit, non modo non dedecoravit splendorem suæ celsitudinis: verùm etiam in immensum sublimavit, dum sese ancillam dicit, quæ mater erat prædestinata. Posset condi Emblema: *Crescit in immensum, quod ante nihil. Fit punctum linea. Vis esse magnus? esto parvus.* Ecce tibi renuntiatio summæ decretæ gloriæ. Ad secundum privilegium.

Deus per verbum Fiat omnia creat & Virgo per verbum Fiat omnia reparat.

Efficacia verbi Fiat à virgine inventi.

Effectus potentiam declarãs caussarum.

Ex duobus Fiat pendet ortus, & salus universi.

Hominis consensus quodest Fiat causa illi salutis erit.

§. VI.

Secundum Privilegium,

Quod sit Regina & Domina omnium.

SEcundi Regum 6. Davidem Regem miratur & extollit sacra Scriptura, dum accinctus ephod lineo arcam Domini in suam Regiam totis viribus ante Dominum saltans deduxit, quem ob nimiam sui dejectionem uxor Michol superbiæ typho tumida despexit, & domum reverso acerbissimis eum exprobravit. *Quam gloriosus, inquit, fuit hodie rex Israël discoo-*

Humilitas Davidis.

ma: Quemadmodum non potest esse amor Dei sine amore proximi; ita non esse humilitatem coram Deo, si non sit humilitas cum proximo. An non ideò Pontifices summi se servos servorum Dei vocarunt? Diva ergo Virgo Filium Dei conceptura obtulit se in humillimam servam Dei; & ut illius humilitatis præberet exemplum facemque prælucentem, inflexit animum, ut in opere humillimo, proximo suo deserviret. Quæ submissio populis tanto est admirabilior, quo persona est celsitudinis seu dignitatis majoris. Plus enim ferit in principe viro fulgor virtutis, quàm in sanguine populari. D. Thom. opusculo 63. graviter ponderat verba Christi de se loquentis, Lucæ 12. v. 37. *quod in cœlo præcinget se & transiens ministrabit illis.* Quamvis beati fruantur Deo, ut objecto infinitè amabili, & contemplentur Deum facie ad faciem; tamen quo magis amore Christi inardescant, & majoribus gaudijs incedentes affluant, voluit Christus ipse tanquam servus in sua majestate non aliter quàm mancipium cujuslibet unicuique sigillatim servire. Doctorem audiamus: *Beatorum corda Christi amor maximè inflammat hoc ipso, quòd ita ministret singulis, ac si esset servus emptitius singulorum, & singuli essent ipsius Dei.* Idem D. Thomas ibidem de beat. §. 3. *Principale est aliud inflammans animam ad amandum Deum*, divina scilicet humilitas, de qua nimis admiratur anima: nam Deus omnipotens singulis, sanctisque animabus in tantùm se subjicit quasi servus emptitius singulorum; quilibet verò ipsorum sit Deus suus. Admirabile vidit orbis, dum Clementem VIII. Pontificem summum adgeniculatum mendicis, pauperum pedes publicè lavantem vidit. An non Principis summa majestas sicut admirabilis, ita & humilitas amabilis? An non malis amari, quàm timeri? amabilem esse, quàm admirabilem? Terret horror majestatis, ac proinde vulnerat: amabilis aspectus, cor vulnerat jucundè dulciterque trahit; majestas contrahit animum tuentium, humanitas dilatat. Non mirabile ergo si Virgo Filij, quem in utero gestabat, ageretur cælesti numine ad Elisabethæ servitia præstanda, qui venerat ministrare, non ministrari. Et cùm filius & mater pro una & eadem persona computentur, eodem spiritu & voluntate regebantur: humillimus ille; humillima & ipsa. Jucundũ sanè certamẽ; ille servus, illa serva, admirabilis in sua majestate uterque, admirabilior in sua tanta humilitate. Majestas magis agnata cuilibet, & facilè parabilis; humilitas in arduo & soliùs virtutis vivacissimus fulgor heroicâ virtute paratus. Et quid difficilius, & quid operosius & extra communem aleam, quàm magnum esse, & amabilem, ac verè humilem? An non ideò super omnia Virgo exaltata, *quia respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Hauriebat illa à Filio cùm Filio gravida majores suis virtutibus hæreditarijs virtutes & gratias, & videbat se arborẽ vitæ factã & nobilissimo fructu, Verbo scilicet incarnato, gravidam, & ideò inclinabat se ad ima. An non more arborum fœcundarum, quæ fructibus gravidæ ramos onustos supplicum more cum liberali humilitate simul & fœcundâ liberalitate spectatores suos invitant. Benedictus fructus tuus, ô Sanctissima Virgo, benedicta tu fructu ventris tui; benedictus uterque summâ humilitate, summèque admirabilis. Quantùm diversa ab Agar ancilla Saræ uxoris Abrahæ cap. 16. quæ ubi, se imprægnatam vidit, dominâ sterili dominam superbè tumida suo fructu despexit: at non mater Dei, Deo plena, Deumque ferens non solùm despexit Elisabetham, quam conditio status servam fecerat; verùm eousque se humiliavit, ut domina & Dei parens futura exhiberet illi servitutem, quæ si serva esse mereretur, se beatam fortunatamque deprædicaret.

In principe summus fulgor, humilitas.

Deus summus princeps in cælo humillimus.

Clementis Octavi humilitas.

Amabilitas & majestas contrarios imprimunt affectus.

Res operosa & admirabilis; esse amabilem, & magnũ.

Arbores onustiores fructibus magis se inclinat: sic tanto quis humilior, quo virtute major.

§. VII.

Tertium Privilegium.

Quod sit Virgo virginum. Huic titulo renuntiat. Deinde vult omnes actus suarum virtutum humilitati esse vectigales. Stupenda & duplicata humilitas in omni actu.

HOc privilegio, quo omnibus creaturis, imò ipsis radijs solaribus purior præminebat, exhibuit theatrum stupendæ humilitatis, cùm Virgo purissima se legibus impurarum mulierum publicè palamque subjecit. Numquam Filius Dei magis fuit humiliatus, quàm in circumcisione, cùm in similitudinem carnis peccati, peccaticis carnis signum, tesseram & stigmata reorum sibi in corpore suo impressa voluit circumferre; ita ut Deus peccati hostis implacabilis secundùm legem æstimari & judicari potuerit peccator. An non ideò Pater Filium suum quodammodo aversatus reliquit sine testimonio, quo divinitatem Filij mundo solitus fuit evulgare probareque? Nascitur in stabulo, monstratur pauper & dives; humilis & sublimis; parvus in præsepio, immensus

Quando Filius Dei maximè humiliatus.

In omnibus humilitatis actibus Filius Dei à suo Patre glorificatus.

sus in cœlo; vilis in pannis, pretiosus A in stellis; denique elementa loquuntur puerum natum, Deum esse, cælum, terra, homines, Angeli. Puerum reclinatum in præsepio ut Deum adorant tres reges ab oriente duce stellâ vocati, & ut rex regum manifestatur, & ideò dies iste θεοφάνεια vocatur, id est, Dei manifestatio. Infertur fugitivus in Ægyptum ut parvulus, & per eversionem simulacrorum Deus agnoscitur. Baptizato Pater intonat: *Hic est filius meus dilectus.* Spiritus sanctus specie columbæ Deũ esse demonstrat, pedes & humilis conscendit anhelans adversum immanemq; montem Thabor: & ecce in augustissimis comitiis servilis species immutatur, *Resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius alba sicut nix. Et vox Patris facta sunt de cælo audita: Hic est filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui, ipsum audite.* Matth. 3. v. 17. Ecce ut humilitatis comes gloria. In crucis ligno suspensum omnia elementa, Sol eclipsi, terra tremore pavens, rupes suâ confractione crucifixum humiliatum ut Deum glorificaverunt: *Verè filius Dei erat iste.* Matth. 27. v. 55. at in Circumcisione, quia signum peccatoris gestabat (quasi in Deum posset cadere ignorantia, quæ tamen non potest cadere) Filium non agnoscebat, quasi diceret: *Vox quidem vox Iacob: manus autem, manus Esau:* Gen. 27. non hic filius meus, qui in similitudinem carnis peccati, peccatoris tesseram & vestem circumfert. Quomodo agnoscam & amem hunc filium, cujus manus sunt Esau & peccatoris? & quid mihi tam contrarium, quàm peccati macula? Summa ergo tunc contigit obscuratæ divinitatis humiliatio, ut major esse non posset, dum circumciditur. Summa Virginis humilitas fuit, cùm esset regina & mater, ancillam se dicere: at multis partibus maioris fuit humilitatis, subire leges, famam, nomenque peccatricis & immundæ mulieris, & cedere privilegio, & famâ virginitatis. Nunquid peccatrix haberi potuit & debuit? & quasi violatâ virginitate pollutoque pudore inter vulgares communesque mulierum turbas annumerari? Et quemadmodum Filius Circumcisionis injustâ notâ judicari peccator poterat; ita & Mater legem circumcisionis & purificationis servando peccatrix & immunda. An non quia hoc pacto testatur se filiam Evæ, & communi lege peccatorum contineri? Poterant homines agnoscere & dicere Virginem Virginum virginitatis flore spoliatam, & pariter naturâ peccatricem; non immeritò dixisses peccatorum pœnâ mulctatam. Contemplare summam ergo Virginis humilitatem, quàm longè sit diversa à nobis, quæ materiam suæ celsitudinis in summæ humilitatis, quò damnabilem nostrum fastum everteret, thesauros convertit. Infinitis ergo gratiarum & virtutum præsidijs utebatur in majorem sui dejectionem. Nulla erat virtus, quæ non penderet tributum humilitati; nullus actus, qui non vectigalis. Ascendebat altiùs, descendebat profundiùs. Exercebat actum summæ charitatis? actus ille statim pendebat tributum humilitati, recognoscebatque hunc actum provenire à sola Dei benignitate, pro quo & gratias agebat. Cùm secum re- B putaret altitudinem sui status, ipsa altitudo statim ad thronum humilitatis trahebatur, & ibi se tributariam hoc pacto exhibebat: *quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Ego in me, & ex me, & per me nihil sum; sed in me magna operatus est ille, qui potens est, & cujus nomen sanctum. Græcè: *Magna mihi fecit ille potens & cujus nomen sanctum est*, & omnibus beneficijs sum cumulata à Deo potente & sancto, quòd Deum conciperem, & femina effecta mater Filij Dei integrâ virginitate, eadem sit electa Regina omnium, hoc totum divinum fuit. Humilitas ab elicitis actibus debitam sibi pen- C sionem reposcebat, quorum originem & bonitatem cùm sciret à Deo manasse, in ipsum Deum tanquam primum auctorem & fontem istius actus & bonitatis fortiter regerebat remittebatque. Unde & elicitis actibus Virgo secum hoc modo haumiliter ratiocinabatur: Hic actus amoris, verbi gratiâ quem elicui Dei potenti auxilio, scio & agnosco esse munus Dei, & hoc ipsum cognoscere non esse donum inferius minusve. Quilibet ergo actus quodammodo duplicabitur per reflexionem sui in actum humilitatis, ita ut quilibet actus semper haberet comitem humilitatem, quâ co- D gnoscebat Deum esse præcipuum actorem istius virtutis; & hoc cognoscere non à se provenire, cùm nihil à se haberet, opus erat insignis humilitatis. Quo exercitio contingebat ut humilitas instar Solis omnes virtutum actus ab illæsione corruptionis intactos servaret. Perpetuus erat ergo per summas virtutes ascensus, & perpetuus in seipsam per humilitatem descensus. Refluebant itaque reciprocè & redibant omnes operationes ad caput & ortum suum, ut recognoscerent solum natale suæ originis: ita ut verè possit dici de Virgine; In unum simul dives & pauper, & summa & infima creatura; maxi-

Nunquam Filius Dei magis humiliatus quàm in Circumcisione ex ratione.

Nunquam Virgo Sanctissima magis sui honoris prodiga quàm in Circumcisione ex ratione.

Ardens studium in humilitatis studium.

Omnis actus virtutum erat vectigalis humilitati.

In quolibet actu duplicabatur humilitas.

Suavis quasi & continuus Euripus, & fluxus & refluxus gratiarum humilitatis opera.

maxima in oculis Dei; minima in sui. Hinc ipsa sibi complacens omnes mortales invitat ad sui conspectum: Congratulamini mihi, quia cùm essem parvula in oculis meis, de visceribus meis genui Deum salvatorem & hominem. Sciebat omne donum de sursum descendere; sciebat sine numine divino nihil posse hominem operari; sciebat hominem attolli in Deum lumine gratiæ, non fortitudine suâ; penâ spiritu sui avi. Davidis, qui canebat: Psalm. 58. v. 10. *Fortitudinem ad te custodiam, & gloria virtutis eorum tu es.* Quod præclarè Augustinus docuit libro de natur. & grat. cap. 26. *Sicut*, inquit, *corporis oculus etiam plenissimè sanus nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic etiam perfectissimè homo justificatus nisi æternâ luce justitia divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere. Nisi Dominus* (ait David Psalm. 126.) *custodierit civitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Sicut scimus Deum totam universi fabricam ex nihilo conditam super nihilum fundasse, eamque tribus divinitatis digitis sustentare, prout loquitur Sacra Scriptura Isai. 40. v. 12. *Tribus digitis appendit molem terræ*: ita & sanctissima Virgo considerans seipsam ex nihilo factam, totam molem & fabricam suarum virtutum & suæ celsitudinis super nihilum fundavit. Considerabat enim se ex se nihil esse, & divinæ potentiæ gratiâ, sine qua nec esset, nec esse posset, sustentari. Sciebat igitur se collatam Deo reverà nihil esse: si enim omnes creaturæ Deo comparatæ, & orbis terrarum nihil aliud sint, juxta illud Sapient. 11. quàm momentum stateræ, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram; quam, & qualem, & quantam se jure duxerit? Sciebat illud Isaiæ 40. *Omnes gentes quasi non sint, & quasi nihilum, & quasi inane reputata sunt.* Sciebat Davidem cecinisse Psalm. 38. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Ex hac consideratione Sanctissima Virgo descendebat in profundissimam sui abyssum, & cogitabat se respectu infinitæ majestatis, non esse formicam cælo comparatam. Et quia Deum vehementissimè diligebat, sibi de se nihil relinquebat. Et quia toto charitatis affectu, nullo proprij amoris pondere gravata, in Deum tendebat, optabat se Seraphicis flammis consumptam in cineres, & in nihilum permutari, ut nobilissimâ sui victimâ summo Deo parentaret. Exclamabat ergo: Ego tanquam nihilum facta sum ante te: defecit cor meum, ut sic loquar, & caro mea in Deo salutari meo.

Considerationes S. Virginis, quibus ad humilitatem provocabatur.

A B C D

Sublimissimam ergo suam fabricam construxit Virgo super nihilum, & quantò majus fuit ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et quid inde? & quo successu? Et quia ita se humiliabat, grandior humilitatem affluentium gratiarum actutùm imber inundabat, & magnitudo claritatis cælestis vacuam sui amoris animam admirandis bonorum incrementis adaugens cumulabat. Hoc ipsum docuit Ildephonsus Serm. 2. de Assumpt. *Humiliat se Virgo in cunctis, ut totam in se suscipiat gratiam conditoris; quia quod per partes alijs datum est, tota simul venit gratia plenitudo; quia multum se humiliavit inter immensa dona, inter divinitatis commercia.* Et Bernardus *in verb. Apocalyps.* Signum magnum: *Maria major erat, humiliabat se magis in omnibus.* Certè humilitas est præ omnibus, quia major omnibus exstitit. Quapropter meritò facta est novissima prima, quia cùm prima esset, fecit se novissimam. Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnibus exhibuit ancillam. Fabrica igitur ante celsitudinem humilianda, & fastigium post humiliationem erigendum. Tu, Lector, esto Virginis æmulus. Vis esse magnus? à minimo incipe. Nil sic amicum Deo, quàm si quis in minimis se numeret; estque id caput totius Philosophiæ Christianæ atque fastigium. Convenit ergo Virgini definitio humilitatis, quæ se minimam omnium fecit, & in imo se inclinavit ad suum conditorem ima & maxima semper consistens. Humilitas mater magnitudinis, & magnitudo filia & mater ejusdem. Quando ergo homo hujusmodi humilitatis experitur affectum, & ut divino amore inebriatus animus, oblitus sui, factusque est sibi ipsi tanquam vas perditum, tunc totus pergit in Deum, & adhærens Deo, unus fit cum eo spiritus, ut deficiat caro & cor hominis in Deum; tunc enim Deus in homine regnans reverberat infirmitatem aspectus humani irradiantis in anima vehementer suam vilitatem; ita ut cum tremore & amore contremiscat, & inueniat longè se esse à Deo in regione dissimilitudinis; quod tunc clamat homo vanitati similis se ad nihilum redactum; & an non sic ad nihilum redactus, totus à Deo absorbetur? Felix qui experimento didicit sese annihilare in Dei gratiam, gloriamque.

Diva Virgo construxit tantū ædificiū suum super nihilum.

Caput totius Philosophiæ, numerare se in minimis.

§. VIII.

De supremæ humilitatis excessivo gradu, qui est famæ totius renuntiatio abdicatioque in morte sui filij.

MAgnum humilitatis eximiæ fuit exemplum, esse Dei matrem, & tamen non se promulgare Dei matrem; sed Dei ancillam. Magnum & ejusdem virtutis decus, esse reginam, & se gerere tanquam ignobilem, & quæ poterat per fastos annalesque temporum, Regum, Ducumque stemmata & seriem nobilis sanguinis numerare, in numerum plebeium velle deduci, velle capitis sui tributum pendere, hospitij prohibitionem ferre patienter; non erat illi locus in diversorio, in stabili stramineo thoro eniti Filium, in præsepe Deum reclinare, & magnanimâ fortunâ domicilium pecudum non dedignari. Non inferioris humilitatis fuit, Virginem purissimam immundarum mulierum censuram subire, & notâ peccatricis cum Filio signari. Magnificè igitur & dignè Deo omnibus suis privilegijs, quò Dei placitis, ad Filij sui imitationem, sese inclinaret, renuntiare. Major illi cura humilitatis, quàm propriorum decorum fuit: maximum tamen operum, quo ipsa seipsam supergressa vicit, & omnium virtutum exsuperantiam excessit, fuit scilicet renuntiatio non solùm titulorum aut privilegiorum; sed totius virtutis, totius suæ dignitatis, totius denique famæ suæ in Filij sui occasu. Toto orbe nomen Filij omnnium commemoratione celebrabatur, & nomen quoque felicissimæ matris omnium laudibus divulgabatur. Omnium populorum judicijs fama Christi prædicabatur, & omnium judicijs fortunatissima mater tanti Filij, & miraculorum magnitudine clari, dicebatur, utriusque nomen celebritate omnis generis hominum florebat, juxta vocem mulieris exclamantis: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti:* at ubi Filij callido & versuto sceleratorum consilio fortuna circumacta fractaque fuit, & quando causâ justâ naufragus; proditâ & prostratâ justitiâ cladem suæ famæ per injuriam Filius sustinuit, sustinuit & ipsa, & nec turbine judiciali, quasi fulmine percussa, umquam animos submisit; sed sicut Filius, sic & ipsa in perditis & desperatis rebus suâ virtute involuit, ita ut vultus & color sibi constaret. Videbatur Filius oppressus in bona causa; videbatur & mater: ille proditor, seductor, regni affectator, deterior homicidâ, dignusque infami ligno judicatus. An non & Virgo omnium ferè oculis tam infamis Filij tamquam infamis mater judicata? Sicuti florentibus rebus gloria Filij, ita & omnis contumelia redundat in matrem. Unius Filij funere, elata est, omnis gloria Virginis. An propter ignominiam gradu virtutis & constantiæ cessit? Renuntiavit illa hilaris, placito divino se submittens, & famæ, & honori, & gloriæ acquisitæ. Spoliatus Filius omni virtutum fructu; spoliata & mater: indignus uterque vitâ judicabatur, in cruce Filius, & sub cruce mater: Prodigium hominum Filius, prodigium hominum Mater. Quid dicis Christiane? An non supest Matrem nudatam interitu famæ, honoris, ac denique carissimi Filij, & tamen stare? Tanti est Virgini summi Dei gloria, pro qua non dubitat omnem sui renuntiationem ambire. O Virgo, tanti est tibi præ te Deus. Aude homo teipso cedere in Dei causa; in hora mortis pulchrè tibi fœneratum beneficium dices.

Maximum opus humilitatis in Virgine, nec ulli comparabile.

Virgo sanctissima, ijsdem quibus Filius contumelijs & malis affecta, redundat enim infelicitas filij in matrem.

§. IX.

Considerationes Virginis, quibus se cum summa voluptate & reverentia in conspectu divinæ Majestatis humillimè abjecit.

PRima consideratio. Cognoscebat & contemplabatur se ex se planè nihil esse; & quidem verè deinde ut esset Deus omnia, vehementissimè volebat se & nihil esse, & nihil ab hominibus, Angelisque haberi non minus vehementer optabat. Quæ consideratio altissima sui humilitatem & despectionem generabat. Quod præclarè Nazianzenus orat. 17. docuit: *Intelligamus*, inquit, *nos nihil esse, si cum illa prima caussa & vera sapientia conferamur, eamq; ob rem ad ipsum unum tendamus, nec quidquam aliud quæramus, quàm ut promanantibus illinc radijs illustremur.* Hoc sanctissima Virgo altitudine suæ intelligentiæ contemplans, clarissimè videbat, se munificentiæ & liberalitatis divinæ exemplum; infinitæ denique misericordiæ & bonitatis esse theatrum. Contemplabatur prætereà se cum Deo collatâ in sua celsitudine nihil esse, nec esse potuisse. Quod ipsum Augustinus lib. 7. Confession. cap. 10. à Deo illustratus sensit. *Reverberasti*, inquit, *infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore & horrore, & inveni longè me esse à te in regione dissimilitudinis:* quia Deus scilicet est omnia, & homo ex se nihil. Hoc unum bonum cogita & ama, in quo sunt omnia bona.

Homo collatus primæ causæ nihil est.

SS. Virgo sciebat se misericordiæ divinæ theatrum.

Secun-

Secunda Consideratio, quâ contemplabatur sene ullo suo merito; sed solo Dei beneplacito tot gratiis cumulatè præventam. Poterat enim Deus aliam feminam sibi deligere & in Matrem adoptare, sicut dictum est. Quæ consideratio altè radicata suscitabat perennes fontes immensæ gratitudinis, ut semper exclamaret: *Fecit mihi magna, qui potens est*; & cum suo avo accineret: *Qui coronat me in misericordia & miserationibus, Deus meus, misericordia mea. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes miserationes eius.*

Alta & profunda consideratio SS. Virginis, ad humilitatis inductionem.

Tertia consideratio, erat contemplatio supremi muneris divini, quo videbat sibi collatum donum perseverantiæ, quo constantissimè per augmenta virtutũ crescens victoriam æternosque triumphos expers metus & tremoris securè erat consecuta. Considerabat quippe admirabilem felicitatem atque altitudinem gloriæ, quâ rebelles Angeli cum æterno suo exitio decidere, quia donum perseverantiæ non habuerunt, sibi decretum. Et quare non habuerunt? Quia nondum acceperant quod est donum donorum. Sciebat Adamum primum parentem summis bonis & diliciis affluentem præcipitem in exitium fuisse atque omnibus gratiis defectu perseverantiæ spoliatum: se verò infinitis gratiis præventam, omni benedictione dulcedinis circumseptam, omnibus armis spiritualibus munitam fuisse, & super omnia dono perseverantiæ coronatam. Quod donum est donorum omnium maximum, nulli debitum, nullis meritis parabile, nisi de congruo, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap.: 2. & 13. *Nemo*, inquit, *quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat se esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit; aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam nisi ex speciali revelatione scire non potest, quos Deus sibi elegerit.* Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* quod quidem aliunde provenire non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant. Sed solum ex divinæ misericordiæ thesauris per gratuita auxilia concessum. Quod præclarè docet D. Thomas, 2.2.q.37.ar.4. *Dupliciter*, inquit, *perseverantia dicitur; uno modo pro habitu perseverantiæ, secundùm quod est virtus; & hoc modo indiget dono habitualis gratiæ sicut & aliæ virtutes infusæ.* Hanc describit Tullius lib. 2. de Invent. & Augustinus lib. 83. q. 31. *In ratione benè considerata stabilis & perpetua*

Diva certa de sua perseverantia.

Sanctissima Virgo certa de sua perseverantia.

Nemo Certus de sua prædestinatione.

Dupliciter dicitur perseverantia.

A *mansio.* Et hæc pars fortitudinis in appetitu irascibili sedem habens, propterea quòd fortitudinem imitatur in superanda difficultate diuturnitatis, quæcumque potest reperiri in qualibet virtutis actione, de qua perseverantia hîc non loquimur. Alio modo dicitur perseverantia, quæ in ipso actu perseverantiæ consistit, durans atque ad mortem, & secundùm hoc homo non solùm indiget gratiâ habituali; sed etiam gratuito Dei auxilio conservantis hominem in bono usque ad finem vitæ; quia cùm liberũ arbitrium de se sit vertibile, & hoc non tollatur ei per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest B potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate eius, quod hoc eligat: plerumque enim cadit in nostra potestate electio; sed non executio. Propter hanc incertitudinem itaque omnes cum timore & tremore operantur suam salutem. Hinc illæ voces Leonardi Lessij: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Nemo scit, an amore dignus, vel odio. Notum fac mihi finem meum.* Finiamus brevi epilogo materiam humilitatis Virgineæ; maximam spectavimus, spectavimus & minimam: spectavimus Reginam potentem & omnibus virtutibus ornatam, quæ pulchrè describitur à Davide Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis circumdata varietate.* Et quare à dextris? C Desines mirari, ubi alteram editionem legeris; quia circumdata vacuitate, quæ est fundus & abyssus humilitatis. An non fontes in vallibus nascuntur profundis? Ex Virgine profundissimæ humilitatis natus fons aquæ vivæ Christus Jesus verè humillimus, qui ex sinu Patris saliens, humiliavit se usque vallẽ humilitatis Mariæ. I Christiane: i Religiose, Virginem æmulare: quò donis cælestibus altior, tantò est humilior: majorem habes cum Virgine Maria causam te humiliandi non magis à peccatis præservatus, quàm Magdalena, quæ à peccatis divinâ bonitate fuit liberata. D Quò major, esto humilior. Montes quò altiores, eò profundiores valles. I, Virginem imitare, quæ celsissima, quæ & minima. Lauda Deum; laudando te humilia; te humiliando exaltas Deum; Deum exaltando, teque humiliando exaltaberis à Deo.

Actus supra perseverantia non solum eget gratia habituali, sed & gratia Dei auxilio.

§ X.

Humilitas summa, summa celsitudo; & dejectio sui, magnanimitas suprema. Ænigma.

AN non diceres ænigma, summam sui dejectionem, summam esse celsitudinem;

nem; summum sui contemptum ex dilucida sui notitia, esse summam sui provectionem ex Veritatis virtute; & impotentia infirmitateque suprema creari, summam potentiam & inexpugnabilem firmitatem?

Quid minus quàm nihil? & quid admirabilius, quàm nihil obtinere, & esse omnia? Quid fecit acriùs intellectum, quàm occasu & exitio sui instar Phœnicis renasci inimmensitatem? & quò Deus hominem in suis oculis, suoque judicio deprehendit viliorem, eò generosiores & majores, & semper placituros inspirare animos; & quò depressiores homo spiritus in se generat vilitatis, eò altiùs erigi? Hoc artificio Deus evertit turrim Babylonicam, turrim scilicet sapientiæ humanæ. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; vocat ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt*, sublimia scilicet & grandibus apparatibus speciosa, *destrueret*. 1. ad Corinthios cap. 1. vers. 27. & 28. Et vers. 25. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* An non parvus lapis abscissus de monte sine manibus percussit statuam Nabuchodonosor, quam in somnis viderat, repræsentantem omnes orbis monarchias? An non & lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram? Daniel. 2. vers. 33. & 34. Quis ille lapis? An non Christus Dominus humillimus, & immensus? opprobrium hominum; & gloria, & gaudium universæ terræ? imus, & summus? & quæ stulta, infirma, ignobilia mundi elegit Deus? an non Apostolos, ut evertat sapientes, fortes & potentes? Quid humilius Christo Jesu Crucifixo ex infirmitate? & quid gloriosius Christo Crucifixo, vivente ex virtute Dei? An non Paulus, tantus cùm esset, scribit: *& nos infirmi in illo fortes*? Christus ergo humillimus usque ad mortem, mortem autem crucis. An non ideò exaltatus accepit nomen? Benè & sapienter Paulus docuit, 2. Corinth. 12. vers. 11. magnanimitatem stare cum infirmitate, & potentiam cum impotentia, dum ait: *Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* ergo me adversus omnia viribus gratiæ & magnanimitate, potentior potentibus, omnia debello; & quia scio me vilem & nihil; dominante virtute inclaresco miraculis, & qui vilis sum factus, sum terror orbis. Jactant & extollunt Athenæ, artium inventrices suum Socratem, de quo Dionysius Halycarnassæus in eglogis, cùm infinitæ mutationes & rempubl. occupassent in omnibus similem se vidisse dixit Xantippe Socratis vultum, & domo exeuntis, & denuò redeuntis. Ad omnia enim moderatus & concinnus erat; quamobrem nihil, ipsum tristitiâ affecit. Nos Christiani extollimus Paulum, qui populis seditiosis, tyrannis, regibus, & regum domino Neroni suæ caduceo magnanimitatis imperavit, qui incolumis inter tela hostium evasit; qui omnes calamitates undique affluentes, læto vultu superavit; *Omnia* (ut ipse testatur ad Philippenses 4.) *possum in eo, qui me confortat.* Magna res est, in calamitatibus, ut par est, sapere. Et tamen cùm tantus esset, professus est se esse nihil. 2. Cor. 6. vers. 12. *Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum.* Ecce minimi & summi; vilitatis & summæ magnanimitatis vides ideam formamque.

Christus lapis abscissus de monte humillimus.

Magnanimitas stat cum humilitate.

Qualem existimas in Virgine omnium humillima creatura magnanimitatis ideam formamque exstitisse? Humilitatem Virginis, proprietates humilitatis superiùs relatæ, manifestârunt. Euge, & proprietates & definitio magnanimitatis Virginis celsissimam gloriam & altitudinem, quantum fieri possit, mundo declarent. Audiamus Aristotelis definitionem de virtutibus: *Magnanimitatis est, pulchrè ferre & felicitatem & infelicitatem; & honorem & ignominiam, & non admirari delicias, neque clientelas, neque potestates, neque victorias publicorum certaminum; & simul habere altitudinem quandam, magnitudinemq́; animi. Est autem magnanimus, neque vitam magnifaciens, neque vita amans, simplex moribus & generosus, quiq́; injuriâ lacessiri possit, nec pronus sit ad vindictam.* Sequitur autem magnanimitatem simplicitas, ingenuitas & veritas. Et ibidem magnanimitas est virtus, per quam utraque fortuna, honorque & ignominia feruntur. Phavorinus sic magnanimitatem delineat: *Vir in magnanimitate vera & Philosophia educatus, antequam calamitates ingruant, animi tranquillitatem in se reconditam habet.* Vel, *est virtus, quâ, magna & eximio honore dignissima propter finem virtutum aggredimur: ipsum verò honorem nobis denegatum non ambimus, aut oblatum contemnimus.* Alia definitio: quòd sit *virtus ad opera magna & heroica in omni genere virtutis inclinans.* Qui enim magnanimus est, nihil præter virtutem magnum æstimat. Placuit semper Aristotelis definitio, quæ lib. 4. Ethic. cap. 3 habetur. *Virtus est, quæ circa res magnas versatur, quas comitatur magnus honor.* Juvandus hic Philosophus à Christianis, ut dicamus magnanimum appetere honores quidem, at æternos. Quare & intendere potest magnos honores, sicut quibus dignus est, vel etiam minores his, quibus est dignus; quia scilicet virtus non potest sufficienter honorari ab homine, cui debetur honor à Deo, & ideò non extollitur

Proprietates magnanimitatis.

Magnanimitatis vera definitio & gratior.

extollitur ex magnis honoribus, quia non reputat eos supra se; sed magis eos contemnit, & multò magis moderatos & parvos; & similiter dehonorationibus non frangitur; sed eas contemnit, vtpote quas reputat sibi indignè afferri. Sic D. Thomas 2.2. q. 129. art. 2. ad 3. *Magnus ergo & generosus, qui solum aeterna concupiscit.* Definitionibus adjiciamus ex Aristotele lib. 4. cap. 6. proprietates magnanimitatis, quæ nobis ob oculos ponent vivam Virgineæ magnanimitatis imaginem.

Prima Proprietas: Se dignum magno honore existimare, quem dignitas vel dona à supremo Monarcha collata deposcunt. Stat in hoc humilitas cum summo honore; quandoquidem ex notitia sui continet se in imo, & ex consideratione collatæ magnitudinis redditur Deo omnis gloria, tamquam magnitudinis auctori.

Secunda Proprietas: Ubi de rebus præclaris agitur, non dubitare se periculis objicere, & per discrimina prodigam vitæ animam inferre flammis, ferro, fatoque præsenti. Magnanimus enim, ut ait Aristoteles tribus verbis emphaticis nervosisque Ἐκ ἔςι μικροκίνδυνος, ἐδὲ φιλοκίνδυνος, μεγαλοκίνδυνος ἰδέ.

Tertia: Accepta beneficia majore beneficio compensare, quæ potest obruere congestu munerum. Hæc proprietas à beneficiis divinis removetur, quibus impar est omnis mortalitas.

Quarta: Exhibere se omnibus velut portum naufragis, vel transfugis asylum, nulli operam negare; sed affectus effectusque misericordiæ cunctis impendere: quod est signum maximæ perfectionis, & ἀγλαρχείας. An non est nobilissimæ animæ, alienæ miseriæ tractatu, miseris indulgenter subvenire? nullum adversari; sed Solis instar, cunctis suæ fœcundæ lucis radios & vitalem auxiliorum calorem impertire.

Quinta: Cum viris Principibus & opulentis præstare se magnum & excelsum; nimirum illis non adulando, nec sinendo suam libertatem opprimi eorum auctoritate: cum mediocribus verò & infimis modestũ ac moderatum. Sic enim quodammodo Deum imitatur, qui humilia respicit.

Sexta. Non locis aut functionibus honoratioribus se ingerere: hæc enim potius est ambitiosi, quàm magnanimi; proindè magnanimus quietem agit, & cunctatur, nisi res magna sit proposita.

Septima: Apertè odisse, & apertè amare, puta quæ digna sunt odio & amore. Græcè sic est: εἶναι φανερόμισον, καὶ φανερόφιλον; quia timentis est fronte occultare sententiam.

Octava: Apertè omnia dicere & agere (intellige intra limites prudentiæ; non enim una virtus alteri adversa est:) addit Aristoteles; amat enim orationis libertatem, quia ad alios contemnendos est propensus; non enim dignum laude alios spernere. quare hoc intellige ut additur: omnia quippe humana parvi facit; quando scilicet de veritate & Justitia quæstio instituitur. Qualis fuit magnanimitas Phocionis, Socratis, & Aristidis, qui in causa iusta naufragi, nec laudes vulgi ambivêre. Hanc admirabilem magnanimitatem in se magnus Paulus expressit, de quo actum suo loco. Expresserunt & plurimi clari Martyres, quos inter Cyprianus eluxit. Hic coram tribunali adductus, *Tu*, inquit Proconsul, *es Tascius Cyprianus, qui te Papam sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Iusserunt te Imperatores sacrificare; consule tibi ne pereas.* Et ille: *Ego sum Cyprianus, & Christianus sum, & Diis sacrificare non potero: tu verò quod tibi præceptum fac, in re enim tam justa nulla est consultatio.* Morti adjudicatus; *Gratias*, inquit, *ago Deo Omnipotenti, quod me vinculo corporis absolvat.* Audi Suidam, viri nobilis Auxentij magnanimitatis facta referentem. *In Imperiali domo fons aquæ fuit, & fonti insidens Bacchi simulacrum: tum autem vitis ampla, quæ totum locum tegens, multâ amœnitate adumbrabat. Huc cum Licinius Imperator deambulans venisset, Auxentio & multis aliis comitantibus, Auxentio mandat; botrum decerpat. Stricto ergo pugione nihil doli metuens botrum amputat. Tum Imperator: Ad pedes*, inquit, *Dionysij depone. Minimè*, inquit, *gentium Auxentius; Christianus sum. Confestim ergo ex aula secedat positâ dignitate. Vnum eorum eligendum. Et ille nullâ positâ morâ cingulum posuit, aulaq; valedixit, quem Deus Mopsuestium postea creavit Episcopum.*

Facta magnanimæ animæ.

Nona: Non posse alterius nutu vivere, nisi amici: servile enim id est, nec sine assentatione fieri potest, à qua, ille longissimè abest. Quod si amici nutu vivere potest, multò magis nutu superioris, qui & maximè est amicus, qui loco Dei præsidet.

Decima: Non facilè admirari: nihil enim illi magnum, inquit Aristoteles.

Vndecima: Non meminisse injuriarum. Viri enim magnanimi non est, ait idem, memorem esse, præsertim injuriarum & malorum; sed ea potiùs pro nihilo putare. Quàm viles ergo animæ, qui injurias sine fine persequuntur, nec iræ nisi cùm internecione temperant. Erratis Principes, qui statum sanguine vndanti firmandum putatis. O miserum statum, qui verbo uno labefactatur, quod nisi ultione aboleatur & ferro, sit ruiturus! (Vide dicta in Consociatione de Clementia.)

Quanto

Quantò generosius est statum extra fortunæ ictum locare, nec se à quopiam lædi posse, nisi à seipso. Magnam fortunam magnus animus decet; muliebre est furere in ira. Exæquat se rex mulieri, dum nimium furit. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est; quid enim majus aut fortius quàm malam fortunam retundere? A

Duodecima: Non cupidè loqui de hominibus: quia neque ut laudetur, solicitus est, nec ut alij vituperentur nec aliorum laudator est, nec maledicus, nec inimicos quidem nisi acceptâ contumeliâ, ubi Aristoteles permittit rependere κακολογίαν, id est, probrum seu convicium. quod non videtur contra virtutem, si fine scandalo fiat, & quidem moderatè, ut si contumelia repellatur; gloriosius tamen est dissimulare, & bono malum rependere, quod leonis est, qui ad latratus canum nisi lentus respicit. B

Tertia-decima. Habere motum tardum, vocem gravem, orationem stabilem ac sedatam: quia festinare non solet, qui paucis rebus studet; nec vehementer contendere, cui nihil magnum videtur. Ita Aristoteles.

Habes, lector, proprietates & definitionem magnanimitatis ex Aristotele. Ubi lustraveris & ponderaveris ad libellam & amussim singula, an non judicabis Philosophum uni Virginis & Filij sui magnanimitati laborasse? utramque fortunam uterque expertus erecto & inconcusso animo pertulit. Honoribus summis, & calamitatibus uterque semper par. Ardua Filius opera, ardua & Mater appetiit. Ille actor operum; hæc comes, spectatrix & adjutrix. Ille in corpore horribilia pertulit; hæc in corde. Filius semper æternos; Mater & æternos honores semper appetijt: neuter contumeliis factus minor seipso; verùm ipsis major. In neutro honorum humanorum ambitus; sed contemptus, fugaque; quamvis & eos intendere, quibus dignissimi erant, potuissent. An non honor pretium, præmiumque virtuti debitum? Quare cùm uterque summâ virtutum gloriâ coruscaret, dignos & se summâ gloriâ judicabant: & tamen uterque corde humillimus. Pro gloria ergo Dei Patris Filius suum caput objecit, nec mortem pro gloria Patris paciscì dubitavit. C

Tertiâ proprietatem sæpiùs jam propagavimus, cùm de ejus actum est gratitudine; in summo congestu beneficiorum, minimaque beneficia remuneratur. Hæc proprietas & quartam suo complexu constringit. An non vocat ipsa se Matrem misericordiæ, quæ omnibus aperit sinum pietatis, dextramque porrigit etiam eam recusantibus & invitis.

Quinta proprieatrs magnificè eluxit in Filio. An non regio habitu, & oris, & vocis Majestate? an non magnanimis responsis coram Principibus & proceribus veritatem rerum divinarum tractavit? Majestatem Virginis magnanimam dolemus exemplis datis non posse probari. Unum scio, vilissimo cuique, dum inter mortales degeret, semper præstò fuisse. Ex uno disce cetera.

Quâ curâ in jejunis frigidisque nuptiis inopiæ vini, & verecundiæ pauperum subvenit? nunc verò juncta Deo & immortalibus cuius, vota, & minimos gemitus repudiabit?

Sextam quam aptè & concinnè Virgo in se, & vita sua expressit! Instar oloris vitam silentio claram transegit; nullis functionibus, nisi ad nutum Dei, sese ingessit, sicut septima magnanimi proprietas docet; uti dictum in Consociatione de Voluntate.

Undecimam magnanimitatis proprietatem ita in se expressit, ut videatur sensu injuriarum caruisse: quâ de re actum fusiùs in Consociatione de Clementia.

Ultimam proprietatem magnanimitatis videtur ipsa mundo tamquam suam hereditariam gloriam decrevisse. Qualis incessus, motusque corporis fuit? qualis sermonis placidi, & vocis matura gravitas, & aptis prudentiæ numeris composita? quàm splendidus frontis altæ honos! quàm decens Virginei vultus imago! Utar Virgiliano versu: —— *Vera*
Incessu patuit Dea —— nec vox hominem
sonabat, & ubi —— roseâ cervice refulsit,
Ambrosiæque comæ divinum vertici odorem
Spiravêre.

Cetera regij corporis ornamenta stellatæque dotes suo loco dicentur. Redeamus ad caput & propositionis initium. Præluxit cælo terræque incomprehensibilis Virginis humilitas; fulsit & magnanimitas. Indissociabili sunt nexu maritatæ. Nemo magnanimus, nisi verè humilis: & nemo magnus, nisi humilis. Compari gressu incedunt & simul semper. D

§. XI.

Dilucidatio Ænigmatis.

NVnc causa tanti ænigmatis intima proferenda; cur is sit sibi vilior, quo altior; ac proinde sanctissima Virgo, cur dici debeat humillima eâ de causâ quòd fuerit summa. Hanc quæstionem videtur attigisse Divus Bernardus in Apocalyps. super verba, *Signum magnum*, agens de Sanctissima Virgine. Agit hoc in cordibus electorum gratia Divina, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat; nec magna-

magnanimitas, arrogantes; magis autem cooperentur sibi, ut non solum ex magnanimitate subintret elatio; sed hinc maximè provehatur humilitas, ut inveniantur eò amplius timorati & largitori munerum non inveniantur ingrati; ac vicissim ex occasione humilitatis nulla subrepat pusillanimitas. Sed quò minus de sua virtute quisque in minimis præsumere consuevit; eò amplius etiam in magnis quibusque de Divinâ virtute confidat. Ergò quò sibi quisque vilior, & eò altior. An non sensus omnes quò sunt vivaciores, vivaciùs sensata contingunt, sentiuntque? Si visu quis præcellat, an non perspicaciore acie longè distantia detegit pervidetque? an non tactus toto corpore æqualiter fusus est, ut omnes ictus, omnesque frigoris aut caloris appulsus sentire possimus? Planè, & quò caro mollior, leviores ictus, & minimos appulsus frigoris sentit? Planè. An non intellectus, quo sublimior, primas veritates puriùs perfectiusque percipit & comprehendit? Omninò. An non, quò quisque Deo vicinior, Deum propinquiùs intuens, penitiùs, & absolutiùs Deum cognoscit? Nihil hoc certius: nam quò quis Soli vicinior est, magnitudinem ferè incomprehensibilem, quæ toties multis mundis vastior grandiorque est, stans attonitus admiratur; & quò quis remotior abest, illud vas admirabile, exiguum circulum arbitratur: distantia quippè minuit magnitudinem, & vastitatem grandissimam, punctum esse dijudicat. Proximus ergò accessus ad Deum ostentat, & infinitam porrigit magnitudinem Divinæ essentiæ, & æternos fulgores, & incomprehensibilis pulchritudinis diffusos oceanos ostentat & infinitos omnis boni & voluptatis fontes, quorum omnium insatiabili intuitu homo territus, perstat obstupefactus. An non ideò gaudiorum planè mersus oceano, ebriusque non solùm se præ tanti boni vberrimâ & semper novâ voluptate; verùm etiam omnia creata, ex toto despicit, fastidit, & quasi nihil, nec digna memoratu esse, contendit? Sanctissima ergò Virgo, cùm fuerit infinito Deo proxima, (Quid enim propinquius Filio Dei, quàm Mater?) instar Aquilæ fixo & exploratore oculo infiniti entis incomprehensibilem Majestatem contemplans; mersa, & obruta infinito quasi oceano, & illimitata illius indicibilis primæ causæ magnitudine, suam vmbratilem exilitatem perspiciens, se tanquam nihil summo bono comparatam esse volebat. Cùm igitur nulla creatura Deum perfectiùs cognoverit; sic nulla creatura perfectiùs seipsam; iuxta Divi Augustini mentem: *Noverim te, noverim me.* Deindè cùm totius Orbis & Oraculorũ iudicio, summæ sapientiæ sit, noscere seipsum: Virgo autem sit inaugurata Mater sapientiæ, quis ambigat, quin perfectissimâ sui cognitionem fuerit consecuta? Sciebat finiti ad infinitum, nullam esse similitudinem, nec puncti quidem esse apparatum. Benè Salomon Ecclesiastes cap. 2. *Quid est,* inquit, *homo, vt sequi possit Regem factorem suum?* Pulchriùs hoc Joannes Apocalyps. 20. v. 11. *Et vidi thronum magnum & candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus in eis.* Ecce ut omnis creatura diffluit, evanescit, & quasi annihiletur à conspectu, & præsentia Divinæ Majestatis, & magnitudinis eius. Hâc veritatis luce collustratus Virginis intellectus, se totam, ut ita loquar, annihilabat in conspectu infinitæ Majestatis; cui si se compararet, nihil esse iudicabat. Hac itaque sui depressione, à magnifica manu Dei ad sublimissimam sui amicitiam attollebatur, ut ea quæ esset humillima, esset creatura ter maxima; & quæ se censebat egenam & inopem, omnibus divitiis locupletaretur. *Quemadmodum* ait Dorotheus institut. 2. de humilitate, *hæc est perfecta humilitas Sanctorum, quæ in animâ nascitur; rectè facta Deo adscribere; quemadmodum,* inquit, *copiosus fructus onustos ramos incurvat, deorsumq; eos detrahit: ramus verò qui nullum gestat fructum, in altum attollitur, & rectus assurgit: sic anima plena Deo se deprimit, indicat se inopem & egentem, fructum facit, & quantum fructum, tantùm humiliatur. Etenim Viri sancti, quantò propinquiores sunt Deo, tanto magis sunt peccatores.* Hæc ille. Attende iterum Lector, & audi Dorotheum loquentem, qui confirmat nostrum ænigma: *Memini,* inquit, *cùm aliquando de humilitate verba faceremus, & Gazensis quidam vir illustris audiret nos ipsum illud asserentes; quod quantum quis propinquior sit Deo, tantò magis se videat peccatorem; admiratione defixum, dixisse: Quomodo fieri hoc potest? ignorabat enim & volebat scire rationem. Tum dico illi: Domine Primas, dic mihi, quid censes teipsum esse in tua Civitate? Respondit ille; Censeo me esse magnum, & Primum Civitatis. Dico illi: Si fortè Cæsaream ieris, quid ibi de te senties? Habebo,* inquit, *me viliorem Magnatibus, qui illic degunt. Tum ego illi: Si abieris Antiochiam, quem te ibi faceres? Tum ille: Velut quemdam rusticum ibi me putarem. Dico illi tandem: Si Constantinopolim adiveris, ad Imperatorem, quid ibi de te senties? Haberem me,* inquit, *vt pauperem quemdam & egenum. Tum ego illi: Ecce sic se habent Viri sancti: quantò propiùs ad Deum accedunt, tantò magis se vident peccatores.* Sic Genesi 18. Abraham loquens Deo, dicit: *Cùm sim puluis & cinis.* Et Isai. 6. 5. *Vir pollutus labiis ego sum.* Virgo ergò sciebat se inopem, inanem, & quasi nihil, quamuis foret Deo plenissima, & omnibus prælata creaturis: & ideò prælata, quia se omnium minimam, quæ erat omnium maxima, censebat.

Quo quis Deo vicinior tanto Deum notior.

Se Deo comparatam nihil æstimabat Virgo Sanctissima.

Explicatio ænigmatis perpulchra.

stabilitatem animi perveniemus. Quid hoc est aliud, quàm (ut ait Theodoretus initio sui proœmij) *in corpore mortali & patibili ostendere impatibilitatem, & æmulari incorpoream naturam?* Tu, Lector, non intelligas Stoicam disciplinã hîc doceri; nam idem auctor paulò pòst docet, eorum naturam innumerabilibus plenam fuisse affectionibus; sed victoriam de illis, mentem retulisse, per divinam quam attrahebant gratiam. Anhelas ad hanc felicitatem? da te humilitati, ut docet Magnus Climachus cap. 2. & 3. gradu 25. *Quoties aliquem videris vel audieris intra paucos annos, altissimã tranquillitatem acquisivisse, noli hunc existimare aliam, quàm hanc beatam celeremq; viam humilitatis pedibus ambulasse.* Confirmat hoc ipsum Dorotheus, Serm. 2. *Vir humilis absq; perturbatione degit & molestia; imò incredibilem sentit animo quietem.* Et benè ex mente Domini nostri Salvatoris Matthæi 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Quare more militari semper standum in acie, arma semper gestanda adversus passiones, & catenis & vinculis cohibendæ, more ferarum, quæ in latibulo morsibus suis catenas tentant, & in ipsa captivitate rabiem ostendunt, ut viam aperiant libertati. Vinciendæ, ne ex insperato prorumpant. Hoc ipsum Seneca lib. de consolat. ad Heloidiam cap. 5. *Sapientes me stare jusserunt, velut in præsidio positum, & omnes conatus Fortunæ, & omnes impetus prospicere multò antequàm incurrant.* Illis gravis fortuna est, quibus est repentina: facilè eam sustinere potest qui semper exspectat. Nam & hostium adventus eos prosternit, quos inopinatè occupavit: at qui futuro se bello ante bellum paraverunt, compositi & aptati; primum, qui tumultuosissimus est, ictum facilè excipiunt. Semper ergo vigila, nec statione cede. Facilè renascitur,

A quod violentè compressum est. Vigila; nam quæ multò antè prævisa sunt, languidiùs incurrunt. Tu, Lector, vis potiri altissimâ pace? subjice te rationi & renuntia pravis affectibus; & creabo te regem regum. Rex enim est, qui nil sperat, nec metuit. Sicut qui pretiosis cibis, & exquisitis dapibus saturatus, vulgares & insulsas mensas pauperum fastidit: ita mens solo Deo contenta, aversatur omnia creata, egena elementa, quibus causâ necessitatis tantùm insistendum, grave est onus illis implicari. Creaturis utendum pro vehiculo naturæ debito. Ceterùm omnia despicit satiata meliori bono anima. Sic Sãctissima Virgo satiata & ebria dulcissimi Filij sui cælesti contubernio, illum la-
B ctando, alendo, osculis dissuaviando non sentiebat paupertatem, contemptum, & vitæ reliqua incommoda. Omnia facilia ex difficili reddebat amor. Tobiæ mater cap. 4. præsentiâ sui filij solatur paupertatem & vitæ molestias. *Sufficiebat enim nobis,* inquit, *paupertas nostra ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* Et cap. 10. ubi morantem diutiùs lacrymis prosequitur: *Heu, heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Has voces, imitabatur Sancta Virgo, in uno solo Filio habens & pos-
C sidens omnia. Facile est Creatore possesso renuntiare creaturis. Hinc illæ voces Seraphici viri: *Deus meus, & omnia.* Conscenso curru igneo Elias pallium demisit suo discipulo, in summo ardentis Solis æstu, iucunda est tum spoliatio corporis, & laciniosarum vestium projectio. Amans Deum anima, facilè contemnit universa. Amor exspoliat hominem, nudumque facit.

VIGESIMÆ OCTAVÆ CONSOCIATIONIS PARS PRIMA.

§. I.

Deus ante prævisionem peccati voluit Filium Incarnari.

DEo placuit ab æterno fieri hominem independenter à peccato Filium suum; & decreto absoluto & efficaci amavit mysterium Incarnationis, etiam si Adam non peccasset.

Sacrosancta Incarnatio ex summa bonitatis radice nata.

Quis dixerit tantum bonum, & bonorum omnium fontem, qualis est Christi Incarnatio, natum, ductum decretumque ob peccati malitiam; ita ut peccati malitiæ tanta bonorum profusio deberi videretur? Decuit infinitam bonitatem, quæ decreverat omni modo se homini communicare, ad huiusmodi decretum statuendum, non necessitate peccati corrigendi; sed amoris ineffabili liberalitate trahi induciq́ue. An non potiùs amatur, quod est proximius fini, quàm quod est remotius? An non Incarnatio est Deo proximior quàm nostra salus? Nunquid ullo mysterio sapientia Dei infinita, infinita potentia, infinitus Dei amor, atque profusio infinitæ bonitatis, clarius & magnificentius illustratur? Nullo sanè. Quid ergò opus prævisione peccati, ut ad illius destructionem tum priùs Filius Dei decerneretur futurus homo? An non gloriosius Deo ad ostentationẽ æterni sui amoris, & infinitæ bonitatis, quæ est diffusissima sui, ex amore se homini sociare, ut amico, quàm hosti? An non sapientius præservare suos à ruinâ & à vulneribus incolumes, quàm suos post ruinam morti destinatos suâ morte redimere? Potuit Deus hoc mysterium velle ad prædestinãdos suos, ad confirmandos in gratiâ, ad armandos contra peccatum. An non finis ille excellentior & melior, quàm Redemptio à peccato; sicut est excellentius & melius non peccasse, quàm à peccato resurrexisse? Potuit Deus Incarnationẽ velle, ut nos per merita Christi eriperet à peccatis imminentibus præservatos (quod quidem in multorum sententia fecit cum sanctissima sua Matre, quam præservavit à peccato originali, in quod laberetur, nisi gratia per Christum, manum illi porrigeret ante lapsum.) De quâ Virgine posteà, cùm ostendemus non solùm à peccato originali liberum; verùm etiam à debito illud incurrẽdi. An non agnoscimus Christum caput Angelorum? Agnoscimus; ergò ante prolapsionem peccati. An non Angeli habuerunt gratiã, priusquam peccatum existeret? An non dæmonis fraude, post lapsum Angelorum, Primi Parentes fœdè prolapsi? Christus ergò constituendus caput Angelorũ per influxum gratiæ, quæ illis contigit per merita Christi, per quam mali habuerunt gratiã sufficientem ad perseverandum; efficacem boni; utrique autem gratiam sanctificantem. Quod si caput hominum tanti æstimatur à Deo; cur non pluris esse caput Angelorum? Fuit ergò Christus caput Angelorum & hominum; jam uterq; primam gratiam habuerunt ante prævisum peccatũ, & peccatũ est post gratiã; fuit enim lapsus à gratiâ. Quis ergò non videat Christum prævisum ante peccatum? Nec est quod quispiam dicat nos prædestinatos in Christo per eius merita morte cõsummatâ. An non prædestinatio multos includit effectus? primã scilicet gratiã, reparationẽ, & perseverantiã? Dicamus ergò primã gratiã collatã Angelis & Adamo per actus amoris, & aliarũ virtutum abstrahendo à morte Christi, per quos completa est prædestinatio Angelorum. Per Christũ ergò data est gratia Angelis, & Adamo, tametsi nec Angeli, nec Adamus peccasset, quia prior illa fuit, & independens à peccato: ita & Incarnatio stetisset, quæ fuit prior, quàm gratia collata Angelis, & Adamo.

Nobilius opus, integrum statũ servare, quã prostratum reparare.

Christus caput Angelorum & hominum.

Deus voluit Christi D. sacrosanctã Incarnationẽ in primo signo rationis secundum substantiã.

In primo ergò signo rationis, quo Deus intelligitur decreto absoluto & efficaci amare Incarnationem, voluit Christum secundùm substantiam humanę naturæ cum accidentibus humanis, quæ possunt cõponi cum carne proximè passibili, & proximè impassibili, ita ut decretũ illud fuerit indifferens, ut ex illo sequitur aliud decretũ de proxima Christi passibilitate, & aliud de impassibilitate proxima; quia indifferẽs est, ut cum utroque componatur; non quidem quòd in sensu composito unum possit cum alio componi: hoc enim esset compo-

nere

nere duo decreta repugnantia; sed decretum illud primum indifferēs est ad utrumque; quemadmodum potentia libera est indifferens ad amorem & odium, non ut illos actus simul componat; sed quia potest ipsa cum quovis componere: sicuti enim Deus amavit nostram existentiam actu absoluto & efficaci; quo decreto nihil statuit absolutè de hac electione aut reprobatione, sed tantum sub cōditione, quia si homo decederet in gratia habituali, gloria daretur: sin verò in peccato mortali, æternis suppliciis. Primum ergò decretum de existentia hominis fuit indifferēs, ut componeretur cū actu absoluto de gloria, & actu absoluto de damnatione, quia substantia hominis est indifferens, ut cōponatur cum gloria & dānatione. Similiter dico Deum primo decreto voluisse absolutè & efficaciter solam Christi substantiam cum accidentibus humanis potentibus cōponi cum immortalitate corporis: & si non peccaret Adamus, Christus esset immortalis: si autē peccaret, esset mortalis & obnoxius morti. Viso autem peccato decreta est absolutè passibilitas Christi: si autem videretur peccati carentia, decerneretur impassibilitas Christi. Christus ergò veniret; tametsi non peccaret Adamus: ergò fuit Christus decretus absolutè cum indifferentia ad mortē & immortalitatē. An non mortis fuit proximè capax? si quidē mortuus est: nō enim potuisset mori, si decretus fuisset cū aliqua repugnantia ad mortem. Potuit item non mori, quia si Adā non peccasset, ut potuit, ærumnæ Christo decretæ non fuissent. Ergò decretus fuit cum indifferentia ad mortem, & proximam immortalitatem. Nec est quòd mireris hanc indifferentiam. An non sunt plurimi Auctores, qui docēt post absolutam peccati prævisionem, datam esse Christo optionem à Deo Patre ad vitam passibilem & impassibilem? si eligeret impassibilem, omnes per mortem peccato vendicaret quantū in se esset. Christus autē ut homo elegit crucem, & mortē pro nobis. Si ergò fuit in eius potestate pati, & nō pati; fuit decretus necessariò indifferens à Deo ad passibilitatem & impassibilitatē: At de proxima impassibilitate & impassibilitate nihil fuit decretum; sed tantum sub conditione, si peccatum futurum esset; aut si futuro peccato Christus eligeret mortem, daretur ei proxima passibilitas: negando verò mortem, qualitas, aut providentia specialis, quibus passiones possent impediri: si verò aut peccatum non esset, aut eo præviso Christus eligeret impassibilitatem, daretur qualitas, aut providentia singularis, ut impedirentur omnes dolores; qualis est Beatorum impassibilitas. Hæc sententia est Scoti, quæ iudicatur probabilior, & Patris Zuarez.

Christus potuit nō mori si voluisset.

Verùm cùm Christus decreto Patris in generis humani Redemptionem missus fuerit; quomodò ergò ante peccati commissionem fuit prævisus? quomodo non existente peccato esset Incarnatio? An non emendatio, & medicina est post peccatum commissum & morbum? an non deficiente occasione morbi, medicina quoque deficeret? Verùm attende ad proxima dicta. An non Christus ante peccati prævisionem fuit Redemptor in actu primo proximo? quia habuit corpus aptum ad mortem, quàm si nollet recusare, subiret. Item, ut homo non habuit voluntatem formalem de non fugiendâ morte; sed acceptandi pro hominum Redemptione, si in mortem inciderent. Hæc est medicina in actu primo parata, ut si ego cum medicina sim præsto homini periclitanti, curando si vulneretur; quis neget me Chirurgum in actu primo, proximo & parato? Si verò peccatum non sit; Christus non moreretur, sicut nec homines. Sic Christus primo decreto est amatus, ut absolutè conferat primam gratiam, & auxilia ne cadant homines, & sub conditione est decretus Redemptor, casu quo caderet homo. An non ignis æternus, qui est paratus diabolo & angelis ejus, fuit à Deo absolutè creatus quoad substantiam? Planè. An non etiam ad supplicium? Verùm non absolutè; sed sub conditione, si peccarent Angeli, ob quod boni non sunt puniti igne, quia illi non peccaverunt: mali autem puniti, quia peccaverunt. Iustitia itaque vindicativa priùs ratione, quàm videret existere bona vel mala opera Angelorum, non exercuit actum absolutum circa supplicium actuale, sed conditionatum: produxit tamen ignem Deus, ut præsto esset ad supplicium, si opus foret. Viso bono opere bonorum Angelorum exercuit actum absolutum, eos non puniendi; viso autem peccato actuali malorum Angelorum, exercuit actum absolutum, eos puniendi. Idem dic de gloria æternà. Cur cælum fecit in curiam suam, nisi ut à senatu Beatorum omnium, qui erunt instar Regum, ab omnibus ut Rex Regum, & omne bonum conspici posset, si id meritis suis homines consequerentur? Vndè si Adam non peccasset; Deus erat futurus homo, quia per merita Dei hominis habuit gratiam sufficientem ad non peccandum; ergò si non esset peccatum, esset Deus futurus homo; sicut esset gratia sufficiens, quia Deus iam erat in illo priori, in quo intelligitur data gratia per ipsum factum hominem. Deindè benè considerandum est, quod in æstimatione morali decretum Dei conditionatum si peccaverimus, fuisse absolutum, sive pro absoluto debere computari quoad gratiarum actionem; quia qui viderit in hâc rerum serie eventura peccata, & vult eam seriem, & in ea parat medicinam,

Qua ratione infernus creatus.

Iustitia vindicativa prior fuit ratione ante peccati prævisionem.

Hhhhh 2 perindè

perindè est, ac si medicinam applicaret vulneri iam inflicto; ut si ego te videó in itinere vulneratum iri, feram pharmacum ad curandum; perindè est ac si saucium curarem. An non ergò pleno ore dicendum, Deum Filium suum misisse in reparationē generis humani à peccato, quia id & conditionatè voluit, & vidit sequendam reparationem, si Filium mitteret; eumque misit ex affectu reparandi, si laberetur; ut absolutè dicitur Chirurgus iter aggredi, ut curet amicum, quem certò sciret vulnerandum, si iter aggrederetur, & vidit illum aggredi. Quocumque igitur modo; si Adam non peccaret, aut peccaret: semper Filius Dei descendisset de cælo propter nostram salutem; & fuisset incarnatus de Spiritu sancto, & natus ex Maria Virgine. Si non peccaret Adam, tunc prædestinasset nostram salutem actibus alijs, ut dictū est: si peccaret, tunc eo modo quo dictum est, fuisset crucifixus & mortuus; quia tunc ex voluntate conditionatâ habuit voluntatem eligendi per merita Christi, morte consummatâ, aliam rerum seriem, quâ liberarentur certissimè, quicumque liberarentur redemptione factâ. Venit ergò Christus independens à peccato, non quidem absolutè præviso, sed imminente. Tolle ergò imminentes morbos, & non est causa veniendi. Venit enim, ut vitarentur, quæ voluntas fuit absoluta: venit item, ut curarentur, si esset morbus. Pulchrè ergò exclamat Ioannes cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; ut mors vitaretur imminens, vel ut illata è medio tolleretur: semper omni modo dedit Filium, ut per eum salus creaturis daretur & vita æterna.

Peccante Adamo, vel non peccante Christus ex Virgine nasciturus.

Voluit ergò Deus hoc mysterio Incarnationis Christū scilicet Dominū, Deum scilicet hominem, ut esset caput, & finis omnium Divinorū operum sub ipso Deo; ut elegantissimè Rupertus Abbas lib. 3. *de gloriâ sanctissimæ Trinitatis, & processione Spiritus sancti* cap. 20. *Religiosè dicendum, reverenterq; est audiendum, quia propter hunc hominem gloriâ & honore coronandum Deus omnia creavit.* Et infrà: *Rectiùs dicitur, non hominem propter Angelos; sed propter quemdam hominem Angelos quoque factos esse, & creata omnia.* Hinc & Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 2. & 4. refert esse communē traditionem Hebræorum; *Deum propter amorem Messiæ omnia creasse; ac propterea vocari germen, & vocari fructū terræ; quia sicut hæc sunt quasi finis & pulchritudo arboris: ita Messias pulchritudo universi.* Et Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Quæ de Sapientiâ incarnatâ dici debent. Ubi Septuaginta habent: *Dominus creavit me initio viarum suarum.* ex PP. sententiâ, & Cyrilli Alexandrini lib. 4. thesauri cap. 4. ubi expressè ait: *Quærendum est, quis est qui dixit: Dominus creavit me?* Respondet Christus iam factus homo, & Augustinus Ser 58. de Verbis Domini; & de Sanctissimâ Trinitate lib. 1. cap. 12. *Secundùm formam Dei ante omnes colles genuit me: secundùm formam servi Dominus creavit me initium viarum suarum.* Et sic Christus est primogenitus omnis creaturæ. An non Paulus ad Colossenses 1. *Quoniam in ipso sunt condita universa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant; & ipse est caput corporis Ecclesiæ.* & deindè concludit: *ut sit ipse in omnibus primatū tenens.* Ubi ex PP. sententiâ loquitur de Christo ut homine. Voluit ergò Deus primo decreto Christum secundùm substantiam: deindè præviso peccato eius occasione Christum passibilem & moriturum. Permisit ergò Deus peccatum, ut ex eius occasione Christo iam præviso uteretur in Redemptionem hominis per sua merita. Sume exemplum: Deus constituit Joseph creare Principem Ægypti, utendo ad hoc bonum malâ fratrum eius voluntate, qui eum vendiderunt. Non enim est existimandum, Deum solùm post prævisum illud peccatum, facturum fuisse Joseph Principem Ægypti: sed è contrario potiùs; quia statuerat Deus eum facere Principem Ægypti, ideò voluit permittere peccatum, & illo malo uti ad suum finem consequendum. Est hæc ratio Divinæ prudentiæ altior, & magis digna Deo; & hinc vox illa crebra Divi Augustini; *Deum non permittere peccata, nisi ex eis bona eliciat.* Ut patet in Enchiridio cap. 96. Ex peccato ergò & eius occasione elicuit summū bonum, quo voluit passibilem venire, post decretum permittendi peccati, ut Christi morte deleretur; quam sanè Deus non intēdit, cùm mors sit pœna; & Deus mortem non fecerit nisi in vindictam sceleris. Quomodo ergò primariâ intentione Deus Pater Filio suo mortē decrevisset, eam intendens, nisi ex occasione peccati? cùm Passio Christi ex se, & in se non est æstimabilis; imò Deo foret ingrata, nisi foret in remedium peccati, & satisfactionis. Incarnatio autem per se amabilis, & imago bonitatis Divinæ, & fons omnium bonorū & gaudiorum, quæ homini per Filium Dei communicantur. Est enim Incarnatio finis operum Dei. Voluit ergò Deus Incarnationem & bonum amabile, ut bonum excellentissimum abstrahendo à peccato præviso: quod exemplo gratioso ostendetur. Finge Principem liberalissimum, quem elata eminensque bonitas continuis impulsibus urget, stimulat inducitque ad summam bonorum suorum profusionem; optimo quo posset fieri bono. Stante ergò voluntate & intentione, offerunt sese pauperes & indigentes, tunc necesse est ut ex vi illius intentionis in illos effundat divitias suas; si tamen efficacem habeat intentionem:

Angeli propter Christum facti.

Christus primogenitus omnis creaturæ.

Deus usus fratrum Iosephi peccato quem ante peccatum decreverat facere Principem.

Incarnatio tota amabilis.

Similitudo apta ad incarnationis sacro sanctæ introductionem.

tionem: vel si id non faciat, necessè est, intentionem mutet: quia factâ illâ substitutione, ille est honestior modus effundendi divitias: si autem illo proposito facto non se offerunt pauperes, tunc quamvis non possent divitiæ honestissimo modo communicari, non necessè est primum propositum tolli, quia non determinatè in illo includebatur. Hic modus communicandi divitias per modũ Eleemosynæ, est honestissimus modus possibilis, iuxta occurrentes circumstãtias. Ad hunc modũ puto intelligendũ primũ illud propositũ, quod Deus habuit communicandi suam personam humanæ naturæ: decrevit enim id facere modo perfectissimo seu aptiori ad ostendenda sua attributa; præsertim illa quatuor, Sapientiam, Iustitiam, Misericordiam, & Bonitatem, quod à nullo negari posse confido. Voluit ergò Deus Incarnationem, non ut remediũ peccati; sed propter se, seu propter bonum quod in ipso est, & quod ex ea sequi potest sine peccato. An non Christi anima, & eius gloria magis diligitur à Deo, & majoris est valoris, quàm omnes prædestinati simul? Ut rectè D. Thomas 1. parte, quæst. 20. art. 4. ad 1. & quæst. 15. art. 6. ad 4.

§. II.

De admirandis sanctæ Incarnationis prodigiis & miraculis, quibus Deus maximè honoratur & infinita attributa manifestantur.

Stupenda unio Dei cum homine.

PRimò. An non infinita distantia inter humanitatem & Divinitatem, gradibus scilicet naturæ? Infinita sanè distantia, cùm sit nihil maius & incomprehensibilius Deo, & vilius carne humanâ. Quomodo poterit ergò elevari humana natura ad consortium Dei; ut in uno homine sint verè duæ naturæ inviolatæ cum omnibus suis proprietatibus, conditionibus & perfectionibus absolutis; quæ ita in unam personã coaluerunt, ut unus idemque sit verus Deus, & verus homo, habeatque omnia quæ sunt veræ Divinitatis, & omnia quæ sunt veræ humanitatis, & omnia quæ Filio Dei conveniunt & & huic Filio hominis, & idem Filius sit Dei Patris, & Virginis, qui impassibilis; passibilis; qui æterna sapientia crucifixus ut stultus; & qui summus, novissimus virorum; qui æterna vita, sit & mortuus; & sic, quamvis sit persona vnica & simplicissima; in duabus naturis perfectè subsistens, habeatque vim duarum; ita perfectè operans, quasi unam solam habeat? Quis hæc operatus est, nisi solus Deus in suâ omnipotentiâ? Introeamus ergò in potentias

A Domini. An non debuit natura humana eleuari per aliud donum intrinsecum, ita ut proximè quasi Verbum attingat, eique immediatè posset uniri? An lapis molaris, si vniendus foret soli, tot millionibus milliarium distans posset uniri, nisi reipsâ per motum sibi intrinsecum elevetur, ut attingat. Quomodo ergò vnietur natura humana Divinitati, quæ ab humana infinitâ distantiâ removetur? quæque nullam habet proportionem sufficientem, ut illi uniatur? Necessariæ ergò sunt aliquæ dispositiones intrinsecè, ut elevetur & vniatur. Elevatur ergò per actionem Dei supernaturalem productivam eiusmodi modi, in quo consistit formalis vnio; ita ut non

B opus sit alio medio, quo fiat Verbo proportionata. At quomodo proportionabitur humana natura Divinitati? Fuit opus aliquo modo intrinseco, quo natura formaliter elevaretur, ut fieret simul proportionata & unita: quò minor enim est proportio, eò maior est distantia inter extrema; & quò minor est proportio, eò maiori opus potentiâ & influxu, ut fiat unio. An non summum miraculum miraculorum, ut illa vilis natura sic elevetur, ut dicatur Deificari à sanctis Patribus, non denominatione extrinsecâ, sed intrinsecâ; sicut animari, vivificari, informari. Vndè & ille homo dicitur vnctus Divinitate, vel Spiritu sancto sanctificatus à Patre; quæ sine

Miraculum miraculorum Incarnatio Filij Dei.

C unione intrinseca concipi non possunt. An non pulchrè hoc ipsum exemplo ignitionis demonstratur? An non ignis suo ardore ita penetrat ferrum, ita ferrũ occupat, ita ferrum suâ potentiâ in se transfert, in suam puritatem attrahit atque nitorem; ut quodammodo sibi incorporet; & tamen ferri permanet natura, permanet pondus, remanet compactio & elementi terreni natura; ignitum tamen est ferrum; ignis dominatur & regnat, & sui regni vires explicat, attactuque regias vires demonstrat: ita Divinitatis natura totam naturàm humanam penetrat, & omnes eius particulas sibi copulat. An non unio ignis cum ferro intima est? Planè intima. Sic Divinitatis na-

Qua ratione deificetur humana natura, similitudo docet ab ignito & ferro.

D tura intima naturæ humanæ ut ea sit quasi imbuta instar carbonis ardentis, instar flammæ ignis, Divinitatis Majestate. Rursum illâ unione durante, quasi connubio inter ignem & ferrũ inito, ferrũ ferrugini nõ est obnoxiũ, non nigredini, nõ frigori: ita humanitas nullius peccati nigredini. Deindè an non operatio ignis tribuitur ferro candenti; & contrà? ferrũ enim dicitur splendere, calefacere, urere, accendere. Iterum dum ferrum secatur, dividitur, dilatatur, condensatur, dicitur ignis secari, dividi, dilatari, & condensari; & tamen inperfectiones ferri, ignis non sentit. An non per unionem naturæ humanæ cum Divinitate per communicationem idio-

 matum

matum perfecta communicatio exsurgit, ita ut quæ sunt Divinitatis, humanitati tribuantur; ita tamen ut imperfectiones humanitatis, Divinitas non sentiat. Quod pulchrè Basilius homil. de humanâ Christi generatione ob oculos posuit: *Sicut*, inquit, *ignis de ferri proprietatibus non accipit; nigrum quidem est ferrum & frigidum: attamen ignitũ & candens, ignis formã habet; & quamquam ex eo splendens, ignem suâ nigredine non inficit; itemq; ardens flammã suâ frigiditate non destruit.* Quomodo ergò Virgo, in cuius utero habitabat ille Deus ignitus, poterat esse capax minimi frigoris & imperfectionis?

Primum miraculum subsistentiâ divinâ humana natura stat, suâ demissâ.

1 Primum ergò miraculum, quod natura completa in instanti suæ formationis per se alioquin substitisset, propriamque habuisset hypostasim, fuerit præventa accepto modo existendi, quo supra omnem creaturam elevata in Verbo existeret.

Secundum miraculum, ut Verbum Divinum ita naturam humanam exceperit, eam sustentans, eiusque existentiam suâ subsistentiâ terminans, nullam senserit sui mutationem, nullam contraxerit ad illam habitudinem, nullam inclinationem; sufficiebat enim illa vis hypostatica, ut se ad illam naturam & veluti insertam absque ulla sui mutatione velut terminus & basis hypostatica extenderet. Iste enim modus realiter & intrinsecè afficit hominem, non tamen Verbum: & tamen non solùm humanitatem vnit Verbo; sed etiam Verbum humanitati. Sicut cùm Magnes trahit ad se ferrum, non solùm ferrum quodammodo vnitur & conjungitur Magneti, sed & ipse Magnes ferro: ita cùm Verbum æternum trahit suâ infinitâ potentiâ ad se naturam humanam infinitè à sua infinitate distantem: ita eam elevat, & ad se trahit, ut ipsa Verbo, & Verbum ipsi immediatè, & arctissimè vniatur. Non itaque opus est, ut fiat mutatio in utroque extremo; sed in altero extremorum. Sustentat autem ita, ut non intrinsecâ sui mutatione; sed extrinsecâ solùm; cùm nihil intrinsecum advenire Deo possit, qui nulli mutationi est obnoxius. Et quamvis sustétet per suam intrinsecam subsistentiam, non aliter quàm creata substantia personam; attamen nihil intrinsecè illi advenire potest: sicut Deus per intrinsecam potentiam creat, & tamen creatio nihil dicit intrinsecum.

Attende practer adviem magneticam.

Tertium miraculum, Quòd Verbum Divinum absque ullâ novâ habitudine ad naturam humanam factum sit verus homo, sitque inter naturam humanã & Divinam ratione vnionis in Verbo vera complexio, quæ vocatur à Damasceno περίχωρις à A περίχωρο, id est, vndiq; finitimus circumiacens & vicinus. Verbum igitur est homo, quia habet humanitatem sibi substantialiter vnitam tamquam eius hypostasis.

Quartum miraculum, Quòd à Virgine conceptus, à Virgine natus; quæ Virgo perseverans semper, & est Mater.

Illud magnum.

Quintum miraculum, Quòd corpus in instanti Omnipotentiâ Dei fuerit omnibus numeris perfectum, iuxta illud Hieremiæ 31. num. 22. *Femina circumdabit virum.* & hoc est quod magnus Deus promittit se facturum. *Quia creabat Dominus novum super terram.* & quod novum? Femina circumdabit virum.

B Sextum miraculum, Quòd Omnipotens virtus Spiritus sancti vicem virtutis seminalis suppleverit.

Septimum miraculum, Quòd illa Anima Beatissima in primo instanti creationis & infusionis sui, lumine gloriæ, & omnibus cælestibus donis eminentissimè fuerit repleta, ut nulla accessio fieri posset.

Octavum miraculum, Quòd à Virgine natus, illæsâ Virgine, mirabili corporum penetratione, & creatura enixa sit suum Creatorem. Quemadmodum Sol transmittit per vitrum vivaces radios nullâ utriusque partis læsione; & sicut securis secat arborem lucentibus solis radiis inviolatis: ita absque claustri Virginalis C apertione verè genitus sit filius Matri. Dicamus ergo tot tantaque prodigiosa omnipotentiæ divinæ miracula non in occasionem peccati, sed ad illustrationem divinę bonitatis, fuisse patrata. Verùm posteà præviso peccato; ne malitia peccati, divinæ sapientiæ & bonitatis ordo labefactatus malitiæ peccati cedere videretur; & dæmon communicationem divinæ naturæ, destinatam humanæ, imagine Dei in hominis anima violata per peccatum gloriaretur impeditam; perstitit divina Sapientia in cursu suæ bonitatis, ut imaginem suæ majestatis tanti mysterij applicata potentia, peccati infamia distructa restauraret, & sic Deus factus homo, fieret victima mortis, ut mortem introductam D exterminaret vinceretque. Gloriosius itaque magno Deo fuit, infiniti amoris Oceano, novos, triumphales beatosque gloriæ cursus, in atratum funestumque exitum convertisse. Duplici ergo victoria triumphvit amor de summo Deo: dum formam hominis, voluit beatus induere, victus amore hominis amici: & formam hominis inimici, ne periret factus hostis, ipse sponte factus omnium miserrimus. O bonitas! ô amor! quantum potuistis in corde magni Dei!

ALTERA

ALTERA PARS CONSOCIATIONIS POST FILII DECRETAM INCARNATIONEM.

§ I.

Decreta est Mater ante prævisionem peccati, Filius Dei homo factus æterni consilij opus propter Virginem creatus orbis, sicut & propter Filium ante prævisum peccatum prævisa, sequitur leges sui sponsi. Generatio Christi, similis æternæ generationi.

PLACUIT Deo Filium A vestiri carne humanâ; placuit & vestiri ex Virginis purissimæ purissimo spolio, & corpus immaculati, sanguinis flore fabricari & quidem æterni Consilij decreto; nullâ aliâ stimulante primariâ causâ, quàm ut profunderet omnes fontes suæ bonitatis & sapientiæ. Pari modo Virginem ab æterno decrevit producere ante omnes creaturas impendenter à peccato: ut in Virgine, sicut & in Filio omnes amores sui & infiniti bonitatis thesauri inclarescerent. Primus in mente Divinâ Filius incarnandus: deindè à Filio, in mente Divinâ est Virgo, sapientiæ increatæ Mater. Filius incarnatus æterni consilij opus: Mater ejusdem æterni consilij opus. Sapientia incarnata sibi applaudit de sua origine æterna: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, Proverb. 8. vbi Saptuaginta habent: *Dominus creavit me, seu condidit me initium viarum suarum in opera sua*, ut sensus sit: Dominus præfecit me inchoandis seu initiandis operibus suis. Aquila autem sic vertit: *Dominus possedit me ab initio opificiorum suorum.* Sanctius: *Principium viarum suarum ante opificium suum.* Applaudit sibi & Virgo de sua origine æterna: dum ait ex sensu Ecclesiæ & Sāctorum Patrum: *Dominus possedit me initium viarum suarum.* Dominus creavit: *Ab initio*, inquit, *& ante sæcula creata sum; seu condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Ubi alij legunt: *propter* D *opera sua*, ut sit sensus: Dominus præfecit me inchoandis operibus suis. vel ut Symmachus: *principium viarum suarum ante opificium suum* Pulchrè Filius: pulchrè & Mater; simul Filius ex Matre, & tamen propter Filium Mater. Primum consilij opus, & omnipotentiæ Divinæ fabricatur Filius; & naturâ posterius, divinæ sapientiæ fabricatur opus sanctissima Mater, de quâ non sine causâ dicitur: *Astitit Regina à dextris tuis*, Psalm. 44. Dominus Deus rebus omnibus creandis præfecit Filium; non quòd ejus Pater, & Spiritus sanctus non condiderint: sed quia Filius Dei, Verbum dicitur Patris, & Verbo Pater omnia perficit & creat; ideò brachium ejusdem appellatur: brachij autem est, operari atque res exequi; ideò specialiter Filio attribuitur, quia personaliter Verbum & brachium appellatur. Vide Augustinum lib. 1. de Trinitate. Sic Dominus Deus Matrem rebus jam creatis præfecit: *possedit me*, inquit, *in initio viarum suarum*; id est, cùm rerum condendarum initium est auspicatus, tunc mei B possessionē captavit; imò antequam quidquam faceret: à Principio obtinuit me Deus; & cum Filio meo ante rerum molitionem omnium essem in Deo, tunc possedit me cum Filio suo. ut Græcè clarè habetur Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, ubi verbum *creo* significat præficere: præfecit ergò Virginem, quasi Principem illam creans, quæ primatum teneat rerum omnium. Et cur Divina C bonitas illam non præficeret cùm propter Filium suum creaverit omnia, tamquam finem omnium? ita & propter Matrem; non creaturus cetera; creavit omnia. Ut præclarè hîc Galatinus *lib. 7. de arcanis cap. 1.* ut dictum est: nisi ex amore Mariæ Iesu Filij ejus mundum minimè condidissem. Huc spectant illa verba D. Bernardi r. super *Salve Regina*: *De hâc & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta est; propter hanc totus mundus factus est, & hac Dei gratiâ plena est.* Et ideò ab Epiphanio *in serm. de laudibus Virginis*, Virgo *mysterium* appellatur; quia quidquid cælum & terra boni possidet & perfecti, id totū in Mariâ, quasi in compēdio colligitur. An igitur illa creatura tam nobilis; verè Pandora omnium gratiarum non extitisset, nisi peccato existente? Deus ante peccati prævisionem non potuit non prævidisse Virginem suam Matrem; cùm *illam*, teste Bernardo de Virginis laudibus, *tamquam specialissimum mundum sibi condiderit, quem in justitia & sancti-*

Filius Dei homo æterni consilij opus deinde mater.

Cur Verbū Patris brachium vocetur.

Propter Virginem Sanctissimam mundus factus.

sanctitate fundavit. Cui, pari concentu accinit Auctor operis imperfecti, in cap. 1. Matthæi: *Maria speciosior facta fuit & dignior, quàm totus mundus; & ideò ab æterno se dicit ordinatam, & ex antiquis antequam terra fieret.* Proverb. 8. Attribuit sibi Virgo Mater quæ Filius primùm sibi adscribit. Ab æterno ordinatus Filius & pariter Mater. Ubi Hebraicè habetur: *à sæculo principium habui.* Vel ut Rodolphus: *coronata sum.* Pulchrè Septuaginta: *Ante sæcula fundavit me*, vel *fundata sum.* Vel ut Chaldæus: *Ante sæcula sum.* Filius ergò Dei cùm fundatus esset, non initium existendi cepit, utpotè in anteà Verbum; sed cùm nostram carnem induisset, quam ex Maria accepit: tunc, inquit, Pater fundavit me; quasi diceret: Verbum cùm essem, terreno corpori me vniuit. Et quando potuisset fundari sine fundaměto Materno? Hanc summam fundationis, seu æternæ ordinationis summis triumphis laudem extulerunt SS. PP. Bernardus serm. 2. de Annunciatione sic habet: *Virginem nec noviter, aut fortuitò inventam; sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, & sibi præparatam.* Hinc Augustinus serm. 1. de Annunciatione Virginis, ut dictum fuit, Mariam vocavit æterni consilij opus, id est, tale ac tantum; ut si Deus consilio, & meditatione præviâ indigeret ad illud formandum, æternâ foret opus meditatione. Sic ergò accipe; quando de Virgine dicitur: *Ab æterno ordinata sum.* Quia, si per impossibile Deus optimus Maximus consilijs, & exercitatione intellectus egeret, longâ & diuturnâ opus foret ad tantæ fabricæ dignitatem præhabitis consilijs elaborandum. Nam sicut in Filij sui Incarnatione, quod fuit maximum operum Dei, quo majus dari non potest; exhausit omnes sapientiæ, potentiæ & bonitatis thesauros; ita in Matris fundatione, quæ Filij Dei, & Filij sui Majestati consociatur. Uterque ergò æterni Consilij opus, uterque in mente Dei æternâ primi, qui occurrebant ad suæ bonitatis ostentationem suis temporibus manifestandam. Dicit ergò Filius Dei Incarnatus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Quem locum Præcipui Patres intelligunt de creata Sapientia; & ideò Ambrosius sic ait: *Non dicitur, Pater creavit me: nam caro Dominum agnoscit; Divinitas Patrem.* Dicit & Mater: *Dominus possedit me*; quando possedit: *necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar.* Proverb. 8. Contemplare hîc mentem Dei gravidam hoc beatissimo fructu, ita ut hanc nobilissimam creaturam vellet subitò edi, & in lucem produci parturientis instar, quæ maturitate fructûs stimulatur ad partum, ita desiderijs, si ita licet loqui, Magnus Deus agebatur, ut unicè dilectam Virginem, Filiumque in theatrum prætermissis alijs creaturis daret; quasi diceret: Mihi Filius & Mater sufficiunt in delicias æternitatis; & ideò independenter à peccato & ceteris creaturis creavit Deus amatoriâ charitate compulsus, quo omnia sua attributa Filio suo communicaret, in quo illi benè complacuit; & Matri tantas opes gratiæ, & cumulos donorum conferret, quantùm creatura capere posset. Non ergò malitiæ peccati, nec ejus medicamini creatio tribuenda: æterni quippè impulsus infinitæ bonitatis Divinæ fodiebant pectus sanctissimæ Trinitatis, ut infimæ speciei sese summè communicaret, quo illustrissimis prodigijs ipsa bonitas irradiata magis efflorescerct; dum summa imis junguntur, & infinitus Spiritus, carni materiæ vilissimæ, arctissimo & indissociabili nexu in unitatem personæ, integris tamen naturis jungerentur. Voluit ergò Dei bonitas ex affluentia largitatis infinitæ; ut Filius Dei Patris, fieret Virginis filius. Ut præclarè Anselmus ait: *Sibi tàm unicum, quàm dilectissimum Filium suum non est passus manere tantummodo suum; sed eumdem voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ Virginis unicum & naturalem filium.* Et ut Bernardus ait: *haberet Virgo cum Patre æterno Filium communem.* & hanc inter alias, rationem dicit: Deum impulsum fuisse, ut Filius potiùs, quàm alia sanctæ Triados persona carnem sibi agglutinaret: ut idem Mariæ, & Dei Filius esset. Non ergò sine causa dicitur: *Cum eo eram cuncta componens.* Ubi alij legunt: *Propè ipsum Deum eram*, scilicet nutrix. Quomodo enim non propè Patrem sit nutrix illa, quæ Filium connaturalem cum Patre sortita est? At non modò dicenda Patri proxima, quia unus idemque Filius communis est, & utrique connaturalis, & ab utroque editus. Nec hoc sufficit; sed quia quodammodo eo modo editus fuit ab utroque; ut acutè iuxtà ac divinè assecutus est Ildephonsus fervens Virginis amator, dum in 1. cap. Matthæi seipso altior Christi tractat generationem; dum Matthæus sic exordiens scribit. *Christi generatio sic erat: Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria, Ioseph.* non scribit: *sic est*, vel *facta est*; cùm hoc videbarur ratio poscere? an quia generationis materiæ symbolum, & imago iam præcesserat ab æterno in generatione Patris? Ita, ita. An non hîc similitudo Matrem repræsentat, & in hoc posita est: quod sicut Filius ex Patris fœcundâ mente sine divisione & corruptione accepit substantiam? sic ex Virgine Matre sine corruptione in tempore natus intacto flore Virgineo, accepit Filius substantiam? an non similitudo æternæ genera-

SS. Virgo cum Filio Deo sufficiebant in ostensationem suorum attributorum.

Instar nutricis erat vicina Deo Patri, quia Patri pepererat filium.

Cur Evangelista dicit Christi generatio sic erat.

generationis hujus temporalis generationis tanquam clarus Lucifer, & nobile prototypum præcesserat? Quam ob causam Matthæus dixit: *Generatio Christi sic erat.* An non Virgineus partus meritò potest diei ab æterno in suo symbolo & sole prænuntio præfiguratus in Filij nobilissimâ generatione,eaque æternâ,ut Christus,qui ab origine mundi dicitur occisus, in figuris scilicet, & symbolis & sacrificijs figuratus. Virgo ergò erat prope ipsum quasi nutrix. An non illud *eram*, respondet illi verbo *Christi generatio erat*, quo usus est Euangelista? An non ut Virgo significaretur ab æterno fuisse nutrix Filij Dei, & Deipara in suo scilicet symbolo & simulachro? voluit Pater generans Filium sine partitione & divisione suæ substantiæ; Virgineum & omnis corruptionis expertem, Marię partû delineare. Pater æternus dum parit Filium, & ex utero ante Luciferum gignit, Virgo est: & Mater, dum eumdem gignit, Mater Virgo est: Pater principium sine principio Filium ex se ἀνάρχως producit: & Mater Virgo ex se ἀνάρχως sine principio à Deo obumbrata Filium generat Quorsum hæc omnia? Vt ostendamus Virginis creatæ ineffabilem Majestatem, quâ dici nec excogitari quidquam altius potest: *Cui Angelorum aliquando dixit Deus: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Cui creaturæ dixit aliquando idem Deus: Mater Filij mei es, & Filia mea? non quidem naturâ, quod esse non potest: aut adoptione, quod infra dignitatem Matris & sponsæ; & sed eo titulo, quem nec leges, nec ius humanum assequi potest? Si enim per adoptionem dixerim, minus dicitur quàm debetur. Videamus ergò tantæ felicitatis originem, & felicissimum fontem. Tota ergò felicitas beatæ Virginis promanat illi ex sublimissimo incarnationis beneficio, quo fit, ut sit Deo & Christo conjunctissima: Christi, quia una eademque caro; ut caro Mariæ, sit caro Filij; una sit vox, una quasi persona; & non solùm unitate personæ unum sunt, sed idenditate: Deo autem est conjunctissima, quia per Incarnationem fit sponsa Dei, & sui sponsi. An non sponsa leges, & domicilium sui sponsi iure naturæ & civili sortitur? an non sponsa, Parentes sui sponsi suos facit? an non amor sponsi, amorem sui Parentis transfundit in amores suæ sponsæ? an non sponsus est caput suæ sponsæ? an non ideò sponsa translata in domum sponsi, non solùm proprios parentes; sed Mariti sui Parentes suos vocat. Et Tiraquellus in lege primâ connubij num.28. definit puellam *quæ nupsit tuo filio, filia tua est* arctiori vinculo quàm adoptionis. An non uxor ad eundem Patrem referri debet? An non Virgo sanctissima Divini Verbi sponsa & Mater?

Felicitas S. Virginis obvenit illi ex sacra incarnatione.

Sponsa sequitur leges sponsi, est domicilium

A Mater in quantum genuit: quo titulo filius est subditus Matri, & naturæ iure subiectus: Sponsa autem Verbi Divini; in quantum Christus est Redemptor. quâ consideratione Mater Christi, est sponsa sui Filij. In quantum ergò est sponsa, sequitur domicilium ipsius sponsi; & dimissis proprijs parentibus, sponsi sui parentem appellat suum. Patrem ergò æternum necesse est ut Virgo sanctissima vocet suum; & se æterni Patris Filiam, quæ æterni Patris Filium spõsum habeat. Hujus juris videtur monita Virgo beata, Psalm. 24. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui*; quoniam concupivit Rex speciem tuam. Eià ergo ad summum gradum provecta, compella Patrem æternum, Patrem tuum; trade oblivioni tuos Parentes, & domum tuam; sufficiat tibi acquisitus connubio pater omnium Deus & Dominus Dominantium.

Pater æternus ut pater S. Virginis dicendus.

B

Quorsum hæc omnia, pie Lector, per varia spatiatus repeto? in quod propositum & scopum? Siste hîc & manum, & herbam dabis; paucis te volo.

Annon anima Christi cum sua humanitate? An non Virgo Mater Dei præferenda est mille mundis, & insuper mille, & infinitis creaturarum ordinibus? Planè. An potuit humana natura per divinam potentiam altiùs attolli? Nequaquam. Quid admirabilius, quàm dici hominem Deum? quid magis stupendum, quàm feminam mortalem, Matrem Dei compellari, & esse? Quid jucundius audiri potest, quàm Virginem, Filiam Dei? Stupor omnes creaturas tenet, Deum ex infinita bonitate infimæ speciei voluisse suam Divinitatem sic vnire, ut Deus hominibus ex cinere & pulvere creatis dicat: Et Pater, & Frater, & caro vestra sum: ecce ego Deus factus sum homo quasi vnus ex vobis. An non hoc opus omnium operum admirabilium, quod fieri posse supremæ intelligentiæ, nec intelligere, nec penetrare potuerunt? De quo posteà.

Natura humana non potuit altius attolli.

C

D

Hoc ergò miraculum; hoc ostentum Divinæ sapientiæ, prodigium Divinæ omnipotentiæ: hîc amor, & oceanus omnium amorum sine fluxu substitisset incognitus; nisi Adam peccasset? An non Deus operatur in gloriam suam excellentissimo quo potest modo? An potuit major, Deo gloria obvenire, quàm ex Filio Incarnato, & Virgine Matre, & eâdem Filiâ Dei Patris? Nequaquam. Ergò tanta gloria Dei, & tanta felicitas creaturarum non debuit pédere ab eventu peccati. Hãc sententiam; quia Deo gloriosior, & Divinæ bonitati conformior, putat Suarez verè certam. & D. Thomas cũ sancto Bonavẽtura esse probabilem. Et sanè quis credat Matrem Dei non futuram, nisi ex calamitosissimâ Parentum

Deus futurus homo Adamo non peccante, & ratio.

rentum iniuria, & totius humani generis A excidio? An ergò felix crudelitate & calamitate alienâ? nec Deus cujus natura est bonitas, suam liberalitatem manifestasset; ni dæmon crudelitatem exercuisset suam.

Ex his nascitur ordo decretorum.

§. II.

Finis, ordo decretorum Dei, locus Christi atque Mariæ.

CHristus secundùm suam substantiam, B ut homo amatus est propter se actu efficaci, de se & absolutè. Hoc decretum etiam fuit de producendo Christo propter nostram salutem, sed diversâ ratione. Christus enim ut homo, fuit decretus absolutè: salus autem nostra sub conditione.

Deinde vidit Deus opera Christi, quibus decrevit absolutè gratiam. Finis autem nostræ gratiæ & salutis, est gloria Christi: voluit enim Deus Christum Patrem futuri sæculi & Principem pacis. Undè Christus est finis omnium hominum & Angelorum: non quòd nostra substantia facta sit propter substantiam Christi; esset C enim mutua causalitas finalis; sed quia nostra substantia facta est propter gloriam: gloria autem nostra, propter gloriam Christi, quâ est Pater & Princeps Regni cælestis. Hujus gloriæ ipse est finis. Hæc objecta amantur eodem actu, & indivisibili ratione nostrâ.

Christus primus in absoluta existentia.

Hinc Christus in absoluta existentia est primus inter omnes creaturas, quia nulla fuit præter illum amata absolutè, & efficaci decreto; sed tantùm sub conditione. Deus enim decrevit creare Angelos & homines in gratia, si Christus illam mereretur: si verò non mereretur, decrevit illos absque gratia creare. Hinc fuit effectum, ut nullus neque Angelus, neque homo videretur existens, nisi post prævisa Christi merita: non quòd illa merita impetrarunt D substantiam Angelorum & hominum; sed quòd Deus voluit illos producere in gratia impetrata per Christum. Vndè visi sunt existere Adam & Eva & Angli, in quo signo non sunt visi absolutè posteri Adami existentes; sed tantum sub conditione: si enim Adam perseveraret in gratia, generaret liberos iustos: sin amitteret illam, peccatores. Viso autem Adami peccato, decrevit Deus, ut omnes nascerentur homines in peccato, à quo nullum voluit præservari. Visâ autem bonorum Angelorum perseverantiâ per Christi merita, & reperatione per Christi mortem, decrevit illi gloriam corporis; item Principis, quæ gloria visa est post nostram salutem, quia per illam erat obtinenda.

Substantia Christi D. fuit decreta abstracta à passibilitate & impassibilitate.

Substantia autem Christi fuit decreta in illo primo signo, abstracta à passibilitate proxima, & impassibilitate; sub conditione tamen perseverantiæ Adami fuit decreta impassibilitas: passibilitas autem sub conditione peccati Adami, & sub conditione voluntatis Christi eligentis passionem. Per actus verò independentes à morte, ut sunt actus amoris, per illos & alia merita Angelis & Adamo primam gratiam obtinuit; Angelis autem bonis integram prædestinationem: pro hominibus autem lapsis elegit Christus passibilem vitam, quam accepit à Deo, per quam impetravit hominibus reparationem; Item omnibus hominibus gratiam sufficientem ad vitam æternam: electis autem ad vitam æternam gratiam efficacem. Pro nullo autem meritum obtulit, ut sine peccato originali conciperetur.

Christus suis meritis impetravit suam matrem.

De sanctissimâ Matre est alia ratio, quàm omnium creaturarum: fuit enim prima omnium creaturarum, quæ post Christum absolutè decreta: quam Christus suis meritis impetravit, non solùm in esse gratiæ; sed etiàm in esse naturæ, cui existentis per merita Christi, eadem merita impetrarunt merita ad Maternitatem; Item & merita cogrua, ut Angeli & homines crearentur in gratia, quibus plurimos impetravit suæ prædestinationis effectus.

Per eadem merita Mater Dei excepta fuit, non ab originali peccato; sed etiam ab ejus lege absolutè considerata, sub conditione tamen fuit eâ lege conclusa, quia Christus volens eam producere, si nollet eam excipere à lege peccati, in eo conciperetur; quod satis est ad exactam Redemptionem. Christus ergò dicitur melius eam eripuisse à debito peccati originalis, quia eam noluit includi pacto ob sua ipsius Christi merita, sine quibus illi peccatum imminebat. Vide Patrem Petrum Hurtado de Mendoza.

CONSOCIATIO

De purissima, & plusquam Angelica Conceptione Filij Dei.

§. III.

En spiritum seipso potentissimum & omni parte intaminatum.

SIcut impossibile est, Deum non esse, qui est totius entis infinitus oceanus: ita impossibile est, Filium Dei concipi in peccato, qui Patri Deo æqualis est, non esse inta-

intaminatissimum nec potuisse quando divinitas humanitati fuit unita. Christus ergo sicut caret actuali peccato: ita & originali; iuxta illud Lucæ 1. dum Virgini securitas floris Virginei stipulata promittitur: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Velim, ne putes hîc agi de nativitate, beatissimo ex utero, quâ lucem aspicimus, & in auras communes educimur; verùm de nativitate in utero, quæ & Philosophis dicitur nativitas, quando scilicet naturæ incompletæ, anima scilicet & corpus uniuntur, & nobilissimũ exurgit compositum. An non hoc idem prædixit Angelus Iosepho fluctuanti de Virginis statu, Matth. 1. vers. 19. *Hac autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens: Ioseph Fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est?* Nasci igitur de Spiritu sancto; & concipi sanctum, idem est. Nos autem contrà dum concipimur, nascimur filij iræ, filij proditoris, dum per seminalẽ propagationem, per viri & feminæ congressum producimur. Accepit quidem Christus Dominus à posteris Adami, carnem humanam: at non per seminalem infusionem; sed ex purissima Virgine, & intacta carne, quam nulla virilis opera fœdasset. Virginis ergo totus Filius, Virgini debebatur; & ideò Filius amoris Divini, non filius iræ nascebatur. Verè ergo Filius Dei, & Filius amoris æterni vocabatur unicè dilectus, in quo sibi complacuit Pater; voce Patris de cælo missa. Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui, ipsum audite.* Quomodo ergo potuit aliquid displicere Deo Patri in Christi nativitate humanitateque? Pater ergò cùm totus sit sanctus; ita & Filius ante Luciferum ex utero Patris; & in tempore natus ex utero purissimæ Virginis, totus sanctus substantialiter. Rationes alias afferam, dum omne peccatum actuale etiam minimum excludemus à Christo Domino. Sequitur ut probemus, impossibile fuisse, Christum Dominum obnoxiũ ulli peccato actuali; & primùm, ex sacra Scriptura. Ad Hebræos 4. vers. 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Hoc ipsum docet Petrus 1. cap. 2. *qui peccatum non fecit; nec inventus est dolus in ore ipsius.* Et 2. ad Corinth. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Si ergo non novit; ergo nec fecit. Quomodo ergo pro nobis peccatum fecit? An non in fideiussorem datur actio? repetivit Pater ab eo pœnas tanquam à fideiussore nostrorum peccatorum, illud statuens & faciens peccatum, id est sacrificium peccatorum ablatione; non aliter, quàm sacerdotes dicuntur comedere peccata populi, sacrificia & oblationes pro peccatis offerre. Et sanè

A quomodo potuit esse obnoxius peccato, quandoquidẽ unio hypostatica, omni peccato, vi suæ naturæ omni peccato mortali, & habituali opponatur? & mirum esset si non opponeretur: cùm ea sola per se absque ullo comitatu gratiarum omne peccatum funditus expellat, profliget, nec secum consistere patiatur. Nec alias certissimas præter hanc demus rationes; cur nec originale, nec ullum actuale admitti possit in animam Christi. An non anima Christi ab ipso primo sacræ Conceptionis momento dotata fuit visione beatificâ? an non visio beatifica reddit hominem impeccabilem? an non visio beatifica confirmat hominem in gratiâ? an non omnis confirmatus in
B gratia est inflexibilis, ita ut vacillare non possit? An non anima Christi Domini est sapiens supremâ sapientiâ? omne enim quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; ideò neque convertibilis, neque mutabilis dici potest. Accipe Lector duplicem rationem immutabilitatis; Prima est susceptio humanitatis in unam personam, quæ unio reddit stabilem Christi voluntatem, & in intellectum infundit visionem Dei. Voluntas ergo, & intellectus adamantinis vinculis tenentur, ut à Deo divelli non possint. Quare sublimissimè cecinit sanctus Vates Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* & ideò non fecit peccatum, quia odit. Et quare odit
C peccatum? quia unitus Deo per unionem hypostaticam, quæ immediatam inducit oppositionem, ut ne quidem Divinitus simul stare cum peccato possit. Cùm itaque Christi Domini humanitas substantialiter sancta formaliter hipostasi, aut unione reddatur; & præterea definitum sit (ut in Consociatione de nobilitate fusè dictum) Christum ut hominem unione hypostaticâ esse Filium Dei naturalem, quâ ratione poterit esse peccabilis, cùm Christus ut homo sit Filius Dei naturalis, & in eversionem, exstirpationem, & plenum peccati excidium ab infinita Sapientia excogitatus, & ex infinitæ bonitatis moribus datus, ut esset filius amoris orbi donatus. An
D non ex vi unionis solius, hæres bonorum Dei? an non unio sola absque alijs donis ex diametro pugnat cum peccato? An non inde processit Divina vox Christi Domini, Ioannis 8. vers. 46. *Quis vestrûm arguet me de peccato?* Quare nec cum minimo venialis peccati nævo absoluta Dei potentia stare potest Christi sacratissima humanitas, quam Verbum infinitè sanctificavit, & beatâ sui visione donavit. Et quis videns infinitum Deum, infinitum bonum cum infinitis oblectamentis à Deo divelli potest? An non quia hoc impossibile, ita & impossibile peccare?

ALTE-

stendit Gallicum sceptruum, cum Aquilis A Germanicis, communi quasi inflammatione corripuit communis ardor, sanctæ & Immaculatæ Virginis Conceptioni suffragandi, & eam ab omni suspicione nævi vindicandi. An non decet Domum magni Dei omni suspicione adulterij vacare; quandoquidem Julius Cæsar suâ vxore repudiatâ exclamavit: Volo Cæsaris domum liberâ metu & scrupulo suspicionis.

Hunc lectũ Salomonis veri, id est Christi Domini, ambiunt non sexaginta solùm Viri fortissimi; verùm quam plurimi potentes ex potentibus, Reges scilicet & Monarchæ, & Heroes ex Heroibus, viri scilicet totius Orbis sapientiâ clarissimi, & stylo, & linguâ, & calamo Gigantes: omnes tenent gladios, & ad bella doctissimi propter timorẽ peccati originalis: abhorrent famam violatæ & constupratæ animæ B Virgineæ: nolunt Filium Dei traxisse ab adultera suũ sanguinem: volunt filio mundissimo, Matrem per omnia, quantum dari potest, munditie parem. Undè & Cantic. 1. vers. 16. describuntur tigna domorum Christi, ut Virginis Cedrina. Cur Cedrina? quia intemerata, nullæ obnoxia corruptioni. Vndè & Chaldæus vertit: *Dixit Salomon Propheta: Quàm pulchra est domus sanctuarij, quæ ædificata est per manus meas ex lignis Cedrinis!* Sed pulchrior est domus Sanctuarij, quæ ædificáda est in diebus Regis Messiæ. Olim furore & rabie percitus Arrius, armavit linguam, & calamum in Dei Filium, quem non Dei Filium; sed merum dixit hominem: spoliavit ergò & Filium, C & Matrem summâ suâ dignitate. In Arriũ scelestum cum toto Orbe Constantinus Magnus insultavit; & sanctus Silvester summus Pontifex anno sui pontificatus, duodecimo, Christi 325. & Constantini vigesimo, Comitia generalia indixit, & coacto Concilio 318. Patrum, rebellem feram toto orbe proscripsit; utinã & vitâ! An nõ instar Abrahami bellatoris, qui trecentis & octodecim vernaculis lectis impios Reges trucidavit? sic hic impium Arrium proscripsit, & Sanctissimam Virginem injuriâ liberavit. Arrium impium secutus contaminatissimus Nestorius; contra hunc immissus Theodosius Junior, & D Cælestinus Papa, qui plures prioribus Ephesum vocavit sanctissimos Episcopos, qui agnatum Virgini titulum restituerunt; & sanctissimis vocibus Virgo θεοτόκος, id est Mater Dei acclamata. Nec hic bellandi finis: adversus Virginem Eutyches Abbas furiis agitatus, potatus veneno Nestoriano, unam decernens in Christo voluntatem, tollebat Matri dignitatẽ suam. Templi Virginei defensionem suscepit Marcianus Jmperator, cum sanctissima Virgine Pulcheria; Orbis præside, sancto Leone,

Arrius impius in Dei Filium, & SS. Matrẽ.

Nestor Consors impietatis.

& Chalcedone, duplicato Patrum numero damnatus impius Eutyches. Ubi Christus & Dei Patris, & Virginis Filius naturalis est acclamatus; & iuxta verám antiquamque fidem utrique consubstantialis, summâ totius Orbis voluptate pronuntiatus, ex tanti incendij calentibus cineribus per Orbem sparsis, quia fax nova subitò fuit profligata, & penitùs exstincta: & quàm difficile & arduum, omnia hæresis semina etiam exstincta penitùs eradicare. Cœpit novas artes in Virginem pertentare Macharius; hic iussu Agathonis Papæ, in Synodo Constantinopolitanâ hæreticus cõdemnatus; & altera operatio, & voluntas in duplici Christi naturâ, asserta decretaque; una scilicet humana, & altera Divina. Humana, quâ Matri, & Patri obedientiam, & obsequia deferebat. Divina, quâ Patri æqualis per omnia, creabat, regebat, & seipso cum Patre & Spiritu sancto fruebatur. Hoc nostro, & superiori sæculo ab inferis prosiliére, quasi ruptis carceribus monstra hominum, qui omnium hęreticorum eluvie fœdiores, qui omni fœditate spurcitiores, hircis, barbaris immanibus libidinosiores, & ad omnem nequitiam omni profligatâ pudicitiâ proiecti, facti compositique; qui denique Turcis, & ipso dæmone impudentiores nequioresque nebulones ausi sanctissimam Virginem ut impuram, ut nocentem vulnerare, & ipsius Immaculatam sanctitatem commaculare. Contra hos impios nebulones, & transfugas sicarios, non utar aliâ sicâ, quàm verbis Anastasij Sinaitæ, quibus ipse lib. 6. Anagogicar: quæst. sceleratum Euthychetem confecit. *Quis*, inquit, *dic mihi, ex hominibus, aut dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ est eiusdem, simul cum Deo, essentia, quod ad carnem attinet, non fit ad imaginem, & similitudinem eius, qui ex ipsâ natus est? Quomodo est Mater huiusmodi Filij, non ferens integram & illæsam Filij sui imaginem?* Tu proditor Calvine, stigmatibus inustulatis in Sodomiæ tuæ inexpiabile scelus semper infamis, ut te vocabo mediastinum, & vilissimum mancipiũ dæmonis? Parum est. Tu ne audes in tua harmonia Virginem, quam Angelus prædicat plenam gratiâ, & gratiæ suæ amplitudine invenisse gratiam apud Deum, damnare dubiæ fidei, nec minus restrinxisse Dei potentiam, quàm Zacharias, (qui statim pœnas infidelitatis dedit) dum Angelo respondit: *Quomodo fiet illud, quoniam virum non cognosco?* & subdit non esse admodum laborandum nobis, ut eam ab omni vitio purgemus. O impium & sacrilegum mancipium! siccinè non extimescis, ne tibi terra dehiscat? at nunc in medijs flammis sepultus sentis supplicia tuo debita dementi furori. Hunc æmulati ceteri, qui

Eutyches Abbas par alijs.

Macarius detestabilis.

Qualis imago filij ea & matris.

Imprimis dogma Calvini.

qui vt faces & turbines sæculi, nullo scelere clariores exstitère, quàm Virginis sanctissimæ sacrilegâ deiectione. Contra has pestes tot sæculorum, nostrique æui nouatores turbines nunc nec arma nec calamum mouemus, quibus tot clarissimi viri obuiàm iuere, & suis telis iacentes confecerunt. Nunc tantum cum amicis & concordibus Sanctæ Ecclesiæ filijs de maiori gloria Sanctissimæ Virginis tractandum, quam omnes fatentur, & firmissimâ credunt nullâ propriâ & voluntariâ labe contaminatam; an verò ratione filiationis Adami originalis peccati fuerit afflata contactu; in partes itum, dum quidam lege communi constrictam; alij ab ea exceptam docuere. Et dum ardentiùs pro maiori Dei gloria certatur, ardori, ne periculosiùs in flammas erumperet, moderamen, & modum fecit Sedes Apostolica, cui maxima pars orbis sese coniunxit. Piam ergo de immaculata Conceptione sententiam domus Austriaca summâ veneratione complexa est. Ferdinandus ergo secundus Augustissimæ semper Memoriæ, cum Ferdinando Tertio nunc imperante, & Philippus Tertius indefatigabiles curas contentionesque pro Illibata Virginis gloria suscepere. Vno verbo clauserim ingentes animos; in tanta mole Regnorum, vnum illis visum dignum suâ Maiestate negotium, nec aliud curare, quàm à sanctissimâ Virgine minimam labem propulsare. Audiat orbis vocem Philippi Tertij dignam tanti sanguinis fastigio: *Si*, inquit, *necessarium omninò putarem me Romæ adesse, & ad sanctissimi Patris* (qui id temporis erat Paulus Quintus) *pedes peruolui; vt pro Virginis sanctissima originali Iustitiâ extremam sententiam ferre, & causam per Spiritus sancti assistentiam definire, ac terminare vellet; quamprimum fieri posset, alijs quibuscumq; rebus post habitis, cunctisque difficultatibus superatis Romam contenderem, & sanctiss.mo Patri me sisterem.* O dignam orthodoxo Principe vocem! dignam Austriaco sanguine; Encomium plenum pietatis ardore!

Laus Philippi Tertij & studium ingens pro Virginis immaculata Conceptione.

Virginem Reginam orbis cælique tutatis; illa præsidens rebus humanis, tutabitur molem tui Imperij, & cælo receptum remunerabitur. Tamdiù superstes tuus sanguis, vtrumque axem humeris feret, & semper solis lucentis consors erit, quamdiù timore Dei protectus, arma pro Deo, & Virgine sanctissima sui prodigus explicârit: per Virginem enim Reges regnant. Mirata fuit Antiquitas Marcianum Imperatorem, qui in procinctu expeditionis Illyricæ cursum rerum calentium, fidei causâ inhibuit, frænisque iniectis supersedit. O animam plenam Virginis fiduciâ: vt periclitanti Virginis honori, & famæ succurreret, opposuit humeros imperij; & publicam necessitatem post posuit. Multo magis demirabitur Posteritas Philippum Tertium tot Regum & Principum Nepotem, per tot dissita terrarum & oceani diuortia, Romam meditari, & vouere, & iter vni Virgini Regnis sepositis inaugurari. Nihil est quod clariore præfulgeat lumine, quàm recta fides, & cultus sanctissimæ Virginis in Magno Principe, quem omnes velut alterum Deum in terris venerantur, & adorant. Nescit illa familia occasum, vbi solida vigent fundamenta pietatis. Deus, & sacratissima Virgo tot dissonas Gentes, & Regna toto orbe, & oceano diuisa, & morum, & linguarum dissidijs discrepantia, pacis vinculis constringit, ut sub coronâ tui capitis, tantæque familiæ conquiescant. An non quia sermo fidei, & zelus Religionis militat pro tanta Maiestate? & sermo Regalis Diuinas res exequendo militat in Augusto sanguine? dum suo principatui terreno iungit res Diuinas, & rebus Diuinis unit suum principatum, & regimen utriusque maritat, & unit utrosque: sic Religionis usu tuetur arma; & armis Religionem tuetur, & propugnat.

Summum decus magni Principis amor in Virginem.

Priusque itaque immaculatæ Virginis Conceptionem delibemus, aliqua putavi præmittenda. Primum, controversiam huius materiæ in tres principes sententias diuisam, nondum esse definitam à sanctissima Sede Apostolica; ac proinde hæreticum esse, asserere partem controversiæ indubitatâ fide, tanquam dogma fidei esse docendam. Deinde piam sententiam eo loco esse deductam ut possit faciliori totius Ecclesiæ motu definiri. Nam, ut loquitur Vasques disputatione 1.... cap. 14. *Addo*, inquit, *multo mihi difficilius videri fore, ut Ecclesia unquam definiat B. Virginem in peccato originali conceptam, eò quòd auctoritate suâ festum Conceptionis celebrari in tota Ecclesia præceperit. Et communi consensu Catholicorum, non solum imperiti vulgi, sed & Doctorum, & Theologorum pro immaculata Cõceptione pugnet. Quâ enim ratione cõtra hũc communem sensum, & communem celebritatem, tam infirmis fundamentis innixa pro opposita sententia relatis quidquam definiret? interim tamen nostrã sententiam firmo & constanti animo nullam opposita notam inurentes tenemus.* Hæc ille. Quare conabimur ardenter B. Virginis plenissimam libertatem tueri: nec patiemur, quantum fieri potest, ut serva, vel libertina vocetur; attamen absque præiudicio aliarum sententiarum; quas hucusque, ut omni censurâ liberâ, protestamur; ita nostram piam asserimus probabiliorem, quam Sedes Apostolicæ publicè voluit promulgari. Sicut ergo probabiliùs dicimus, numquam in Virgine Sanctissima fomitem peccati fuisse

fuisse, ac proinde nec exstinctum, nec ligatum fuisse: nec vnquam sensisse motum immoderatum, appetitus inclinantem, & allicientem voluntatem ad aliquid contra rectam rationem: ita probabiliùs dicimus, non sensisse peccati originalis malum, labemque, ex qua velut fonte manat appetitus ad malum inclinantis motus immoderatus. Ac proinde Sanctissimam Virginem fuisse affinem, similemque suo Filio. Quare nec serva peccati, nec libertina, quasi aliquando servitatis obligata debito fuisset, dicenda erit, sicut dicimus filium tantæ matris omni libertate donatum, ut peccare non posset. Totam ergo hanc materiam claudemus tribus parvulis libellis. In primo spectabimus productos in theatrum SS. Patres & primos orbis Theologos, qui pro puritate SS. Creaturæ strenuè laborarunt. In secundo rationes proferentur, cur totus orbis adeò junctis animi concurrat ad tuendam immaculatam conceptionem. In tertio libello in gratiam concionatorum decentiæ suadentes immaculatam conceptionem, dabuntur.

Liber Primus.

IBimus per singula sæcula, & spectabimus, ut ab ipsis incunabulis Christiana Religio in Immaculatæ Conceptionis defensionem coniurata, semper arma per totum Orbem circumtulerit. Spectabimus fortissimum quemque Agonistarum, & ad prælia doctissimum ambiuisse lectum Salomonis. Deindè ut doctissimus quisque, Virginis illibatam animam summis laudibus, & Epinicijs, & odis, & calamo laborioso exquisitè, & curiosè, & expeditè exornârit, extulerit, & ad summam celsitatem perduxerit. Deindè ut Orbis universus his amoribus irrigatus, hæc Virginis præconia summis plausibus exceperit; ut teneros affectus & amores cum lacte nutricis biberit, ut iis adoleverit, & indies huc usque majora sumpserit incrementa; ut in Virginem amor, studium, obsequia, & Gentium patrocinia, quasi florente semper iuventâ fuerint per gradus ætatû propagata.

Tu Lector bibe & inebria te Virginis sacris amoribus; prolue te hisce fontibus, largè fluentibus: *Qui bibunt, adhuc sitiunt: desiderare nesciunt, nisi Iesum, & Mariam quam diligunt.*

Primum Sæculum.

IAcobus Minor qui in suâ Lyturgiâ quoties non meminit sacratissimæ Virginis; dum legitur in Canone, *Commemorantes Immaculatam & gloriosissimam Dominam nostram, Matrem Dei, & semper Virginem Mariam.* Audi post consecrationem, in Virginis laudem ebullientes: *Commemorationem agimus sacratissima, immaculata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra, Deiparæ semperq; Virginis Maria.* Audi Cantores respondentes: *Dignum est, ut verè beatam dicamus Deiparam semper benedictam, & omnibus irreprehensam, & Matrem Domini nostri honorabiliorem quàm Cherubin, gloriosiorem quàm Seraphin; quæ sine corruptione Deum peperisti.*

Iacobus minor in sua Lyturgia docet immaculatam conceptionem.

Lector pie singula Verba emedulla. Si sit beata; quomodo miserrima? quomodo irreprehensa; si in peccato deprehensa? quomodo purior Angelis; si maculata? Illi amicissimi Deo; si hæc fuerit semel inimica? quomodo dicitur, *Non est macula in te*; si fuerit fœdissima? & ideò Septuaginta verterunt τὸ: *Macula non est in te: non est reprehensio in te*, id est, *non est Momus in te*; id est Deus omnium Deorum reprehensor. Si sit ergò gloriosior Seraphin; nullus etiam rigidissimus Momus est in te. Hanc verò esse Jacobi Lyturgiam clarè probat Baronius anno Christi Domini 63. Petri 19. Pagina 627. Tom. 1. ex Missa Cyrilli Ierosolymorum Episcopi mystagog. 5. qui suam ex D. Jacobi Missa confecit. Audiamus ut suam Lyturgiam ornarit Sanctus Marcus: in illa vocatur Virgo ἄφθαρτος, id est Illibata, incorruptibilis, & post Elevationem Sacramenti: *Hoc est corpus; & hic est sanguis Domini nostri Iesu Christi; quod, & quem assumpsit ex Domina nostra, & immaculata Virgine Maria.* Grandius sonat Dionysius in Epistolâ ad suum Magistrum Paulum, quam omnes suscipiunt: *Aspexi, inquit, & oculis propriis intuitus sum Deiformem, atque super omnes cælicos spiritus Matrem Iesu Christi Domini nostri. Deindè ductus sum ad Deiformem præsentiam Altissimæ Virginis; & tantus in me, tanquam immensus Divinæ Maiestatis splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiavit interius. Tanta etiam in me irradiavit omnium odoramentorum fragrantia; ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totus tam æternæ felicitatis insignia sustinere. Testor in Virgine Deum; si tua Divina præcepta me non docuissent: hanc ego verum Deum credidissem; quoniam nulla maior videri poterat gloria Beatorum, quàm illa felicitas.*

Nullus momus Virgines ss. carpsit.

Ingens laus ss. Virginis ex S. Dionysio vocatur deiformis.

Sæculum Secundum.

ECce, ut primi Heroes Virginis sanctissimæ coævi, Gigantum instar pro candore & integritate lectuli Salomonici

nici decertarunt. Producamus in aciem Potentes ex potentibus aliorum sæculorum. Anno Christi 150. Justinus Martyr, cùm sibi obiecisset in quæstione ad orthodoxos quæst. 136. nonnulla loca, quibus velut jaculis à Christo filio Mater peti videbatur: qualia sunt: *Quid mihi, & tibi mulier? Quæ est Mater mea; & qui sunt fratres mei?* respondet in aliis non ita locutus; quasi Matrem priuaret honore debita: sed maximè ostendit, quanam maternitate Virgo beatior dici debeat: si enim qui Dei Sermonem audit, is Christi Frater, & Soror, & mater est: & ejus mater habeat vtrumque, perspicuum est, hâc maternitate, beatam prædicari: *Nam Dei Sermonem audire, & exequi, virtutis est, animaq; pura, quæ tota ad Deum spectet. Et quia non quamlibet feminam Deus elegit, sed omnium feminarum excellentissimam. Propterea volebat Christus ob hanc virtutem prædicari Matrem suam; per quam virtutem illa assecuta fuisset, ut Virgo, mater fieret.* Nunc te compello, qui aliud sentis? Obserua verba, *anima pura, quæ ad Deum spectat.* Quomodo pura dici potuit, quæ labe contaminata? quomodò tota ad Deum spectat, quæ in primo vitæ mortalis ingressu dæmoni subiecta? Idem in expositione Fidei de Trinitate: *De cælo ad nos descendit, non corporali descensu; sed diuina voluntatis efficaciâ, & ad eam dispensationem vsus est sequestrâ Virgine stirpis Dauidicæ, sicut illi promissum fuerat. Quomodo sequestra esse potuit; si fuerit cum aliis hominibus obnoxia peccatis? an non propterea sequestra erat inter Deum & hominem, ut se mediam exhiberet? & quomodo sequestrâ ageret, cui opus erat reconciliatore, & sequestro?* Hæc ille sanctus Pater. Paucis si placet, Lector te conveniam. An non distractis perfidiâ aliquorum amicis; ut in concordiam reducantur, opus est reconciliatione? Planè. Vehementes quippe dissensiones, aut reconciliatione concordiæ, aut internecione finiuntur. Vnde propriè & verè Christus Dominus solus mediator inter Deum & hominem. Vnde & Tertullianus lib. de Resurrectione carnis: *Hic sequester Dei atque hominum appellatur ex utriusque partis deposito commisso.* An Virgo fautrix nostrorum negotiorum, conficere potuisset & absolvere inimicitias implacabiles; nisi media & arbitra pacis fuisset cõstituta? & tu percunctaris: Quo iure arbitra; & quo iure Mater? Eo ergò iure, quo Mater est, & peperit nobis hostiam & sacrificiũ quo sumus reconciliati: arbitra pacis est cùm illi nos debeamus salutis initium; & filius vitæ. Arbitrio ergò Matris vivit Filius, cuius sacrificio, velut pacis pignore, & arbitro, fax odiorum ex-

SS. Virgo à duplici titulo mater Dei.

Anima virginis planè pura.

Quæ sequestra debuit esse non potuit esse debitrix peccati.

A stincta est. Socius huius sæculi fuit sanctus Irenæus, qui lib. 5. cap. 15. contra hæreses: *Prudentia serpentis in simplicitate columbæ deuicta.* Quomodo victrix, si deuicta peccati originalis introductione?

Tertium Sæculum.

HOc ævum parturiit Orbi clarissima lumina, quæ inter, primus occurrit quasi Dux agminis Magnus Origenes, cuius famam, ut omnia eminentia solet livor momordit, fatale Magnis malum *Vnum non sat lugeo, sublatum nobilissimum opus, Octopla scilicet dignum immortalitate.*
B Audi verba homil. 1. in 1 caput Matthæi: *Huius itaque unigeniti Dei dicitur hæc Mater Virgo Maria, digna digni, Immaculata sancti, & immaculati una unius, unica unici.* Stupenda verba. Quid aliud enunciant, nisi summam Virginis puritatem, quæ tanta est; ut in aliquo modo sanctitati, & puritati dignè, & unicè Filij sui respondeat. Ille semper sanctus; & cur non illa semper sancta? Ille nunquam non purus: illa nunquam non pura. Ille cælestis; & illa: naturâ suâ semper gratus; & illa semper gratiâ grata: ille substantialiter ex naturali sanctitate; illa accidentaliter, & gratuitâ dona-
C tione sanctitatis. Audi eumdem ad verba Angeli ad sanctum Josephum: *Accipe ergò eam, sicut commendatum cælestem thesaurum, Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam Iustitiam: accipe eam, sicuti Vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut donum Dei, sicut Creatoris Omnipotentis proprium, sicut cælestis sponsi donum immaculatum.* Pergamus audire Doctorem, Homil. 3. in 2. cap. Matthæi, alloquentem Iosephum: *Hic puer non indiget Patre super terram; incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis: non indiget matre in cælis; immaculatam habet enim Matrem in terrâ; hanc*
D *beatam scilicet Virginem Mariam.* Hæc enim, ut ait Origenes, neque serpentis persuasione decepta fuit, neque eius venenosis afflatibus infecta. Si neque quidem afflatu læsa: tu audebis eam dicere corruptam, vitiatamque?

Hunc sequitur Gregorius Thaumaturgus, qui variis in locis vocat Virginem nive candidiorem mentem habens; & auro corpus probato, purificatum magis. Inter hæc habet: *Hæc semper vigens, immortalitatis paradisus.* Quomodo semper vigens, cuius vigor semel exaruit? quomodo Paradisus immortalitatis, si mors semel intromissa sustulit vitam? Græcis his Patribus toto orbe diversus subscripsit

Laus stupenda SS. Virginis ex origine.

Quidquid inest Filio ex natura, hoc matri ex gratia.

SS. Virgo niue candidior.

scripsit Cyprianus Episcopus Carthag. qui floruit anno Christi 250. in Oratione de Christi Nativitate: ubi vocat Virginem vas electionis; *Nec sustinenebat*, inquit, *Divina Iustitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis: quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.* Nota τὸ *à ceteris differens*; quia nullis obnoxia miseriis peccati; nihil illi commune cum ceteris; quàm natura. Pergit Cyprianus: *Vndè & Matri plenitudo gratiæ debebatur; & Virgini abundantius gloria, quæ mentis & carnis integritate insignis, spirituali & corporali, intus & extra Christi fruebatur præsentiâ.* Dionysius Alexandrinus coævus in solat. 45. de Virginis impolluta innocentia hæc habet: *Nec tabernaculum eius verum alius introivit, nec exiit nisi solus Dominus: & signata porta tabernaculi, & digito eius signata est, & protegitur virtute Altissimi illud semper laudatissimum Dei tabernaculum Maria Dei Virgo.* Vndè & vocat tabernaculum non manibus hominum fabricatum; sed à Spiritu sancto formatum. Gratulare Virgini, non esse fabricatam manibus hominum, non esse ex censu Adami; esse impollutam. Pergit nobilis Auctor: *Deus venit novissimis diebus non in figurâ ignis; sed conceptus ventre Virginis Mariæ, superveniente Spiritu sancto in eam & Matrem incorruptam, à pedibus usque ad caput; benedictam servavit.* Quid hoc est, dicere, nisi à primo vitæ initio intactam & inviolatam fuisse?

Tota Sancta Virgo ex S. Cypriano.

Quartum Sæculum.

ANno Christi 340. floruit Athanasius, hæreticorum malleus, qui 3. Serm. sic Virginem affatur: *Gratiâ plena appellata es; utpote quæ omni gratiâ abundares.* Si omni; ergo & Iustitiâ originali. Deindè pergit: *Spiritus sanctus cum omnibus gratijs essentialibus in Virginem descendit, imbuens eam gratiis; ut in omnibus grata esset, atque ideircò gratiâ plena cognominata est.* Basilius de Christi Incarnatione: *Ex sanctitate compacta caro Mariæ, digna quæ Deitati Vnigeniti vniretur.* Quid est, precor aliud; Mariæ carnem à prima conditione ex sanctitate compactam esse, nisi illam à prima conditione, cùm à Deo compingeretur, gratiâ & sanctitate donatam?

SS. Virgo, tota ex Sanctitate compacta.

Sanctus Epiphanius ornamenta hæc Patrum novâ luce sententiarum, & schemate curiosus, illuminat, in sermone de laudibus Virginis: *Gratiâ plena & beata Virgo; solo Deo excepto, cunctis superior existis: naturâ formosior es omnibus ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico.* I nunc, confice argumentum: non potest individuum inferioris speciei elevari ad dignitatem superioris speciei: quomodo ergo potest superare dignitatem Angelicæ naturæ, cum summo longissimè intervallo discriminentur? Potest quidem in immensum crescere Geometricè, at inter limites suæ speciei; attamen ad perfectionem superioris speciei pervenire non potest; imò nec attingere. Quomodo ergò summis Seraphinis erit formosior, qui tantum dissimilitudine ab homine secernuntur, quantum spiritus à corpore? Nec mireris, cur certum sit, Christum Dominum, quatenus homo, in naturali & essentiali perfectione naturæ, minimo Angelo comparari non posse. Cùm igitur Epiphanius scribit Virginem formosiorem; intelligi debet nativitate: natura quippe, teste Philoso. 2. Physicor. pro nativitate solet accipi. Non solum enim origo ex utero, nativitatis nomine censetur; sed etiam conceptionis naturalis in utero, proprio idiomate natura, seu nativitas appellatur. Concludo ergo: *Formosior igitur natura ipsa*, id est, *nativitate Cherubin & Seraphin*; quia ab ipsa conceptione sanctior & purior, quàm ipsi in sua creatione, & primâ conditione.

Quomodo species inferior, superet superiorem.

Hoc sæculum absolvet sanctus Chrysostomus, qui floruit anno Christi 398. qui in sua Lyturgia immaculatam astruit conceptionem: *Memoriam*, inquit, *agentes sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ, & semper Virginis Mariæ.* & paulò pòst: *Iustum & æquum est, glorificare te Deiparam semper beatissimam, penitus incontaminatam Matrem Dei.*

Sæculum Quintum.

HOc sæculum dabit Orbi suum solem Augustinum, qui vixit sub annum Christi quadringentesimum. Omissis ceteris, pauca illustriora subiiciemus. De quinque hæresibus cap. 5. de Virgine sic ait: *Vnde sordes in domo, quam nullus habitator accessit? solus ad eam Dominus, & fabricator eius venit; vestem, vestem, quam non habebat, eamq́; sicut invenit clausam, reliquit.* Audi Christum loquentem: *Ego Matrem, de qua nascerer, feci; ego viam itineri meo præparavi. Hanc quam despicis Manichæe, Mater mea est, & manu fabricata est meâ. Si potui inquinari cùm facerem: potui in illâ inquinari, cùm ex illâ nascerer. Sicut in transitu meo, illius non est corrupta Virginitas; sic & mea non est maculata Maiestas.* Idem in lib. de exposit. Symb. & Orat. Dom. Serm. 2. *Maria Virgo secundùm fidem Scripturarum, sine naturali semine concepit Deum; qui venerat abolere malum originale, quod trahimus omnes nati ex concupiscentiâ Maris & feminæ, conveniens erat ut lege peccati nostri, quia per duorum concubitum*

Nulla Sordes in domo S. Mariæ.

Nota stupenda verba de Virginis puritate.

SS. Virgo à Filio fabricata.

verificatur in prole, *Dei Mater non teneretur obnoxia*. A Loquitur Augustinus de ea lege, quâ Mater ipsius Christi, originali peccato foret obnoxia, nisi aliquo iure privato exciperetur. Et Serm. 18. de Navitate Christi: *Semper Virgo est, quæ semper sponsa est, & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum sponsa permansit*. Nunc infero: Si semper sponsa permansit; quomodo: ergò sponsa per peccatum originale dæmonis fuit? Si dæmonis sponsa; quomodo una columba Dei? quomodo Virgo corrupta contrivit caput dæmonis? cùm scriptum sit: *Et ipsa conteret caput tuum*?

Cyrillus verò Alexandrinus ardens amator Virginis audet amplius, qui anno B Christi 430. sic scripsit: *Post filium, temerariū est in Maria Virgine ponere culpam, vel peccatum*. Et Proclus Episcopus Cyzicensis λογιος. Idem homilia habitâ in Concilio Ephesino; in quâ sic ait: *Filius Dei, Matrem, quam citra ullam labem sibi formaverat, ex hac quoque nulla macula contracta processit*. Illa, ut dictum est, cælestes spiritus infinitis post se spatiis relinquit: *Salva enim*, ut ait Chrysologus Divo Leoni coætaneus, *Virgini sunt omnia; quæ omnium genuit Salvatorem*. Et sanè cuius erunt optima, nisi Matris, quæ optimum genuit Filium? An igitur sunt illi salva omnia, quæ in primi ortus spiramine passa naufragium honoris irrecuperabilis?

SS. Virgo à Filio formata absq; macula.

C

Sæculum Sextum.

HIs Patribus porrigunt dextras armati alij Patres. Sanctus Fulgentius Episcopus Ruspensis *in sermone de duplici natura Christi*: *In primi*, inquit, *hominis coniuge, diaboli nequitia seductam depravavit mentem: in secundi hominis Matre, gratia Dei servavit mentem integram & carnem. Si mens integra servata: quomodo ergò exitiali vulnere perfossa? si caro integra; quomodo cum inclinatione ad omnem malitiam distorta? Andreas vero Cretensis altius loquitur & illustrat. Hæc*, inquit D *cum Immaculata & impolluta, & supra modum plena purissima castitatis; immaculata & impolluta scilicet mente & plena purissima castitatis corpore scilicet, quæ universam, quæ in carne est, generatione naturam superavit*. Quare quia magnificum, & longè maximum gratiarum Dei tabernaculum. Dic, quid est, universam naturam superare in generatione; nisi sordes & labem generationis humanæ nescisse?

Mens SS. Virginis semper integra.

Finiamus ergò hanc celebrem veritatem Encomijs. Tu es, ô Virgo, illa sancta, reverà pulchra, & macula non est in te: ô sancta, & sanctis sanctior: ô santissime thesaure, simillima Filio purissimo Mater.

A

Sæculum Septimum.

ANno salutis 601. Hesychius Jerosolymitanus floruit. Hic in Oratione 2. de Deiparâ; vocat Virginem turturem mundum; columbam impollutam; gloriam luti nostri; templum incorruptum; tabernaculum ab omni sorde liberum.

Audiamus nunc sententiam Ildefonsi Archiepiscopi Toletani: *Constat illam ab omni originali peccato immunem, per quam non solùm maledictio Matris Evæ soluta est; verùm etiam & benedictio omnibus condonatur*. Quid requirunt in Virgine legem naturæ; ubi B totū quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus? Hoc anno velut ab inferis emersit ferale Orbis monstrum Mahomet, qui etsi porcus venalis omniū libidinum; Calvino, & Luthero, & ceteris asseclis melior, qui gloriam & florem diadematis Virgini detrahunt, quem ambitiosè accersit & veneratur: illi despicabilem traducunt. Audi verba: *Nullus de filiis Adam nascitur, quem non tangit sathan; præter Mariam, & eius Filium*. Et rursus in eodem Alcorano Angelos inducit Virgini acclamantes: *O Maria cunctis feminis præclarior*! ô Maria! *Deus utique te elegit, & purificavit te; elegit te claram super mulieres sæculorum*. Has voces ab improbo nebulone extorsit veritas puritatis Virgineæ Deo iubente.

Ab Originali libera, ex sententia Ildefonsi.

Mahomet hoc sæculo natus docet SS. Virginē immaculatam, hæreticis melior sapientiorque.

C

Sæculum Octavum.

HOc anno celebrata est Sexta Synodus sub Agathone, ubi cap. 41. Cano. 5. & actione 18. sic habetur: *Confitemur Christum in vulua illibata Virginis, Dei genitricis habitasse, & corpus per Spiritum sanctum, ex sancta & immaculata carne eius, in propria subsistentia carnem suscipisse*. Nota τò *Immaculatæ carnis*. Quomodo immaculata, quæ aliquando maculâ violata?

Famâ celebri vixit Damascenus, ingens pro Virgine bellator, qui expendens illa D verba, *Invenisti gratiam apud Deum*; *Gratia*, inquit, *abyssum invenit, quæ duplicis Virginitatis navem incolumem, servaverat, animumq; non minus incolumem, quàm corpus*. Quod idem probat lib. 4. de fide Orthod. cap. 15. cùm ait; *Virginem unà cum corpore animam seruasse, ut eam decebat, quæ Deum in sinu excepturа erat: sanctus enim cùm ipse sit, in sanctis requiescit: sanctum ergò, & admirabile, & summo Deo dignum tabernaculum existit*. Estnè dignum Deo tabernaculum, quod fœdissimo rebelliq; fœdatum peccato? Non habitat Spiritus in corpore subdito peccatis. An caro digna, carne Dei, maculata?

Gratia duplicem navem S. Virginis servavit incolumem.

Hoc sæculo, anno 787. celebrata Septima Synodus, in quâ, actione 2. ab ipsâ Synodo

nodo passim intemerata, immaculata, incontaminata; adde etiam inculpata acclamatúr.

SS. Virgo lana mundissima.

At extremum hujus sæculi vixit Albinus Alcuinus, qui lib. 3. cap. 14. de Trinitate sic scribit: Maria fuit lana mundissima, innocentiâ scilicet & Virginitate clarissima, & incomparabilis universis, quæ sub cælo erant, Virginibus. Hanc obumbravit Spiritus sanctus, ut lana fieret Divinitate purpurata, solummodo, æterno Imperatore indui dignissima. Quomodo purpurata, nisi lana foret mundissima, non enim bibit purpuram lana, ni candidissima, & omnis labis expers.

Purpuram non bibit lana nisi sit mundissima.

Sæculum Nonum.

IOnas Episcopus Aurelianensis in libro pro defensione imaginum, vocat Virginem sanctam, intemeratam, inculpatam. Huic proximus Theophanes Græcus, qui Hymnum composuit de Annuntiatione: *Tibi*, inquit, *gratia data est, ô Dei Genetrix Divina: ô immaculatissima, tibi omnis creatura clamat: ô Dei Nympha; tu enim sola Dei Mater electa es, & immaculata.* & rursus subjicit, *immaculatissima.*

SS. Virgo ipsa aurora.

Ambrosius verò Ansbertus vocat Auroram: *Sicut Aurora valde rutilans in mundum progressa es, ô Maria, quando veri solis splendorem, tanta sanctitatis iubare præcurristi: ut verè diem salutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus claritate initiari, dignum fieret.* Aurora pellit tenebras, Solem inducit, nitens fulgensque, prænuntia lucis.

Si Aurora Virgo; cur non tenebras peccati originalis depulisset? si Aurora lucis; ergò diem vexit sine nube candidam.

Sæculum Decimum.

Festum immaculata Conceptionis institutum.

HOc sæculum summo in honore apud Posteros vsque ad hanc diem exstitit publicis gaudijs, & populorum alacritate semper celleberrimum; festo scilicet Immaculatæ Conceptionis instituto. quid enim jucundius, quàm lætâ festivitate festum agitare Immaculati Conceptus Virginei diem salutarem, & funestum originali peccato? Felix dies honori Virginis, & Filij Dei religione consecratus, Carolo Crasso, aut Calvo Imperante. Latina Ecclesia Aquileiæ tum in Hungaria Virgini sanctissimæ hereditaria, auspicatum initium dedit. & Leo Imperator Philosophus sapientissimus luculentam Orationem de Immaculatâ Conceptione composuit. Deindè Vir acerrimi ingenij Idiota, & vindex Immaculatæ Conceptionis incitatissimus fuit. Hic cap. 3. de contemplatione, de Deiparâ sic habet: *Tota pulchra es Maria, & macula non est in te: tota pulchra es in tua Conceptione; ad hoc solum effecta es, ut templum esses Dei Altißimi:* addit: *Anima tua gloriosa nihil vnquam ad fuit turpitudinis, vitij, aut peccati sive mortalis, sive venialis: nihil peccati vnquam fuit, nec erit.* & cap. 6 *O dulcissima Virgo! invenisti gratiam cælestem, quia fuit in te ab originis labe præservatio.*

Anima SS. Virginis nihil turpitudinis adfuit.

Sub finem huius sæculi vixit Fulbertus Carnotensis, qui in sermone de Nativitate Virginis sic scribit: *Cum primis astruere fas est, quòd anima ipsius, & caro, in qua elegit sibi Deus habitaculum Dei sapientiâ Patris, ab omni malitia, & immunditia fuerit purißima, neque habitabit in corpore subdito peccatis, immaculata semper ab exordio sua Conceptionis; quia paritura erat Creatorem sanctitatis.*

Sæculum Vndecimum.

Festum Conceptionis immaculata diffundit per orbem propagationem & incrementa.

FElicissimis auspicata Conceptionis Immaculatæ triumphis festivitas maiora indies sumens incrementa, toto Orbe dispersit cum Sole suos radios. In Italia cœptus coli sacer dies, nec intra Italiam stetit. Indè se in Hungariam deflexit; & ab Hungaria in Angliã transilijt; & protinus respexit Normannos: inde in Gallias, Hispaniasque, & totum denique orbem transilijt; & tota Ecclesia iussu Pontificum firmatâ statione consedit. Mirum & incredibile dictu, ut orbis uni huic laudi Virginis incubuerit; hos triumphos, tanquam Virgini debitam dotem constituit, & cum imperio dotale decus.

Anselmus alienus ab immaculata conceptione, mutata sententia iussit festũ fer vari.

Helsimus Abbas cælesti revelatione admonitus, Anglos, & Normannos circa annum 1066. excitavit ad festi celebritatem. Anselmus verò, datâ ad Anglos Episcopos Epistolâ, iussit sub annum 1081. observari. Hic vir summus amator Virginis prętulit orbi facem; mutatâ quippè sententiâ, quam contra Immaculatam Conceptionem conceperat; pro immaculata tandem pronuntiavit. Audiamus illum cap. 18. *Sed quia decebat, ut illius hominis Conceptio de Matre purißimâ fieret; nempè decens erat, ut eâ puritate niteret, quâ maior sub Deo intelligi nequit. Ex decentiâ ergò requirebatur Immaculata Virginis Conceptio, quamuis ex peccatrice nasci potuisset.* & cap. 17. *Quapropter quoniam de Patre justo secundùm Divinam naturam: & de justâ Matre, secundum humanam naturam Iustus ab origine. Si Iustus ab origine; quia Pater sanctus, & Mater sancta: quomodo ergò Mater sancta aliquando non fuit?*

Summa puritas Dei matrem decebat.

Confirmat suam sententiam Anselmus cap. 4 de Conceptione: *Si quid peccati originalis in propagatione Dei Matris exstitit; propagantium, non propagata fuit. Deus, qui Castanea confert, ut inter spinas, à spinis remota concipiatur, alatur, formetur: non poterit hoc facere Matri sua?* Planè potuit, & voluit; quod si voluit, & fecit.

Clara solutio Anselmi ex similitudine Castanea.

Deindè non potuit Lilium esse inter spinas, & non tangi? A

Vixit pariter hoc anno Petrus Damianus, qui multis exaltat Immaculatam Conceptionem Encomijs. *Omnes creaturæ dissidio voluntatum, motus magnos conciverunt contra Deum; sola Virgo innoxia peccati, requiem Deo dedit: fuit reclinatorium aureum summo Regi incorruptum, in quo nullus, nisi summus Deus consedit* & idem magnificentius: *Germinat ergò Virga Iesse de tortuosâ generis humani radice, & de Patriarcharum arbore in altitudinem & rectitudinem erumpens; omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: tota pulchra; quia tota Deificata, & macula non est in te; quia Spiritus sanctus supervenit in te. Sola illa Mater, & filia Creatoris nec descendit, nec cecidit.* Et quomodo cecidisset; cùm idem Auctor dicat: *Caro Virginis ex Adamo sumpta, maculam Adæ non admisit; sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est. Quomodo ergò mundari, quæ maculas nunquam contraxit.* Concludit Auctor: *Quid ergo vitij in eius mente, vel corpore locum vendicare potuit?* B

Nota hoc Lector. Sola Virgo Deo dedit requiem.

Non admissa macula Adæ.

Bernardinus de Busto nonnulla ex Anselmo collecta, subiungit cap. 6. *Inscia ne, inquit, fuit, & impotens sapientia Dei, & virtus mundum sibi condere habitaculum remotâ labe conditionis humanæ? Angelos, alijs peccantibus, bonos à peccato servavit; & feminam, Matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis exsortem servare non voluit? In æternitate consilij sui statuit eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum; & nunc inferiorem natam, in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? Existimet hoc, & argumentis suis probet, qui vult; ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentiâ Dominæ meæ posse dici: quod dixi, dico; quod scribo, non muto.* C

Nobilis ratio pro immaculata conceptione.

Idem de Busto citat ex Divo Anselmo, homil. de Immaculatâ Conceptione. *In Ecclesia sancta, Mariæ Nativitas colitur; sic debet & Conceptio: si enim non conciperetur, non nasceretur. Sicut enim ad salvandum genus humanum, olim necessaria fuit eius Nativitas; sic necessaria fuit eius Conceptio. Erubescant insani, qui hunc diem colere nolunt; quoniam aliorum sanctorum conceptiones, sancta minimè solet colere Ecclesia.* D

Finiam hoc sæculum cum Petro Cellensi, & Ivone Carnotensi, qui vixit anno 1088. Ille lib. de quinque panibus cap. 21. sic loquitur: *Filius est sanctus sanctorum: Mater est sancta sanctarum. Filius est altare de terrâ sanctâ; quia corpus habet de Matre sine maculâ, in quo cremantur holocautomata; dum condemnantur peccata.*

Sæculum Duodecimum.

HVc usque per tot sæcula Virginis innocentis puritas propagata, stetit florens, & inconcussa. Florebat hilaris aula Virginea; florebant inconcussi & intacti flores intactæ pulchritudinis. Verùm non tulit prosperorum nimiam felicitatem furiatâ mente, Virginis iuratus hostis dæmon; furor arma ministravit, & veritatem totius Orbis calculo firmatam cœpit vellicare, tantæ luci tenebras offendere, Innocentiam Virginis in arce securæ fidei locatam, dubitationis scrupulis lacessere. Quis credet à tenuibus initijs semina factionum exorta? & hoc pacto Rempublicam Christianam in partes distractam scissamque, tardè nata concussit opinio, dum hi innixi tot sæculorum præscriptione, mordicus tenere sanctorum Patrum doctrinam: illi contrà, novis argumentis fundare novam opinionem; & dum quisque studijs contrarijs certat, relictus magno vulneri locus. Et nisi sancta Sedes, suprema intétasset iura suę potestatis; contra Virginem ardentiùs fuisset dimicatum. Sapientia ergo sanctissimi Domini nostri Pauli Quinti compressit motus, & Ecclesiæ serenitatem pacis, depulsâ tempestate, restituit. Dextera Domini fecit virtutem: & dextera Virginis apprehendit Paulum, armavitque in sui defensionem.

Hoc sæculo conceptio immaculata oppugnata.

Castra novæ disciplinæ, primùm secutus Rupertus Abbas, & in Virginem severior, sed sanior sua dicta & mentem retractavit; & desertor sui, ut putabat erroris, ad Castra Virginis transfugit; felix, & suo errore ferventior. Hic lib. 6. operis in Cantic. *Idcirco, inquit, ancilla Evæ calcaneum serpens momordit. An non quia discalceatis pedibus? Tu autem filia Principis calceata, caput serpentis contrivisti: tu autem maximè, ô Princeps, & Domina singularis dilecta; & sicut iam dixi; una columba mea; una Genitrici suæ, videlicet generationi libera, generationi non carnis; sed fidei: quæ virum concepisti non de carne viri; sed Spiritu sancto concepisti, & peperisti.* Et paulò pòst: *Sæculis inauditis inaudita Virginitas atque fœcunditas; tanquam ô dilecta singularis, libera es ab omni iugo peccati.*

SS. Virgo unica Deo columba, serpentis caput contrivit.

Hoc anno vixit & floruit, & Orbem virtutibus, propagatis Religiosis familijs, & miraculis illustravit sanctus Bernardus: verè lumen sui sæculi; Patriarcha, & ardentissimus Virginis sanctissimæ amator, cultor defensorque quem etsi multi fuisse immaculatæ Conceptioni contrarium demirentur, velim ut desinant mirari, cùm legunt fuisse acré eiusdé defensoré: & hoc pacto pœnitens facti, imitatus fuit D. Augustinum, in libris retractationum se sibi opposuit, & seipsum seipso correxit, sibiq; censor

S. Bernardus contrarius immaculatæ conceptioni.

Super verus amator integritatis virginis.

censor fuit. Sic Bernardus opponit seipsum sibi: semper mihi Bernardus erit Bernardus. Profuit ergò parti adversariæ nihil; si ergò cùm favit adversarijs, penituit illum facti, & in similitudinibus ex sacra Scriptura collectis, restitutionem opulentam satisdedit? ait enim: *De lignis Cethim condita est arca, quæ incorrupta: ita & Maria de Patrum naturâ per peccatum cum duceret originem; prælecta tamen per Spiritum sanctum, & præservata ad puram.* & sermone 4. super *Salve Regina*: *Mons Libanus, qui dicitur dealbatio, signat altam præ omnibus innocentiam tuam, ô Virgo? Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis: nemo ita est præter te.* Et sermone 13. de Cœnâ Domini: *In filijs hominum non est magnus vel parvus qui non fuerit conceptus in peccatis: præter Matrem Immaculati Agni peccatum non facientis.* & in sermone In Apocalypsin: *Candidissimus simul & calidissimus amictus Virginis, cuius omnia tamen excellenter irradiata noscuntur: ut nihil in eâ non tenebrosum; nec obscurum saltem, aut minus lucidum; sed ne tepidum quidem aliquid deceat suspicari.*

Bernardus tuetur virginis innocentiam à peccato originali.

Claudam hoc sæculum cum Adamo Victorino Poëta:

Salve Verbi sacra Parens,
Flos de spinis spinâ carens
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spinâ sumus cruentati;
Sed tu spinæ nescia.

Sæculum Decimum Tertium.

HOc sæculo acriùs & vehementiùs cineres incendij, superioris sæculi re aluêre, & inter se summi viri commissi concurrere. Feracissimum ut sæculum maximorum ingeniorum; ita & grandium certaminum. Dixisses duello indicto sociale bellum enatum, & ruptâ fide fœderis sacri, sacros viros de Principatu Virginis decreta. Quippè si Duces inspicias; totus sacer Ordo sancti Dominici, isque nobilissimus, cum Principe Theologorum Divo Thomâ qui multos non inconspicuâ claros scientiâ traxit. In partibus contrà insurrexêre sancti Francisci præstantissimi atque eminentissimi ingenij Heroes, quos inter emicuit tenerrimi in Virginem amoris Divus Bonaventura hoc sæculo; & proximo, subtilissimus Doctor Scotus. Communi igitur quasi diluvio hæc dissensio scholas & pulpita corripuit. Et sanè; nec priùs quievissent, quàm in ipsa Vrbe Princeps Purpuratorum Patrum, pacis & fidei moderator imperio suo incendia compressisset. Iussi indè signa submittere, & canere receptui, qui totum orbem impleverant scriptis. Subbit animum arcana Divini consilij contemplatio; cur mirabili providentiæ nutu permissa sit hæc tam ardens concertatio, ut passa fuerit Matris summum honorem tàm pugnacibus contrarijsque ventis, & opinionibus exagitari? An non aurum igne probatur? Adamas affrictu radiat magis: victoria illustrior, quo maiore periculo stetit. Ita, ita: multus in hoc concursu Filius Dei pro Matris gloriâ. Et cùm amplè in D. Thomæ Doctrinam totus Ordo Dominicanorum sonaret, Ordines Religiosorum suscitavit alios, qui iunctis copijs Virginem tuerentur. An non latiùs vinceret Augusta Virgo? Planè.

Huic sæculo prætulit facem sanctissimus juxta ac Doctissimus Dominicus, magni novi Ordinis fundator, hæreticorum Albigensium malleus & eversor. Hic in laudem Virginis verba Andreæ Apostoli ipsissima semper usurpabat. *Sicut primus Adam fuit ex terrâ Virgineâ, & numquam maledictâ formatus: ita decuit in secundo fieri*, id est Christo, *cuius terra, Mater Virgo numquam fuit maledicta.*

Defensio Virginis ab ipso S. Dominico patriarcha.

Audite, ô venerabiles filij, Patrem. Et quis est, qui audeat dubitare de fide libelli, quem varij testes scriptoresque; imò indomita flamma ignis innoxium visa lambere, ter injectum probavit, & illæsum reddidit. Quid Dominicus? n. si flamma & fax Dominici oris. Flamma venerata est libellum, qui flammas fanatitatis & amore virgineos sparsit per Orbem suis libris: fuit hic libellus rubus in igne. Testis huius D. Antoninus 3. propos. titul. 19. ca. 1. §. 4. Vincentius Belluacensis in specul. lib. 25. cap. 96. Theodorus Apologiâ, in vita sancti Dominici. Vide Clichtoveum lib. de Conceptione Virginis. Pelbertum in Stellario Virginis: Galatinum lib. 7. de arcanis cap. 5. Alexander Halen. in 3. distin. 3 quæst. 9. docuit Virginem fœditate peccati originalis tactam. An non retractavit? Vis morbi ingruentis, paratum cõtra Virginem dicere, subitò inhibuit. An non factus melior, & morbo liber; Immaculatam Conceptionem edito libello docuit. Vide super Cantic. 4 caput: *Totam pulchra es amica mea, & macula non est in te. tantum potuit in tanto Viro vis Divina; ut solutus sit reddere has voces, in quibus & animam exhalavit: Maria Domina mea, tota pulchra es, & formosa; & macula originalis, actualis aut peccati nunquam fuit in te.* Hic libellus etiam nunc, teste Ioanne Celaiâ in 3. distin. 3. qui vixit abhinc annis centum servatur in Basilicâ Tholosanâ; magnum solatium Principi, suo Ordini, & veritati.

Libellus S. Dominici in virginis innocentiâ scriptus reprobatus, & innoxius mansit.

Halensem volentem dicere cõtra immaculatã cõceptionem morbus inhibuit nolentem in sanitas fecunda.

Hugo Cardinalis filius sancti Dominici, Patris æmulus in cuput Lucæ 10. docens Decem Virginis privilegia: *primum ait esse immunitatem à peccato Immaculatæ Conceptionis.*

Albertus verò, & grandior Thomâ discipu-

Albertus contrà Virginem primùm, deinde pro Virgine immaculata fletit

discipulo; seipsum, mutatione sui correxit; & primum consilium, posteriore castigavit. Verè Magnus; quia sui victor maluit videri veritatis amantior; quàm suæ sententiæ pertinacior defensor. Edidit ergò libellum de laudibus Virginis; & cur non laudaret illam, cui omnia debebat? Vbi sic scribit: *Hæc Virgo sola, ab illa communi regula excipitur; Omnes in Adamo peccaverunt.*

Supersunt duo Orbis lumina, D. Thomas, & D. Bonaventura: hic pro Principatu Virginis; uti & D. Thomas primis annis imitator sui, gloriosissimè laborarunt. D. Thomas in 1. sent. distinct. 45. quæst. 1. art. 3. ad 5. ita scribit: *Puritas attenditur per recessum à contrario; & ideò potest aliquid creatum inveniri, quo nihil est purius; potest esse in rebus creatis, ut nullâ contagione peccati sit inquinatum. & talis fuit puritas beatissimæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis: fuit autem sub Deo, in quantum fuit in potentiâ ad peccandum.* Vide cap. 10. in Salazar. & 1. distinct. 17. quæst. 2. art. 4. sibi ipsi persimilis ait: *In Virgine fuit depurgatio ab omni peccato; & ideò pervenit ad summum puritatis gradum: sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi.*

D. Thomas pro Virgine fuit.

S. Bonaventura mutavit sententiam & pro Virgine arma sumpsit

Oppono prætereà sanctum Bonaventuram, qui non inferior Divo Thomâ, gloriosè docuit, qui in 3. distinct. 3. & in speculo spoliat Virginem formositate suæ Conceptionis: at sui pœnitens facti, honorificentissimè laudes Virginis prædicavit. Sermone 2. inter alia sic scribit: *Dico primò, quòd Domina nostra fuit plena gratiâ in sua sanctificatione; gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset in Conceptione naturæ; nisi speciali gratiâ fuisset præservata præventaq;.*

Conceptio immaculata docetur à S. Bonaventura.

Nota quæ sequuntur. *Solus enim Virginis Filius fuit ab omni culpa immunis: ipsa Virgo, Mater tanti Filij, credendum est quod novo sanctificationis genere, ejus Conceptionis ac in ipsius conceptionis primordio Spiritus sanctus eam à peccato originali, quod non infuit; sed quod infuisset, redemit atque singulari gratiâ præservavit.* Quid præclarius dici potuit?

Sæculum Quartum Decimum.

HOc sæculum summâ gloriâ, oceanum profundissimæ scientiæ & sapientiæ Ioannes Schotus, vir sublimissimi ingenij pernavigavit: vir dignus longiore vitâ filius S. Francisci. Hunc tantum terris, veluti Phœnicem post multa secula, cælum ostendit. Flos virorum, utinam ad suum non expirasset exortum. Hic vir contractis omnibus animi viribus; pro naturâ, fervidus in Virginem studio, omnia subire certamina, provocare, Lacessere, Virginem attollere, omni celsitate altiorē decernere, incorruptam semper prædicare: hic vir per noua veritatis eruendæ tentamenta, pulcherrimis omnes Theologos supepervolitans pennis: non solùm Virginem ingenuam voluit esse, *quam* D. Thomas cogitur fateri servā: non solùm immunem à peccato originali docuit, quam Thomas dixit obnoxiam; verùm etiam propter magnitudinē celsissimæ dignitatis Virginem nec illigatam, aut obligatam debito incurrendi peccati fœdissimi; primus docuit, & evicit, gloriosior omnibus mortalibus. in 3. distinct. 3. quæst. 1. Quanti est unus vir? quanta potentia ingenij, dominari in foro, in rostris pulpitisque regere populos, omnes ad se trahere! Hic vir ita Parisienses, suarum firmitate rationum, vinculisque solidis perorans, victorque alterius partis, constrinxit permovitque; ut decretum quod tempore Alberti Magni contra Immaculatam Conceptionem fuerat evulgatum, rescinderit, cassumque voluerit. O Vnum dignum æternitate! Vetuit prætereà nobilissima Academia in scholis rescissam à se sententiam doceri: & in abolitionem sui decreti statuit inexpugnabili firmitate neminem Laureâ Doctoris ornandum, vel ad gradum dignitatis admittendum; ni prius in Immaculatæ Conceptionis defensionem iurasset.

Quantus vir fuerit Scotus ex sacro ordine S. Francisci.

Novo diadem ate coronat S.S. Virginem docetque non solum non obnoxiam originali, sed nec illigari potuisse.

Contra immaculatam conceptionem factum decretum rescinditur.

Refert Palbertus lib. 2. stellarij propos. 1. art. 3. Scotum ab Academiâ accersitum, Angelicâ vi & potentiâ ducentis argumentis obiectis, solutisque ita omnibus suâ ubertate satisfecisse; ut Angelicus Doctor dici potuerit. Quare & triumphale nomen assecutus, ab omnibus victor proclamatus. Stupenda vis ingenij in Viro virtusque. Hunc virum, sanctissimus Ordo prono agmine & studio secutus; pro Virgine Immaculatâ, tanquam pro aris & focis, & pro vitâ decertat.

Exactio iuramenti pro immaculata conceptione à promovendis.

Scotus 200. rationibus omnes convicit, ac victor proclamatus.

Unum inseram dignum non modicâ admiratione, Reverendum Patrem Herveum, Ordinis Prædicatorum Generalem Ministrum, Immaculatæ Conceptioni aliquando adversarium, transivisse ad castra partis adversæ, ad illa verba, Epist. 2. ad Corinth. cap. 5. *Ergò omnes sunt mortui: Omnes*, inquit, *itaque mortui sunt in peccato, nemine excepto: dempta Matre Dei.*

Extulit ergò sæculum triumphos, & spolia salmacida; id est, sine sudore & sanguine ut sæculum hoc nostrum 1600. & multis retrò annis præcurrens sæculum. Eodem sæculo ex sacra Academia Parisiensi, in Hispanias remigravit ardentior cultus sacræ Conceptionis; quamvis & esset in pretio, transilijt tamen decretum D. Doctorum Pariensium, quod & ibidem ad hæc tempora vegetum, & quasi perpetuâ iuventâ consedit.

Decretum sacra Academia Parisiensis Hispania suscepit.

Ioannes Primus Rex Aragoniæ famâ Virgi-

Ioannes I. rex Aragoniæ vetuit contrariam sententiam doceri cum proscriptione bonorum & exilio.

Virginis, eiusque inviolatâ innocentiâ vehementer excitatus, edicto sanxit, vetuitq; contrariam sententiam doceri: Nec hîc stetit Principis magnanima pietas; verùm est exilium, & bonorum proscriptionem & interminatus, ausuro in pulpitis Virginis *Immaculatam Conceptionem lædere.*

Sæculum Quintum Decimum.

HOc anno consedit Romæ Alexander ex ordine sancti Francisci, sancti Petri Hæres. Hic privatus in 3. sentent. distinct. 3. & Pontifex dixit pro Immaculata Conceptione: & anno Domini 1411. dicitur statuisse ab omnibus eam complectendam. Eodem sęculo anno 1434. Concilium Basiliense communi suffragagio *Virginem immunem à peccato originali.* sessione verò 36. *solemnitatem in tota Ecclesia* peragendum instituit.

Anno 1440. Vincentius Ferrerius, ingens Orbis miraculum nobilis Ordinis S. Dominici filius, qui sermone 2. de Nativitate expendens illa verba; *Fiat lux*, de Conceptione sic fatur: *Non credatur, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed quia statim atque anima fuit creata sanctificata; & statim Angeli fecerunt in Cælo festum Conceptionis.*

Miratus sum Petri Apollinaris Poëtæ ingentem spiritum:

Salve Virgo Parens, labes quam vetusti
Per tot ducta gradus,
Te, dum conciperes culpa quicumque negarit
Immunem, brutis nil sapit ille magis,
Huic aut vipereo mens est infecta veneno,
Aut illum teter spiritus exagitat.

Quantus sit Alfonsus, nemo ignorat, qui vixit anno 1440. & super Prologum Ieronymi cap. 6. sic scribit: *Beatam Virginem sine omni macula conceptam nullo modo nego; sed confiteor, quamvis oppositum docere, non sit magnus error; nisi pertinaciter dicatur, volendo aliquid de perfectione Virginis detrahere.*

Hoc sæculo Immaculatæ Conceptioni contulit admirabilem lucem, robur Sixtus Quartus Pontifex, qui anno 1476. tertio Kalendas Martij, extravagantem dedit, cum perexcelsâ orationem de reliquijs & veneratione sanctorum, in quâ omnes fideles, & totam Ecclesiam, ad Immaculatæ Conceptionis festum celebrandum, laudibiliter hortatur.

Academia Coloniensis ceteras fervore academias superavit hac actus internos voluit obligari iuriurando.

Hoc eodem anno, aut certè proximo, Universitas Caloniensis, Almam Parisiensem novâ ratione superavit: non enim iureiurando voluit obligari actus externos; verùm & sensum animi iuramento, in Conceptionis gloriam devincere; ut & sentirent, quæ profiterentur, vera esse; nec clitum in mentem quippiam admittere, quod Immaculatę Conceptioni repugnaret. Multi alij in arenam Agonistæ magno clari ingenio prosiliêre: quales fuêre Gabriel Biel, Marsilius; sublimis Doctor, & de Theologiâ bene meritus.

Sæculum Sextum Decimum.

Nova defensiones & machina pro immaculata conceptione.

NOn est africa tàm opulenta messe, quàm hoc sæculum fœcũdum Virorum Magnorum. Moguntina Academia imitata alias iuramento, ivit in defensionem Immaculatæ Conceptionis. Alexander Sextus, sanctionem Sixti Quarti innovavit, & gravioribus pœnis turbatores coërcuit Ambrosius Catherinus ex sancti Dominici familia strenuè & magnificè pro innocentia Virginis laboravit.

Nostra Societas conatur imitari alios sacros Ordines.

Ditavit Deus innumeris magnisque Viris tot sacros ordines: placuit & illi, & nostram societatem Magnorum Ducum rarâ exquisitâque sapientiâ fœcundare. æmulata est omnem venerandam Antiquitatem, & æmulando adolescit trophæis, & excitatur aliorum sacrorum Ordinum gloriosis triumphis, ut tota quanta est, procurrat in Virginis defensionem, unum illi negotium; hoc unum curat nec aliud; quàm ut Virginis gloria propagetur, movet lacertos, & omnes vires advocat; ut aliquid possit conferre in admirationem tantæ Principis. Felix ter & amplius, cui contigit ejus magnitudinem ostendere. Quæ non elaboravit P. Suarez, Vasques: hunc Scoto: illum Divo Thomæ bona pars Orbis proximè æquari vult: gobis verò socijs suffi it ut adorent vestigia tantorum virorum, & signa sequantur. Quæ non Salmeron; Cardinalis Toletus; Robertus Bellarminus; Salazar, elaboravit; Pater verò Cornelius à Lapide totus ebullit in laudem Virginis.

Finio: (nec integrum, modò commememore filios, & nepotes fundatoris Ignatij, qui veluti hæredes sui spiritus continebantur, velut in lumbis Abrahæ Patriarchæ) tota dein societas, toto orbe dispersa, & oceani divortijs disiuncta, dextras & lacertos extendit in Virginis Immaculatæ Patrocinium, parata aut vincere, aut mori. Possum illud Scevolæ etsi in alio genere, huc transferre; ut sciat Orbis, quos Viros alat Jgnatius: non solùm Trecenti; verùm omnes accincti sumus excidium hæreticorum, & in Virginis propugnationem.

Unum dictu mirabile. Plures quadringentis, suos labores orbi peperisse, orbe ipso inter se dissitos; nullum tamen ex his omnibus in contrariam, titubante iudicio, descendisse sententiam. Adeò altè in omnium animos Primi fundatoris amor in Virginem illapsus est, cui debet suam originem, & incrementi conservationem.

LIBER

LIBER SECVNDVS

§. I.

Sit nunc secundus Liber, qui causas proferat cur totus Orbis cum suo sacro Capite pro Immaculata Conceptione ita fortiter laboret depugnetq́.

NOn caret magnitudine miraculi, totum Orbem militare pro unâ Virgine; nec reliquum esse locum, qui non inardescat in amorem Virginis Immaculatæ. An non per totum, quà patet Imperium Christianum, vox Sedis Apostolicæ pro sententia detonuit? Quid iustius quàm Matrem Dei, materno fœdere Filio suo purissimo cum summa puritate sociare? quàm testari illam non meruisse stipendia dæmonis? nec illi fuisse tributariam? Quid illi pro cetera felicitate potuit accidere magnificentius? quid gloriosius, quàm nunquam gestasse stigmata originalis peccati, quæ tota circumfert mortalitas?

§ II.

Prima causa, cur Orbis tanto populorum conflictu & ardore provideat Immaculatæ Conceptioni. Fœditas peccati, eiusque effectus stimulat totum orbem.

Fœditas peccati quia lepra quia cæcitas, quia mors.

PRimam causam sanctorum motuum, & ardoris; fœditas intolerabilis, & horror monstrosus peccati originalis suscitavit. Hanc pestem funestam generi humano, aversantur omnes; nec patiuntur in sacram Virginis animam admitti. quid enim fœdius, quid prodigiosius, quid detestabilius peccato originali? ingens est fœditas unius peccati, ingens nequitia, ingens malum. Quarè & Lepræ comparatur, quæ homines castris, domicilijs, hospitalibus, sacris locis, ac denique hominum societate proscribit. Comparatur & vulneri incurabili, quod nullâ potentiâ humanâ; sed Divinâ solùm curari potest. Assimilatur cæcitati, quod omnem intelligentiam, & oculos mentis exstinguat. Assimilatur denique morti ferali, quòd vitam animæ tollat, & vitales spiritus, & motus veræ sapientiæ trucidat, & hominem in deditionem dæmonis redactum, subigat dæmoni, & per æterna sæcula à Deo dimoneat separetque. Ingens ergò malum, unum lethale

A peccatum: at quanto immanius Originale? An non omnium malorum fons, & diluvium omnium calamitatum, totum Orbem supremis malis inundavit? an non in hoc uno scelere omnia veluti in origine, & oceano, omnia scelera contenta, in nos dimanarunt? peccatum mortale quidem si quando grassatur; virtutes depopulatur, direptionibus infert vastitatem animæ, dominationem animæ virtutibus obsessam exarmat: odium Dei, amicitiam dæmonis parit, animam trucidat, & reum æternarum pœnarum oppignerat obligatque: at condonatum, nihil pòst à B tergo relinquit hostile; nisi contagiosum (nisi habitu & usu inveteratum fuerit) superest. Verùm originale etiam cõdonatum quæ non trahit secum latiùs naufragia? quæ non supersunt vestigia illatæ flammæ? & quis ea sic deleta sensit; nisi ingenti miraculo id fiat, ut gloriari non posset dæmon, fataliter incensæ, & adultæ animæ vestigia non exstare? per totam vitam adhærescunt semina tanti mali; nec exstingui aut suffocari, nisi cum vitæ interitu possunt. Spirat quid indomitum, ut vinci nequeat: venenatus surculus est parentum C nobis per institutionem insertus; semen nobis serpentino afflatu innatum, cuius fibram nisi cum cordis euulsione non sustuleris; nobiscum vivit, alitur, peregrinatur, reluctanti adhæreſcit, perennis & assiduus in nobis duellator. Quis cladem exprimat fatalis pomi? sinus & hominis pectus est arena æternæ luctæ; ubi difficilius est vincere, quàm vinci. An non omnia naufragia per orbem sparsa, quæ ubique densatis funeribus fluitant; ab hoc uno vento urente sunt excitata? Vocarim ego peccatum originale, diluvium omnium malorum; passionum scilicet & concupiscentiæ, inclinationis pronæ in malum, proD jectionis illecebra ad pecudum voluptates? an non inducit horrorem boni honestique? an non flagrantiam, & amorem rerum caducarum? an non debilitat veræ libertatis bonum? ut quod velit bonum homo, id ipsum nolit? an non præscribit leges suas contrarias rectæ rationi? an non enervat vires animæ, ut languidâ manu vix resistat malis? an non graviter sauciat liberum arbitrium, ut nec velit, necpos-

Malitia peccati originalis.

Comparatio originalis cum mortali.

Quale sit venenum peccati originalis.

nec possit bonũ agere per se; nisi gratiâ mediatoris adjutus, quamvis non sustulerit. Quidquid ergò est malorũ unum invexit mali hoc immane malũ: in hoc enim malo omnes effectus, & operationes supremi mali tanquã in semine radicato persistunt. Optimè ergò à S. Dionysio 2. de Eccles. Hierarch. vocatur habitus dissimilitudinis Dei, quo planè dissimiles efficimur, quia pertinaciter semper adhæret naturæ. Eiusmodi habitũ nõ inducit peccatũ mortale.

Per peccatum itaque originale privatur homo Iustitiâ originali sibi debitâ in primo parente; si is non peccasset. Nudus ergò & spoliatus Iustitiâ, in quâ nasci debuit; ut, filius, & amicus Dei nasceretur: per inobedientiam Patris B Iustitia violata; à Deo secedens, dæmoni venditus, in dominationem dæmonis translatus est: stirpem quippè suam universam, quam peccando in se, tamquam in radice vitiaverat, pœnâ mortis & damnationis obstrinxit primus parens; adeò, ut quidquid prolis ex eo, & simul damnatâ per quam peccaverat coniuge, (quamvis non peccante Adamo, crimen matris filius non cessisset in ruinam) per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret peccatum originale, quo per varios errores & calamitates ad extremum tandem traheretur sine fine supplicium. Nudatus ergò Iustitiâ originali Filius Adæ, tàm-diu filius iræ, & reus æternæ pœnæ iudicatur; donec Christi sanguine redemptus, filius Adæ desinat vocari. Sic clementiâ Salvatoris hostilitas pensatur, & tanta moles sceleris ad vocem Sanctissimæ Trinitatis undis infusis, more fulminis obteritur, quod quo momento venit, refugit. Huius rei imaginem reliquit posteris idem Sanctus Dionysius de Cælesti Hierarch. parte 3. ubi Catechumenus nudus & discalceatus ad Baptisterium deferebatur: nam sic attexit: Cùm eum qui accedit, superiori vitâ exuit, & usque ad extremos eius habitus exspoliat; tunc nudum eum, nudisque pedibus collocat occasum aspicientem, manuumque depulsione tenebricosæ vitæ commercium consuetudinemque respuentem, & sibi inditum dissimilitudinis statum, quasi exulantem, profitentemque nuncium se remittere ei, quod similitudini Dei est contrarium. I. Lector, & specta malitiã originalis peccati, quàm altè diffundit venenum sui, ut generet habitum dissimilitudinis Dei: quàm dissimilis à Deo per peccatum originale homo. Deus totus bonus, & ad omne bonum propensus pronusque: homo contrà totus malus, & ad omne malum proclivis. Deus totus rectus: homo totus tortuosus curvusque. Deus totus Spiritus: homo totus caro, nec nisi carnales meditans affectus. Ecce ut indu-

Iustitia ablata per Adami peccatum.

Baptizandus nudus & discalceatus est.

Quanta Dei dissimilitudo nascitur ex originali peccato.

A cit habitum dissimilitudinis Dei: sicut enim per gratiam efficimur Deiformes; cum per gratiam proveniat quædam similitudo inter Deum, & animam; sic peccato originali per absentiam Iustitiæ originalis efficimur diaboliformes: sicut per gratiam Christi hæredes Magni Dei; sic per peccatum hæredes dæmonis. Per Iustitiam amicissimi filij, Magni Numinis effiicimur: sic per hoc scelus jurati hostes proscriptique, & mancipia Tyranni Infernalis. Quis non horreat, tot tamque immania malorum diluvia in Matrem Dei congerere, tantam vastitatem immittere in animam tam nobilis augustæque Reginæ? Horret, & refugit mens, non dicò dicere, sed cogitare mancipium dæmonis, transisse per peccatum originale in partes iuratas, & armatam fuisse odio nefando contra eum, quem erat paritura, Dei Filium, & obnoxiam fuisse æternæ damnationi; quæ damnatum Orbem liberavit per Filium. An non horret animus dicere eam mortuam peccatis, quæ Mater futura erat vitæ? Filiam Dei Patris, fuisse Filiam peccatoris Adami, & cum Adamo dæmoni venditam, & suo stipulatu in translationem cessisse dæmoni. Pulchrè Laurentius Justinianus Sermone de Annunt. *Ab ipsâ Conceptione benedictionibus est præventa, & à damnationis aliena chirographo priùs est sanctificata, quàm nata.* Clariùs in libro de Connub. casti Verbi, & animæ, cap. 7. *Quotquot nati sunt ex ipsa propagine, excepto Mediatore Christo Iesu, & eius Matre, sub hâc lege peccati non sunt conditi.* Deindè percunctor, utrum horum sit formidabilius, & naturæ creatæ magis contrarium, carnis corruptio & solutio; seu ut Græcè λύσις totius hominis in cineres, an peccatum originale? Illa emenda esset magno pretio; & hoc vitæ interitu profligandum; an non causa machinatrix solutionis? Cùm igitur lib. de Assumptione cap. 4. & 10. definiat hoc pacto: quamquàm auctoritate non cogeremur, dixit se sentire non posse carnem Virginis traditam vermibus & corruptioni; & quis animam eius non horreat dicere, per originale peccatum subjectam fuisse & infami corruptioni, & dæmonis tyrannidi? an nõ est omnis corruptionis mergi oceano? Quare sano iudicio sancta Virgo etiam jacturam intemeratæ, & in tantum amatæ Virginitatis, si absque labe peccati tolli potuisset, originali culpæ prætulisset; & multò ardẽtiùs incorruptionem corporis, quàm corruptelam animæ, & quidẽ precariò defendisset. Tota ergò theatra sonant Immaculatam Virginis Conceptionem: tota Universitas exhorrescit fateri sanctissimã Virginẽ, quæ fuit domiciliũ, templũ, Altare, cælum, Dei purissimæ deliciæ atque unicæ; eamdem priùs superbi Draconis domicilium, tem-

Non convenit Statui tanta matris foeditas peccati.

Solutio in cineres præferenda originali peccato.

Verum nobilius Virginem esse Dei matrem, cum peccato quā non esset; si delectus esset in libera potestate.

plum altare, cælum, & delicias exstitisse; pro dolor! & instar Leonis, animâ per originalem prævaricationem prostitutâ, Virgini vim intulisse. Fremunt omnes hanc prævaricationem, & indignam Virgine, cum dæmone collusionem. Quare optimè dixit Corduba lib. quæst. Theolog. quæst. 49. *honorabilius fuisse; imò & debuisse recusare, deprecatiq; Materni nominis gloriam, quàm admittere conditionem labis originalis.* Addo ego tam nobilis & celsæ mentis fuisse Virginem, & vitam ipsam repudiasset; si in eius eam fuisset potestate non admittere, quàm admissâ reclamare. Cur hoc? Nullius quippè tanti est boni magnitudo, quæ possit redimere, aut ex minima parte fœditatem corruptionis per peccatum inductæ pensare.

Deus removet à S. Virgine omnes effectus originalis peccati, ergo & peccatum.

Claudamus hanc materiam duplici argumento. Hoc sit primum: Deus præ magnitudine amoris in Virginem, ab anima & oculis Virginis longè removit omnes peccati tam pœnarias actiones quàm pœnales operas & effectus peccati; qui vel absque decentia in statu viatoris admitti possunt, vel eos, qui peccatum comitantur, vel in peccatum inclinant: quales sunt motus primi, prælusiones passionum, nonnullæ humorum ex phantasiæ operatione commotiones, regnum denique corruptæ naturæ penitus exclusit. Cur non tyrannum regni proscripsisset? Fugerunt ergò ex anima extorres clientelæ, circumforaneæ turbæ peccati: ac peccati inoliti umbras refutavit, ejecit & prorsus exterminavit; an non ipsas meras tenebras? si corpus à morbis, à corruptione, & aliis damnis vendicavit; an non animam?

Nullū malum permisit Deus nisi ad majus bonū, quod bonum matri Dei ex originali?

Secundum argumentum ducitur à Dionysio Areopagitâ, & Augustino, qui sparsim hoc vtuntur axiomate: Deum non permittere aliquod malum, nisi propter maius bonum (Verbi gratiâ; mortem Filij sui, in salutem totius universi.) Struatur argumentum: Nullum bonum tantum fingi potest, quod malitiæ tantæ conferri possit; quid indè boni, tantæ Virgini potuit obvenire ex Dei permissu: contrà verò, quid non mali? Non ergò credibile, Deum pro sua bonitate non esse passum suæ Matri tantam malorum cladem inferri. Meritam ergò totus Orbis Deo Immortali gratiam, iustis honoribus, & memori mente persoluit. Tibi verò, ô Mater universi, faustissimis vocibus innocentiam, & victoriam de triumphato peccato gratulatur: exultantibus omnes vocibus vovent, & votis, sacrificiis, suffimentisque per omnes lætos applausus, omnia summa apprecantur. Tu es impollutus lectulus Salomonis, quem totus Orbis excubiis nocturnis, & diurnis stationibus munit. Non est sine ratione, populis omnibus atque Urbibus hic agnatus

A consensus, sic protegendus & amandus est honor Jmmacalatæ Virginis; ut se suaque præ Virginis incolumitate velint abjecta. Non hæc vilitas sui est, aut dementia, pro uno capite tot milliones hominum ferrum tractare, aut multis mortibus redimere Virginem ab interitu vacillantis pudoris? Tuam igitur incolumitatem amat uniuersitas: pro una Virgine tuenda omnes circumfusi ruunt, & latera obijciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum aut universorum experiuntur. Tu es vinculum, per quod Deo cohæremus: tu vitalis spiritus, quem omnes trahimus; nihil futuri omnes, nisi prædæ dæmonis; si tu, sidus beneficum, Orbi sub-

B traharis.

§. III.

Altera causa, cur Orbis testetur cum suis sæculis Immaculatam Virginis Conceptionem, Deus lux est, sit & mater Dei lux Gentilitiam suam tesseran vult Filius puram & matris tessera gloriatur.

Claritatem Immaculatæ Virginis, & perpetuam lucem quisquis sapit, metietur Filij claritate, & immaculatâ luce

C Filij sui. Quid Deus, nisi lux & claritas invisibilis? Deus lux est, & tenebræ non sunt ullæ in eo: 1. Ioannis 1. Nec solùm lux est; sed principium & fons lucis, à quo omnis, veluti à Patre luminum, lux descendit. Quare & neminem admittit in suum consortium; nisi fuerit filius lucis; qui ideò nos illustrat, ut filij lucis simus. Tota ergò familia Dei irradiatur luce & fulgoribus æternis; ut cælum sole, lunâ, stellis coruscantibus: tota Domus & aula Divinitatis lux semper obvia exundat. Quid est peccatum? nisi tenebræ, plusquam Cymmeriæ? nisi caligo infernalis? nisi lucis omnis extermi-

D natio? Amictus & paludamentum Magni Dei, lux est; *amictus lumine, sicut vestimento.* Psal. 103. In sole, fonte lucis posuit tabernaculum suum; & ideò lucem inhabitat inaccessibilem. 1. Timoth. 6. Quid ergò decentius, quid æquius, quid Deo dignius, quàm Deum puritatis, & lucis Auctorem, facto sacrosanctæ Incarnationis decreto, deligere sibi Matrem ex omni parte, & modo quantum fieri posset, sibi persimilem? ut illa in splendoribus sanctitatis; sicut ipse Filius in splendoribus Sanctorum ex utero Patris natus est, concepta nasceretur: & Virgini salutaris & purissima Conceptio, esset natalis dies omnis boni; quæ nobis est mortis? Alia origo eam exspecta-

Sit similis Filio.

exspectabat, alius status, quæ conceptura erat Deum: ut quæ lucem inaccessibilem, & fontem lucis omnis esset paritura, nunquam in tenebris vixisset; quæ semper totam lucem, nullâ discussâ caligine, quam nullam sensit, aspexisset. Decuit illam omni fulgore lucis fulgere; quam Deus voluit tot sideribus virtutum, lumen miscentibus irradiari. Quidquid circa nos iacet, hospitalis peccati sarcina premit; nos gemimus, nos ploramus; & hoc ipsum flere nascentis est, quia operti iugo peccati originalis. Deus ergò lux infinita præparavit sibi Matrem, ad cuius claritatem nullius desiderabantur suffragia, cui Conditor Deus & ortum, & initium omnis claritatis contulerat. An non pertinet ad dignitatem Filij, ingenuitas incorruptæ Matris? B
an non Filius, non ingenuâ, sed servâ natus, fert nomen indelebile servitutis? an non *gloria filiorum, Patres eorum*? Proverb. 17. Quis non sapientissimos optimosque voveret Parentes, si defectus esset in sua potestate? An non dedecorant benè nata, culpæ, & vitiosa parentum vita adhæret filiis? Sugit surculus trunci succos degeneres. An non Jonathæ optimæ felicisque indolis filio, Saul intempestivos amores suæ Matris obiecit acerbe? *Filius*, inquit, *mulieris rapientis virum.* Quis non erubuisset esse filius Octaviæ, vel Messallinæ? Descendunt altè in Filios dedecora parentum: quidni? Filij enim, & parentes sunt alteri ipsi. Hoc proprium & intimum Virgini; & Virginis Filio: ubi caro Matris, fit Filij; & Filij, Matris. Audi Arnoldum Carnotensem in lib. de laudibus Virginis: *Vna*, inquit, *caro Mariæ; ac Christi caro: unus Spiritus; una Charitas: unitas divisionem non recipit, nec secatur in partes.* Decet ergo Matrem assimilari Filio; an non moribus, vitâ, ortu, charitate lucis; ut non sint in Matre tenebræ, quæ nullæ sunt in Filio? ut hic nunquam in tenebris vixit; ita nec illa: ut ille impeccabilis ex naturâ; Mater sit ex gratiâ: quæ enim conventio lucis ad tenebras? *Lux Filij lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt*: 1. Joannis: sic & Lux Matris luceat in tenebris, & tenebræ eam non comprehendant. Quâ parte similes sibi dicentur? nisi illâ inviolata, ut Filius: nisi illa tota innocens, ut Filius: si nullæ obnoxia corruptioni; ut Filius: & quo modo erit similis Filio Dei; si illa contraxerit habitum dissimulitudinis Dei? an non prodigiosum, carnem Matris, esse Filij; & animam mortis & peccati labe corruptam, ac proindè dissimilem? Audiisti intonantem Anastasium Synaitam lib. 6. Anag. quæst. *Quis*, inquit, *ex hominibus aut dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ est eiusdem cum Deo essentiæ, quòd ad carnem attinet, non sit ad imaginem, similitudinemque eius, qui ex ipsâ natus est? quomodo est Mater eiusmodi Filij, non ferens illæsam sui-fætus imaginem; per gratiam scilicet.* Dignitas ergò Filij postulabat; ut Matrem, cùm posset, præpararet dignam, à qua nullus hostis ne minimum honoris violati fructum decerpsisset, aut florem saltem summæ pulchritudinis levi afflatu violasset. Hoc docuit D. Thomas citatus: *Cùm etiam minimum veniale mænibus; & regno Virginis exclusit; ut idonea, Mater Dei redderetur.* Non enim probaretur idonea; si portæ patuissent Virginalis animæ, minimæ maculæ. Nemo ergo probabit, Virginem idoneam in Dei Matrem, admisso fœdissimo peccato Originali. Horroris est illud admittere, indignum Majestate tanti Filij. Quid ita? tracturus enim originem ex corporis Virginei substantia, an non corpus per seminalem propagationem, & infusos concupiscentiæ ignes, deformatur? an non ingens deformatio mentis, quæ sentit in membris corporis legem repugnantem legi mentis, & rectæ rationi? Vulneratur ergò non solùm anima; verùm etiam corpus originalis vitij immedicabili telo; & utraque pars hominis servitutem patitur in lege peccati, quæ lex captivat mentem, ad Roman. 7. 27. & iterùm, *Scientes*, ad Roman. 6. 6. *quia vetus noster homo crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Quid est corpus peccati? an non corpus vitiatum corruptione peccati originalis? an quisquam erit præterea, qui audebit dicere ita pollutum fuisse Virginis corpus? ut dici debeat corpus peccati? quis audeat dicere Divinitatem unitam corpori, quod traxit originem ex corpore aliquando vitiato?

Filius serva matre natus servus dicitur.

Filius erubescat matris libidinem.

Filius est imago parentis.

Minimi peccati est exsors SS. Virgo.

Tu Lector, mentis tuæ fœtum considera: nunquid tuum verbum, non est mentis tuæ proles? an non simile tuæ menti, in mente procreatum? & qualis mens tua est; tale & verbum, quòd mens tua peperit: similis fœtus suo parenti. An non verbum mentis, dum literis & elementis vis exprimere, formaturus literas summo Principi dedicandas? an non curiosissimam mundissimamque chartam peracuratè conquiris deligisque? An non Sapientia æterna volens verbum Patris, elementis huius mundi circumscribi; opus fuit mundissimâ chartâ, mundissimo libro, purissimo cortice? Liber iste Genesis es tu, ô Sanctissima Virgo: tu es liber generationis Filij Dei Patris, in quo Deus Pater scripsit omnem suam sapientiam, & arcana rerum æternarum, quæ per te factus homo eructavit, & mortalibus exhibuit legẽda verba vitę æternæ. Et

Verbum est proles mentis, opus est mundissima charta ad verbum Patris scribendum.

Kkkkk 2 quid

quid esset mundus universus; nisi ex illo libro fontes & fructus hauriret sapientiæ, & sanctissima virtutum præcepta; nisi Barbaries, officina diaboli, lenocinium Veneris? & alluvies omnium immanium nequitiarum? An non foret execrabile, si dæmon nefarius, Virginis & Dei hostis suo stylo, suos exarasset corruptionis & nequitiæ primos characteres? an non indignum Deo; si Capitalis hostis ostenderet literas stipulationis factæ, & cihrographum Iuris Vindicis in suam Matrem? Clausus est liber omni mortali; Soli Deo patuit, ut verbum suum in eo describeretur: sicut & Virgo, Ezechiel 46. 2. 3. *est porta clausa, per quam nullus intrat, nec egreditur; nisi solus Princeps.* An non erubescunt Principes, viles & abjectos natales matrum suarum? An non studiosè celant, dolentque interruptam, & vitiatam stemmatis seriem ad posteros transmissam? Planè. An non erit pudor Filio Dei, stemma suum ab æterno Patre deductum, vitiato pudore Matris dedecorari? Quid delicatius scientiâ gentilitiarum tesserarum? quid illa censurâ morosius? quid effatu periculosius? Error penicilli; coloris incuriosa vacillatio, levis vacuitas sæpè classicum canit; si malè diviseris scuti aream, aut decussâris: sin verò galeas, quæ apertæ, quæ clatratæ, quæ rectæ, quæ versæ, quæ obliquæ poscebantur, ineptè per inscitiam posueris; an non deformâris tesseras gentilitias? & quidnam ad Majestatis speciem feceris? si sertum, si lemniscos, si flores, si florum colores adulteres, si fucum adhibueris; an non tesseras gentilitias corruperis? An magnarum familiarum stemmata, agnoscent suas? delicata & insuper curiosa censura, in minimo, à vero discedere. An Filij hominum tàm monstrosè diligentes suum stemma; ut nec fallere tutò, nec falli velint, & error inductus sæpè per gladios sanguine diluatur? Et Filius Dei incuriosus sui futuri stemmatis? Patieturnè inarari, insculpi, inscribi tesseras gentis infernalis, suæ sactissimæ Matris, suisque? charior est Filio, sua sanctissima Mater, quàm ullo pretio vel præmio pensari possit: non cælo, non terrâ, non toto Imperio Dei sui Patris æstimari potest dignitas tantæ Matris. Videmus altas familias, inæquali, & plebeiâ conjugij societate, excidere serie Magnorum Auorum. An non filij Dei Patris infinita nobilitas, dæmonis cum Matre consortio fœdata, labefactata propè concideret? nobilitas ergò Filij Dei, eiusque magnitudo vendicabat sibi Matrem paris nobilitatis & magnitudinis. Virgo ergò ben. d icta, velut terra sancta & benedicta dedit fructum sanctum & bene-

Scientia tesserarum gentilitiarum curiosa & periculosa.

Tesserarum forma.

A dictum. juxta illud Isaiæ 101. egredietur flos de radice Iesse, & quis ille flos florum; qui area scuti, seu tesseræ gentilitiæ incisus; nisi Filius Dei, Lilium convallium, desiderium collium æternorum? desiderium & cor Patris & Matris? & quæ radix; nisi sanctissima Virgo, ex cuius corde Virgineo processit, sicut ex utero Dei Patris, Princeps pacis Dei Filius. Quarè meo iudicio, illud Ieremiæ 31. huc commodè transferri potest. Ubi noster textus habet: *creavit Dominus novum super terram; fœmina circumdabit virum.* Sanctus Propheta non tam hoc novum vult; quod fœmina, Christum Deum & hominem esset complexura suis visceribus: verùm aliquid longè maius novum; quod scilicet creaturus esset novas duas personas, Matrem scilicet & filium, qui parentes prævaricatores redimerent & reformarent. An non ideò dicitur, creavit, quasi aggressurus novam fabricæ formam, novæ productionis Ideam, quæ primorum parentum creationem, novæ generationis miraculo repræsentarent? Hunc sensum, pleni Deo eruerunt septuaginta, qui sic habent: *quia creavit Dominus salutem in plantatione novâ*; quæ verba simul arborem ac fructum designant, per quem salus mundo creanda erat. Virgo erat nova plantatio, non ex Adami corruptâ radice; non erat illa tabula immanis communisque naufragij, sed ex Creatoris Dei, & Filij sui futuri, novâ & extraordinariâ potentiâ. Futura lux; ut Filius Orbis, & lux mundi, qui claritatem suam acceperat à Patre; ut suâ potentiæ magnitudine electam Matrem, suâ claritate, quæ omnes tenebras ignoraret, perfunderet; & foret similis Matri per 'οὐσίαν, qui suâ naturâ Divinâ simillimus per ipsissimam 'οὐσίαν est Patri, toto ergò vitæ decursu, duo, per miracula, & doctrinam, testificanda susceperat ardua opera: se scilicet esse filium Dei Patris; & pariter Filium hominis: se esse verum Deum in essentiâ Divinâ; & verum hominem in essentiâ & naturâ humanâ, & per unionem naturarum se esse Christum verum Deum, & hominem in unâ personâ. Quarè & tàm magnificè extollit humanam naturam in se, quam à Matre acceperat; Divinam, quam à Patre: utramque puram innocentem, dum ait: quis me arguet de peccato? Ubique itaque gloriatur se Filium hominis, non hominum, sed hominis unius, scilicet Virginis & fœminæ: sicut & gloriatur se Filium Dei unius Patris dum vero se nominat filium hominis; gloriosè deprædicat infinitâ suâ bonitatê, & ostendit quid pro nobis misericorditer esse dignatus sit, & quomodo magnificè gloriari posset de assumptâ, à Virginis visceribus carne. si per originale peccatum

Area scuti & tessera Filij Dei est Virgo SS.

Ieremiæ locus ex 7. illustratus pro Virginis tessera.

Filius gloriatur filiũ hominis nõ hominum.

peccatum fuisset vitiata Mater. Quomodo posset groriari, de stemmate adultero? quas tesseras gentilitias circumferre? quos flores, nisi vitiatos? quos colores in scuto, nisi hostiles? nisi insigne debellatæ animæ, & sub iugum missæ? At Filius hominis extulit præconia, & vexilla suæ sanctissimæ Matris. Dum apud Matthæũ, Lucam, & Ioannem, paucis apud Marcum, plenis plausibus, densatis locis vocat se filium hominis. Matth. 10. 11. 12. 13. 19. 20. Lucæ 22. *Osculo filium hominis tradis?* Ioannis 12. & Matthæi 12. *Dominus est filius hominis, etiam Sabbathi.* & Paulus: *Misit Deum Filium factum ex muliere.* Nota, muliere sine viro; alioquin agens principale nominandum erat.

Dei Filius imago patris per actionem immanentem.

Concludo. Dignitas ergò Matris metienda est Filij dignitate, quæ deposcebat adeò dignam Matrem; ut nulla ei creatura par, sic ut sibi quippiam posset adæquari. Floreat; vivat; regnet; triumphet Immaculata Conceptio in æternum & ultrà. Sanctus: Sanctus: Sanctus Filius. Sancta: Sancta: Sancta, Vnigeniti Filij Dei Mater. Optamus, vovemus, inauguramur tibi, ô Sanctissima Virgo Deipara & purissima, omni puritate post Deum purior, omnes laudes, omnem gloriam, omnem felicitatem. Unum impetrem rogo; ut merear te laudare, & de meis annis, augere, si fieri posset, æternitatem gloriæ tuæ, & in omnes transfundere amores tuos sanctissimos.

§. IV.

Tertia causa, cur totus dimicet orbis pro immaculata Virginis Conceptione est, quia Dei Patris Filia.

PVlcherrimâ totius Orbis acclamatione, comprobata est Immaculata Virginis Conceptio; pari applausu renunciata Mater digna tanto Filio: nunc evincendum; fuisse dignissimam Dei Patris Filiam. Sicut contra honorem, & dignitatem Filij Dei fuisset, nasci, nutriri, & Maternis officiis in grandiorem ætatem educari à Matre aliquando peccatrice; ita & indecorum Deo Patri, delegisse sibi huiusmodi feminam in filiam; ut ea pareret sibi Filium, qui posset publicari Filius mulieris aliquando prostitutæ. Sicut ratio imaginis in fæcundissima essentiâ Patris constituit Filium, quia Filius tanquam imago sui Patris per actionem immanentem ab intellectu procedit: ita etsi in alia ratione longè diversa, Filia creatura per gratiam adoptionis, quæ est participatio

Dignitas Matris & filij dignitate metienda.

A Divinæ essentiæ, est similis suo Patri Deo; cuius refert imaginem. Hinc & illa verba: *vt sitis similes Patri vestro.* & quamvis omnes homines, ut alibi dictum est, per gratiam adoptionis efficiantur filij Dei, prout ait Petrus 2. Ep. 1. *Consortes Divinæ naturæ facti; undè cùm apparuerit, similes ei erimus*, Ioannis 13. tanquam filij & hæredes vitæ æternæ; attamen longè altiori celsitudinis modo, Mater Dei potest, & debet dici filia Dei Patris; qui modus ingentem disparitatem, inter filiationem ceterarum animarum, & Matris Dei constituit. An non homines peccato deformati, à Deo deserti, Deoque mortui sunt? Planè. An non per gratiã adoptionis B vivificantur, reformantur, & quasi de novo creantur, juxta Petrum 1. Petri 2. *Quasi modò geniti infantes; quasi nova creatura*; ita ut possint, & debeant dici non geniti; sed regenerati, recreati, & quodammodò postliminio, ut ita dicam, repossessi, & suo antiquo possessori & vero restituti, & bello, & belli sanguine redempti vocari; & hàc in parte dissimiles Patri suo exstitêre. At Virgo semper intacta, sancta & immaculata semper in possessione immobili, firmeque fundata persistens, æterni Filij productionem, & generationem magis adumbrat. Sicut Dei Filius simillimus Deo Patri par naturam: ita Virgo sanctissima per gratiam originalem Filio suo similis; qui origine æternâ sanctus Sanctorum; & hæc, C in origine suâ, sancta sanctarum, & sicut filiatio Filij æterna est: ita & Virginis adoptio æterna. An non ideò Ieronymus in cap. 4. Ezechielis, vocat *Virginem æternam*; quia ab æterno ordinata, ab æterno possessa semper vera filia, & semper immaculata. Non igitur ut ceteri filij adoptivi regenerati, & quasi de novo creati, ex projecta veteris Adami forma, in novam formam transfugi. An non ideò *Primogenita ante omnem creaturam?* Ecclesi. 24. an non ideò dicitur 24. 16. 14 *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, & iterum: D *Eram ludens coram eo omni tempore; eram cum eo omnia componens.* Proverb. 8. Par Filio, quantum Creaturæ dari potest, qui est primogenitus Dei Filius. Illa præterea unicus Phoenix, & unica filia: ille unicus Dei Patris Filius. Illa, in qua semper Deus Pater sibi complacuit per gratiæ constantiam: ille, in quo semper Deus Pater sibi complacuit per naturæ consortium. Filius Dei naturalis; nec adoptione sanctus: hæc gratiâ conditoris, & Iustitiæ fontibus undiq; perfusa. Per similes ergò Deo Patri, Filius & Mater filij, filia, ab uno Deo Patre progeniti: Filius generatione naturali: illa generatione gratiæ supernaturalis. Deindè, ut suprà dictum est, cùm Sanctissima Virgo habeat unum &

Alio modo Sanctissima Virgo dicitur filia Dei quã ceteri homines.

Ieronymus vocat Virginem æternam.

A & eumdem communẽ cum Patre Filium; & idem qui Filius est Dei Patris; sit & Virginis Matris Filius, in una eadem persona subsistens. Quid ergò miraris? si Deus Pater voluerit, & ex ratione tam Divina, quàm humana; imò & legibus nobilitatis, & naturæ, quæ semper sibi simile poscit & generat, Virginem sanctissimam omnibus privilegiis, & gratiis, & favoribus præventam, omni dotati bonorum possessione, & regni sui hæreditate decreta felicitari, & denique maiori & abundantiori puritate, integritate, quàm in omnibus simul collectis possit reperiri, præpollere, fulgere; ut suo Patri, qui spiritus purissimus, filia in sua carne, quantùm fieri posset, assimilaretur; & in carne B vivens, spirituum omnium purissimorum purior, supremam excellentiam longo intervallo post se relinquens, exsuperaret. Voluit præterea Deus Pater in Virgine Matre, suæ generationis æternæ, quâ sibi filium æternum genuit, quantum fieri posset, imaginem repræsentari: ut Filius, qui suæ essentiæ imago, & character; idem esset character, & imago sanctissimæ Matris: ita ut qui viderit Filium Virginis; videret & eumdem esse Filium Dei Patris, in una scilicet persona fabricatam ex Divina, & humana natura imaginem quis hanc; si ex tenebricosissimo tartareæ plagæ carcere fuisset extractam, & ex C generatione debita dæmoni, natam diceret? Hoc contumeliæ vulnus ut declinaret Divus Augustinus, Sermone de Assumptione, non dubitavit Divinam animam Virginis scribere formam Dei, cùm ait: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Noluit sanctissimus Doctor, ne quidem per vmbram, aliquid formæ diabolicæ introductum in animam sanctissimæ Virginis: noluit exstare suspicionem vestigij, cùm nullus eam calcasset; Dæmonem ipsum calcatura. Hoc ipsũ Augustinus lib. 1. de Conceptione, cap. 13. novo Elogio confirmavit: *Quis,* inquit, *dicere poterit. Sine peccato natus sum, aut mundus ab omni iniquitate; nisi illa Virgo prudentissima, animatum Dei templum, quam D Deus sibi praelegit ante mundi constitutionem; ut sancta, immaculata esset Mater Dei; & Filia esset reservata, incorrupta ab omni labe peccati?* Et quid iustius? quid æquius, & rationi, & hominum iudiciis publicis convenientius, quàm Regem Patrem Filio suo procurare Matrem dignam suâ Majestate? Regius sanguis sanguinem Regium poscit: infausta, & malè ominata, quæ amore & non iudicio peraguntur connubia; si præsertim stivæ in sublime stemma; & domus plebeia commigret in aulas Principum; & caula fiat aula; & stabulum Pastorum, Conopæum Regij sceptri: omne dispar, dispares animos facit. Benè Poëta.

Filius character Dei Patris: Sic & S. Virginis.

Augustinus vocat animam Virginis formam Dei ne videatur fuisse aliquando obnoxia dæmoni.

S. Virgo animatum Dei templum.

Regius sanguis regium poscit sanguinem.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuvenci.
Tam premitur magno coniuge, nupta minor.

Et Seneca in Agamemno.

Nec regna sociam ferre, nec tæda sciunt.

Addo ego imparem:

Non honor est, sed onus, species læsura ferentes
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

An ergò Deus, manus feminæ, dæmoni famulas & iunctas fœdere impio tolerasset, voluisset per obsequia Materna Filio suo famulari? in suam Regiam domum induci non Virginem? tota natura reclamat, & horrescit. Ordo stemmatum nobilium, & familiarum alto sanguine per connubia cunctarum, curiosè semper exhibetur: in posteros enim utriusque claritas redundat; & fuscat obscuratque disparilis, vilisque congressus Nepotum famam. Clodoveus primus Francorum Rex Christianus, sacris undis tinctus, infames bufones permutavit tribus sacris Liliis cælo missis. Quare & Gens Francica, Liliata dici potest. Rex sapiens, turpe iudicavit & nefarium, maritare Lilia, bufoni. Quas tesseras Virgini in originali scelere conceptæ dabis? an bufonis tesseras voles inseri tesseræ Divinitatis, & areæ scuti Cælestis? Inferat Virgo tesseras suæ innocentiæ purissimæ, in domum Dei purissimam: celebretur hymenæus purissimus sine culpâ.

Gens gallica quare habet tria lilia.

§. V.

Maior & illustrior elucidatio est necessaria, ad huius Elogij claritatem.

Ardua hæc nobilitas, de parvâ parte cognoscitur; nisi maior intelligentia interveniat. An non Deus ex verâ germanâque Iustitia Pater dicitur, & adoratur? Deuteron. 32. nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & creavit te? Deum, qui te genuit, dereliquisti; & oblitus es Dei Creatoris tui? Isaiæ 1. Filios enutrivi, & exaltavi; & ipsi spreverunt me. An non totus Orbis clamat: Pater noster. Gentiles Poëtæ cecinere Deum Patrem. Virgilius 4. Georgicor.

Omnes gentes Deum Patrem.

Ab Iove principium musæ: Iovis omnia plena.
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Et Æneidos 6.

Principio cælum, ac terras camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Inde

Indè hominum pecudumq; genus, vitæq;
Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

Statius lib. 5. Thebaid.

Mente fluunt cuncta hæc, superûm demissa suprema.

Quàm paucis, Plautus Regij animi in servili corpore, in Rudente:

Qui Gentes omnes, mariaq; & terras movet, eius sum civis.

Civitate cælitum & magno spiritu Lucanus l. 6. belli civil.

Estq; Dei sedes, nisi terra, & pontus, & aër.
Est cælum, & virtus, superos quid quærimus vltrà?
Iuppiter est, quodcumque vides, quodcumque moveris.

Deus ergò maiore veritate Pater est, B quàm ipsi genitores. Hoc docet Damascenus lib. 1. de fide cap. 15. principalius Deus Pater noster est, qui ex nihilo nos ad esse perduxit, quàm illi qui nos genuerunt: ipse enim inserit parentibus vim generandi, à quibus ortum trahimus. Et Basilius lib. 2. contra Eunomium: Propriè primò, & verè dictus est Pater, cùm per corporeos hos parentes à nihilo nos ad esse perduxit. Providit enim, ut Seneca in Hyppol.

Maximus mundi parens, cum tam rapaces cerneret fati vias,
Vt damna semper sobole repararet nova.
Benè: nam quidquid est, refluit causa, quæ dedit esse.

C Quare & Magnus Paulus intonuit in Magno Areopago Acto. 17. 28. ipsius genus sumus, in quo vivimus, movemur, & sumus. Communis ergò Pater, omnium Dux cùm sit, & nos filij; altiori tamen mente, & curâ extraordinariâ quosdam ad eminentiorem attollit conditionem, & quasi sub corde natos fovet, & educat suo regno, suiq; proximos hæredes. Roma 8. accepistis spiritum adoptionis, filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, & Galat. 5. misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quantæ autem dignitatis adoptio sit; dictum est.

D Veniamus nunc ad nodum difficultatis: quo pacto sanctissima Virgo possit, & debeat vocari; imò & iure vocetur sola præ ceteris filia Dei prædilecta, adoptata. Quis ignorat homines per gratiam ad summam provehi dignitatem, ut altiùs creatura elevari non possit. Quis ignorat apud homines per adoptionem, plurimum dignitatis adoptato succedere, cùm adoptatus in familiam transeat adoptantis. Vide leg. per adop. & emancip. Vndè & Senatoris filius is dicitur, quem senator sibi per adoptionem emancipavit *l. Senatoris filius ff. de Senatoribus.* quare & eodem originis iure, in honoribus ac muneribus suscipiendis filius potitur, quo & fruitur Pater. Homines ergò per spiritualem adoptionem transeunt in familiam Christi Domini, filij Dei, & cohæredes Christi transeunt in societatem hæreditatis Paternæ.

SS. Virgo quo potiore iure vocetur Filia Dei.

Nunc aperiendum est, quid vltrò accesserit sanctissimæ Virgini, vel quæ possit dari maior accessio dignitatis. Dicimus ergò Virginem sanctissimam potiori iure vocari filiam, quàm cetera turba hominum; tam ex parte creationis, quàm ex parte, & titulo adoptionis. Dicitur ergò germanissimè, iuxtà ac eminentissimè filia Dei Patris; sicut eam vocat Laurentius Iustinianus in Nativitate Virginis: æternam scilicet Dei Patris Filiam prædilectam; quasi diceret, præ omnibus electam, charam, & vnicam; quam & sororem vocare dignatus est. An non ideò, quia in filiis Adæ, generatio naturalis proximum habet culpæ fundamentum non dicuntur creari, quia in Patre vitiato & exoso, vitiata & corrupta creatio, meliori parte compositi fuit? Vndè & totus homo verè non creatus; sed vitiatus, sed defœdatus vocatur. Quare Deus non agnoscit in vitiatâ propagine imaginem suam; sed adulteratam, notâ dedecoris infamem, dignâ cremari. Virgo autem sanctissima verè & nobiliter creata dicitur filia; dicitur filia Dei Patris, quia generatio naturalis in eâ non habet minimum culpæ, vitij, vel odij fundamentum: vndè & illa sola creata dicitur, & dici debet, iuxta illud Proverb. 8. nondum erant abyssi, & iam concepta eram. Eccles. 24. ante sæcula creata; qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Ipse creavit illam in Spiritu sancto; ecce ut generatio tota quanta sit spiritualis, corruptionis & vitij expers, ut totius operis sit Deus artifex; & quidquid in Virgine est, sibi vendicet. At aliæ creaturæ, quarum etsi verus Creator existat, non recognoscit in illis, quod suum sit; non opus manuum suarum, sed hostis vafritie & adulterio corruptum.

SS. Virgo filia dilecta.

Virgo SS. dicitur à Deo Patre.

§. VI.

Quâ ratione propriè vocanda Filia Dei Patris.

Omnes tenemus firmâ fide, non solùm animum à Deo creari; verùm & ipsam corpusculi structuram, & ossium nervorumque compagem à suprema causa formari. Vndè Machab. 2. c. 7. ubi hortatrix filiorum, invicta, Virago; sic suos alloquitur leones: *Neque enim spiritum, & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego compegi; sed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem.* Verè prima omnium effectrix causa, minima ossium compingit; iuxta Davidem Psalm. 138.

Deus omnia & singula membra creat.

 Non

Non est occultatum os meum à te; quod fecisti in occulto. Imperfectum meũ viderunt oculi tui, ac proindè mirabilis facta est scientia tua ex me. Et Diuus Augustinus Epist. 145. ad consen. pro fid. *Quod autem quæris, utrùm sigillatim à Creatore Deo corporum lineamenta formentur, non te movebit si quantùm humana mens, potentiam Divinæ operationis intelligat. quomodo enim negare poterimus Deum & nunc operari cuncta, quæ creantur; cùm Dominus dicat Ioannis 5. Pater meus usque modò operatur; nam si Deus ista non format, quomodo accipi potest: quod fœnum agri, quod hodie est,* Matthæi 6. *& cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; nisi fortè credendum est, fœnum à Deo ut corpora non formari. Paucis absolvo.* Hanc quæstionem absolvit Job 10. *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.* Et pulchrè Paulus 1. Corinth. 15. *Non*, inquit, *quod seminas*, non corpus quod futurum est, seminas; sed *nudum* granum, *ut puta tritici*, aut *alicuius cæterorum* Deus *autẽ dat illi corpus, sicut vult, & unicuiq; seminum corpus*, non dixit, dedit aut disposuit; sed dat; ut Creatorem intelligas sapiẽtiam rebus, quæ quotidie oriuntur, adhibere. Et Jeronymus Epist. 61. inter secretas, ventris angustias Dei manus semper operatur. Et Cyrillus Jerosolymitanus: *Deus est, qui in ventre etiam fabricat infantes.* Et Augustinus in Enchirid. cap. 24. 25. 27. *& hominum de damnata, & vitiata propagine nascentium formare semina, & animare, & ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia; vegetare sensus, alimenta donare.* Sanctissima ergò Virgo, quo Patre triumphans gloriatur, non alio, quàm ipsissimo Deo? *Dominus*, inquit, *possedit me initium viarum suarum.* Proverb. 8. num. 22. quia primogenita omnis creaturæ. Hoc aptè Jdiota cap. 14. in Virgine contemplans ait: *Inter omnia cætera opera opificii, post operationem illam, quâ natura nostra unitus est Filius Dei; speciale opus tu fuisti, ô beatissima Virgo: qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opifitio, quod fuerat deformatum, per te reformaretur.* Et Concilium Basiliense sess. 36. *Sublimiore sanctificationis genere redimimur, cùm fundaret eam Altissimus in domum, in quâ habitaret.* Et sicut in Salomonis templo, nullius mallei sonitus fuit auditus in reverentiam sanctitatis: ita in fabricâ corporis Virginei, nullus accessus vel libidinis, vel afflatus spiritus dæmoniaci intervenit. Et sicut gloria Domini implevit templum Salomonicum: ita gloria Dei Patris implevit templum, corpus purissimum; parentum scilicet corpus, in quo, & ex quo Virgo Mater Filij lætam, & intemeratam duceret originem: *Non enim*, Doctore Jldefonso, *Maria Virgo, sicut cætera puella nasci solent, nata est; sed de Annâ sterili & inerti; Patre arido & effœto, mundo corde, & corpore. ex his præparavit sibi Matrem; qualis nec fuit, nec unquam futura.* Si Ioannem Baptistam Parentum sanctitate, & ortu prodigioso clarificavit Deus: cur non Matrem? Pulchrè Chrysologus sermone 91. *Elizabeth sancta, partus ablatus non est; sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, conjugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum, quod humanam confundit, onerat conscientiam: mundabatur longo tempore, sacrificij domus, sanctitatis hospitium; denique tota domus sedata querela est, & in totum facti sunt sine querela. Mox sterelitas fugit, reviviscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur major homine. Addo, & qui vixit supra hominem: natus quippe est de sancto corpore sacerdotis, & summâ senectute, ab omnibus vitiis exẽpto, atq; matre exempta bullientis juventutis incendijs.* Claruit ortus miraculis Ioannis: & non Mariæ clarescet, in cuius Cõceptione non causa voluptatis; sed sola cogitata est gratia prolis? Quare audet Galatinus lib. de arcanis 7. cap. 8. affirmare, *in actu generationi debito fomitem fuisse exstinctum: si quidem devotio, & spiritualis animi oblectatio, quidquid erat corporeæ voluptatis, exstinxerat.* Et Damascenus Oratione 1. de Nativitate Deiparæ: *Ex fructu ventris vestri, immaculati cognoscimini. O castissimum par turturum ratione præditorum Ioachim & Anna!* Vndè & Bonaventura in distinct. 3. propos. 1. art. 1. quæst. 1. ad 4. dicit *Virginem conceptam naturali quidem generationis modo, absque vllâ culpâ, sine sensu libidinis.* Et Vincentius in Nativit. Deiparæ vocat *lucem benedictam, illam generationem Virginis, quia sine tenebris culpa facta est.* Ego vocabo auream & pretiosam horam. Damascenus in Oratione 1. de Nativitate Deiparæ, in has voces erupit: *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè stupenda! natura gratia cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens: quoniam itaque futurum erat; ut Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteverterere non ausa est; verùm tantisper exspectat, dum gratia suum fœtum prodxisset.*

Manus Dei omnia operatur.

Puritas Cõceptionis ex Parentibus aridis probata.

Concludamus has rationes fusè productas contracto pugno, Virginem scilicet potiore & debito, & non communi iure, verè vocandam Filiam Dei Patris.

Argumentum.

QVamvis omnes sancti filij adoptivi, & in Christi familiam transierunt; nihilominùs tamen servitutis veræ infamiam, & spurij nomen tulerunt. Quare & illegitimi, & infames bastardi nominati, & gentilitiarum tesserarum peccato originali admisso solidam, hæreditatem ruperunt. Diva autem Virgo peccati originalis immunis, hanc sententiam non experta, semper libera fuit; & tanquam æterni Patris filia semper gessit tesseras gentilitias Immaculatæ

culatæ

culatæ Conceptionis, & suæ originis innocentiam. Nibiliori ergò modo & iure filia Dei Patris, quam alij adoptivi. Reliqui sancti etsi filij sint Dei, & nominentur; Verè tamen filij illegitimi vocati fuerunt ex fœdissima fœdissimi Patris radice nati: *Vos*, inquit Christus, *ex Patre Diabolo estis, qui opera eius facitis.* Ioan. 8. Ut igitur detersâ tantâ infamiâ, & tanto dedecore à Deo Patre in amicorum, & filiorum spem possent admitti; adhibenda fuit stupenda, & admirabilis ceremonia, ut chirographum, quo servituti diabolicæ tenebantur obnoxij; morte & sanguine innocentis filij Dei redimerentur. Ut igitur legitimatio humana vim obtineret suam, rescriptio Principis publicabatur, evulgata in curiâ iuridici loci nativitatis eius, qui legitimabatur; & in curiâ eiusdem provinciæ legitimatio conscribebatur, quo pacto potestas succedendi obtinebatur; hæc in Francia formula legitimandi. Princeps ergò Regum Christus Iesus in monte, publico loco, in cruce velut in tribunali publicavit orbi remissionem peccatorum, & iussit omnes esse liberos atque legitimos; dum enim Filio Dei intulit exitium dæmon; iusto iudicio in vindictam sceleris perdidit, quos immani dominatione pressos tenebat. Quod divinè sanctus Leo Pontifex electiori sententiâ declarat: *Omnium captivorum amisit servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem: fefellit illum malignitas sua; intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filijs hominum verteretur in remedium: fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo, & pretium esset & poculum: admisit in se impias manus furentium, quæ dùm proprio incumbunt sceleri, famulata sunt Redemptori.* Hanc publicationem sensit universus Orbis: templum in primis Orbis; dùm velum templi scissum: dùm sol amictus tenebris & atratus: dùm terra motibus agitatur: dùm petræ scissæ; & mortui, facti redivivi sepulchris apertis: dum immanes carnifices tundentes sua pectora, & vulgarunt suspensi divinitatem in loco sepulti omnium genitoris. Quantum autem gaudium universitati exortum, dum Posteris Adami illegitimis, pristinum filiorum legitimorum est jus, & decus restitutum; cum hæredes, & filij adoptivi proscriptâ ante libertate & hæreditate sunt declarati. Nibilior conditio Virginis, cuius nec nomen, nec honor fuit obscuratus; nunquam illegitima dicta nunquam exhæredata; cuius gentilitiæ tesseræ nunquam interruptæ, vel tigillis, vel dimidiatione notatæ: nunquam serva, nunquam ancilla dæmonis dicta; sed semper filia Dei Patris. Bastardi non ferunt gentilitia arma, nec insignia domus, nec nomen: nomen est, quod æternas familias parit atque conservat: miror tamen nomen permitti.; & non bona, cum illa nomen bonum non adæquent vel superent: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ, vel quam unguenta pretiosa.* Ecclesiast. 7. & 41. Curam habe de nomine bono; hoc enim magis permanebit, quàm thesauri multi. Placet illud Isocratis, Πολλῶν χρημάτων κρεῖττον ὁ παρὰ τοῦ πλήθους ἔπαινος: *Bene audire apud homines, præstat omnibus divitijs.* Ancillam iubetur eijcere ex domo suâ Abraham: Genes. 21. v. 10. *Eijce*, inquit *ancillam* hanc concubinam, scilicet *& filium eius; non enim erit hæres, filius ancillæ.* Felix ergò, & ter ampliùs felix Virgo, quæ in tua felicitate donata, semper constans perstitisti, numquam ancillata per obsequia tyranno; sed semper libera, quę filium tuæ humanitatis, & Patris Divinitatis consortem genuisti, hæredem Imperij Paterni. Quomodo ergo non filia Dei Patris, quæ filium Deo Patri genuit? filij sine Patre. Deindè filia diceris ratione creationis, quia non ex tabulis naufragis Adamiticæ stirpis, non ex reliquijs damnatæ; sed novâ formâ factionis creata: manus enim Dei summi Opificis creaverunt te, & plasmaverunt totam in circuitu. Ipse creavit te in Spiritu sancto Ecclesiastici. 1. non in illuvie originali. Quare & Damianus sermone 1. Vocat *Virginem Deificatam.* Bernardus sermone, super *Signum magnum*, dicit *Familiarem factam Domino, quam proximam, quam intimam Deo.* Thomas 1. quæst: 25. à 6. ad 4. dixit *Virginem habere quandam infinitam dignitatem ex bono infinito.* Tandem necesse est fateri cum Bonaventura in speculo Deiparæ cap: 10. *Ipsam esse, quâ Deus maiorem facere non potest.* Quare & Bernardus, super *Signum magnum*, vocat *abyssum luminis.* Et à Divo Thoma, in caput 1. Matthæi, nominatur *mulier amicta sole*, quasi toto impleta divinitate. An non ita est? an non Deus in illa manet; & illa in Deo? ipsa vestit Deum; quæ & vestitur ab eo: illa vestit filium substantiâ carnis suæ; & ille vestit Matrem gloriâ suæ Majestatis. Vestit illa solem nube; & ipsa vestitur ab ipso sole. Non mireris Virginem à me vocatam verè filiam Dei patris; & carnem Virginis fuisse Deificatam: hoc & ipsum docet Pater Suares tom: 2. in 3. partem, disput: 1. sect: 2. audi illum: *Substantiam carnis, quam Christus ex Virgine assumpsit, nunquam fuisse omninò dimissam, aut continui caloris actione resolutam; sed eandem semper omnino fuisse conservatam, Verbo Dei unitam. Nunquam enim verbum dimisit carnem, quam semel assumpsit.* Quod & docet Augustinus sermone de Assumptione Virginis cap: 5. *Caro Christi, quamvis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, & manet natura, quæ suscepta est de Maria.* Et quamvis secundum naturam Divinam, nullam

Ceremonia legitimandi.

Totus orbis qua ratione legitimatus & quo loco.

S. Virgo nunquam fuit illegitima.

S. Virgo nunquam potuit dici ancilla.

Lector nota qua ratione caro Virginis dicatur deificata.

nullam habet communicationem cum A Deo, quod impossibile est fieri; propter humanam tamen naturam Deo communicatam, per ipsam, tanta intercedit necessitudo, ut maior esse non possit: nam facta est consubstantialis cùm Deo secundùm naturam humanam; sicut filius est consubstantialis, Patri secundùm Divinam. Unde & carni Virgineæ, quam Filius Dei assumpsit, verè debetur adoratio: sicut Verbo Incarnato, ratione Divinitatis; & per communicationem Idiomatum homini facto Deo. Caro ergò Virginis, facta est caro Dei filij. Pie ergo credamus, carnem hanc servam, captivam, ancillatricem nunquam fuisse, quam Deus Pater Filio fabricavit, tanquam ex fundo B pretiosissimo suæ filiæ; quam Matrem Filij sui esse voluit.

Pater æternus, vòce de cælo intonans, filium agnoscit suum; cùm ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui.* Matth. 17. Si filius dilectus: an non erit dilecta Mater talis Filij dilecti æterni Patris!

§ VII.

Quarta causa, cur omnes mortales volunt Immaculatam sanctissimæ Virginis Conceptionem. Quia colunt eam ut Spiritus S. sponsam. Quanto in pretio sit sponsa pudica vindicta læsæ Virginitatis. Quæ dona visoria Spiritus S. dedit qua ceremonia inducebitur in domum sponsi: violatæ sponsæ fit victima.

CRedunt omnes, & firmitate inexpugnabili tuentur Virginem, Spiritus sancti esse verissimam sponsam: emit enim illam, bonorum omnium profusione; & ipsa vicissim tantum promeruit decus, inclinatione suæ voluntatis in Dei, per legatum exposita postulata. *Semper*, inquit Augustinus sermone 18. de Nativitate, *Virgo est, quæ semper sponsa est; & quæ vocabulo sponsa non caruit, in æternum Virgo permansit.* Et quæ sapientia æterna dicitur, æterna Virgo probatur Magno Augustino: nobilissimę Academiæ Parisiensis Doctor Gerson, Alphab. 83. litera G. *Beatam*, inquit, *respice primo modo; dum ab instanti sua creationis, institutum est matrimonium cum æterno spiritu Deo per arrham fidei, spei, & charitatis.* Pulchrè Epiphanius de laudibus Virginis: *Quomodo Beata Virgo invenitur sponsa cælestis, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit: dotis verò gratiâ, cælum vnà cum paradiso?* Et Athanasius in Evangel. de Dei parâ: *Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus essentialibus, quæ illi per rationem Divini Principatus ad sunt*; ita ut virtute Spiritus sancti adumbretur, *& tota adumbrata, tota quodammodo Divinitatis radijs promicaret; & Regni sui Patris, & Filij sui, & Spiritus sancti sui sponsi bonis omnibus abundans potiretur.* Et bene. Nunquid non legibus humanis sponsæ, & vxores eâdem, quâ viri claritate fulgent?

Virgo SS. ut sponsa Spiritus S.

Dicamus ergò piè ipsum Deum Spiritum Sanctum non delegisse sibi sponsam vitiatam; aut alieno corruptam scelere; quam nullus Monarcha; quinimò, quam nec honestus, vel plebeius vellet. Quàm fœdus truncus in pulchro nemore frondibus spoliatus! quàm vile animal, mulier læsa!

Horruit vivere, vt narrat ex Pausaniâ, & Plutarcho Cælius Rhodiginus lib. 5. cap. 8. Scedasus vir tenuis, & pater Theanonis, & Evexappe filiarum, quas Spartani per vim patre absente violârant, violatasque puteo demerserunt. Redit; omnia, præter filias, salva videt. Quid aget Pater sortis ignarus suæ? Catellus fidus comes domus, & nuncius cladis fuit; trahit laciniam senis, & indè ad puteum & à puteo ad senem recurrens, & crebrò relegens viã, acerbi funeris vates fuit. Educuntur corpora: & Pater iam non Pater, ad cælum oculos tollens, ingeminat questus. Pergit, C Lacedæmonem clamat, orat vindictam; iustitiæ nullus est locus: desperatio Deos vltores vocat. Ad tumulum suarum Virginũ redit, & occupat manũ ferroque mortem: nec multa victima; eodem loco cæsi prælio ingenti Spartani quo tota gloria Spartanorũ cum imperio toto procubuit. Tanti est decus Virginitatis, quæ, sponsas claras, servata facit; missa, viles projectasque. Maior rabies trãsversa in Hippomenẽ, Principem Atheniensium incurrit, & furor deiecit Limonem filiam, familiæ spem quam destinârat sponsam; ubi adulterio vitiatam sensit, equo feroci & famelico devorandum objecit. Quid non agis impetu tuo præceps furor? vndè & prover- D bium ortum: *Magis impius Hippomene.* vicit amor pudicitiæ violatæ ultor, amorem Patris. Dici vix potest, quo in pretio flos illibatæ pudicitiæ, candor in tactus, & honor integræ fuerit in sponsâ. Oculis fulgurat, exspirat modestiam, diffundit castigatus pudor venerationem, & Divina sui ornamenta. Ingens bonum, forma sponsæ pudicæ, at fragile. Non sic Lilia languescunt afflata Noto: non sic prata vere novo decentia despoliat calidus vapor: non sic rosa, purpureo turgens calatho cadit icta sole; vt fulgor, pudicis qui nitet in sponsis, fulmine libidinis *percussus* interit. Dignitatem sponsæ, & violatæ vilitatem accipe ex Catullo:

Mirabilis historia & tragica ob violatam virginitatem.

Clades totius Lacenæ & Spartanorum interitus.

Alius tragicus furor.

Vt

Dignitas pudica sponsæ.

Vt flos in septis, secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavêre puellæ:
Idem cum tenui captus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ:
Sic Virgo dum intacta manet, tum chara suis; sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Sponsa ergò nobilis merces est omni digna labore, & curâ peti. Vide Chorœbum, apud Virgilium furentem; ut sponsam Cassandram mediam hostium trahi vidit:

Ecce trahebatur passis Priameia Virgo,
Crinibus à templo Cassandra adytisq́; Minervæ
Ad cælum tendens ardentia lumina frustrà.
Non tulit hanc speciem furiatâ mente Chorœbus,
Et sese in medium injecit moriturus in hostem.

Quo periculo empta sponsa pudica.

An non Achylles exarsit implacabilis, ardens Bryseidem sponsam ab Agamemnone ablatam? an non dolor ingentia mala intulit Græcis? Alcathous Pelopis filius leoni se obiecit, & viribus confecit. An non præmium tanti periculi, sponsa promissa à Patre Megareo, Rege Megarensium; qui dolebat Filium ab eodem leone interemptum? Pausânias in Atticis. Rex Assuerus an non per omnes suas Provincias unam conquisiuit? an non Esther sponsa, tanto Principi dominatu Principis potens, cúctis fuit perlata? Quãto apparatu Abraham filio suo sponsam curarit? Genes. 24. quis non miretur senis animosi pectus Regium? Instruuntur decem Cameli gravidi donis antenuptialibus, archis, & pignoribus; inauribus, aureis, armillisque. Servus adiuratur, quærat idoneam, & dignam se; expeditis omnibus iter ingreditur; suis cœptis invocat stratus humi propitium Numen, strategemate explorat animum Virginis venientis: ***Quam***, inquit, ***sensero hospitalem; hanc adduxero filio Domini mei sponsam.*** Venit Rebecca: ***Bibe***, inquit, ***quia & camelis tuis dabo.*** Hospitalitas, causa tantæ fortunæ, vnde Genes. 24. exploratrix optimæ mentis, tantique coniugij conciliatrix fuit; quanta potentia virtutis! Esto fuerit puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro: attamen non forma; sed virtus inclinavit, ut puellam sibi ignotam in sponsam posceret. Quæ dona aurea, argenteaque, & sponsalitia munera non sunt profusa? quæ acclamationes, & benè ominatæ voces non insonuerunt? ut cecinerunt Hymen, hymenee, Hymen, & fausta omnia apprecantes: ***Soror nostra es, crescas in millia millium; & possideat semen tuum portas inimicorum tuorum.*** An Abraham vir tantæ sanctitatis, & cla-

Quanta cura quæritur sponsa Isaaco filio Abrahæ.

Benignitas causa ingentis fortunæ.

Rebecca fortuna felix à flore virgineo.

A rus amicitiâ Dei; & Jsaac castissimus, & probatus obedientiæ filius, admisissent in suam domum Virginem famâ, & actu violatam in fœdus coniugij? Absit: plena erat domus Deo; debebatur ergò à Deo socia sancta, non corrupta: qualem nec Cyrus, nec Assuerus admisissent. Fateor omnes animas gratiâ Dei ornatas, sponsas Dei vocari: sicut & Ioannes Apocalyp. 21. dicit se vidisse Civitatem sanctam, quasi sponsam ornatam viro suo. At longè aliter Virgo sancta sponsa. Si servi, & ancillæ vocantur sponsæ: an non excellentiore & debito iure, quæ æterni Patris filia, & Dei Filij Mater, quantum instar in illa est sponsa? quantum claritatis in illo Sole, quem Sol æternus intimè vestit, incolit, Deificat, & velut alterum se facit? Quid ergò mirum, si cælo terrâque dotetur? quam creaturam aliquando spiritus adumbravit? Unica Virgo est, ex cuius sanguine purissimo æternus ille opifex, corpus Filio Dei coaptavit, formavit, cum qua & nuptias per unionem Hipostaticam Verbi cum humana natura celebravit, atque animam & corpus Divinitati, vinculo indissolubili conjunxit. Has nuptias pulcherrimè illustrat sanctus Anselmus, de excellentiâ Virginis cap. 4. ***Ipse spiritus Dei; ipse amor Omnipotentis Dei Patris, & Filij; ipse per quem, & in quo amatur omne bonum, quod amatur; ipse, inquam, corporaliter, ut benè dicam, venit in eam singulari gratiâ præ omnibus, quæ creata sunt, sive in cælo, sive in terra; in ipsa requievit, & Reginam, & Imperatricem, sponsamq́; fecit cæli & terræ.*** An nõ igitur omnibus creaturis præferenda, quæ Spiritus S. sponsa facta est? Si Assuerus Estheris amoribus vinctus captusque, dimidiũ regni obtulerit; an non plus, quàm Assuerus & Esther, est Deus Spiritus sanctus & sanctissima eius Sponsa? si parvulam in momento Conceptionis primo tantâ luce irradiârit, & secum modos illustrandi excogitârit? (modo nostro loquendi) cùm ait Cantic. 8. v. 8. ***Soror nostra parva, ubera non habet.*** Quid faciemus, cum alloquenda est in supremarum rerum admirabili legatione; quando Filium meâ adumbratione concipiet? Quæ dona sponsalitiæ largitatis in primo suæ creationis aspectu non fuere collata? Tu Lector, ex hoc augurare; quòd parvula in prima ortus sui aurora, statim facta sit, murus inexpugnabilis, species pulchritudinis inconcussa, & Adamantina; iuxta illud Cantic. 8. vers. 9. ***Ego murus, & ubera mea sicut turris***; quasi diceret: Ego circumfero pectus virtutibus omnibus insessum, & gratijs omnibus circumfluum, quæ & tum omnium Angelorum dona, & gratias, & merita excederent; quorum constantiâ, vacillante libero arbitrio concussa, & fragilitate creata, nondum firmata à Deo, cum fœdæ rebellionis æterno supplicio desci-

Si ancilla sponsa quid de matre Dei dicetis

SS. Virgo firmior Angelis.

B

C

D

descivit. Quare & vbera eius sunt sicut A turris, quæ in pectore eminent: turris fortitudinis Domini; turris David, in qua pendent omnia arma bellica, quibus domatur infernus: ubera quæ fluunt lac & mel; quæ præbet sugenda suis amatoribus: murus est, super quem ædificavit sponsus propugnacula aurea, & argentea, & pretiosa, qualia ipsa merebatur. Et quamvis Spiritus sanctus addat: Si ostium est, quod naturâ suâ versatile, ad motum mobile, quod facilè panditur, clauditurque; quid hoc est, nisi dicere; quamvis hæc sponsa mea sit infirmæ & fragilis conditionis naturâ suâ, & posset respectu fragilitatis humanæ, illiciis rerum humanarum, trahi, invitari, capique; summâ tamen B meâ sapientiâ cautum provisumque est, ut ostium, id est naturæ humanæ inconstans infirmitas cedrinis tabulis, munimentis scilicet incorruptis, & semper duraturis compaginetur; & vitæ incunabula firmiora, sint solidioribus firmata gratijs, quàm fuerit omnium sanctorum, supremus vitæ exitus. An non ideò Augustinus inducit Virginem loquentem: *Porta facta sum cæli: ianua facta sum Filij Dei; illi facta sum ianua clausa, qui post resurrectionem ingressus per ostia clausa.* Quare & hæc dona primi sui ortus meritò vocari possunt ὀπτήρια, quod videre significat, quæ tunc donantur more multarum gentium; cùm sponso C datur copia, sponsæ occultatæ vultum contuendi. An non Spiritus sanctus, ubi vultum suæ sponsæ vidit in primo motu suæ auroræ, visoria dona contulit pro magnitudine utriusque? an non vestivit illam cyclade aureâ, Iustitiæ scilicet originali? & voluit illam dotatam pleno rationis usu stare, sicut Reginam à dextris suis; hisce verbis illam invitans: Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Sponsa quippè ducebatur in domum sui sponsi, qui eam totam sibi vendicabat; & currus cum ornamentis, quo vecta, ante fores comburebatur, teste Plutarcho: Emblema oblivionis futuræ; præter unius sui Mariti memoriam, cui adhæresceret. Hoc pacto & nobiliore pompâ Virgo transiit D in familiam Spiritus sancti; atque ea de causa dicit Idiota de Virgine cap. 4. *Nemo æqualis est tibi; nemo maior nisi Deus, cuius es tota: qua tota pulchra es, atque Divina.* Herkinbaldus vir præpotens, atque illustris incorruptusque Iudex: cùm per nepotem, sororis suæ filium (extortâ per puerum, cùm per alios non posset, veritate) sensisset violatam domi suæ Virginem, multis clamoribus reluctantem; vehementer in vltionem fœdi sceleris exarsit: imperat Senescalco reum suspendi: verùm irrito imperio. Iuvenis fiduciâ oblivionis, eminus se in conspectum ægri dedit. Quid agat Iudex? Blandissimis verbis ad se pellectum, juvenem pertractũ capillitio involuit; & arrepto cultro fauces gutturque transfixit: *Eia*, inquit, *vitia sponsam futuram scelestè: parenta tuo sanguine pudicitia violata, non sanguis meus.* Placuit Deo ultio: nam cum Episcopus non confitenti, ut iudicabat scelus; negaret sacrum viaticum, & abitum pararet, exclamat se purum criminis; nec agnoscere culpam, sed virtutem. Angelico igitur apparatu datus, est cibus cælestis, quem in ore & linguâ Episcopo ostendit acceptum. Sic theatrum vitæ humanæ, verùm multò diffusius. Vir tantus, æquique amans, non tulit domi suæ vitiari corrumpique Virginem sponsam alienam? Piè credamus Spiritus sanctij potentia, corpus Virginis suæ sponsæ à pollutione originalis peccati servatum corpus; inquam, futurum domicilium Filij Dei, suumque? Tu igitur proxima Deo Filio tanquam Mater; & proxima Deo Spiritui sancto tanquam sponsa possidebis Imperium cæli & terræ, & inferorum: tu possidebis portas inimicorum tuorum: ibis Regina triumphans; & cresces in millia millium: tibi acclamamus & vovemus mille faustis vocibus omnem felicitatẽ, gloriam, æternosque triumphos immaculatæ tuæ Conceptionis.

Cur ostio versatili comparetur SS. Virgo.

Ceremonia & pompa introducendi sponsam in domum sponsi.

Violata pudicitia horribile exemplum.

§. VIII.

Quinta causa, cur orbis horreat maculatam Conceptionem. Decet Matrem summi Dei impolutam esse. Adhærescit fortuna Patrum. Stupenda dignitas matris Dei à termino generationis.

QVis Regum vellet nasci matre aliquando servâ, corruptâque si derelictus foret in suâ potestate? Nullus planè, nisi amens? An non dedeceret Deum Mater corrupta? An non summa affinitas Virginis cum Filio, quæ includit omnem perfectionem, omnem ornatum, omnes gratias, omnem puritatem; ut talis supereminens status in debito suo gradu, & splendore secundùm ordinem divinæ sapientiæ constituatur? Unde & secundùm D. Thomam 1. quæst. 15. art. 6. ad 4. hic status dicitur esse infinitæ dignitatis. An non est infinitæ dignitatis, fœminam Matrem infinito Deo proximè uniri; & dicere Filio: Tuum os, & caro tua, est de ossibus, & carne meâ. Quid propinquius Filio, quàm Mater? Tantam propinquitatem Augustinus, initio lib. de Assumptione, sic extollit: *Huius dignitatis, & gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.*

Et

Et quis audeat dicere sine rubore, Deum Maximum ingressum templum priùs dæmoni sacratum, quàm à se possessum? Abdunt Reges suas Matres degeneres, pudet impudico sanguine descendisse; retroagitur gloria Filij, Matris prostitutâ vitâ. *Nunquid si radix sancta, & ramus sancti?* ad Roman. 11. Unde pulchrè Plato in Cratylo: *Erit utique ex Rege, Rex; ex bono, bonus; ex pulchro, pulcher.* An non prodigiosa Cæsaris Augusti familia, Principum felicissimi, quem fortuna Domus destituit, in impudicâ filiâ? An non & Davidis sanctissimi viri, quàm infelix, & luctuosus ferè exitus omnium filiorum? Quem non perculit Salomonis aliquando beati ultima calamitas, & dubia salus? Quare optimè Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 8. *Consentaneum est, melioribus ortos esse meliores; & quod à melioribus proficiscitur, melius est opus.* & lib. de generatione animal. cap. 1. *Tale alterum generat, quale est ipsum, hoc enim tum animalis, tum stirpis secundùm naturam, officium est.* Hinc rectè Horatius:

Laudantur simili prole puerpera.

Decet regem rege nasci.

Et sanè, ut filij similes sint Parentibus, exigit ratio, & natura. Audi Plutarchum, lib. de educatione: *Si enim à Patre, vel à Matre habent aliquid vitij natales, eos per omnem vitam opprobria comitantur, quæ elui nullo modo possunt, suntq; in promptu vitia, si qui afficere eos ignominiâ volunt.* Rectè & Euripides in Hercule furente: *Nisi fundamenta stirpis jacta sint probè, miseros necesse est, esse deinceps posteros.* Si L. legiti. ff. de statu hominum cautum: Vt filij Patrem sequantur quoad originem; ut Patris statum, gradum nobilitatis, privilegia, & claritudinem familiæ acquisitum possideant: & quidem iure naturæ; quandoquidem beneficia Patri concessa, (nisi limitata, & personalia sint) in filios transfundantur. Quod Magnus Gregorius Nazianzenus tribus verbis complexus est: *Gratia communis: labes communis utriusque: & hæres vitiorum, fit defuncti successor.* juxta legem: Si ego §. partus de Publician. in rem actio. Undè cap. Vergentis. de Hæretic. Innocentius Tertius Pontifex pari pœnâ liberos hæreticorum afficit, quâ Parentes; etiamsi socij criminis non fuerint. An non ideò bonis parentum proscriptis; ex misericordiâ filiis vita tantum permittitur? An non ideò sacerdotum filijs, omnis aditus ad dignitates Ecclesiasticas intercluditur? Unde & L. prius ff. de liberali causâ habetur: nec modica ignominia, si parentem servum habeat. Cùm igitur secundùm Augustinum lib. de libero arbitrio. cap. 6. in ipsa temporali lege nihil sit iustum, atque legitimum, nisi quod ex lege æterna homines sibi derivaverunt; hinc conditores legum, jura decernunt. Et tractatu 6. in Ioannem in fine: Ipsa jura hu-

Miseri posteri misero parente & infelici.

Filio adhæresesit, quod patri.

Iura humana à divinis ducunt originem.

A mana per Imperatores & Reges sæculi, Deus distribuit generi humano. Cùm igitur jure humano sancitum sit; vitia, & decora parentum transmitti in filios, ne ea ornamenta sint filiorum, quæ Patrum; Quare cum vestalis Virgo sacranda Deæ Vestæ: Inter cetera quæstio instituebatur: an illius parentes; alter, ambonè in negotijs sordidis fuissent diversati. Vide Valerium Maximum lib. 3. cap. 4. & Gellium lib. noctium Atticarum cap. 12. Quæ cùm ita sint; an non iure humano & Divino, fœmina erit formanda ad proximam Deo æqualitatem, quantùm potentiâ Divinâ fieri poterat? at non poterat ad naturæ æqualitatem attolli, nisi infinitarum quodammodò gratiarum donatione, ad eam

Decora, & indecora adhæreant filijs.

Virgo vestalis libera à sordidis parentibus.

B Majestatis magnitudinem attolleretur, ut altiùs ire non posset. Benè ergò, & verè Bernardinus Senensis Serm. 51. *Sanè*, inquit, *Deus æternus, sicut mirâ sapientiâ creavit omnia; sic benedictam suam Matrem talem condidit, & sanctificavit in tempore, qualem decebat habere suam gloriosissimã Majestatem.* Quidquid igitur in laudes proferimus, ad Filium pertinet; & cùm Filium honoramus, non recedimus à gloriâ Matris. Te, ô Sanctissima Mater, humi stratus, fiduciâ tui lætus, compello cum Augustino Serm. 51. *Talem fecit te, ut ipse fieret in te.* At qualem fecit? an non sanctiorem Angelis? Omnino. Si sanctiorem; quibus in

C rebus? an non gratijs, justitiâ; bonitate, sapientiâ, & amore Dei? Planè. Si ergò Angeli creati in gratiâ, & justitiâ originali; cur non esset Mater? Negabis concessum Matri Dei, quod concessum Regis ministris? an in summâ suâ felicitate, ortus sui calamitatem luctuosam feret Domina; & non ferent servi? An non Christus, in quantum homo infinitis ferè rationibus Angelorum transcendit eminentissimam puritatem? An non Matris dignitas, proximè ad Filij dignitatem accedit? Si accedit; ergò trãscendit omnium creaturarum dignitatem. Si humanitas Christi excedit ordinem universi, & omnium creaturarum; cur non & Mater, de cuius carne fa-

D bricata est Christi humanitas? decebat quippe, ut illa creatura, quæ futura erat Mater personæ Filij Dei & hominis, & suâ cooperatione terminaret utramque generationem; Divinam scilicet, & humanam in unione unius suppositi, elevaretur supra id, quòd dici fingique potest. An non terminus generationis paternæ infinitus? quia Deus de Deo? An non terminus generationis Maternæ, pariter & infinitus, ad quem relatio Materna terminatur? an non ad infinitum scilicet Filium, qui est & terminus generationis Paternæ? ô miraculum miraculorum! ut ille idem indivisè dicatur æterni Patris, & creatæ Matris Filius. Et

Stupenda dignitas matris Dei à termino generationis.

quamvis infinitis distent hæ generationes spatijs & intervallis; non duo tamen, sed unus est Christus Filius Dei, qui in una persona subsistens; esset Dei Patris, & unius Virginis Filius, & Pater Deus, & Mater creatura; & tamen essent generatione pares. ô prodigium prodigiorum? Pulchrè Barnardinus, Serm. 61. art. 1. cap. 12. Quòd Deus generat Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio; cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ, intellectus perduceret Verbum per omnia sibi æquale; imò impossibile est, ut non generet Deum propter suam fœcunditatem: sed quod fœmina conciperet, & pareret Deum; est, ut fuit miraculum miraculorum: oportuit enim (ut sic dicam) feminam elevari ad quasi quandam æqualitatem Divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarũ, quam æqualitatem nulla creatura experta est. An non pulchrè, & verè dicta supra illa verba; *ad quandam quasi æqualitatem*; non enim æqualitate naturæ, non modo generationis: intercedit quippè inter Deum & creaturam infinita distantia; sed æqualitate generationis naturalis: ut Christus ex Patre sine Matre; & ex Matre sine Patre nasceretur verus Deus & homo. Cùm igitur Virgo sit ad infinitam quandam dignitatem sublata; an non summa puritas omni suspicione dedecoris vacua, debuit esse auctoramentum tantæ dignitatis? Pulcherrimè ergò Augustinus de quinque hæres. cap. 5. ut dictum est Quinto sæculo: *Undè ergò sordes in domo, quam nullus habitator accessit; solus ad eam Dominus fabricator venit. & Christus apud eundem: Ego Matrem, de quâ nascerer, feci; ego viam itineri meo praeparavi. Hanc quam despicis Manichæe, Mater mea est; & manu fabricata est meâ: si potui inquinari, cùm facerem; potui in illa inquinari, cùm facerem; potui in illa inquinari, cùm ex eâ nascerer.* Quasi dicat: Non potui inquinari, cùm illam conderem; quia nimirùm talem condidi, qualem decebat esse eam, ex qua me nasci oportebat: ita etiam non potui contaminari, aut infici ex ea nascens; quia modum Nativitatis elegi, quo ipsius Virginitatem minimè violarem. Et quomodo fabricata est manu Christi, tanquam hominis? quid hoc significat aliud, ex mente Augustini, quàm quòd propriis meritis sit à Patre suo consecutus, ut ea fœmina & Mater, ad eius Filij volũtatem, & naturam fingeretur. Ex mente ergò, & doctrina tanti Doctoris, Fabricæ Virgineæ conditio tota manibus Christi, id est, eius meritis deferri debet. Quòd ipsa sanctissima Virgo dese canit, dùm ortum ab æternis ducit sæculis: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* ut suprà dicitur. Si Deus pro infinita sua bonitate primum omnium parentem, futurum aliquando Ducem malorum omnium, donavit Justitiâ originali; an illam posset negare Matri, quæ Dux futura, & origo bonorum erat destinata per merita sui Filij? An non debebatur integritas illi, quæ ideò fabricata, ne labefactatam integritatem componeret? Quid iustius, quàm illam vulnere carere, cuius erat ægræ & sauciæ naturæ humanæ mederi. Hoc relinquo: Cecinit Adam suâ insolentiâ classicum æterni belli, & terroris, & Orbem terruit: Filius Virginis secundus Adam, classicum pacis & concordiæ, & Orbem pacavit. Alia tibi, & longè sublimior, ô sanctissima Mater, debetur adoratio, quàm reliquis Sanctis; quia longè aliter tecum est Deus, quàm cum aliis Sanctis, vel Angelis: in illis Deus habitat; sed non cum illis cum quibus non est eiusdem essentia: sed tibi inest soli per consensionem naturæ, & eius identitatem; de tua quippè substantia ita unus Christus effectus est, ut nec totus esset de Deo; nec totus de te: totus tamen Dei Patris; & totus tuus: non duo tamẽ Filij; sed utriusque; Patris scilicet, & tuus esset. Quare post Deum, cui soli Latria, & perfecta debetur adoratio, Virgini excellentior præ reliquis Sanctis debetur adoratio. Si ergo communis est gratia & labes parentibus & filiis, piè credamus Virginem ab omni pollutione originalis peccati liberam, ne per umbrã aliquid tenebrarum redundet in Filij gloriam.

Necesse fuit Virginem summè elevari ut fieret Mater Dei.

Admirabilis laus Virgini data à S. Augustino.

Si Adamo iustitia originalis cur non matri Dei.

§. IX.

Sexta causa, cur totus orbis iubeat dicatque Immaculatam Conceptionem Matris. An non à debitâ Filij in Matrem suam charitate?

AN non omnes, etiam immanes feræque Gentes, suos Parentes colendos, alendos; vitâ & sanguine protegendos, clamant? an non à natura definitum, summum sacrilegium eos violare, à quibus vitam, & spiritum traxisti? Quis neget, primam naturæ legem, diligere Parentes? quis non sentit naturæ tacitis viribus, charitatem Parentum, liberorum pectoribus infusam? Hæc solida pietas innascitur, non affingitur mortalibus.

Quis ambigat, Matrem Virginem à suo Filio non fuisse summis honoribus favoribusq; præoccupatam cumulatamque, qui gravissimis pœnis sanxit Parentes honorandos? An non omnes Gentiles clamant, pulcherrimum, quod Dij dederunt simulacrum, esse parentes, à quibus vitã, & lucẽ accepimus, & quasi Deos esse colendos? Et sanè quid honoris, quid amoris, illis nõ debetur

Parentes pulcherrimum simulacrum.

debetur? Aristoteles lib.8.Ethic.cap.14. A docet nullis officiis & obsequiis Filium posse parentum laborem, & charitatem compensare: *neque enim quod pro dignitate fit, in omnibus est; sicut in honoribus, qui Dijs aut parentibus exhibentur: nemo enim referre dignam gratiam posset; sed qui pro viribus colit, is esse probus videtur, & quidquid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficiis fecit; quia semper debet.* An non fundus oppigneratus est suo Domino? An non statua, Principis formam gerens, si loqui posset, gratiam sculptori referret, quod ex rudi, informi, vilique massâ in gloriam sit traducta? An non obligatur Patri Filius, qui in ortum, & suæ substantiæ initium, non sicut fundus, vel statua à Patre accepit? Cùm igitur Filius Dei omnia possideat, omnia possit, velitque instar filij summè amantis Matrem, quis audebit piè dubitare non omnia, in tantùm amatæ Matri, ab amantissimo Filio collata privilegia? Si Salomon Matri suæ Bethsabee obviàm procedens, ad solium deductam, ad dextram suam locavit, & liberos campos petitionibus explicuit: *Surrexit Rex* (inquit Scriptura 3.Reg.2.v.19.) *in occursum eius, adoravitq; eam, & sedit super thronum suum: positusq; est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius. Dixitq; ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex: Pete Mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* An nõ plus quàm Solomon, Filius Virginis? An non Virgo infinitis spatiis melior Bethsabee? An Deus se vinci patietur ab homine? Perperàm iudicat de Rege Regũ, & Domino Dominantium. Si Petro ob magnificam Divinitatis in Christo professionẽ; rogatus, quid de Christo sentiret, plenus Deo cùm asseruisset: *Tu*, inquit, *es Christus, Filius Dei vivi*; principatus Orbis, & cæli imperium cum firmâ & immotâ possessione collatum. *Tu*, inquit Christus, *es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth.16.v.18. Deindè audi, ut cælum ad Petri vocem militet, & obsequatur: *& ego dabo tibi*, tanquam Principi hæreditario, *claves Regni Cælorum.* Matthæi 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Si hanc unicam Confessionem tantâ celeritate remuneratus Dei Filius? quâ memoriâ, quâ vicissitudine obsequiorum, quo incensus studio redimet Filius Matris suæ unicè dilectæ, tàm diuturnam pietatis, & operæ navatæ servitutem, & famulatum compensabit? Proxima & compendiaria via, est omnium thesaurorum collatio. Quid enim tantæ Matri non debetur? Mercedem gloriæ flagitat à Filio, quem tantâ gloriâ affecit. Miratur omnis Antiquitas, stupendũ pie-

Salomonis infra matrem reverentia.

Si Petro ob unam Confessionem veritatis data tanta potestas, quid non debetur matri?

tatis opus fratrum, Amphinomi, & Anapi, qui patrem & matrem, ne cremarentur incendio, cùm præ senio globos inundantium flammarum fugere non possent, in medias flammas amore parentum ebrij, præcipites irruêre, & patrem & matrem per medios ignes Ætnæ incolumes vendicârunt. (ô ingentis pietatis, & victoriæ opus!) dulce spolium suis humeris extulêre. Adfuit Deus: flammæ voraces pietati cessêre. Credamus piè Filium Dei non cedere huic pietati; & Matrem suam, *sciens volensq;, & potens*, non passum flammis peccati Originalis aduri cremarique? Quis Schytas more pecudum, & ferarum laniatu viventes, animosum docuit hoc B responsũm Legatis Darij datum, qui eos totius Regni viribus in intimas solitudines, quasi Victor, fugientes abigebat; se tunc finem fugiendi facturos, cùm ad suorum Patrum monumenta pervenissent? An non ipsâ duce naturâ? naturæ viribus se tunc præliaturos, cùm parentum ossa bellum, & classicum canerent? An non barbara Gens, hoc pietatis pretio, ab omni se feritatis imminentis periculo crimine redemit? Et Filius Dei non pro sepulchro Matris; sed pro tuenda innocentia non erit solicitus? Quid rerum novarum non molitur sagax ardentis naturæ sanguis? vinci se posse non putat, in ipso carcere meditatur, educitque triumphorum C æterna monumenta. An non exemplum pietatis, omnibus triumphis famosius? Humilis & plebeia puerpera matrẽ ubi damnatam capitali crimine, & inclusam carcere sensit; quid aget? impetrat lachrymis aditũ lachrymæ viam aperuêre. Verùm ne quippiam cibi posset inferri, diligenter excussa. (O ingeniosum amorem!) trahit mater vitam, fame perimenda. An non deprehensa Filia, exerto ubere matrem alere, & vitam dare, quam acceperat? Quò non penetrat, aut quid non cogitat pietas, quæ in carcere dare vitam genitrici, sine cibo potuit? Miraculo tanto donata salus, pietati filiæ, & ne quid ad honorem deesset, D & mater & filia publicis alimentis sustentatæ, locusque Deæ pietati consecratus, ut posteris viverent. Vide Plinium lib.7.cap. 36. & Valerium Maximum lib.5. cap. 4. Hæc spectaculi novitas Orbem concussit. Non ergo miramur Orbem junctis suffragiis & festivis diebus Filij pietatem in illibatæ conceptionis maternæ gloriam celebrare. Hoc mirabile narratur de Themistocle, cùm ad ludos Olympiacos processisset, oculi omnium, posthabitis spectaculis, in illum conversi sunt, in eoque contuitu totum diem consumpserunt: lætus hic tanto favore dixisse fertur, tunc se suorum laborum, quos pro Republica suscepisset, amplissimum fructum percepisse.

Stupenda filiorum in parentes in- cendio confecto amor.

Schytæ suorum ossibus animantur.

Mater alitur à filia exerto ubere.

pisse. Felix & ter felix sanctissima Virgo, in te solam ab omni æternitate Deus oculos suos defixos tenet : tu es unicum theatrum ; unicum spectaculum, quo delectatur & capitur Deus, omnibus posthabitis; ludis coram eo omni tempore; quæ tam formosa es, ut cor Dei facias avolare. Oculus Dei semper versus te in morte, vitâ, & in primis, & excellentissimè in primo Conceptionis momento, ne damnum pateretur integritas primæ Justitiæ tibi debita. Cùm itaque Filius Dei summè amatus, Matrem pariter summè amet (Parentes enim amant liberos, quasi ex se quiddam sint : liberi autem parentes, quasi ex illis quippiàm sint ; juxta Aristotelem 8. Ethic. cap. 1.) Mater autem Dei vehementissimè suum Filium amat, & ex naturali inclinatione quodammodò magis, quia Filius tota eius factio est, id quod in aliis cernimus, teste eodem : omnes si quidem, ergà quod ipsi effecerunt, sunt quodammodò benevoli. Mater ergò Dei suæ factioni maximè bene vult, & optat, & longè ardentiore charitate, quam ceteræ Matres: hæc enim Filium, ut totum suum opus agnoscit.

Parentes ardentiùs amant suos filios quàm amentur.

Filius autem Dei præter naturæ communis ordinem, quo Filius minùs redamat Patrem, quàm ametur. Parentes quippè magis diligunt filios, quàm amentur. Filius, inquam, Dei infinitis ferè partibus gloriosiùs ardentiusque diligit Matrem, quàm à Matre; quæ tamen summè, quantùm fieri potest, diligit, diligatur. An non Mater ipsa tota, quanta est, factio Filij est? an non creavit illam in Spiritu sancto? an non Auctor ipse tanti operis, quod omnium operum maximum? an non magnitudine omnium bonorum indicibili ditavit? Concurrunt ergò hîc summi utrimque amores. An non & Filius, factio Matris est? conceptione, educatione, lactatione, omni denique obsequiorum genere? Planè: nulla tamen est æqualitas beneficiorum secundùm numerum, nisi secundùm aliquam proportionem. Esto non sit æqualitas amoris Arithmetica; est tamen summus, & incomprehensibilis amor reciprocus, qui facit omnia communia. At quid est amare, quàm benè velle alicui, quæ bona putat illius, non sui gratiâ; & eorum, ut Philosophi dicunt, activum esse, seu Auctorem, & fontem? Filius autem naturæ legibus, tenetur Matri præstare ea, quæ ceteri benè morati filij suis parentibus: & quæ non excogitabit Filij infinita sapientia, cui potentia, cum æquali amore respondet?

An in Virginis filio contrà accidit, ardentiùs amat quàm ametur quamvis ardentissimè ametur.

§. X.

Quàm latè pateat communicatio bonorum facta Virgini ex debito filij.

Altiùs attollenda cogitatio, ut hoc perspicuè intelligi possit. Dictû est, Patres ardentiori charitatis impetu in filios rapi; quàm filij in suos parentes. Quisquis enim vehementer amat opus, excellenter à se productum, ut suam factionem: Filij verò etsi reciprocè diligant, languidior amor est, est enim is, qui à fonte digressus est. Verùm in hoc nostro argumento stupenda, & Divina intercurrunt; ut idem qui Filius est, sit & Pater Matris. In Christo enim Domino cùm duplex natura, humana scilicet & Divina, indissociabili communione & vinculo colligantur; duplex suboritur obligatio, & quidem naturalis divinaque, adversus Divam nostram illam infinitis bonis locupletandi. Videamus hoc attentè. An non Christus, quà Deus est, Pater est Virginis, Virginis fabricator, Virginis creator singulari modo, ut dictum est? Si ergò Pater, quâ magnitudine amoris rapitur in unicam suam Filiam, unicam suam hæredem, unicam Genitricem Filij sui futuram? effigiem omnis pulchritudinis? quàm nihil prætermittit Pater omnipotens in Filiæ suæ tantùm amatæ Regij ornatus? Patris ergò amor cùm sit infinitus; an non infinitas opes, quantùm mortalis anima capere potest, in Filium effundet? Filius ergò Virginis, quà Deus; cùm sit Pater, nunquid tanquam Pater amabit infinitè? Quæ ergò non pendet tributa pro tot annorum studiosa servitute, sibi exhibita tanquam Filio? an non æternis consiliis, curisque Divinis evigilata, ut sic dicam, & elaborata, Filiam à Patre; & Matrem à Filio omnibus bonis dotalibus cumulandi? Quid possit amor in corde Patris; Ariobarzenes Rex Cappadociæ, lucem afferet. Sedebat Pompeius Magnus in Tribunali; conscendit & Rex : is ubi filium infra se collocatum, & viliore loco pro sua fortuna conspexit; protinùs sellâ descendit, & diadema in caput eius transtulit, hortaturque, ut in suum locum succedat: Volo te Regem, & Regnum in te transfero; sufficit Patri, modò regnet Filius, sanguis meus. Quid aget Filius? tacitæ lachrymæ sine voce decurrunt per ora, inhorruit corpus, dilapsum diadema est, nec quo iussus erat, progredi potuit. O ingens amoris vis! regno se abdicat lætus. Pater; & Filius tristis Rex denunciatus

Deus cùm sit Pater Virginis, & idem filius, duplex amor exoritur.

Quanta vis amoris in corde patris.

tus. Nec finis certaminis admirabilis A fuisset, ni voluntati Patris, Pompeij subvenisset auctoritas. Filius ergò Rex appellatus, & infulâ Regiâ vinctus. Tu vis amorem Dei Filij succumbere amori humano, qui, quà Deus est; Pater Virginis est? An non quà Deus, & quà Filius, invitat suam factionem, suamque Matrem ad regna? Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea; & macula non est in te: Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Senir.* Attende ad terna invitamenta. Invitatur à Deo Patre, tanquam Filia: à Deo Filio, ut Mater; à Deo Spiritu sancto, tanquam sponsa; & quis non piè credet Filiam, Matrem, & sponsam Sanctissimæ Trinitatis, non fuisse Filiam sponsamque Luciferi, originalis peccati contagione permissa? B Pluris æstimavit Octavius Balbus, filium præter spem incolumem videre, quàm salutem suam: proscriptus enim, fugâ salvus evaserat, nisi clamor falsus trucidandi filij à fugâ revocasset. Obtulit ergò se occidendum ante oculos miseri filij, quem suâ vitâ decreverat redimere: & quem videre filius, superstitem non poterat, vidit exspirantem. Concitatior ardentiorque fuit Filij Dei, quà homo, in Matrem charitas, qui meritis suis emit Matris innocentiam; non aliter, quàm si sola fuisset emenda; maluitque coram Matre in cruce male- C dicta exspirare, quàm Matrem maledicto succumbere? Filius ergò Virginis, infinitè amat Virginem quà Deus; & pariter infinitè quà Filius hominis. Quomodo ergò non infinita bona donavit Matri, ut Filius; & filiæ suæ tanquam Pater? Duplici ergò oceano affluunt omnia bona Virgini: in regno enim amoris amicitia facit omnia communia inter amatum, amantemque; cui enim amicum est amatum, nisi amanti? amicusque, item redamans amatam. Amant autem se mutuò, quia infinitè amabiles, quia & boni. Cùm itaque Virgo & Filius, sint quà homines infinitè amabiles; an non necessaria consurgit inter eos bonorum omnium communicatio, D quam amor parturit infinitus, & citima amicitia conciliat. *Amicitia verò,* teste Aristotele lib. 9. Ethic. cap. vlt. *est communicatio: sicut erga seipsum se habet homo; Ita erga amicum se habet.* & idem cap. 4. *Erga amicum perindè, atque erga seipsum gerit; est enim amicus alter ipse*: una utrique anima, duo corpora ferens, & uterque in altero, & apud alterum situs; ita ut amicus in dolore condoleat & simul eodem vulnere, quo alter, lædatur: non aliter, quàm cum sitiente sitiret, simul esse, & connivere, congaudere, condolere, absque se vivere ne quidem posse:

Summus amor filij omnia matri donavit.

Quanta vis amicitia.

una enim anima, ut dictum est, sunt. An non etiam simul commori veræ amicitiæ? Occurrat tibi Pollux & Castor: Achylles & Patroclus: Pylades & Orestes, qui omne fatum sibi desponderant. David & Jonathas, quos vita iunxit vinculo adamantino. Ingens amor Gracchi in Corneliam Scipionis, quæ vidua, Regum opes aspernata, Domitrix sui floruit. Sustinuit hic in suo conspectu, seipsum interitu maris serpentis occidi, & dimitti fœminam; ut Cornelia superviveret; augurium enim erat instare celerem interitum ei, cuius sexus serpens occideretur. Plutarchus in Gracch. Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. Tanta potentia & vis amoris Conjugalis. maris mors liberè deligitur; demissa fœmina, ut fœminæ amatæ parcatur. Omnium amores exsuperat amor dignus Dei magnitudine. An Filius Dei, ne sustineret Matris suæ exitium, delegit suum, & vitam oppigneravit, ut Matri donaret? Hoc existimo piè credendum.

Gracchus ut viveret Cornelia coniux mortem elegit.

§. XII.

Videamus quales amores debitos impenderit Matri Filius.

AN amare non est perfectius, nobilius diviniusque, quàm amari? Omninò: amare siquidem voluptatis quædam actio; & bonum, quod ab eo amatur, nullam actionem dicit: sicut & nobilius est cognoscere, quàm cognosci; cùm illud vitalem intellectus operationem intendat, & hoc se habeat per modum mortui. An non nobilius esse beneficum, quàm beneficia accipere? sicut & nobilius dare vitam, quàm accipere? Deus ergò cùm sit purissimus actus, nihil est illi in potentia; deindè cùm sit purissimus amor, non more filiorum amavit Matrem; verùm decrevit nobilissimo modo tractare, & eam omni benedictione prævenire, perfectissimè amare summâ voluptate; & quia amor huiusmodi beneficus, perfundere illam omnium gratiarum longè lateque manantibus fontibus, quamvis illa minus, etsi tamen summè redamaret. Deindè cùm Mater & Filius, una quodammodo sit anima, una voluntas, unica rerum possessio, & dominium, & ditissima affluentissimaque sit hæc amicitia; quis assequetur quàm magna, quàm admirabilia bona in tam amatam congesserit creaturam? An existimas Deum metiri more hominum vulgari, suum amorem, quorum amor certis finibus, vel paribus

Quid nobilius amare vel amari cognoscere, vel cognosci.

officiis definitur? an non illi nimis exiliter singula ad calculos revocant beneficia, & paria spectant beneficiorum certamina? Sufficit Filio Matris nomen, Matris amor, Matris dignitas, & unitas cum Matre: sufficit Filio, se esse Deum, & velle, & posse, & iure naturæ, & generationis lege debere summa omnia fastigia suæ Matri. Coronemus Sanctissimam Virginem Elogio Ruperti ex lib. 6. in Cantic. in illa verba: *Electa ut Sol. Et quidem naturâ non es idem, quòd Sol ille; sed nihilominus tanta es, ut te honoret ipse Sol honore, quo decet Filios honorare suos Parentes; qui enim dixit: Honora Patrem, & Matrem tuam.* non dubium quin ipse honoret, & ab omnibus amicis suis illam velit honorari. Vnum superest, ut clavâ Herculeâ tundam Hydras nostri sæculi; hæreticos dico Turcis nequiores. Utar ergo Aristotelis ratiocinatione, qui quantum debeant Filij parentibus lib. 8. Ethico. cap. 12. docebit; qui sic ait: *Amicitia magna in filiis erga parentes, & hominibus erga Deos, tanquam erga bonum quoddam atque excellens: beneficia enim maxima contulêre: quippè cùm sint in causâ, ut & sint, & enutriti, & educati fuerint, postquam in lucem venerunt.* & ibidem cap. 14. *Reddere oportet eum, qui debet: (an non verum hoc naturæ dictamen?) at, quidquid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficiis fecit; ergò semper debet; neque enim quod pro dignitate fit, in omnibus est: sicut in honoribus, qui Diis, & parentibus exhibentur, nemo enim his dignam gratiam referre posset: sed qui pro viribus colit, is esse probus videtur. honor quoque parentibus, quemadmodum Diis exhibendus est.*

Amicitia summa summum vinculum inter parentes & liberos.

Quid dicitis hæretici ad ista; qui docetis, Sanctissimã Virginem non maiorẽ, quam ceteræ fœminæ, sint veneratione, & cultu digniorem. Vult ergo Aristoteles parentes, Divino coli honore: & quis pius Matri Dei suos vellet detrahi honores? si filius semper debet patri, ergò semper patri obligatus: semper tenetur vinctus, nec unquam erit solvendo. Filius ergò Dei, cùm sit verus Filius Sanctissimæ Virginis, semper Virgini debebit; verè enim debitor Virginis est: si semper debet; quid potest deesse omnipotenti Deo? Effudit ergò omnes potentiæ suæ opes in Virginem, quas humana natura capere potest: & ut posset quodammodo infinita capere, confortatum firmatumque est cor Virginis; ut tantam celsitudinem ferre posset, quâ maior esse nequit. Amor ergò infinitus, infiniti Dei semper erit debitor. Hîc non intervenit lex de donationibus enormibus inter virum & uxorem; ne scilicet se invicem spolient: lige 32. cùm hic status inter virum & uxorem sit de donat. & cap. fi-

Liberi semper debitores parentibus.

Lex de donationibus enormibus.

A nali eodem titulo: amor enim occultus, prædo est. Sed hîc regnum, & lex amoris Divini est, in quo sunt omnia bona communia ad Imitationem Sanctissimæ Trinitatis, in qua Pater dicit Filio: *Omnia mea, tua sunt; & tua mea*, & tres sanctissimæ Personæ sibi invicem de omnibus suis congratulantur. Haud dissimili modo Filius dicit Matri suæ: *Omnia mea, tua volo esse*: dum enim circumfero meipsum; te circumfero: nec sine te forem homo; sicut nec sine me tu creatura: quod autem sis, debes mihi; & quod ego sim homo, debeo tibi. Et quia filij debent semper, teste Aristotele: ne quidquam debeam; omnia mea, tua esse volo. Quare & accipe, & fruere, & regna, & dominare, impera,

Quid debet filius Dei matri suæ.

B scribas iura, leges decerne: cælum & terra, & quidquid illis continetur, tuum sit; quia omnia mereris, quia Mater es: & sicut debeo Patri fœcundâ naturæ necessitate, quòd Deus sim; sic ex aliqua parilitate debeo tibi, quod homo sim. Pater æternus totus in Filio, toto se quodammodo nutrit, sustentat; juxta illud: *Pater in me; & ego in Patre*: sic & tu me nutristi, educasti, sustentasti; & humana tua natura est in me, quæ in te. Filius Dei quà Deus, infinitè honorat Patrem; quia & amat infinitè: cur idem Filius non honorabit Matrem; quia & amat infinitè: quia ibi est honor, ubi

Virgo SS. quia mater omnia meretur.

C amor? Sine Deo Patre, non esset Filius, qui prior est origine Filio: sine Matre Filius Dei, non esset Filius hominis. Cùm igitur Filius teneatur homo, omnem gratiam referre Virgini; estnè referre gratiam, pati Matris culpani se nato, se vivente & docere obnoxiam peccato, sicut tu Calvine doces in 2. cap. Lucæ super illa verba *Remansit in Ierusalẽ*, ubi tantę Matris vehementer insectaris negligentiã: tu enim diabolico spiritu plenus, dicis meritò reprehensam. Sic semper ille serpens insidiatur calcaneo Mariæ; verùm ipsa conteret caput tuum. Apud doctos sanosque viros induere habitum repre-

D hendentis, non est reprehendere: at insania tuæ mentis te spoliat sanitate. Christus ergo non arguit, sed docet. Tenebatur Filius, si potestas foret, Matrem creare Deam: verùm cùm hoc non posset; voluit illam gaudere omnibus Privilegijs, exemptionibus, honoribus, triumphis, magnitudine gloræ, quanta dari potest. *An non lege: Si quis? etsi impubes, iniquissimum quis meritò dixerit, patrem egêre; cùm filius sit in facultatibus?* an non iniquissimum videri posset, non solùm Matrem egere; sed & nudari Justitiâ sibi debitâ, tanquam Matri, à quâ Divus Thomas, ut dictum est, arcet peccatum veniale; ut foret digna Dei Mater. & culpam

Sententia S. Thomæ nulli concessam quod S. Virgini concessum.

pam tu Calvine incurrisse doces. Accipe A impie doctrinam D. Thomæ in caput 1. Matthæi: *Nulli creatura concessum est, nec homini, nec Angelo; ut esset Pater, aut Mater Dei: sed hoc fuit gratia singularis privilegium; ut non solum hominis, sed Mater Dei fieret*, & ideò in Apocalypsi dicitur *mulier amicta sole*, quasi tota repleta divinitate. Ubi est ergò locus peccato? Si nullus locus peccato, cur jactas, locum reprehensioni? purus enim omnis labis censuram non subit, quæ fuit miraculum miraculorum, quæ ad quandam æqualitatem divinam elevata est, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum quibus Filius fecit eam similem sibi; cùm naturæ communione non posset. Si B Justinian. Leg. *cum multa de bonis, quæ liberis*, definit maiora privilegia, cuilibet pro magnificentiori dignitatis gradu deberi: ut Jmperialis dignitatis, omnes superemineat alias; ita oportet, & principales libertates, culmen habere præcipuum. Cùm igitur Virgo sanctissima ad supremum culmen honorum fuerit evecta à Deo Filio tanquam Patre; & à Filio hominis, tanquam Virginis Filio; quæ privilegia non debebit Pater filiæ, & filius Matri; cùm Filius semper debeat Matri, dicamus contra hæreticos, non solùm, inmunem Virginem ab omni suspicione peccati, verùm etiam omni honore Matri non imaginabile dignissimam.

§. XIII.

Totus orbis iudicat pro Immaculata Conceptione, eamque propugnat non solum ex æquitate causæ, verùm ex sacræ Scripturæ iucundissimo consensu concentuque.

QUid liber Canticorum, nisi laudes Virginis Immaculatæ spirat? quid resonat aliud, quàm nuptias divinitatis D cum humana natura quàm Epithalamia amoris? quis Artifex libri, nisi qui amoris? an non putas miras hunc habuisse manus, qui tam cælestes concinit, & conscripsit amores? Quoties legitur dulce nomen sororis, sponsæ, dilectæ, pulcherrimæ mulierum. Quid pulchrius Virgine dici potest; cùm Cantic. 4. ter cælestibus plausibus, pulchra promulgatur. Versu 1. quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. & versu 7. tota pulchra es amica mea; & macula non est in te. Quàm blanda invitamenta Filij & Matris. cap. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum*; & qualis hortus? cap. 4. versu 12. scilicet *hortus conclusus.* Dum ait Filius: *Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* & cap. 6. *dilectus meus mihi; & ego illi, qui pascitur inter lilia.* deindè cap. 6. ubi Virgo, Filium vocat suum fratrem: *Quis mihi det te fratrem sugentem ubera Matris meæ.* Quàm nihil Spiritus sanctus prætermisit, ut elaboraret Virginis pulchritudinem, & innocentiam? Quid exspirat totus liber, nisi aromata, unguenta Principum, & quas generat Iudæa opes; omnes flores, Veris divitiæ aduocantur, ut vivant, & floreant in laudes Virginis: *Stipate me*, inquit, *malis; fulcite me floribus*, hîc omnis arbor amat; & nutant ad mutua Palmæ fœdera: hîc malus, malo assibilat; & omnis hortus turget in flores. Nunc incedit Virgo stellata Liliis: nunc sponsus iubetur Divino pollice carpere lilia; nonnunquàm sponsus victus amore sponsæ, ad limina dilectæ pernoctans; & more militum novorum inauguratus, pervigil, rorantis cæli, noctisque guttis madescens, orat sibi domum, & sacros. Penates pandi. Contrà, Virgo soror, & parens offert Virginei uberis dulcia libamina: *Tibi*, inquit, *dabo ubera mea*, rorantia cæli nectar. Veniamus ad argumentum. Si tota pulchra; ergò non ex parte; ut docet Idiota in contemplatione de laudibus Virginis cap. 3. *Tota pulchra es gloriosissima; & macula non est* C *in te: tota pulchra es in tua Conceptione; ad hoc solum effecta, ut templum esses Altissimi.* & infrà: *Tota ergo pulchra es, & non ex parte; sed in toto: & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit.* Tota tu pulchra es; ut nulla macula sit in te: nec solùm pulchra pulchritudine corporis, donum exigui temporis, verùm animæ magis. Absolon lib. 2. Reg. cap. 14. *Vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem capitis, non erat in eo macula.* An is dici pulcher potest, qui mente fœdus: non in toto erat pulcher; sed tantum minimâ parte sui? Verùm Virgo corpore pulcherrima; pulchrior mente: venustate & flore corporis formosa; formosior flore & venustate mentis. Quòd ipsum explicat efficaciùs modus dicendi iuxta primitiam lectionem, quæ est: *Omnis tu pulchra est.* Quid hoc est dicere: *Omnis tu pulchra*, quàm dicere, omnem florem pulchri, & sanctitatis in Virgine ab ipso primo vitæ momento in te residere, quasi diceret: Tu es omnis pulchritudo; & macula non est in te, nec ullius peccati vestigium; sed speculum nitore fulgens, repræsentans omnem lu-

5. Virgo tota omnis pulchritudo.

stitiæ ornatum, & eminentem pulchritudinem. Quare ut hæc pulchritudo cunctis pateat; Cantic. 6. his nominibus decoratur. *Vna est*, videlicet, *columba mea, perfecta mea.* Ubi in Originibus habetur: *immaculata mea.* Cur columba? quia felle caret. Cur columba? quia Deo similis, simplicissima, indivisa omni parte sui, in animæ, corporisque actionibus constans, virtutum Regiarum conformatio, & morum syncera compositio. Cur columba? ut cantentur Virginis imbellis quidem, quo ad sexum attinet, supremi in debellatos superbissimos tartari hostes, felle turgidos, crudelitatis ferociam exspirantes, triumphi, cum hac inscriptione: *Simplicis columbæ de potentissimo Tyranno victoria: & cum simplicibus sermocinatio eius.* An foret columba, si cum felle originalis peccati nata? cùm columba felle careat. Tanto ergò triumpho, tantæque partæ victoriæ plausus datur. Cantic. 4. vers. 8. *Veni de Libano, veni coronaberis.* Quid Libanus, nisi candidatio? qualiter hæc alba? nisi tota dealbata, & nive candidior; Spiritus sancti schilicet unica cura, cuius stemma, columba candida signat Divinis muneribus, quasi candoribus æternæ lucis illustratam. Quare benè Sophronius, homil. de Assumptione: *Quidquid in eâ gestum est, totùm puritas, & simplicitas; totùm gratia & veritas sunt*; & ideò immaculata, quia in nullo corrupta sanctæ Virginis Conceptio.

Columba imbellis victoria.

SS. Virgo Soror Dei.

Alius locus Proverbior. 8. egregiè Virginis immaculatam conceptionem firmat atque exhilarat, dum Virgo sanctissima, de Deo suo solo Possessore gloriatur cùm ait: *Dominus possedit initio viarum suarum.* An non exilis & extenuata foret gloria si ab alio possessore fuisset præoccupata? an non flos fuisset delibatus ab alio possessore? an non novi possessoris introductio violat consummatam possessionem? Tribus titulus corroborata stat perfecta possessio in leg. servit. ff. servit. Primus titulus necessarius, ut sit antiqua quæ præscriptionem adducit & immemorabilis temporis statum constantem. Secundus, ut sit certa, quam nulla lex controversiæ strepitu pulsavit. Tertius, ut sit continua, quam nec momentum temporis interrupit. Cùm ergo Deus ab æterno Virginem possederit nec umquam possessionem deseruerit, quam semper amavit, (non enim amat & deserit) nec vnquam dæmon, cuius caput erat conterendum per mulierem, vllam prætenderit iuris factionem; clarè absolutam germanamque fuisse possessionem. Antiqua; quia ab æternitate sæculorum. Certa; quia numquam interrupta, & quia talis nunquam vllo

A prætextu prætenta. Stetit ergo possessio in suo intergro, nulla vacillans mali suspicione, quam nulla venialis peccati labes attigit, aut fomes peccati afflavit; & nunc pio communique & summorum Pontificum sensu, nec non totius Ecclesiæ publicâ festi inauguratione à peccati originalis macula vindicatur. Possedit ergo perfectè sanctissimam Virginem Deus. Hanc possessionem clarè denunciat Propheta Ezechiel cap. 44. *Converti me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam eritque clausa Principi.* Et quis

B ille princeps, nisi principum princeps, Deus ille magnus, qui suam possessionem ita firmis roboravit præsidijs, ut inaccessa fuerit via ad portæ (ut utar verbo Varronis) sacratissimæ apertionem? Si ita porta obsignata, omnem aditum acerbat, cuius licentiæ permittentur intima penetralia? Solus dominator Deus vendicat sibi ius omne, ut nec vmbram suspiciosi contactus patiatur. Sicut ergo Deus magnus in nomine suæ magnitudinis, civitatem Ierusalem, à superbissimo rege Sennacherib 4. Reg. 19. ita liberavit innoxiam, ut nec vrbem fuerit ingressus, nec miserit in eam sagittam, nec occupârit eam clypeus;

C sic & Deus suam Matrem tutatus est; quæ vere dici & vocari debet vera sancta Ierusalem, id est, pacis visio, quam nullus strepitus armorum perturbavit, nec pavor alicuius vitij perterruit. Quare vsurpabo illud Psalm. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ. Arcum conteret & confringet arma.* Flumen proinde & impetus pacis omnis lætificat Ierusalem civitatem Dei. *Quia sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* An non hoc tabernaculum ex Psalmô 86. vocaverimus civitatem gloriosam? *Gloriosa enim dicta sunt de te, Civitas Dei*; Et quæ

D gloriosa dicta? Deus fundavit eam. Fundator ergo Deus pro suæ magnitudinis majestate, fundamenta locans, totamque structuram regiò perfecit apparatu. Non mortalis ergo inhabitator potest sibi, sui quippiam vendicare in tam sacro domicilio, quod à Deo solo consummatum. Deus ergo fundavit illam & non alius. Nouus ergo fundator Deus nouum iecit fundamentum; nec veteris ruinæ vestigiis inædificavit, quia sibi parabat domicilium Deus. Quare & apposité sanctissima Virgo apud Ecclesiasticum cap. 12. gloriatur ex pa-

trum

trum Sanctorum, atque Ecclesiæ sensu se manibus creatam conditamque cum ait: *Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & dixit mihi: In Iacob inhabitá,* &c. de quo paulò inferiùs, ubi tractabitur, cur decuerit non alteriùs quàm Dei summi opificis manibus tam nobile, tamque insuetatum opus fabricari.

Ex dictis primi & secundi libri formabuntur duæ Conclusiones quibus, pie, & sanctè firmare conabimur virginem sanctissimam donandam immunitate debiti, & prolapsionis in debitum peccati originalis.

§ XIV.

Sit prima Conclusio.

EX consensu ergo sæculorum, suprà decursorum, in quibus Sancti Patres ingenti curâ & veneratione immaculatæ Virginis intactam puritatem semper propugnarunt. Deinde ex rationibus pro sacratissima Virgine militantibus; & cócordi sacræ Scripturæ conspiratione secundo libro producta piè ac securè, & dignitati tantæ matris convenienter asserimus sanctissimam Virginem, non solùm peccato, sed nec debito peccati fuisse obnoxiam. In huius conclusionis sanctam cótestationem suscitavit Deus hoc nostro sæculo magnorum doctorum senatum, qui non à servitute debiti, verùm etiam debiti suspicione, Virginem, quam Deus vocat suam Sororem, suam columbam, suam dilectam, suam sponsam, ac denique amatissimam matrem; volunt penitus immunem. Quare & sanctè abigunt etiam incurrendi peccati periculum, & omni flore gratiarum, & innocentiâ plusquam angelicâ, quâ maior sub Deo nequit excogitari, coronant. Impeccabilis ergo Christus Filius, impeccabilis & mater; Filius unionis hypostaticæ potentiâ; mater vi & potentiâ voluntatis divinæ, gratiarumque affluentiâ, nitore, at præuenientium scilicet atque operantium. Sicut nos docet Concilium Basiliense de pura S. Virginis conceptione hisce verbis: *Gratiâ* inquit *divini numinis proveniente & operante nunquam actualiter subiacuisse peccato originali.* Solerter apposita verba gratiæ prævenientis & operantis, & non habitualis; si enim per gratiam hanc fuisset sanctificata, debitum peccati originalis erat admittendum. Omnes ergo sancti Patres primo libro citati contemplantes immensitatem inexcogitabilis puritatis quæ feminæ, Deum pariturae debebatur, proximam divinæ puritati consignarunt, & sicut intima Mater Filio, & Filius

A Matri: sic & intima voluerunt iura puritatis utrique, quamvis discretis modis attribui; ita ut Matri, quantum dari posset, omnia innocentiæ integræ, intactæ, illibatæque privilegia darentur, ut majora dari non possent. Filius quidem naturâ impeccabilis etiamsi subsistentiâ increatâ mediâ non uniretur Verbo, propter excellentiam divinæ Sanctitatis, quæ medio supposito creato communicaretur humanitati. Nam licet non vniretur immediatè aliquid divinum humanitati, humanitas tamen pertineret intrinsecè ad illam personam quæ simul esset Deus, & homo; cui omnis latria, & omnis puritas sanctitasque debebatur. Matrem verò Patres sancti voluerunt impeccabilem, quamvis ex Adami substantia foret fabricata; quia proximè Deum con-

B tingebat ex qua scilicet fabricanda erat substátia, quâ intimè Deus purissimus erat vestiendus; quâ vestitus adoraretur Deus homo, & homo Deus. Ingens tamen conceptionis utriusque discrimen. In Filij conceptione, nulla potest intervenire suspicio maculæ, quia in illa nullum residet fundamentum in ordine propagationis, quia ex sola Virgine Filius ortus natusque: At in conceptione matris, propter naturalem propagationem ex viro & fœmina completam in debiti peccati speciem, apparet fundamentum, & virus matris maculæ, quæ in seminali propagatione fundatur. Si ergo conceptionis, mater tendebat in communem posteris Adami maculam, nisi lege po-

C sterorum, & pacto cum Adamo inito penitus eximeretur: & quia Patres sancti, cum Theologis dicunt exemptam, ideò & dicunt impeccabilem. Audiamus Sanctum Ildefonsum lib. de Parturit. & Virginitate. Deiparæ. *Quid est quod Regem requiris in Maria, ubi totùm quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus? Quod nec Adam ad se admisit, nec ex Eva collatione Filium suscepit.* Obstupesce in Filij, & Matris Conceptione mirabilem Dei sapientiam. Filius sine semine viri, cur factus concipitur purissimus: & Virgo ex semine corrupti viri nascitur imma-

D culata. An non hoc stratagema mirabile, omnem ordinem naturæ attonitæ novâ stravit inventione? An non fefellit & hominum ingenia & operibus factione novæ potentiæ? An non hoc est educere ex spinis rosas? ex saxis durissimis fontes largifluos? An non & rubum inter medias flammas innoxiam servare? Christus ergo nostram induens carnem, non induit peccatricem, ut subtiliter docet Tertullianus de carne Christi. Ergo si nostram induit, fuit peccatrix caro Christi? Noli constringere

gere inexplicabilem sensum: nostram enim induens carnem, fecit suam: peccatricem non fecit. Hunc sequitur Augustinus contra Iulianum cap. 15. *Solus natus ex omnibus de fœmina, sanctus Conceptione fuit Dominus Iesus, qui terrena contagia culpæ, immaculati partus novitate non sensit.* & idem contra eundem eodem cap. *Hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propagationem mali, quia Maria licet inde venerit, non tamen traiecit in corpus, quod inde non concepit.* An non potuit Deus pari formatione suam Matrem formare? Potuit, sicut ex Virgine Filius creatus. Cur ergo ex vitiatis parentibus & lege peccato subdita voluit produci? cur placuit dari fundamentum maculosæ conceptionis; voluit Deus patrator mirabilium in utraque conceptione mirabilis suæ omnipotentiæ recondita consilia mundo monstrare. An non ipse novit de tenebris lucem; de ligno mortis vitam; ex humana natura victa victoriam; à veneno sanitatem educere? Filio procreata humana caro ex omni parte purissima, citra viri consortium: matri verò ex damnata massa, nulla damnatæ massæ contagione caro creata, semper integritatis intacto flore, quasi perenni iuventâ perdurans. Mirabitur quispiam dici creatam Virginis Immaculatæ, carnem? desines mirari, si Sancta Ecclesia, cum Sanctis Patribus, à Spiritu sancto edocta (ut suprà dixi) Sanctissimæ Virgini illud Ecclesiastici 24. tanquam singulare præconium assignet, quo Sanctissima Mater liberrimè potest gloriari, cùm ait: *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Quasi non Adamo Patre, sed Filij sui manibus creata, eiusque meritis prædestinata, alioquin non futura nisi propter Filium. Sicut ergo creavit Deus Evam ex costis Adami in Adami sponsi futuri adiutorium: ita Deus creavit hanc sanctissimam Virginem ex meritis sui Filij, in eiusdem Filij subsidium. Hunc sensum nostrum appositè confirmant. 70. Interpretes; nam ibi nos habemus, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, illi sic habent *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Per vias intelligit Ambrosius cum Cyrillo Redemptionis nostræ rationes, & consilia à Deo concepta: quasi diceret: Ad redemptionis opus admirabile, me principem & primã creavit; non elegit, non assumpsit, sed creavit, produxitque quasi ex nihilo absque ulla contagione peccati, de peccatore quidem parente, cuius peccati rea non essem, post prævisionem peccati lapsumque parentis prævisam. Sic & Augustinus lib. de 5. hæresibus dicit Virginem fabricatam à Deo. *Solus*, inquit, *ad eam accessit Dominus & fabricator eius.* Deindè inducit Christum loquentem: *Ego matrem de qua nascerer feci*, hæc, quam despicis Manichæe, mater mea est, manu fabricata est meâ; si potui inquinari cùm facerem, potui in illâ inquinari cùm ex illa nascerer. Sicut in transitu meo, illius non est corrupta virginitas; Sic & mea non est maculata maiestas.

§ XIV.

Quare decuerit dici Sanctissimam Virginem manibus fabricari.

NOluit Deus Virginem in Solo, fundoque Adami fundari hæreditorio stabilique; si enim solo Adami adhæsisset, verissima filia peccatoris dicenda fuisset. An non Domino soli serit & ædificat, quicumque in alieno solo serit, & ædificat, dummodo ædificium non possit sine magno incommodo dimoveri, & sit solo affixum? Vide legem de acquirendo rerum Dominio. L. graviora, de actionibus. Et sanè cur id quod nascitur, & ædificatur in alieno solo, non caderet sub dominium illius, cuius est solum? An non fons aureorum ramentorum turgidus illius est, cuius est hortus in quo ebulliens scaturit? An non gemmæ inclusæ auro, ornatus causâ cedunt auro? An non literæ aureæ si sint, chartis & membranis cedere solent? Sancti ergo Patres, quia nolunt admittere debitum peccati, & obnoxiam debito SS. Virginem negant, negant ædificatum in solo Adami, & solo adhæsisse Adami. Quod si foret vendicaret illam sibi Adamus tamquam Dominus soli. Esto dederit Adamus initium & substantiæ & conceptionis; at Virgini non peccaminosum, quia fundo & solo non affixum, potuit nullo damno soli amoveri. Ne quid ergo iuris posset Adam prætendere, dicitur Filij manibus creata Mater.

Unde rectè exclamat Anselmus: *Cùm ipsa conceptio fuerit habitaculum summi boni, si peccati alicuius maculam ex prævaricationis origine contraxit; quid dicemus?* An non dicemus domum Dei vitiatam, & ream læsæ Majestatis Virginem? Fateamur ergo Deum posse domum ædificare in solo alieno, at non affixam solo alieno. Quare & præclarè illud docent 70. Interpretes, in illud Ieremiæ 31. *Creavit Deus novum super terram.* Et quod novum? Fœminam & Virum; Matrem

trem & admirabilem, & Filium magis admirabilem. Illi consulentes gloriæ, & Matris dignitati sic transtulerunt: *Quia creavit Dominus salutem in plantatione nova?* Et quid hoc est? quàm arborem novam, cum novo fructu futuram? & quis est salus universi, nisi Filius Dei? & quis plantatio nova? nisi Virgo beatissima, quæ fuit virgo de vitiata arbore humanæ naturæ procedens & sic Virgo Filio *suo facta in adiutorium simile sibi*, ubi Chaldæus sic vertit, quod *adiutorium sit iuxta se*, id est Filium. Fuit ergo in horto Adami sanctissima creatura ratione primæ acceptæ substantiæ, at non affixa solo verum plantata in solo Dei, paradiso filij sui, manibus filij ad se traducta. Domum sibi ædificaivt Filius, esto quod in fundo Adami. An igitur B cessura Adamo? cessura quidem Adamo, si solo adhæsisset, nisi facili negotio removeri posset sicut amota fuit; & ideò L. ideo L. domus. cap. de rerum vendicat. *Solo non cedit.* Dicitur ergo creata manibus filij sui, cùm dicitur empta & redempta & prędestinata meritis Filij sui; sicut enim operâ, & laboriosis manuum actionibus regia præmia comparantur, sic Filius meritis suis infinitæ dignitatis nobilissimum omnibus operũ opus, sanctissimam scilicet matrem in suorum meritorum præmium, tanquam omnium victoriarum victoriã acquisivit. Cùm ergo dicitur à filio creata Sanctissima Virgo, & solo Adami exempta; dupli- C ci gradu perduellionis, & crimine læsæ majestatis libera declaratur. Primo gradu excipitur, quod regnum divinitatis nec affectarit, nec sceptrum ambiverit. Excipitur & ex altero, quia nihil consiliorũ in summum Principem fuit molita, quorum rea in consortium defectionis possit deferri, & ideò testamur solo Adami non ad hæsisse, nec potuisse adhærere, quia tota coniurationis factio fuit absoluta, priusquam de Virgine cogitaretur; tunc enim fuit excogitata, ut in remediũ communi excidio per coniurationis scelus introducta, salutarè daretur. Piè ergo & sanctè, Sanctorum Patrum suffragijs, & rationibus, & sacræ scripturæ favore credimus D inducti, Sanctissi. Virginem debito peccati originalis non fuisse obnoxiam. de quo posteà latiùs in conclusione totius operis, & quidem ex sententia D. Thomæ. Quemadmodum ergo D. Dionysio cap. 2. de divinis nominibus, *Novitatum omnium supereminens novitas est sacra Incarnatio*, in qua ab æterno abscondita Dei sapientia elucet, in qua pariter & elucet summa Dei misericordia, cum summa potentia; Sic & sanctissimæ, Virginis, immaculata conceptio, vocari potest novitatum omnium supereminens novitas, in qua mirifico & tamẽ possibili modo hæc tria attributa irradiantur. Emicat misericordia, dũ Deus

A filius, in sacra conceptione prævenit eam profusis in eam omnium fontibus gratiarum. Sapiẽtia triumphat: dum modum invenit, quo ab omni maculæ contagione exciperetur; nasceretur quidem lege communi filia Adami, non tamen Adami peccatoris, & scriberetur hæres sanguinis, non tamen proditoris. Stupenda etiam potentia publicatur, quæ potuit facere mundam de immundo conceptam semine. Iob. 14. Paulus ad Ephesi 3. v. 8. vocat Incarnationem sacram Filij Dei investigabiles græcè ἀνεξιχνίαστον impervestigabiles vias Christi: Ambrosius incomprehensibiles; Dicamus & nos immaculatæ Cõceptionis vias investigabiles. Et Augustinus lib. 10. de Civit. Dei dicit Incarnationem summum exemplum gratiæ, nec potuisse gratius commendari, quàm cùm Dei Filius carnem indueret. Idem dixero de sacra Virginis conceptione. Tria ergo attributa in summis operibus elucent misericordia, sapientia, atque potentia. Quis credidisset Filium posse generari à Virgine & matre virgine sine Patre? Quis crdidisset à Patre servo & immani proditionis scelere pollutum, filiam omni metu sceleris liberari, & flagrantem, principis gratiâ potuisse produci? Fulgor ergo summæ innocentiæ, & puritatis Sol ex massa vitiata, & caliginosa nube processit.

Secunda Conclusio: SS. Patres dum sanctissimam Matrem omni debito peccati originalis liberam decernunt, adiudicant ei libertatem. Plenissima verò & absoluta libertas dicitur, quæ vincitur obligatione, & cui sui plena est potestas sibique dicit leges vivendi, & ex voto vivit, iuxta Juvenalem saty. 15.

Tu tibi liber homo & regis conviva videris:

Liber, qui vitia & errores exuit omnes.

Quare qui aliquo iure & iuris prævisione, vel aliquâ ratione, vel culpæ etiam minimâ contagione victus tenetur, liber dici non potest. Pro mensura ergo obligationis necesse est minui libertatem: obligatio enim est iuris vinculum, quo necessitate tenemur alicuius rei solvendæ, teste Justiniano *Parag. de obligat. lib. 3. de institut. titul. 4.* Dum ergo sanctissima Creatura, cui tanquam Dominæ & omnium creaturarum libertas perfectissima debebatur, à minima contagione, vel suspicione culpæ declaratur immunis; necesse est fateri ex Patrum sententia, nullâ obligatione, vel vinculo debiti teneri, ac proinde ex omni parte, plenissimâ sui frui potestate: nec etiam minimæ culpæ succubuisse, ac proindè nec dæmonis per umbram potuisse subijci potestati. Quid enim dominatrici creaturæ tam adversum quàm species servitutis, quæ subjectionem importat?

Demus

Demus libertatem SS. Virgini, quæ iudicatur, in rebus humanis, summum bonum, & inæstimabile, teste Senecâ, quod est maximam in se habere potestatem. Quare & in iure inæstimabilis habita est libertas, & mors servituti præferenda. Quare luce naturæ, nihil gratius quidquam præstari potest libertate, quæ per se ut est magnifica pulchraque, ita misera & immanis servitus. Audi Senecam in Troade:

Durum, invisum, & grave servitium ferre:
Et cur non esset invisa servitus, quæ naturæ inducitur iniuria? An non amore libertatis, Brutus clade suæ domus in odium servitutis, quam filij machinabantur inducere, naturam suam expugnavit, filiosque securi percussit? An non Xanthij se, suosque igne subiecto cremarunt, ne captivi venirent in Bruti victoris potestatem? Lacon, teste Senecâ Epist. 77. cùm adhuc esset impubes, clamabat iussus fungi servili, & contumelioso ministerio; *Non serviam* & illisum parieti caput rupit. Gravis servitus corporis, at longè gravior mentis. Paucos servitus, plures servitutem tenent. An non ingens servitus, servire libidini? quidquid est bonæ indolis, demergere? assiduâ & ineluctabili mente, per diem noctemque æqualiter premi vitijs impendentibus, nec liberâ animi tranquillitate frui? An non est servus, qui vitijs servit? an non liber, qui sui effugit servitutem? Ille est æger animus & vitio suo miser: tot ille dominis, & tyrannis subditus paret, quot æstuat scelerum flammis: ille sibi compedes induit, & malum adjungit malo, quamvis sit liber, qui indomitos habet oculos, manus, mentem, orationem, & totus sceleribus patet. Summa ergo servitus, pati & servitutem dæmonis, ad quem pertinet servitus mentis. Gravis servitus corporis; at maxima mentis, & peccati: vtraque cùm liberemus sanctissimam Virginem; præcipuè tamen mentis libertati perfectæ velificamus, dum suspicionem minimæ noxæ ab ea profligamus, & soli Deo subesse testamur. Paucis videamus an aliquâ servitute Virginis libertas potuerit obscurari. Duplex autem servitus est; una, quæ nativitate; altera, quæ potentiâ alienâ inducitur. Potentiâ alienâ inducitur servitus, vel pœnâ delicti, vel necessitate, vel captivitate. Pœnâ delicti, vt qui abutitur libertate, dignus est libertate spoliari; iuxta regulam, *Iuris privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate.* Sic primus parens, servitutis factus est reus; dum vertit arma, consilijs dæmonis obtẽperans, in auctorem suæ felicitatis. Deinde servus libertate donatus, si ingratus in dominum, æternæ servitutis damnatur. His adde ex familia latronum comprehensos: fiunt enim servi comprehendentium. His omnibus titulis & primus parens; & posteri ex suo parente incurrerunt pœnam servitutis servorum, qui matre servâ nascuntur; matris enim conditionem sequitur parens iure gentium. Quamvis major nota ac dedecus illis inuratur, qui utroque parente servo generantur; Statuitur enim homo in vltimo gradu despicientiæ, & vilitatis. Quare olim magnispiritus mortẽ ipsam servituti præposuerũt. Admirare unam Hasdrubalis principis tertio bello punico coniugem, quæ marito ferocior, comprehensis duobus liberis, ne favillis patriæ incensæ superesset à culmine domus, in medium se misit incendium. Hac vtraque servitutis specie SS. Patres volunt S. Virginem penitus exemptam, liberam dum purissimam statuunt. Puritas enim S. Virginis summè intensa, per recessum ab omnibus dictis titulis; & sui contrario adeo eminens est ut nihil purius possit inveniri in rebus creatis, ac proinde ab originali & actuali penitus piè creditur immunis. Non tamen ea fuit Virginis puritas, ut esset purissimus actus, & naturâ suâ impeccabilis, quod nulli creaturæ cõtingere ex conditione naturæ potest; omne enim creatum quantumcumque perfectum semper est in potentia ad recipiendam novam formam, vel novam qualitatem & naturaliter habet aptitudinem ad peccandum, non aliter quàm si diceremus eam personam cum huiusmodi qualitatibus conditam, posse peccare, sicut omnia possibilia dicunt quamdam aptitudinem, ut non repugnent esse. Talis fuit status Sanctissimę Virginis, ut ex vi conditionis humanæ naturâ diceret aptitudinẽ remotam ad peccandum, non verò obligationem debiti, vel peccati incurrendi, quæ macularet imperatoriam libertatem, & induceret speciẽ, vel umbram alicuius servitutis. An nõ debitum ad peccatũ tendit & ad peccatũ obligat? An non finis, & terminus debiti est solutio? & quamvis debitum peccatum non sit; quantũ distat à peccato? Si ergo contraxit debitũ Sãctissima Virgo ex vi iustitiæ, trahit secum necessitatẽ peccati, ut obligatio ad carcerem, carceris necessitatẽ, nisi maiori potentiâ necessitas remittatur. An nõ omnes contraxerũt debitum? Planè. Contraxerunt & necessitatem peccandi, & nati dicuntur peccatores, & rei mortis. Ex hoc solo disce malitiam debiti, pie Lector, ut illud magno ardore à Sanctissimæ Creaturæ impenetrabili puritate, & innocentia submoveas. Ea est calamitosa debiti infelicitas quam habet communem cum peccato, ut nec Deus ipse de potentia absoluta, possit hominem peccati debitorem constituere. An non adeò quia peccati debitor, est ad peccatum obligatus? Deus autem neminem ad peccatum obligare potest, quinimò nec ad debitũ eiusdẽ: quod dicere foret impium:

Sicut ergo mortis debitor effectus, certo vinculo mortis tenetur, ita ut nec solvi possit nisi accessione dominantis potentiæ; sic debitor peccati vinculo peccati constringitur. Enorme ergo servitutis genus, debitum servitutis creat: & cur hoc in sanctissima Virgine agnoscemus, cujus nullam necessitatem, Patres SS. pleni Deo, & amore Virginis sacratissimæ, & Matris admirabilis agnoscunt?

§. XV.

His duabus conclusionibus addenda duo dubia.

Primum.

QUare placuerit Deo SS. Virginis immaculatam Conceptionem gravibus concertationibus expositam agitari? Huic dubio, si certæ veritatis sit vaticinium beatæ Brigittæ, satisfaciet; quam sic S. Virgo affatur: Veritas est quod ego concepta fui sine peccato originali: & non in peccato. Deinde rationem attexit cur disceptationibus videtur in dubium vocari. Scito, inquit, quòd Conceptio mea immaculata non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem Christi scriptam, præcessit lex naturalis, & electio voluntarij boni & mali; ut posteà veniret lex scripta, quæ frænaret omnes insolentes affectiones; sic placuit ut amici Dei de mea Conceptione dubitarent, & quilibet zelum suum exereret, donec veritas studio magnitudinis meæ amplificandæ innotesceret. Omnia, divina Sapientia facit in pondere, numero, & mensura. Benè Boëtius *Metro 6. lib. 1. Signat Deus tempora propriis aptans officiis; nec quas ipse coërcuit, misceri patitur vices.* Sic Filius Dei missus, ubi venit plenitudo temporis. Sic Crux sancta, centum circiter & octoginta annos delituit, & tandem sub Constantino Magno prodigiis & signis inclaruit. Divina ergo spiritu afflata S. Brigitta prædixit ventura sæcula, quibus essent diversæ opiniones immaculatam Conceptionem irradiaturæ. Excitavit Deus Scotum, de quo in sæculo suo actum, qui instar Danielis liberavit Virginem sanctiss. debito peccati, ut ille Susannam circumventam & luce novo pudicitiæ sapientissimè illustravit? Quàm autem validè sancta Sedes, cum maxima Ecclesiæ parte SS. Virginis puritatem intactam sit complexa, sua sæcula, & ultimum honorarium docebit.

A

§. XVI.

Alterum

Dubium nobile suscitat hoc loco S. Augustini & sacrosancti Concilij sententia.

Si Virgo in Adamo non peccârit, quomodo ergo redempta dicetur? si non redempta, quomodo Filius dicitur omnium Redemptor?

B

EX communi Doctorum sententiâ testamur nobilissimum Redemptionis opus, fuisse sanctissimam Virginem, quæ tanto in pretio & honore, Deo fuit; ut pro ejus solius gloria tuenda arduum Redemptionis negotium suscepturus fuisset, ceteris prætermissis. Duplex definitur Redemptionis genus: Unum, quo quis liberatur à malo, & captivitate, in quam quis incidit. Hoc Redemptionis genere Virgo non eguit; cùm nullum peccatum, quocumque oculos intenderis, nulla species captivitatis obversetur. Alterum est, quo quis salutaribus remediis præmunitus, à malis servatur incolumis, vel salvatrice dexterâ sublevatur, ne in mala prolabatur, quæ naturæ conditioni, vel statui possent obvenire. Sic Divus Dionysius *cap. 8. de divin. Nominib.* vocat *Divinam Iustitiam, omnium rerum salutem, quòd omnia à deterioribus conservando liberet, & eripiat.* Hunc etiam modum liberationis agnovit Divus Augustinus, in illud Psalm. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Quod & explicat exemplo Medici, *qui ab imminente ægritudine dicitur liberare eum, quem medica dextra, & remediis efficacibus in constanti sanitate tuetur, & ut ita dicam, præservat.* Utitur & exemplo ad veritatem maximè accommodato; ejus, scilicet, qui pro alio debitum solvit: & hoc modo, carcere, vel morte, cujus reus exstiterat, liberat. Quare & congruenter D. Dionysius duplicem statuit Redemptionem: Unam, quæ lapsos erigit: Alteram, quæ ruiturum, quantum ex se est, à lapsu servat incolumem. Audiamus ipsum Sanctum, *cap. 8. §. 9. de divinis Nominib. Verùm enim professò, & hanc salutem non præter intentionem Scripturæ sacræ, redimentem prædicare possumus, quantùm cujuscumque admittit natura salvandorum. Idcircò illam Redemptionem etiam Theologi appellant ex eo, quòd non sinit ea, quæ vera sunt, ad id cadere, ut non sint. Ex eo item, quod si quid deliquerint, & ab ordine suo aberraverint, & immutationem bonorum aliquam passi fuerint; hâc etiam in parte, à passione, & imbecillitate, & privatione redimit,*

Duplex redemptionis opus genus.

C

Unum genus liberationis à præsenti malo liberare: alterum ab impendente vel metuendo.

D

S. Dionysius genus agnoscit.

implens quod deest, & à malo erigens; imò in bono sistens, & quod destruxerat, reparans ac disponens. Ecce ut eximius Doctor, Redemptionis quoddam genus agnoscit: homines, scilicet, ne in nihilum, id est, peccatum decidant (quid enim verè nihil est, nisi peccatum, omnis boni privationem secum adducens?) aliud verò in integrum restituens collapsos. Et quemadmodum duo sunt Medicæ artis studia curiosa, & officia: Primum horum, cura restituendi afflictam sanitatem: Alterum, constans sanitatis tuendæ custodia: sic & vivacis gratiæ divinæ duplex medicamen. Unũ, quo aufertur carnis cupiditas: Alterũ, quo gratia perseveranter custoditur, ne caro prævalere possit. Quicumque ergo vivit, vel ut sanè vivat, vel æger vivat, sanitate redintegratâ, semper Medici experti scientiâ, aut labore indiget. Jucundum erit, Augustinum legisse, *in Psal. 85.* hoc Redemptionis genus luculenter versantem: *Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat tibi: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, ægrotabis; tu autem si feceris, & sanus fueris, rectè dices Medico: Liberasti me ab ægritudine, non in quâ eram, sed in qua futurus eram.* Et sanè nobilius hoc genus Redemptionis est, & liberationis; præcavere scilicet vulnus, præsidioque securo præmuniri; quàm accepto vulnere, saucium, tandem obductâ cicatrice sanari: Sic majoris, & potentioris gratiæ, ab exitio servari incolumem, & communi internecioni mirificis privilegiis subtrahi, quàm per varia scelera contaminatum, per varias artes depurgari.

Augustinus docet hoc duplex genus redemptionis.

Felicior innocentiæ status, si nunquam violetur: felicior intacta pudicitiæ fama, quàm si postliminio, novæ vitæ pretio redempta. Fortunatior Imperator, perennium continuatione victoriarum, quàm multis cladibus, & sanguine hostes debellasse. Ingens gloria bellici sudoris, vincere, & nullo suorum vulnere. Felicissimus ille omnium, qui nullum gaudium sui hostibus infernalibus dedit, nunquam fuisse adustum ullâ scintillâ, nec flammæ sensisse vestigium; ubi omnes flagranti incendio sunt penitus exusti. Deinde quàm miserum, justo judicio in carcerem, pistrinum, in vincula detrusum, loris flagellisque cæsum fuisse: quantò beatius alienâ pietate, indissolubili, cui quis potuisset objici debito, fuisse liberatum, & pro carceris periculo plenâ libertate fuisse donatum. An non ingens beneficium, alieno periculo, sanguine, & vitâ redimi suam, ne ullo periculo prætentari possit? His sic constitutis, longissimo intervallo Virginis Redemptio gloriosior Adami: quantò gloriosius est nunquam fuisse Dei hostem, quàm fœdâ prolapsione peccati contra Deũ inimicatum fuisse. Sicut ergo Adamus Christi Redemptione, à peccatorum tyrannide, æterna morte, Deo reconciliatus, fuit liberatus: sic sanctissima Virgo Christi meritis ab originali peccato, ejusque debito, liberam immunitatem est consecuta. Videamus quâ ratione, & quâ admirabili divinæ Providentiæ potentiâ sit hoc consummatum? an non eâ, quia Christi Domini meritis, beneficio Redemptionis, & mortis Dominicæ justissimo præmio, non fuerit pacto Adami comprehensa? Verùm comitiis cælestibus prærogativam tabulam purissimæ innocentiæ sortita, omni servitutis suspicione fuerit pariter exempta? An non nobile Redemptionis opus, & inventum genus liberandi? invenire viam, & decreta statuere, ut filia Adami non posset traduci, tanquam filia Adami peccatoris, quæ ex naturæ conditione potuisset traduci, & sine violatione legis, à legis præcepto instituere exceptionem? In Virgine ergo duo consideranda: remota scilicet potentia ad peccandum, non proxima. quam etiam Divus Thomas, *in 1. distinct. 45. quæst. 1. art. 3. ad 3.* agnovit, ut dictum est: dum ait, *Virginem ab omni culpâ vacasse, veruntamen propter potentiam ad peccandum, & capacitatem naturalem, dixit minus distare à peccato, quàm Deum.* Puritas autem in Virgine ea fuit, ut major sub Deo nequit excogitari; in quantum autem homo erat in potentiâ ad peccandum: ubi in Deo est impotentia ad peccandum; quia cùm purissimus actus sit, non est in eo potentia ad peccandum: sicut in omni creatura est ex naturæ compositione. Inerat ergo Virgini sanctissimæ capacitas naturæ, & ad peccandum, & potentia deficiendi, nisi Christi meritis cohibita fuisset. Infinitas ergo gratias debet infinito Deo sanctissima Virgo, quòd Christi meritis, & Filij beneficio Deus fuerit inductus.

Felicior status si nunquam læsus.

In sanctâ Virginis statu duo sunt consideranda, remota & proxima potentia ad peccandum.

In Virgine erat remota peccandi, quia creatura, non autem proxima.

Nota Lector studiose, quod cùm potuisset alio modo Deus decernere, ejusmodi tamen decretum elegerit, quo omnis peccati periculum, ejusque debitum evitaret, & priùs creare decrevit, ubi de liberando orbe cœpit cogitare prævaricatione jam completâ. Hujusmodi Redemptionis beneficium agnovit D. Augustinus *lib. 2. Confess. cap. 7. Gratias tibi ago, & confiteor nomini tuo, quia tanta mala mihi dimisisti, & nefaria opera: gratia tua deputo, quòd peccata mea, tanquam glaciem solvisti: gratia tua deputo, & quæcumque non feci mala. Quid enim facere non potuit omnia mihi dimissa fateor, & quæ meâ sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Vide, ut Augustinus agat gratias pro peccatis non commissis, quæ tamen ut possibilia poterant patrari. Inerat ergo D. Augustino tunc ad peccandum potentia, quamvis actione non consummata. Alterum, quod in Virgine considerandum: beneficio Christi, ejusque meritis, innocentiam cum justitia acceptam, & dona virtutum cum admirabili incremento semper in suo virore fuisse conservata, cùm omnis creatura sui potens & libera, facilè possit incurvari, vacillare, & commoveri: in Virgine autem constans & perennis flos omnis integritatis semper perdurârit, & in suo robore perstiterit. Duplici ergo

Hanc potentiam remotam agnovit D. Augustinus.

In sanctiss. Virgine perpetua & constans boni voluntas affectus.

ergo Diademate Redemptionis Virgo fuit redimita. Primum & nobilissimum, quod Christi meritis decreta fuit post lapsum prævisum Adami: Alterum: quod Christi meritis ita incolumis, & liberè vitârit peccati fœditatem, ut nullo tentationis motu, vel afflatu pulsari potuerit. Hoc agnovit Augustinus, loco suprà citato enim vocatus ante, secutus est vocem tuam, & vitavit quæ de meipso recordantem, & fatentem legit, non me derideat, ab eo Medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est, ne ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Imò verò amplius Deum diligat, quia per quem, me videt tantis malorum meorum languoribus exui, per eum, se tantis peccatorum languoribus non implicari. Unde & illud, lib. de dono perseverant, expendens illa verba: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum.* Dicit hoc beneficium partum Christi gratiâ, per quod quis liberatur & redimitur à peccatis, quæ admissurus erat, si diutiùs viveret, quamvis parvulus ad hæc mala, remotam habeat dispositionem, & ut ait Divus Thomas, potentiam ad peccandum haberet. Quare & Sap. 4. dicitur raptus. Expende illud verbum, *raptus*, extraordinariâ, scilicet, gratiâ, beneficio, & singulari misericordiâ prævenienti subtractus, quâ futuris peccatis cavebatur, in quæ, victus illecebris humanæ vitæ, facilè poterat prolabi mundo subtractus, aliò concessit.

Duplex SS. Virginis diadema.

Nobilis locus D. August.

Sap. 4. illud beneficium liberationis agnoscitur

§. XVII.

Alia ratio intrinseca Redemptioni Sanctissimæ Virginis.

ETsi dixerimus Virginem liberam ab omni, non solum culpa reatuque, verùm etiam ab omni debito peccandi, quia scilicet, meritis Christi Domini Filij sui in pacto Adami cum Magno Deo constituto, non erat comprehensa, ac proindè Adamum, etsi ex eo orta, nec caput suum, nec Principem agnoscebat: Alio etiam ex capite dicemus Virginem, nobilissimum Redēptionis opus, à Christo enim, veluti capite generis humani ad reparationem ejusdem omnes gratiæ conferebantur summi Patris voluntate, intuitu sacræ Passionis, quæ gratiæ debent vocari gratiæ Redemptionis. Primaria enim, & Intrinseca, & ut ita loquar, adæquata: adventus Christi intentio, fuit peccati destructio. Necesse est ergo, omnia quæ sub hanc primariam intentionem cadunt, ad destructionem peccati Adami referri. Quare non sine causâ dicitur, omnem gratiam Christi, fuisse gratiam Redemptionis & reconciliationis. Hinc inferas, & concedas necesse est, omnem gratiam collatam sanctissimæ Vir-

Virgo alio modo nobilissimum redemptionis opus.

A gini, quin imò & ipsum creationis beneficiū fuisse gratiam Redemptionis, & expiationis, non ad propria delenda peccata, sed totius generis humani, malitia capitis penitus collapsi. An non illa ad peccati destructionē, summo à Deo fabricata? An nō data Filio in adjutorium? an non de illa dicitur, *Et ipsa conteret caput tuum?* Unde & Ildefonsus, l. de Virginit. c. 12. sic scribit: *Procido ante te, solùm opus Redemptionis Dei mei.* Et post pauca verba: *Concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi: Illi sicut Redemptori meo; tibi sicut operi Redemptionis meæ: quod enim in meâ Redemptione est operatus, in tua persona veritate firmavit.* Quare existimas ab Ildefonso vocari solum opus Redēptionis, an quia propter illam solam, redemptio est instituta? an quia tota vis Incarnationis in illam profusa est? an quia Virgo sola, digna est visa, tanto pretio emi? an quia ceteris prætermissis mortalibus, in hanc suæ gloriæ imaginem, amores omnes statuerat transmittere quam decreverat sibi sociare in filiā, sponsam, & Matrem? An non filij, & Matris causâ, ut dictum est ex Galatino, cetera omnia creata? Quare Sap. 4. dicitur: *Sola speculum sine maculâ* (bene quidem) *Dei Majestatis:* at Textus Græcus aliquid nobilius, & excellentius eloquitur: *Speculum sine maculâ Dei operationis seu energiæ*, quia in hoc speculo cōficiendo, formando, illustrando, omnis Dei fortitudo, & redemptionis potentia enitescit. Ingentis sanè potentiæ à Virgine filia Adami, removisse omnem peccati maculam, & à luti massâ, sine luti contagione, fulgore Divino illustratam prodijsse: aliorum specula nulla, nisi afflatu serpentis commaculata omnia infuscata stemmate proditoris, vitiataq; Illa verò speculum, & imago Divinitatis Divinæ vocatur, & candor lucis æternæ, qui locus à SS. Patribus SS. Virgini consecratur. Quare & hæc SS. Virgo, ab Ecclesia vocatur electa ut Sol. quia, teste Isidoro, Sol sic dictus est, quia inter omnia sidera, Principis instar eminet, ad cujus aspectum cetera lumina, quasi plebeia diffugiunt, & ideo vocata. Sol Redemptionis, quia Virgo præminet rebus omnibus à Deo creatis. Unde & Damianus in illa verba Cant. 7. *Electa ut Sol. Altiùs habet aliquid claritas Solis, quàm claritas Lunæ: quia hæc, minores stellas obscurat, non tamē penitus occultat.* Sol verò totus lucidus & candescens, ita siderum, & Lunæ rapit positionem, quasi non sint, & videri non possint: Ita & Virgo Jesse, inaccessibili luce perlucens, sic utrorumq; spirituum hebetat dignitatē, ut in cōparatione Virginis nec possint, nec debeant comparere. Illa sola, fuit sufficiens finis Incarnationis Divinæ, Illa digna merces, digna tanto labore peti. Utamur verbis D. Bern. ubi expendit illa verba: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Bene, inquit, salutari meo: quasi dicat, singularis meus salvator fuit quia eius productio, auctore Christo peracta est, & meritis eius parta.* Et quare tanta curarū mo-

SS. Virgo digna sola visa pretio redemptionis.

Christus D. singularis fuit salvator SS. Virginis.

le hoc negotium procuràtum. An non ideo, ut August. in illa verba Apocalyp. 12. *Draco stetit ante mulierem. Stabat Draco in conspectu mulieris, Virginis, scilicet, Mariæ, ut integra, caput nostrum integrum erat paritura.* Quomodo integra pareret, quæ aliquando corrupta? vide illa verba D. August. de quinque hæresibus c. 5. superiùs citata in suo, scilicet, sæculo. *Condidi* inquit, *Christus Matrem, qualem esse decebat eam, ex quâ me nasci oportebat.* Convenienter ergo condidit Deus Matrem similem filio, quantum fieri concedebat Divinæ naturæ diversitas. Filius ex ore Patris, Ecclesiast. 4. *Ex ore Altissimi prodivit, primogenitus ante omnem creaturam*: sic & Mater primogenita ante omnem creaturam, prodit ex ore Altissimi, in cujus faciem spiritus Dei inspiravit spiraculum vitæ. *Quid ergo,* inquit Ambrosius, lib. 2. de Virginit. *Nobilius Dei Matre? quid splendidius, quam splendor elegit? quid castius, qua corpore sine corporis contagione generavit? Virgo non solùm corpore, sed etiam mente, & quomodo fuisset mente, si quando corrupta fuisset?* Dum ergo audis creatam, ne putes non Redemptam, & cum audis Redemptam, ne putes non creatam à summo fabricatore? & cùm legis creatam, & Redemptam, ne putes à servitute, à debito, à levi culpa liberatam, cujus nunquam rea fuit. Dominus, quippè, possedit eam in initio viarum suarum, quæ nullum alium possessorem unquam cognovit ut dictum est. Creata, & Redempta est Virgo sanctissima, nata pariter ex Adamo, non tamen Adami peccatoris filia: Redempta meritis Filij, ne posset peccare, quæ ex naturæ compositione potuisset, redempta, quia in destructionem peccati producta, ut Filio foret in adjutorium perpurgandi generis humani. Gratulamur tibi, ô sanctissima Virgo, pro summo triumpho, & victoria de tuis hostibus, peccato, scilicet, originali, & actuali, parta, gratulamur & de libertate absoluta, & immunitate omnis debiti, & tecum clamamus, hilares currum triumphalem sequentes. Quia fecit tibi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Verè magna & inaudita decreta Divinæ sapientiæ, quæ suâ novitate omnem admirationem superarent, ut una creatura diceretur ex toto sancta, & eadem Mater admirabilis summi Dei, quæ ex toto sacrilego, impio, & execrabili Patre nata, qui summi Principis tenebrarum hæreditarius erat filius conclamatus.

SS. Virgo creata, redempta & etiam ex Adamo nata. Qua ratione?

§. XVIII.

Rationes congruentes, in Immaculatæ Conceptionis defensionem, & gratiam oratorum congeremus.

SUpersunt nonnullæ instituendæ rationes populo ut placeamus, populi ut velificemus ferventibus studijs, populi denique ut confirmemus sacram anticipationem, & debitam Reverentiæ Virginis opinionem. Dabit veniam Lector, si amori in SS. Virginem meo fuerim velificatus.

§. XIX.

Prima ratio ducetur ex impetu naturæ insito. Nobili genere nasci quisque amat vera nobilitas magnos spiritus attollit. Magna laus Filio à Patre magno. Quanta laus Filio à Matre sancta, quantum dedecus ab infami.

NEmo est, quem non ex habitu naturæ, memoria, & recordatio antiquæ nobilitatis non erigat, commoveat, & ad excelsa facinora semper exagitet. Regius sanguis, Regios animos parit. Videtur enim flamma de cineribus Majorum prodire, ut ijs posterorum mentes adurantur, pudeatque non se vestigia gloriæ calcata. Magna vis, & communio sanguinis. Videtur incendium diffundi in Posteros virtutum, si verum sanguinem ab ortu ducant. Quid animus nobilis molitur? nisi quod nobile? nisi quod excelsum? nisi quod magnanimum? Obversantur ab oculos busta Parentum, & claritudo rerum gestarum. Et quid sunt busta? nisi rostra, & voces Majorum? quid sunt busta? nisi templa, & Aræ virtuti sacratæ? quid sunt busta Parentum? nisi busta vitiorum, ignaviæ, & inertiæ conflagrationes? Omnes quotquot sumus, accêdimur dotalibus familiæ nostræ triumphis: titillamur cupidine gloriæ, si sepulta Majorum virtus, plausibus reviviscit. Nescio, ut animus intumescat per stemmata, & longam seriem Magnorum Avorum gravidior incedat, & inambulet. Quis, nisi degener, non gaudet se Æacide, doletque se Thersite natum? Æneas se Deæ, Alexander Magnus, Jovis se filium jactabat. Quam Multi se Herculis, Achillis, & Romuli gloriabantur alumnos! rediantur enim factis, & laboribus heroicis, posteri. Quis non gemit ad memoriã servæ Matris?

Regius sanguis nobilitat animos.

Nemo ligonem maritat clava Herculea.

Matris? Ingens dedecus, junxisse ligonem Herculeæ clavæ, & stivam acinaci Martiali, & Aquilis maritasse columbas. Horrebat Carolus Magnus, Aviæ nomen, & bene: quis enim vellet adulterâ nasci, esto Rege Patre: dedecorant bene nata culpæ Parentum, sicut & dedecorant filiorum culpæ, parentes: filij enim à parentibus suis, sunt quasi alteri ipsi inseparati, an non quia Patris, & filij eadem vox, eadem anima bona, & mala communia, & in se communes transpirant spiritus vitæ, famæque? Si communes actiones, si communis spiritus, si communis fama, ergo & dedecorum, & decorum sors communis. An non Augustus Cæsar irritatus probris Juliæ filiæ, & neptium, ad nomen illarũ ingemiscens, crebrò exclamabat: Αἴθ' ὄφελον ἄγαμος τ' ἔμμεναι, ἄγονος, τ' ἀπολέσθαι. Quare illas tres vomicas, tria sua carcinomata illachrymans compellabat. Nihil in illis suæ virtutis inesse dolens deplorabat: nihil Augusti, sed plebeij, & degeneris sanguinis. Et cum Phœbe, una ex Libertinis suspendio vitam finisset, maluisset Juliam dixit: sic Magnos, Africanum, Scipionem, & Ciceronem, filij degeneres obscurarunt. Parum proinde sapienter visus est mihi dixisse Stilpo Philosophus, qui cuidam probra filiæ exprobranti respondit: Illa non magis est dehonestamento, quàm ego illi honestamento. Certius nihil, & indubitatum, parentum gloriam, esse filiorum, & sanguinem Regium contaminari degenere, & labem parentum transfundi in filios. Plinius Epistol. 3. lib. 10. cùm peteret à Traiano, ut Vocorinum Romanum in senatum allegaret, ostendit ei censum fuisse, & splendorem Natalium. Pulchrè ex luce naturæ, respondet secundùm, decisiones Juris Civilis, & qu. Uulpiani, & Pauli, An qui conceptus, & natus est, postquam Pater senatu motus, sit senatoris filius dicendus? cur culpa involvet conceptum, natumque? an non igitur senatoris filius? nequaquam dixerunt: filius enim sequitur Patris fortunam. Vide quanta potentia contagiosæ culpæ in filios. Deinde is, cui & Pater, & Avus senator, & Pater senatu motus, priusquam conciperetur, an quia senatoris filius non est, senatoris Nepos habendus non sit? Negatur. Quid dixeris de filio, qui natus privato Patre? quid deinde, ad regnum provecto? An filius Regis dicendus? an non postponendus filio, qui Rege Patre natus? an non quia primogenitus Regis Patris verus hæres? Vide. L. 11. §. *In filiu, de decurionib. L. mort §. penultimo.* Cur Paternos honores filijs, quis invideat? cur fulgor dignitatis non adhæresceet legitimè natis? cum filius, & Pater, pro una persona computentur? Unde & filius naturalis, emancipatus à Patre senatore, filius senatoris est, lib. 7. D. Optimè Salomon Proverb. *Honor, aut gloria filiorum, Patres, eorum.* Et Eccles. 3. *Gloria hominis, ex honore Patris sui,*

Augustus cetera clarus, infelix filia lubrica.

Pater senatu motus filio eripit senatoris nomen.

Filius natus privato & post Rege, Regis filius dicendus.

A *& dedecus filij, Pater sine honore.* Hinc atria Romanorum, ostentabant fictos Avorum vultus, & fumosas imagines, quorum aspectibus, quasi continuo classico ad magna, & excelsa concitabantur. Verum est illud Senecæ in Hyppolito: *O nimium potens, quanto parentes sanguinis vinculo tenes natura! quam te colimus inviti quoque!* Scio multò pulchrius esse, parari nobilem, quàm creari: si degener vitâ, vitas maculet Majorum, quid prodest de bono genere nasci, esse ingenio malo? quid genus, & proavos strepitis? quid jactas, quod stemmate Thusco ramum Millesime ducis? quis enim, inquit Juvenalis, satyrâ 8. generosum duxerit hunc, qui

B

Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, parvam extortamq́; puellam,
Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo,
Sanguine censeri, pictosq́; ostendere vultus,
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illa
Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

Si in posteris defecêre mores, si coram sanctis malè vivitur parentibus. Audiant nobiles degeneres, *Dedecorant bene nata, culpæ.* Ille proprium deserit ortum, qui suaptè culpâ, de genere suo capit genus. Contra hunc degenerem, sic Juvenalis satyrâ 8.

C

Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq́; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur.

Magna & ingens posterorum dos, virtus clara parentum, ubi sonat æmula virtus, virtus parentum in suam transfusa sobolem emicat, ut solet in imagine crystalli Sol radijs revomi coruscis. Catulus leonem Patrem spirat, & cùm sentit ungues crescere, optat aprum, taurumque dari, & gaudet cervice bellantis Juvenci. Ex composito, & quasi te Lector convenissem latiùs duxi hãc rationem, ut videri possit, quanti intersit, à

D quibus ortum ducas Parentibus, an à serva, an à nobili an Regina Matre an à vitioso, vel probo, vel modesto, aut grandis supercilij sanguine. An volet Dei Filius Matre probrosâ, servâ, degeneri, vitijs contaminatâ generari? Dicamus ergo Matri per omnia simillimum Filium, Matrem Filio, quantum ad humanæ conditionis venustam, & candidam puritatem.

Quis dixerit Filij gloriam non obscurari tenebris peccati, si dixeris Matrem peccatricem, cum Filius, & parentes pro una persona reputentur, ut dictum est, & communis sit utriusque actio & fama? Hic nobiscum

Quam monstrosa nobilitas, si degener?

Europen.

Nulla vel exigua laus in sola origine.

Magna dos posterorum virtus parentum.

SS. Virgo similis filio debuit esse.

le hoc negotium procuratum. An non ideo, A ut August. in illa verba Apocalyp. 12. *Draco stetit ante mulierem. Stabat Draco in conspectu mulieris, Virginis, scilicet, Mariæ, ut integra, caput nostrum integrum erat paritura.* Quomodo integra pareret, quæ aliquando corrupta? vide illa verba D. August. de quinque hæresibus c. 5. superiùs citata in suo, scilicet, sæculo. *Condidi*, inquit, *Christus Matrem, qualem esse decebat eam, ex quâ me nasci oportebat.* Convenienter ergo condidit Deus Matrem similem filio, quantum fieri concedebat Divinæ naturæ diversitas. Filius ex ore Patris, Ecclesiast. 4. *Ex ore Altissimi prodivit, primogenitus ante omnem creaturam*: sic & Mater primogenita ante omnem creaturam, prodit ex ore Altissimi, in cujus faciem spiritus B Dei inspiravit spiraculum vitæ. *Quid ergo*, inquit Ambrosius, lib. 2. de Virginit. *Nobilius Dei Matre? quid splendidius, quam splendor elegit? quid castius, quæ corpore sine corporis contagione generavit? Virgo non solùm corpore, sed etiam mente, & quomodo fuisset mente, si quando corrupta fuisset?* Dum ergo audis creatam, ne putes non Redemptam, & cum audis Redemptam, ne putes non creatam à summo fabricatore? & cùm legis creatam, & Redemptam, ne putes à servitute, à debito, à levi culpa liberatam, cujus nunquam rea fuit. Dominus, quippè, possedit eam in initio viarum suarum, quæ nullum alium possessorem unquam cognovit ut dictum est. Creata, & Redempta est Virgo C sanctissima, nata pariter ex Adamo, non tamen Adami peccatoris filia: Redempta meritis Filij, ne posset peccare, quæ ex naturæ compositione potuisset, redempta, quia in destructionem peccati producta, ut Filio foret in adjutorium perspurgandi generis humani. Gratulamur tibi, ô sanctissima Virgo, pro summo triumpho, & victoria de tuis hostibus, peccato, scilicet, originali, & actuali, parta, gratulamur & de libertate absoluta, & immunitate omnis debiti, & tecum clamamus, hilares currum triumphalem sequentes. Quia fecit tibi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Verè magna & inaudita decreta Divinæ sa- D pientiæ, quæ suâ novitate omnem admirationem superarent, ut una creatura diceretur ex toto sancta, & eadem Mater admirabilis summi Dei, quæ ex toto sacrilego, impio, & execrabili Patre nata, qui summi Principis tenebrarum hæreditarius erat filius conclamatus.

SS. Virgo creata, redempta & etiam ex Adamo nata. Qua ratione?

§. XVIII.

Rationes congruentes, in Immaculatæ Conceptionis defensionem, & gratiam oratorum congeremus.

Supersunt nonnullæ instituendæ rationes populo ut placeamus, populi ut velificemus ferventibus studijs, populi denique ut confirmemus sacram anticipationem, & debitam Reverentiæ Virginis opinionem. Dabit veniam Lector, si amori in SS. Virginem meo fuerim velificatus.

§. XIX.

Prima ratio ducetur ex impetu naturæ insito. Nobili genere nasci quisque amat vera nobilitas magnos spiritus attollit. Magna laus Filio à Patre magno. Quanta laus Filio à Matre sancta, quantum dedecus ab infami.

Nemo est, quem non ex habitu naturæ, memoria, & recordatio antiquæ nobilitatis non erigat, commoveat, & ad excelsa facinora semper exagitet. Regius sanguis, Regios animos parit. Videtur enim flamma de cineribus Majorum prodire, ut ijs posterorum mentes adurantur, pudeatque non se vestigia gloriæ calcata. Magna vis, & communio sanguinis. Videtur incendium diffundi in Posteros virtutum, si verum sanguinem ab ortu ducant. Quid animus nobilis molitur? nisi quod nobile? nisi quod excelsum? nisi quod magnanimum? Obversantur ab oculos busta Parentum, & claritudo rerum gestarum. Et quid sunt busta? nisi rostra, & voces Majorum? quid sunt busta? nisi templa, & Aræ virtuti sacratæ? quid sunt busta Parentum? nisi busta vitiorum, ignaviæ, & inertiæ conflagrationes? Omnes quotquot sumus, accedimur dotalibus familiæ nostræ triumphis: titillamur cupidine gloriæ, si sepulta Majorum virtus, plausibus reviviscit. Nescio, ut animus intumescat per stemmata, & longam seriem Magnorum Avorum gravidior incedat, & inambulet. Quis, nisi degener, non gaudet se Æacide, doletque se Thersite natum? Æneas se Deæ, Alexander Magnus, Jovis se filium jactabat. Quam Multi se Herculis, Achillis, & Romuli gloriabantur alumnos! rediantur enim factis, & laboribus heroicis, posteri. Quis non gemit ad memoriã servæ Matris?

Regius sanguis nobilitat animos.

Nemo ligonem mariat clava Herculea.

Matris? Ingens dedecus, junxisse ligonem Herculeæ clavæ, & stivam acinaci Martiali, & Aquilis maritasse columbas. Horrebat Carolus Magnus, Aviæ nomen, & bene: quis enim vellet adulterâ nasci, esto Rege Patre: dedecorant bene nata culpæ Parentum, sicut & dedecorant filiorum culpæ, parentes: filij enim à parentibus suis, sunt quasi alteri ipsi inseparati, an non quia Patris, & filij eadem vox, eadem anima, bona, & mala communia, & in se communes transpirant spiritus vitæ, famæque? Si communes actiones, si communis spiritus, si communis fama, ergo & dedecorum, & decorum sors communis. An non Augustus Cæsar irritatus probris Juliæ filiæ, & neptium, ad nomen illarũ ingemiscens, crebrò exclamabat: Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι, ἄγονος, τ' ἀπολέσθαι. Quare illas tres vomicas, tria sua carcinomata illachrymans compellabat. Nihil in illis suæ virtutis inesse dolens deplorabat: nihil Augusti, sed plebeij, & degeneris sanguinis. Et cum Phœbe, una ex Libertinis suspendio vitam finiret, maluisset Juliam dixit: sic Magnos, Africanum, Scipionem, & Ciceronem, filij degeneres obscurarunt. Parum proinde sapienter visus est mihi dixisse Stilpo Philosophus, qui cuidam probra filiæ exprobranti respondit: Illa non magis est dehonestamento, quàm ego illi honestamento. Certius nihil, & indubitatum, parentum gloriam, esse filiorum, & sanguinem Regium contaminari degenere, & labem parentum transfundi in filios. Plinius Epistol. 3. lib. 10. cùm peteret à Traiano, ut Vocorinum Romanum in senatum allegaret, ostendit ei censum fuisse, & splendorem Natalium. Pulchrè ex luce naturæ, respondet secundùm, decisiones Juris Civilis, & qu. Uulpiani, & Pauli, An qui conceptus, & natus est, postquam Pater senatu motus, sit senatoris filius dicendus? cur culpa involvet conceptum, natumque? an non igitur senatoris filius? nequaquam dixerunt: filius enim sequitur Patris fortunam. Vide quanta potentia contagiosæ culpæ in filios. Deinde is, cui & Pater, & Avus senator, & Pater senatu motus, priusquam conciperetur, an quia senatoris filius non est, senatoris Nepos habendus non sit? Negatur. Quid dixeris de filio, qui natus privato Patre? quid deinde, ad regnum provecto? An filius Regis dicendus? an non postponendus filio, qui Rege Patre natus? an non quia primogenitus Regis Patris verus hæres? Vide L. 11. §. *In filiu, de dedecurionib. L. mors §. penultimo.* Cur Paternos honores filijs, quis invideat? cur fulgor dignitatis non adhærescet legitimè natis? cum filius, & Pater, pro una persona computentur? Unde & filius naturalis, emancipatus à Patre senatore, filius senatoris est, lib. 7. D. Optimè Salomon Proverb. *Honor, aut gloria filiorum, Patres, eorum.* Et Ecclesi. 3. *Gloria hominis, ex honore Patris sui,*

Augustus cetera clarus, infelix filia lubrica.

Pater senatu motus filio eripit senatoris nomen.

Filius natus privato & post Rege, Regis filius dicendus.

A *& dedecus filij, Pater sine honore.* Hinc atria Romanorum, ostentabant fictos Avorum vultus, & fumosas imagines, quorum aspectibus, quasi continuo classico ad magna, & excelsa concitabantur. Verum est illud Senecæ in Hyppolito: *O nimium potens, quanto parentes sanguinis vinculo tenes natura! quam te colimus inviti quoque!* Scio multò pulchrius esse, parari nobilem, quàm creari: si degener vitâ, vitas maculet Majorum, quid prodest de bono genere nasci, esse ingenio malo? quid genus, & proavos strepitis? quid jactas, quod stemmate Thusco ramum Millesime ducis? quis enim, inquit Juvenalis, satyrâ 8. generosum duxerit hunc, qui

Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
B *Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,*
Æthiopem cygnum, parvam extortamq; puellam,
Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo,
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus,
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Quam monstrosa nobilitas, si degener?

Europen.

Si in posteris defecêre mores, si coram sanctis malè vivitur parentibus. Audiant nobiles degeneres, *Dedecorant bene nata, culpæ.* Ille proprium deserit ortum, qui suaptè culpâ, de genere suo capit genus. Contra hunc degenerem, sic Juvenalis satyrâ 8.

C *Incipit ipsorum contra te stare parentum*
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur.

Nulla vel exigua laus in sola origine.

Magna & ingens posterorum dos, virtus clara parentum, ubi sonat æmula virtus, virtus parentum in suam transfusa sobolem emicat, ut solet in imagine crystalli Sol radijs revomi coruscis. Catulus leonem Patrem spirat, & cùm sentit ungues crescere, optat aprum, taurumque dari, & gaudet cervice bellantis Juvenci. Ex composito, & quasi te Lector convenissem: latiùs duxi hanc rationem, ut videri possit, quanti intersit, à
D quibus ortum ducas Parentibus, an à serva, an à nobili an Regina Matre an à vitioso, vel probo, vel modesto, aut grandis supercilij sanguine. An volet Dei Filius Matre probrosâ, servâ, degeneri, vitijs contaminatâ generari? Dicamus ergo Matri per omnia simillimum Filium, Matrem Filio, quantum ad humanæ conditionis venustam, & candidam puritatem.

Magna dos posterorum virtus parentum.

SS. Virgo similis filio debuit esse.

Quis dixerit Filij gloriam non obscurari tenebris peccati, si dixeris Matrem peccatricem, cum Filius, & parentes pro una persona reputentur, ut dictum est, & communis sit utriusque actio & fama? Hic nobiscum

le hoc negotium procuratum. An non ideo, ut August. in illa verba Apocalyp. 12. *Draco stetit ante mulierem. Stabat Draco in conspectu mulieris, Virginis, scilicet, Mariæ, ut integra, caput nostrum integrum erat paritura.* Quomodo integra pareret, quæ aliquando corrupta? vide illa verba D. August. de quinque hæresibus c. 5. superiùs citata in suo, scilicet, sæculo. *Condidi*, inquit, *Christus Matrem, qualem esse decebat eam, ex quâ me nasci oportebat.* Convenienter ergo condidit Deus Matrem similem filio, quantum fieri concedebat Divinæ naturæ diversitas. Filius ex ore Patris, Ecclesiast. 4. *Ex ore Altissimi prodivit, primogenitus ante omnem creaturam*: sic & Mater primogenita ante omnem creaturam, prodit ex ore Altissimi, in cujus faciem spiritus Dei inspiravit spiraculum vitæ. *Quid ergo*, inquit Ambrosius, lib. 2. de Virginit. *Nobilius Dei Matre? quid splendidius, quam splendor elegit? quid castius, qua corpore sine corporis contagione generavit? Virgo non solùm corpore, sed etiam mente, & quomodo fuisset mente, si quando corrupta fuisset?* Dum ergo audis creatam, ne putes non Redemptam, & cum audis Redemptam, ne putes non creatam à summo fabricatore? & cùm legis creatam, & Redemptam, ne putes à servitute, à debito, à levi culpa liberatam, cujus nunquam rea fuit. Dominus, quippè, possedit eam in initio viarum suarum, quæ nullum alium possessorem unquam cognovit ut dictum est. Creata, & Redempta est Virgo sanctissima, nata pariter ex Adamo, non tamen Adami peccatoris filia: Redempta meritis Filij, ne posset peccare, quæ ex naturæ compositione potuisset, redempta, quia in destructionem peccati producta, ut Filio foret in adjutorium perpurgandi generis humani. Gratulamur tibi, ô sanctissima Virgo, pro summo triumpho, & victoria de tuis hostibus, peccato, scilicet, originali, & actuali, parta, gratulamur & de libertate absoluta, & immunitate omnis debiti, & tecum clamamus, hilares currum triumphalem sequentes. Quia fecit tibi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Verè magna & inaudita decreta Divinæ sapientiæ, quæ suâ novitate omnem admirationem superarent, ut una creatura diceretur ex toto sancta, & eadem Mater admirabilis summi Dei, quæ ex toto sacrilego, impio, & execrabili Patre nata, qui summi Principis tenebrarum hæreditarius erat filius conclamatus.

SS. Virgo creata, redempta & etiam ex Adamo nata. Qua ratione?

§. XVIII.

Rationes congruentes, in Immaculatæ Conceptionis defensionem, & gratiam oratorum congeremus.

SUpersunt nonnullæ instituendæ rationes populo ut placeamus, populi ut velificemus ferventibus studijs, populi denique ut confirmemus sacram anticipationem, & debitam Reverentiæ Virginis opinionem. Dabit veniam Lector, si amori in SS. Virginem meo fuerim velificatus.

§. XIX.

Prima ratio ducetur ex impetu naturæ insito. Nobili genere nasci quisque amat vera nobilitas magnos spiritus attollit. Magna laus Filio à Patre magno. Quanta laus Filio à Matre sancta, quantum dedecus ab infami.

NEmo est, quem non ex habitu naturæ, memoria, & recordatio antiquæ nobilitatis non erigat, commoveat, & ad excelsa facinora semper exagitet. Regius sanguis, Regios animos parit. Videtur enim flamma de cineribus Majorum prodire, ut ijs posterorum mentes adurantur, pudeatque non se vestigia gloriæ calcata. Magna vis, & communio sanguinis. Videtur incendium diffundi in Posteros virtutum, si verum sanguinem ab ortu ducant. Quid animus nobilis molitur? nisi quod nobile? nisi quod excelsum? nisi quod magnanimum? Obversantur ab oculos busta Parentum, & claritudo rerum gestarum. Et quid sunt busta? nisi rostra, & voces Majorum? quid sunt busta? nisi templa, & Aræ virtuti sacratæ? quid sunt busta Parentum? nisi busta vitiorum, ignaviæ, & inertiæ conflagrationes? Omnes quotquot sumus, accedimur dotalibus familiæ nostræ triumphis: titillamur cupidine gloriæ, si sepulta Majorum virtus, plausibus reviviscit. Nescio, ut animus intumescat per stemmata, & longam seriem Magnorum Avorum gravidior incedat, & inambulet. Quis, nisi degener, non gaudet se Æacide, doletque se Thersite natum? Æneas se Deæ, Alexander Magnus, Jovis se filium jactabat. Quam Multi se Herculis, Achillis, & Romuli gloriabantur alumnos! rediantur enim factis, & laboribus heroicis, posteri. Quis non gemit ad memoriã servæ Matris?

Regius sanguis nobilitat animos.

Nemo ligonem mariat clava Herculea.

Matris? Ingens dedecus, junxisse ligonem Herculeæ clavæ, & stivam acinaci Martiali, & Aquilis maritasse columbas. Horrebat Carolus Magnus, Aviæ nomen, & bene: quis enim vellet adulterâ nasci, esto Rege Patre: dedecorant bene nata culpæ Parentum, sicut & dedecorant filiorum culpæ, parentes: filij enim à parentibus suis, sunt quasi alteri ipsi inseparati, an non quia Patris, & filij eadem vox, eadem anima? bona, & mala communia, & in se communes transpirant spiritus vitæ, famæque? Si communes actiones, si communis spiritus, si communis fama, ergo & dedecorum, & decorum sors communis. An non Augustus Cæsar irritatus probris Juliæ filiæ, & neptium, ad nomen illarũ ingemiscens, crebrò exclamabat: Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. Quare illas tres vomicas, tria sua carcinomata illachrymans compellabat. Nihil in illis suæ virtutis inesse dolens deplorabat: nihil Augusti, sed plebeij, & degeneris sanguinis. Et cum Phœbe, una ex Libertinis suspendio vitam finiret, maluisset Juliam dixit: sic Magnos, Africanum, Scipionem, & Ciceronem, filij degeneres obscurarunt. Parum proinde sapienter visus est mihi dixisse Stilpo Philosophus, qui cuidam probra filiæ exprobranti respondit: Illa non magis est dehonestamento, quàm ego illi honestamento. Certius nihil, & indubitatum, parentum gloriam, esse filiorum, & sanguinem Regium contaminari degenere, & labem parentum transfundi in filios. Plinius Epistol. 3. lib. 10. cùm peteret à Traiano, ut Vocorinum Romanum in senatum allegaret, ostendit ei censum fuisse, & splendorem Natalium. Pulchrè ex luce naturæ, respondet secundùm, decisiones Juris Civilis, & qu. Uulpiani, & Pauli, An qui conceptus, & natus est, postquam Pater senatu motus, sit senatoris filius dicendus? cur culpa involvet conceptum, natumque? an non igitur senatoris filius? nequaquam dixerunt: filius enim sequitur Patris fortunam. Vide quanta potentia contagiosæ culpæ in filios. Deinde is, cui & Pater, & Avus senator, & Pater senatu motus, priusquam conciperetur, an quia senatoris filius non est, senatoris Nepos habendus non sit? Negatur. Quid dixeris de filio, qui natus privato Patre? quid deinde, ad regnum provecto? An filius Regis dicendus? an non postponendus filio, qui Rege Patre natus? an non quia primogenitus Regis Patris verus hæres? Vide. L. 11. §. *In filiis, de dedecurionib. L. mors §. penultimo.* Cur Paternos honores filijs, quis invideat? cur fulgor dignitatis non adhærescet legitimè natis? cum filius, & Pater, pro una persona computentur? Unde & filius naturalis, emancipatus à Patre senatore, filius senatoris est, lib. 7. D. Optimè Salomon Proverb. *Honor, aut gloria filiorum, Patres, eorum.* Et Ecclesi. 3. *Gloria hominis, ex honore Patris sui,*

Augustus cetera clarus, infelix filia lubrica.

Pater senatu motus filio eripit senatoris nomen.

Filius natus privato & post Rege, Regis filius dicendus.

A *& dedecus filij, Pater sine honore.* Hinc atria Romanorum, ostentabant fictos Avorum vultus, & fumosas imagines, quorum aspectibus, quasi continuo classico ad magna, & excelsa concitabantur. Verum est illud Senecæ in Hyppolito: *O nimium potens, quanto parentes sanguinis vinculo tenes natura! quam te colimus inviti quoque!* Scio multò pulchrius esse, parari nobilem, quàm creari: si degener vitâ, vitas maculet Majorum, quid prodest de bono genere nasci, esse ingenio malo? quid genus, & proavos strepitis? quid jactas, quod stemmate Thusco ramum Millesime ducis? quis enim, inquit Juvenalis, satyrâ 8. generosum duxerit hunc, qui

B
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, parvam extortamq; puellam,
Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo,
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus,
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illa
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Quam monstrosa nobilitas, si degener?

Europen.

Si in posteris defecêre mores, si coram sanctis malè vivitur parentibus. Audiant nobiles degeneres, *Dedecorant bene nata, culpa.* Ille proprium deserit ortum, qui suaptè culpâ, de genere suo capit genus. Contra hunc degenerem, sic Juvenalis satyrâ 8.

Nulla vel exigua laus in sola origine.

C
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur.

Magna & ingens posterorum dos, virtus clara parentum, ubi sonat æmula virtus, virtus parentum in suam transfusa sobolem emicat, ut solet in imagine crystalli Sol radijs revomi coruscis. Catulus leonem Patrem spirat, & cùm sentit ungues crescere, optat aprum, taurumque dari, & gaudet cervice bellantis Juvenci. Ex composito, & quasi te Lector convenissem: latiùs duxi hâc rationem, ut videri possit, quanti intersit, à D quibus ortum ducas Parentibus, an à serva, an à nobili an Regina Matre an à vitioso, vel probo, vel modesto, aut grandis supercilij sanguine. An volet Dei Filius Matre probrosâ, servâ, degeneri, vitijs contaminatâ generari? Dicamus ergo Matri per omnia simillimum Filium, Matrem Filio, quantum ad humanæ conditionis venustam, & candidam puritatem.

Magna dos posterorum virtus parentum.

55. Virgo similis filio debuit esse.

Quis dixerit Filij gloriam non obscurari tenebris peccati, si dixeris Matrem peccatricem, cum Filius, & parentes pro una persona reputentur, ut dictum est, & communis sit utriusque actio & fama? Hic nobiscum

le hoc negotium procuratum. An non ideò, ut August. in illa verba Apocalyp. 12. *Draco stetit ante mulierem. Stabat Draco in conspectu mulieris, Virginis, scilicet, Mariæ, ut integra, caput nostrum integrum erat paritura.* Quomodo integra pareret, quæ aliquando corrupta? vide illa verba D. August. de quinque hæresibus c. 5. superiùs citata in suo, scilicet, sæculo. *Condidi.* inquit, *Christus Matrem, qualem esse decebat eam, ex quâ me nasci oportebat.* Convenienter ergo condidit Deus Matrem similem filio, quantum fieri concedebat Divinæ naturæ diversitas. Filius ex ore Patris, Ecclesiast. 4. *Ex ore Altissimi prodivit, primogenitus ante omnem creaturam:* sic & Mater primogenita ante omnem creaturam, prodit ex ore Altissimi, in cujus faciem spiritus Dei inspiravit spiraculum vitæ. *Quid ergo,* inquit Ambrosius, lib. 2. de Virginit. *Nobilius Dei Matre? quid splendidius, quam splendor elegit? quid castius, qua corpore sine corporis contagione generavit? Virgo non solùm corpore, sed etiam mente, & quomodo fuisset mente, si quando corrupta fuisset?* Dum ergo audis creatam, ne putes non Redemptam, & cum audis Redemptam, ne putes non creatam à summo fabricatore? & cùm legis creatam, & Redemptam, ne putes à servitute, à debito, à levi culpa liberatam, cujus nunquam rea fuit. Dominus, quippè, possedit eam in initio viarum suarum, quæ nullum alium possessorem unquam cognovit ut dictum est. Creata, & Redempta est Virgo sanctissima, nata pariter ex Adamo, non tamen Adami peccatoris filia: Redempta meritis Filij, ne posset peccare, quæ ex naturæ compositione potuisset, redempta, quia in destructionem peccati producta, ut Filio foret in adjutorium perpurgandi generis humani. Gratulamur tibi, ô sanctissima Virgo, pro summo triumpho, & victoria de tuis hostibus, peccato, scilicet, originali, & actuali, parta, gratulamur & de libertate absoluta, & immunitate omnis debiti, & tecum clamamus, hilares currum triumphalem sequentes. Quia fecit tibi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Verè magna & inaudita decreta Divinæ sapientiæ, quæ suâ novitate omnem admirationem superarent, ut una creatura diceretur ex toto sancta, & eadem Mater admirabilis summi Dei, quæ ex toto sacrilego, impio, & execrabili Patre nata, qui summi Principis tenebrarum hæreditarius erat filius conclamatus.

SS. Virgo creata, redempta & etiam ex Adamo nata. Qua ratione?

§. XVIII.

Rationes congruentes, in Immaculatæ Conceptionis defensionem, & gratiam oratorum congeremus.

Supersunt nonnullæ instituendæ rationes populo ut placeamus, populi ut velificemus ferventibus studijs, populi denique ut confirmemus sacram anticipationem, & debitam Reverentiæ Virginis opinionem. Dabit veniam Lector, si amori in SS. Virginem meo fuerim velificatus.

§. XIX.

Prima ratio ducetur ex impetu naturæ insito. Nobili genere nasci quisque amat vera nobilitas magnos spiritus attollit. Magna laus Filio à Patre magno. Quanta laus Filio à Matre sancta, quantum dedecus ab infami.

Nemo est, quem non ex habitu naturæ, memoria, & recordatio antiquæ nobilitatis non erigat, commoveat, & ad excelsa facinora semper exagitet. Regius sanguis, Regios animos parit. Videtur enim flamma de cineribus Majorum prodire, ut ijs posterorum mentes adurantur, pudeatque non se vestigia gloriæ calcata. Magna vis, & communio sanguinis. Videtur incendium diffundi in Posteros virtutum, si verum sanguinem ab ortu ducant. Quid animus nobilis molitur? nisi quod nobile? nisi quod excelsum? nisi quod magnanimum? Obversantur ab oculos busta Parentum, & claritudo rerum gestarum. Et quid sunt busta? nisi rostra, & voces Majorum? quid sunt busta? nisi templa, & Aræ virtuti sacratæ? quid sunt busta Parentum? nisi busta vitiorum, ignaviæ, & inertiæ conflagrationes? Omnes quotquot sumus, accedimur dotalibus familiæ nostræ triumphis: titillamur cupidine gloriæ, si sepulta Majorum virtus, plausibus reviviscit. Nescio, ut animus intumescat per stemmata, & longam seriem Magnorum Avorum gravidior incedat, & inambulet. Quis, nisi degener, non gaudet se Æacide, doletque se Thersite natum? Æneas se Deæ, Alexander Magnus, Jovis se filium jactabat. Quam Multi se Herculis, Achillis, & Romuli gloriabantur alumnos! rediantur enim factis, & laboribus heroicis, posteri. Quis non gemit ad memoriã servæ Matris?

Regius sanguis nobilitat animos.

Nemo ligonem mariat clava Herculea.

Matris? Ingens dedecus, junxisse ligonem Herculeæ clavæ, & stivam acinaci Martiali, & Aquilis maritasse columbas. Horrebat Carolus Magnus, Aviæ nomen, & bene: quis enim vellet adulterâ nasci, esto Rege Patre: dedecorant bene nata culpæ Parentum, sicut & dedecorant filiorum culpæ, parentes: filij enim à parentibus suis, sunt quasi alteri ipsi inseparati, an non quia Patris, & filij eadem vox, eadem anima, bona, & mala communia, & in se communes transpirant spiritus vitæ, famæque? Si communes actiones, si communis spiritus, si communis fama, ergo & dedecorum, & decorum sors communis. An non Augustus Cæsar irritatus probris Juliæ filiæ, & neptium, ad nomen illarũ ingemiscens, crebrò exclamabat: Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι, ἄγονος, τ' ἀπολέσθαι. Quare illas tres vomicas, tria sua carcinomata illachrymans compellabat. Nihil in illis suæ virtutis inesse dolens deplorabat: nihil Augusti, sed plebeij, & degeneris sanguinis. Et cum Phœbe, una ex Libertinis suspendio vitam finiisset, maluisset Juliam dixit: sic Magnos, Africanum, Scipionem, & Ciceronem, filij degeneres obscurarunt. Parum proinde sapienter visus est mihi dixisse Stilpo Philosophus, qui cuidam probra filiæ exprobranti respondit: Illa non magis est dehonestamento, quàm ego illi honestamento. Certius nihil, & indubitatum, parentum gloriam, esse filiorum, & sanguinem Regium contaminari degenere, & labem parentum transfundi in filios. Plinius Epistol. 3. lib. 10. cùm peteret à Traiano, ut Vocorinum Romanum in senatum allegaret, ostendit ei censum fuisse, & splendorem Natalium. Pulchrè ex luce naturæ, respondet secundùm, decisiones Juris Civilis, & qu. Uulpiani, & Pauli, An qui conceptus, & natus est, postquam Pater senatu motus, sit senatoris filius dicendus? cur culpa involvet conceptum, natumque? an non igitur senatoris filius? nequaquam dixerunt: filius enim sequitur Patris fortunam. Vide quanta potentia contagiosæ culpæ in filios. Deinde is, cui & Pater, & Avus senator, & Pater senatu motus, priusquam conciperetur, an quia senatoris filius non est, senatoris Nepos habendus non sit? Negatur. Quid dixeris de filio, qui natus privato Patre? quid deinde, ad regnum provecto? An filius Regis dicendus? an non postponendus filio, qui Rege Patre natus? an non quia primogenitus Regis Patris verus hæres? Vide. L. 11. §. *In filiis, de decurionib. L. mors §. penultimo.* Cur Paternos honores filijs, quis invideat? cur fulgor dignitatis non adhærescet legitimè natis? cum filius, & Pater, pro una persona computentur? Unde & filius naturalis, emancipatus à Patre senatore, filius senatoris est, lib. 7. D. Optimè Salomon Proverb. *Honor, aut gloria filiorum, Patres, eorum.* Et Ecclesi. 3. *Gloria hominis, ex honore Patris sui,*

[Left margin: Augustus cetera clarus, infelix filia lubrica.]

[Left margin: Pater senatu motus filio eripit senatoris nomen.]

[Left margin: Filius natus privato & post Rege, Regis filius dicendus.]

Tom. II.

A

& dedecus filij, Pater sine honore. Hinc atria Romanorum, ostentabant fictos Avorum vultus, & fumosas imagines, quorum aspectibus, quasi continuo classico ad magna, & excelsa concitabantur. Verum est illud Senecæ in Hyppolito: *O nimium potens, quanto parentes sanguinis vinculo tenes natura! quam te colimus inviti quoque!* Scio multò pulchrius esse, parari nobilem, quàm creari: si degener vitâ, vitas maculet Majorum, quid prodest de bono genere nasci, esse ingenio malo? quid genus, & proavos strepitis? quid jactas, quod fœminare Thusco ramum Millesime ducis? quis enim, inquit Juvenalis, satyrâ 8. generosum duxerit hunc, qui

B

Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, parvam extortamq; puellam,
Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo,
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus,
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat? petit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

[Right margin: Quam monstrosa nobilitas, si degener?]

[Right margin: Europen.]

Si in posteris defecêre mores, si coram sanctis malè vivitur parentibus. Audiant nobiles degeneres, *Dedecorant bene nata, culpæ.* Ille proprium deserit ortum, qui suaptè culpâ, de genere suo capit genus. Contra hunc degenerem, sic Juvenalis satyrâ 8.

[Right margin: Nulla vel exigua laus in sola origine.]

C

Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur.

Magna & ingens posterorum dos, virtus clara parentum, ubi sonat æmula virtus, virtus parentum in suam transfusa sobolem emicat, ut solet in imagine crystalli Sol radijs revomi coruscis. Catulus leonem Patrem spirat, & cùm sentit ungues crescere, optat aprum, taurumque dari, & gaudet cervice bellantis Juvenci. Ex composito, & quasi te Lector convenissem: latiùs duxi hanc rationem, ut videri possit, quanti intersit, à quibus ortum ducas Parentibus, an à serva, an à nobili an Regina Matre an à vitioso, vel probo, vel modesto, aut grandis supercilij sanguine. An volet Dei Filius Matre probrosâ, servâ, degeneri, vitijs contaminatâ generari? Dicamus ergo Matri per omnia simillimum Filium, Matrem Filio, quantum ad humanæ conditionis venustam, & candidam puritatem.

[Right margin: Magna dos posterorum virtus parentum.]

D

[Right margin: 35. Virgo similis filio debuit esse.]

Quis dixerit Filij gloriam non obscurari tenebris peccati, si dixeris Matrem peccatricem, cum Filius, & parentes pro una persona reputentur, ut dictum est, & communis sit utriusque actio & fama? Hic nobiscum

implens quod deest, & à malo erigens; imò in bono sistens, & quod destruxerat, reparans ac disponens. Ecce ut eximius Doctor, Redemptionis quoddam genus agnoscit: homines, scilicet, ne in nihilum, id est, peccatum decidant (quid enim verè nihil est, nisi peccatum, omnis boni privationem secum adducens?) aliud verò in integrum restituens collapsos. Et quemadmodum duo sunt Medicæ artis studia curiosa, & officia: Primum horum, cura restituendi afflictam sanitatem: Alterum, constans sanitatis tuendæ custodia: sic & vivacis gratiæ divinæ duplex medicamen. Unũ, quo aufertur carnis cupiditas: Alterũ, quo gratia perseveranter custoditur, ne caro prævalere possit. Quicumque ergo vivit, vel ut sanè vivat, vel æger vivat, sanitate redintegratâ, semper Medici experti scientiâ, aut labore indiget. Jucundum erit, Augustinum legisse, *in Psal.* 85. hoc Redemptionis genus luculenter versantem: *Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat tibi: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, ægrotabis; tu autem si feceris, & sanus fueris, rectè dices Medico: Liberasti me ab ægritudine, non in quâ eram, sed in qua futurus eram.* Et sanè nobilius hoc genus Redemptionis est, & liberationis; præcavere scilicet vulnus, præsidioque securo præmuniri; quàm accepto vulnere, saucium, tandem obductâ cicatrice sanari: Sic majoris, & potentioris gratiæ, ab exitio servari incolumem, & communi internecioni mirificis privilegiis subtrahi, quàm per varia scelera contaminatum, per varias artes depurgari. Felicior innocentiæ status, si nunquam violetur: felicior intacta pudicitiæ fama, quàm si postliminio, novæ vitæ pretio redempta. Fortunatior Imperator, perennium continuatione victoriarum, quàm multis cladibus, & sanguine hostes debellasse. Ingens gloria bellici sudoris, vincere, & nullo suorum vulnere. Felicissimus ille omnium, qui nullum gaudium sui hostibus infernalibus dedit, nunquam fuisse adustum ullâ scintillâ, nec flammæ sensisse vestigium; ubi omnes flagranti incendio sunt penitus exusti. Deinde quàm miserum, justo judicio in carcerem, pistrinum, in vincula detrusum, loris flagellisque cæsum fuisse: quantò beatius alienâ pietate, indissolubili, cui quis potuisset objici debito, fuisse liberatum, & pro carceris periculo plenâ libertate fuisse donatum. An non ingens beneficium, alieno periculo, sanguine, & vitâ redimi suam, ne ullo periculo prætentari possit? His sic constitutis, longissimo intervallo Virginis Redemptio gloriosior Adami: quantò gloriosius est nunquam fuisse Dei hostem, quàm fœdâ prolapsione peccati contra Deũ inimicatum fuisse. Sicut ergo Adamus Christi Redemptione, à peccatorum tyrannide, æterna morte, Deo reconciliatus, fuit liberatus: sic sanctissima Virgo Christi meritis ab originali peccato, ejusque debito, liberam immunitatem est consecuta. Videamus quâ ratione, & quâ admirabili divinæ Providentiæ potentiâ sit hoc consummatum? an non eâ, quia Christi Domini meritis, beneficio Redemptionis, & mortis Dominicæ justissimo præmio, non fuerit pacto Adami comprehensa? Verùm comitiis cælestibus prærogativam tabulam purissimæ innocentiæ sortita, omni servitutis suspicione fuerit pariter exempta? An non nobile Redemptionis opus, & inventum genus liberandi? invenire viam, & decreta statuere; ut filia Adami non posset traduci, tanquam filia Adami peccatoris, quæ ex naturæ conditione potuisset traduci, & sine violatione legis, à legis præcepto instituere exceptionem? In Virgine ergo duo consideranda: remota scilicet potentia ad peccandum, non proxima, quam etiam Divus Thomas, *in 1. distinct. 45. quæst. 1. art. 3. ad* 3. agnovit, ut dictum est: dum ait, *Virginem ab omni culpâ vacasse, verumtamen propter potentiam ad peccandum, & capacitatem naturalem, dixit minus distare à peccato, quàm Deum.* Puritas autem in Virgine ea fuit, ut major sub Deo nequit excogitari; in quantum autem homo erat in potentiâ ad peccandum: ubi in Deo est impotentia ad peccandum; quia cùm purissimus actus sit, non est in eo potentia ad peccandum: sicut in omni creatura est ex naturæ compositione. Inerat ergo Virgini sanctissimæ capacitas naturæ, & ad peccandum, & potentia deficiendi, nisi Christi meritis cohibita fuisset. Infinitas ergo gratias debet infinito Deo sanctissima Virgo, quòd Christi meritis, & Filij beneficio Deus fuerit inductus.

Augustinus docet hoc duplex genus redemptionis.

Felicior status si nunquam lapsus.

In sancta Virginis statu duo sunt consideranda, remota & proxima potentia ad peccandum.

In Virgine erat remota peccandi, quia creatura, non autem proxima.

Nota Lector studiose, quod cùm potuisset alio modo Deus decernere, ejusmodi tamen decretum elegerit, quo omnis peccati periculum, ejusque debitum evitaret, & priùs creare decrevit, ubi de liberando orbe cœpit cogitare prævaricatione jam completâ. Hujusmodi Redemptionis beneficium agnovit D. Augustinus *lib. 2. Confess. cap. 7. Gratias tibi ago, & confiteor nomini tuo, quia tanta mala mihi dimisisti, & nefaria opera: gratiæ tuæ deputo, quòd peccata mea, tanquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala. Quid enim facere non potui? omnia mihi dimissa fateor, & quæ meâ sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Vide, ut Augustinus agat gratias pro peccatis non commissis, quæ tamen ut possibilia poterant patrari. Inerat ergo D. Augustino tunc ad peccandum potentia, quamvis actione non consummata. Alterum, quod in Virgine considerandum: beneficio Christi, ejusque meritis, innocentiam cum justitia acceptam, & dona virtutum cum admirabili incremento semper in suo virore fuisse conservata, cùm omnis creatura sui potens & libera, facilè possit incurvari, vacillare, & commoveri: in Virgine autem constans & perennis flos omnis integritatis semper perdurârit, & in suo robore perstiterit. Duplici ergo

Hanc potentiam remotam agnovit D. Augustinus.

In sanctiss. Virgine perpetua & constans boni voluntas affectus.

ergo Diademate Redemptionis Virgo fuit redimita. Primum & nobilissimum, quod Christi meritis decreta fuit post lapsum prævisum Adami: Alterum: quod Christi meritis ita incolumis, & liberè vitârit peccati fœditatem, ut nullo tentationis motu, vel afflatu pulsari potuerit. Hoc agnovit Augustinus, loco suprà citato enim vocatus ante, secutus est vocem tuam, & vitavit quæ de meipso recordantem, & fatentem legit, non me derideat, ab eo Medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est, ne ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Imò verò amplius Deum diligat, quia per quem, me videt tantis malorum meorum languoribus exui, per eum, se tantis peccatorum languoribus non implicari. Unde & illud, lib. de dono perseverant, expendens illa verba: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum.* Dicit hoc beneficium partum Christi gratiâ, per quod quis liberatur & redimitur à peccatis, quæ admissurus erat, si diutiùs viveret, quamvis parvulus ad hæc mala, remotam habeat dispositionem, & ut ait Divus Thomas, potentiam ad peccandum haberet. Quare & Sap. 4. dicitur raptus. Expende illud verbum, *raptus*, extraordinariâ, scilicet, gratiâ, beneficio, & singulari misericordiâ prævenienti subtractus, quâ futuris peccatis cavebatur, in quæ, victus illecebris humanæ vitæ, facilè poterat prolabi mundo subtractus, aliò concessit.

Duplex SS. Virginis diadema.

Nobilis locus D. August.

Sap. 4. illud beneficium liberationum agnoscitur

§. XVII.

Alia ratio intrinseca Redemptioni Sanctissimæ Virginis.

Etsi dixerimus Virginem liberam ab omni, non solum culpa reatuque, verùm etiam ab omni debito peccandi, quia scilicet, meritis Christi Domini Filij sui in pacto Adami cum Magno Deo constituto, non erat comprehensa, ac proindè Adamum, etsi ex eo orta, nec caput suum, nec Principem agnoscebat: Alio etiam ex capite dicemus Virginem, nobilissimum Redēptionis opus, à Christo enim, veluti capite generis humani ad reparationem ejusdem omnes gratiæ conferebantur summi Patris voluntate, intuitu sacræ Passionis, quæ gratiæ debent vocari gratiæ Redemptionis. Primaria enim, & Intrinseca, & ut ita loquar, adæquata: adventus Christi intentio, fuit peccati destructio. Necesse est ergo, omnia quæ sub hanc primariam intentionem cadunt, ad destructionem peccati Adami referri. Quare non sine causâ dicitur, omnem gratiam Christi, fuisse gratiam Redemptionis & reconciliationis. Hinc inferas, & concedas necesse est, omnem gratiam collatam sanctissimæ Vir-

Virgo alio modo nobilissimum redemptionis opus.

A gini, quin imò & ipsum creationis beneficiū fuisse gratiam Redemptionis, & expiationis, non ad propria delenda peccata, sed totius generis humani, malitia capitis penitus collapsi. An non illa ad peccati destructionē, summo à Deo fabricata? An nō data Filio in adjutorium? an non de illa dicitur, *Et ipsa conteret caput tuum?* Unde & Ildefonsus, l. de Virginit. c. 12. sic scribit: *Procido ante te, solùm opus Redemptionis Dei mei.* Et post pauca verba: *Concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi: Illi sicut Redemptori meo; tibi sicut operi Redemptionis meæ: quod enim in meâ Redemptione est operatus, in tua personæ veritate firmavit.* Quare existimas ab Ildefonso vocari solum opus Redēptionis, an quia propter illam solam, redemptio est instituta? an quia tota vis Incarnationis in illam profusa est? an quia Virgo sola, digna est visa, tanto pretio emi? an quia ceteris prætermissis mortalibus, in hanc suæ gloriæ imaginem, amores omnes statuerat transmittere quam decreverat sibi sociare in filiā, sponsam, & Matrem? An non filij, & Matris causa, ut dictum est ex Galatino, cetera omnia creata? Quare Sap. 4. dicitur: *Sola speculum sine maculâ* (bene quidem) *Dei Majestatis*. at Textus Græcus aliquid nobilius, & excellentius eloquitur: *Speculum sine maculâ Dei operationis seu energia*, quia in hoc speculo cōficiendo, formando, illustrando, omnis Dei fortitudo, & redemptionis potentia enitescit. Ingentis sanè potentiæ à Virgine filia Adami, removisse omnem peccati maculam, & à luti massâ, sine luti contagione, fulgore Divino illustratam prodijsse: aliorum specula nulla, nisi afflatu serpentis commaculata omnia infuscata stemmate proditoris, vitiataq; Illa verò speculum, & imago Divinitatis Divinæ vocatur, & candor lucis æternæ, qui locus à SS. Patribus SS. Virgini consecratur. Quare & hæc SS. Virgo, ab Ecclesiâ vocatur electa ut Sol. quia, teste Isidoro, Sol sic dictus est, quia inter omnia sidera, Principis instar eminet, ad cujus aspectum cetera lumina, quasi plebeia diffugiunt, & ideo vocata Sol Redemptionis, quia Virgo præeminet rebus omnibus à Deo creatis. Unde & Damianus in illa verba Cant. 7. *Electa ut Sol. Altiùs habet aliquid claritas Solis, quàm claritas Lunæ: quia hæc, minores stellas obscurat, non tamē penitus occultat.* Sol verò totus lucidus & candescens, ita siderum, & Lunæ rapit positionem, quasi non sint, & videri non possint: Ita & Virgo Jesse, inaccessibili luce perlucens, sic utrorumq; spirituum hebetat dignitatē, ut in cōparatione Virginis nec possint, nec debeant comparere. Illa sola, fuit sufficiens finis Incarnationis Divinæ, Illa digna merces, digna tanto labore peti. Utamur verbis D. Bern. ubi expendit illa verba: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Bene,* inquit, *salutari meo: quasi dicat, singularis meus salvator fuit quia eius productio, auctore Christo peracta est, & meritis eius parta.* Et quare tanta curarū mo-

SS. Virgo digna sola visa pretio redemptionis.

Christus D. singularis fuit salvator SS. Virginis.

Matris? Ingens dedecus, junxisse ligonem Herculeæ clavæ, & stivam acinaci Martiali, & Aquilis maritasse columbas. Horrebat Carolus Magnus, Aviæ nomen, & bene: quis enim vellet adulterâ nasci, esto Rege Patre: dedecorant bene nata culpæ Parentum, sicut & dedecorant filiorum culpæ, parentes: filij enim à parentibus suis, sunt quasi alteri ipsi inseparati, an non quia Patris, & filij eadem vox, eadem anima? bona, & mala communia, & in se communes transpirant spiritus vitæ, famæque? Si communes actiones, si communis spiritus, si communis fama, ergo & dedecorum, & decorum sors communis. An non Augustus Cæsar irritatus probris Juliæ filiæ, & neptium, ad nomen illarū ingemiscens, crebrò ex clamabat: Αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τ᾽ ἔμμεναι, ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι. Quare illas tres vomicas, tria sua carcinomata illachrymans compellabat. Nihil in illis suæ virtutis inesse dolens deplorabat: nihil Augusti, sed plebeij, & degeneris sanguinis. Et cum Phœbe, una ex Libertinis suspendio vitam finiisset, maluisset Juliam dixit: sic Magnos, Africanum, Scipionem, & Ciceronem, filij degeneres obscurarunt. Parum proinde sapienter visus est mihi dixisse Stilpo Philosophus, qui cuidam probra filiæ exprobranti respondit: Illa non magis est dehonestamento, quàm ego illi honestamento. Certius nihil, & indubitatum, parentum gloriam, esse filiorum, & sanguinem Regium contaminari degenere, & labem parentum transfundi in filios. Plinius Epistol. 3. lib. 10. cùm peteret à Traiano, ut Vocorinum Romanum in senatum allegaret, ostendit ei censum fuisse, & splendorem Natalium. Pulchrè ex luce naturæ, respondet secundùm, decisiones Juris Civilis, & qu. Uulpiani, & Pauli, An qui conceptus, & natus est, postquam Pater senatu motus, sit senatoris filius dicendus? cur culpa involvet conceptum, natumque? an non igitur senatoris filius? nequaquam dixerunt: filius enim sequitur Patris fortunam. Vide quanta potentia contagiosæ culpæ in filios. Deinde is, cui & Pater, & Avus senator, & Pater senatu motus, priusquam conciperetur, an quia senatoris filius non est, senatoris Nepos habendus non sit? Negatur. Quid dixeris de filio, qui natus privato Patre? quid deinde, ad regnum provecto? An filius Regis dicendus? an non postponendus filio, qui Rege Patre natus? an non quia primogenitus Regis Patris verus hæres? Vide. L. 11. §. *In filiu , de dedecurionib. L. mors §. penultimo.* Cur Paternos honores filijs, quis invideat? cur fulgor dignitatis non adhæresceet legitimè natis? cum filius, & Pater, pro una persona computentur? Unde & filius naturalis, emancipatus à Patre senatore, filius senatoris est, lib. 7. D. Optimè Salomon Proverb. *Honor, aut gloria filiorum, Patres, eorum.* Et Ecclesf. 3. *Gloria hominis, ex honore Patris sui,*

Augustus cetera clarus, infelix filia lubrica.

Pater senatu motus filio eripit senatoris nomen.

Filius natus privato & post Rege, Regis filius dicendus.

A *& dedecus filij, Pater sine honore.* Hinc atria Romanorum, ostentabant fictos Avorum vultus, & fumosas imagines, quorum aspectibus, quasi continuo classico ad magna, & excelsa concitabantur. Verum est illud Senecæ in Hyppolito: *O nimium potens, quanto parentes sanguinis vinculo tenes natura! quam te colimus inviti quoque!* Scio multò pulchrius esse, parari nobilem, quàm creari: si degener vitâ, vitas maculet; Majorum, quid prodest de bono genere nasci, esse ingenio malo? quid genus, & proavos strepitis? quid jactas, quod stemmate Thusco ramum Millesime ducis? quis enim, inquit Juvenalis, satyrâ 8. generosum duxerit hunc, qui

B
Indignus genere, & praclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, parvam extortamq; puellam,

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo,
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus,
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

Si in posteris defecêre mores, si coram sanctis malè vivitur parentibus. Audiant nobiles degeneres, *Dedecorant bene nata, culpæ.* Ille proprium deserit ortum, qui suaptè culpâ, de genere suo capit genus. Contra hunc degenerem, sic Juvenalis satyrâ 8.

C
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem praferre pudendis.

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur.

Magna & ingens posterorum dos, virtus clara parentum, ubi sonat æmula virtus, virtus parentum in suam transfusa sobolem emicat, ut solet in imagine crystalli Sol radijs revomi coruscis. Catulus leonem Patrem spirat, & cùm sentit ungues crescere, optat aprum, taurumque dari, & gaudet cervice bellantis Juvenci. Ex composito, & quasi te Lector convenissem: latiùs duxi hâc rationem, ut videri possit, quanti intersit, à

D quibus ortum ducas Parentibus, an à serva, an à nobili an Regina Matre an à vitioso, vel probo, vel modesto, aut grandis supercilij sanguine. An volet Dei Filius Matre probrosâ, servâ, degeneri, vitijs contaminatâ generari? Dicamus ergo Matri per omnia simillimum Filium, Matrem Filio, quantum ad humanæ conditionis venustam, & candidam puritatem.

Quis dixerit Filij gloriam non obscurari tenebris peccati, si dixeris Matrem peccatricem, cum Filius, & parentes pro una persona reputentur, ut dictum est, & communis sit utriusque actio & fama? Hic nobiscum

Quam monstrosa nobilitas, si degener?

Europen.

Nulla vel exigua laus in sola origine.

Magna dos posterorum virtus parentum.

SS. Virgo similis filio debuit esse.

biscum intonat Divus Thomas, 3. p. quæst. 274. ut dictum est, Virginem non posse idoneam Dei Matrem dici, si aliquando admisisset peccatum, quia honor, vel dedecus Parentis redundat in prolem.

§. XX.

Secunda Ratio.

Hæc ratio ducetur à decentia mundi habitus, vestisque.

Purpura primis Christianis exosa & detestabilis habita.

IN ipso primo florentis Ecclesiæ ortu, gravis censuræ fuit, purpuram induisse, tantoque in honore viguit hæc rigida observatio, ut nobilissimus quisque sibi purpuram, quasi ignem, aquam, tectumque interdixerit. Matronæ verò cum cultibus abripiantur, à corporibus suis cultum hunc, velut venenum removerant. Stupenda cautio. Causam tam severæ pietatis prodidit Tertullian. lib. 10. cap. 18. de Idololatriâ, ubi docet purpuram ævo suo fuisse obnoxiam, addictamque Idololatriæ, & sic incipit: *Iam verò de solo suggestu,* (id est, habitu) *& apparatu honoris retractandum:* (id est, tractandum, creber hujus vocis, apud Tertullianum, in eo sensu usus) *proprius habitus uniuscuiusque est tam ad usum quotidianum, quàm ad honorem, & dignitatem.* Igitur purpura illa, & aurum, cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios, & Babylonios erant dignitatis; honoris enim nomine tantùm conferebantur ijs, qui in Regum gratiam, familiaritatemque altè descenderunt. Vide Danielem cap. 5. vers. 16. Quare & purpurati vocabantur à purpurâ. Accedamus ad nostrum propositum. Simplex purpura, & ingenuitatis, & dignitatis apud barbaros erat insigne, lib. 3. Esdræ cap. 3. *Dabit illi Darius magna præmia*, inter quæ numeratur πορφύραν περιβάλλεσθαι, purpurâ induetur. Et apud Josephum, cap. 5. lib. 13. antiquitat. Rex Alexander, non ille Persarum domitor, Jonathæ Principi, & summo Judæorum sacerdoti in signum amoris mittit, φιλὴν πορφύραν. Et Themistius Euphrada Orat. 5. *Et erat ornatus torque, tiarâ, purpurâ.* Nunc audi Tertull. more suo, quasi in arte sua ampullantem, & grandi supercilio, & calamo intonantem. *Ceterùm, purpura, vel cetera insignia dignitatū & potestatum, inserta dignitati, & potestatibus Idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis maculam: cum propterea, & ipsis Idolis induantur, prætexta, & trabea, & laticlavi fasces quoque & Virga præferantur.* Et merito; nam dæmonia, sunt Magistratus sæculi hujus, (quos Chrysostomus trecentis annis Tertulliano posterior, vocat κοσμοκράτορας, orat. 5. de incomprehensibili Dei naturâ.) unius Collegij insignia, fasces, & purpuras gestant. *Nemo mundus videri debet, immundus Tunicam si induas inquinatam per se, poteris forsan illam non inquinare per te, sed tu per illam mundus esse non poteris.* Vertat ergo Christianis usum purpuræ. Primum: quia habet maculam. An non ingens macula, esse Idolis dicatam? Deinde, quia Idolorum indumenta. Ceterum etiam Idola prætextas indui solita, docet Vopiscus in Aurelianum. *Hic,* inquit, *sellam decreverat facere additis aliis duobus, in quâ Iupiter aureus, & gemmatus sederet cum prætextâ.* Nunc audi fulminantem Tertullianum: *Tu si diaboli pompam eiurasti, quidquid ex ea attigeris, id scias esse Idololatriam.* Purpuram ergo, ejusque usum damnavit, quod ad Idololatriæ cultum spectare videretur, quamvis ejus gestamen, Idololatriæ gestamen non sit, hos tamen ramos videtur porrigere: has voces diffundere, ut ipsa materiæ suspicio, & prophanationis detestandæ contactus sit condemnandus: suggestus enim, id est, cultus, ut loquitur Tertullianus. ad aliquem modum, Idololatriæ conditionem repræsentat. Quæ enim Idololatriæ solemnitas sine ambitione cultûs, & ornatûs, quæ libidinis, & lasciviæ, & ebrietatis causa frequententur: quæ omnia, cum adversus Dominum sapiant, dæmonijs, & immundis spiritibus deputantur, quibus Idola mancipantur, & Idololatriam suscitarunt.

Principale crimen generis humani, & summus sæculi reatus, & ut cum Nazianzeno incomparabili Doctore loquar, orat. 38. ἔσχατον τῶν κακῶν καὶ πρῶτον, *extremum, & primum malorum omnium.* Et cum Lactantio, libro institut. capite decimooctavo *Scelus inexpiabile.*

Flos purpuræ interdictus quia idolis dicatur.

Quid inexpiabile, nisi illud, quod penitus non expungitur, quin aliquid supersit? Hisce, sic non sine causa in longum projectis formanda ratio. Tertullianus ex usu Ecclesiæ interdicit omnibus Dei servis purpuræ florem, suggestumque purpuræ, quia Idolis sacrata, dicataque: & quemadmodum is, qui primam novi Discipuli, seu Tironis stipem, Minervæ honori, nec non nomini consecrârat, verbo tenus de Idolothyto esse dicitur, & pro Idololatrâ vitatur. (nota hîc Idolothytum dici non quod Idolo immolatur, sed quidquid pertinet ad Idolum.) Sic libro de spectac. cap. 13. ipsa spectacula dicit Idolothyta: si qui purpuram induit, quâ fulgent Idola, conditionem Idololatriæ repræsentat: ergo Christianus illam portando, inquinamento se contaminat, quia similitudinem portat inquinatæ. Veniamus ad punctum rei, & concludamus. An Christus exterminator Idololatriæ, sese vestiet purpurâ dæmoni aliquando sacratâ, devotâ, possessâque? An ostro, quo dæmon nonnunquam instar Regis triumphâtis gloriatus circumfulsit? ex eodem sibi, vel necessitate victus,

purpura aulicos vestit.

An Christus vestiet se sanguine SS. Virginis purpureo, dicato dæmoni

A victus, materiam sui amictus præscidet Filius Dei? quid hoc minus inquinamento? & quæ est purpura Regia, quâ indutus Dei Filius? An non flos purpurei sanguinis Virginei? An non caro Virginis, quâ facta Mater, Filium vestivit? An non illa purpura, Idolo seu dæmoni asseritur dicata, si jugum debiti, vel maculam peccati originalis subire cogatur? Verbum ergo Dei Patris, cùm caro factum est, & habitavit in nobis factus homo, dicetur prophanatione habitus contaminatus, si purpuram Mater gestans dæmonis, fuerit violata. Absit à nobis, ut piè dicamus carnem Virginis, purpuram Idolo sacratam, & peccatricem: absit, ut dicamus carnem Filij Dei desumptam ex carne Evæ peccatrice, absit ut dicamus, Evâ omnium Parente in hoc Sanctissimâ Virginem inferiorem, quæ fabricata fuit ex Adamo sancto, Justo, & Innocente. B

Dicamus ergo piè secundum Adamum, sicut primus fuit, natum ex terrâ Virgine, dicamus Deum spirituum omnium formatorem, nunquam sibi carnem prophanatam, contaminatam in unionem personæ conjunxisse. Credant, qui voluerint: ego non credo.

Quare ne cogamur Matre Dei quippiam indigni fateri, avertimus ab illa etiam omne debitum peccati incurrendi. Christiano prohibetur ni mundus inquinari velit, purpuram contingere, & Christus Dominus non solùm illam continget, verùm etiam illâ, corpus suum Imperatorium vestiet. An se Deum purum, hoc titulo obsignabit, & Regem? An non voluit & potuit? an non piè decuit Matrem creari inviolatam à Filio? cur non voluisset Matrem inculpatam? an non potuit? Et cur non potuisset is, qui omnipotens? An non decuit Deum nominari Filium Innocentissimæ Matris? an non decuit omni suspicione idololatriæ liberam triũphare? Si corpus illud sacrum, ex quo Deus sibi condidit suum, non sensit ullam putrefactionem, imò nec decuit objici corruptioni jam mortuum, an passurus Deus, vivum illud vitæ spiraculum obnoxium corruptioni? Piè ergo & sanctè confidamus Deum voluisse Matris suæ immaculatã conceptionem. Detur ergo inscriptio, omni triumpho major, triumphus Virginis candidissimæ columbæ de debellata Inferni Tyrannide. C D

Inscriptio triumphi Virginei.

§. XXI.

Tertia Ratio.

A curioso Regum amictu: digna plausibus.

NEmo ignorat Regibus totius orbis purpuram, ut pretiosum naturæ munus deberi; prout dici solet, *Reges purpura vestit*, quâ velut notâ, ceteris mortalibus discreti refulgent. Et quia Regia Majestas, & æmula est Divinæ potestatis imago, sacra est, & purpura sacra compellatur.

Dignitas purpuræ.

Sic & Cassiodorus, libro undecimo Epistolâ trigesimâ primâ, sacram vocat, ubi sic scribit: *Et ideò urbium, quoniam Primiceriatus sua tempora noscitur peregisse, sacram purpuram adoraturus accedat.* Et libro variarum Epistola secundo Theodoricus Rex Romanorum, ex barbarâ Gente, vocat sacram vestem. Et paulò inferiùs, adorandi muricis pretiosissimam qualitatem; ubi & purpuram luculenter depingit: *Color*, inquit, *muricis, nobilis, lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea, regnantem discernit, dum conspicuum facit, & præstat humano generi, ne de Principis aspectu possit errari.* Nunc attendat Lector. quantam curam hic Rex, purpuræ tingendæ, quâ vestiendus erat jubet impendi præstariq;: quare & testatur admitti sacrilegij reatum, in talem vestem peccari, peccasse autem contingit, si ulla solemnitas prætermittatur. Audi Regem in Cassiodoro, loquentem: *Si in illis rubicundis fontibus, cum albentis comas serici, doctus moderator intinxerit, habere debet corporis purissimam castitatem, quia talium rerum secreta dicũtur refugere immũda.* Nunc si placet, formetur argumentum: Si Theodoricus Rex Gothorum, ab exstincto Romano Imperio, primus Romanorum Rex (quo Gens Marte potẽs, & Justitiâ insignis non penetravit, felix si in fide avita staret) capitis periculo jubet, totis viribus, & conatu pervigili incubandum, ne purpura, quâ Regium corpus tegendum, non nisi à mundo, castoq; tinctore contrectatum, impolluto murice satietur. Esto, pulcherrima rubeat ebrietate lana, contactu tamen impudici Magistri lætior color deflorescit, vivacior & habitus, afflatu fœdo marcescẽs emoritur. Hæc innata conchylijs proprietas, vis animosa, & gloriæ servãdæ pudor, ut omnem immunditiem, tanquam venenũ, ut apes florilegæ loca malè olẽtia penitus exhorreat. Jucũdum purpuræ munus, quod nisi castas admittit manus, iisq; gaudet, ubi senserit immundè tangi, se contrahit, si verò violetur Venereis manibus, emoritur, & in hoc par apibus, quæ densato agmine, invadũt spirãtes Venerem, & spiculis ignitis abactos persequuntur: si inquam, Rex barbarus pur-

Descriptio ejusdem.

Tinctor purpuræ jubetur esse castissimus.

Rex purpura mundissima tincta vult tegi.

An Christus Dominus immundis manibus velet tangi.

purpuram, Regale decus, quo vestiatur, vult elegantibus, mundis, purisque manibus, & corpore non immundo sibi elaborari, qua vestiatur, an Filius Dei, fons puritatis, patietur corpus suum Regium contegi impurâ, & violatâ per originale peccatum purpura? an Filius Dei circumferet, & ostentabit adoraturis habitum in omnes æternitates, quo velut suo spolio, dæmon posset gloriari? an non indignum Deo, cælis inferre, & in solio suæ Divinitatis locare corpus suum? Corpus suum voco sacram purpuram, quam tinxit Mater sanctissima, quæ semper foret monumentum suæ victoriæ. Si serici moderatori præcipitur singularis munditia, quia secreta, & latens muricis indoles horret immunda? an non Moderatrix, imò & fabricatrix Corporis Christi, omnem deposcit puritatis fontem? An non status Maternitatis, omnem refugit etiam suspicionis maculam? Et nos in Filium Dei pij, & in Matrem sanctissimam studiosi censebimur, si purpuram immundæ peccatricis quondam manibus dicamus contextam, & vitiato murice imbutam, Filio consignemus? Nobiscum facit Alcuinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4. de Carolo Magno: *Sicut conchylij sanguinem suscipit lana, ut purpura, Imperiali Majestate tantummodo digna fiat, quâ nullus vestiatur, nisi Augustâ præditus dignitate: Ita Spiritus sanctus supervenit in sanctissimam Virginem, & virtus Altissimi obumbravit illam, ut quasi lana fieret Divinitate purpurata, æterno solummodo Imperatore indui dignissima.* Ecce ut Virginis carnem purpuram vocet, quâ se Christus vestivit. Ita se res habet. Huic non præclarius, quàm verius accinit Proclus, sermone de Nativitat. *Hac admiranda illius Oeconomia tela, ex quâ, & in quâ ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta est, cuius quidem textor, Spiritus sanctus exstitit: netrix, virtus ex Altissimo obumbrans: lana vetusta, sed trama, id est filum transversum, per quod radius trahitur, impolluta, scilicet, Virginis caro: radius textoris, immensa gestantis gratia: Artifex, Verbum per auditum illapsum.* Hæc ille. Benè alio loco, Spiritus sanctus comparat capillos Dominæ cum Regia purpura: *Coma capitis tui, sicut purpura Regis, vincta canalibus.* Cantic. 7. Quid capilli Virginis, nisi altissimæ Verbi Incarnati meditationes arcanæ, quæ, ut capilli capitibus supereminet, ita omnem humanam cogitationem antecellunt?

Nota digna lectu.

Quid per purpuram, nisi pretiosa Filij caro, ex tinctorio sacrati corporis prodiens? Caro Christi, est illa purpura sacra, quâ Verbum Dei indutum est, cum Verbum Caro, factum est, & habitavit in nobis. Conservavit ergo Deus hanc Virginem Immaculatam, ne purpura posset ullâ manu prophanari pollutâ. Hanc prærogativam prælusit proavus Virginis, in Psalm. 45.

Quod sit diluculum SS. Virginis.

A *Adjuvabit eam Deus manè diluculo.* Quid est diluculum Virginis, nisi Conceptionis beatissimum momentum? quid mane, nisi Virginis lætissima Nativitas? Deus apprehendit dexteram ejus, posuit illam in throno juxta se, Filij Domini Nostri meritis, ut sociaretur Deo, quantum fieri posset, puritatis concessæ gratiâ: una, quippe, est columba, una dilecta, una sponsa, una Virgo, quæ nullo afflatu dæmonis contingi potuit, aut violari. Juvat Deus aliquos in occasu Solis, ut Latronem: alios ante vesperam, ut Magdalenam: Alios medio die, ut Apostolos: alios manè, ut Jeremiam, & Joannem Baptistam: Virginem verò diluculo adjuvit favore extraordinario, atque omnis gratiæ Regiâ præventione. Et fundavit illam

B in montibus sanctis, ut Deus in medio ejus non posset commoveri, Psalm. 45. Sicut nec unquam commotus fuit. Justè autem Deus excandescere potuisset, si à Virgine Matre maculosa, maculoso tectus, vestitusque paludamento fuisset. Et cur non? Si mortalis potuisset inquinatam purpuram indignari; cur non immortalis Deus?

§. XXII.

C

Quarta Ratio, ex usu sacrificiorum Gentilium.

Omnia pura dicanda, vitem fulmine tactam cum vino non sacrabant. Sanctissima Virgo erat vitis sancta, quia Domus sancta.

Apud Gentiles tum solemne, tum magnificum sacrificium, omnium sermone, & plausu celebrabatur, in quo maximè opima, munda, & selecta dicabatur hostia: quare & auratis cornibus, floribus instratis, textili stragulo, & bene saginata victima Dijs mactabatur. Unde &

Quæ victima Dijs apud gentiles gratissima.

D Plinius libro decimoquarto, capite decimonono, sic scribit de libaminibus Ægyptiorũ. *Quid ita? poscebant illi sacerdotem purâ cum veste, poscebant puras lymphas, pura libamina: quidquid mixtum, & impurum despicatui, & indignum Dijs judicabant.* Uvas & vinum fulmine tactum abjiciebant. Quantò indignius Deo, quàm victimas vitiatas Deo dicare?

Quid indignius Deo, quàm vinum, id est, sanguinem Agni immaculati in Cruce immolandi, dedicare in sacrificium, qui collectus foret ex racemo, dæmonis vestigijs conculcato? Absit, ut piè dicamus, vitem, id est, Virginem sanctissimam peccati originalis fulmine tactam, in suo

in suo primo ortu defloratam, & fulminis trisulcis flammis adustam? fulmine potentius peccatum, quod ab ima stirpe, victrice peste, omnia in cineres solvit, permutat ima summis, & horridis monstris formosissimas formas.

Quid Angelo, & Adamo stante speciosius? quid deformius prostratis? Absit, ut dicamus, prolibatum Deo vinum, id est, sanguinem ex Virgine sumptum, materiam sacrificio aliquando immundam ministrasse. Mansit Virgo sanctissima in possessione Virginei floris firmâ, immobili atque inconcussa, perstitit in Justitia, in quâ à Deo, & Filio creata fuit. Hoc docuit ejus adoptatus filius, Apocalyps. cap. 12. *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Cur substernitur Regijs pedibus luna? premit illam pedibus, ut omnes res sublunares, quæ perenni volubilitati subditæ, doceat fluxas, volucres, & esse caducas, se verò basi firmitatis innexam, perpetuitate suæ gloriæ gaudere. Quid enim luna? nisi inconstantiæ symbolum? quæ præcipiti, & volubili celeritate ad singula momenta, sui spatio carpitur, vel augescit. Et sicut Deus cælum ad volubilitatem rotundavit: ita & Virginem in constantiæ symbolum, & firmitatis tesseram creavit. Lunam ergo sub pedibus premit (quæ tantum constans est in suâ levitate) ut in animæ suæ possessione immobilem statum, & imperturbabile suę innocētię, & integritatis monstret imperium, nulla in Virgine sanctissima per terræ interpositionem Ecclipsis, nulla luminis defectio, ubi nulla intervenit culpa. Quidquid libatur Deo ex Virgine, summo Numini, purum, & intactum venit. Hoc ipsum docet sanctissima Virgo, plena Deo, dum se veram, & intactam vitem docet, non vitem auream, quâ Persæ gloriabantur, sed totius naturæ fœcundissimum gaudium, quo mortales, immortalesque tanquam nectare immortalitatis potantur. *Ego*, inquit Ecclesiast. 24. *quasi vitis, fructificans suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Hæc vitis non in Paradiso Adami, ubi Adamus suspensus arboris fructu, & ambitus laqueo suffocatus interijt: non fuit illa tacta fulmine peccati originalis, non calcata pedibus vulneratis Luciferi, qui fastu superbiæ, totus vulnus fuit, & suis pedibus hominem innocentem sibi substravit, calcavitque. Nullo denique immundo liquore immissarum tentationum polluta fuit. Et sanè quî pollui, quî calcari, quî fulmine tangi potuisset, quæ sola fuit plantata in paradiso Filij sui, tanquam vinea electa, opima, sancta, & æterni solis cōtinuis radijs illustrata. Scribit Plinius lib 14. c. 3. *Mirum, ibi cum sole circumagitur vua*, (quæ ob id, *streptos* vocatur,) in illâ proprietate dici miraculum. Sic apparet solisequa, & ob id filia solis videtur, ac proinde Soli uni ancillari, & obsequi, nullius pati lucem, nisi sui solis. Tu es illa vitis strepta sanctissima Virgo, quæ semper Solis æterni radijs irradiaris, & oculis æternæ lucis objecta efflorescis, & ad nutum Divinæ voluntatis circumageris: tu es illa vitis, quàm æternus Pater, verus agricola circumdedit, & aureâ sepe sanctitatis defendit, in qua domum sibi, & turrim inexpugnabilem ædificavit sapientia Divina. Hanc domum, seu Dei templum describit Ezechiel. 43. *Est lex domus in summitate montis, omnis finis eius in circuitu, Sanctum sanctorum.* Quod Prophetæ dictum intelligi non potest de templo Salomonico, quod in tres partes commensum, sacerdotibus, populo, & Gentilibus patebat. De mysticâ ergo domo, templo vitæ, intelligendus Propheta. An non uterus sanctissimæ Virginis, vitis fructificans? an non flos, & fructus ejus, fructus honoris, & honestatis, orbem implens odoris suavitate? an non finis ejus in circuitu Sanctum? sanctorum? an non quidquid in Virgine sanctum est, & Sanctum sanctorum, fructus ejus flos florum, & vinum germinans Virgines, & immortalitatem, sancti oculi seraphicis mundiores? an non manus sanctæ, quæ instrumenta, & artifices actionum Divinarum? an non os sanctum cum corde? quod eructat verbum, & dicat laudes Deo? An non creatura, cujus lingua, instar calami velociter scribentis, texit amatoria suo sponso æterno? An non gressus sancti, qui continuò in Deum, & cælestia tendebant? an non omnes cogitationes sanctæ, quasi virgula fumi, ex aromatibus omnis generis confecta, cujus suffitus divinorum odorum, quasi Pyramidales cælum petebant? Erat ergo hæc vitis, id est, sanctissima Virgo, tota sancta, & terra benedicta, & sacerdotalis, nulli tributo obnoxia, vel tempestati. Utar versiculo Claudiani:

Hanc venti pulsare timent, hanc lædere nimbi:
Hic Divinus odor cæli, pars acrior anni
Exulat, æterni patet indulgentia veris.

Nulli hîc datur accessus, nisi soli Deo, nullus Dæmoni accessus, non aspectus datur, quin immò nec datur tentare aditum. Tanti fuit Deo, hanc vitem servasse, ex cujus fructu erat vinum Deo summo, purissimum prolibandum in totius generis humani salutem. Si Gentibus tanta cura incessit in suis libaminibus, an Deo, ut sibi ipsi innoxia, & purissima libarentur, curæ non erit?

§. XXIII.

Cur luna sub pedibus SS. Virginis

Devua solisequa.

Lex domus Dei.

Quidquid in Virgine, sanctum.

Illa vitis sancta.

§. XXIII.

An hanc rationem spectat tum usus sacrificiorum apud Iudæos, tum & dignitas sacerdotalis. Qualis Platoni & Philoni sacerdos, qualis summo sacerdoti sponsæ.

Varia, & distincta apud Judæos materia sacrificiorum, pro significatione rerum, quas designari volebant. Ex terrestribus animalibus Lex præscripsit oves, agnos, boves, capras, & inprimis hœdum onustum peccatis, & in prædam relegatum, quia familiaria, imbellia, & mundissimi cultus, pastusq;. Inter volucres verò, Principem locum tenebant, turtur & columba, quia munditiei studiosissimæ, & sine felle: hęc gregaria: illa solitaria, facilis tamen cicurari. Attamen, quamvis hæc animalia, elegantia, & munda viderentur, sanctæ legis rigido imperio sub censuram, & accuratam inquisitionem veniebant, ne quid subdolæ, vel occultæ maculæ lateret, & sacrificium Deo destinatū, aliquâ sui parte invisum, & odiosum redderetur. Explorabant ergo sacerdotes singula membra, artus singulos, & per totū corpus ibatur, num compage nitida, & perfecta sibi cōstaret. Quare Exodi 12. vers. 5. jubetur *Paschalis Agnus absque maculâ*. Et Levit. 1. *Si holocaustum fuerit eius oblatio, masculum immaculatum offeret*. Et Levitic. 22. vers. 22. interdicitur sacrificium *animalis, si cæcum si fractum, si cicatricem habeat, si pupullas*, id est verrucas, sive carnis inflammatas prominentias, quas Plinius vocat formicantia, & verrucis infesta, seu callosa, dura, & aspera, *Si scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini*. Adeóne Deus rigidus censor, & castigator minimi nævi, ut omninò immaculatum sibi, & purissimum poscat sacrificium? quare non absq; ratione, ubiq; additur verbum hoc, *Immaculatum*. Verùm quid sit immaculatum, clarè docebunt Septuagintà Interpretes, qui sic habent, ὁλόκληρος, in quo nihil sit, quod censeri, aut reprehendi possit. Et Josephus lib. 3. cap. 10. hæc animalia immaculata vocat, καὶ τὸ μηδὲν λελωβημένα. ἄμωμον, *integra, & nullo modo mutila, seu deformata*. Quare & hoc ingentis symbolum doctrinæ, quâ, quisque vota Deo nuncupaturus, à perenni, & acri Pædagogo summæ puritatis monetur, ut studeat mentem in conspectu Dei proferre castam, immaculatamque, summū enim Ens, & invisibile, certâ ratione, Divinâque scientiâ, & puritate jubet se coli. Lex ergo præcipit, ut Deo facturus sacrificium, sit corpore, & mente purus: mente quidem, vitijs liber, corpore verò, à maculis, & sordibus, inquinamenta importantibus. Lustrationes ergo utriq; parti hominis sunt destinatæ: animæ, per hostias sacris idoneas: corpori, per lavacra, & aspersiones. Quare & tempore sacrificij Deo placituri, jubentur abesse Prophani, & sacerdos purâ in veste, puriore tamen mente ad sacrificium accedere. Et id quidem ex sententia Platonis, qui vult sacerdotem in sacrificijs pulchrâ veste, aureisque coronis ornatum, rem Divinam tractare; quamvis Deus mentis purioris sit curiosior, quàm corporis, nec tam victimæ nobilitatem, quam sanctitatem mentis intueatur, ut præclarè docuit Rex Agesilaus, qui ajebat *Deos non minus religiosis operibus, quam castis delectari*. Quare & tum masculum Deo sacrificiū dicitur dicari, si sacerdos, vel quivis alius sui domitor, & perturbationum victor, pretium sui quasi nobilissimæ victimæ consecret Deo. Tantæ molis erat vero Deo & æterno victimas dare: quarū, ut sūmâ curâ delectus; ita & immaculati sacerdotis habebatur, neutrum placiturum, nisi paris munditiei comitatu. Quare & Judas, 1. Machab. 4. n. 42. elegit sacerdotes sine macula. Carebat ergo summus sacerdos omni maculâ, vel maculæ suspicione, quandoquidem sacerdotes inferioris ordinis, nō nisi immaculati admittebátur. Lege Lector, ex Philone, de Monarchiâ l. 2. pagella 2. quem eâ docet prælucere castitate, ut meretricem pariter animo atq; corpore impuram nec aspicere quidem liceret, quamvis quæstu relicto, ad frugem redijsset, eò quod olim, pollutum vitæ institutum secuta fuisset. Et nos Deo summo Filio Dei, summo sacerdoti (*Tu enim es sacerdos in æternum, secundum ordinē Melchisedech*,) dabimus Matrem cōsortem peccati originalis, & quidem non Virginem, sed vitiatā? Ergo Filius Dei, vilioris conditionis erit, veteris Legis sacerdote summo? sūmo quippè sacerdoti, nuptiæ nisi Virginis castæ, & quidē generosis, clarisq; Majoribus editæ permittebantur, & ne quid absolutæ puritati deesset, rigidè cavebatur, ne foret alteri desponsata. Pura ergo integritas spōsæ futuræ poscebatur summo sacerdotiū, purę, quippè, Virginē mentes, flexiles & sequaces sunt virtutū, & ad disciplinas capessendas aptissimæ, quę nullas figuras rerum caducarū adhuc admisêre, quæ receptæ, solent suo cōcursu, & inæqualitate, mentis puritatem vel vitiare, vel obscurare. Ceræ ergo levigatæ, instar, est mēs Virginis immaculatæ, & nos dabimus Filio Dei, Matrem desponsatam aliquando Principi tenebrarum, quæ fuerit aliquando juris non sui? Concludamus argumento stricto totam ratiocinationem, circa sacrificij, & sūmi sacerdotis necessariam munditiem. An poterit dici Christi sacrificium immaculatū, si fama Christi, summo opprobrio Matris violata? an non prophanatur victima, si cicatricem gestet vulneratæ pudicitiæ? Quod peccato originali infestius vulnus? & quæ deformior infesti vulneris cicatrix, quæ nunquam obduci poterit?

Curiosa sacrificiorū victima.

Sacrificia apud Hebræos amoma irreprehensibilia poscebantur.

Qualem velit Plato sacerdotem.

Quando masculum Deo sacrificium dicatur.

Stupenda Philonis doctrina de puritate sacerdotis.

Qualis summo sacerdoti spōsa quærebatur.

Virginum mens qualis.

Summus Sacerdos veteris legis Christi Domini figura.

Ad alteram partem descendamus. Summus Sacerdos veteris Legis, figura Christi summi Sacerdotis, summo delectu, & censurâ puritatis ad summum decus provehebatur. An non Christo Domino summa debita puritas? nihil meretricij sub aspectum admitti, aut subire poterat. Dabimus ergo Filio Dei, summo Sacerdoti purissimam Matrem, nō filiam turpissimi lenonis? Ergonè filij oculis semper obversabitur Mater, meretricij notâ gravissimè condemnata? Sentiamus ergo de Matris Dei absolutissima puritate.

§. XXIV.

Quinta decentia, & ratio à templorum sanctitate.

Apud omnes Nationes, quātumvis barbaras, semper in magna veneratione, & honore, loca Deo dicata floruêre; ad eorum ingressum attactumque barbaries mitescere, ferocia exui, & quasi horrore sacro contrahi videbatur. Templa, aræ, statuæ, servis, criminosis, & fugitivis asylum, & unicum miseris profugium. Habet magnam venerationem quidquid excellit; excellit autem quidquid in Divinitatis religionem, & cultum æterni Numinis commigrat. Quare & saxa, & ligna, & quidquid circumjacentis est materiæ, omnium consensu, & opinione sanctitatem trahere judicantur; eaque violare, fit nefas, & capitale. Quare & prophana, nec Deo sacra, si templi sanctitate defendantur, impium fit, & quasi sacrilegum, per violentiam, aut furta detrahere.

Pausanias templo defensus, in templo mortuus, sensit mortis suæ vindicem Deum.

Unde & Lacedæmonij, Pausaniam vi, & militibus à templo abstrahere inhorruêre. Sic locus sacer, qui fuerat vitæ profugium, fuit & sepulchrum: fame quippe, ibidem mori coactus, expiravit. Sic Thucidides & Diodorus Siculus lib. 1. subdit; Numini mortem viri displicuisse, quod contra fas supplex mortuus fuisset; jussitque supplicem restituere, & in expiationem consilio agitato, duabus in templo statuis erectis parentare.

Gens Gothica templa venerata.

Gothi olim, Gens digna Imperijs, eâ puritate, & religione templa sunt venerati; ut neminem in templo violarent, si securitatem sui implorâsset. Joannes Magnus libr. 23. Historiæ Gothicæ cap. 21. & 22. Eutropius Eunuchus, in quem oravit Chrysostomus. & scribit Claudianus:

Nunc geminos soles mirari desinat Orbis,
Desinat attonito & pecudes Pastore locutas.

Quasi diceret: Nulla monstra mirate; nisi unicum:

Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra.
Heu terra cœliq; pudor, trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumq; effœminat anni.

Quæ nova portendunt superi? hæc fortuna A infelix regnorum: locantur in alto, altiùs ut cadant indigni. Quænam ista jocandi sævitia:

Sic tibi servili placuit fœdare curules
Crimine?

Benè Diocletianus apud Vopiscum: Rebus digni gerendis amoventur; amoribus, & adulationibus validos, regnis præfici volumus? Tātæ felicitatis est, Principem sapere. Hic ergo Eunuchus, fatale pietatis monstrum, impetrat ab Arcadio legem, quâ ab Ecclesia fugitivus, violentis manibus abstrahi possit: tollit impius Ecclesiæ sacram tutelam, & calamitosis immunitatem. Non tulit offensum Numen scelus; sustulit asylum, asylo caritutus. an lex justior ulla est,

Eutropius violator templi templo coactus se defendere.

Quàm necis Artifices arte perire suâ?

B An non taurum Peryllus in suum exitium, quem alijs fabricavit, primus expertus? Eutropius ergo ruit ex alto Aulæ, fugiens iras, in Ecclesiam, quam violârat; totus trepidus, & æstuans fugit. Quid agis improbe? hoc agis, ut pereas tuo exitio? jaces ante Aram; Arâ protectus, quam spoliasti. Abstractus ergo noctu, & capite truncatus fuit:

Discite Iustitiam moniti, & non temnere Divos.

Leges pro templorum immunitate.

Sic Suidas. Nicephorus libr. 13. cap. 4. Pro immunitate itaque Ecclesiarum tutandâ, non sine causa tot Magni Principes laborarunt. Theodosius Magnus, Valentinianis Leg. pateant 4. de ijs, qui ad Ecclesiam confugiunt, lib. 9. cap. Theodos. 45. lege sancita, voluerunt Ecclesias, esse asylum. Sic & Leo C Primus. Jmò & Concil. Tolent. cap. 12. definivit eandem quæstionem, asylum extra Ecclesiam constituit, intra triginta passus, ut non inde servi abstrahantur à dominis, nisi præstitâ cautione. Quare meritò Divus Augustinus, Bonifacium Comitem, Africæ Præsidem sub Honorio, ut habetur Canon. miror. 17. quæst. 4. quia hominem rapuerat ad Ecclesiam fugitivum, communione sacrâ interdixit. Graves prætereà dedit pœnas Pompeius Magnus violati templi Hierosolomytani: ex eo enim, omnia ad votum fluentia, retro sublapsa referri, fortuna sustulit, & serva tum victo caput abstulit:

Exempla pavenda.

Quis te Niliaco periturum litore magne:
Post victas Mitridatis opes, pelagúsque re-
D *ceptum,*
Et tres emenso meritos ex Orbe triumphos?
Cùmque etiam posses alium componere magnum
Crederet, ut corpus sepeliret naufragus ignis?
Quis tantum mutare potest sine Numine fati?
Et collecta rogum facerent fragmenta Carinæ?

Sic Manilius lib. 4. Astronom.

Invigilat sceleri magno, Deus Magnus. Ni canoris impia in sanctum templum vox e missa, ut horribili ultione castigata, cecidit ipse cum triginta quinque millibus bellatorum, cujus & caput, manumque Hierosolymam

Nicanor exemplum Dominicæ vindictæ.

mam referri jussit Judas Machabæus, 2. *cap. vltim. vers.* 30. & in summâ arce suspendi, ut manifestum signum esset auxilij Divini: manum verò nefariam, quam contra domum sanctam Omnipotentis Dei extenderat, contra templum suspendi, linguam autem particulatim concisam, avibus dari. Sic socco laneo incedens Deus, vindictam etsi tardam fabricat, infertque. Tanta Deum premit cura sui domicilij, sacræque suæ domus Regiæ, omnibus tamen posthabitis templis, nullius templi decus, & Majestatem, majori curâ, & solicitudine defendit, quàm templi Hierosolymitani præ omnibus dilecti. Hoc orbis miraculum, totius orbis Principes summâ veneratione coluêre. Quos inter Augustus Cæsar, cùm tantus esset, jussit tamen suis censibus, quotidie victimas in holocausta Altissimo Deo, taurum, scilicet, & duos agnos Altari destinari. & quod propè fidem exuperat, cùm Gentilis, & simulacrorum cultor, nullum in templo simulacrum, vel in occulto, vel propatulo exstare, probè didicisset: affirmabat tamen, necessum esse in terris Janum dedicari Deo citra vllam effigiem, ubi homines cum bona spe vota facerent. Agrippa verò, Juliæ Maritus inter familiaria colloquia, nihil in ore iterabat aliud, quàm laudes templi Jerosolimytani. Desinant mirari, qui hoc ipsum mirantur. Quis non oblectaretur cōtemplatione sacri apparatus? Sacrificiorum ordine? verendâ summi Sacerdotis Majestate, & admirabili cultu? Ipse Tiberius, tribus & viginti annis, etsi infandus, & sceleribus coopertus, templi incolumem religionem voluit curiosè servari. Demetrius verò 1. *Machab. cap.* 10. scripsit Judæis, se templo immunitatem dare, & in omnibus finibus ejus. Fama quippè, tàm prodigiosi tēpli, & Majestatis splendor admirabilis, per orbem sparsa, omnium animos occupaverat: Judæis tamē inprimis insederat attonita reverentia: sciebant enim domum à Deo sanctificatam, à Deo ipso habitari, & portentis oppidò sæpè commorationis suæ, præsentissimum manifestasse domicilium. Sic & sacra Scriptura 3. Reg. 9. loquitur: *Sanctifica domum, quam ædificasti.* & alibi: *Gloria Domini impleverat domum.* & Isaiæ 6. templum vocatur, *locus requietionis suæ*, quem & Hebræi vocant *palatium Dei.* & Josephus lib. 13. scribit, *προσκυνεῖν ναὸν καὶ ἱερὸν, adorare templum, & Sacerdotem.* Tanta igitur habebatur sanctitas templi, ut nihil immundi posset intromitti. Quare & immundi homines, & cetera quæque immunda templo interdicebantur. Quod ipsum & Josephus libr. 6. de bello Judaïco cap. 66. scribit, dum docet plures templo arceri solitos: Gomorrhæos, id est, semine fluentes: feminas menstruas: viros, qui per omnia casti non erant, ab interiore aulâ. Sanctum verò Sanctorum nemini patebat; nisi soli Sacerdoti, idque semel in anno, Exodi 30.

Majestas templi Ierosolymitani.

A ut offerret incensum Deo. Jeremias 17. versu 12. admirans loci Majestatem, sic scribit: *Solium gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ.* Quanto animorum ardore, quantâque periculorum contemptione Judæi templum suum unicum ab omni injuriâ propulsarint; legat, quicumque amator rei novitate stupendâ est avidus, Philonem in suâ legatione ad Caium Caligulam: vel Baronium Toto 1. in Caio. Legationem fusam in pauca redigam: Caius Divinitatis affectator, mandat Petronio, Præsidi Iudææ; ut templum Magni Dei suum jubeat, & titulo novi Iovis Caij inaugurari cum statuæ suæ dedicatione. Hujus mandati fama ubi civitatem sanctam peruasit, pro rei

Stupenda Iudæorum cura pro templi sanctitate tuenda.

B atrocitate adeò movit iras, ut omnes extrema mallent. Comploratum ergo publicè est statim, & pari voce, quasi desperatis rebus, clamatum, potius finibus emigrandum, quàm sacrum Dei templum violandum. Quantus fuerit perculsorum furor, & dolor, & amor templi defendendi, vel hinc disce. Uno agmine, desertis Oppidis, Castellis, & ædibus, continuoque itinere venerunt cuncti in Phœniciam: diceres Iudæam vastatam, desertamque; diceres nubis instar, populos omnia contexisse, ut miraculo esset nescientibus Gentis frequentiam. Ubi ad locum Præsidis peruentum, tantus clamor cum fletu, planctuque sublatus, ut om-

C nium aures hebetaret. Tunc Senatus, ipsumque Concilium Saptuaginta duorum seniorum, interruptis vocibus suæ consternationis luctus, & dolorem suum testantur. Discedimus vrbibus, cedimus privatis ædibus, & possessionibus, supellectilem vel pretiosissimam vltrò vobis in prædam offerimus, eo animo, ut nos putemus non dare, sed accipere. Unum pro omnibus his petimus, ne quid in templo novetur, idque servetur, quale à Majoribus traditum. Iam ab initio, templum nullam admisit manufactam effigiem, cùm sit Dei domicilium; illum autem invisibilem pingere, aut fingere, Gens Iudaïca, ô optime Petroni! nefas

D duxit. Id si non impetremus, necandos nos præbemus, ne videamus unum, quod morte gravius: libenter jugulabimur, cædamur, in frusta concidamur. Sine certamine hæc peragantur, & quidem sine suo sanguine agant, quod lubet victoribus: nos ipsi Sacerdotes, nos tanquā victimas immolabimus. Putásne Petroni, si nostrates viderint in templum imaginem induci, nō in saxa mutatum iri? Decretum ergo erat omnibus, mori potiùs, quàm cum statua illata vivere: adeò gloriosum pro templi Majestate mori, & dulce non vivere. Pergit Philo: Pilatus, Iudææ Procurator, non tam in gratiam Tiberij Imperatoris, quàm in odium populi, auratos clypeos intra urbem, in Herodis Regiâ, nullâ insignitos imagine dedicaverat. at quia titulus circumferebatur, nomen dedica-

Desperatio ob illatum templo clypeum.

dedicationis, & nomen ejus, cui dedicabantur, quasi in vltimo excidio conclamatum fuit. Ibat ergo clamor cœlo: Tollatur clypeorum novitas, ne violentur ritus Patrij. His motibus Pilatus obsistere; populus clamores ingeminare: Desine, inquit, materiam seditionum ciere, & pacem profligare. Victus Caligula: victus & Tiberius, vltimâ populorum desperatione: hic seditionis metuens, clypeos jubet amoveri, & Cæsaream maritimam transferri: ille verò quasi amens, & irâ, & furore tumens, cùm suprema metueret, dissimulavit, & negotium imperatum distulit. Exclamavit tunc Philo, his similibus verbis: Nunc speramus Deum propitium, cùm Caius irascitur. Tantus amor templi, tanti gloria intacti cultus, tantus zelus fuit & ambitus, mori pro Patria religione, ne maculâ levissimâ posset inquinari.

Conclusio facta argumento.

His sic deductis, conficiamus argumentum: Si omnes Gentes ex rectæ rationis imperio, Deo sacrata templa volunt asyla, volunt intacta Dei palatia, volunt inviolatam Summi Imperatoris domum, in quâ omnium Gentium vota, & supplices legationes prosternuntur: quale ergo decet esse templum, quàm sanctam, & intactam domum, quàm purum, & omni nitore splendidius palatium; non solùm marmoreum, aut aureum, aut purè Adamantinum, sed omni excessu puritatis nobilius, in quo non sacrificijs, non victimis, non animalium sanguine litato, Deus honoratur, coliturque, sed in quo Deus ipse habitator, & inquilinus non solùm commoratur, sed in quo concipi, fabricari, nutriri, & novem mensibus decrevit conceptus adolescere? Quàm immune ab omni vitio, & omni maculâ penitus abhorrens, quàm prodigiosæ puritatis illud sanctum corpus, quod Deum suâ carne, & sanguine vestiret, necesse est fuisse! Judæi omnia sua pretiosa prodigi in prædam objiciunt, mortem orant, cervices mucronibus supponunt, jugulum offerunt; ruituri denique in obstantes hostium catervas, mille tormenta deposcunt; quò cladem, per importationem statuæ, sanctissimo templo avertant. Et quale illud Salomonicum? nisi saxis, marmore, & lapide pretioso, & auri laminis fabricatum? An non est figura veri templi Divini, uteri, scilicet, Virginei? & dubitabit Deus omnem thesaurum, & ærarium infinitarum opum, & quidquid possidet pretiosi, in Maternæ conservationem puritatis effundere? an tolerabit Deus in domum suam, suumque templum inferri perditissimi dæmonis statuam? an patietur postem teneri à Lucifero dedicatione sui templi, quod suis dolis sibi comparasset? Absit, ut Magnus Deus cedat barbaris Gentibus, quæ pro fanorum suorum conservatione, in mortem procurrunt, omniaque extrema malunt experiri, quàm eorum violationem tolerare. Ergo pro Matre suâ Deus tulit legem; ne vlli legi subijceretur servitutis: voluit Augustam suo gaudere privilegio, & supra omnes eminere; voluit templum suum dominator Dominus, immune, sanctum, & inviolatum: voluit esse asylum, & confugium omnium mortalium: voluit solum sibi dicatum, nullius simulacri figurâ, aut imagine contaminari.

Quanta sanctitatis templum corpus & anima SS. Virginis.

Pro hac tua immunitate, sancta Virgo laboramus, & piè pugnamus, cum toto orbe: nihil detrectamus; modò salua sit, & integra gloria tuæ puritatis. Dicamus ergo cum Davide Psalm. 113. *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum? A facie Domini mota est terra; à facie Dei Iacob.* Sicut à facie arcæ stetit Jordanis: sic à facie Virginis fugit peccatum. A facie arcæ corruêre muri Jericho: à facie arcæ, Dagon caput, manusque, truncatus jacebat super limen coram Arcâ Domini. Quid est caput dæmonis, quod Virgine coram iacuit truncum; nisi originale peccatum? & quæ sunt manus, nisi truculenta fomitis Tyrannis? Tu ergo ô Virgo, & domus Domini superædificata super firmam petram; petra autem est Christus Dominus, Filius tuus, peccati domitor inexpugnabilis, qui te creavit mulierem illam fortem, qualem nullam creavit; vt peccatum penitus perdomares, & esses Dei templum, & sanctum Sanctorum.

§. XXV.

Sexta decentia, ex usu Altarium.

MVltis Scriptoribus, semper visum fuit consilium Dei admirabile; cur altaria è terra, vel impolitis lapidibus, à ferro intactis, ex quo fuerant latomijs excisi, voluerit sibi strui, & erigi. Exod. 20. vers. 25. *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.* Dùm cultrum exprimit, quodlibet signat instrumentum, quo lapis poliri, aut dolari possit. Undè & contactus ipse, politionis causâ vetabatur. An ideò tam rigida Lex lata; ut horror vehementior Idololatriæ cunctis insideret: cùm aliæ Gentes summâ arte, magnisque pretijs, sua struerent Altaria? Crediderim ita esse. vel ut Judæi dissimiliores alijs Gentibus essent; quorum Altaria opibus fulgebant.

Altare impolitum quare jussit Deus.

Crediderim & hoc ipsum verum; cùm cap. 27. ex lignis setim pretiosis, & cap. 38. & laminis æneis tectum jubetur fieri. Insuper & à Salomone 2. Paralipom. 4. & apud Jose-

Josephum libr.8. Antiquit.cap.2. Altare æneum factum. Deinde nemo ignorat Altare fuisse aureum intra Sanctum Sanctorum: vel extra in tabernaculo secundo; in quo bis quotidie odores in Dei honorem incendebantur. Quomodo cohærent hæc omnia, lege servatâ; quandoquidem tanto pretio Altaria constarent?

Altare quomodo ergo aureum? æneum quomodo ornatum?

Standum tamen est pro lege, eamque in suo vigore fuisse servatam dicamus; & Altaria impolitis ex lapidibus, & ferro intactis semper structa fuisse. Hoc docet Hæcatæus Abderita, apud Eusebium de præparat. libr.9.cap.2. Aram quadratam fuisse à lapidibus integris, & inornatis. Loquitur autem de Ara, quæ post captivitatem Babylonicam stetit, ut qui vixerit tempore Alexandri Magni.

Tale fuit & Altare, quod Herodes, renovato templo, construxit; ab omni ferri contactu liberum, & immune, ut habet Josephus lib. 6. bell. cap.6. Dicendum ergo est, aureum illud Altare Salomonicum, & æneum, Exodi 38. æneis lapidibus tectum: interiorem tamen structuram ex rudibus & impolitis fuisse compositam lapidibus, exteriorem verò superficiem auro, & lignis pretiosis, vel æreis laminis fuisse adornatam. Exigebat ergo Deus, sibi victimas sacrari in Altari impolito, rudi, ab omni contactu ferri penitus immuni, quia simplicissimæ naturæ, & purissimæ cùm sit, gaudet simplicissimis, purissimisque libaminibus, holocaustis, & Altaribus, quæ nullo artificio humano, vel instrumentis violata, aut imitatione mētirentur veritatem. Quod est verum Altare Magni Dei? An non uterus purissimus purissimæ Virginis? an non uterus, Sanctum Sanctorum, quem ipse semel solus, & non alius Pontifex tanquam summus per annum, & non ampliùs (nam juxta Philonem lib.2. de Monarchiâ. & lib. de legatione ad Caium: si enim duobus anni diebus, aut eodem die terque quaterque intrasset, capite lueret absque venia) erat ingressurus; in quo utero, velut templo, & Sancto Sanctorum, primam sui victimam fecit, cùm dixit Psalm.39. vers.9. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.*

Ratio cur altare impolitum volebat Deus.

Decebat ergo hoc Altare, cùm maximè ad summum Dei cultum, & honorem spectaret, esse remotissimum ab omni humano contactu, ab omni contagione primi parentis: quod non voluntate primi parentis, sed solius Dei summâ potestate foret creatum. Non decebat, ut ullus Artifex, aut ulla creaturæ manus, vel ferrum per contactum poliret hanc sacram Aram, quæ soli Deo fuerat relicta formanda, poliendaque. Impar est omnis creatura dignitati Matris Dei: opus est mirâ manu, quæ illam fingat, pingat, & pro suâ magnitudine exponat in publicum. Si dixerint neminem idoneum, nec parem, quàm solum Deum, absoluerim totam materiam.

Apud Romanos tantæ Religionis, pretij, dignitatis erant Aræ Deorum, ut illas erigere nefas, & gravi interdicto cautum; ne quis tantæ molis opus tentaret; nisi Senatusconsulto facto, & auctoritate Senatus intercedente. An non ideò, quia Romani Religionis studiosi, sciebant Aras citimè Deo sacrari? Quare & Machabæi libr.1. cap. 4. cùm templo purgato ad Altare holocaustis quondam dicatum, & Gentilium victimis prophanatum, sacri Pontifices venissent; placuit illud destrui, eradique, & lapidibus omnibus prophanatis, quod Jovis Olympiaci statuam sustentassent, ejectis; novos, & integros, & impolitos substitui. Judicabant, quippe, indignum Dei Majestate, in profano Altari, Dijs, seu Dæmonijs sacro, sacra libare, & victimas cremare. quæ enim conventio lucis ad tenebras? & dæmonis ad immensum Deum? Incidit ergo illis consilium bonum; ut illud destruerent, ne fortè illis esset in opprobrium, quia illud Gentes contaminârant. Quare & demoliti sunt Altare, & acceperunt lapides integros, ut dictum est, ex legis imperio.

Sacrilegum apud Romanos erigere Aram nisi jussu senatus.

Altare Iovi sacrum eversum.

Verba Scripturæ sacra audiamus: *Et cogitarunt de Altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo facerent; & incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne fortè illis esset in opprobrium, quia cōtaminârunt illud Gentes, & demoliti sunt illud, & acceperunt lapides integros secundùm legem, & ædificarunt novum secundùm illud quod fuit prius.* Si Machabæi, cum Sacerdotibus in Ara profanata Gentilium superstitionibus, horruerint non solùm victimam facere, verùm etiam eandem purificare, cùm possent (adeò detestabilis omnis Jdololatriæ macula) & Filius Dei piè non exhorrescet Deo Patri sacrificare in Altari quondam peccato originali vitiato? Machabæi formidarunt, sano consilio moti, vitiatam Aram purgare, ne fortè esset illis in opprobrium; quia, scilicet, usi in Dei sacrificium dæmonum apparatu, & Magno Deo non cedet in opprobrium, velle nasci Matre à dæmone quondam possessâ? *Vel Matrem sibi purgari in Aram, in quâ Deo Patri aliquando esset sacrificaturus? deligere sibi Sacerdotem impurum, id est, Matrem; (Matrem enim Dei diximus vicem Sacerdotis explevisse) quæ dæmoni sacrificasset aliquando.* Machabæi, ut dictum est, delegerant sibi Sacerdotes sine maculâ: ijdem in novo, puro, intacto Altari decrevēre victimas facere: indignum enim judicabant Dei magnitudine, Altare Dæmonis, fieri summi Dei. & dæmonem infinito Deo pariare: æquissimum ergo, omnem mali suspicionem removere, ut nihil umbræ reliquum esset, quâ Majestas Divina posset obscurari. Deus ergo suæ magnitudineni consu-

Nota vim argumenti Machabæi nec vitiatam Aram admiserant ne esset illis opprobrio & Deus admittet?

A consulens, voluit ut Ecclesia sancta confidat Virginem novam nasci creaturam, in quâ citra vllius suspicionis metum, gloriosè quiesceret, quæ politurâ non egeret; sed suâ naturali formositate, omnem formam pulchri, maximis intervallis antecederet. Quid indignius videri posset Deo, quàm habitare in corpore quondam subdito peccatis? An non Lege Romanâ, Patres Decurionum gaudent privilegio filiorum suorum? Planè. Quid ita? judicabitur indignum, & informe, Patrum fortunam inferiorem filiorum? An non conforme rationi, ut Mater gaudeat Filij sui privilegio? Conceptus ergo cùm sine peccato sit Filius: sit & Mater, sit victima, sit Sacerdos: sit ara pura & sancta: ut quicumque illam contigerit, sanctificetur, &, ut verbis utar Tertulliani, *inalteretur, & profanum inattaminetur.* juxta legem Exodi 39. datam: *Septem diebus expiabis Altare, & sanctificabis, & erit sanctum, & omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur.* Quid hoc est? nisi erit res sanctissima, & tam sancta, ut omnis, qui tetigerit illam, sanctificetur? Hoc proprium est Christi Domini, *quia virtus exibat ab illo:* Lucæ 6. vers. 19. hoc proprium & Virginis, ut quicumque & profanus, & peccator, illam implorârit, semper exauditur, & scelerum purus, & exsors efficiatur. Tanta, in veteri Lege, sanctitas Altaris æstimabatur, ut morte contractus damnaretur, si ab homine immundo, & profano, & ex scientia contigisset: sin verò casu, & per ignorantiam, vel inadvertentiam, in delicti expiationem, hostia Deo consecranda, juxta Levit. caput 5. vers. 17. Vide ut præluserit typus, tàm Virgini, quàm sacræ Eucharistiæ.

Attactus SS. Virginis medicus sanctificat.

An non Altare, sanctissima Virgo, & panis propositionis, typus Eucharistiæ? an non omnis, qui tetigerit hunc panem cælestem, sanctificatur, & vivit in æternum? Joannis 6. & qui indignè manducaverit, an non reus Corporis, & Sanguinis Domini?

An Virgo sacra Ara, sacrum asylum, Sanctum Sanctorum? an non omnis, qui affectu, & lachrymis illam solicitat, sanctificatur? & qui illam despexerit, tanquam profligatissimus à cœlo damnatur? Si ergo Virgo, Altare sanctum, & Sanctum Sanctorum, an hoc Sanctum Sanctorum, an non semper fuisse Sacrosanctum cum toto ferè orbe fatebimur?

§. XXVI.

Huc vsque de Altari: nunc ostendendum, ut sacrificia, quæ in altari peragebantur, in Virginem numerosè cadant, quadrentque. Duobus agnellis prænunciata: qua hora offerebantur.

Opus est prçviâ, & longiore declaratione, ut liquidè, & clarè tota series innotescat. B Quotidie Deo immolabantur duo Agni anniculi, cum suffitibus odoramentorũ, juxta præceptum Exodi cap. 19. vers. 38. *Hoc*, inquit, *est, quod facies in Altari: Agnos anniculos* (qui, scilicet, annum non excederet) *duos, per singulos dies jugiter: unum mane, & alterum vesperè in odorem suavitatis.* De hora laborabatur, qua Agnelli immolãdi, quæ maximè ad Virginis pertinet dignitatem. Josephus *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 5. de horum sacrificiorum tempore sic loquitur: *Bis per singulos dies, manè, & circa horam nonam super Altare immolãtibus nostris Sacerdotibus.* Horam prendimus vespertini sacrificij, ex Josepho. undè & Actor. 3. hora orationis nona dicitur, quia ea hora sacra propter sacrificium. Tempus C ergo matutini sacrificij putatur fuisse sub ortum Solis, vel paulò antè, ita ut sub auroram, vel crepusculum, Agnus mactaretur, vel sub ortum Solis inchoaretur crematio (ut utar verbo Plinij, lib. 27. cap. 2.) quod tempus facilè firmari potest ex hora incensi, quæ erat immediatè ante, vel sub ortũ Solis manè, & statim post occasum. Philo tamen de victimas offerentibus, illud *manè*, explicat summo mane, juxta illud quod habetur in Hebræo cap. 40. vers. 7. ubi pro *manè*, aliud manè ingeminatur, quæ geminatio, summum manè, & diluculum significat. Et Josephus, lib. 3. Antiquit. cap. 9. ante ortum, & circa occasum Solis. Porrò suffitus incensi, manè immediatè anteibat sacrificia; sequebatur verò sacrificia vespertina: sic, ut D sacrificijs matutinis initium daret, vespertinorum verò esset terminus; prout disertè Philo docet ibidem: *Ideò*, inquit, *non solùm materia pretio, artificumq; opere ad sanctitatem loci Ara hac Augusta facta est, sed hoc, quod apud eam quotidiè sacra sumant exordium à gratiarum actionibus: non enim fas est immolare foris, priusquam intus summo manè suffitus fit.* Et eodem libro: *Institutum est etiam, ut bis quotidie adolerentur odoramenta suavissima, in Arâ, quæ intra velum est, oriente Sole, occidentéque ante matutinum, & vespertinum sacrificium.* Unde clarè consequitur, sacrificia post suffitum illum, primas, & vltimas horas occupasse.

Duo Agni anniculi offerebantur.

Manè & circa horam nonam.

Suffitus quando fiebant.

Concludit deinde Sacer textus: *Sacrificium est Domino, oblatione perpetuâ*; hoc est, futurum juge perpetuum, & quotidianum. quod Josephus, lib. 15. Antiquit. cap. 10. vocat καθημέρινας θυσίας, quotidiana sacrificia. Accedamus propiùs ad rem propositam.

Duo Agnelli vera figura Christi Domini.

Nemo ignorat sacrificium duorum Agnorum, fuisse figuram, & symbolum Christi Domini, qui bis sic specialiter Deo Patri sacrificavit. Primum, in utero, summo, scilicet, manè: & manè, juxta Psalm. & Paulum ad Hebræos, de quo dictum est. Alterum, in Ara Crucis sub vesperam, quando cum clamore valido sacrificans exspiravit. Si verò nonnullos alios Doctores sequimur: asserimus primum sacrificiorum contigisse inter manus sanctissimæ Virginis, quando in die Purificationis in templo gloriæ, suum Filium Deo Patri obtulit, & mancipavit, & tùm quidem sine pluvio litatus est Filius: in altera, purpuratus suo cruore, in Arâ Crucis confixus, seipsum sacrificavit. Quæ omnia, cùm verè Filio Dei conveniant, optimè tamen & ex vero, sacrificium duorum Agnorum, & Virgini convenit, & à doctis viris, Virgini aptatur, & nostram Aram mysticam obumbrant. Sanctissima itaque Virgo, non tam materiæ pretio, non tàm Dei artificio, & operâ, quamvis & inde inæstimabilis Virgini dignitas accesserit, sed, quod ipso vitæ primo momento, plena, & perfecta purissimæ integritatis innocentia, & flore omnis Justitiæ, à gratiarum actionibus sumpserit initium: summo enim manè, & in primo crepusculo, ante Auroram, id est, Nativitatem, obtulit Deo Agnum immaculatum sine vllo nævo, vel vlla suspicione maculæ, id est, animam intaminatam, Angelicis spiritibus puriorem, ipsâ sanctitate sanctiorem, quam nullius manus tetigit, nisi summi Pontificis, qui semel hoc Sanctum Sanctorum fuit ingressus, tunc diffusis omnibus virtutum odoramentis perfectum sui Deo mácipavit oblationem. Heu nobis! qualis noster in mundum ingressus, qui concipimur filij iræ, & victimæ inferorum. Quàm pacificus fuit ingressus Virginis, nec vox, nec tumultus, nec clamor in plateis ejus. Alterum verò sacrificium Agni immaculati peregit, cùm moritura, seipsam Deo consignavit: & non aliter quàm instar Phœnicis, qui renasciturus, constructo ex lignis odoriferis rogo, se flammis concremat, sic dispersis suarum virtutum suffitibus per incendia perfectissimæ charitatis, flammis exuberans seipsam, velut Agnum mundissimum concremavit. Diximus hoc sacrificium antiquum fuisse vocatum καθημέρινη θυσία, id est, quotidianum: quod Chrysostomus, homil. 3. contra Judæos ἐνδελεχὲς, crebrum continuum. Et sanè quando sanctissima Virgo, vllo momento cessavit; imò respiravit à cœlesti charitatis exercitatione? Perpetua, & continua tela, intenso amoris arcu in cœlum spargebat, mittebatque, & quando animus aliquâ cessatione feriatus? Singula momenta agebant dies Festos Dei; nulla pars mentis otiosa, plena negotijs rerum æternarum. O quoties in nobis facit (juxta Psalm. 43.) dæmon cessare Festos dies Dei à terrâ.

Summo manè SS. Virgo purissima.

Tota vita Virginis juge sacrificium purissimorum Agnorum.

Continua ergo de se, & in se, sui immolabat sacrificia; ante Sanctum Sanctorum ignis sacrificij nunquam fuit exstinctus: nulla intercapedo, nulla mora furtiva interrupit actus amoris.

Tota ergo vita Virginis, quid fuit, nisi juge Agni purissimi sacrificium? An non aliquâ ratione similis Filio, quamvis alio in genere? Hujus anima, perpetuâ fruebatur visione beatificâ cum continua sui immolatione: sic & Virginis anima, perpetuis veræ charitatis affectibus immolabatur, & quamvis dormiret, cor vigilabat Deo. Nulla pars Virginis, non nisi pars sacrificij fuit, nihil inde tulit, aut decerpsit dæmon. At nostri partem quotam non tollit mundus? non detrahit caro? non vendicat dæmon? quam vastitatem non infert immanis belua; nostra, scilicet, concupiscentia? quacumque incedit, suo afflatu cuncta pervertit, exuritque. Quid spolij restat Deo? Viro itaque bono, omnis dies, festus est, & si sapimus, festivissimus. Sic Diogenes apud Plutarchum, de animi tranquillitate: quare & reliquiæ cogitationum, quæ viro bono de Deo cogitanti nascuntur, diem Festum agent.

Tota vita SS. Virginis diem Festum egit.

§. XXVII.

Vltima decentia fundatur in titulo ab Ecclesia sanctissimæ Virgini dicato; quòd fœderis Arca vocetur.

Exodi cap. 25. vers. 8. præcipit Deus Arcam fieri: *Facient*, inquit, *mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Structa ergo Arca ex lignis setim, & inaurata auro purissimo intus & foris. Hæc Arca totius Ecclesiæ suffragio, symbolum, typus, & figura fuit sanctissimæ Virginis, quæ perfectissima fuit Arca Dei. Arca inprimis Judaïca compaginata fuit ex lignis setim. Septuaginta vocant ξύλα ἄσηπτα, ligna omnis corruptionis. Quale autem illud ligni genus fuerit, gravis inter Auctores lis, & disceptatio. Philo libr. 3. in vita Moysis. & multi alij Cedrum vocant. & in hoc, Cedrus non impar: nam teste Plinio, lib. 13. cap. 5. materia est sibi æternitas, & cariem non sentit.

Theo-

Cedri naturaæterna.

Theophrastus, inter arbores immortales recenset, quod non solum sibi, verùm & aliis æternitatem cõcilient. Dioscorides lib. 1. cap. 8. Cedriam, seu resinam Cedri arcere à cadaveribus putredinem. Undè & dicta νεκρῶ ζωή, cadaveris vita. Hinc & oleum Cedri libros à corruptione vendicat; juxta illud Horatii in arte Poëticâ:

Posse linenda Cedro, speramus carmina fingi.

Et Martialis, lib. 3. Epigram. *Cedro licet ambules perunctus.* Mirum dictu: libros, Numæ secundi Regis Romanorum fuisse repertos integros, & durasse quingentis & triginta quinque annis, illæsos à tinea, teste Plinio, ut suprà dictum lib. 13. cap. 13. Quidquid est; aliud genus arboris est setim; Europeis ignota, quæ non nisi in Arabiæ desertis, Judææ contermi-nis nascitur: cujus naturam describit Hieronymus in Isaiam 41. ex quâ fabrica totius Arcæ constructa fuit: lignum est imputribile, & levissimum omnium lignorum, tam fortitudine, quàm nitore soliditatem superat & pulchritudinem. Et in Joelis 3. est genus arboris in eremo, spinæ albæ simile colore, & foliis non magnitudine, lignum fortissimum, & incredibilis levitatis, ac pulchritudinis. Arca apud Hebræos res erat sacratissima, & Arca testamenti, fœderis vocabatur; quia legis tabulas continebat, & nihil aliud: quæ erat conditio fœderis inter Deum & populum, quo Deus illum, quasi icto fœdere, volebat sibi obligari. Leges enim sunt testes voluntatis, Principum: Manna autem, & Virga Aaron non erant in Arca; sed juxta, ut habetur Exodi 16. vers. 33. *Repone illud coram Domino.* Et hoc pacto debet intelligi Paulus ad Hebræos: *Arca, in qua erat urna, habens Manna, & Virgam Aaronis.* Tantæ autem fama sanctitatis, & reverentiæ, ut illa sola esset in Sancto sanctorum, cujus inspectio nulli, nisi summo Sacerdoti permittebatur. Josue 3. nemini deinde eam involuere, nisi Levitis, quorum erat & portare Num. 3. Dux erat itineris, tanquam Deo monstrante iter Num. 3. Jordanem aperuit, & viam populo dedit. Unde & David: *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum? A facie Domini mota est terra; à facie Dei Iacob.* Psal. 113. Arca Dei septies circumducta, prostravit muros Jericho, soloque adæquavit: A Philistæis capta, omnem potentiam in hostes vertit, & pavore mortis, & funeribus prostravit. Et quamvis captiva foret, Dagon Deum Philistinorum, victrix caput, manusque truncavit, coëgitque infandos hostes trepidos, mortis metu ad sui reductionem, & redintegrationem. Deindè Regum 6. Bethsamitas; quia ausi Arcam introspicere, ingenti clade percussit; ex plebe quinquaginta millia, & septuaginta ex honoratioribus: *luxitq; populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plagâ magnâ. Et dixerunt: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Quantum terrorem injecit percussio Ozæ, 2. Reg. 6. qui incõsultò dextram admovit Arcæ inclinatæ in casum: quàm metuenda castigatio Oziæ Regis, 2. Paralip. 26. 18. qui ausus incensum adolere coram Arcâ Domini. Hic leprâ: ille morte multatus. Contrà; quæ bona, quas opes, quæ beneficia, favoresque non contulit hospitio, quo bene recepta? An non Obededom Gethæum lib. 2. Regum 6. cornu-copiâ, & largissimis bonorum fontibus cumulavit? omnia bona, & fortunato proventu spes optatæ ab Arcæ præsentia derivabantur in populum.

Setim aliud lignū à cedro.

Quare & *gloria Israel* 1. Reg. 4. vocabatur: *Translata est gloria Domini*; quia capta est Arca Dei. Unde & vocabatur virtus, & pulchritudo Dei. Psal. 77. *Tradidit in captivitatem virtutem eorum; & pulchritudinem in manus inimici.* Et Psalm. 25. *Dilexi decorem domus tuæ; & locum habitationis gloria tuæ.* Quare & Deus dicebatur habitare in medio populi. Et Deut. 4. dicitur: *Non est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi.* Arcæ præterea majorem dignitatis accessionem, & reverentiæ conciliabat propitiatorium cum Cherubinis. Propitiatorium autem significabat operculum, vel locum, in quo Deus propitiabatur; vel propitius factus, sacerdotem alloquebatur; ab operiendo operculum dictum; quod Deus operiret iniquitatem, vel tegeret. Septuaginta vertunt ἱλαστήριον: quod ibi exoratus Deus populo placaretur; vel voce, vel signo placatum se monstrabat. Quare & noster textus, oraculum vertit: quòd Deus ibi oracula, vel responsa sacerdoti sciscitanti daret. Fuit itaque propitiatorium aliud nihil, nisi lamina solidè aurea, non lapidea; & tam solida, ut sedentem quempiam, vel pedibus innitentem sustentare posset. Fuit itaque contiguum operculum Arcæ, supra Arcam elevatum, factum ex auro solido, ex quo duo Cherubini prodeuntes, suis alis, quasi manibus Arcam sustentabant ita altè; ut operculum, seu propitiatorium, esset quasi Dei sedes; Arca esset quasi scabellum pedum ejus, juxta Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*; id est, adorate Arcam, quæ erat instar cistæ parvæ, & quadratæ ex lignis setim obtectis: cujus longitudo habebat duos & semis cubitos: latitudo cubitum & dimidium; altitudo cubitum similiter, ac semissem. Cubitus autem, pedem & semis, apud Latinos, Græcos & Hebræos, continebat: quam mensuram Hebræi *Amma* vocant. *Amma* autem viginti quatuor digitorum.

Laus & privilegia arca sacra.

§. XXVIII.

His sic præmissis; ad propositam materiam, & Arcæ applicationem veniamus.

81. Virgo vera arca. EX sensu literali hujus Arcæ, veluti typo, & figurâ, facem veritatis præferenti producamus intentum à Spiritu sancto sensum; quemadmodum sanctus Paulus ex lege veteris Testamenti, gravidos suos partus solet educere. Ildefonsus sermone primo de Assumptione, veteris Arcæ similitudinem Mariæ accommodat: propter quod ut, erus ejusdem Virginis per Arcam figuratur, quæ cunctorũ sacramentorũ in se arcana habuit: habuit enim manna panem vivum, qui de cælo descendit; supra quem, propitiatorium, & Cherubin, hinc inde obumbratio figuratur, quia Mariæ nullum extrinsecus obrepsit contagium peccati; sed intus omnis custodia legis, ut Arca, legis custos, & Mannæ fuit; quod est mirabile sacramentum, & propitiatorium nostræ salutis. Quid æquius, quàm ut illa culpâ careret, in quâ propitiatorium, & Legislator totius mundi, domicilium suum aptaret? Vide Anselmum sæculo undecimo. *Amator Virginis pia.* Si igitur Jeremias in Gentibus suisque Propheta futurus, in vulvâ est sanctificatus; & præcursor Domini, Spiritu sancto, ex utero matris, repletus, quis asserere vellet totius sæculi propitiatorium, mox in suæ Conceptionis exordio, Spiritus sancti, gratiæque illuminatione destitutum? Illa ergo futura cùm esset Arca sanctitatis, & propitiationis; credibile est, illam aliquando non debuisse carere gratiâ, vel caruisse, vel displicuisse, vel nonumquam potuisse displicere: sufficit Evam fuisse spinam: nobis exstitit Rosa Maria: illa vulnerando: Maria, vulnera sanando! Quàm aptè, quàm Divinè filius & Mater, concordi hoc præludio designantur! Arca, famâ sanctitatis, ut dictum est, admirabilis, potentiâ, operationibus, & responsis stupenda; quibus suam Deus præsentiam testabatur.

An non fuit humanitas Christi, sanctissima Divinitatis Arca, in qua plenitudo Divinitatis corporaliter habitabat?

An non eadem Arca, sanctissima Virgo, in quâ Deus ipse novem mensibus, velut sanctissimo palatio habitavit? & Deo homini futuro, ut mater solet filio vitę principium dedit? Arca, sedes, & scabellum Divinitatis: Christi humanitas, sedes Divinitatis; Virgo non solum sedes ipsius Dei, sed Dei Domicilium. Arca ex

A ligno setim, incorruptibili; Christus, naturâ incorruptibilis, juxta Psalmistæ vaticinium Psalm. 15. vers. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Virgo, & animâ, & corpore incorruptibilis, juxta Augustin. & Damnascenum, ut suprà. Lignum Arcæ nec cariem, nec ætatem sentit; & sibi æternitas est: Christus sibi æternitas; & Virgo sibi æternitas, ab æterno creata, & æternùm futura. Setim omnia ligna duritie, fortitudine, levitate, nitore, & pulchritudine, superat, & antecedit. Quid Deo, & Virgine pulchrius? quid fortius? *Indutus est Dominus fortitudinem.* Psalm. 92. Fortitudo, & decor, indumentum Virginis. Proverb. 31. 25. Dominus pulchritudo Justitiæ, mons sanctus, Jerem. 31. cap. 23. & Virginis ore
B quid pulchrius, dans eloquia pulchritudinis? Genes. 49. *Quæ tota pulchra es.* Quid Deo levius, qui est actus purissimus; & ambulat super pennas ventorum? Ecce ascendit Dominus super nubem levem. Isaię 19. v. 1. Quid Virgine levius, quæ nullo peccati pondere gravata? Arca levissima, etsi foret maximi ponderis, ferebat tamen ferentes se, & omnibus aperiebat viam tanquam dux & princeps itineris.

An non sanctissima Virgo cæli regina omnibus cæli pandit iter, monstrante suâ stellâ viam? Arca præsens ditabat suos, beatosque reddebat: an non Virgo suos
C alumnos omnibus bonis ditat & beatos facit? Omnia bona pariter veniunt cum ea. Arca vocabatur gloria Domini, pulchritudo Dei, ob cujus præsentiam dicebatur Deus habitare in medio sui populi. An non sanctissimæ Virginis benignis favoribus Deus se inclinat in hominum amores, & in electis suæ Matris fundat radices & initia prædestinationis? quicumque enim salvantur, per SS. Virginem salvantur, ut sæpiùs dictum. Arca propitiatorium vocabatur, ubi Deus se placatum monstrabat; quare & oraculum vocabatur, & Dei sedes. Et quis sedes magni Dei nisi sanctissima Virgo, in cujus utero 9. mensibus & animâ æternum sabbathum festivosque
D dies celebravit? An non per eam accipimus responsa nostræ salutis, responsa condonatorum scelerum, responsa amicitiæ cum magno Deo contractæ? Tota arca aurea, aureum propitiatorium, aureæ laminæ, aurei Cherubin.

An non in nostra arca Virginea, omnia aurea, omnia constrata aureâ charitate? sicut scriptum est de illa: *Ordinavit in me charitatem.* 2. Cantic. 4.

An non Deus charitas, qui in Virgine sibi templum, domũ sanctam, arcam omnis sanctitatis fabricavit? *Verè arca fœderis contracti inter Deum & hominem, quæ nos Deo confœderatos servat, & servatos nos beabit.*

bit. *Decebat enim*, ut ait D. Anselm. 18. cap. de Conceptione Virginis & peccato originali, *ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cujus Deus pater unicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat: ut naturaliter esset unus idémque communis Dei Patris, & Virginis Filius; & quam substantialiter facere sibi matrē eligebat; & de qua Spiritus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat.* Et si vera sit hæc propositio: Verus amor Dei & efficax, est operatorius, ut pro magnitudine amoris subsequatur effectus, & fructus. Quæ non operatus est in Virgine Dei vehementissimus amor, quo major, ut dictum est in Consociatione de amore, non fuit? Pulchrè hoc docet Anselmus capite quarto de excellentia Virginis. *Quid ergo dicemus? Estnè putatis ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad Virginem habuit, queat penetrare, quando & illi quod carius amabat, sic integrè, servabat ut eam tam dignè, tam castè fœcundatam suipsius matrem fecit? potestnè ullus hominum, vel Angelorum illius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius, quicquam cogitatu percipere comparabile?* Pie lector, hinc collige omnia summa ab infinito Deo collata S. Virgini, quæ ab omnipotentia, sapientia, liberalitate & amore infinito conferri potuerunt.

An non adeo arca fœderis contracti inter Deum & hominem facta, ut nos Deo confœderatos servaret, & servatos omnibus bonis ditatos bearet? Nunc lector collige felicitatem servi Virginei ex Anselmi capite quarto de excellentia Virginis. *Itaque cui saltem ita concessum fuerit, sapè dulci studio posse cogitare de illa magnum promerendæ salutis indicium esse conjecto.* Et in eodem c. 30. lineis altiùs. *Nullo modo crediderim quod is qui ad ejus intelligendum amorem provehi meruerit, ab amoris ejus dulcedine extraneus usquequaque existere possit. Qui autem in dilectionis suavitatem transit, nullo pacto diffidendum, quem & in retributionis participium transiturus sit.* Accedamus ergo pleni fiduciâ ad hanc arcam benignissimi fœderis, tanquam ad arcem inexpugnabilem, omnibus armorum generibus instructam, in quam admissi, securè & beatè vivere poterimus.

§. XXIX.

Vltimi honorarii dedicatio.

QUamvis ultimum honorarium, ubi semper nova materies occurrat, dari non possit; terminus, tamen & finis scribendi statuendus; ultimum ergo honorarium tantæ, & tam ineffabili majestati decernendum aurum honorarium Imperatoribus ex provincia discedentibus, in triumphi ornatum conferebatur; Quis mihi dabit omnes orientis opes, cum omnibus gemmis, & raris lapillis, ut Virginis triumphales ornem apparatus? Ubi ergo, docuero qua fide tenenda sunt omnia quæ de SS. Virgine dicta sunt, bene ominatis vocibus, & carminibus velut auro coronario conabimur cæli, terræque reginam illustrare, atque utinam omni triumphali pompa excipere merear.

Quæ hactenus de sanctissima Virgine dicta sunt, quædam censemus esse ita consentanea rationi & dignitati tantę majestatis, ut quamvis fidei non sint, mereantur tamen ex decentia gradum nobilis probabilitatis. Quis Virginis sanctissimæ ardens amator, non libens volensque consignabit principem totius militiæ cælestis Gabrielem; custodem positum; non quòd ille præsideat, ut nobis nostri custodes beatissimæ mentes, sed sit ut servus tutelaris tantæ reginæ. Et sanè cur nobilissimæ creaturæ non famularetur nobilissimus Angelus ex ordine Seraphico? nónne omnes sunt spiritus administratorii in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? Sic ad Hebr. 1. ca. itaque cum D. Bernardo homil. super Missus. D. Gregor. hom. 34. in Evan. Scoto & aliis dicamus, hunc principem Gabrielem non solum unum ex primis, supremisque palatinis, sed etiam supremum, ex ratione, congruis honoribus, & quodammodo debitis valde probabiliter dicemus. Serviat perfectissimus palatinus, perfectissimæ creaturæ, & cæterorum omnium Angelorum nomine, tanquam cliens delectus expedat obsequia. Et quamvis Dei mater nullius sit indiga obsequii, cujus Deus tutelam agit, Angelica tamen natura, hac sacra & debita subjectione & parendi studio, sese, humanâ naturâ, adeò exaltatâ, declarabit inferiorem. Deinde quæri potest, quâ fide tenendum: An soli Sanctissimæ Matri Dei concessa fuerit visio Dei in vita mortali? Probabilius videtur hoc donativum à summo principe suę matri extra ordinem collatum. Sic Vasquez 1. p. disput. 53. & 56. Suarez, & alii.

Gabriel custos D. Virgini tutelaris datus.

An Diva Virgo sola, Deum, in hac vita viderit.

 Quam-

Quamvis D. Augnst. cum D. Thoma ex Epistola secunda ad Corinthios capite duodecimo ex Exodi capit. trigesimo tertio, ubi Deus loquebatur Moysi facie ad faciem sicut solet homo loqui ad amicum suum, doceant utrique videndi Deum privilegium datum.

Prima votum Virginitatis edidit.

Certiori fide tenendum, à sanctissima Virgine primâ Virginitatis tesseram orbi & vexillum illatum, & voto Virginitatis servandæ fuisse obstrictam, hic cùm conspiret chorus sanctorum Patrum, vix poterit esse dubitationi locus. Rupertus in Cantic. libro tertio. *Quia votum egregium prima vovisti, votum scilicet Virginitatis.* Ildefonsus sermone quinto de Assump. *Prima fœminarum omnium Deo Virginitatem obtulit.* Vide Suarem tomo secundo disputat. septimâ, sectione tertiâ Vasquez in prima parte tomo secundo quæstione vigesimâ octavâ disput. 124. capite quinto. Rationem assignat D. Thomas tertia parte, quæstione vigesima art. 4. *Quia* inquit *votum Virginitatis pertinet ad statum perfectionis: ergo debuit esse in beatiss. Virgine, quæ est omnis mensura post Christum Dominum perfectionis.* Unus præ aliis sufficiat Augustinus, qui libro de sancta Virginitate capite quarto sic docet: Ipsa *quoque Virginitas ejus, gratior, & acceptior, quia priusquam conciperetur jam Deo dicata, de qua nasceretur, elegit.* Hoc indicat responso dato Angelo Lucæ primo, *Quomodo fiet istud Quoniam virum non cognosco?* Quod profectò non diceret nisi Virginitatem vovisset.

An corpus tantæ Principis sit cælo illatum.

Deinde à pari; dixerim potius certâ & indubitatâ fide ex sanctæ Ecclesiæ sensu sanctissimâ Virginem, corpore & animam Filio suo sociatam, in cælo, & cælum, id est, corpus gloriæ, cælo gloriosius cælo illatum. Communis quippe Ecclesiæ sensus, & Sanctorum Patrum solet esse regula fidei, & inducere obligationem ad credendum. Ad hujus probationem sufficiet Augustinus, qui sermone tertio de Assump. sic scribit: *Lex sicut honorem præcipit, ita & inhonorationem damnat. Qui enim in vitâ præ ceteris illam, gratia sui Conceptus honoravit, pium est credere, singulari salvatione, jam in morte, & speciali gratia honorasse. Potuit enim eam à putredine, & pulvere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem relinquere. Putredo enim & vermis opprobrium est humanæ conditionis, à quo opprobrio cùm Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de illa sumpsisse probatur.*

Caro Mariæ Caro Christi.

Caro enim Iesu, Caro est Mariæ, & multo specialius quàm Ioseph Iudæ, ceterorúmque fratrum ejus. Frater noster es, & caro nostra. De Christo Domino dictum est, quia est sanctus sanctorum, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

An non Dei Mater, Sancta est Sanctorum? an illa videbit corruptionem? Quid Virgini cum pulvere, quæ tota immunis à pulvere? sentiat illa pœnam legis: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, quæ causam legis dedit. Christus tantæ Matris Filius accinit Matri suæ: Animæ dimidium meæ es. Vide Damascenum, qui totus in eo est, ut probet Virginei corporis assumptionem in cælum. Qui oratione secunda de dormit. sic ait: Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educta est cogitationibus, non in terram reversa est, sed cùm esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur.

Pergamus ad immaculatæ conceptionis piam, & toto ferè orbe acceptam, probatam, celebratamque sententiam; & videamus qua sit fide tenenda. Et Primùm: qualem certitudinem sit ex parte summorum Pontificum adepta?

Certum est, piam sententiam non esse de fide; quandoquidem à summa Sede, non sit pro ea prolata suprema definitio.

Certum deinde est, contrariam sententiam esse indemnatam, & nomen opinionis retinere.

Certum est etiam, ex parte Pontificis piam declaratam probabiliorem; quandoquidem Pontifex SS. Paulus Quintus anno 1617. 30. Augusti feria 5. Constitutionem publicârit, *nequis audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibusque actibus publicè asserere, quòd beatissima Virgo sit concepta in peccato originali; eamq; Constitutionem gravissimis censuris armavit.*

Attamen sua Sanctitas non intendit reprobare aliam opinionem, nec ullum ei præjudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra posita. Habemus ergo SS. D. Paulum Quintum pro Virginis gloria stantem, dum vetat in publicis actibus doceri oppositam sententiam.

Deinde ex parte Pontificis Sixti IV. accedit magnum auctoritatis pondus, qui vixit anno 1471. & de puritate immaculatæ Conceptionis optimè meritus est, & anno 1476. tertio Kalendas Martias edidit Extravagantem. *Cùm præexcelsa*, in qua fideles hortatur ad festum immaculatæ Conceptionis quotannis agitandum. Qui Pontifex & approbavit officium immaculatæ Conceptionis, cui & gratias largiter indulsit.

§. XXX.

§. XXX.

Quanti sit æstimanda hæc major probabilitas, discamus ex Theologis maximis viris; & ex eorum sensu, statum piæ sententiæ.

PAter Vasques 1. 2. disput. 86. Turrianus in secundam secundæ, D. Thomæ, disputatione decimâ tertiâ, dubio ultimo. Sotus libro secundo de natura & gratia & aliis locis. Canus de Sacrament. post Conclusionē quintam & libro septimo de locis Communibus. Arrubal. quæstione undecimâ, & alii non pauci; docent Pontificem non solùm definire, ac declarare posse, rem aliquam, certam de fide doctrinam, verum etiam posse, magis aliquam probabilem, ita ut in hac declaratione errare non possit. Inferre ergo volunt illi doctores, ut mihi videtur, id quod summi Pontifices magis pium, magis probabile, magis tutum proponunt Ecclesiæ, hoc certius esse confirmant, & alteri sententiæ præferunt. Audiamus Turrianum: *Existimo*, inquit, *non posse Pontificem errare, circa veritatem propositionis, quam declaravit probabiliorem; nam si posset errare, magnum detrimentum posset sequi in Ecclesia.* Omnes ēnim amplecterentur, & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & ejus probabilitas in dies cresceret, *ac sic tota Ecclesia falleretur, quod nullo modo admittendum est.* An non tota Ecclesia, *erraret circa festi institutionem, ejusq, cultum si opposita sententia foret vera?* Deinde sic argumentantur Doctores: Dum Pontifices instituerunt festum immaculatæ Nativitatis, quid aliud docuerunt quàm Nativitatem esse immaculatam? Sixtus Quartus Pōtifex hortatur omnes fideles ad celebrandum festum immaculatæ Conceptionis, & officium probavit: ergo docuit immaculatam Conceptionem: ergo subjecto tanti momenti non potest subesse falsum. Cultus festivus alicujus Sancti populis demandatus, transit in declarationem sanctitatis alicujus Sancti: ergo & cultus immaculatæ Conceptionis. Hinc Pater Jacobus de Granados in libro de immacul. Concept. disputatione primâ, capit. trigesimo, quem multi sequuntur, sic pronunciat. *Nihil prohibet quo minus hodie, seriò profari & affirmare possimus, quod pia sententia est moraliter certa, & evidens. & addit, moraliter esse impossibile ut falsa existat. De opposita verò sententia id enuntiari posse, impossibile est, ut sit vera.* Quidquid sit de opinione Granados, & aliorum doctorum virorum, totum relinquo in medio; mihi suffecerit sensum, & doctrinam tantorum virorum ubique probatam vulgatamque protulisse; sicut & judicium P. Salazar, qui plenis velis hoc spatiosum mare decurrit. Qui sic pronunciat circa gradum certitudinis, quē nunc habet pia sententia. *Sequitur*, inquit, *valde probabiliter ex prababitis, dictam sententiam ita esse certam ut non solum moraliter, sed & Physice falsitas & error illi subesse non possit. Hanc verò certitudinem non habet ex declaratione aliqua summi Pontificis, nam omnis à Pontifice declaratio data, non nisi majorem probabilitatem demonstrat; sed ex manifestatione sensus majoris, aut longè maxima partis Ecclesiæ quæ majoris probabilitatis declarationem ab eadem Sede factam sequuta est.* Quare cum ea certitudine, quam auctores tribuunt piæ sententiæ, stat opinio opposita quamdiu ita se res habet ante declarationem summi Pontificis, ut nulla severior illi possit irrogari censura.

§. XXXI.

Nunc videndum quam certitudinem accipiat pia sententia à Conciliis.

DUo sunt Concilia, quæ pro immaculata Conceptione Sanctissimæ Principis egerunt. Primum Basiliense, quod habitum anno 1434. Cujus Canones invalidi, nec acceptati fuēre, quia tempore schismatis editi, & Concilium à Sede descivit Apostolica. Jucundum tamen erit legere, & audire ut omnes Patres communi suffragio sess. 36. Matrem vitæ, à communi originali peccato mortis sint tutati, & immunem decreverunt; & ideo in ejus honorem in tota Ecclesia festum voluerunt celebrari. Jā vero hoc quod judicium etsi in dogma fidei non transierit, multum tamen præjudicat alteri opinioni, consensus totius Concilii, & Ecclesiæ obedientia in testificationem immaculatæ Conceptionis. *Probatum judicium.*

Alterum Concilium fuit Concilium Tridentinum, anno 1545. coactum, in quo Patres doctrinam D. Augustini secuti (qui, ut suprà dictum est, nullam vult fieri mentionem peccati, quando scilicet de sāctissima Dei Genitrice agitur) sessione quintâ in calce decreti de peccato originali sic loquuntur: *Declarat hæc ipsa Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam semper Virginem Mariam.* Definit hoc Concilium, originale, non soli Adamo nocuisse, sed omnibus

ejus posteris, juxta Paulum ad Roman. 5. *Per unum hominem mors intravit in mundum*, utpote originalem justitiam, non sibi soli, sed omnibus nobis perdidit: toti ergo suæ posteritati, quam in se ex pacto inito continebat, jugum peccando imposuit. Duo itaque secum importat peccatum originale: Primum, quod omnes præfati posteri, per filiationem, quorum ipse est caput, obligentur debito peccati originalis incurrendi. Alterum, quod animati, & jam filii subeant reatum peccati ejusdem. His sic positis definit Concilium non esse suæ intentionis, comprehendere sub hoc decreto ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem. Ex qua definitione videtur sequi; sive Concilium intelligatur de debito; sive de reatu, quæ duo insunt peccato originali, ex intentione Concilii, hæc duo removenda esse à sanctissima Principe. Concilium ergo sequitur D. Augustinus, de quo suprà, *qui propter honorem Domini cum de peccatis agitur nullam vult institui quæstionem* de sanctissima Virgine Dei Matre. Rationem addit D. Augustinus, *ut scilicet ex omni parte vinceret peccatum.* Faciamus argumentum: Vel sanctissima Virgo sub peccati jugo fuit comprehensa ex Concilii mente, vel non. Quod non fuerit comprehensa, ipsum definit Cōcilium, non esse suæ intentionis illam comprehendere sub suo decreto de peccato originali. Si enim Concilium judicasset illam obnoxiam peccato, & illius incurrendi debitum habuisse, non posset illam excipere, quia potius oppositum asserere deberet, suæ intentionis esse illam comprehendere. Cum ergo Concilium definiat omnes Adami posteros esse debitores peccati, & statim subjiciat, suæ intentionis non esse, Virginem immaculatam (atque ideo crediderim hoc titulo à Concilio insignitam) eo decreto includere. Quocumque ergo modo, pactum & legem disponamus, semper id relinquitur, SS. Virginem immaculatā pactum non intrasse; atque adeò non solum à culpa, sed etiam à debito immunem esse. Videtur ergo ex mente Concilii excepta à lege communi, quod est conforme menti D. August. qui sermon. 3. de Assump. excepit illam à lege communi. *Non immeritò* inquit, *à quibusdam legibus generalibus vera existimatione excipitur, quam tanta servat gratia, & attollit dignitatis prærogativa. Et Paulò antè. Promeruit hoc singularis sanctitas ejus & gratia.* Si Assuerus Esther. 5. suam cōjugem voluit excipi à lege, an non magnus Deus suam charissimam matrem vellet exceptā à lege communi reorum? Quare non nisi alto consilio vocavit Concilium Matrem Dei immaculatam Virginem: & in hoc sequitur Concilium Toletanum undecimum in professione fidei, ubi & vocat Matrem Dei immaculatā. Et dicit solam Filii *personam pro liberatione generis humani hominem verum, sine peccato de sancta & immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse.* Sic & sexta Constatinopolitana actione 8. loquitur. *Confitemur Iesum Christum incarnatum esse de Spiritu sancto, & sancta immaculatáque Domina nostra Dei genitrice, sempérque Virgine Maria.* Et Nicæna synod. 2. act. 6. vocat *incontaminatam* Deiparam semper Virginem: A Concilio ergo Tridentino & aliis Conciliis cum Sanctissima Virgo dicatur immaculata, & incontaminata, quo pacto talis erit, si fuerit fœditate originalis peccati contaminata, maculatáque? Dicamus ergo cum aliis Patribus Sanctissimā & immaculatā Virginem fuisse exceptam à regula communi, nec fuisse comprehensam in pacto Adami, quo omnes posteri obligati tenebantur, ut supra ex D. Thoma dictum; nec prævisam nisi post peccatum fuisse. Quare præclarè noster Vasquez docet sententiam, qua docetur Virgo beatissima à peccato originali libera non posse defendi, nisi à lege communi exempta declaretur. Et quamvis pia sententia in Dogma fidei non transierit, maximi tamen viri, qui sacro Concilio interfuerunt, docent eam sacri Concilii mentem fuisse. Interfuit Dominicus Soto, qui & Virginem beatissimam excipit hisce verbis de nota & gratia libro primo, capite septimo. *Est tamen exceptio Divæ Virginis ab hac sententia Pauli*, ad Roman. 5. usque adeò celebris, non modo inter plebeios, sed etiam inter bonos doctores, quales præcipui sunt Doctores Parisienses. Præter ceteros Concilio interfuit & noster Salmeron, & D. Jacobus Laynes, nostræ Societatis Generalis, qui ad tres horas pro immaculatæ Conceptionis flore dixit, quem cùm febris ex sui revolutione invasura exspectaretur; metuens attingere Virginis SS. clientem, cecinit receptui. Cui plausum dedit sacrum Concilium & dominantiū rationum pondere, concitatum, appendicem seu restrictionem in calce decreti de peccato originali apposuit. Hanc eandem exceptionē docuit Jodocus Clictoveus, qui vixit anno 1524. qui magnificè docet in lib. de puritate Virginis, cap. 8. & 9. *Quid mirum*, inquit, *si ea obligatio contrahendo culpam in prima productione obstringat filios Adæ: eam tamen non detinent, quæ à Deo præordinata est, ut illud grave jugum æternæ mortis debitum à nobis removeretur? Non igitur pro ea, sed pro omnibus ceteris, hæc lex contrahenda ab origine culpa posita est.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Restat, ut discamus qua fide sit tenenda pia sententia ex totius Ecclesiæ consensu.

HAnc quæstionem soluet Gregorius de Valentia infrà citandus. *Si quando* inquit, *de re aliqua, in materia religionis controversa constaret, fidelium omnium concordem esse sententiam. (Solet autem id constare vel ex ipsa praxi alicujus cultus, communiter apud Christianos populos recepta: vel ex scandalo & offensione communi, quæ ex opposita doctrina oritur) merito potest, ac debet Pontifex illa niti, utpote quæ esset sententia infallibilis. Quod ita est: dogmata enim ea infallibilem veritatem consequuntur, quæ communi Ecclesiæ consensu sustentantur, & vera judicantur, sive assensus sit probabilis, cum aliqua formidine erroris; sive certus, & infalibilis.* Hoc etiam docet Canus de locis. Waldensis lib. 2. de doctrinalibus fidei capite 22. & 23. Turrianus. Valentia 22. disput. 1. quæst. 1. p. 7. §. 45. Ex cujus rationis robore S. Bernardus scripsit ad Ligdunenses. *Ego quod ab Ecclesia accipi, securus & certus teneo, & trado.* Ego ab Ecclesia accepi talem diem. &c. Inde collegit S. Ildefonsus Virginis beatissimæ diem natalem esse immaculatũ, quia Nativitati Virginis indixerat diem festivum Ecclesia. Audiamus verba. *Sed quia ejus nativitas solenniter celebratur, constat ex auctoritate Ecclesiâ, quod nullu quando nata est, subjaceat delicto. Constat*, inquit, *ex auctoritate Ecclesiæ; Ecclesia ergo quæ est columna veritatis, errare non potest sequens auctoritatem & nutum Pontificis in festorum celebratione.* Hoc idem docet Leo Papa Epistol. 4. decretal. cap. 2. D. Thom. 2. 2. quæst. 93. art. 2. ad 5. Sicut ergo tempore S. Ildefonsi festivâ hilaritate celebrabat festum Nativitatis Ecclesia, sic & nunc immaculatæ Conceptionis. Finiamus vota totius orbis cum Illustrissima laude, & doctrina Alberti mágni in tractatu de laudibus SS. Virginis, ubi sic scribit: *Hoc dicimus, quia Beata Virgo secundùm omnem dignitatem, & nobilitatis modum fuit nobilissima, & dignissima in summo.* Nobilitas autem completa consistit in tribus. In conditionis libertate: In officii dignitate: In vitę sanctitate. Virgo autem origine, fuit libera, & sancta, quia creata à Spiritu sancto, quia Adami legibus exempta. Libera quoad substantiam, quia immunis ab omni servitute peccati. Fuit libera, quoad efficientiam, quia per ipsam omnis creatura ab omni servitute corruptionis fuit liberata. Huic magno Doctori ex ejus gratia, addere liceat. Quid nobilius Dei Matre, quæ Deum genuit ut Mater vera, cujus erat Deum magnum alere, educare, fovere, vestire, suo puello arridere, æternitatis auctori abblandiri, oscula dulcia pueli genis cum summæ reverentiæ amore dare; Virgineis suis uberibus apprimere, & reciprocis amoribus, & complexibus filioli dulcissimi recreari? O paradise cælestis contubernii, in quo magnus Deus, natus parvulus; Matri suæ erat omnia; & Mater parvulo nato pariter omnia. Contra hanc sanctissimam Matrem ex sensu Ecclesiæ dicimus non esse latam mortis, & peccati sententiam. An non Mater sui conditoris, & conditorum legis? non veniat ergo in censum & communem proscriptionem, hominum æstimatione, cui homines à Filio omnia debent.

Nobilitas consistit in tribus.

§. XXXIII.

Sequitur alia quæstio plena solatiis. Quàm indubitatum sit, cultorem SS. Deiparæ non posse damnari.

QUando dicitur non posse damnari; quid aliud dicimus, quàm in præmiũ cultus, æternam dari salutem? si enim non possit damnari, necesse est ergo salvari. Asseramus ergo instar primi Principii, cultum, & obsequia in Virginem collata esse signum prædestinationis. An non ingentis beneficii, in tantis tenebris; & ignoratione rerum futurarum, lucem & scientiam, à qua pendet æternitas, hausisse? Quid horribilius tristius, & angoribus rodentibus quid solicitius, quàm ignorare quo casura sit suprema fortuna uno puncto illigata, semperque eam suspendi? Bene Ecclesiastes 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Pulchrè hoc interpretatur D. Jeronymus *etiam in hoc dedi cor meum*, (vult Ecclesiast.) *ut scirem quos Deus diligeret, & odisset; & inveni justorum opera in manu Dei esse, & tamen utrum amentur à Deo, vel non, eos scire non posse.* Quanta felicitas, & tessera felicis fortunæ futurę? Beatus Aloysius Bertrandus, Ordinis sancti Dominici crebrò plenus lacrymis, & singultibus obrutus inventus; rogatus causam mœroris, respondit; Cur nõ amarissimè fleam, cùm non sciam an æternæ salutis sim futurus compos? Quasi diceret: Cum nullum fidum signum salutis datum, acceperim. An non ideò anxius

Incertus homini suus status.

anxius clamabat S. Bernardus. Quam requiem potest habere spiritus noster, cũ nullum certum signum æternæ salutis teneamus! & bene: an non semel periisse, æternum? Piissimus tamen Deus in hac caliginosa vitæ nocte, unam proposuit stellam, ut ejus actu tumultuosi oceani fluctus decurramus. Produxit & arborem vitæ; produxit ut ejus fructu, decerpto immortalitatis fructu potiamur. In cælo extulit signum magnum quasi labarum certæ victoriæ, ut eam consequamur si Virginis vivamus stipendiarii. Laurum securam offert omnibus, ut lauru rudimiti, fulmine damnationis liberemur consignavit & orbi novam Matrem, ut ejus amore freti cum ingenti spiritus fiducia, ad illam deproperemus. An non ideo Sancti Patres illud Ecclesiastici 24. huic stellæ arbori labaro, laurui, matri accommodant, *cùm legitur, Ego mater pulchra dilectionis & sanctæ spei. Qui audit me non confundatur.* Ecce tesseram boni ominis. Sequitur deinde & tessera infelicitatis: *qui autem in me peccaverit, lædet animam suam.* Deinde subiungitur. *In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus implemini.* Ecce ut sanctissima Virgo, regia munificentia omnibus suis sectatoribus offert & dedicat fructus certę salutis. An non ideò Irenæus l.3. cõtra hæreses, *vocat illam causam salutis.* Romani, deæ Nymphæ lilium donarunt, ut illud gestaret cum hoc elogio *Spes publica.* Hæc laus unica, uni Sanctiss. Virgini debetur, *quæ ipsa est vera spes publica.* Quare præclarè Sanctus Bernardus sermone secundo de Pentecoste. *Ad Mariam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei: sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum omnes respiciunt, qui in cælo habitant, & in terra.* Meritò respiciunt te oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus Omnipotentis, quæ creaverat, recreavit. Virgo ergo creatos recreat. Quid est recreare quam novam formam dare & refuso spiramine novæ vitæ, vitam renovare? Quare Idiota de contemplat. cap. 5. vocat. Virginem spiraculum hominis, quia peccatorum illam respirat in spe veniæ, & gratiæ. Et Bonaventura Psal. 13. Ut vivamus, respiramus singulis momentis: ita nolite cessare à laudibus ejus per singula momenta. Deinde eodem cap. 24. num. 13. jubetur in Jacob inhabitare: *Et dixit mihi creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo & dixit mihi: In Iacob inhabita & in electis meis mitte radices.* Quasi Filius Dei suæ Genitrici addiceret illos futuros hæredes æterni boni, in quorum cordibus Mater Sanctissima radices sui plantasset amoris. *Et emeritis stipendiis sua servitutis,* æterna præmia decernẽda stipularetur. Per

Præclara promissio salutis.

A illam ergo securum habet accessum tota mortalitas ad Deum, ubi causæ suæ mediatricem habet unigeniti Filii Dei Matrem. Quare is perire quomodo poterit, quem mater misericordiæ in suum patrocinium admiserit? Hinc tota Ecclesia consona voce vocat illam matrem misericordiæ; non quia ornata misericordiæ magnifico titulo, supremoque gradu, verùm, ut ostenderet à Virgine, quasi natam misericordiam, eamque esse filiam à Matre Dei prognatam. An non lymphæ à capite fontis arcessitæ, prosiliunt, ut irrigent obvia quæque? Sic à corde virgineo, fructus erumpit misericordiæ cum

Misericordia videtur nata ex Virgine.

B gratiarum perennibus fontibus totum orbem irrigaturis. Non potest Virgo Mater non misereri, nisi se matrem suæ filiæ negârit. Quare pulchrè Antoninus part. 4. titul. 15. c. 4. sic loquitur super Salve regina. *Impossibile est quod illi, à quibus Virgo Maria oculos sua misericordiæ avertit, possint salvari; ita ad quos convertit, necesse est salvari.* Non enim potest non amare quos peperit. Thronus ejus, ut dictum; est sicut Sol in conspectu ejus: quidquid fruitur Solis colluscentibus radiis, vires inde trahit suas. Et quid non producitur Solis calore? An non sulphur, in aurum? an non ros in conchas gemmasque? futuras glacies in Crystillum

Nemo potest perire qui Virginis cultor. Misericordiâ ejus tuti peccatores.

C trasmutatur? Quas non metamorphoses in mentibus peccatorum se vocantium, progenerat S. Virgo ne pereant. Omnibus est fons aquæ salientis in vitam æternam. Sanctissima Virgo est ille fons qui in Syria nascitur, de quo Seneca lib. 3. quæst. cap. 23. in quo nemo mergi potest, etsi maximè velit; nescitur quo prodigio, semper super natet immersus. Bene Idiota: *Tanta est ejus Virginis sacrosancta misericordia quòd ab ea repellitur nemo.* Optimè ergo aptemus SS. Virgini quod Levitic. 26. Dei bonitati datur: *Ponã tabernaculum meũ in medio vestri & non abjiciet vos anima mea.* Quasi diceret: Inserã mẽtibus vestris amorẽ

Fonti immersus in Syria nato nemo immersus potest mergi.

D mei, an ego potero mei non meminisse? Salomon pepercit Sacerdoti Abiathar defectori 3. Regum 2. *Equidem,* inquit Salomon, *vir mortis es tu, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Dei coram patre meo.* Hanc gratiam in te transfer peccator, & tibi applaude millies reus mortis, millies dignus sempiternis flammis; at quia portasti arcam Dei viuentis, matrem scilicet Dei, parcet tibi oculus meus. Concludamus ergo cum Anselmo: *Qui ad Mariam accesserit, impossibile est ut pereat.* Accedat S. Bernard. sermone de Nativit. *Non potest sustinere repulsam, qui, quod Deo offerre vult, quamvis modicum, gratissimis Mariæ manibus offerendum tradit.* Et sermone primo, super Missus: *Ipsa tenente non corruis: ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia pervenis.* Nunc videndum quo artificio

Quo artificio utatur SS. Virgo in conversione peccatorum.

Qua fide credendum neminem damnari, qui cultor Virginis fuerit.

artificio peccatoribus ingentibus misericordia procuretur? SS. ergo Virgo ne pereat cultor sui, libertatem pravam peccãdi minuit, procuratæ gratię accessu & terroribus æternorum conglobatis inhibet cursum scelerum: animumque percellit, ut gradum referat. Procurat deinde auxilia & gratiæ congruæ motus, quibus tacti, ad Filii sui revertuntur obsequia, & tandẽ salute donantur æternâ. Qua igitur fide tenendum erit, neminem posse perire, qui sacræ Virginis cultor extiterit? Crediderim, eâ fide, tenendum, qua sanctorum Patrum auctoritati, immensisque miraculis in hujus assertionis firmamentum patratis credimus. Deinde cur non ea, qua credimus Dei Matrem apud Filium omnia posse? an non æquum erat, omnia per sanctissimam mulierem restaurari, quę unius corruptæ malitia erant depravata? Annon debebatur hoc privilegium Sanctissimæ Matri, quia consensu dato in sacrosanctum incarnationis mysterium consummandum, imperium in omnes creaturas tanquam jus dotale fuerat adepta?

Ratio tantæ potestatis Virgineæ obvenit ex consensu.

Decreta ergo Dei Mater in remedium salutis prostitutæ; dignissimũ erat, ut omnibus se matrem salutis exhiberet, eamq; rogantibus impartiretur. Quodnam fuit summum operum divinorum? an non Deus humiliatus, & homo factus? an non verâ æstimatione, hoc opus, infinitæ dignitatis & meriti infiniti? Cur non esset pariter infinitę quodammodo dignitatis & meriti, consensus sacratissimæ Virginis in tantum & opus admirabile, cujus defectu absolvi non poterat? An non media solent esse fini suo proportionata? Sicut ergo finis sacræ incarnationis fuit infiniti meriti, & dignitatis: sic & consensus ex sua proportione tanti meriti, & dignitatis, ut nihil ei possit æquipararari; quandoquidem divina majestas, interveniente Sanctissimæ Virginis voluntate, fuerit finem suum assecuta. Sicut ergo Deus Pater filio suo homini, rerum omnium absolutam atque universalem dominationem consignavit; voluitque in orbem introductum ab Angelis adorari tanquam verum & legitimum Dominum: sic quoque Deus Pater, Matri sui dilecti filii in arrham & pignus contulit, omne jus & dominium cunctarum creaturarum universale: voluitque suam filiam omnibus honoribus extraordinariis, exquisitissimâ potentiâ in omnia dominari.

Pater æternus contulit suæ filiæ dominatũ omnis creaturæ.

Ex hoc magnifico concessu, & imperatorio munere, nata processit Sanctorum Patrum fiducia, ut docere & scribere fidenter audeant, neminem scilicet posse damnari, qui non degeneri famulatu Sanctissimæ Virgini studuerit deservire. Hanc ingentis spei, fiduciæque beatam felicitatem confirmat Innocentius Papa sermo-

A ne secundo de Assumpt. *Maria*, inquit, *finis damnationis, & origo salutis. Oportebat enim sicut mors per unam fœminã; ita per fœminam vita rediret.* Datum ergo nobis usurpare verba Abrahæ, quibus usus est apud uxorem in Ægyptum tendentis Gen. 12. *Dic obsecro quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Ad quod alludit S. Bonaventura. *O Hera charissima, dic obsecro quod mater nostra sis, ut propter matrem Ægyptii vereantur, id est, dæmones, accedere.* Gratiam ergo quæramus per Mariam; quia qui quærit invenit, & frustrari non potest. An potest mater oblivisci filii uteri sui? *nunquid solum est mater Christi Domini*: ait Bonavent. *imò non*

B *solum Christi, sed etiam fidelium & capite 5. Duo sunt filii Mariæ, Homo Deus; & Homo purus: unus corporaliter, alter spiritualiter: illi, qui est auctor vitæ, dedit vitam corporalem: huic mortuo dedit spiritualem.* Suscitat ergo mortuos instar leęnæ, suo rugitu gratiæ impetratæ, & quasi novo partu progenerat quos peccatum occiderat. Applaudamus ergo nobis de hoc signo prædestinationis, & credamus cum S. Patribus nullum posse perire, qui sanctissimam matrem suis lacrymis, & precibus interpellarit. Quanti autem sit æstimandus fructus prædestinationis, ipsa sanctissima Virgo

C fidem facit, dum omnibus quibuslibet rebus etiam nobilissimis eum anteponit. *Melior est*, inquit, *fructus meus auro: & lapide pretioso & genimina mea argento electo.* Proverb. 8. versic. 19. Quid sibi vult illud *melior est fructus meus auro, & lapide pretioso* quàm dicere; me pro fructu, seu censu, & lucro acquirere, longè, melius est, quàm aurum, & lapidem pretiosum. Ubi 70. sic habent, melius est me pro fructu percipere super aurum. Quis est prælii & agonistarum fructus? an non victoria? quis fructus Virginis, an non Dominus Jesus ejus fructus per eam nobis donatus? an non ejus primus fructus spes & fœneratio æternæ prædestinationis? Tibi

D ergo serviisse, ô Domina, spes vitæ est & fiducia salutis.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

De tribus temporibus, quibus à præsenti damnationis periculo peccatores liberantur.

TRia sunt tempora, quibus Patrocinio SS. Matris dum peccata æternum parturiunt exitium, à suprema clade liberamur. Primum est tempus mortis; dum scilicet moritur in statu lethali, solicita procuratione, salutaris contritionis impetrat effectus. O beata, beatæ advocationis hora, dum æternum urget, & instat supplicium: æterno supplicio liberari.

Alterum tempus est post mortem, dum solet extemplo mitti fulmen supremæ sententiæ & merendi, pœnitendique tempus penitus excindi. Quid spei tunc reliquum, nisi in sola Virgine, quæ tunc suorum memor, judicis sententiam ferendam anticipat quam judex suæ benignissimæ Matris precibus evictus suspendit, & inducias matris arbitrio permittit. Vide Bonfinium in historia Hungarica. Ubi diu multumque dilata sententia narratur post Varnensem cladem. Alia narrat S. Ambrosius serm. 90. Sanctæ Agnetis precibus juvenem idololatram ad vitam revocatum.

Tertium tempus est quo peccatores dant pœnas in inferno; an iis possint aliquando peccatores liberari? Hic lector contrahes frontem; dicesque ne quid nimis. Ergóne, erit data sententia revocabilis? an mutari potest, quod est immobile fixumque? Ergo erit in inferno redemptio? Scio ab Ephrem sancto sic compellari SS. Virginem: O sacrosanctissima desperantium spes, & damnatorum patrocinatrix? Scio ex Anselm. de laudibus SS. Virginis cap. 12. nihil Virgini esse impossibile. *Te*, inquit, *Deus sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donarit.* Sic pariter docet Damianus serm. 1. de Nativit. *Virginis. Data est tibi omnis potestas in cælo & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem salutis revocare.* His omnibus accinit Bernard. Epistol. 174. *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum non est fas suspicari tanta Virgini fuisse negatum.* Circumferuntur auctores graves, quos inter est Anastasius in suo itinerario, Platonem à Christo Domino descendete ad inferos ignibus infernalibus liberatum. Cui etiam astipulari videtur Nicetas Nazianzeni interpres orat. in 2. Pascha. monens, ne existimemus semper esse pœnitentiam in inferno: *Semel*, inquit, *hoc contigit cum Christus ad inferna descendit.* Deinde Damascenus serm. de defunctis refert, orationibus beatę Theclæ primæ Martyris extractam ab inferis Falconillam fœminam gentilem. Addunt & orationibus S. Gregorii Trajanum Imperatorem liberatum. Subditque Damascenus: Testatur inquit Oriens, & Occidens, miraculum hoc germanum, & irrefutabile, quē magnus numerus auctorum sequitur, quos inter D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. ad 5. Nihilominus tantâ tamen nube obstantium autorum D. Cardinalis Bellarminus, & D. Suares judicium suum suspendunt. Quæstioni nunc satisfaciendum. De fide certum esse, sententiâ pronuntiata, esse irrevocabile judicium, pœnasque fore æternas, quæ semel inflictę. Sic Matth. 25. docet Christus D. Ite in ignem æternum Isa. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur. Daniel. 12. Multi (omnes) ex his qui dormiunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium æternum. Job 10. Ubi sempiternus horror inhabitat. Quare Concil. Braecarense cap. 34. & Concil. Triburiecense cap. 31. statuunt, ne pro his, qui in actuali peccato mortali decedunt, ullum fiat suffragiũ: ubi illud refertur D. Augustini. Nemo inquit te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Hoc posito fundamento, certum est, S. Virginis patrociniis finalem humanæ damnationis sententiam nō posse inflecti revocarique. Et qua ratione posset revocari, quandoquidem ipsa sententia secum adferat immutabilem necessitatem; cùm dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum.* Sin verò dicamus aliquem liberatum inferni suppliciis, credendum est, supremam sententiam non fuisse pronunciatam, & ad tempus cruciatibus fuisse adjudicatum. Deinde vitæ redonatum, ut pœnitentiâ, & luctu sese redimeret. Concludo ergo nullis finibus SS. Virginis regnatricem in cælo, terra infernoque potentiam posse circumscribi, omniaque & singula illius arbitrio permitti, nisi spes, supremo judicio, à quo non datur appellatio, penitus fuerit incisa, sublataque. Semel enim periisse, æternum est.

Hæc autem non est adventitia potentia, sed agnata debitaque tanquam Matri Filii summi regis, atque ideo juxta Aristotelis Principia, Regina, Domina, & hera vocãda, quod pulcherrimè de laudibus SS. Virginis docet Arnoldus Carnotensis. *Nec à Dominatione, vel potentia Filii mater potest esse sejuncta: una enim est Maria, & Caro Christi.* Et Bonavent. in speculo cap. 8. *Dominus potentissimus tecum; Dominus judex noster; Dominus legifer noster in mundo; Dominus judex noster in judicio, D. noster nos coronans in cælo.* Hinc Idelfonsus serm. 3. assumpt. S. Virginem *reginam regum* appellat, & Rupertus *reginam regnorum.* Bene ergo Damascenus orat. de assumpt. *Oportebat Dei Matrem, ea quæ Filii erant possidere, atque ab omnibus rebus creati*

An aliquis possit inferno liberari.

Qui liberati dicantur.

De Trajano liberato sentiunt plures doct auctores.

Quid respondendum quæstioni, an aliquis liberari possit.

A finali damnatione nemo liberari potest.

creatis ut Matrem Dei adorari. Et orat. 1. de Assump. In cælo, inquit, ac regiis sedibus: sic Regina, Domina, ac hera; ac verè Mater & genitrix Dei deposita es. Regina ob politicum imperium, & civile; Domina ob directum Dominium rerum omnium: Hera ob potestatem in miseros & mancipia. Sic tamen sortitur cum Filio potestatem; non quod filio sit æqualis (quod absit,) ut nihil possit hujus potestatis exercere, nisi ex Filii venia, quæ semper illi præsto est & ad nutum sui placiti gratiosi.

§. XXXV.

Qua fide credendum beatissimam semper Virginem, esse summi Dei veram matrem.

TEstamur, & indubitam fide confitemur, eadem fide credendum, qua credimus Deum Patrem, esse patrem veri Dei, quem Dei Patris Filium nuncupamus. Quem & Sanctissimæ pariter Virginis Filium dicimus. Genuit quidem Deus Pater ab æterno purum Deum, sibi per omnia ὁμόζυγον sive ejusdem essentiæ; genuit & Sanctissima Virgo hominem, sed non hominem purum, sed hominem, qui esset & Deus: & diceretur homo Deus, & Deus homo in una persona subsistēs. Habet ergo Filium Pater, habet & Virgo; qui utriusque est Filius ex natura divina pariter & humana compositus, quod nisi firmissimè constanterque credatur, totius fidei necesse est fundamenta convelli, prosternique. Divinitatem Christo Domino impius latro Arrius, ipso dæmone in hoc deterior, conatus auferre; sicut & Nestorius non minor latrone priori latro, SS. Virgini titulum Matris Dei; & uterque ausus docere SS. Virginem puri hominis, non Dei Matrem esse. Hos fidei perduelles proscripsit Ecclesia. In primo Concilio Nicæno, ubi Arrius trecentis & octodecim SS. Patrum suffragiis, & telis fuit confossus. Et impius Nestorius in Ephesino, in quo Sanctissima Virgo θεοτόκος id est, Dei Mater, totius orbis flagrantibus votis, & triumphalibus vocibus fuit pronunciata. Qua ratione Dei Mater non potest dici Mater puri hominis, audite impii Nestoriani. Quamvis generatio terminetur ad esse creatum naturæ genitæ, nempe humanitatis in Christo, nihilominus Deum esse Filium Virginis, & Virginem esse Matrem Dei, confitemur; quia, ut beata Virgo sit & dicatur Mater

A Dei, non est necesse, ut efficacitate Matris, attingat unionem humanitatis cum Verbo, sed tantum unionem animæ cum carne, ex qua conflatur humanitas; quæ reverà sunt Verbo unita, ratione cujus unionis, ita mutuo communicantur idiomata naturarum, ut Deus dicatur homo, & homo Deus, ac proinde Mater illius hominis, dicatur Mater Dei, ab initio Conceptionis humanitatis. Existentia ergo humanitatis producta à Virgine (existentiam enim rerum ab essentia putamus solâ ratione distingui) hoc ipso quod illa existentia virtute Dei unita fuit Verbo, factus est Deus homo, & homo dictus est Deus, ac proinde beata Virgo appellata est Mater Dei; quare nec illa fuit, nec dici

B potuit Mater hominis, nisi simul esset Dei Mater: non enim priùs anima juncta corpori, quàm ambo fuerunt per unionem hypostaticam sacrosancto Verbo. Pronuntiemus ergo primum Anathematismū Concilii apud Cyrillum epistolâ decimâ. *Si quis Emanuelem non confitetur secundùm veritatem Deum esse, ideoq. beatam Virginem esse Deiparam, anathema sit.* Idem definitur in Concilio Lateranensi sub Martino V. Canon. 3. *Si quis secundùm Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem Dei genitricem, sanctam, semper Virginem, & immaculatam Mariam, damnatus sit.* Verè ergo,

C & sanctè, te veram & sanctam Dei Genitricem confitemur, extollimus, & adoramus tanquam reginam omnium, quæ Filium Deum omnium conditorem, Virgineo & intemerato conceptum corpore peperisti, & omnibus Maternis obsequiis fovisti, aluisti, & educatum mundo, in mūdi salutem donasti. Exclamo cum magnanima matrona apud Lucam c. 11. Beatus venter qui te portavit æterni Patris Filium, & beata ubera Virginis, quæ lactarunt puerum Deum Matri consubstātialem: beata & infinities beata quæ nascituro cum humanis membris unigenito Dei, carnis suæ materiam ministrasti, ut Mater esses Dei, & ex te duceret originem in tempore, qui ab æterno Patre esset ge-

D nitus, Patri consubstantialis.

EPILOGUS.

PErmagna superni auxilii fiducia, præconia Sanctissimæ Deiparę, per Consociationem, cum infinitis Filii sui excellentiis, ad imitationem Sanctæ Ecclesiæ conjunxi. Hæc enim suscipit in Filio Matrem, & in Matre Filium. Quis enim tantum filium, à tāta Matre se junxerit? Si pater & filius jure civili pro una censeantur persona, cur non potiore jure, adeò mater admirabilis, cum suo filio supra omnem admirationem incomprehensibili, pro una persona censeantur? Nunc ratio

ratio monet, ut utriusque Majestate pro liberalitate impensi favoris, pendam tributum meæ debitæ servitutis, & agnoscam ingenue cælesti beneficio, opus absolutum. Si enim flumina repetũt suos ortus, & ad locum unde exierunt fluxu citato revertuntur: quid justius; quid mihi felicius, quàm ut quo fonte, hoc theatrum manavit, ad suæ originis festinet exordium? *Tibi* ergo *Sanctissima* Mater, tanquam Conciliatrici divini muneris, & tuo *Sanctissimo omnium bonorum Largitori*, omnia nostra, qualiacumque sunt, accepta stratus in terrâ fero, & pariter offero; & ne quid mei reliquum sit; ante tuos Regina pedes cadit hostia nostri corporis atque animæ. Atque utinam sic tuę Majestati litatus, per te accessum habeam ad Filium, ut sic sacro suo conspectui compaream gratiolior. Et quia gratitudo placet, humiliter rogo ut Reverendo Patri Crommio defuncto quem, maximis viris æquarim, qui sacram Theologiam & sacras literas Hebraica, Chaldaica, Græca lingua illustravit, quidquid favoris & gratiæ dari potest, Cælis recepto conferatur: aliis verò RR. Patribus permagnis viris qui superstites vetant se nominari, visionem beati Dei sua Majestas procurare dignetur quod oculos suos libris suæ Majestati dicatis impenderunt.

Votum Auctoris.

O Quàm velim, quadringenta millia librorum, flammis Julii Cæsaris Alexandriæ cremata superesse! teste Senecâ libro de tranquil. cap. ultim. quis ad hanc luctuosam cladem non ingemiscat! Josephus verò cum Agellio lib. 6. cap. ultim. ajunt septingenta millia in cineres redacta, & totius orbis sapientiam conflagrasse. O quàm velim tot sapientium monumenta, vivacibus sæculis digna superstitisse! quot coronas, quot serta, ex antiquis scientiarum thesauris, gemmisque reconditis tuæ sacræ Majestati contexerem? Qualem apparatum ex totius Orientis & tot Regum opibus, junctisque vastissimi maris spoliis æternæ memoriæ commendatis construerem? An non dispergerem per solis utramque domum, quidquid tot sæcula rerum curiosa, nec non fatidica, & nuncia tui adventus pepererunt? An non Sibyllæ plenę Deo divinos tuos ortus stupendis Oraculis prælusère, & Sanctitatem tuam Virgineam sacræ Virgines festivis odis celebrarunt? An non in cineres abijt flos orbis? Nunc cum vix tabulæ antiquitatis naufragæ supersint, votis & desideriis certandum. Et quibus? Infinitis. Et quis æquabit tuam magnitudinem, nisi, qui solus est infinitus, & solus te major? Cetera verò minora, ut punctum linea, ut gutta Oceano, & terra cælo Empyreo comparata. Cùm ergo tanta sit magnitudo tuæ Majestatis, ut nullis terminis circumscribi possit, ne laborans deficiam, proscribam meam parvitatem; & silentio me involuam: Congeram tamen priùs omnem gloriam, omnem gloriam, omnem laudem omni gloria, & laude majorem: congeram omnes triumphos non imitabiles, & innumerabiles omnium Creaturarum faustas acclamationes, cum infinitis victoriis tuis: congeram denique quidquid magni, aut inusitati dici, fingique potest, ut tibi serviat, & applaudat. Cælorum condita theatra personent tuum benedictum nomen. Tota verò terra & vastus Oceanus cum suis incolis concinat tibi, tuum trisagium Sancta, Sancta, Sancta: sicut Sanctissimæ Trinitati suum, Sanctus, Sanctus, Sanctus feliciter, & amplius cui contigit amor tui.

SVL.

Jam summam manum operi admoveram, & de sacra Tabula dimoveram: jam in hoc gemino Theatro egeram Epilogum, & spectatoribus, peracta jam scena dixeram illud theatrale, & solenne Romanis actoama, Plaudite, Plaudite Deo, ac Deiparæ; cùm ecce ipsissima hora, auspicatissima adfertur charta, qua per R.P. Nierembergium, virum verè Parthenophilum, tota cum totius Ecclesiæ Hierarchia, Hispaniæ Monarchia submississimè Christi Vicario, pro Christi Matre supplicat, ut tandem decretoria sententia, veluti spongia, non quidem deleatur, quia semper caruit, Virginis Conceptæ macula, sed aboleatur, quæ quorundam adhuc mentibus insedit, de macula suspicio: hanc inspice, ac suspice. Et hic esto finis, mihi scribendi, tibi legendi; neutri tamen Deiparam, & in Deipara Deum diligendi.

SVPPLEX LIBELLVS
PRO IMMACVLATA
B. VIRGINIS
CONCEPTIONE,
ET
PACE CHRISTIANORVM
PRINCIPUM.

Ad Sanctissimum Dominum nostrum Alexandrum VII. Pontificem Maximum.

ANagramma insertum in hoc libello supplici est purum, & satis mysticum, litteris constans pro numero Discipulorum Christi, & Collegij Cardinalitij, conspiraturi pro exaltatione Deiparæ in obsequium Sanctissimi Domini Alexandri Septimi, qui est quartus Papa Senensis, post Alexandrum Tertium, juxta Spondanum ad annum 1159. Item ad annum 1458. atque ad annum 1503.

Beatissime Pater.

IOannes Eusebius Nierembergius è Societate JESU ad pedes communis Ecclesiæ Patris provolutus, sacrum, & felix sui nominis nomen offert, & supplicat:

Sanctissimus Pater, & Dominus
ALEXANDER *Papa Septimus,*
qui erat anteà
FABIUS CHISIUS.

Anagramma.

Quartus è Senis Papa,
Dei Matri charissimus,
ipsi labem Adae non fuisse
statuet.
Tunc Pax.

Pro Honore Filij Dei, pro Gloria Matris ejus, pro Auctoritate Sedis Apostolicæ, pro Gaudio Fidelium, pro tollendis Populorum scandalis, pro Ecclesiæ unitate & concordia, pro Europæ pace, pro contritione Hæreseos.

Orat Plebs, orant Principes, orat Clerus, orant Antistites, orant Pij, orant Docti, orat consensus Ecclesiæ, ut veritatem de Immaculata VIRGINIS CONCEPTIONE, quam certam agnoscit, sic vestra Sanctitas sacram, & sanctam statuat, ut à nemine contradici permittat, ad imitationem Sanctissimorum Pontificum, qui laboranti Ecclesiæ subvenerunt, propitiato Deo, per ampliationem cultus, & exaltationis suæ Sanctissimæ Matris.

A quatuor ventis concutitur navis Sancti Petri, intùs, & extrà afflicta; ab Oriente Turca ingruit; ab Occidente Anglus insidiatur; à Meridie Afer audet; à Septentrione Moschus, & Scytha imminet. In suo ipso gremio videt, & plorat Mater Ecclesia charissima suorum viscerum pignora, Hispanum, & Gallum, vicissim lacerari. Tunc pax expectanda, cùm pacificetur divina Justitia, si pacifica statuatur gloria justitiæ originalis in Matre Dei vincente omninò antiquum hostem, & conterente serpentinum caput. Hoc desideratissimum cunctis gentibus votum. Hoc cœlestibus ordinibus placidissimum obsequium. Hoc in præsentibus calamitatibus opportunissimum Deo propitiatorium.

FINIS.

INDEX

INDEX MATERIARVM PRO CONCIONIBVS

In Quadragesimam, Adventum, Dominicas & Festa totius anni.

Dominica 3. *Matt.* 8.

Dominica 4. *Matt.* 8.

Dominica 5. *Matt.* 13.

Dominica 6. *Matt.* 13.

Dominica Septuagesimæ. *Matt.* 20.

Dominica Sexagesimæ. *Luc.* 8.

Dominica Quinquagesimæ. *Luc.* 18.

Feria 4. Cinerum. *Matt.* 6.

Feria 5. Cinerum.

Feria 6. Cinerum. *Matt.* 5.

Sabbatho post Cineres. *Marc.* 6.

Dominica 1. Quadragesimæ. *Matt.* 4.

Feria 2. post Dom. 1. Quadrag. *Mat.* 25.

Ego

Mag-

Dominica

Dom.

PROPRIA SANCTORVM

In Festo S. Andreæ. *Matth.* 4.

S. Josephi. *Matt.* 1.

In Annuntiatione B. Virginis. *Luc.* 1.

SS. Philippi, & Jacobi. *Ioan.* 14.

Inventio S. Crucis. *Ioan.* 3.

Nativitas S. Joannis Bapt. *Luc.* 1.

In Commemoratione Fidelium Defunctorum.

In Festo Præsentationis B. Virginis.

In Dedicatione Templi.

Pro Festo S. Ignatii.

In Festo S. Dominici.

In Festo S. Augustini.

In Festo S. Francisci.

In Festo S. Xaverij.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

Mundus

R.

S.

T.

V.

INDEX
EXEMPLORVM VARIORVM.

FINIS.